PRAELECTIONES

THEOLOGICAE

QUAS IN COLL. ROM. S. J. HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

IN EOD. COLL. THEOLOGIAE PROFESSOR.

VOLUMEN I.

PRIMA EDITIO TUSCA

NOVISSIMIS CL. AUCTORIS CURIS ORNATIOR

PRATI,

EX OFFICINA RAYNERII GUASTI

MDCCCXLIV

LECTORI BENEVOLO

Quod maximo illi Ecclesiae lumini et theologorum fere parenti Augustino, quum de Trinitate scriberet, visum est, verae justaeque excusationis loco sibi esse posse apud illos, qui putassent eum propterea tacere debuisse, quia non tam expedite ac dilucide, quam ceteri, eloqui potuisset; id mihi theologicas hasce praelectiones in lucem educere cogitanti, de eventu tamen pertimescenti ob copiam praestantiamque tot illustrium virorum, qui tum superioribus aetatibus, tum hac etiam nostra, de re eadem scripserunt, magno, equidem fateor, solatio fuit, atque adeo incitamento, ut quod institueram, quanto possem citius, perficerem. *Neque enim omnia*, ajebat sanctissimus Doctor (1), *quae ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt, et fieri potest, ut nonnulli, qui etiam haec nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, et in istos saltem incidant. Ideoque utile est, plures a pluribus fieri diverso stilo, non diversa fide, etiam de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic*.

Accedebat, quod, quum postremus aggressus sim ad hoc genus doctrinarum tractandum, auctorum priorum opibus locupletare commode potuerim inopiam meam; hinc, quam detrimenti quidquam eorum multitudo et sapientia afferret operi meo, pretium potius eidem faceret, commendaretque illud lectoribus, quippe in quo, quantum habenda brevitatis ratio patiebatur, collecta pleraque invenirent, quae a ceteris accuratius sunt disputata, unoque in conspectu universa intuerentur. Illud vero tandem me vehementissime commovebat ac

(1) De Trinit. lib. I. c. 5.

veluti spei blandae stimulis concitabat, fore ut hac mea tenuitate laboris non tenuem fortasse operam navarem sanctissimae nostrae religioni, quam, hoc maxime tempore, tantis afflictam aerumnis totque calamitatum turbulentissimis fluctibus exagitatam dolemus. Etenim unum horum aliquod bonorum inde extiturum sperabam, nempe ut, dum magis quam veterum, recentium opinionum pravitatem haereticorumque nostrorum perversitatem insector atque urgeo, vel ipse constringerem per me eorum audaciam furoremque compescerem vel, si hoc minus assequerer, catholicos viros, qui id majori ingenii et doctrinae vi possent, excitarem ut praestarent, vel denique mature moniti adolescentes de temporum nostrorum erroribus, edoctique praesentem necessitatem Ecclesiae, alacriores in studiis essent, seque impensius compararent, ut strenui ejus administri atque adjutores evaderent. Hoc autem postremum si vel unum obtineo, equidem laboris mei fructum amplissimum sum consequutus; nam si aetatibus reliquis, profecto hac nostra optandum maxime est, ut, quemadmodum increbrescere in dies numerum improborum, et profundiores, quam tolerabile sit, radices agere et dilatare stirpes videmus, ita uberior etiam consurgat et quasi succrescat bonorum proles, succusque ille et sanguis incorruptus virorum propagetur, qui et sanctitate morum et excellentia doctrinae acceptam divinitus fidem et religionem adornent atque tueantur. Sic enim fiet, ut, si minus jactura omnis resarciatur, quam furiosorum hominum amentia et scelere pati cogitur Ecclesia, habeat tamen optima mater ex constanti gnavaque filiorum pietate quo inustum ab hostibus dolorem allevet, quantumque ab his sibi injuriarum et vexationum timere debet, tantumdem in illis sibi praesidii solidaeque oblectationis gaudeat adesse.

Haec ferme sunt, quae reluctantem me diu multumque et aegre ferentem, ut, quae hactenus in hoc Romano Collegio adolescentibus praelegeram, typis vulgarem, tandem accedentibus nonnullorum postulationibus, volentem, atque adeo fortasse audacem fecere; quae proinde etiam praeloqui volui, ut, qui fuerit mihi in hoc opere conscribendo animus, quod in eo edendo consilium, quisque perspiceret. Ceterum quemnam sortiturum sit demum exitum, futurum ne sit ut probetur nec ne, quam divinari inutiliter et blandiri mihi, malo committi aequitati usuique lectorum, si prius tamen benignissimae Dei providentiae commendavero, in cujus majorem gloriam volo totum hoc cedat quodcunque est. Restat ut, quemadmodum ex Augustino accepi, quo exordirer, ab eo etiam mutuer quo finem faciam, illud orans omnes, in quorum manus nostra haec pervenerint, ut scilicet, *quia sicut Dei data, sic etiam mea errata cognosco, non solum curam legentis impendant, sed etiam censuram corrigentis assumant* (1).

(1) Epist. 37, ad Simplicianum.

IN PRAELECTIONES THEOLOGICAS

PROLEGOMENA

§ I.

THEOLOGIAE NOTIO OPERISQUE PROSPECTUS

1. Theologia, quae, si vocis etymon spectes, est *Sermo de Deo*, modo latiori, modo strictiori significatione usurpatur.

2. Theologiae enim nomine ea peculiariter divinae scientiae pars comprehenditur, quae agit de Deo, deque iis, quae Deo inhaerent, cujusmodi sunt Dei proprietates seu attributa tum absoluta tum relativa. Ampliori acceptione designatur praeterea quidquid ad Deum tanquam causam refertur, seu opera comprehendit omnia, quae extra Deum sunt, quanquam ab ipso originem trahant, atque instrumenta, quibus Deus ad aliquid efficiendum utitur.

3. Hinc in duas partes divina haec disciplina dividitur, quarum altera disputationes complectitur de Deo ejusque attributis, altera circa Dei opera versatur.

4. Cum autem dupliciter Deum spectare possimus, nempe vel ut auctorem naturae, vel ut auctorem gratiae, hinc rursum posterior haec theologiae pars bifariam distribuitur. Prior quidem Dei opera contemplatur, qua creator et auctor naturae est, posterior, qua gratiae est fons et origo.

5. Ex operibus porro a Deo conditis alia mere spiritualia sunt, ut angeli et hominum animae, alia prorsus corporea, ut haec rerum universitas, quae coeli terraeque ambitu continentur, alia demum, quae tum spiritu tum corpore constant, ut homo ipse.

6. Sic opera gratiae, quibus intelligentes creaturae Dei ipsius naturam quodammodo induunt, seu ad quoddam cum Deo consortium ac communicationem supra naturae suae conditionem admittuntur, pro duplici communicationis modo, dupliciter distingui possunt.

7. Alia siquidem cum Deo communio interior est et absoluta, ac per hanc non divina solum, sed etiam Deus fit, et in unam cum Deo personam convenit humana natura, quod in Incarnatione divini Verbi contigit. Alia est, quae fit extrinsecus atque ex parte duntaxat, siquidem in sola voluntatum inter se conjunctione consistit. Haec porro *moralis* communiter nuncupatur, et est fons, unde omnis sanctitas, quae in creaturis est, dimanat.

8. Ad hanc vero conjunctionem efficiendam duplex adhibetur adjumentorum genus. Alia quippe sunt instrumenta, eaque partim efficentia, ut sacramenta novae legis, partim dirigentia, ut lex ac morum virtutumque praecepta. Aliae autem sunt interiores causae ejusmodi conjunctionis; ex quibus aliquae eam, quam vocant *formam*, constituunt, seu *causam formalem* justificationis et sanctitatis, qua tum angeli tum homines sancti efficiuntur; tales sunt gratia sanctificans, necnon fides, spes, caritas ac reliquae virtutes infusae; aliquae spectari debent ut dispositio seu praeparatio ad talem formam recipiendam, ut omnia auxilia gratiae quibus intelligentes creaturae interius illustrantur quoad intellectum, et permoventur quoad voluntatem ad bene et sancte volendum et agendum.

9. Statui sanctitatis et gratiae opponitur status peccati; et quum sibi invicem oppositorum mutua sit scientia, de peccatis etiam theologia pertractare consuevit.

10. Ex hac vero theologiae notione, quam ex clarissimo Petavio (1) deduximus et contraximus, quaeque a methodo S. Thomae (2) non abscedit, duo colliguntur, generalis theologiae definitio, ut sit nempe: *Scientia, quae de Deo agit, deque iis, quae ad Deum quoquomodo pertinent*: tota deinde praelectionum nostrarum ratio ordoque rerum, in quibus tractandis et evolvendis opera deinceps nostra versabitur.

11. Quare hae praelectiones dogmaticae complectentur tractatus de Deo ejusque attributis, de Trinitate, de Deo creatore, ubi de Angelis, de mundo, deque homine in duplici suo statu, naturae innocentis et lapsae, necnon de altera ejus vita sermo erit. Hos autem tractatus excipient illi, qui de Dominica Incarnatione sunt ac de divina Christi gratia, ubi de justificatione et merito, ac de sacramentis novae legis, tum generatim tum singillatim.

12. Frustra porro de his omnibus dissereremus, nisi luctuosis hisce nostris temporibus praejaceremus quasi fundamentum tractatum de religione, non modo adversus incredulos et recentiores rationalistas, qui omnem revelationem e medio tollunt, sed et adversus heterodoxos, qui, ex privato judicio revelationem divinam interpretantes, eam omnino labefactant atque subvertunt.

13. Ab hac propterea tractatione lucubrationes nostras auspicati sumus. Divina enim revelatione in tuto posita, atque Ecclesiae catholicae auctoritate firmiter constituta, facilis erit via ad ea omnia, quae hinc sponte quodammodo fluunt.

14. Ad haec potissima theologiae argumenta, quibus in Romano Collegio totum hujus disciplinae curriculum constat, est nobis in animo etiam tractatum de Locis theologicis adjicere, ut opus nostrum saltem ex hac parte absolvatur. Tractatus enim de actibus humanis, de legibus, deque virtutibus atque peccatis, theologiae moralis institutoribus dimittimus.

(1) Cons. Petavius, tom. I, *De theologicis dogmatibus*, Proleg. I, cap. I, n. I et seqq.

(2) Vestigiis tanti doctoris eo libentius insistimus, quod ipse veluti sol affulserit in Ecclesia Dei, eaque vi mentis copiaque et delectu doctrinae rem omnem theologicam persequutus sit, ut *Angelici* nomen merito sibi comparaverit. Eum vel ipsi doctiores Protestantes magni faciunt; ac profecto vix theologum dixeris, qui ipsius opera, *Summam* praesertim et libros *Contra gentes* non legerit ac pervolutaverit. Nostra studiorum ratio theologiae professores jubet eum ut *doctorem* suum habere (*Ratio studiorum Societ. Jesu*, regula 2, profes. theol.).

§ II.

FONTES AD HANC ELUCUBRATIONEM ADHIBITI

15. Erit etiam operae pretium quaedam hic subjicere circa fontes, e quibus ea, quae scripturi sumus, depromemus.

16. Quum igitur juxta Angelicum Doctorem in celeberrimo opere, quod *Contra gentes* (1) inscripsit, ex veritatibus, quae ad Deum spectant, aliae sint, quae humanae rationis facultatem excedunt, aliae vero, ad quas ratio naturalis potest pro suis viribus pertingere, hinc pro diversitate argumenti, de quo agitur, diversa etiam via est incedendum. Rursum, prout idem observat Angelicus Doctor (2), quum ex hostibus, qui christianam religionem impugnant, alii sunt, qui omnem penitus scripturarum auctoritatem rejiciunt, alii qui non admittunt nisi libros Veteris Testamenti, alii qui praeterea admittunt libros Novi Testamenti, sed respuunt traditiones et auctoritatem Ecclesiae, hinc diverso armorum genere utamur necesse est, sive ad propositas veritates propugnandas, sive ad diversos ejusmodi religionis hostes refellendos.

17. Quare, ubi agendum nobis erit adversus incredulos, ratione atque monumentorum adjumentis eos a pravis nefariisque opinionibus deducere conabimur, ut tandem admittant non solum divinae revelationis existentiam, sed insuper Ecclesiae a Christo fundatae auctoritatem; siquidem haec est veritatis magistra atque divinae revelationis servatrix et infallibilis interpres. Si vero cum judaeis nobis manus conserendae sint, ex Veteri Testamento atque ex auctoritatibus, quas ipsi non respuunt, eos erroris arguemus. Sic ex sacris litteris universim sumptis pugnabimus adversus protestantes et haereticos, nec non ex certis totius antiquitatis monumentis. Demum, ut par est, si cum catholicis, seu cum iis, qui se Catholicos profitentur, nobis negotium sit, quales hisce temporibus in tanta praesertim quidvis sentiendi et scribendi licentia non pauci existunt, ex Romanorum Pontificum constitutionibus atque Conciliorum praesertim oecumenicorum decretis, ex recepta in Ecclesia catholica doctrina et Patrum auctoritate eos refellemus, qui in aliquo articulo a sana doctrina aliqua ratione deflectunt.

18. Modo igitur ratione, modo auctoritate pro diversa adversariorum indole incedemus; aliquando, prout res postulabit, et ratione simul et auctoritate.

19. Quum vero gravissimi atque eruditissimi viri magnos exantlaverint labores ad religionem atque catholicam doctrinam propugnandam, sive ex antiquis sive ex recentioribus scriptoribus, non dedignabimur ex probatis ejusmodi fontibus aquas derivare ad hortulos nostros irrigandos, eosque suo loco cum debita laude commemorabimus, quod lubenti pariter animo praestaremus erga institutores nostros, quorum opera usi sumus, si typis vulgatae essent eorum lucubrationes.

20. Ne vero in nos etiam cadat ea satis communis querela, quod scilicet minus exacte atque accurate scriptorum loca referuntur, hanc nobis legem constituimus sancte servandam de nullo unquam, quoad licuerit, citando auctore, quem oculis nostris minime inspexerimus, adnotando, si opus fuerit, editionem etiam qua usi sumus. Quod si libros ipsos ad manus habere quandoque nobis non licebit, indicabimus saltem auctorem, cujus fide innixi, vel cujus auctoritate aut rationibus usi fuerimus.

(1) Lib. I, cap. 3.

(2) Ibid. cap. 3.

21. Atque ista in genere de his fontibus delibasse sufficiat; ubi enim in operis decursu de iisdem specialis mentio fiet, et ex professo in tractatu de Locis theologicis sermo occurret, singulorum theologiae locorum auctoritatem expendemus ac vindicabimus. Quod quidem, ut per se patet, intellectum volumus de iis auctoribus, quorum operibus utemur sive ad rem catholicam adstruendam et confirmandam, sive ad errores adversariorum refellendos. Quod enim spectat ad ceteros quorum in notis tantum elenchum subjiciemus ad discipulorum eruditionem, et quorum copia nobis praesto non est, eorum praesertim quae a rationalistis in Germania prodierunt, hoc profitemur ut plurimum innixos Wegscheidero adducere. Hic enim cum institutiones redegerit doctrinam rationalisticam, auctores singulos magna sedulitate collegit in singulis doctrinae illius articulis: quare ab ipso elenchum nostrum praesertim mutuabimur. Si quidem Wegscheiderum potissime aggredimur, et in hoc uno conficiendo, caeterorum fidem auctoritatemque elevare contendimus.

§ III.

METHODUS ET INSTITUTUM

22. Diversam methodum pro subjectae materiae diversitate proque varia adversariorum indole adhibendam esse in harum praelectionum decursu, ex dictis compertum est. Illud tamen addimus, quod spectat ad speciale illud propositum, quod in animo nobis est, talem nempe tractationum seriem exhibendi, qualis theologiae tironum captui accommodata sit.

23. Quare in scribendi ratione eam methodum consectabimur, quae et idonea sit ad eorumdem tironum ingenia in his disciplinis apte informanda, et privatis ac publicis concertationibus, quae ipsis ingeniis excolendis plurimum conferunt, inserviat.

24. Idcirco praemissis, quae ad controversiae, de qua agitur, statum et naturam dignoscendam necessariae visae fuerint, notionibus ac enarrationibus opportunis ad definiendum germanum et verum propositionis enunciandae sensum, propositionem ipsam statuemus, deinde vel refellemus vel propugnabimus quod propositum est.

25. Quum praeterea diuturnis experimentis nobis compertum sit, non parum conferre, ad claram qualemcunque notionem sibi efformandam, dilucide exponere ac determinare propositae propositionis certitudinis gradum, et ea, quae stricte de fide sunt ac definita, ab iis secernere, quae talia non sunt, curae nobis erit, ubi materia patietur, singulis propositionibus suam, ut ajunt, qualificationem subjicere, atque illico fundamentum exhibere notae seu censurae, qua multata est. Ubi vero de ecclesiae definitione aut ejus sensu non omnino constat, dicemus quid nobis videatur ex argumentis, quibus innititur. Hinc fortasse fiet, ut omnis e juvenum mente confusio tollatur; ex qua non raro contingit, ut quae de fide sunt definita, vel ad doctrinam catholicam pertinent, vel quae eumdem certitudinis gradum minime obtinent, permisceant cum ingenti ipsius scientiae detrimento, atque periculo contrariam doctrinam non debita ac propria censura notandi.

26. Quamobrem, ubi opportunus erit locus et id ipsa materia patietur, satagemus propositiones enunciare iisdem plane verbis, quibus qualiscumque veritas vel a Conciliis vel a constitutionibus pontificiis definita ac declarata est.

27. Jam vero sic insectabimur veritatis hostes, ut omnes domesticas atque olim magna animorum contentione agitatas in scholis catholicis quaestiones,

quoad fieri potest, devitemus. Salva enim fide, et Ecclesia ipsa annuente, unaquaeque schola suis potest adhaerere placitis. Ad pacem propterea conservandam atque fovendam, his supersedebimus, nisi expeditior dogmatis explicatio aliud suadeat; quo in casu illud ante omnia nobis curae erit, eam seligere sententiam, quae dogmati cum explanando tum contra incredulos ac heterodoxos tuendo accommodatior videbitur. Ne tamen quaestiones ejusmodi a theologiae studiosis penitus ignorentur, controversiam historica ratione exponemus, ac praecipua utriusque contrariae sententiae momenta, ex cujusque illustrioribus patronis deprompta, ingenue ac breviter attingemus; quo fiet, ut in talibus quaestionibus, unusquisque, perpensis hinc inde rationibus, eam sequetur sententiam, quam veriorem putaverit; tali enim in casu *unusquisque in sensu suo abundet*.

§ IV.

SCRIBENDI RATIO

28. Duo prae oculis habemus, quae in ejusmodi praesertim scriptionis genere reperiri debent, brevitatem ac perspicuitatem. Haud ignoramus, quam operosum sit binas recensitas proprietates, quae sese invicem excludere videntur, simul conciliare; divina tamen ope freti pro viribus enitemur eas perpetuo consectari, easque ita simul conjungere, ut nec brevitas perspicuitati, nec perspicuitas brevitati detrimentum afferat.

29. Ad brevitatem obtinendam, inutiles omnino atque jamdiu obsoletas et antiquatas quaestiones missas faciemus, vel obiter de minus necessariis agemus, easque potissimum prosequemur, quae aetate hac nostra agitantur tum a biblicis ac rationalistis, quos vocant, tum ab incredulis et heterodoxis. Rursum in iis, quae ab auctoritate pendent, in medium allatis praecipuis, sive ex Scriptura sive ex Patribus ac monumentis ecclesiasticis, testimoniis, quae rem conficere videntur, indicabimus fontes, ex quibus studiosiores atque ingeniosiores adolescentes poterunt sibi pleniorem comparare rei, de qua agitur, cognitionem, eosque praecipue, qui ex instituto de peculiari illo argumento scripserunt seu commentaria ediderunt. Adversariorum autem difficultates, ut ordini inserviamus, in classes redigemus, ac non interrupto sermone una simul conjungemus, tum ne aliquid nativae vis ac roboris amittant, tum ut locum exercitationibus scholasticis praebeamus, dum ad dialecticae normam eas unusquisque exigere debet in mutuis concertationibus; atque id quidem brevitati non parum inserviet.

30. Ad perspicuitatem quod attinet, quae est altera sermonis virtus; eo utemur stilo eaque scribendi ratione, quae maxime decent tractatus polemicos, simplici nempe atque accurata. Exquisitam proinde elegantiam, quae quidquid latinum non est, rejiciat, minime consectabimur, utpote alienam ab eo fine, quem nobis proposuimus, et minus fortasse ad id accommodatam, ut nempe juvenum utilitatibus, quantum in nobis est, prospiciamus.

31. Cum opus erit, nonnullas addemus notulas, ad rem apertius declarandam, ita tamen ut nonnisi parce ac moderate id praestemus, ac nonnisi ubi necessitas aut saltem opportunitas ad majorem questionum claritatem tulerit, ne nimium libri moles excrescat.

32. Mediam igitur inibimus viam; nimiam in rebus tractandis prolixitatem aeque ac nimiam jejunitatem devitabimus. Adolescentes theologiae studiosi totam quam exoptant, quaeque ipsis necessaria est, doctrinarum supellectilem hic ita nanciscentur, ut eorum animi nec

supervacaneis abundent, nec nimia rerum copia absterreantur.

33. Licet vero in his elucubrandis nec industriae nec labori pepercerimus, facile tamen profitemur, nos non omnes idcirco maculas culpasve effugere potuisse. Et nos homines sumus; humani nihil a nobis alienum putamus. Verum ejusmodi labes aequi bonique viros doctos consulturos esse confidimus. Quod si quidpiam minus caute aut minus accurate dictum, quidquam fortasse etiam catholicae ecclesiae doctrinis minus consonum invitis exciderit, id velut indictum haberi volumus, cum nos nostraque omnia pientissimae huic veritatis magistrae, columnae ac firmamento subjecta esse decernamus.

TRACTATUS

DE VERA RELIGIONE

ADVERSUS

INCREDULOS ET HETERODOXOS

---

1. Duae omnino sunt classes hominum, qui verae religioni adversantur atque repugnant, haereticorum una, altera incredulorum. Hi enim unica contenti religione naturali, si tamen eam, prout decet, admittunt, revelationem omnem, utpote supervacaneam et hominum cogitatione inventam, rejiciunt; illi vero, dum privato judicio religionem permittunt, suis pessime commentis eam temerant ac labefactant. Hinc fit ut adversus incredulos necessitas existentiaque revelationis sit demonstranda, simul et via ratioque tradenda, qua eam tuto investigent, si velint, et consequantur; adversus haereticos autem divinitus constituta ecclesiae auctoritas sit vindicanda, apud quam depositam Deus revelationem suam voluit, et qua solum vindice et magistra integram inviolatamque habere possumus, ejusque germanam intelligentiam tenere.

2. Duae itaque erunt quoque partes tractatus nostri. Altera incredulos redarguet, atque eos admodum quos deistas aut naturalistas vocant; qui quidem Deum existere et cultu pio prosequendum fatentur, ejusque praeterea providentiam agnoscunt sive pro hac, sive pro altera vita praemia poenasve pro merito decernentem: nam cum atheis, ubi de Deo ejusque attributis agemus, res nobis futura est. Eos hic unos adorimur, qui in enumeratis modo articulis nobiscum consentientes, in eo tamen longe discrepant quod solam religionem naturalem, uti appellant, necessariam homini esse arbitrantur. Altera sectarios sive haereticos perstringet, revelationem utique recipientes, at eam mancam, ut ita loquar, et mutilam: quippe qui traditiones divinas respuunt, et pronum ad incredulitatem iter faciunt, negantque commissam ecclesiae custodiae et fidei revelationem ejusque cognitionem, quam temere ad jus devocant sensumque privatum.

3. Intendendi hic sane nobis nervi omnes industriae et ingenii, nec permittendum ut in tanti momenti re ullae nostrae partes desiderentur. Patrocinium enim suscipimus verae religionis; agitur fides catholica, aguntur ecclesiae jura, agitur sanctorum doctrina, tranquillitas imperii, salus populorum, sempiterna hominum felicitas, quae omnia extra veram religionem frustra requiras, siquidem in ea unice continentur.

DE VERA RELIGIONE

PARS I.

ADVERSUS INCREDULOS

4. Propositum quidem nobis erat exordiri a facto ipso constituendo, sive ab existentia divinae revelationis ostendenda. Hac enim semel constituta ac vindicata, continuo per se omnia evanescerent, quaecumque ab incredulis ac divinae alicujus revelationis vel possibilitatem vel necessitatem impugnandam sunt excogitata; essetque haec compendiaria prorsus via ad omnes revelatae religionis hostes profligandos. Ne tamen videamur novitati studere, atque aliud quam quod tritum est iter velle insistere, tum maxime ne juvenes iis destituantur praesidiis, quae ad divinae revelationis possibilitatem atque necessitatem adstruendam in medium afferri solent, in quatuor praecipua capita hanc priorem tractatus partem distribuimus; in quorum primo de divinae revelationis possibilitate, in altero de ejus necessitate, in tertio de notis quibus vera a falsis distinguitur, in quarto demum de existentia disseremus.

CAPUT I.

DE DIVINAE REVELATIONIS POSSIBILITATE

5. Revelatio, prout hic accipitur, est alicujus veritatis vel plurium etiam veritatum manifestatio; quae si a Deo, atque extraordinario quidem, id est supernaturali (1), ut dicunt, modo, praeter consuetum nempe providentiae ordinem fiat, divina nuncupatur (2). Manifestari

(1) Vox *supernaturalis* diversis in sensibus intelligi potest: quo in sensu hic a nobis adhibeatur, ex totius quaestionis tenore intelligitur.

(2) Quae quidem adnotavimus ad excludendum *rationalismi* nuper inducti systema, juxta quod non alia datur revelatio quam per rationem rite excultam, vel etiam, ut nonnulli addunt, a Deo excitam ad veritates cognoscendas; ac per hoc distinguitur a *naturalismo* stricte sumpto; isti omnes quemcunque, ut vocant, *supernaturalismum* rejiciunt. Horum elenchum et placita exponit Jul. Aug. Lud. Wegscheider, *Institut. theologiae christianae dogmaticae*, edit. VI, Halae 1828. Hunc auctorem protestantem vere vocaveris rationalistarum signiferum, qui ad certam methodum illorum doctrinam redegit. A Kantii philosophia magna ex parte originem suam agnoscit *rationalismus*, quem plures in Germania sequuti sunt, Fichte, Koppen, Niethammer, Grohmann, Nitzeh, aliique apud eumdem, *Proleg. de relig.* c. I. § 9. et seqq.

autem aliquae veritates a Deo possunt vel homini singulari, seu singularibus hominibus, ita ut per istos ceteri edoceantur, vel omnibus indiscriminatim. Si omnibus prorsus hominibus fieret ejusmodi manifestatio, tunc revelatio *generalis* ac *communis* vocaretur; sin vero peculiaribus a Deo electis hominibus, *peculiaris* ac *privata*. Revelatio illa, quae alicui immediate a Deo fit, dicitur *immediata*; si ista ad alios perveniat, *mediata* nominatur.

6. Rursus ex iis, quae a Deo manifestari possunt, alia sunt, quae hominis captum minime excedunt, alia, quae omnino superant, ac *mysteria* propterea vulgo dicuntur.

7. Jam vero ex incredulis alii sunt, qui possibilitatem quamcunque revelationis inficiantur; alii minus saltem accommodatam homini traducunt revelationem mediatam, quae nempe hominum ministerio, ut notavimus, ad alios perveniat; alii denique revelationem tantummodo mysteriorum, veluti impossibilem impugnant, quibus omnibus totidem propositiones opponimus.

PROPOSITIO I.

Possibilis est divina revelatio immediata

8. Possibilis enim divina censenda est revelatio, si neque repugnet ex parte Dei revelantis, neque ex parte hominis revelationem excipientis, neque ex parte rerum revelatarum. Jam vero nulla ex parte repugnat.

9. Non utique ex parte Dei, qui quum infinite sapiens ac potens sit, ideo aliquas potest veritates manifestare, innumerosque habet in promptu modos ea quae ad se spectant, vel voluntatem suam patefaciendi. Neque hoc profecto quisquam, nisi atheus, in dubium vocabit; nam si homo potest sensa sua alteri aperire, quidni possit Deus?

10. Neque vero ex parte hominis, qui quum intelligentia ac ratione praeditus sit, nulla certe re vetatur, propositam sibi veritatem excipere, sicut et alia quaecunque solent cum ipso ceteri homines communicare.

11. Neque tandem ex parte rerum revelatarum: si enim istae conferant ad majorem Dei cognitionem et gloriam et ad hominum utilitatem, nihil impedit, quominus objectum esse possint divinae manifestationis, ut patet.

12. Haec magis confirmantur ex communi hominum sensu, qui nullam unquam repugnantiam invenerunt in ejusmodi revelationibus, uti constat ex historia omnium gentium, quae revelationes sive veras sive fictas admiserunt. Ergo.

DIFFICULTATES

13. Obj. 1. Nos modum assequi non possumus, quo Deus aliquas veritates manifestet; incerta praeterea 2. ambiguaque semper res est revelatio, nunquam enim ille qui revelationem accipit, ita certus de ea esse potest, ut nullam moveat suspicionem erroris atque fallaciae: et sane 3. plures turpiter quovis tempore decepti sunt circa internas ejusmodi inspirationes, quae non nisi lusus turbatae mentis fuerunt, imaginationesque falsae, quales sunt quae dormientibus occurrunt. 4. Denique divinam dedecet majestatem, se eo usque demittere, ut creaturas tam miseras alloquatur. Ergo.

14. Resp. ad 1. *D.* Non possumus determinatum aliquem modum assignare, quo Deus aliquas veritates manifestet, *Tr.* vel *C.* non possumus saltem in genere diversos assignare modos, quibus Deus ad aliqua manifestanda uti possit *N.* Potest enim Deus suam patefacere vo-

luntatem vel aliquas patefacere veritates sive per somnia, sive per aliquam loquutionem, sive per signa, sive per symbola, sive quacunque alia ratione, quam ipse noverit; nos vero minime tenemur determinare potius unum quam aliud medium, quo ipse uti maluerit.

15. Ad 2. *D.* Per se, *Tr.* spectato fine, quem Deus intendit, *N.* Quum enim Deus ad alicujus bonum, et a fortiori si ad bonum multitudinis dirigat illam veritatem, quam manifestat, potest ac debet ita certum de ea facere hominem, cui eam enuntiat, ut nulla ipsi dubitatio esse possit et omnem tollat metum deceptionis. Alioquin aliquid majus efficere posset homo, quam Deus.

16. Ad 3. *D.* Ex iis, qui veram revelationem non habuerunt, *C.* qui veram habuerunt, *N.* Non eadem profecto ratione disserendum est de iis, qui veram revelationem habent, ac de iis, qui non habent; isti utique illudi decipique possunt, existimantes se aliquam revelationem habuisse, quum reipsa non habuerint. At qui vera revelatione divina donati sunt, tali pollent subjectiva, ut ajunt, certitudine, ut nullo modo decipi possint, quia quando loquitur Deus vel aliquid efficit atque operatur, sapientissimus et providentissimus quum sit, talia exhibet suae operationis signa, quibus omnis errandi formido prorsus abigatur.

17. Dices: difficultas versatur in homine distinguendo, qui veram habeat revelationem ab homine, qui fictam habet; ergo.

18. Resp. praeter intimam certitudinem de qua modo diximus, non deesse extrinseca signa ad homines hujusmodi tuto recognoscendos, e. g. vitae sanctitatem, miracula, prophetias eventu comprobatas, testimonium aliorum prophetarum, objectum ipsum revelationis, universalem quamdam approbationem, etc. quae quidem omnia aliaque horum similia si in alicujus revelationis confirmationem concurrant, jam nullus superest fraudi metuendae locus.

19. Ad 4. *N.* Quid Deum deceat vel dedeceat, nostrum semper expendere non est. At Deum dedecere hominem affari et alloqui in iis potissimum, quae conferunt ad ejus bonum ac felicitatem, nemo dixerit, nisi insanus et impius. Deum non dedecuit hominem condere et quidem ad felicitatem, eum propterea nec dedecet viam tutam eidem homini indicare, qua ad optatam beatitatem possit pervenire.

PROPOSITIO II.

Possibilis est divina revelatio mediata

20. Ea scilicet possibilis est revelatio, qua homines alii revelatas divinitus veritates per alios edoceantur, qui eas a Deo immediate acceperunt, seu per eos quos Deus ipse ejusmodi veritates edocuit.

21. Etenim ex praecedenti propositione possibilis est revelatio immediata; recte ergo possibilem esse revelationem mediatam infertur: quas enim divinitus homo accipit veritates, potest cum ceteris communicare. Si quid difficultatis occurreret, ea non tam ex parte rei, quam ex parte hominum ceterorum proveniret, qui revelationes nuntianti fidem minime haberent; at si revelatio a Deo reipsa ortum ducat factaque sit in commune bonum, praesto erit Deus ipse subsidiis extrinsecis superius recensitis, praesertim vero miraculis et vaticiniis; ut fides tuto ei adjungi possit ac debeat; quae si desint, nemo sane est, qui assensum revelationem adstruenti praebere teneatur.

22. Ad assertionis confirmationem huc pariter accedit conspiratio omnium gentium, quae, quin absurdi quidquam in hac agendi ratione viderint, pronas

potius aures praebuerunt illis hominibus, qui se a diis missos tradebant, ut eas ad officia religionis, legum ac morum recte instituerent, uti de Minoe legitur, Lycurgo, Numa, aliisque, qui ita comparatis hominum animis abusi sunt ad auctoritatem sibi suisque institutis conciliandam. Ergo.

DIFFICULTATES

23. Obj. 1. Revelatio mediata fraudibus innumeris obnoxia est; 2. nec solum privati homines, sed integri quandoque populi decepti sunt; eo vel maxime, 3. quod media ad fraudem detegendam omnino certa non suppetant; et si quae essent, 4. nonnisi moralem certitudinem parere possent, quae profecto omnem prorsus errandi formidinem nunquam excludit: 5. longe proinde satius esset, si homines singuli a Deo veritates edocerentur, quae homini scitu necessariae sunt, prout veritates naturalis religionis per rationem edocuit, quaeque jure revelatio primitiva nuncupatur. Sic nulla jam superesset de religione controversia: sufficeret enim internam hanc vocem consulere; ergo.

24. Resp. ad 1. *D.* Si nulla haberemus media ad veram revelationem secernendam a falsa, *C.* si talia media habeamus, *N.* Quae vero ea sint, superius exposuimus.

25. Ad 2. *D.* Decepti sunt ex defectu accurati examinis, *C.* quasi non potuissent ullo modo fraudem detegere, *N.*

26. Ad 3., *N.* Ut ex dictis patet.

27. Ad 4., *N. minor*. Si enim moralis certitudo sit summa atque perfecta, aeque ad assentiendum impellit, ac certitudo physica et metaphysica, atque in hanc demum resolvitur, omnemque proinde errandi formidinem tollit. Quandonam vero habeatur summa haec moralis certitudo, a logicis et criticis traditur.

28. Ad 5. *D.* Si homines ita comparati essent, ut nunquam ea abuti possent aut vellent, *C.* si cupiditatibus obruti valde proni sint ad ea abutendum, *N.* Nempe eodem modo ac homines cupiditatibus irretiti abusi sunt rationis lumine, quod omnibus affulget, atque in absurda non pauca lapsi sunt, sic etiam communi ejusmodi revelatione abuterentur, eamque ad cohonestanda turpia quaeque deducerent, quin unquam argui possent falsitatis. Singuli enim a Deo ea se accepisse affirmarent, quae non essent nisi propriae mentis deliria, ac totidem essent religiones quot capita, prout evenisse in ea, quam ipsi vocant primitivam revelationem, experientia demonstrat. Quare et hoc habetur emolumentum ex mediata revelatione, quod scilicet unitas atque consensio, quae sunt praecipuae verae religionis notae, inde exsurgant, tum publica hominum societas atque professio, necnon publicum societatis istius et professionis vinculum. Alioquin, ne fraudi daretur locus, a singulis efflagitanda essent miracula et vaticinia, quod quam absurdum sit, nemo non videt.

29. Atque hinc responsio patet ad ea, quae in confirmationem adducuntur; ex dictis enim constat, neutiquam controversias de religione sic fore ablegandas, quin potius viam latissimam apertum iri *enthusiasmo*, uti perspicuum est, et amplius confirmari posset exemplis non sane paucis nec obscuris ex recentioribus sectis, quae tum in Anglia, tum in foederatis Americae septentrionalis provinciis maxime vigent (1). Ne-

(1) Nonnulli ex istis sectariis adeo progressi sunt, ut sibi a Deo nefaria quaeque et homicidia ac parricidia imperata effutierint. Non pauca exempla videri possunt in controversiis episcopi Milner, quae suo loco afferemus.

que enim homo in abstracto, seu prout a nobis fingitur, spectari debet, sed qualis reipsa est.

PROPOSITIO III.

Possibilis est revelatio illarum veritatum, quae mentis nostrae captum excedunt, seu est possibilis mysteriorum revelatio

30. Mysterium, quod idem significat ac res arcana, ut ex propositionis enuntiatione colligitur, hic accipitur pro veritate, quae longe ab intelligentia nostra disjuncta sit; non eo quidem sensu quod plane nos lateat ejusmodi veritas, cujus terminos vere cognoscimus, sed quod terminorum ejus nexum non assequamur, quo fit, ut ejusmodi veritatem minime comprehendamus. Negant deistae, mysteria posse a Deo revelari, ast frustra; etenim

31. Dantur veritates, quae mentis nostrae aciem superant; ergo Deus potest eas manifestare, seu possibilis est mysteriorum revelatio.

32. Quod dentur ejusmodi veritates, nemo sanae mentis inficiari potest: tales enim sunt, quae naturam hominis spectant, tales, quae naturam spectant corporum omnium, quae nos circumstant. Hominem anima et corpore constare compertum est, qua vero ratione existat confleturque compositum utriusque, quomodo in corpus anima ac vicissim in animam corpus agat, plane nos praeterit. Ignorant philosophi quaenam sit corporum natura; tota qua late patet haec rerum universitas mysterium est. Recentiores ipsi physici, licet non parvos progressus fecerint in cognitione naturae, legesque multas et vires deprehenderint, fatentur tamen abdite latere adhuc istarum virium causas, et esse, ut quidam (1) ex ipsis ait, *qualitates occultas*. Quidni igitur dentur ejusmodi veritates in Deo, cujus infinita prorsus natura est?

33. Jam vero, si dantur hae veritates, nihil obstare potest, quominus Deus eas nobis manifestet, si ita ipsi placuerit sive ad exercendam fidem nostram, sive ad capiendum nostri in eum obsequii atque obedientiae experimentum. Nulla profecto in hoc invenitur repugnantia. Ergo.

DIFFICULTATES

34. I. Obj. 1. Ipsa mysterii notio excludit ejusdem revelationem: revelare enim est patefacere quod occultum est; si igitur mysterium revelatum est, jam non est occultum sive mysterium. 2. Repugnat praeterea revelare, quod homo ratione sua assequi non possit; tum quia nullum esset emolumentum incognitae sive occultae veritatis: perinde enim esset, ac lingua ignota loqui, in qua nihil praeterea haberetur, quam sonus inanis verborum; tum quia mysteria ob insitam obscuritatem esse non possunt nisi perpetua feraxque disputationum ac discordiarum seges, uti experientia ostendit, ex qua deprehendimus totum christianorum zelum imo et religionem collocatam fuisse in fide atque praetensa orthodoxia tuenda, id est, in verborum formulis sensu vacuis acriter propugnandis. Quare 3. si juxta Lockium nemo assentiri propositioni potest, cujus termini non comprehenduntur, neque modus intelligitur, quo vel affirmantur vel negantur ad invicem; recte ipse concludit, nos nullum posse mysterio assensum praebere; ergo.

35. Resp. ad 1. *Vel N. vel D.* Revelationem excludit intrinsecam, seu quoad ejus naturam, *C.* extrinsecam

(1) Blumenbach, *Man. d' hist. nat.* tom. 1. sect. 2. § 9.

seu existentiam, *N.* Ad prob. *revelare est patefacere*, etc. *D.* In se, *Tr.* vel *C.* prout hic accipitur pro manifestatione nempe existentiae, *N.* Ludunt igitur deistae in ambiguo, dum talia opponunt; atque hinc patet responsio ad illationem, *si igitur mysterium revelatum est, jam non est mysterium.* Non est profecto mysterium ex ea parte, qua revelatum est; at mysterium remanet quoad intimam sui naturam, quae revelata non est.

36. Ad 2. *N.* Ad 1. autem prob. *Quia nullum esset emolumentum incognitae sive occultae veritatis*, *D.* si esset omni ex parte incognita et occulta, *C.* si ex parte tantum, nempe quoad nexum terminorum, *N.* Nam mysteria, quae per revelationem proponuntur, ut ex dicendis suo loco patebit, non sunt omnino incognita; atque ut exemplis res plana fiat, quum dicimus in una divina natura tres esse personas, duas ideas enunciamus nobis bene cognitas, licet non assequamur modum, quo in una simplicissima natura tres distinctae personae subsistant; sic etiam quum dicimus in Christo duas esse naturas subsistentes in una divina persona, duos pariter terminos proferimus nobis cognitos, etsi non intelligamus, qua ratione duae naturae in una persona subsistant; atque ita porro de ceteris mysteriis a fortiori dicatur. Inde magnum nobis emolumentum provenit, quum ejusmodi mysteria longe splendidiorem Dei ideam praebeant, ac basim ac fundamentum constituant firmissimum moralium virtutum et officiorum, atque incitamento sint ad sublimiorem perfectionem, ut infra evolvemus, capessendam. Ad confirmationem, *perinde esset ac lingua ignota loqui*, *N.* Etenim ex adductis exemplis corruit vana ejusmodi assertio: certe quum dicimus, Dei filium ad salvandum humanum genus, naturam humanam assumpsisse, atque ad expianda hominum crimina se victimam obtulisse, non loquimur lingua sinensi aut malabarica, cujus nonnisi vacuum sonum percipiamus, ut deistae autumant. Ad 2. prob. *mysteria ob insitam obscuritatem*, etc. *D.* Respectu illorum, qui omnem legitimam auctoritatem rejiciunt vel eidem non obsequuntur, *C.* respectu illorum, qui, ut par est, ejusmodi auctoritatem venerantur, *N.* Non igitur ex mysteriorum natura, sed ex defectu debiti obsequii erga auctoritatem a Deo constitutam ejusmodi controversiae ortae sunt, atque in dies oriuntur. Ceterum non solum circa mysteria, sed circa quoslibet religionis articulos ex ingenii humani abusu quaestiones motae sunt atque moventur. Ad confirmationem, *experientia ostendit*, etc. *N.* Istae enim non sunt nisi deistarum declamationes et calumniae. Quod si ecclesia catholica semper sollicita fuit in custodiendo fideliter divinarum veritatum deposito sibi a Deo concesso, munere suo functa est; alioquin jam funditus eversa foret tota christiana religio. Quod vero subdunt de formulis verborum sensu vacuis, satis disjectum est ex responsione ad 2.

37. Ad 3. *D.* Quod tamen falsum est, ideoque rejiciendum, *C.* verum et admittendum, *N.* Lockius enim ad evertenda christianae religionis mysteria tale principium adstruxit, quod omnino est repudiandum: necesse enim non est ad assensum alicui propositioni praestandum, ut termini eorumque relatio mutua comprehendantur; sed satis est, ut eorum notio aliqua habeatur licet obscura et incompleta; alioquin deberent rejici omnia mysteria metaphysica et matheseos ipsiusque naturae, quae pauca non sunt, ut prae ceteris ostendit Cl. Fel-

ler (1), nec diffitentur deistarum coryphaei, Voltaire, Hume, Diderot aliique (2). Quis autem hoc ferat? Caecus natus nunquam adduci posset ut ea crederet, quae de lucis phaenomenis ceteri homines testantur, et rudes ut absurda improbare deberent geometriae theoremata, quorum demonstrationem non assequuntur. En quo ducat lockianum principium a deistis celebratum (3).

58. II. Obj. 1. Homo ratione praeditus nihil admittere debet, nisi quod ratio et evidentia verum esse demonstret. Ideo enim Deus intelligendi facultate hominem instruxit, ut intelligeret, eaque veluti duce et magistra uteretur praesertim in religionis negotio, quod est omnium maximum. Quare 2. quum religio essentialis debeat esse omnibus hominibus communis, ita debet omnibus evidens esse, ut a quolibet etiam rudi plane intelligatur: neque enim homines ex imperio, sed ex persuasione credunt, ubi scilicet eos moverit rerum perspicuitas atque evidentia: talis autem esse non potest, quae proponit credenda mysteria. 3. Sane Deus noster, inquit J. J. Rousseau (4), non est Deus tenebrarum, sed lucis; nec nos intellectu instruxit, ut nihil intelligeremus, nec rationem concessit, ut eidem repugnaremus. Quae magis confirmantur ex Bayle animadversione, qui non uno in loco observat, 4. mysteria ex eo quod sint supra rationem, hoc ipso esse contra rationem, quum non sint rationi conformia; quod exemplo turris longius conspectae declarat, quae, quum quadrata sit, ratione distantiae apparet rotunda; hinc affirmanti eam esse quadratam credere teneor contra id, quod oculi de ejus rotunditate testantur. Hinc factum est, 5. ut nulla falsa religio revelata perhibeatur, quae sua non habeat mysteria, uti sinensis, japonica, etc., scilicet ut in rudium animos facilius dominarentur. Optime propterea 6. concludit Gibbon (5), hanc semper fuisse artem condendae religionis, praebere nempe credenda mysteria, quae non intelligantur, et ritus praescribere, quorum nulla ratio assignari possit. 7. Quod tamen est contra Apostoli (6) monitum: *rationabile obsequium vestrum*. Ergo.

59. Resp. Ad 1. *D.* Nihil admittere debet, nisi quod ratio et evidentia verum esse demonstrat evidentia vel intrinseca vel extrinseca, *C.* intrinseca tantum, *N.* alioquin omnes, ut observavimus, deberent rejici veritates, quarum intrinsecam naturam evidenter ratio non assequitur, quod est absurdum, nec ab adversariis conceditur. Ad probationem, *ideo Deus intelligendi facultate*, etc. *D.* ut intelligeret ea, quae ipsius limites non excedunt, *C.* quae excedunt, *N.* In his enim officium rationis est, expendere momenta, quae auctoritati insunt ejusmodi veritates proponenti, seu credibilitatis motiva diligenter aestimare, quae secum fert negotium omnium utique maximum, quale est religio.

40. Ad 2. *D.* Debet esse omnibus evidens evidentia extrinseca, *C.* intrinseca, *N.* Recolantur superius dicta. Ad confirm. *neque enim homines ex impe-*

(1) *Catéchisme philosophique*, suite du livre IV. chap. 5. art. I. les Mystères en général, § 418 et seqq.

(2) Loc. cit.

(3) Consulatur quoque Bergier in *Diction. théol.*, art. *Mystères*.

(4) *Emile*, tom. III. pag. 129. 139. 140 et seqq.

(5) Gibbon, *The history of the decline and fall of the roman empire*, in-8. London, 1823. c. 16 et seqq.

(6) Τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. ad Rom. XII, 1.

rio, etc. *D.* id est, praemisso accurato ac diligenti examine motivorum credibilitatis, *C.* id est, perpensa intima mysteriorum natura, quam assequi homines non possunt, *N.* Responsio patet ex dictis; hinc negatur sequela, quod non possit esse homini essentialis religio, quae proponit mysteria credenda.

41. Ad 3. *D.* In se, *C.* respectu nostri, *N.* Nimio siquidem lumine perstringitur quodammodo acies mentis nostrae, eadem prorsus ratione ac corporis oculis evenit, si solem adversum intueamur, cujus vim radiorum oculi nostri non ferunt. Ad confirm. *nec nos intellectu instruxit*, etc. *D.* In iis, quae intellectui pervia sunt, *C.* in iis quae intellectus attingere non potest ob suam infirmitatem, *N.* Recolantur quae dicta sunt circa mysteria naturae et agendi rationem caeci nati. Nego praeterea nos debere repugnare rationi nobis a Deo concessae, dum mysteria credimus. Nullam enim repugnantiam videt aut videre potest ratio in mysteriis. Repugnantia non est nisi clara duarum idearum oppositio, nihil vero tale in mysteriis occurrit (1).

42. Ad 4. *N.* Etenim *supra rationem* id dicitur, cujus intimam veritatem comprehendere non possumus; *contra rationem* vero id, quod evidentiae principiis est plane contrarium. Nunquam vero Bayle suis paralogismis ostendere potuit mysteria principiis evidentiae adversari (2). Hinc ad 1. confirm. *quum non sint rationi conformia*, *D. positive*, quasi nempe haberetur aliqua positiva oppositio mysteriorum cum ratione, *N. negative*, quasi nempe haberetur tantum negatio conformitatis cum ratione in iis, quae sunt superioris ordinis, seu non cognosceretur conformitas mysteriorum cum rationis principiis, *C.* Haec enim tria distinguenda, perpetuoque retinenda distinctio haec est, scilicet 1. quaedam relate ad nos cum ratione congruere; 2. quaedam eidem opponi; 3. denique quaedam nec cum ratione congruere, nec cum ipsa pugnare, quia sunt supra rationem, excellentioris videlicet ordinis, ad quem ratio limitibus circumscripta pertingere nequit. Sane ipse Bayle (3) principii loco constituit, multum discriminis interesse inter haec duo, videlicet si objecti alicujus possibilitatem non comprehendas, et si ejusdem comprehendas impossibilitatem. Primum negativum est, et ad hoc referuntur mysteria; alterum est positivum; talia vero esse mysteria nunquam evincet Bayle cum suis asseclis. Ad 2. confirm. deductam a similitudine turris eminus conspectae, negamus ex dictis paritatem, quum sensus nisi rite applicati sint, aliter repraesentent objectum ac reipsa sit, quod de ratione dici non potest, dummodo ea recte utamur. Nam licet turris quadrata e longinquo visa, id exigentibus opticae legibus, appareat rotunda, sensus tamen nihil praecise testantur circa ejus rotunditatem vel quamlibet

(1) Consulatur Bergier, *Traité de la vraie religion* tom. III, edit. Paris 1784. pag. 318 et seqq.

(2) Consulatur S. Thom. *lib. I. contra gentes*, c. 7. ubi invicte ostendit, nullam inveniri posse repugnantiam inter mysteria, quae humanae rationis capacitatem excedunt, atque rationem ipsam; quum idem Deus, qui est auctor rationis, sit auctor pariter revelationis, ex quo infert *quaecunque argumenta contra fidei documenta ponantur, non ex principiis primis naturae inditis per se notis recte procedere: unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles vel sophisticae, et sic ad ea solvenda locus relinquitur.*

(3) *Diction.* art. *Spinosa*.

aliam figuram, quum ratione distantiae angulos et sinuositates non distinguant. Quare qui fidem tribuit testanti de quadrata turris figura, quum incertus de ea sit, nihilque affirmare possit, quippe quam e longinquo prospicit, vel callet hic opticae leges, vel eas ignorat. Si primum, sibi repugnare non debet; si alterum, non tenetur nisi suam ignorantiam fateri eamque deponere, dum, qui propius eam intuitus est, testatur esse quadratam, quum ipse in tanta distantia cognoscere non possit, utrum revera turris sit rotunda utrum vero quadrata. Eadem ratione gerere quisque se debet circa mysteria, quorum conformitatem cum ratione licet ipse non videat, ob auctoritatem tamen Dei testantis illa cum ratione non pugnare, id sibi persuasum habere debet, eorumque veritatem admittere.

43. Ad 5. *D.* Ad ingenium conficta absque ulla cum doctrina morum relatione et absque ullo fundamento, *C.* qualia in religione christiana exhibentur *N.* Recolantur superius dicta circa utilitatem mysteriorum (1).

44. Ad 6. *D.* Quoad eos, qui absque divina missione proprio marte religiones cuderunt, *Tr.* quoad verae religionis praecones *N.* Jam vero hic observanda est perversa agendi ratio, qua utuntur increduli, ut invidiam conflent sanctissimae religioni nostrae, fucumque faciant incautis; scilicet veram religionem cum falsis comparant, eamdemque imitando revelationes effingunt, et imperitis obtrudunt (mendacia siquidem, ut fidem inveniant, induere debent veritatis speciem); ea tamen si pertentes et excutias, continuo malitiam deprehendes, inanemque simulationem veritatis. Porro nihil quicquam commune est inventis hominum, fabulisque superstitionum cum systemate sibi ex omni parte cohaerente verae religionis, in qua sic omnia inter se connexa aptaque sunt, ut unitatem summam efficiant ac in sui admirationem rapiant vel invitos. Profecto mysterium SS. Trinitatis est fundamentum mysterii dominicae incarnationis, quod rursum supponit mysterium peccati originalis ejusque in omnes Adae posteros propagationis, ex quibus mire elucet divinae naturae ejusque attributorum, omnipotentiae, sapientiae, bonitatis, misericordiae, justitiae excellentia, nec non generis humani se prodit infirmitas. Hinc liquet aliud omnino esse agere de mysteriis in abstracto, ut deistae solent, aliud ea considerare in concreto, prout a religione proponuntur.

45. Ad 7. *D.* Id est, perpensis credibilitatis motivis, quae hominem ad assentiendum inducunt, *C.* id est, perpensa intima mysteriorum natura, ut alias diximus *N.* Si tamen hic Apostolus loquitur de obsequio fidei praestando, et non potius de moderata corporis afflictatione. At deistarum parum interest verum sensum attingere scripturarum.

CAPUT II.

DE REVELATIONIS NECESSITATE

46. Revelationis divinae nomine, ut ex superiore cap. compertum est, hic intelligimus supernaturalem illam Dei operationem, qua peculiares homines quasdam a Deo veritates edocti sunt, quibus ipsi deinde homines reliquos ad religionem et officia instituerent.

47. Gravissimam hanc inimus disputationem non solum adversus veteres recentioresque deistas, sed etiam adversus nuperos rationalistas, qui non aliam revelationem agnoscunt praeter *natura-*

(1) Cons. Bergier *Diction. theol.* artic. *Mystères*.

lem, sive manifestationem Dei, quae fit per opera naturae, quamque in *universalem* seu communem dividunt et in *particularem*. *Universalis porro* ex eorumdem sensu *ea est, quae naturalibus animi facultatibus aliisque universae rerum naturae praesidiis efficitur, quibus homo ad concipiendam colendamque rerum divinarum notitiam adducitur*. *Particularis vero eademque mediata* (1) *ea est, quae continetur complexu rerum secundum naturam evenientium, quibus Deo auctore nonnulli homines prae ceteris excitati sunt ad verae religionis principia cognoscenda, eaque popularium quidem desideriis accommodata insigni cum successu aliis tradenda* (2).

48. Antequam vero ad rem propius accedimus, majoris perspicuitatis gratia animadvertimus, objectum revelationis esse posse vel veritates ordinis humana ratione superioris; cujusmodi mysteria esse diximus, necnon ea, quae a libera Dei voluntate pendent, quaeque seposita revelatione ab homine cognosci nulla ratione possent; vel veritates, quae rationis humanae limitibus continentur; cujusmodi sunt ea, quae ope ratiocinationis homo assequi absolute potest, e. g. Dei existentia, animorum immortalitas, officia quibus homo Deo, sibi, societatique obstringitur, aliaque hujusmodi.

49. Age porro dum divinae revelationis necessitatem adstruimus, non hanc volumus intelligi de veritatibus primi ordinis, quum exploratum sit illarum cognitionem nobis necessariam non esse nisi hypothetice, quatenus nempe per earum cognitionem et fidem voluerit Deus nos adipisci salutem; quum enim hoc revelationem potius supponat, quam adstruat, ex hac parte necessitatem, quam intendimus, evincere non possumus.

50. Restat proinde, ut ad veritates secundi ordinis necessitatem revelationis, de qua loquimur, referamus.

51. Quum autem hujus secundi ordinis veritates rationis humanae finibus concludantur, easque propterea humana ratio absolute cognoscere possit, plane consequitur, nos haud posse instituere controversiam de necessitate, ut dicitur, *absoluta*, sed solum de necessitate, quam vocant, *morali*; itaque hoc sensu necessariam revelationem esse defendimus.

52. Ad declinandas vero innumeras prope tricas, quas movent adversarii, contra quos agimus, circa humanae rationis vires, circa hominis dignitatem et conditionem, in quas injuriose nos agere clamant deistae ac rationalistae, eas deprimendo ad adstruendam nostrae revelationis necessitatem; praeterea ne petere videamur principium, ut iidem rursum conqueruntur, dum naturae humanae

(1) Hoepfner, *De discrimine mediatae et immediatae Dei efficaciae rectius intelligendae*, Lips. 1823. pag. 21, sic rem explicat: *Qui* mediatam *Dei efficaciam tuentur, ii recte discernunt inter cognitionem ejus subjectivam et objectivam. Nec igitur Deum, si objective spectatur, immediate in mundum agere negant; sed potius eum omnia, quaecunque tandem fiant, immediate perficere affirmant. Negant vero Deum, si subjective a nobis spectatur immediate operantem a nobis cognosci seu sentiri posse*. Quam pulchra haec sunt et perspicua! Id ipsum tradit inter ceteros Baumgarten Crusius *Pr. de notionibus mediati et immediati in disciplina theologica*, Jenae, 1827; F. Fischer, *zur Einleit. in die Dogmatik. der Ev. Kirche*, seu *introductio in theol. dogmaticam evangelicae ecclesiae*, Tubingae, 1828, pag. 88 et seqq.

(2) Sic totum systema exponit Wegscheider, op. cit. proleg. 1, §. 12. Unde intelligimus, quo progressus sit protestantismus in Germania quantoque studio elaboret in omni penitus divina revelatione de medio tollenda.

infirmitatem ex peccato primi parentis inductam supponimus; ad haec, inquam, incommoda declinanda, brevior nobis pro re, de qua agimus, via visa est, quae procedit ex *facto*, atque ab experimento, et quidem publico, universali, constanti, quodque a nemine in dubium vocari potest.

53. Duo enim ex historicis omnibus monumentis certa sunt, 1. universum humanum genus sibi relictum a veritatis tramite turpiter plus minus aberrasse, sive circa cultum, sive circa mores et officiorum principia; 2. nunquam populos revocari ad sana principia potuisse ex humana sapientia et industria. Jure proinde ex his inferimus, necessariam esse aliquam supernaturalem revelationem, tum ut homines dignum Deo cultum ac cetera quae hominis propria sunt amplectantur, tum ut in officiis ejusmodi contineantur. Sic igitur procedimus.

PROPOSITIO I.

Ex eo, quod nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, atque in absurdos contra sanae ethices principia errores delapsus non fuerit, jure infertur divinae supernaturalis revelationis necessitas

54. Quum in prima propositionis enunciatae parte agatur de facto omnibus comperto atque ab omnibus admisso, nemine prorsus reclamante, possemus quidem illud supponere; juverit tamen nonnulla summatim attingere ex veteribus monumentis ad ejus confirmationem.

55. Ac primo quidem, gentes revelatione destitutas, sive quod ea ad illas non pervenerit, sive quod eam abjecerint aut omnino temeraverint, plures coluisse deos explorata res est. Astrolatria apud orientales praesertim populos, chaldaeos, persas, phaenices obtinuit (1). Fuit pariter apud antiquissimos orientales populos, ceu religionis ac theologiae ipsorum fundamentum, doctrina de duobus principiis (2), quae adhuc perseverat apud indos, et japones. Aliqui animantia bruta, imo et virgulta et caepas, ut aegyptii (3), fere omnes vero simulacra ut deos venerati sunt. Licet autem fateamur, non omnes fortasse adeo stolidos fuisse, ut ligna et lapides tanquam deos habuerint; si tamen ingenui sumus, nec apertissimis monumentis volumus contradicere, inficiari haud possumus, vulgo velut deos ejusmodi simulacra et habita et culta fuisse (4). Graeci et romani genios praeterea, heroes sive vivos sive defunctos ut numina venerati sunt (5); mitto dicere de reliquis gentibus, quippe nota historia est et pervulgata apud omnes.

(1) Cons. *Voyages de Cyrus*, par M. de Ramsay, in-8.

(2) Ibid.

(3) Conf. Jos. Flav. *Contra Appionem*, l. I, c. 9, n. 3, et l. II, c. 4.

(4) Conf. Gerdil, *Saggio d' istruzione teologica*, *De Deo uno*; ubi refert tyrios catenis vinxisse Herculis simulacrum, ne aufugeret; sic Guineae incolas hodiedum simulacra sibi confingere, quae vocantur ab ipsis *Fetiche*, quibus vim tribuunt ac virtutem divinam. Omitto, quae ex scriptura afferri possent monumenta, nec non ex Josepho Flav. Sed ad os obstruendum recentioribus incredulis, qui negant, veteres vere idola ut numina coluisse, satis est in medium proferre Horatii versus ex lib. I, sat. 8:

Olim truncus eram, ficulnus, inutile lignum;
Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego.

(5) S. August. *De civ. Dei* l. II, c. 15.

56. Exploratum pariter habemus ethnicas gentes cupiditates et vitia omnia diis suis tribuisse, eosque cupiditatum omnium atque vitiorum patronos exhibuisse, uti legere est apud veteres poëtas, Homerum praesertim et Virgilium.

57. Certum denique est cultum omnem ethnicorum, obscoenas effigies (1), festa (2), sacrificia, in quibus non cruor tantum sed et ipse pudor sacrificabatur humanus (3), numinum gesta, praeterea templa (4), ritus, aliaque omnia, quae ad cultum spectabant vel referebantur, non fuisse nisi publicum perpetuumque scelerum quorumcumque et flagitiorum irritamentum; adeo ut cultum ejusmodi vere dixeris vitiorum omnium apotheosin. Non potest quin toto animo commoveatur et perhorrescat, quisquis legat, quae apud Originem (5), Tertullianum (6), Clementem Alexandrinum (7) et Lactantium (8) de cruentis et obscoenis ejusmodi superstitionibus referuntur (9).

58. Et haec quidem de cultu; ex quibus colligi facile potest, quid in universum gentes circa mores et senserint et fecerint. Corruptionis scholae erant ipsorum theatra atque spectacula (10); fornicatio neque inter vitia quidem recensebatur (11); paederastia passim recepta erat (12); sicut et infantium expositio, etc.; adeo ut pudeat nos tot truculenta et nefanda vel meminisse, quae tamen publico usu cohonestabantur ac ipsis legibus sanciebantur.

59. His itaque leviter adumbratis, turpe quippe foret in his diutius immorari, sic breviter argumentum adstringimus. Quaecunque demum sit humanae rationis vis, sive in vero ac digno Deo cultu decernendo, sive in sanae ethices principiis expendendis, quam adeo et deistae et rationalistae extollunt; factum tamen est publicum, universale et constans, per plura saecula nullum populum, sive barbarum sive excultum, quamdiu revelatione destitutus fuit, tum

(1) Ibid. l. VII, c. 21. Conf. insuper Bern. Montfaucon, *L' antiquité expliquée et représentée en figures*, Paris, 1719, tom. I et II.

(2) Conf. S. August. loc. cit. et alibi passim, nec non Montfaucon, op. cit. tom. II.

(3) Conf. Dionys. Halicarnass. l. I; Plin. l. XXVIII. c. I; Cleric. *in annot.* ad lib. I Hugonis Grotii *De verit. relig. christ.*; s. August. ep. 91, ed. maur.: *Non avês, non quadrupedes, non denique sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus immolatus intereat.*

(4) Haec omnia recensita pariter sunt a Grotio loc. cit. et a Clerico in suis annot. documentis comprobata tum ad lib. I tum ad lib. II.

(5) In lib. *contra Celsum*, praesertim lib. V.

(6) *In Apolog.* c. 14 et in lib. *De Idololatr.* c. I et seqq.

(7) In *cohortatione ad gentes*.

(8) *De div. instit.* lib. I, qui inscribitur *De falsa religione*, tum passim in aliis earumdem institutionum libris. Sed prae ceteris vel inter ethnicos festive, ut solet, ridet Lucianus in dialog. *De sacrificiis*.

(9) Conf. *Mémoires pour servir à l' histoire de la religion secrète des anciens peuples; ou Recherches historiques et critiques sur les mystères du paganisme*, par M. le baron de S. Croix. Paris, 1784. I. vol. 8. ubi clarissimo in lumine totum hoc argumentum ponit.

(10) Satis est consulere Tertul. *Apologet.* c. 15, tum *orationes*, quas in theatra habet s. Joan. Chrysost. Certe ipso Gibbon fatente, theatrum erat unus ex titulis, quibus poterant romani divortium facere cum propria uxore.

(11) Epictetus, *Enchiridii*, c. 47.

(12) Aul. Gell. l. XVIII. c. 2., et l. XIX. c. 11; Plutarch. in opusc. *De liberis educandis*, ante fin. opp. tom. II. Parisiis, 1624.

cultum, qui Deo dignus esset, eidem exhibuisse, tum in turpissimos errores contra sanae ethices principia prolapsum non fuisse. Necessarium igitur est medium aliud supra humanam rationem positum ad homines recte instituendos sive circa cultum sive circa mores. Jam vero istud aliud esse non potest nisi supernaturale atque divinum, seu quod idem est: Ex eo quod nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, atque in absurdos contra sanae ethices principia errores delapsus non fuerit, jure infertur divinae ac supernaturalis revelationis necessitas. Huic autem propositioni majus robur accedit ex demonstratione sequentis propositionis.

DIFFICULTATES

60. Obj. 1. Praecipuum humanitatis attributum, quo a brutis maxime ipsa secernitur, est *perfectibilitas;* hinc licet aliquandiu a recto honestoque ipsa aberraverit, 2. concludi non potest, semper populos in eadem ignorantia atque erroribus mansuros fuisse. 3. Proximae ejusmodi mutationis indicia sub finem romanae reipublicae sunt 4. generalis polytheismi contemptus, irrisio idololatricae superstitionis in ore philosophorum admodum frequens, de quibus fidem faciunt veterum scripta, Tullii praesertim inter latinos ac postea Luciani inter graecos; 5. quaedam denique ad mysticismum tendentia atque ad solitudinem, de qua inter ceteros Josephus Flavius (1) late disserit. 6. Non omnes praeterea ejusmodi superstitionibus et vitiis obstringebantur; 7. plena sunt enim historica monumenta praeclaris virtutum exemplis, quibus quovis tempore viri ac mulieres floruerunt, adeo ut 8. vel ipse Augustinus romanorum virtutes demiratus fuerit. 9. Unius summi Dei notio in hominum mentibus nunquam penitus obliterata est, nunquam discriminis ratio inter justum et injustum, ita ut facinorosi semper poenis ac publica fuerint ignominia mulctati. 10. Frustra propterea ex generali illa populorum conditione infertur supernaturalis subsidii necessitas: quum ejusmodi medium insitum sit in ipsa rationali hominum natura, et *eas notiones, quae ad religionem pertinent,* ut verbis Wegscheider (2) utamur, *soli homines quasi sanctissimum peculium sibi vindicant*. 11. Accedit quod generalis illa defectio fuerit omnibus ac singulis voluntaria ac per rationis abusum, quemadmodum etiamnum christiani voluntarie peccant ac ratione et revelatione abutuntur. Si igitur ex hujusmodi voluntario abusu inferri nequit necessitas alterius revelationis, ita ex voluntario abusu rationis non potest inferri necessitas revelationis cujuscumque; ergo.

61. Resp. ad 1. *D.* In scientiis vel artibus, quae nullam ad mores ac religionem dicunt relationem, *C.* in iis, quae ad religionem pertinent, *subdist.* si nihil obstet ex parte cupiditatum, illecebrarum et exempli, *C.* positis ejusmodi obstaculis *N.* Nullum utique dubium est, *perfectibilitatem* attributum esse humanitatis, at in iis, quae moralem vivendi rationem non attingunt. In his enim luctuosa experientia ostendit, quod homo sibi relictus in plura sive speculativa sive practica errorum monstra delabatur. Non enim in abstracto homo sive humanitas spectari debet, sed in concreto, prout est malis cupiditatibus abstractus et illectus, pessimis exemplis circumventus, praejudicatis opinionibus, quas ab infantia hau-

(1) *Contra Appionem*, lib. II, c. 13.

(2) Op. cit. proleg. c. I, § 10, n. (a).

sit imbutus, publica ac universali apud suos agendi ratione quodammodo raptus. Quanta vero horum omnium vis sit, graphice more suo Tullius (1) his verbis declarat: *Nunc* (natura) *parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nunquam naturae lumen appareat; . . . simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quum vero parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat . . . Quum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus*. Ex quibus apparet, in re, de qua sermo est, hominem sibi relictum non in melius ferri, sed in pejus ruere perpetuo atque dilabi.

62. Ad 2. *N.* Ut patet ex dictis: alioquin quo populus adultior fit, eo fieret perfectior magisque ad veritatem ac virtutem accederet; at experientia, monumentis historicis confirmata, contrarium ostendit; ex ea enim dignoscimus, eo puriores sive quoad cultum sive quoad mores fuisse populos, quo magis ad suam, ut ita dicam, infantiam accedunt; e contrario eo deteriores factos, quo magis ab ipsa recedunt. Sinenses profecto, quorum imperium antiquissimum est, quum neque scientiis neque artibus sint destituti, debuissent summam perfectionem attingere; attamen in suis superstitionibus ac in morum pravitate permanent, imo et deteriores sunt quam fuerunt tot retro saeculis, prout et in ceteris populis evenit.

63. Ad 3. *N.* Ejusmodi enim indicia nil aliud evincunt, nisi romanam rempublicam epicureismi praesertim vi et impulsu in proximam venisse tum religiosam tum socialem dissolutionem, servatis primaevis institutis et cujusdam probitatis ac honestatis naturalis reliquiis. Ceterum multitudo nusquam adeo foede corrupta fuit, quam ubi superstitioni fuit dedita.

64. Ad 4. *D.* Ex parte epicureorum, ideoque et atheistarum practicorum, qui maxime tunc Romae dominabantur, *C.* ex parte magistratuum et populi *N.* Ejusmodi enim philosophi non solum polytheismi atque idololatriae, sed omnis prorsus religionis contemptum inducebant, quin defectui religionis quidpiam substituerent, ea ferme ratione qua aetate nostra sese gesserunt ac gerunt deistae, qui religionem christianam diruere contendunt, quin ipsi, quae humanae societatis et vinculum et columen est, quidquam substituant ad extremam perniciem avertendam. Quod vero spectat ad magistratuum ac populi sensa circa polytheismum atque idololatriam, trium saeculorum odium et immanis furor adversus Christianos ea satis manifestant.

65. Ad 5. *D.* Respectu singulorum, *Tr.* multitudinis *N.* Recolantur ante dicta. Josephus porro loquitur de tali dispositione ex commercio cum judaeis, seu potius cum christianis, qui disseminari coeperant per imperium romanum.

66. Ad 6. *D.* Id est nonnulla eaque paucissima individua ab universali illa superstitione ac morum foeditate sibi temperarunt *Tr.* vel *D.* subsidio primaevae revelationis vel communicationis cum judaeis, *C.* per se *N.* Ut distinctio

(1) Tuscul. disput. lib. III, c. I. edit. Taur. opp. tom. XII.

magis fiat perspicua, observandum in primis est, aliud esse loqui de multitudine, aliud de singulis individuis; porro quum dicimus imparem esse humanam rationem medicinae hisce malis faciendae, de populis sive multitudine disserimus, ut *ex facto* ostensum est; quod autem attinet ad individua singula humanae speciei, absolute loquendo potuissent utique ab hac universali superstitione ac morum foeditate evadere, alioquin forent excusabilia; et nonnulla quovis tempore fuerunt quae ad instar insularum natantium integra inviolataque in mediis debacchantis licentiae fluctibus perstiterunt ad divinae providentiae justificationem; non tamen dederim homines istos singulares hoc esse consequutos vel absque subsidio primitivae revelationis, quae, ut infra invicte probabimus, ad omnes gentes pervenit, vel saltem absque communicatione cum verae religionis cultoribus. Hinc nova vis accedit stabiliendae supernaturalis revelationis necessitati.

67. Ad 7. *Tr.* Ejusmodi enim singularia exempla non destruunt factum generale et constans, quod nos adstruximus; nec infirmant argumentum, quod inde confecimus. Recolantur modo dicta in resp. ad 6. Addimus non ex uno vel altero praeclaro facinore, sed ex complexu perpetuitateque recte factorum oriri rectam vivendi rationem. Non vacat hic, neque praestat in ejusmodi praeclara gesta, quae tantopere jactant adversarii nostri, intimius inquirere.

68. Ad 8. *D.* Respective ad alias gentes, in ipsorum infantia et quidem abstractione facta a falso deorum ac daemonum cultu, *C.* absolute *N.* Etenim s. Augustinus (1) haec scribit: *Veteres igitur primi Romani, . . . quamvis ut aliae gentes, excepta una populi Judaeorum, deos falsos colerent, et non Deo victimas sed daemoniis immolarent, tamen laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant; hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac et mori non dubitaverunt; ceteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt.* En, quo sensu commendet et sub quali restrictione; igitur factum a nobis statutum confirmat. Ceterum quid senserit Augustinus de Romanorum moribus primi ejus libri *de civ. Dei* aperte declarant.

69. Ad 9. *D.* Ita tamen, ut eas innumeris prope superstitiosis deorum cultibus et erroribus homines foedaverint ac fere soffocaverint, *C.* germanas et sinceras conservarunt *N.* ut patet ex dictis. Damus utique nunquam penitus obliteratum illud, ut Tertullianus (2) vocat, *testimonium animae naturaliter christianae;* at incredibile dictu est, quot absurdis commentis ethnici ideam istam depravaverint, quod nemo certe in dubium vocabit. Idipsum dicatur de generalibus notionibus animae insitis de justo et injusto, de virtute ac turpitudine, quas notiones in applicatione atque in praxi ex generali illa ac publica morum perversitate pessime distorserant atque corruperant, quidquid tandem de singularibus casibus senserint.

70. Ad 10. *D.* Si rem in abstracto spectemus, *Tr.* si in concreto, ita ut absque ullo externo ac supernaturali subsidio homines sive populi officia ejusmodi et cognoscant et praestent *N.* Theoriae omnes ac ratiocinationes factum universale et constans non destruunt; porro factum contrarium evincit, quidquid sit de nativa rationis vi et efficacia, de qua hic non inquirimus. Hinc praeoccupata sunt, quaecumque deistae ac rationalistae congerunt vi-

(1) *De civ. Dei*, lib. v, c. 12.

(2) *Apolog.* c. 17.

delicet ex nomine legis *naturalis*, quae sic a *natura* dicitur, tum quia paucissimis ac simplicissimis veritatibus concluditur ac continetur, tum quia indita a Deo est humanae naturae, tum postremo quia invincibilis non est talis aberratio, aliaque id genus ingeniose excogitata, quae nulla ratione attingunt factum a nobis propositum, quodque inficiari adversarii non possunt, nisi velint omnia historica monumenta convellere.

71. Ad 11. *D.* Physice et absolute, *C.* moraliter *subd.* in nonnullis, Tr. in plerisque *N.* Eo ipso quod populi in superstitionibus suis ac turpibus factis peccarent, voluntarie et ex rationis abusu ita se gerebant; imo non defuerunt quibus id aperte innotesceret, ac proinde se graviori culpa obstringebant; ast si spectemus multitudinem, rudes plerosque, inolitam consuetudinem publice cohonestatam patebit miseros illos populos talibus tenebris ignorantiae ac errorum obvolvi, ut moraliter omnino ab illis se haud expedire absque extraordinario subsidio potuerint. Negamus porro paritatem quae instruitur inter illarum gentium statum et conditionem cum populo christiano: is siquidem optime novit se a rectae rationis dictamine non minus ac a revelationis divinae institutis desciscere, ac proinde nullo modo aut ignoratione aut impotentia excusari, sed ex destinata malitia cupiditatibus illectus culpis irretiri. Exinde pariter sequitur ex perversa multorum etiam christianorum vivendi ratione nullam ulterioris revelationis exurgere necessitatem.

PROPOSITIO II.

Ex eo quod nulla humana sapientia aut industria populos revelatione destitutos revocare valuerit ab universali illa defectione sive circa cultum sive circa mores, jure rursum infertur divinae ac supernaturalis revelationis necessitas

72. Rursum et in hac propositione *factum* adstruitur extra omnem dubitationis aleam positum.

73. Licet enim omnes Aegypti sacerdotes sive sapientes, Indorum gymnosophistae, Persarum magi, graeci ac romani philosophi sapientiae studuerint, scholas atque academias instituerint, sectas informaverint, et quidem per longum annorum et saeculorum tractum; certum tamen est, ipsos impares omnino fuisse populis ad veri numinis cultum ac veritatis cognitionem adducendis, idque ex triplici ipsis inhaerente defectu. Ex defectu nempe *unitatis*, ex defectu *auctoritatis*, ex defectu *sanctionis*.

74. Ac primo quidem ex defectu *unitatis*; quum semper non solum scholae, sectae et academiae, sed et philosophi singuli a se invicem discreparint in tradendis religionis ac morum institutionibus. Quod enim schola una, academia aut secta probabat ab aliis impugnabatur, nec raro discipuli in magistros insurgebant, adeo ut omnes philosophiae epochae in scepticismum delaberentur (1) ob unitatis ac consensus defectum; impares

(1) Cons. *Histoire comparée des systèmes de philosophie considérée relativement aux principes des connaissances humaines*, par M. Gérando; in qua auctor quinque philosophiae epochas distinguit, quarum I. incipit a Thalete et desinit in Protagoram, qui suis sophismatibus dubium circa omnia movet. Altera exordium habet a Socrate, qui coepit impugnare scepticismum, deinceps a Pyrrhone instauratam. Postea Epicurus venit cum suis principiis physicis moralitatis; tum sequitur Zeno cum suo fato,

proinde se reddebant ad propria placita populis suadenda.

75. Ex defectu insuper *auctoritatis*; auctoritas enim ista non erat *personalis*, ut patet, cum nulla potestate in populos pollerent, non *doctrinalis*, siquidem ad summum doctrina in sui admirationem populos rapuisset, non vero ad relinquenda cupiditatum oblectamenta, quibus nimis abducebantur, induxisset. Non *realis*, non quaevis alia, qua semper destituti fuerunt. Accedit nimia eorum facilitas in sese accommodando populorum superstitionibus, sive ad eorum ac magistratuum vindictam et poenas declinandas, sive ad propria commoda tuenda, adeo ut tanquam in dogma erexerint principium de *accommodatione* (1). Quare vel ipse Socrates, qui vulgo perhibetur monotheismi martyr, teste Xenophonte (2), ejus biographo et apologeta, passim patriis diis immolabat.

76. Ex defectu demum *sanctionis*; cum nulla ipsi auctoritate sua vel praemia vel poenas praeceptorum suorum observatoribus vel transgressoribus proponere potuerint, atque irriderent, quae poëtae de elysiis vel stygiis sedibus cecinerunt (3). Jam vero quid juvant eloquentissimi quique tractatus de virtutibus ac vitiis ad populos absque certa sanctione vel ad virtutem adducendos vel ad retrahendos a vitiis?

77. Dixi vero *ex triplici defectu ipsis inhaerente*, non solum ut rationem redderem facti propositi, verum etiam, ut innuerem adversus nostros deistas ac rationalistas, nec ipsos triplici hoc defectu laborantes aut nunc esse aut unquam pares fore, seposita revelatione divina

quem sequuntur Arcesilaus et Carneades, qui finem imponunt huic epochae. 3. Epocha complectitur vicissitudines philosophiae quae Romae et Alexandriae obtinuit usque ad saec. VI, quo omne philosophiae studium barbarie superveniente extinguitur. 4. Comprehendit totum illum temporis lapsum qui a saeculo VI ad XVI protenditur. 5. Initium ducit a tribus summis reformatoribus, Bacone in Anglia, Cartesio in Galliis, Leibnitzio in Germania ac ad Kantium usque pertingit, qui Baconem, Cartesium ac Leibnitzium immutat, statuitque philosophiam *experimenti*, et ad hanc appellat auctor. Ast nonne rectius post tot saecula ab hac ad EXPERIMENTUM PHILOSOPHIAE posset appellari? Eccur non simul utraque conjungitur, religio nempe ac philosophia, prout in sua origine conjunctae erant? *Nous la reverrons*, inquit cl. Comes J. De Maistre, *la superbe alliance de la religion et de la science; ils reviendront ces beaux jours du monde, où toute science remontait à sa source*. Traduct. du Traité de Plutarque intitulé: *Des délais de la justice divine*.

(1) Erat enim commune apud ipsos receptum effatum: *Expedire falli in religione civitates*. Quare August. etiam ex hac parte veteres arguit philosophos, De civ. l. VII, c. 10., ubi de Seneca scribit: *Colebat, quod reprehendebat; agebat, quod arguebat; quod culpabat, adorabat*. Sic etiam Epictetus, *Ench.* c. 38. principii loco statuebat: *Libare autem et sacrificare et primitias offerre secundum patrios mores unumquemque decet:* Σπένδειν δὲ καὶ θύειν καὶ ἀπάρχεσθαι κατὰ τά πάτρια, ἑκάστοις προσήκει.

(2) Xenoph. *De factis et dictis Socratis memoratu dignis*, l. I, c. I.

(3) Apposite J. J. Rousseau in *Emile* l. III. p. 187, ita philosophum alloquitur: *Frustra virtutem statuere ac confirmare unius rationis ope conaris: nam quo unquam fundamento illam poteris sustentare? Praeclarae quidem sunt tuae de moribus leges, sed earum cedo, quaeso, sanctionem! Age, quid aeterno inferorum igni suffectum vis?*

ac supernaturali, ad hoc idem praestandum, quod veteres philosophi minime praestare valuerunt (1).

78. His igitur sic constitutis ita perstringimus argumentum: res facti indubia est, humanam sapientiam et industriam non valuisse populos revelatione destitutos revocare ab illa generali defectione sive circa cultum sive circa mores, nec potuisse, etsi enixe id voluissent, nec posse, etsi vehementer vellent, ex triplici proposito defectu; ergo necessarium est ad hoc praestandum subsidium aliquod extra humanam conditionem positum, quod triplicem nuper expositam conditionem praeseferat. Atqui tale subsidium esse non potest nisi divina supernaturalis revelatio, quae sola principium in se continet tum unitatis, tum summae auctoritatis atque efficacissimae sanctionis; ergo ex eo quod nulla humana sapientia ac industria populos revelatione destitutos revocare valuerit ab universali illa defectione sive circa cultum sive circa mores, jure rursum infertur divinae ac supernaturalis revelationis necessitas.

DIFFICULTATES

79. Obj. cum Ammon et Wegscheider: 1. *Rationem*, quatenus suprema ejus virtus dignoscitur in *ideis* concipiendis, quaeque ipsa recte dicitur *idea*, homini a Deo datam esse facultatem, non excultam, sed assidue excolendam constat, ejusque aciem adjuvantibus tantum rebus faustissimis, a Dei providentia repetendis, ita *curari* posse, ut ne obscuretur errorum tenebris. Quapropter 2. distinguendum est inter rationem in *abstracto* et in *concreto*, uti dicitur, cogitatam. 3. Neque vero dubitari potest, quin in rebus gravissimis, quae ad religionem et honestatem tuendam pertinent, itemque in praeceptis artis logicae omnes fere philosophorum scholae mirifice inter se conveniant; et 4. inter ipsos scriptores, quos profanos dicimus, et quos *injuste aversantur atque calumniantur tenebrarum patroni*, haud paucos esse constat, qui praeclaras de religione ac virtute sententias, Jesu Christi decretis ac praeceptis haud absimiles in medium protulerint. 5. Contra inter eos ipsos, qui eamdem revelationem sequi se professi sunt, magna opinionum diversitas obtinuit; 6. nec illa revelationis auctoritas impedire potuit, quominus ejus asseclae ad superstitionem erroresque alios non modo ineptos sed etiam perniciosos delaberentur. 7. Quod si vero Deo placuisset, omnes omnibus temporibus idem prorsus sentire de rebus divinis, ita ut ipsa forma et involucra idearum ad religionem pertinentium omni-

(1) Sic graphice describit idem J. J. Rousseau deistas seu philosophos: *Philosophos, inquit, consului, eorum libros pervolvi, ac varias opiniones expendi; agnovi omnes animorum plenos affirmantes audacter, etiam in rebus dubiis ex tripode judicantes, qui scire se omnia profitentur, extricent nihil, sese invicem irrideant; quod quidem commune omnibus id mihi visum est, in quo minime hallucinentur. Elati et quasi ovantes, quum alios petunt; quum ipsi petuntur, fracti et abjecti; si eorum argumenta explores, nulla plane invenies nisi ad evertendum aliquid comparata; si suffragia recenseas, id quisque fert, quod sibi quisque tribuit: nulla quidem in re nisi in contendendo sibi invicem cohaerent; cum ipsi uni veritatis lumine illustrati, candidi, fide digni videri volunt, tum nos jubent quodammodo ipsorum dicto acquiescere, et putida atque absurda commenta pro veris ac certis principiis obtrudunt.* Emile, tom. III, p. 21.

bus eadem essent, certe sapientissimis praesidiis id effecturus fuisset. Ergo. Ita citati auctores (1).

80. Resp. generatim *D.* Et haec respiciunt meram ab ipsis excogitatam possibilitatem, *C.* destruunt factum a nobis constitutum *N.* Ejusmodi enim theoriae non sunt nisi imaginariae, et ab existentia revelationis illius originem ducunt, quam per summam injuriam ipsi impugnant, ut inferius ostendemus; sed nullo modo attingunt argumenta, quae ex facto deducuntur. Quid enim effecerunt veteres philosophi ad populorum illustrationem? Quid efficiunt deistarum ac recentiorum rationalistarum conatus, nisi corruptionem populorum, et juventutis sibi commissae?

81. Resp. singillatim; ad 1. *N.* Experientia enim contrarium evincit, ut ex dictis patet, quaecunque demum vis in ratione supponatur. Non agitur de eo, quod *possit*, sed de eo, quod *fecerit*.

82. Ad 2. *D.* Et supposita qualicunque distinctione ob vitium eidem inhaerens impar semper est humana ratio effectui obtinendo, quem adversarii praetendunt, *C.* secus *trans*.

83. Ad 3. *N.* Quam enim mirifice philosophorum scholae inter se conveniant, si sermo sit de recentioribus, vidimus ex J. J. Rousseau, et patet ex perpetuo rationalistarum conflictu et pugna, quae in Germaniae scholis adhuc viget, et ex eorum libris. Si sermo sit de antiquioribus, patet ex historia philosophiae ejusque diversis sectis stoicorum, epicureorum, pyrrhonistarum, cynicorum, etc. (2). Quid porro commune habeant artis logicae praecepta cum gravissimis rebus, quae ad religionem et honestatem pertinent, non video.

84. Ad 4. *D. Praeclaras de religione sententias* absque fundamento, absque conjunctione et fine, et quidem generales et theoreticas, *C.* systema religionis ac ethices ex omni parte absolutum, bene connexum ac practicum *N.* Aliud porro est nonnullas sententias, tractatus etiam ac dissertationes edere de religione ac moribus et quidem speculativas et generales, quod fieri utique ab antiquis philosophis potuit, multoque magis a recentioribus, qui tot subsidiis religionis instructi sunt, atque interdum factum esse concedimus; aliud autem integrum, absolutum ac bene constructum praebere totius religionis atque ethices aedificium cum solido fundamento sive auctoritatis sive unitatis atque sanctionis, nec non cum applicatione generalium principiorum ad praxim, quod nusquam ab ipsis factum est, ac seposita revelatione nunquam fiet. Nunquam convenerunt in hominis fine constituendo; nunquam in certis ethices naturalis atque obligationis principiis constabiliendis; nunquam stabiles regulas ad applicanda casibus particularibus principia virtutis, probitatis atque honestatis exhibuerunt; nunquam fines statuerunt, qui praecepta a consiliis seu a perfectione secernant et varios culpae gradus determinent; nunquam motiva omnibus communia et valida ad impellendum hominem ad virtutem, et retrahendum a vitiis proposuerunt. Mira semper in his omnibus aliisque, a quibus recensendis brevitatis gratia absti-

(1) Ammon, *Der rechte Standpunct*, Lips. 1822, p. 19. Wegscheider, op. cit. prol. c. 1. § 11, n. (a).

(2) Cf. Plutarch. *De placitis philosophorum*, praesertim l. IV. opp. fol. ed. Paris. 1624. tom. II. Itaque mirifice scholae philosophorum inter se conveniunt solum in dissentiendo. Philosophorum item clamores, acres disputationes, dissensiones graphice describit Lucianus in dialogo: *Bis accusatus*, c. 11 et seqq.

nemus, viguit ac viget inter philosophos deistas ac rationalistas varietas, qui propterea nunquam ethicen populorum indigentiae accommodatam dare potuerunt, nedum cultus, ut ipsi vocant, theoriam (1). Quare *tenebrarum patroni*, (id est, catholici seu supernaturalistae) neque *injuste aversantur* neque *calumniantur* scriptores profanos, sed factum referunt, quod nostri lucis amatores nunquam destruent.

85. Ad 5. *D.* Inter eos, qui eamdem revelationem sequi se professi sunt, sed mutilam ac rejecto ecclesiae magisterio, magna opinionum varietas obtinuit imo et obtinet, *C.* qui integram sub auctoritate ecclesiae, *subdist.* in opinionibus levioris momenti, quae nec religionis nec doctrinae moralis attingunt substantiam ac nondum definitae sunt, *C.* secus *N.* alioquin jam non sunt catholici.

86. Ad 6. *D.* In refractariis et perduellibus, *C.* in catholicis sinceris *N.*

87. Ad 7. *D.* Si hominibus iis uti placuisset, *C.* si propria sensa potius quam legitimam auctoritatem a Deo constitutam sequi maluerunt *N.* Deus homini nunquam defuit, ut infra ostendemus, sive per primitivam revelationem, sive per constitutam a se ecclesiam: omnia enim suaviter fortiterque ad finem suum perducere maluit, quin vim inferre videretur humanae libertati, cui consultum ipse omni ratione voluit; etsi maxima in se esset atque efficacissima divinitus a se constituta auctoritas. Sed si hominibus magis placuit evanescere in cogitationibus suis, quam eidem obtemperare, sibi imputent, si ortae divisiones sunt.

PROPOSITIO III.

Cum humana ratio ex se motiva sufficientia non praebeat ad homines in officio continendos atque a vitiis retrahendos, iterum necessitas jure infertur divinae ac supernaturalis revelationis etiam in iis, quae naturali rationis lumine cognosci possunt

88. Et hic *factum* enunciamus quod ab ipsa experientia eruitur; damus enim libenter philosophis, deistis ac rationalistis, humanam rationem cognoscere posse, teneri hominem ad cultum supremo numini praestandum, animam immortalitate esse praeditam, praemia poenasve ipsam manere post mortem, vitium esse fugiendum virtutemque sectamdam aliaque id genus plurima, sola etiam inspecta naturae humanae conditione ejusque ad Deum relatione. At ubi humanorum animorum sinus introspiciantur, inficiari ipsi non possunt ejusmodi notiones sufficientes non esse ad hominem ita regendum, ut in omnibus rerum adjunctis in officio ipse se contineat atque ex virtute agat.

89. 1. Quia non omnes, imo plerique non assequuntur vim naturalium ejusmodi demonstrationum, praesertim quod non pauci philosophi eas in dubium revocaverint, imo aperte negaverint (2).

(1) Lockius in suo *Specim. intell. hum.* lib. I, c. II, innumera prope exempla varietatis ejusmodi exhibet, quae inter veteres et recentiores populos et philosophos obtinuit. Quod pariter praestitit Helvetius, *serm.* 20, c. 13. Consulatur de hoc argumento Spedalieri, *Diritti dell' uomo* l. IV. c. 14 et seqq. necnon Manzoni, *Sulla morale cattolica*, c. 3. *Sulla distinzione di filosofia morale e di teologia:* ubi egregie hoc argumentum evolvit.

(2) Cons. Cic. *Academ. Quaest.* lib. II, praesertim c. 37 et seqq. edit. Taur. 1829. opp. tom. XII.

90. 2. Quia saepe dantur difficilia rerum adjuncta, in quibus homo constitutus ac sibi relictus, si alia non habeat motiva praeter ea, quae ratio illi praebet, aegre omnino, imo nullo modo adducitur ad sectandam virtutem atque ad injustam actionem vitandam; ut cum in aestu vehementis cupiditatis reperitur, vel cum agitur de famae ac vitae periculo, in injustae potentium virorum insectationis discrimine, quibus vulgo homines cedunt (1).

91. 3. Quia, qui in conflictu reperiuntur, facile sibi suadent, in ejusmodi casibus hominem non obligari ad tale vel tale facinus, dubia iis insurgunt de demonstrationis vi ac veritate, mens obnubilatur, nec videt amplius, quod antea evidenter cognoscere sibi videbatur; in subsidium adsciscit sapientium dubia, falsum dictamen facile adoptat.

92. 4. Quia, quum ratio nonnisi generalia suppeditet principia sive circa cultum sive circa vitae futurae praemia vel poenas, nec determinet in particulari quo cultu, quibus in specie obsequiis divinitatem sibi homo demereri possit; quaenam nos maneant praemia, quaenam poenae et quamdiu duraturae, praesertim quum poenae juxta deistas aeternae esse non possint; inde fit, ut omnem penitus vim amittant, et homo haereat perinde ac si eas non cognosceret, praesertim si vitium utile sit, et virtus circumsepta et obsita difficultatibus, ut passim evenit.

93. 5. Quia haec omnia confirmantur ex agendi ratione veterum philosophorum (2), ac praesertim recentiorum deistarum, eorumque omnium, qui ipsorum sectantur principia, omni revelatione seposita. Publice enim nullam isti, ut plurimum, religionem exercent, vitiis diffluunt, dilectionis et charitatis actus in proximum, in arduis praesertim, vel omnino negligunt vel parvipendunt. Et haec quidem illi, qui de probitate quadam naturali atque honestate gloriantur, quibus ad honeste tamen vivendum tot insunt praesidia, sive ex domestica institutione, sive ex quadam laudis et gloriae cupidine, ex quodam decore, virtutique insita vi, etc. Verum quid de infimae plebis hominibus, quibus talia principia communia fierent?

Jam vaga prosiliet frenis natura remotis (3).

Omnibus nempe cupiditatibus simul ac libertas omnis tribuitur, nullum vitium est, in quod flagitiosissimi non ruant ad omnia parati, nec ulla ratione contineri possunt, ut luctuosa experientia evincit, perinde nempe ac si nec Deus esset, nec ulla vel praemia bonis vel poenae malis essent constitutae.

94. Unde sic ratiocinamur: Data qualicunque humanae rationis vi in agnoscendis officiis, quibus homines erga Deum, proximum ac semetipsos obstringuntur, quum in humana ratione nulla sint motiva sufficientia et omnibus ac-

(1) Cons. Roberti S. J. *Della probità naturale*, parte 2, ubi sex obstacula recenset, quibus homines sola naturali probitate ducti a virtute retrahuntur, quod pluribus illustrat exemplis ductis ab historia antiqua et recentiori. Cons. pariter Card. Gerdil, Diss. *Della origine del senso morale*. edit. Rom. opp. tom. II.

(2) Sic de sui temporis philosophis scribebat Cicero, *Quaest. Tusc.* lib. II. c. 4. *Videre licet alios tanta levitate et jactatione, ut iis fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos ut cum eorum vita mirabiliter pugnet ratio; quod quidem mihi videtur esse turpissimum*. Cons. Roberti, *Della probità naturale*.

(3) Horat. lib. II, sat. 7.

commodata, quae efficaciter in omnibus rerum adjunctis impellere valeant homines, eosque vel in officio continere vel retrahere a vitiis, ut ex facto experientia omnium saeculorum comprobato evincitur, velint nolint deistae ac rationalistae, necesse est vel ut homines sine ullo freno brutorum more dimittantur ingenti omnium jurium ac societatis jactura, vel ut existat aliquod motivum extra humanam naturam positum, quod illa omnia praestet, divina nempe ac supernaturalis revelatio; seu quod idem est: Cum humana ratio ex se motiva sufficientia non praebeat ad homines in officio continendos ac retrahendos a vitiis; iterum necessitas jure merito infertur divinae ac supernaturalis revelationis etiam in iis, quae naturali rationis lumine cognosci possunt (1).

DIFFICULTATES

95. Obj. 1. « Ipsa humanae mentis natura et summi numinis idea recte efformanda omnem excludunt supernaturalis revelationis necessitatem; quemadmodum enim omnia alia animantia iis viribus praedita sunt, quibus naturae suae fines attingere possint, ita procul dubio homines ratione sibi concessa praestant reliquis animantibus, eisdemque facultas data est ea omnia intelligendi et observandi, quae ad summos humani generis fines obtinendos, scilicet ad officia tuenda et ad religionem colendam, spectant. Deinde 2. homo, simul atque eo pervenit, ut rationis et officii sui sibi conscius sit, necesse est rationem teneat tamquam supremam cognoscendi vim, cujus decreta in omnibus vel cogitationibus vel actionibus servare debeat. Quicumque autem, spreto hoc rationis humanae principatu, revelationis, quae modo supernaturali ad certos homines delata dicitur, eam esse auctoritatem statuit, ut ei sine ulla dubitatione caeco quodam instinctu aut sensu parendum sit, is veram hominis naturam ac dignitatem tollit atque evertit. 3. Humana mens legibus cogitandi ipsi innatis subjecta, quaecumque vel sensuum ope perceperit, vel cogitatione ac meditatione repererit, proxime quidem ad causam aliquam in mundo sensibus obvio vel ad origines in ipsa mente latentes referre cogitur; ideoque stultae esset arrogantiae, si causam eventus in rerum natura observati aut origines verae religionis inter homines deprehensae in animae facultatibus reconditas non statim perspexerit, eas prorsus negare velle, et supernaturalem ac miraculosum eventum fingere, cujus certa quaedam nota demonstrari omnino nequit. Si qui autem sunt, qui *supernaturalismum*, ut vocant, *rationalem* tuiti, religionem christianam rationi prorsus convenire censeant, nihilominus tamen eamdem supernaturali modo revelatam esse contendant, ii leges cogitandi a Deo ipso homini datas transgrediuntur; nam quaecumque religionis doctrina menti humanae dicitur plane convenire, ea ex hac ipsa ad leges ejusdem accomodate repetatur necesse est. 4. Quum plures religionis doctrinae, quae vulgo *positivae* dicuntur, revelationis divinae ejusque supernaturalis ac miracu-

(1) Optime S. Thom. p. 1. q. 1. ostendit, quod circa *ea etiam, quae de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata a paucis et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum homini perveniret, a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quae in Deo est.* Eadem inculcat et fusius evolvit tom. 2. 2. q. 2. art. 4. in corp., tum *Contra gentes* lib. 1, c. 4.

losae dignitatem sibi arrogaverint, nisi quis caeco quodam arbitrio alteram alteri praeferre velit, nulla alia est ratio et via eas examinandi, quam ut illarum placita cum iis, quae via naturali rectae rationis de Deo ejusque voluntate ipsi innotuerint, diligenter componat et ad hanc normam sine omni superstitione exigat. Nam qui hac norma in exploranda religionis, quae supernaturalem se profitetur, veritate uti noluerit ei verendum esset, ne, si forte daemon aliquis aut homo se Dei legatum profiteretur, aut falsa aut mala pro veris et honestis venditare auderet, placita summo numine indignissima tamquam ab ipso revelata sibi obtruderentur. Quot mala facinora, neglecta rationis cultura, obtentu numinis, et revelationis divinae inter homines patrata sint, historia gentium abunde docet. 5. Accedit, quod omnino nulla revelatio, quae sicut historia aliorum testimoniis nititur, tam certam potest nobis persuasionem afferre, quam quae ex ratione proficiscitur, cujus decreta homini sua ipsius conscientia innotescunt. Quo magis autem religio intimae humanae mentis conscientiae insita fuerit atque impressa, eo certius homo beneficam ejus vim in variis vitae humanae vicissitudinibus experietur. 6. Denique argumentum speciosissimum, quo revelationem supernaturalem ostendunt (*supernaturalistae*), *petitionis principii*, quod vulgo dicitur, vitio premitur. Id enim sumitur ex iis, quae in aliquo libro, qui modo quodam supernaturali confectus esse perhibetur, leguntur. Huic autem ipsi fidem esse adhibendam hoc argumento scilicet persuadere conantur, quod supernaturalem revelationem contineat. Itaque demonstrandum pro demonstrato ponunt. Ac si quis, ut fit, rationis humanae imbecillitatem religionisque naturalis insufficientiam e peccato originali, ex lapsu protoplastorum scilicet oriundo, demonstrare velit, is sane in eodem errore versabitur. Nec minus in eamdem reprehensionem incurret quicumque argumentationibus e ratione et philosophia deductis fidem *religiosam*, a ratione et philosophia plane alienam, ad earum praecepta non esse exigendam statuerit; ergo. « Hactenus Wegscheider (1) ad suum rationalismum statuendum.

96. Resp. generatim *D.* Et haec usque adeo non destruunt factum a nobis statutum, ut ne attingant quidem, *C.* destruunt vel attingunt *N.* Stat adhuc tota argumenti a nobis inde deducti firmitas, stant omnia quae nexu legitimo ex eo consequuntur. Sed jam expendamus singula ab adversariis asserta.

97. Ad 1. *N. A.* Ad arg. sive rationem *N.* paritatem. Cetera enim animantia, cum instinctu ac necessitate agant, iis utique mediis omnibus a natura instructa esse necesse est, quibus finem suum attingant. At vero homines, cum ratione ac libertate praediti sint, possunt utique a fine suo aberrare, prout eos sive quoad religionis cultum sive quoad officiorum observantiam revera et aberrasse olim et nunc quoque temporis turpiter aberrare historia et experientia testantur; quibus insuper edocemur nunquam per se homines a publica ejusmodi et universali aberratione eximi potuisse vel posse, ut ostensum a nobis est, absque externo aliquo adjumento, quo non solum rite instituantur, sed praeterea ad exequenda ejusmodi officia moveantur et impellantur. Hac ratione

(1) Op. cit. proleg. c. 1, §. 11. Quod si cuipiam videri possint obscurae ejusmodi difficultates ita expositae, meminisse is debet illas de verbo ad verbum ex citato auctore esse desumptas.

non solum hominis naturae et dignitati opportune provisum est, sed praeterea etiam homo ipse et tutius ducitur, et occasio ei praebetur tum exercendi virtutes sibi proprias, tum melius divinas perfectiones cognoscendi.

98. Ad 2. *D.* Id est, posita gratuita hypothesi de plena officiorum cognitione et motivorum ad illa efficaciter adimplenda, *Tr.* vel *C.* sublata ejusmodi hypothesi *N.* Et hoc est praecise de quo quaeritur; omnium porro saeculorum experientia et factum ipsum ejusmodi hypothesin destruunt. Rationalistae igitur vere principium petunt, dum assumunt, quod esset probandum, et falsum omnino est. Ad conf. *quicumque autem spreto hoc rationis*, etc. *D.* id est, qui rationi non tribuunt nisi eam partem, quae ei competit, *N.* qui nullo modo rationem consulunt, imo et excludunt atque spernunt *C.* Hoc vero non contendunt, qui rationem revelationi subjiciunt. Perperam proinde affirmant rationalistae, caeco instinctu aut sensu ab homine parendum esse supernaturali revelationi, quae rectum rationis usum numquam proscripsit, imo commendat. Rectae propterea rationis munia in revelationis negotio in eo sita sunt, ut expendat fundamenta, quibus haec innititur, et deinde, hac semel constituta, se submittat in iis, quae ejus captum excedunt, quod ratio ipsa dictat; in ceteris vero, quae ejusdem aciem minime superant, plura habet, in quibus se exerceat, ea evolvendo, quae per revelationem didicit. Haec autem agendi ratio nullatenus veram hominis naturam tollit atque evertit, ut ipsi autumant, sed impedit, quominus natura ac dignitas humana rursum concidant, prout revera hoc destitutas praesidio concidere necesse est.

99. Ad 3. *D.* Nisi certo constet ab alia causa, quam a naturali esse repetenda, *C.* alias *N.* Et hic rursum principii loco constituunt adversarii (qui nos arguunt petitionis principii) quod falsum est; asserunt et supponunt, sed non probant, humanam rationem absque externo ac supernaturali subsidio tum omnia religionis ac morum praecepta agnovisse tum motiva ad ea exequenda, quod est contra factum. Scilicet quidpiam constanti vultu tamquam ex delphico tripode asserere et illud argumentis stabilire non idem est. Primum illud optime adversarii nostri praestant, alterum negligunt. Ad Prob. *stultae esset arrogantiae*, etc. idem esto responsum; addatur non fingi a nobis *supernaturalem ac miraculosum eventum*, cujus certa quaedam nota demonstrari omnino nequeat, sed plane demonstrari, prout evidenter patebit, cum sermo erit de divinae revelationis existentia, ubi pariter ostendemus certas quasdam esse notas ad supernaturalem ejusmodi eventum secernendum. Ad Conf. *si qui sunt, qui supernaturalismum . . . ii leges cogitandi . . . transgrediuntur*, etc. *N.* Aliud enim est, facta revelatione earum veritatum, quae in naturae ordine continentur, deprehendere eas consentaneas esse rectae rationis principiis, quod factu difficile non est; aliud vero illas omnes veritates, seposita revelatione, cognoscere, quod adeo difficile est, ut nedum integri populi plurium saeculorum decursu, sed vel ipsi sapientissimi philosophi in eo caecutiverint et toto coelo erraverint, ut ex facto ostendimus (1). Duo haec adversarii commiscent in sua

(1) Plato communionem uxorum in sua republica admisit. Socrates Theodotam quamdam meretricem docet artem homines alliciendi, apud Xenophontem *De dictis et factis mirabil.* lib. IV, c. 11. Epictetus *in Enchir.* c. 47. fornicationem ut licitam admittit. Ad.

thesi, quae commisceri nec possunt nec debent. Hinc negamus illationem: *quaecumque religionis doctrina menti humanae prorsus dicitur convenire, ea ex hac ipsa ad leges ejusdem accommodate repetatur necesse est;* detecto enim sophismate, ejusmodi illatio evanescit. Adnoto praeterea, tamquam certum rursus assumi ab adversariis divinam revelationem non complecti nisi eas veritates, quae ordinem naturalem non praetergrediuntur; complectitur autem revelatio plures alias veritates, quae humanae mentis aciem superant, ut suo loco ostendemus, quare rursum peccat adversariorum argumentatio, et eo laborat vitio, quod falsi suppositi vulgo dicitur.

100. Ad 4. *D.* Et inde sequitur rationem per se posse omnia religionis et morum officia cognoscere, vel cognita ab ipsa fuisse seposita revelatione, *N.* ut patet ex dictis; sequitur rationem propositas sibi morales veritates cognoscere tamquam rectis principiis congruentes *C.* Recolantur nuper dicta in resp. ad Conf. 3. difficultatis. Eadem semper aequivocatione laborant ejusmodi argumenta. Ad Conf. *quot mala facinora*, etc. *D.* Ex neglecto examine accurato motivorum, quae vocant credibilitatis, *C.* rite adhibito hoc examine *N.* Quae vero ejusmodi motiva sint, inferius aperiemus.

101. Ad 5. vel *N.* vel *D.* Persuasionem non afferat ejusdem ordinis *C.* alterius ordinis, quae eamdem pariat certitudinem seu saltem aequivalentem *N.* Ex logicis enim omnes norunt pro subjecta materia triplicem distingui certitudinem, metaphysicam, physicam atque moralem; et postremam hanc, ut reliquas, quae ad institutum nostrum non pertinent, taceamus, dummodo plena sit, conditionesque omnes praeseferat, quas illi requirunt, nos tutos aeque de veritate reddere ac certitudinem metaphysicam, atque in eam demum resolvi. Hinc non minus certus sum me existere ex testimonio sensus intimi, ac existere Romam vel Lutetiam Parisiorum ex testimonio ceterorum hominum. Talis vero est certitudo, cui innititur existentia revelationis, ut suo loco ostendemus. Ergo falsum est, quod ab adversariis adstruitur.

102. Ad 6. *N.* Tantum enim abest, ut istud sit argumentum *speciosissimum*, ut sine illo res plane confici possit, prout reipsa a nobis praestitum est; etenim numquam ad illud recurrere debuimus, ut ex tota hucusque instituta disputatione patet, in qua praefatum argumentum non solum non attigimus, sed ne innuimus quidem; reliqua proinde superstructa corruunt (1).

CAPUT III.

DE NOTIS DIVINAE AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS

103. Frustra divinae ac supernaturalis revelationis possibilitas atque ne-

Gellius, *Noct. attic.* lib. XIX, c. II. refert versus amatorios Platonis, quibus sceleste paederastia commendatur; sed me dies deficeret, si omnia errorum monstra, quae veteres admiserunt, recensere vellem. Recentiores deistae, ut suo loco ostendemus, non minus absurda et impia docuerunt.

(1) Infirmae adeo virtutis sunt argumenta, quibus theologiae in Academia fridericiana professores inexpertae juventuti illudunt eamque decipiunt! quibus illi, qui de Christiano nomine gloriantur, fundamenta subruunt christianae religionis et cujuscumque supernaturalis revelationis, ut eam a sola ratione repetant, id est, ut solum deismum statuant sub christiani nominis larva! Enim vero tales sunt fructus, quos demum in Germania protulit protestantismus! Attamen, uti melius dignosci

cessitas fuisset per nos constituta, nisi praeterea adstrueremus certas notas ad eam discernendam ab hominum fraude.

104. Hujusmodi notarum potissimae, omnium consensu, sunt miracula et prophetiae. Hae notae si *vere* existant in confirmationem alicujus doctrinae, vel ad comprobandam alicujus missionem, quae a Deo esse perhibeantur, nullum dubium superesse potest sive circa divinitatem illius doctrinae, sive circa divinam missionem illorum, in quorum gratiam edita illa sunt.

105. Deistae ac rationalistae, cum nullam supernaturalem revelationem agnoscant, nullum pariter agnoscunt opus supernaturale ad eam confirmandam.

106. In rationalistarum systemate religio, quae *supernaturalis* dicitur, nil aliud est, quam ipsa religio naturalis sub forma *positiva* proposita Dei nomine, *arbitrariis* nonnullis additis institutis, ac *mythis* (1) involuta ad quamdam apud rudes aucupandam auctoritatem. Quare factum est, ut religiones mosaica et christiana *arbitrariae* ab ipsis nuncupentur passim, et ex ea parte, qua prodigiosa facta vel narrationes exhibent, *mythologicae* vocentur.

107. Ex ejusmodi principiis facile est dignoscere, nullas ab his auctoribus veras ac proprie dictas notas agnosci ad supernaturalem divinam revelationem secernendam. Cum vere hoc systema sibi sumpserint biblici germanici protestantes, fit, ut veluti mythi ab ipsis traducantur et juxta naturae leges passim explicentur miracula omnia, ut suo loco prolatis exemplis ostendemus.

108. Ut ejusmodi ambages atque impietatem abjiciamus, remque totam a suis principiis exordiamur, declarabimus quid *miraculi* et *prophetiae* nomine intelligamus, ut deinde 1. miraculi possibilitatem et prophetiae confirmemus, 2. eorumdem sive miraculorum sive vaticiniorum vim evincamus ad supernaturalem revelationem dignoscendam, in cujus gratiam edita fuerunt.

109. Ne tamen rerum copia quempiam obruat, vel saltem confusionem pariat, in duos distinctos articulos eam dividimus in quorum priori de mira-

possit quo istiusmodi professores tendant, operae pretium erit eum versare librum, quem nuper edidit Cl. August. Theiner, *Storia del seminario ecclesiastico, o gli otto giorni a Sant' Eusebio a Roma. Roma* 1834. epocha III, ubi totum hoc negotium repetit a suis causis. Confundi tamen non debent protestantes, quos vocant rationalistas seu naturalistas, de quibus agimus, cum aliis qui supernaturalistae dicuntur, quique adhuc revelationem retinent.

(1) En, quid *mythi* nomine intelligant neoterici protestantes rationalistae: *Mythus* generatim est narratio quaedam ad antiquissimam populi aut religionis instituti cujusdam historiam maxime pertinens, quae vel prorsus ficta est, vel factum aliquod aut placitum quoddam philosophicum additamentis fictis ac plerumque miraculosis exornatum exhibet. Imbecillitas hominum rudiorum, qui accuratiore rerum naturae et philosophiae cognitione destituti, et fervidiore imaginandi vi ducti, religionis ideas sine involucris historicis et symbolicis neque ipsi capiunt, nec cum aliis communicare valent, et modus eas per *traditionem* propagandi *mythos* istos, quibus *omnium* religionum origines implicatae sunt, progenuit ac substentavit; quemadmodum reliqua omnium gentium historia antiquior *mythis* referta est. Ita Wegscheider, op. cit. Cap. I. § 8, n. b. Niebuhr, *Roemische Geschichte*, id est, *Historia romana*. B. Th. I. 1812. 2. A. 1826. G. Hermann, *Primordia hist. graecae*. Lipsiae 1820. Heyne, *Commentat. de Apollodori bibliotheca*, tom. III. p. 906, etc.

culis, in posteriori de prophetia disseremus.

ARTICULUS I.

De miraculis.

110. Argumenti, de quo agere instituimus, perspicuitati inservientes, nonnulla praenotabimus quibus difficultates non paucae, quae moveri solent, ab ipso exordio praeoccupabuntur.

111. Ac 1. quidem, cum miraculum a *mirando* dicatur, ac mirari homines soleant effectus extraordinarios, quorum causa eos latet, hic prius sistamus oportet. Si causa *naturalis* sit, id est intra naturae hujus visibilis atque corporeae leges posita, quamquam hominum captum effugiat, effectus erit *mirus* vel *mirabilis*, non autem miraculum; si enim ex naturae legibus phaenomenon enascitur, iteratis experimentis iterari debet.

112. 2. Cum inter agentes naturales alii sint, qui in ordine sensibili hujus universi continentur, alii, qui ad ordinem invisibilem spectant, cujusmodi sunt Angeli sive boni sive mali (quorum existentiam tunc solum admittunt deistae ac rationalistae, cum miracula impugnant), et cum eorum vires nos lateant, dicimus, fieri aliquando posse, ut non satis distinguamus effectum, de quo agitur, an immediate a Deo, an mediate ab Angelis sit repetendus; ex quo difficultates oriuntur circa miraculi definitionem. Dixi *aliquando*; dantur enim miracula, quae, ut videbimus, nonnisi ab actione Dei immediata repeti possunt. Sed interea cum omnia miracula ejusmodi non sint, de hac re disquisitio est opportune instituenda.

113. 3. Quum miraculum proprie dictum tale esse possit, tum ratione *sui*, tum ratione *modi*, difficultas, quae petitur ex vi et efficacia Angelorum, cadere non potest nisi in miracula, quae talia sunt ratione *modi*, seu in miracula secundi vel tertii ordinis, ut patebit ex dicendis. Jam vero cum Angeli boni agere non possint in naturam visibilem ac sensibilem nisi ad Dei nutum et imperium, nec mali absque Dei, cui subsunt, saltem permissione, omnino cessat ejusmodi difficultas. Quaecumque enim supponatur vis Angelorum, certum est ipsos, si boni sint, nullum miraculum edere posse nisi in confirmationem veritatis, utpote Dei ministros; si vero sint mali, nihil prorsus efficere posse in confirmationem erroris saltem ita, ut error sit ineluctabilis, obsistentibus moralibus Dei attributis, ut postea declarabimus. Quare non est, cur hac de causa valde laboremus circa miraculi definitionem.

114. 4. His positis, nihil vetat, quominus cum D. Thoma (1) definiri possit miraculum *quod fit praeter ordinem totius naturae creatae*; vel, ut alibi (2) suam explanat sententiam, *illa simpliciter miracula dicenda sunt, quae divinitus fiunt praeter ordinem communiter servatum in rebus*. Licet enim Angeli naturarum creatarum ambitu contineantur, cum tamen nihil efficere possint absque Dei vel praecepto vel permissione, semper verum erit, miraculum esse id, *quod fit praeter ordinem totius naturae creatae* sive ratione *sui* sive ratione *modi*, ut expositum est. Quod si morosis haec definitio non placeat, non abnuimus miraculum definire: *opus sensibile, stupendum, ordini providentiae consueto et naturae legibus contrarium*. In hanc porro definitionem verbis mutatis conveniunt definitiones,

(1) 1. p. q. 110. art. 4. in corp.

(2) *Contra Gentil.* lib. III. c. 101.

quae passim sive a philosophis sive a theologis traduntur, si dolosas nonnullas excipias ad fallendum nempe excogitatas vel prorsus singulares. In hanc praeterea definitionem illa quatuor quadrant, quae ad verum miraculum constituendum requiruntur 1. ut effectus sit sensibilis, 2. ut a nulla creata causa, modo exposito, effici possit, 3. ut sit proinde supernaturalis, 4. ut denique ad divina perducat (1).

115. Dixi *passim traduntur*, exploratum enim est, aliam viam inivisse Carolum Bonnet (2), et Cl. Houtteville (3), juxta quos miraculum non est, nisi eventus mirus atque stupendus ex incognita sed naturali legum harmonia ac temperatione profectus. Haec tamen miraculi notio a plerisque fortasse non injuria improbatur ac passim rejicitur. Quidquid vero de ea sentiendum sit, quod aliorum judicio relinquimus, eam minus necessariam censemus ad Spinozae sophismata diluenda, in quem finem invecta est.

116. Dixi praeterea, *si dolosas nonnullas excipias ad fallendum excogitatas vel prorsus singulares;* cujusmodi profecto ea est, quam Lockius (4) dedit, dum miraculum definit: *operationem sensibilem, quae superat spectatorum captum et juxta illos est contra cursum naturae et accipitur tamquam operatio divina,* qua destruitur ipsa miraculi notio, cujus tota virtus penderet ab extimatione spectatorum. Id ipsum dicatur de aliis ejusmodi plus minus vitiosis definitionibus, quas hic non vacat ad trutinam vocare (5).

117. Igitur ut omnis aequivocatio tollatur, ad veram miraculi notionem requirimus, ut sit opus sensibile, ut a nulla causa creata effici possit, et quidem praeter consuetum naturae ordinem, et nos ad divina perducat.

118. Circa miraculi divisionem et

(1) Cons. Andreas Spagnius S. J. *De miraculis*, Romae 1787. p. 2. *De essentia miraculi*. Egregium opus, in quo istud argumentum dilucide evolvitur.

(2) *Palingénésie philosophique* P. 17. c. 5. 6.

(3) Tom. II. edit. Amst. 1744, lib. I. cap. 6; ubi advertendum est, Houtteville minime rejicere communem notionem de miraculis, juxta quam etiam refellit Spinozam, sed aliam addere, ut se magis directe opponeret Spinozae. Differt vero quoad aliqua a Bonnet praesertim in eo, quod ille duos ordines a Deo ab initio constitutos existimaverit, ex quorum uno consurgeret consuetus naturae cursus, ex altero vero extraordinarius cursus existeret, in quo miracula concipiuntur. Id est, ex Caroli Bonnet mente duplicem Deus causarum seriem paravit, unam, quae communes produceret effectus, v. g. ortum et occasum solis, motus siderum, aliaque phaenomena, quae passim in mundo contingunt; alteram vero seriem causarum disposuit, quae in his vel illis locorum, temporum ac personarum adjunctis ab eodem auctore paratis praeter consuetas naturae leges operarentur. Hinc series causarum, v. g. quae a mortuis Lazarum excitarunt, jam ab initio disposita fuerat, eo tamen ordine, ut causae operaturae non essent nisi adveniente Christo ad sepulchrum et clamante: *Lazare veni foras*. Houtteville autem arbitratur Deum ab initio sic omnia disposuisse, ut ex legibus semel positis omnia prodirent, sive quae naturalia, sive quae mira nobis videntur, quae tamen non minus naturalia, quam priora sunt. Ex quibus patet, sententias tam Caroli Bonnet quam Houtteville in idem quoad substantiam redire.

(4) *Journal des Savants*, art. 9. anno 1708.

(5) Consul. Andr. Spagni op. cit. p. 2. art. 6, 7, 8, ubi accurate plures expenduntur definitiones miraculi partim falsae partim imperfectae, vel saltem parum exactae.

gradus quoad *substantiam*, *subjectum* et *modum*, nec non de alia divisione miraculi, quod fiat *supra*, *praeter* et *contra* naturam, auditores remittimus ad celeberrimum opus Benedicti XIV. *De beatificatione et canonizatione Sanctorum* (1).

119. Ut igitur coeptum prosequamur iter, ex adversariis miraculorum alii sunt, qui cum Spinoza (2) eorum possibilitatem denegant; alii vero data miraculorum possibilitate inficiantur miracula esse notam certam et ineluctabilem divinae revelationis, seu quod tuto ea discerni non possint ab operibus naturalibus vel ab operatione daemonis, seu quod assensum iis praestare non possimus defectu historicae certitudinis. Duo propterea a nobis praestari debent, 1. adstruenda miraculorum possibilitas, 2. eorumdem ineluctabilis vis ad probandam divinitatem supernaturalis revelationis.

PROPOSITIO I.

Miracula sunt possibilia

120. Sane illud est possibile quod non implicat, sive nullam involvit contradictionem; atqui miracula posse a Deo fieri nullam involvit contradictionem; miracula igitur sunt possibilia.

121. Deus enim, qui libere mundum condidit, ac libere eidem leges dedit, potest legibus libere a se constitutis derogare; ast ubi legum naturalium adest derogatio, ibi habetur miraculum; ergo. Praesertim cum ejusmodi derogatio, quae in tempore fieret, nullam importet mutationem in Deo, qui ab aeterno, dum constituit mundum condere, eique generales leges dare decrevit, simul decrevit peculiares ejusmodi derogationes ad manifestandam gloriam suam; Deus siquidem, dum *opera mutat, non mutat consilium* (3).

122. Et haec quidem juxta nostrum concipiendi modum; si intimius enim, ac prout in se est, res consideretur, aliter omnino se habet. Etenim Deus, si proprie loqui velimus, non regit *genera* vel *species*, quae non sunt nisi ideae abstractae, sed regit *individua*, quae sola realia sunt, neque regit legibus universalibus, quae pariter non sunt nisi in conceptu nostro, exinde ortae, quod nos conspiciamus Deum *modo uniformi* individua talis classis regere, sed regit voluntate peculiari individua singula; quo fit, ut, dum Deus decernit talem planetam v. g. sisti, non deroget alicui legi a se constitutae, sed decernit ejusmodi planetam moveri circa solem ad tantum tempus, postea sisti, ac rursum deinceps moveri, prout libet. In hoc vero nulla concipitur nec habetur legis universalis naturalis derogatio, ut patet; et sic de ceteris dicatur. Cum igitur, re in se spectata et prout est, nulla sit universalis naturalis lex, quae videlicet *genera* et *species*, et non potius *individua* respiciat, nec ulla habetur derogatio proprie dicta vel exceptio, sed simplicissimus divinae voluntatis actus, quo fit, ut tale naturae individuum in datis adjunctis hac potius vel alia ratione se habeat; qui proinde hac de causa miraculorum possibilitatem impugnant, false laborant

(1) Lib. IV. p. I. c. I. et seqq. Consul. praeterea Spagni loc. cit., ubi expendit diversas acceptiones nominis *miraculi*.

(2) *Tract. theol. polit.* c. 5. Spinozae inter ceteros adstipulatus est ex Hebraeis Dom. J. Salvador annis proxime elapsis in opere cui titulus: *Histoire des institutions de Moïse et du peuple hébreu*, Paris 1829. tom. I, pag. 218, et alibi passim.

(3) S. August. *Confess.* lib. I, c. 4.

supposito, ac Deum ex propria sua imbecillitate dimetiuntur.

DIFFICULTATES

123. I. Obj. 1. Non possunt a Deo fieri miracula, quin Deus ipse mutetur. Leges enim, quibus mundus regitur, sunt ipsa Dei decreta, quae mutari non possunt, quin mutetur ipse Deus, quod est absurdum. 2. Saltem miracula, subdit Salvador (1), minus digna Deo videntur; in legibus enim mundi constituendis cur Deus non ita generaliter eas patere voluerit, ut circumstantias omnes etiam attingerent, quae essent exoriturae ex hoc ipso mundo? Secus 3. dicendus est locum identidem reliquisse evertendi has leges, quod nonnisi ineptis legislatoribus usuvenit, qui quum exigua mentis virtute sint instructi, totamque reipublicae regendae formam assequi nequeant, quoties graviores difficultates occurrunt, toties ad exceptiones confugere coguntur.

124. Resp. ad 1. *N.* Ad prob. *leges sunt Dei decreta*, etc. vel *N.* quum leges non sint nisi effectus divinorum decretorum; vel *D.* Sunt ipsa Dei decreta, quae habent pro objecto tum leges tum ipsarum derogationes in tempore faciendas, *C.* secus *N.* Recolantur dicta in probationibus; ex quibus patet, nec locum habere posse difficultatem propositam a Spinoza quae praeterea jamdiu a s. Thoma (2) praeoccupata est.

125. Ad 2. *N.* Ad prob. *in legibus constituendis*, etc. *D.* Nisi Deus sibi aliquid minus usitatum reservarit ad torpidas quorumdam hominum mentes excutiendas, quae consuetis non moventur, *C.* quasi Deus non satis providerit ordinariis eventibus ac naturali rerum creatarum ordini *N.* Deus certe leges universales constituit, quibus ordinaria ratione mundus regeretur; at ei quoque placuit reservare sibi extraordinaria nonnulla facta, quibus homines supremum ejus dominium in res cunctas ejusque providentiam evidentius cognoscerent, ac praecipue certiores fierent de veritate religionis, quam revelare constituit, ut inferius ostendemus (3).

(1) Op. cit. ibid. et alibi passim.

(2) En verba S. Thomae: *Dicendum quod Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Unde quum praeter hunc ordinem agit, non mutatur*. P. 1, q. 105. art. 6. ad. 3. Eadem alibi scribit, praesertim quaest. disputatis 4. *de miraculis*, q. 6. art. 1. ad 6; et lib. III. *Contra Gent.* c. 99. n. 7.

(3) Ita S. August. *Tract.* 24. *in* Joan. n. 1, praeoccupavit et solvit hanc difficultatem: „ Miracula, quae fecit Dominus J. C., sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quae videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non majora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus; et tamen haec nemo miratur; illud mirantur homines, non quia majus, sed quia rarum est „. Ex hac s. Augustini observatione patet, quid sentiendum sit de praeclara recentioris rationalistae sententia, dum ait: " Miraculis multo minus declarari majestatem naturae divinae quam ordine naturae; quum in il-

126. Ad 3. *D.* Si id ex necessitate faceret, *C.* si ex libera electione ob fines sibi praestitutos *N.* Deinde *Neg. Deum evertere* suas leges quum miraculum qualecumque edit; sed, ut in probationibus dictum est, derogat legibus suis, et quidem non omnibus, sed alicui peculiari legi et in casibus particularibus. Deus vim igni ademit, ne rubum combureret, non evertit legem, nec sustulit virtutem ubique igni inditam ad comburendum; et sic de ceteris dicatur. Aequivocatione proinde utuntur increduli in his comminiscendis. Ad confirm. *quod nonnisi ineptis legislatoribus*, etc. *D.* Si Deus ejusmodi exceptiones faceret ex inopinato et non praeviso superveniente eventu, *C.* si e contrario in toto etiam systemate voluit has exceptiones ad suos fines obtinendos comprehendere *N.* Hinc *N.* parit. Ineptus enim legislator ad has exceptiones confugeret defectu scientiae et capacitatis, quod de Deo dici nequit, qui incredibili scientiae suae virtute omnia comprehendit; si tamen miracula exceptiones dicenda sint, in cujus vocis usurpatione rursum latet aequivocatio.

127. Et haec, ne tritam desereremus viam; ceterum vi animadversionis in probationibus positae, ejusmodi difficultates toties repetitae ne locum quidem habent.

128. Ex dictis pariter evanescunt, quae magno apparatu obtrudunt recentiores rationalistae, id est, increduli cum Wegscheider (1), dum scribunt: « Hi (supernaturalistae) nimirum Deum sumunt res humanas naturali ordine in universum regere, et ubi hic naturalis ordo voluntati ipsius haud amplius satisfacere possit, miraculis patrandis ipsi quasi opem et medicinam ferre; illi vero (rationalistae) Deum statuunt ab aeterno res omnes continua serie secuturas tam sapienter disposuisse, ut quae v. g. ante plura jam saecula evenerint, id, quod nunc evenit, praepararent et efficerent, nec opus esset miraculis quibusdam quasi intercalaribus; ergo omnem gubernationis divinae sapientissimae et ima aeque ac summa, maxima aeque ac minima, extrema aeque ac novissima complectentis ambitum agnoscunt; dum isti (supernaturalistae) in singulis tantum effectibus, Numen summum prodentibus, hic vel illic singularem Dei omnipotentis efficaciam cernere malunt, eoque hominibus rudioris aevi aequiparandi sunt, qui magis ad summam Dei vim et efficaciam quam ad sapientiam explorandam prompti erant ». Ita illi ex tripode pronunciant in quibus difficile est dijudicare, utrum impietas ignorantiae, an ista illi praevaleat, dum tamen uni ipsi et docti et sapientes a suis celebrantur.

129. Objicitur secundo cum Spinoza. Miraculum est quid excedens cognitionem nostram, nosque perducens in cognitionem existentiae Dei vel alicujus sui attributi; sed non est possibile, ut id, quod excedit cognitionem nostram, nos perducat in alterius rei cognitionem; nam ex illo, quod excedit cognitionem nostram, nihil potest inferri; ergo impossibile est miraculum (2).

lis vim tantum admiremur (rudem quasi); in hoc vero et vim, quae virtutem rebus etiam abjectis indidit, et sapientiam dispensatoris „. *Ita Doederlein*, Institutio theolog. christian. vol. 1, pag. 615. Quam praeclare ac sapienter haec et ejusmodi alia proferuntur!

(1) Op. cit. proleg. c. 1. § 12, n. a.

(2) Ubi pariter notandum, aliis verbis, ut solent, eamdem difficultatem rationalistas refricare, dum ajunt: *Si nemo ejusmodi effectionem (miraculum) certis signis cognoscere potest, ne apta quidem est Numini divino patefaciendo, quippe quae hominem in ambiguo relinquat, nec certam unquam ei persuasionem indere possit* (Ibid.). Eamdem jam proposuerat Rousseau apud Bergier, *Traité hist.* tom. v, § 14, ch. 2.

130. Resp. *D. 1. part. maj.* Miraculum excedit cognitionem nostram quoad modum, quo per divinam virtutem existit, *C.* quoad existentiam sui et quidem per virtutem divinam *N.* et *N. min.* cum suis probationibus. Quomodo vero ab operibus naturalibus miracula dignoscantur, ex infra dicendis patebit.

131. Objicitur tertio ab anonymo quodam incredulo (1): Miracula id sunt in ordine naturali, quod sunt mendacia in ordine morali; *nam miracula sunt violatio ordinis naturalis; sed mendaciis non est credendum; ergo neque miraculis.*

132. Resp. *N. maj.* Ad Prob. *miracula sunt violatio ordinis nat.* etc. vel *N.* ex dictis miracula esse violationem ordinis naturalis; vel *D.* Id est, sunt suspensio ordinis physici libere a Deo facta, *C.* violatio proprie dicta, prout est mendacium in ordine morali *N.* Sublata inepta hac aequivocatione vocis *violationis*, evanescit tota virtus propositi argumenti, ex quo aeque anonymus inferre potuisset, miracula esse *peccata*, prout peccata sunt mendacia (2). Accedit, quod violatio ordinis moralis importaret imperfectionem in Deum, quod repugnat summae ipsius sanctitati. Id patet ex ipso mendacio, quod opponeretur veritati.

133. Inst. Eadem est ratio legum physicarum ac legum moralium; atqui istae mutari non possunt; ergo neque illae.

134. Resp. *N. maj.* et paritatem; priores enim, si quae sint, a libera Dei voluntate pendent, non autem posteriores, quae afficiunt ipsa moralia Dei attributa, sanctitatem nempe, justitiam, etc.

PROPOSITIO II.

Miracula certissimam notam exhibent ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem.

135. Miraculum ex datis definitionibus non potest esse nisi a Deo; ergo si Deus miracula efficiat in favorem revelationis, quae ejus nomine proponitur, miracula non possunt non esse certissima nota ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem.

136. Deus enim veritas est neque unquam potest vel adstipulari errori et falsitati, vel suae auctoritatis sigillum apponere ad errorem confirmandum, vel saltem permittere, si sermo sit de operibus daemonum, ut ipsi talia opera edant, quibus homines invincibiliter in errorem inducantur.

137. Deus enim decipere homines non potest sive per se sive per alios; si igitur miracula veluti signa assumpsit ad testificandam ac patefaciendam divinae suae supernaturalis revelationis veritatem, nequit permittere, ut daemones talia opera patrent, quibus vel dubia fiat probatio, quae ex miraculis eruitur, vel

(1) In *Diario literator. Pisan.* tom. v, art. 3, pag. 88.

(2) Impugnarunt Benedictum Spinoza ex orthodoxis Calmet in *Dissert. de veris fictisque prodigiis*, quae est prima inter eas quas praemisit ad Comment. in Exod. Michael Vassor, ante suam apostasiam a religione catholica. *Véritable relig.* l. II, c. 1; Fassonius, *De mirac.*; Hooke *Princip. relig.*, tom. III, Dissert. *De Mirac.*; Valsechius, *Fondamenti della relig.* lib. II, 16, n. 8; Bergier, *Traité hist. et dogmat. de la vraie relig.*, tom. v. — Ex heterodoxis praecipue Petrus Bayle, cujus longam impugnationem referunt *Trevoltiani*, anno 1743. art. 41, pag. 1018, et Alphons. Nicolai S. J. *Lez.* 7, *sull' Esodo*.

ita homines decipiantur, ut in errorem ineluctabiliter inducantur, tum etiam, ut dicemus, cum malos punire decreverit vel bonos probare.

138. Attamen iste solus casus esset, in quo exceptio fieri posset adversus statutam propositionem, desumpta ex potestate malorum spirituum, quorum naturali vi, cum ignoremus quousque ea se extendat, patrari forsan nonnulla signa possent, quae saltem respectu nostri rationem miraculi haberent. Ast si notetur ejusmodi naturalem vim, quaecumque ea demum sit, liberam non esse, sed divinae providentiae obtemperantem quoad exercitium, ex dictis nihil erui potest ad infirmandum assumptum.

139. Cum difficultates, quae afferri solent, ad quatuor capita revocentur, ad tollendam confusionem distincte ac divisim eas proponemus.

DIFFICULTATES

Ex ratione

140. Obj. 1. Nemo perspectas habet omnes naturae vires; ergo nemo judicare potest inter opus naturale ac prodigiosum; sane 2. saepe perperam judicamus quidpiam naturam non posse ejusque legibus adversari, 3. quod rudibus praesertim accidere potest, quum ipsi impares sint examini ejusmodi instituendo. 4. Cum igitur dubium semper aliquod supersit in tali judicio efformando, dici nequit, miraculum esse certissimam divinae revelationis, cui testificandae assumitur, notam. Haec quidem veteres deistae, quibus Kantiani ac rationalistae subscribunt, quaeque fusius evolvunt. 5. Est enim, inquit Em. Kant (1), quaedam humanae mentis arrogantia, quam falso modestiam interpretantur, quaeque, ubi in rerum natura aliquid accidit, quod non statim ex causis physicis et moralibus explicari posse videtur, id immediate virtuti, quae leges naturae interrumpat, sive efficaciae Dei miraculosae, haud cunctanter attribuit. 6. At modestum indagatorem decet, ubi talis eventus causas naturales et intermedias non statim reperiat, earum declarationem a futuro tempore potius expectare, quam continuo prodigia et miracula, id est, eventus supernaturali modo effectos somniare; quod quo rudior et incultior homo fuit, eo frequentius accidit. 7. Sunt quidam eventus in rerum natura, quorum causae, sicut rationes et leges naturae e quibus pendent, ob mentis imbecillitatem aut experientiam mancam non omnibus ex partibus et plane possunt cognosci, v. g. generationis mysterium. Neque tamen inde concludi potest, causas et leges eas hic omnino locum non habere, et ipsum Deum in mundo sensibili interdum sine causarum intermediarum interventu, scilicet *immediate* et *supernaturali* modo, operari. 8. Namque Deus ipse leges cognitionis humanae ita constituit, ut quaecumque in rerum natura evenerint, ad causas suas et ad leges in ipsa rerum natura positas, revocari debeant; nec, nisi his bene cogitatis, 9. primaria summaque rerum causa, a qua omnia continuata serie pendeant, in Deo sit quaerenda; 10. quippe qui cuncta ita disposuerit, ut ordine ac nexu quodam causali, qui ab humana mente indagari queat atque comprehendi, eveniant. 11. Quae quum ita sint, Dei omnipotentiam legibus naturae ab ipso datis superiorem quidem esse concedendum est, homo tamen innatis sibi cogitandi legibus subjectus divinam in administranda rerum

(1) *Vorlesungen über die Metaphysik*, seu *Praelectiones de Metaphysica*, pag. 333. Lips. 1825.

natura vim et efficaciam, nisi ex nexu causarum et eventuum, experientia sensuum cognito, intelligere non potest (1); ergo.

141. Resp. Ad 1. *D. Positive* et quidem omnes naturae vires, *C. negative* saltem quoad illas, ex quibus judicari debet de miraculo *N.* Nemo profecto omnes omnino perspectas habet naturae vires, ita ut de omnibus affirmare tuto possit, quousque sese earum efficacia extendat; at perquam saepe, experimento ductus potest homo sive doctus sive rudis cognoscere, quoad usque illa pertingere non possit. Atque ut in concreto exemplum ponatur (a quo semper fugiunt adversarii, ut intra abstractionum latebras sese tegant), etsi fateamur nos ignorare, quousque sese attollat nobilissima medicinae ars, certo tamen scimus, nullum medicum solius voluntatis nutu vel voce quempiam infirmum sanare, os confractum consolidare, mortuum, et quidem jam quatriduo defunctum et foetentem, ad vitam revocare; quae si contingerent, quis ambigat de miraculo? Nonne et ipsi deistae et rationalistae, relictis suis omnibus abstractis et contortis ratiocinationibus, miraculum proclamarent? Possemus proinde et nos hic eum imitari, qui, ad solvenda argumenta sibi proposita adversus motum, coepit ambulare.

142. Ad 2. *D.* Saepe et quidem ex defectu accurati examinis, *Tr.* semper ac debito examine instituto *N.* Recolantur nuper dicta, in quibus nemo facile decipi potest.

143. Ad 3. *D.* In nonnullis difficilioribus casibus, *Tr.* in recensitis *N.* Rudes praeterea, si eventus aliquantisper implicatus accideret, cui judicando impares essent, deberent se judicio sapientum subjicere. Addimus, Deum ad testificandam suae revelationis veritatem iis portentis uti, in quibus nemo decipi potest; id enim ad suam providentiam spectat. Deistae id sibi fingunt, quod locum non habet.

144. Ad 4. *N.* Recolantur superius dicta.

145. Ad 5. *D.* Si indiscriminatim et absque solido fundamento humana mens in hanc sententiam concederet, *C.* si solido fundamento et in factis indubiis *N.* Duo extrema declinanda sunt, temeritas atque incredulitas. Et nos docemus, non semper aurem esse praebendam iis, quae tamquam miracula praedicantur; non tamen sub nimiae modestiae obtentu respuere debemus, quae vere miracula sunt atque a pysicis legibus repeti nullatenus possunt, cujusmodi v. g. est Lazari a mortuis excitatio; alioquin Christus frustra ad fidem sibi conciliandam Judaeos ad signa et opera sua provocasset. Rationalistae porro, quibuscum agimus, scripturas admittunt, licet, ut videbimus, inutili conatu omnia prodigia per violentam interpretationem ad naturae leges exigere satagant.

146. Ad 6. *D.* Si natura talis eventus ea sit, ut ejusmodi suspensionem patiatur et postulet, *C.* si autem ejusmodi suspensionem nec postulet nec patiatur, *N.* Ridiculum plane foret, quod aliquis, ubi cerneret ad vocis imperium mortuum in vitam redeuntem, deberet animo haerere ac exspectare experimentum naturae et temporis ad cognoscendum, num ista aliquando possint vitam defuncto restituere. Falso supponunt adversarii, vel saltem supponere videntur, miracula esse ad instar combinationum chemicorum vel electricorum aut magneticorum phaenomenorum, in quibus inveniri potest causa physica ad ea explicanda; at talia non sunt miracula, quae operatur Deus in confirmationem suae revelationis, ut praedictam animi suspensionem requi-

(1) Wegscheider, loc. c. § 11, n. b.

rant, neque rudis quispiam in iis falli aut decipi potest, habito praesertim respectu ad adjuncta omnia, in quibus miracula patrantur.

147. Ad 7. *D.* Et quum dantur ejusmodi eventus, mens assensum suum cohibere potest et interdum debet, *C.* omnes prorsus eventus ejusmodi sunt *N.* Non inficiamur, dari tales eventus, quibus expendendis examine et quidem accurato opus sit, ut inde judicium de iis feratur; at negamus omnes omnino tales esse, ut ex dictis patet. In eo propterea peccant adversarii nostri, quod velint ad omnes eventus extendere, quod non est nisi paucorum, de quibus ex toto complexu judicari debet, et ex aliis etiam miraculis minime dubiis, a quibus illi priores eventus lucem accipiunt et firmitatem.

148. Ad 8. *D.* Si quae sint in rerum natura posita, *C.* si non sint *N.* Jam vero eo ipso, quod miracula sint praeter ordinem totius naturae creatae, frustra in rerum natura quaereremus has causas et leges, prout autumant rationalistae, qui assumunt quod est falsum in suis argumentationibus; porro *Deus*, ipsis fatentibus, *leges humanae cognitionis ita constituit, ut quaecumque in rerum natura evenerint, ad causas suas et leges in ipsa rerum natura positas revocari debeant;* miracula vero eveniunt praeter rerum naturam, ut diximus.

149. Ad 9. *D.* Id est, omnia, continuata serie, divina sapientia ab aeterno ad finem suum ordinate disposita sunt, et quidem independenter a naturalium causarum serie, *C.* in ipsa causarum naturalium serie, ita ut ab ista omnino pendeant *N.* Responsio patet ex dictis.

150. Ad 10. *D.* Ratione superius exposita, *C.* secus *N.*

151. Ad 11. *D.* Id est, nequit homo intelligere modum, quo vis et efficacia divina operetur miracula, prout nec modum assequitur, quo haec eadem efficacia divina operatur ea, quae ordinis naturalis sunt, *C.* non potest intelligere utrum eventus quidam excedat consuetum providentiae ordinem, ac proinde non potest judicare de vero miraculo *N.* Quod vero subditur de nexu causarum et effectuum experientia sensuum cognito, coarctari debet ad ea, quae a nexu naturali pendent; non autem extendi potest ad ea, quae transgrediuntur ejusmodi nexum et a Deo in alio ordine constituta sunt (1).

(1) Quum quidam ex Germania in censura hujus loci Wegscheider (in *Winer N. Krit. Journal. der theol.* Lit. B. II. H. 3, p. 318 et seqq.) reposuisset, Deum revelando efficaciam suam immediate exserere in humanam *rationem*, quippe quae causalitatis legi haud obnoxia, sed vis quaedam sit sponte sua libere agens (quam obscura haec sunt et incongrue dicta!) respondit cit. auctor: « is haud bene memor est legum, quibus animus humanus adstrictus est, qui, nulla alia vi ac ratione, rerum divinarum cognitionem sibi comparare atque omnino excoli potest, nisi singulis animi facultatibus bene excultis, tum intuitione, quae dicitur naturae, et institutione, tum meditatione et abstractione. Praeterea ejusmodi persuasione commenta mysticorum de commercio quodam inter Deum et homines immediato foventur ac sustentantur ». Obscurior adhuc responsio haec est ac pluribus nominibus falsa. Religio debet esse omnium, ideoque etiam rudiorum, qui non habent omnes animi facultates bene excultas; falsum est non posse hominem sibi comparare cognitionem rerum divinarum nisi *intuitione* et institutione naturae vel *abstractione*. Quod spectat ad fanaticum nuper inductum penes protestantes Germaniae mysticismum, ipsi viderint, nec enim ejusmodi aberrationes nobis expendere in animo est.

DIFFICULTATES

Ex daemonum efficacia

152. Obj. 1. Possunt daemones mira quam multa patrare, quae vel miracula sunt, vel saltem eisdem aequivalent quoad effectum. 2. Saltem incertum semper erit, num ea, quae miracula credimus, utpote excedentia vires naturae nobis cognitas, divinae an diabolicae operationi adscribere debeamus. 3. In tali autem dubio instituendum esset examen de bonitate doctrinae, priusquam de auctore miraculi ferri judicium posset; 4. ast praeterquam quod examen omnium esse non potest, 5. praesertim ubi agitur de doctrina indifferenti atque excedente hominum captum, miraculum jam non potest esse nota divinae revelationis, ex qua 6. dignosci deberet, utrum miraculum opus divinum sit; ergo.

153. Resp. Ad 1. *D.* Per se, *Tr.* reipsa faciunt, ita ut nulla via pateat ad secernenda opera daemonis a Dei miraculis, quum necessitas urgeat, spectata divina providentia *N.* Recolantur superius dicta.

154. Ad 2. *N.* Si enim patrantur in confirmationem doctrinae promoventis temporale et spirituale hominis bonum Deique gloriam, apertum est, opera illa non esse a daemone, utriusque infensissimo hoste. Expendi praeterea debent qualitates *morales* illius, qui haec operatur, finis, adjuncta cetera, quae ea comitantur (1).

155. Ad 3. *D.* Esset instituendum examen de bonitate doctrinae *generale*, quatenus ea non sit evidenter contraria gloriae Dei et utilitati hominis, *C.* quatenus debeat examen de bonitate doctrinae *analyticum* et *particulare* institui *N.* Quilibet porro rudis et bardus homo ad tale examen idoneus est. Quamvis semper prae oculis habendum sit, quod diximus de moralibus Dei attributis, quibus certi sumus, numquam ipsum passurum, ut daemon ita ejus opera imitetur, ut facile discerni nequeant, vel etiam ut in certis rerum adjunctis ea possit ullo modo imitari.

156. Ad 4. *D.* Modo exposito, *N.* alias *Tr.* Recolantur modo dicta.

157. Ad 5. *D.* Et tunc, ut patet ex dictis, Deus non permitteret talia opera, *C.* permitteret, *N.* Alioquin nulla via superesset ad cognoscendam veritatem et errorem eo ipso, quod agatur de doctrina, quae mentis aciem superaret.

158. Ad 6. *N.* Sed supposita bonitate doctrinae, de qua adhuc dubitari posset, num divina an humana sit, accedit miraculum tamquam divinitatis sigillum (2).

---

(1) Cons. Spedalieri, *Analisi dell' esame critico del Sig. Nicolò Freret sulle prove del cristianesimo*, c. 4. art. 9, *Del distintivo tra i veri ed i falsi miracoli*.

(2) Origenes *Contra Celsum*, lib. II, n. 51. merito infert ex eo, quod per praestigia aliqua fiant, divina virtute aliqua fieri in vita necesse esse. Οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν κατά γοητείαν ἐπιτελούντων ὅτι πάντως ἀνάγκη εἶναι καὶ ἀπὸ θείας ἐνεργείας ἐν τῷ βίῳ γινόμενα. Deinde pergit enumerans notas, quibus verum a falsis miraculis daemonum dignoscatur, easque repetit praesertim a qualitatibus moralibus eorum, quorum opera id fit, et praecipue a doctrina, quae Dei gloriam hominumque utilitatem promoveat, dicens: Διὰ τὶ οὐχὶ βεβασανισμένως τοὺς ἐπαγγελλομένους τὰς δυνάμεις ἐξετάσομεν ἀπό τοῦ βίου καὶ τοῦ ἤθους καὶ τῶν ἐπακολουθουντων ταῖς δυνάμεσιν, ἤτοι εἰς βλάβην τῶν ἀνθρώπων, ἢ εἰς ἠθῶν ἐπανόρθωσιν; τίς μὲν δαίμοσι διακονούμενος διὰ τίνων ἐπῳδῶν καὶ μαγγα-

159. Inst. Scriptura ipsa hanc potestatem daemonibus tribuit; Deut. enim dicitur: *Si surrexerit in medio tui prophetes aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit* (hebr. וְנָתַן dederit vel ediderit) *signum atque prodigium, et evenerit, quod locutus est, et dixerit, eamus et sequamur deos alienos, . . . non audies verba prophetae illius aut somniatoris; quia tentat vos Dominus* (1). Sic in N. T. Christus: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (2); et Apostolus loquens de viro peccati ait: *Cujus est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus* (3); et in Apocalypsi de bestia habente cornua duo ad instar agni dicitur: *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de coelo descendere in terram, ... et seduxit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu bestiae* (4); rursum; *sunt spiritus daemoniorum facientes signa et procedunt ad reges totius terrae* (5); ut nonnulla alia similia loca praetermittamus; ergo.

160. Resp. *D. A.* Id est, scriptura testatur daemones posse interdum mirabilia facere, Deo permittente, sive ad ultionem malorum in confirmationem erroris; ita tamen ut nullum certum suppeditet medium ad prodigiorum auctorem discernendum, *N.* secus *Tr.* Plerique enim negant in citatis locis agi de veris proprieque dictis miraculis, ut patet ex commemoratis verbis Pauli ea vocantis *signa mendacia* seu *mendacii*, ut praesefert graecus testus. Sed dato etiam quod de veris miraculis saltem quoad nos in adductis textibus ageretur, sic tamen Deus semper praesto erit, ut vel per celebriora miracula, vel per totalem ejusmodi efficaciae ademptionem, seu potius per exercitii impedimentum per totalem istorum daemonis ministrorum confusionem, veritas eluceat, ne inevitabilis prorsus error evadat; prout evenit Magis in conspectu Pharaonis; nec enim Magi sciniphes e pulvere educere potuerunt, adeo ut exclamare coacti

νειῶν τὰ τοιαῦτα ποιεῖ; τὶς δ' ἐν χώρᾳ καθαρᾷ καὶ ἁγίᾳ γενόμενος κατὰ τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ καὶ τὸ πνεῦμα, οἶμαι δὲ καὶ τὸ σῶμα τῷ θεῷ παραδεξάμενος θεῖον τι πνεῦμα, τὰ τοιαῦτα εἰς ὠφέλειαν ἀνθρώπων καὶ προτροπὴν τὴν ἐπὶ τὸ πιστεύειν θεῷ ἀληθινῷ πράττει; tom. I. edit. Maur. 1733. pag. 425 et 426.

(1) כִּי־יָקוּם בְּקִרְבְּךָ נָבִיא אוֹ תֹלֵם חֲלוֹם וְנָתַן אֵלֶיךָ אוֹת אוֹ מוֹפֵת׃ וּבָא הָאוֹת וְהַמּוֹפֵת אֲשֶׁר־דִּבֶּר אֵלֶיךָ לֵאמֹר נֵלְכָה אַחֲרֵי אֱלֹהִים אֲחֵרִים... לֹא תִשְׁמַע אֶל־דִּבְרֵי הַנָּבִיא הַהוּא אוֹ אֶל־חוֹלֵם הַחֲלוֹם הַהוּא כִּי מְנַסֶּה יְהוָֹה אֱלֹהֵיכֶם אֶתְכֶם׃ Deuter. XIII, 2. et seqq.

(2) Ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδόπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα, ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατόν, καὶ τους ἐκλεκτούς. Matt. XXIV, 24.

(3) Οὗ ἐστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους. II. Thessal. II, 9.

(4) Καὶ ποιεῖ σημεία μεγάλα, ἵνα καί πῦρ ποιῇ καταβαίνειν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὴν γῆν, ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. Καὶ πλανᾷ τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς διὰ τὰ σημεῖα, ἃ ἐδόθη αὐτῷ ποιῆσαι ἐνώπιον τοῦ θηρίου. Apoc. XIII. 13 et 14.

(5) Εἰσὶ γὰρ πνεύματα δαιμόνων ποιοῦντα σημεῖα, ἃ ἐκπορεύεται ἐπὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς. Ibid. XVI. 14.

fuerint: *Digitus Dei est hic* (1); sicut Baal pseudosacerdotibus in conspectu totius populi israelitici contigit (2); prout denique continget sub mundi finem illis falsis prophetis veram religionem oppugnantibus, praesertim si animadvertamus, Christum horum prodigiorum praedictione omnem vim eis ademisse. Hinc Deus gloriam suam, justi meritum, mali excaecationem eruent. Ex his responsio patet ad singula objecta testimonia et his similia, quae adduci possent (3).

DIFFICULTATES

Ex historia

161. I. Obj. Nulla est religio, quae in sui confirmationem non habeat miracula. Vera miracula profecto sunt caecis visum restituere, defunctos ad vitam revocare, morbos subito depellere, aquam cribro asportare, onerosissimam et haerentem navem cingulo trahere, cotem novacula secare et alia id genus plurima; atqui primum inter ceteros praestiterunt Vespasianus et Hadrianus, testibus Tacito (4) et Suetonio (5) atque Spartiano (6); alterum praestitit Aesculapius, qui, ut refert Diodorus Siculus (7), Androgeon Minois filium et Hippolitum filium Thesei a morte excitavit; tertium praeter Aesculapium Isis passim in templis sibi dicatis praestabat, eodem teste (8): quartum et quintum praestitit Claudia Vestalis, referente Valerio Maximo (9); sextum denique Attius Navius, teste Livio (10). Vel igitur omnem religionem divinam esse dicendum est, vel miraculum nullius roboris esse ad astruendam alicujus religionis divinitatem.

162. Resp. *D. A.* Nulla est religio, quae in sui confirmationem non habeat miracula vel vera vel ficta, *C.* vera, vel *N.* vel *subdist.* Patrata in testificationem alicujus virtutis, *Tr.* in confirmationem erroris *N.* Ad prob. *vera miracula profecto*, etc. *D.* Et ejusmodi facta veluti fabulosa a sapientibus habentur, quia ad critices regulas exacta vel falsa vel saltem suspecta deprehenduntur, *C.* deprehenduntur ut vera et ad falsae religionis confirmationem edita *N.* In primis recensita facta carent fundamento historico. Etenim ne unus quidem ex citatis historicis fuit oculatus testis, et ex incerto rumore ea referunt; ea insuper Tullius (11) contemnit, Lucianus vero (12) irridet. Sacerdotum fraudibus eadem plerique adscribunt (13). Nulla praeterea

(1) Exod. VIII, 19.

(2) III. Reg. XVIII.

(3) Conf. Tassoni, *Verità della Religione*, tom. 1, c. 34, p. 183; Pascal, *Pensées sur la religion*, ch. 18. n. 2.

(4) *Hist.* lib. IV, n. 81.

(5) *In Vesp.* n. 7.

(6) *In hist. Aug. in Hadriano*, n. 25.

(7) *Bibl. Hist.* lib. IV, pag. 189, edit. Henr. Steph.

(8) Ibid. pag. 189.

(9) Lib. VIII, c. 5.

(10) Lib. I, c. 36.

(11) *De Divin.* lib. II, c. 38. « Omitte, sic alloquebatur Quintum fratrem, lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi, cotem Attici Navii: nihil debet esse in philosophia fabellis loci ».

(12) In Dialogo, *Jupiter confutatus*, *et Jupiter tragoedus*, et alibi passim.

(13) Valer. Max. lib. I, c. 8, n. 6, scribit: « Nec me praeterit de motu et voce deorum immortalium humanis oculis auribusque percepto, quam in ancipiti opinione aestimatio versetur ». Sic Curt. lib. IX, c. I. circ. fin. « Equidem plura transcribo quam credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quae accepi. Similes confessiones saepe reperiuntur in Liv. Dec. I, lib. I; Plutarch. in *Vita Romuli*. Id ipsum

perhibentur in falsae religionis testificationem saltem directe edita, quaeque naturaliter magna ex parte explicari non possint (1).

163. II. Obj. 1. Multi haeretici miracula patrarunt, ut Paulus Novatianus, teste Socrate (2), cujus precibus Novatianorum ecclesia ab incendio incolumis evasit, et aqua e lavacro semel et iterum effluxit ad detegendum dolum judaei ab eodem Paulo ficte baptismum petentis. Idem de quodam, cognomento Eutychiano, e novatianorum secta referunt Socrates et Sozomenus, nempe eum *sanasse morbos, et facta ab eo mirabilia, ut virtute, quae in vita ejus elucebat, Constantinum familiarem et amicum sibi effecerit* (3). 2. Quod fieri posse pro certo habet Tertullianus (4), et praesertim, 3. s. Augustinus (5), qui non ex miraculis, quae pro se Donatistae habebant, sed ex verae ecclesiae notis de veritate judicandum esse affirmabat. 4. Denique, quod omnem dubitationem tollit, sunt miracula edita ad tumulum diaconi *Paris*, haeretici Jansenistae et appellantis, de quorum nonnullis extant decreta approbationis Episcoporum Antissiodori et Montis Pessulani, et de omnibus vindiciae Montgeronii, qui fuit supremae parisiensis curiae consiliarius, in suo gallico opere tribus tomis comprehenso, quod inscribitur: *Veritas miraculorum, quae facta sunt per intercessionem D. de Paris et aliorum appellantium, demonstrata*, editum partim anno 1717, partim vero anno 1747. Ergo.

dicatur de prodigiis Vespasiani et Hadriani; nam Spartianus in *Hadriano* tradit, quod Marius Max. ea referat tamquam ficte patrata, et Tacitus satis indicat ex assentatione in novum imperatorem Vespasianum illa fuisse excogitata. Sed cons. Aug. Reumann. *Dissert. de miraculis Vespasiani*, etc. tom. II, p. 427; Joan. Clericus, *Hist. eccl. prim. duorum saec.*, ad annum 138. Jac. Serces, *Traité des miracl.* p. 276; Mosheim. *in Cudworth*, tom. II, p. 162, Lugd. Batav. 1772; Observatio Grotii *De ver. relig. christ.* lib. IV, n. 8. Circa facta prodigiosa Apollonio Tianeo a Philostrato post duo circiter saecula attributa, et ab Apuleio relata in *Asino aureo*, consuli possunt Huetius, *Demonstr. evang.* prop. 1.; Orsi, *Storia eccl.* lib. I, n. 69, et lib. II, n. 22; *Dissert. de Du Pin sur l'histoire d'Appollonius convaincue de fausseté*.

(1) Aegroti Babylone et fortasse in pluribus aliis regionibus primum in viis publicis exponebantur, ut transeuntes consulerent, et ab ipsis ea remedia acciperent quae simili morbo affectis jam pridem ad valetudinem recuperandam conduxerant. Aegyptii in templa Serapidis et Graeci in templa Aesculapii deferebant aegrotos, et media, quibus sanati sunt, scripta in his fanis conservabantur. Ex his per experientiam cognitis medicamentis progressu temporis ars medica in scientiam redacta est primum in Aegypto, multo recentiori aevo in Graecia, etc. Inter Hebraeos ut in Aegypto et in Graecia sacerdotio ars medica commissa fuit. Ita Jahn, auctor non suspectus adversariis, in *Archaeolog.* § 122. 2. edit.; inde originem habuerunt mythologicae illae fictiones de sanationibus ope Aesculapii, Isidis, etc. et haec cohaerenter ad principia adversariorum; nec omittendum falso asseri Diodorum Siculum loc. cit. referre alicujus mortui excitationem sive ab Aesculapio, sive ab alio peractam.

(2) Socrates, *Hist. eccl.* lib. VII. c. 17.

(3) Socrat. lib. I, c. 13; Sozom. lib. I, c. 14, qui de Eutychiano scribit: Αἵρεσιν δὲ τὴν Ναυατιανῶν πρεσβεύων θείας χάριτος μετεῖχε, θεραπείαις παθῶν καὶ πράξεσι παραδόξοις, ὡς καὶ αὐτῷ Κωνσταντίνῳ διὰ τὴν ἀρετὴν τοῦ βίου συνήθη καὶ φίλο νεῖναι. Ed. Cantabrigiens.

(4) Lib. *De praescript.* c. 44.

(5) Lib. *De unitate Eccl.* c. 18. n. 47, edit. Paris. Maur. alias c. 16.

164. Resp. ad 1. *N.* Ceteris enim omissis, ab haereticis nullum unquam factum miraculum Jos. Bingham, unus ex ipsis, ingenue fatetur et late etiam ostendit (1), etsi nonnulli ex illis maxime voluerint; at frustra: in ipsis enim ad litteram semper verificatum fuit Tertulliani (2) dictum in sua Apostolorum cum haereticis comparatione: *Agnosco maxime virtutem* (haereticorum), *qua Apostolos in perversum aemulantur, illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.* Hinc est quod nuperi praesertim protestantes omnia jam miracula aggrediantur. At meminisse debemus vulpis uvam frustra arripere adnitentis, quam proinde tamquam acerbam sprevit. Ad prob. *Paulus Novatianus,* etc. *D.* Quae tamen perinde ac illa Eutychiani dubia vel falsa sunt, deficiente fundamento historico, *C.* vera et certa *N.* Ea enim ex incerto rumore referunt Socrates et Sozomenus, auctores nempe hac in parte nullius fidei, utpote addictissimi Novatianorum factioni, quique in pluribus mentiuntur (3). Addatur, Socratem, ex quo historiam suam magna ex parte Sozomenus derivavit, fateri, se ea, quae de Novatianis refert, accepisse a quodam Auxenone presbytero Novatiano.

165. Ad 2. Vel *N.* vel *D.* Quatenus ab haereticis jactabantur *C.* vera et proprie dicta *N.* Loco enim citato Tertullianus fingit haereticos ad sui excusationem in die judicii dicturos: *Multa de auctoritate cujusque doctoris haeretici illos maxime doctrinae suae fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, uti merito apostoli crederentur.* Quae ipse profecto non admittit, sed data hypothesi, quod ejusmodi prodigia haeretici patrassent, nihil ista conferre ad ipsorum excusationem asserit, addens: *Quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam muniendam corruptae praedicationis.* Quid reipsa senserit Tertullianus de vi haereticorum in edendis miraculis, patet ex citato testimonio (4).

166. Ad 3. *D.* Ita ut s. Augustinus pro veris habeat miracula, quibus Donatistae gloriabantur *N.* secus *Tr.* Sed dato et non concesso, quod vera essent facta illa, volebat, ut, seposita omni contentione de miraculis, quaestio breviter dirimeretur per Ecclesiae notas: *Non in signis et prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini praeparati et cauti redditi sumus,* quaeque alibi (5) proinde comparat miraculis

(1) *Origines antiq. eccl.* lib. XVI, c. 5, § 7.

(2) Lib. *De praescript.* c. 30. Cons. Pamelius, qui in hunc locum observat eum ad litteram verificatum in Calvino, ex auctoritate Hieronymi Bolsec, *ocularis testis*, qui in ipsius vita refert Calvinum excitare volentem quemdam Brulaeum, quem ipse spe lucri ac pecuniae persuaserat, ut se mortuum fingeret, mortuum revera invenisse. Hanc historiam ab haereticorum oppositionibus vindicat Card. Gotti, *De Eccl.* tom. 1, c. 2, § 6, et fusius exponit Menochius ex vita Calvini scripta a Jacobo Lainger, doctore sorbonico. *Stuore*, part. 3, c. 8. Alia conf. apud Spagni, op. cit. p. 3, prop. 2, art. 1.

(3) S. Greg. M. lib. VII, ep. 34. alias 31, ed. Maur. de Sozomeni historia haec habet: « Sozomeni historiam sedes apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, et Theodorum Mopsuestiae nimium laudat, atque usque ad diem obitus sui magnum doctorem ecclesiae fuisse perhibet ». Haec pariter in Socratem quadrant, praesertim circa Novatianorum encomia.

(4) *De praescript.* c. 30, circa finem.

(5) Tr. XIII. in Joan. n. 17, ubi inter cetera scribit: *Nemo vobis fabulas ven-*

Simonis Magi, et Magorum Pharaonis.

167. Ad 4. *D.* Conficta, vel quae nihil supernaturale habeant, *C.* proprie dicta miracula *N.* Ita quidem Franciscus Lafiteau (1) et Bergier (2) aliique multi, qui de iisdem disseruerunt, in quibus sunt Ludovicus la Taste, qui in suis *epistolis theologicis* omnia jactata ab Jansenistis miracula commentitia ostendit authenticis et legalibus documentis, et Joan. Joseph Languet, quem Benedictus XIV (3) *doctissimum* appellavit et *pastorali flagrantem zelo*, qui, cum esset archiepiscopus senonensis, de illis edidit anno 1734 documentum pastorale, in quo copiose et distincte aliqua, quae vehementius et confidentius obtrudebantur, plane falsa esse demonstrat vel ex parte morbi, vel sanitatis, vel testium, vel ex omni simul parte; quod et praestiterat archiepiscopus parisiensis. Quare non solum ea irriserunt quidam ex protestantibus, cujusmodi sunt de Veux et Campbell (4), sed nunc jam deseruerunt ipsi Jansenistae. Certe, vel ipsae indecorae totius corporis agitationes et turpia, quibus se dabant nonnulli convulsionibus correpti ad illius tumulum, satis produnt, quid de ipsis miraculis sentiendum sit. Episcopi Antissiodorensis et Montis Pessulani pertinebant ad eamdem sectam, non secus ac Montgeron (5): nullius proinde sunt auctoritatis.

168. Nunc coronidis gratia quoad miracula, quae ab haereticis quibuscumque patrata perhibentur, addimus: vel ea sunt a Deo, et tunc certe facta non sunt in confirmationem erroris, ut patet ex dictis; vel sunt a daemone, et tunc, cum iste subjiciatur divinae providentiae, numquam Deus haec permittet, nisi suppeditet media ad praecavendum errorem, quod confirmari posset non paucis exemplis, quae videri possunt apud Baronium (6). Et sic omnes tricae dissolvuntur.

DIFFICULTATES

Ex defectu certitudinis

169. Obj. Cum ipse miracula non viderim, aliorum testimonio fidem praestare teneor; atqui hoc ipso moveri non possum ad revelationis veritatem agnoscendam. Semper enim 1. anceps haerere debeo, num omnes praeteritorum temporum testes, qui ea signa referunt, vel decepti fuerint, vel alios decipere voluerint. Ergo miraculum efficax esse non potest revelationis olim factae argumentum (7). Sane 2. quae ratio efficere potest, ut imprudentiae sim accusandus, nisi credam ea, quorum ego testis non fui?

170. Resp. generatim. Ergo omnis

---

dat . . . primo aut falluntur (Donatistae) *aut fallunt*, etc.

(1) *Hist. de la constit. unigenitus* liv. VI, edit. an. 1731.

(2) *Confut. de l' examen*, p. I, ch. 6, n. 3.

(3) *De festis*, lib. I, c. 5, n 5.

(4) *Dissert. of mirac.*, p. I, sect. 5, apud Spagni loc. cit.

(5) Cons. Auct. *Dictionarii auctorum ecclesiast.*, art. *Caylus* et *Colbert*, licet eorumdem fuerit fautor; nec non opus *Réalité du projet de Bourg-Fontaine*; atque Benedictus XIV, *De canoniz. Sanct.* loc. cit. c. 7, n. 20.

(6) *Annal. ecclesiast.* ad annum 484. Circa auctoritatem historiae Socratis et Sozomeni cons. Fleury, *Hist. eccl.* lib. XXVI. n. 49. tom. XIII, *Des auteurs ecclésiast.* p. 685; ac de miraculis haereticorum in genere leg. P. Maran, *La doctrine de l' Ecriture et des Pères sur les guérisons miraculeuses*, p. 2.

(7) Ita Rousseau, *Emile*, tom. III.

historica et moralis certitudo esset e medio tollenda, quod tamen adversarii non admittunt. Attamen si quid efficerent ejusmodi aliaque his affinia argumenta, impeterent ac submoverent omnem moralem ac historicam certitudinem, incertaque essent quaecumque antiquitus gesta esse dicuntur (1).

171. Ad 1. Vel *N.* vel *D.* Si testes idonei non sint ad fidem faciendam illius facti, quod referunt, *C.* secus *N.* Notas autem idoneorum testium exhibet critica, quarum aliae spectant ad intellectum, ex quo non potuerint decipi, aliae ad voluntatem, qua noluerint decipere (2).

172. Ad 2. *N.* Quia cum homines praeteritorum temporum iisdem facultatibus praediti fuerint, quibus et nos donati sumus, praesumendum est eos illa praestitisse, quae fecissemus et nos, si versati in iisdem rerum adjunctis fuissemus. Si nos v. g. audiremus, hominem ad vitam e mortuis revocatum, quomodo nos gereremus? Omnia examini accuratissimo subjiceremus, utrum nempe reipsa mortuus fuerit, qui excitatus perhibetur, quo tempore, per quos excitatus, quomodo, etc. idipsum de visu caeco nato restituto dicatur, hisque similibus, praesertim si in confirmationem alicujus doctrinae fierent; nam ista hominum investigationem ad se natura sua trahunt, et facile perpendi et cognosci possunt. Ergo sic praesumendum est fecisse majores nostros, nisi velimus eos hebetes ac plumbeos, vel alterius naturae et indolis ab ea in qua nunc homines sunt, supponere; quod nonnisi per summam impudentiam et insaniam cogitari potest.

173. I. Inst. Argumentum, quod nititur hominum testimonio, moralem tantum evidentiam parit, ergo ab intellectu non extorquet assensum; nam moralis evidentia non excludit possibilitatem oppositi. Quamobrem, licet plures homines rem aliquam factam esse testentur, semper absolute possibile est, eos aut fallere aut falli; ergo moralis evidentia non omne dubium excludit. Cum igitur pro divinae revelationis signis sola haberi possit moralis evidentia, jam patet nos per ipsam duci certo non posse in cognitionem divinae revelationis.

174. Resp. *C. A.* Nam agitur de facto; facta autem metaphysicis ratiociniis probari nequeunt. Sed *N. cons.* Nam moralis evidentia innititur principiis non minus evidentibus in genere suo ac iis, quibus innititur mathematica demonstratio. Haec enim principia moralia: *Humana societas nequit subsistere, nisi homines sibi mutuam fidem habeant. Praeteritarum generationum homines in rebus maxime ad se pertinentibus non fuerunt omnes aut stupidi aut amentes*, vel alia id genus principia, aeque sunt evidentia ac istud: *Si ab aequalibus aequalia demas, quae remanent, erunt aequalia*. Ideo enim istud negari non potest, *nisi contra evidentiam pugnes, ac intimo sensui vim facias*. Atqui eodem modo negari non possunt moralia principia modo enunciata; ergo si principia moralia eamdem in genere suo evidentiam praeseferunt ac mathematica, aeque certa esse debent quae ex iis legitime inferuntur, quamvis demonstrationes ejusdem naturae non sint, et aeque insanus esset qui alterutrum negaret.

175. Fateor insuper illud discrimen intercedere inter demonstrationem mathematicam et moralem, quod illa ostendat rem aliter fieri non posse, ista vero non

(1) Cons. Ruffini, *Riflessioni critiche*, etc. p. 176, n. 12.

(2) Cons. Spedalieri contro Gibbon, p. 165, sez. 3, § 5, n. 13.

item; nego tamen quidpiam propterea detrahi posse evidentiae veritatis moralis. Ex quo enim res potuerit non fieri, non probatur illam factam non esse; quia non quaeritur, utrum res esse potuerit, sed utrum, quae esse potuit, reipsa extiterit. Quod verissimum esse potest, etiamsi res potuerit non esse. Exempla sint in sole, qui vel mane sit oriturus, vel heri fuerit jam ortus; in sensationibus, quibus anima percellitur ad dignoscendam corporum existentiam, licet illae absolute fieri possint, etiamsi nulla corpora existant; insanus tamen et amens haberetur, qui utrumlibet negaret ex eo nempe quod fieri potuerit, ut nec sol ortus fuerit, vel cras mane possit non oriri, vel corpora potuerint non existere (1).

176. II. Inst. Ubi duo morali evidentia constant, quae inter se sunt contraria, jubet prudentia ac communis hominum sensus, ut iis assentiamur, quae majorem evidentiae vim habent; jam vero dato etiam, quod ex testium fide dignorum auctoritate coalescat moralis evidentia de alicujus mortui resurrectione olim facta ad hominis nutum, negari certo non potest, quin majorem evidentiae gradum sibi vindicet perpetua ac omnibus obvia experientia, qua constat mortuos non resurgere. Atqui inter has duas propositiones moraliter certas eam sequi debeo, quae majori nititur evidentia. Ergo, coactus eligere inter alterutram propositionem, credere debeo mortuos non resurgere, ac longe facilius contingere potuisse, ut homines, qui testantur miraculum resurrectionis, vel decepti sint, vel fallere voluerint, quam fieri, ut falsa sit experientia, qua patet homines vere mortuos numquam ad vitam iterum revocari (2).

177. Resp. 1. *D. maj.* Si major evidentiae vis cadat in idem objectum in quod cadit minor vis evidentiae, *C.* si in diversa objecta *N.* et sic corruit totum argumentum, seu potius sophisma adversarii. Accedit quod ejusmodi argumentum nimis probat, in primis quia tunc nulla esset fides historiae, quoties refert eventum extraordinarium, sive in ordine physico, sive in ordine morali. Homines v. g. diligunt vitam, curam sui habent, omnia potius patiuntur, quam vitam amittant. Ergo tamquam fabulosum rejiciendum, quod de αὐτοχειρίαις, sive de suicidiis vel legimus vel audimus; idem dic de mirifica aliqua meteora quae apparuisse fertur; imo juxta adversarii principia, etsi oculis nostris conspiceremus mortuum resurgere, credere minime deberemus, cum sit contrarium consueto sensuum testimonio, quod homines resurgant. Itaque argumentum supponit falsum principium, nempe in rerum natura vel in societate nihil unquam accidere, nisi juxta ea, quae consuetis observationibus nostris consentanea sunt.

178. Resp. 2. Supponi hoc modo quod est in quaestione, nullam nempe fieri posse exceptionem quoad ea naturae phaenomena, quae contingere videmus. Si enim aliter supponeretur, jam caderet tota argumentatio, et eo quaestio deducitur, ut videatur, an fide digni sint, qui rem aliter aliquando contigisse referunt; quod ubi constiterit per critices regulas, jam insaniret, qui rem in dubium revocaret, eo quod aliter ipsa evenire soleat. Nam sensuum tuorum fides evidentiam quidem parit; sed nec minorem parit evidentiam fides sensuum aliorum, nisi constet eos falli potuisse, vel fallere voluisse. Utraque veritas pari

(1) Cons. Houtteville; *La Religion* etc. tom. II, liv. I, ch. 4 et seq.

(2) Ita David Hume in *examine de miraculis*.

evidentiae gradu constat, nec una cum altera pugnat. Nec qui narrant, mortuum resurrexisse id veluti perpetuum naturae phaenomenon exhibent, in quo utique pugna esset, sed contra ut effectum extraordinarium divinae potentiae tribuunt (1).

179. III. Inst. 1. Quo magis factum aliquod extraordinarium est, eo magis probabilem reddit errorem, dolum et mendacium eorum, qui illud referunt vel testantur. 2. Ex quo fit, ut illud ipsum, quod minuit fidem doctiorum hominum, fidem augeat rudiorum; nec 3. propterea multitudo testium majorem gradum probabilitatis addit facti extraordinarii narrationi. 4. Sane vulgus, praesertim si imperitum et superstitiosum sit, sponte fertur ad mirabilia et supernaturalia admittenda (2). Praeterea 5. historia docet, multos ejusmodi eventus, qui olim supernaturales et prodigiosi a plerisque habebantur, rerum naturalium scientia adaucta et diligentius exculta, fuisse a naturalibus causis profectos, ex iisque postea recte explicatos esse. Unde recte concluditur fore, ut omnes ejusmodi eventus simili ratione explicari possint (3), et quod consequens est, hominum testimonium circa miracula suspectum saltem esse debere.

180. Resp. ad 1. *D.* Si id genus factorum deberet provenire ab ipsius naturae legibus, *C.* si a causa ipsi naturae superiori, nempe Deo *N.*

181. Ad 2. *D.* In nonnullis factis dubiis, praesertim si agatur de ipsorum causa determinanda ac judicio ferendo circa eorum naturam, *Tr.* vel *C.* in omnibus indiscriminatim et cum agitur de factis in se *N.*

182. Ad 3. Vel *N.* absolute, vel *D.* ut modo distinximus in resp. ad 2. Notandum insuper est falso supponere La Croix, qui haec nobis obtrudit, multitudinem semper coalescere ex solis imperitis (4). Addatur praeterea ipsam eventus insolentiam efficere testes vel spectatores attentiores ad ipsum rite examinandum et perpendendum, ideoque majoris ponderis esse, ceteris paribus, ipsorum testimonium in factis extraordinariis, quam in ordinariis.

183. Ad 4. *Tr. A.* et *D. cons.* Si ageretur de causa vel judicio facti, *C.* si de facto ipso *N.* Ex natura porro facti, de quo vulgus testatur, sapientis erit judicium ferre, utrum vulgus decipi

(1) Cons. Spedalieri loc. cit. § 3. p. 163; item » Dissertation sur les miracles contenant l'examen des principes posés par M. David Hume, écuyer, dans son essai sur les miracles, composée en anglais par M. Jean Castillon, *Utrect* 1765; *nec non* Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme par C. Bonnet ». Genève 1771. Hic moneo, quod, cum ad auctores protestantes remitto, eo consilio id faciam, ut indicem eos, qui de aliquo argumento scripserunt, ad quos tunc tantum recurrere poterunt auditores, quum debitam facultatem impetraverint; quod et de Catholicis scriptoribus accipiendum est, quorum opera in indicem relata sunt.

(2) Ita La Place, *Essai philosophique sur les probabilités*, Paris 1816, pag. 135 et seq.; nec non La Croix, *Traité élémentaire du Calcul des probabilités*, n. 130. et seqq.

(3) Sic Krug, *Pisteologie*, Lips. 1825, pag. 111.

(4) Exemplum esto in apparitione crucis, quae superioribus annis contigit apud *Migné* in Gallia in dioecesi Pictaviensi, cui interfuerunt praeter vulgus plerique viri docti, non solum ex catholicis, sed ex ipsis protestantibus, qui rem testatam fecerunt, ut ex publicis documentis notum est. Cons. *Epist. pastoralis* Illmi. D. de Bouillé, episcopi pictaviensis, data anno 1827.

potuerit nec ne, dum causae praeternaturali illud adscribit (1).

184. Ad 5. Idem esto responsum, et *N. cons.* Nempe ex eo quod nonnulli eventus, qui ut prodigiosi ad aliquod tempus habiti sunt, postea recte sint explicati (quos tamen adversarius minime recenset), inferri nullo pacto potest sic posse omnes per causas naturales rite explicari; v. g. ex eo, quod explicata sit aliqua meteora, quae vulgo ut supernaturalis habebatur, explicari nequit sanatio caeci nati vel excitatio Lazari e mortuis; ast dialectica non est prima rationalistarum et incredulorum virtus.

185. Sed praestat populari huic argumento, petito ex ignorantia et superstitione veterum, quod tantopere adversarii jactant, apponere tres quaestiones, quas subjicit doctus Ruffini (2):

186. 1. Cur post Christi adventum judaica gens, etsi superstitiosa ac generatim ignorantia laborans, nec ab anticipatis judiciis immunis, non amplius praesetulerit miracula inter suos patrata?

187. 2. Cur provinciae Asiae, Africae et Graeciae, licet in immensum distent a liberaliori illa humanitate ac cultu, in quo erant temporibus apostolorum et Cypriani, Augustini, Basilii, etc., attamen non amplius in medium afferant miracula, prout olim afferebant?

188. 3. Cur inter diversas religiones, quae christianum nomen sibi assumunt, sola religio catholica semper miracula exhibeat, quae in sinu suo patrentur, et adhuc in praesentiarum producat, licet catholici neque scientiis neque litteris aut artibus ceteris inferiores sint, et licet catholica ecclesia non pronuntiet, seu decretum emittat de aliquo miraculo, quin prius rigidissimum undequaque examen tum circa factum tum circa ejus naturam instituerit (3)?

(1) Contra La Place et La Croix legatur Ruffini in egregio cit. opere, *Riflessioni critiche*, Modena 1821, ubi ostendit, quam fallacia sint fundamenta calculorum, quibus subjicitur probabilitas eventuum humanorum; praesertim memoria 4. pag. 137, et p. 158 et seqq. Cons. pariter Gerdil, *Saggio d' istruzione teologica*, art. *della storia umana*, opp. ed. Rom. vol. x.

(2) Op. cit. p. 166.

(3) Ut quis certior fiat de severiori ejusmodi examine decretis praemittendo, legat celeberrimum opus Benedicti xiv, *De Beatificatione et Canoniz. Sanctorum*, praesertim lib. iv. Ut leve specimen habeatur summae severitatis, qua miracula Romae expenduntur, pretium operae erit, duo facta in medium adducere, quae valeant omnem suspicionem amovere. Alterum refertur ab auctore vitae S. Vincentii a Paulo (*Histoire abrégée de S. Vincent de Paul, par M. Collet Dr. en Théologie, Avignon*, 1762) de quodam miraculo patrato a S. Vincentio erga Aloisiam Elisabetham Sackville, natione anglam, quae in Gallia apud Haye quemdam ex protestantibus reformatis degebat. Hoc miraculum adeo evidens visum est protestanti ipsi, ut illud evulgaverit per totam Lutetiam Parisiorum. Ejus autem uxorem ita admiratio perculit, ut extra sensus paulisper manserit, dein non dubitaverit chirographo, manu propria exarato, tamquam testis oculata miraculi instantanei et permanentis illud confirmare. Illud tamen sacra rituum congregatio non admisit defectu sufficientium probationum (p. 605. seqq.) Aliud refertur a P. Daubenton in vita S. Joan. Francisci Regis (*La vie du bienheureux Jean-Francois Regis, par le R. P. Daubenton*, Paris 1716). Romam venerat conspicuus Anglus protestans. Praelatus quidam romanus, qui cum eodem amicitiam inierat, illi tabulas, quae plurium miraculorum probationes continebant, legendas praebuit. Has ipse quum summa animi voluptate legisset, Praelato reddidit dicens: » Voilà certainement la plus sûre ma-

DIFFICULTATES

Ex intima hominis vi et efficacia

189. Obj. 1. Eventus extraordinarii, qui miracula vulgo nuncupantur, semper vivam supponunt fidem, seu fiduciam, vel in eo, qui eos recepit, vel in eo, qui ea operatur, aut etiam in utroque. 2. Jam vero id genus eventuum seu miraculorum, quae ex fide proveniunt suscipientis, quid aliud sunt, nisi quas dicimus sanationes, quae repeti debent a phantasiae seu imaginationis vi? Imaginationis vero ac phantasiae vis non aliud hic est nisi firma persuasio receptae vel recuperandae valetudinis, ex qua provenit effectus sanationis. 3. Plura ejusmodi facta collegerunt P. Regnault (1) et Des Veux (2) aliique. 4. Miracula vero, quae repeti debent a fide ac voluntate agentium id sunt, quod olim dicebatur *imaginatio operans extra proprium corpus* (cujus efficaciam adeo magni fecerunt Avicenna et Pomponatius), nunc autem nuncupatur *magnetismus animalis* seu *mesmerismus* (3), cujus effectus major erit, si fidei conjungatur contactus sive mediatus sive immediatus. Si cum agentis fide uniatur fides patientis, seu cum vi magnetismi vis imaginationis, mortui, qui perhibentur ad vitam revocati, potuerunt mortui esse apparenter tantum, et tunc maxime, in casu nempe mortis apparentis, utilissimus evadit magnetismus animalis (4). 5. Quis porro scit, utrum vis voluntatis et fidei pluvias possit excitare (prout existimavit Avicenna) ac similia producere phaenomena necne? Quis limites figat virtuti imaginationis seu magneticae? Quis satis novit naturae vires? Quis satis hominem novit ejusque indefinitas facultates, quarum ipse capax est? 6. Hac proinde ratione explicari possunt miracula, quae in revelationis divinae confirmationem patrata referuntur, quin ad ullam vim supernaturalem confugiamus. *a)* Sane Christus semper fidem exigebat ab iis, in quorum gratiam miracula edebat. *b)* Ob hujus autem fidei defectum nonnisi pauca edere potuit in patria sua (5). *c)* Manus imponebat super eos, quos curabat, praesertim *d)* in caecum illum, de quo Marcus (6) scribit, quod videret homines velut arbores ambulantes, nec nisi repetita manuum impositione ad perfe-

nière de prouver les miracles. Si tous ceux, que l'on reçoit dans l'eglise romaine étaient établis sur des preuves aussi évidentes et aussi authentiques que ceuxci le sont, nous n'aurions aucune peine à y souscrire, et par là vous vous sauveriez de toutes les railleries, que nous faisons de vos prétendus miracles. Eh bien, *respondit Praelatus*, sachez que de tous ces miracles, qui vous paraissent si avérés et si bien appuyés, aucun n'a été admis par la Congrégation des Rits, parce qu'ils n'ont pas paru suffisamment prouvés ». Protestans, ejusmodi inexspectato responso percitus, fassus est, nonnisi caecam praeventionem posse obsistere canonizationi Sanctorum, neque unquam arbitratum se esse, cautelam ecclesiae romanae eo usque progredi in examine, quod ipsa instituit circa miracula (pag. 33).

(1) *Entretiens physiques*, t. II, p. 9.

(2) *Lettres sur les miracles*, liv. IV, Rotterdam, 1735.

(3) A *Mesmer* Helvetico praecipuo magnetismi animalis propagatore. Vid. *Mémoires de F. A. Mesmer sur ses découvertes*, Paris, an. VII.

(4) Kluge, cujus operis compendium et excerpta exhibent *Ephemerid. medico-chirurg. D. Flajani.*

(5) Matth. XIII, 58; Marc. VI, 5.

(6) Marc. VIII, 23 et seqq.

ctam visus restitutionem devenit impertiendam. *e)* Quare sub hac tantum conditione facultatem praebuit morbos sanandi: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt* (1), vel saltem nonnisi olei unctione apostoli atque discipuli infirmos sanabant (2), quae *f*) omnia apprime conveniunt cum magnetismi efficacia; ergo.

190. Resp. ad 1. In primis *Neg.* omnia miracula in solis sanationibus consistere, ut supponere videntur adversarii; certe multiplicatio et transmutatio substantiarum inter sanationes non recensentur, neque inter miracula, quae ex vi phantasiae pendent. Si possent magnetismi patroni quinque panibus ac duobus piscibus quinque hominum millium multitudinem satiare, prout praestitit Christus (3), vel aquam in vinum convertere, ut factum est in nuptiis Canae (4), valde commendanda esset eorum imaginationis vis, ac libenter ab omnibus exciperentur. Hactenus tamen haec non praestiterunt (5); hinc ceteris omissis, jam ruit tota difficultas inde petita.

191. Ad illud, quod subditur de viva fide *D.* Tamquam conditione, neque tamen in omnibus casibus, *C.* tamquam causa efficiente, et quidem semper *N.* Mortui enim ac sensibus destituti ejusmodi fidem habere non possunt, si de patientibus sermo sit. Si vero de agentibus loquamur, adnoto, interdum Deum miracula operari per malos homines, non quidem in confirmationem erroris, quod fieri nequit, sed ad manifestationem gloriae suae. Perversi enim homines aliquando dicturi sunt: *Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus* (6)? Quod si fides passim requiritur ad patranda miracula, requiritur tantum tamquam conditio, ut dictum est, minime vero tamquam causa efficiens miraculorum, ut adversarii supponunt, quod tamen nemo dicet. Addatur hanc fidem numquam operari, nisi pro objecto habeat Deum, Christum, aut sanctos ejus, non autem quemlibet alium, ex quo rursum deprehenditur argumenti fallacia.

192. Ad 2. *N.* suppositum, ut patet ex dictis, vel *D.* Nonnullae sanationes eorum, praesertim qui perturbata phantasia vel amentia laborant, *Tr.* vel *C.* omnes et in quolibet casu *N.* Valde conferre persuasionem recuperandae valetudinis, et in nonnullis casibus valere, apud omnes compertum est, ac non solum medici admittunt, sed et ipse Benedictus XIV. (7) pro certo habet; quare et hic casus in congregatione rituum prae oculis habetur (8); idque potissi-

(1) Marc. ult. 18.

(2) Marc. vi, 13; Jac. v, 14.

(3) Matth. xiv, 17 et seqq. Joan. vi, 6.

(4) Joan. ii, 8.

(5) Id ipsum dici posset de multiplicatione farinae et olei ad Eliae promissa (IV. Reg. iv.), de ferrea ascia, quam ex fluvii fundo super aquas Elisaeus revocavit (IV. Reg. vi, 6), aliisque id genus sexcentis, quae in scripturis utriusque foederis occurrunt; ut sileam de iis, quae in sanctorum processibus authenticis leguntur, ut in actis s. Franciscae Romanae, s. Theresiae, s. Mariae Magdalenae de Pazzis, s. Aloisii Gonzagae, s. Francisci Xaverii, s. Francisci de Hieronymo, etc.

(6) Matth. vii, 22.

(7) *De Beat. et Can. Sanct.*, lib. iv, c. ult. ubi de hoc argumento fuse agit.

(8) Ibidem inter celeras difficultates, quas ipse Lambertinius opposuit, quum officio promotoris fungeretur, et hanc promovit in causa s. Francisci Regis. De eadem rursum actum est in causis B. Joannis de Prado, S. Vincentii a Paulo, B. Petri Forerii, apud eumdem, lib. iv. p. 1, c. 15.

mum valet ad corrigendam laesam phantasiam (1). Ast pervicacis, ne dicam, insanientis est velle ad omnes casus ejusmodi vim extendere atque asserere, ad ossium v. g. contusionem et fracturam, ad vulnera aliosve morbos insanabiles ita ut omnes sola phantasiae ac imaginationis extra corpus operantis vi ad integritatem restituantur (2). Id si esset, non solum miracula, sed et therapeutica et chirurgia e medio possent facile tolli.

193. Ad 3. *D.* Quae tamen spectant ad classes, quas enumeravimus, *C.* secus *N.* Ea etiam collegit Benedictus XIV. (3), quin inde aliquid concludi possit ad enervandam miraculorum vim.

194. Ad 4. *D.* Cui falso et gratuito tales effectus adscribuntur, *C.* nonnulli effectus, qui ex persuasione pendent, quod nuper innuimus (in resp. ad 2.) *Tr.* Nec enim vacat omnes magnetismi nugas expendere, quas modo doctiores plerique contemnunt, ac Mesmer passim ut circulator traducitur (4); atque hinc responsio patet ad id, quod subditur de apparentibus mortuis, et ad mirabiles effectus, quos super eos magnetismus producit. Nos agimus de vere mortuis, qui ad vitam revocati sunt absque ullo apparatu atque ad solum imperium et nutum thaumaturgi. Profecto Lazarus jam foetebat utpote quatriduanus (5).

195. Ad 5. Resp. Omnes norunt ab experimento, neminem posse vi imaginationis pluvias excitare, alioquin expeditum remedium in promptu esset, quoties siccitate laboramus. Ejusmodi quaestionibus possemus similes alias apponere. Quis scit utrum possint homines vi solius imaginationis vivere necne, aliaque id egenus praestare, quin quidquam comedant aut bibant? Id experiantur magnetismi patroni. Fortasse huc aliquando devenient. Ex superius dictis jam responsio patet ad ceteras dubita-

(1) Cons. Muratori, *Della forza della fantasia umana*, Venez. 1745, c. 8, 9; *Opusc. scientifici di Bologna*, tom. I, 117 et seqq., Leufnen, *Sur l'impossibilité des opérations sympathiques*. Hic obiter duo notentur, 1 saepe ejusmodi persuasionem nihil efficere, ut fatetur ipse Deleuze, loc. cit. tom. II, pag. 271; 2 in quodam opere magnetismi animalis casum occurrere cujusdam puellae, quae ex cura magnetismi insanivit (*Journal magnét. du traitement de M. D.... par M. Cheulié de Lyon*).

(2) Cf. Deleuze, *Hist. critique du magnétisme animal*, tom. II, p. 8, licet et ipse fautor sit Mesmerismi; Bachelier d'Agés, *De la nature de l'homme et des moyens de le rendre heureux*, Paris, anno VIII, alter magnetismi patronus. Vid. insuper, *Leçons d'anatomie comparée par M. Cuvier, et publicées par M. Dumeril*, Paris, 1815, tom. II, p. 117.

(3) Loc. cit.

(4) Animadvertendum porro hic est, nonnullos scriptores catholicos non solum in Galliis, sed in Germania praesertim, non habere *magnetismum animalem* ut merum praestigiatorum inventum, sed agnoscere atque admittere veram ac realem insitam vim producendi quosdam effectus, quorum causa inter naturae vires nos latet in tota sua extensione. At praeterquam quod isti scriptores simul fatentur magnetismum obnoxium esse daemonis artibus, absolute negant effectus supernaturales, quos in miraculis vel mystica sanctorum vita cernimus et admiramur, quidpiam habere commune cum effectibus magneticis, imo istos ab illis toto coelo differre fatentur, nec posse ulla ratione magnetismi ope explicari. Cons. Goerres in praefatione novae editionis operum B. Henrici Susonis cura D. Melchioris Diepenbrokk, quae inscribuntur *Heinrich Susos Leben und Schriften*, etc. Regensburg 1829.

(5) Joan. XI, 39.

tiones quin tempus terere in his debeamus.

196. Ad 6. *N.* Ad probationem *a) Christum semper fidem exegisse*, etc.; in primis negamus eum *semper* fidem exegisse ab iis, in quorum gratiam miracula operabatur, prout nullam exegit in citatis miraculis multiplicationis panum et conversionis aquae in vinum; neque quum excitavit filium viduae Naim (1) vel filiam Jairi (2), ut alia omittam. Dein *D.* exegit ut conditionem, eo quod miracula ederet ad suam confirmandam divinam missionem, *C.* ut causam effectricem et necessariam *N.* Recolantur superius dicta. Ad *b) Defectu hujus fidei*, etc. *D.* quatenus illi concives indignos se praebuerunt ejus beneficiis, *C.* absolute *N.* Addo, etsi non multa ob adductam rationem, nonnulla tamen Christum inter Nazarethanos patrasse miracula. Notandum praeterea in passim recepta adversariorum hypothesi sufficere fidem in agente. Adeo nempe sibi cohaerent, dum religionem impugnant! Ad *c) Manus imponebat*, etc. *D.* Aliquando, *C.* semper *N.* Immo nonnisi una vel altera vice legitur Christum ad conferendam sanitatem manus imposuisse; passim solo nutu, ac saepe etiam absentibus valetudinem conferebat. Legant evangelium. Ad *d) Praesertim in coecum illum*, etc. *D.* Ad experiendam illius fidem, vel mysterii causa, *C.* ex necessitate *N.* Cum id nonnisi semel contigerit, nec alibi occurrat, peculiares ob causas sibi notas, Christum ita egisse dicendum est; alioquin semper debuisset eadem ratione se gerere. Adversarii autem casum extraordinarium extendunt ad ceteros omnes, etsi contrarium constet. Ad *e) Sub hac tantum conditione*, etc. *N.* Etenim Christus numquam hunc ritum praescripsit ad edenda miracula, vel ad gratiam curationum, sed solum praedixit, fore ut, quum manus imponerent ipsius discipuli, aegri salutem consecuturi essent. Ceterum legimus, claudum, sedentem ad portam Speciosam a Petro et Joanne absque manuum impositione sanatum, et absque oleo (3); sic omnes eos valetudinem recuperasse, quos Petrus transiens obumbrasset (4), illos, ad quos Pauli sudaria et semicinctia deferebantur (5), etc. Rursum bona fides deprehenditur adversariorum, dum talia obtrudunt (6). Ad *f) Quae omnia apprime*, etc. *Neg.* prorsus quidpiam commune habere recensita signa cum nugis magneticorum. Ubi enim in illis apparatus occurrit magnetismi, ubi convulsiones, detorsiones, somnus, aliaque id genus non pauca, quae in illo requiruntur et passim absque omni effectu, ipsismet fatentibus (7)? Nonnisi igitur per summam impudentiam ejusmodi comparatio instituitur.

(1) Luc. VII, 14.

(2) Marc. V, 41.

(3) Act. III, 7.

(4) Ibid. V, 15.

(5) Ibid. XIX, 12.

(6) Apposite S. Thom. p. 3. q. 83. a. 4. ad. 1. observat, quod *manus impositio . . . ordinatur ad miracula perficienda, ut scilicet per contactum manus hominis sanctificati etiam corporalis infirmitas tollatur.*

(7) Vide *Examen sérieux et impartial du magnétisme animal*, Paris 1784; *Bibliothèque du magnétisme animal*, Juin. 1818, tom. II, p. 15, et alibi passim; Deleuze, op. cit. tom. I, pag. 168, tom. II, pag. 8, 18, 24, 27, 67, 88. Ipsemet Mesmer queritur exagerata esse, quae vulgabantur, *Mémoires*, etc. p. 108.

ARTICULUS II.

De prophetia

197. Prophetia, graece μαντική (1), passim definitur *praesensio et praedictio certa futuri alicujus eventus, qui in causis naturalibus praesciri non potest;* vel pressius *manifestatio rei futurae creaturis occultae* (2). Ex qua prophetiae notione patet, tres conditiones ad eam vere et proprie talem constituendam requiri: 1. ut sit praedictio *certa*, non conjecturalis, 2. rei futurae *liberae*, quae proinde nec arte nec scientia naturali qualicumque cognosci possit, 3. ita determinata, ut non accomodetur eventus prophetiae, sed potius prophetia determinet eventum; id est, quod non sit vaga et obscura, flexiloqua, quae omni eventui accommodari possit, et applicatio non sit arbitraria. Quae conditiones semper prae oculis habendae sunt ad cavillationes omnes adversariorum detegendas, praesertim cum ipsae sint, quae characterem et notam divinitatis imprimunt prophetiis. Est enim prophetia genus quoddam miraculi, seu verum quidem miraculum: sed prophetia prae miraculo hoc habet, quod probationem suam sibi ipsi suppeditat. Quisquis enim prophetiae veritatem certam habere potest, modo sciat eam praedictam fuisse antequam evenerit, et ejusdem praedictionis exitum animo contempletur. Cum nonnulli ipsam prophetiae possibilitatem impugnaverint, alii vero ejusdem probationis vim oppugnent vel parvipendant, quod circa miracula effecimus, id ipsum praestabimus circa prophetiam, ostendendo ejusdem possibilitatem, atque summam ejusdem vim et efficaciam ad evincendam divinitatem supernaturalis revelationis.

§ I.

De prophetiae possibilitate

198. Omnis prophetiae, seu, ut veteres vocabant, *divinationis* possibilitatem ex antiquis negarunt Colophonius, Tullio (3) teste, et Epicurus, qui rerum humanarum curam ad Deum non pertinere profanus homo asserebat (4); sic sensit Carneades, eodem Tullio (5) teste. Ex recentioribus hanc Deo denegant fa-

(1) Hebr. נְבוּאָה annuntiatio, interdum חָזוֹן prospectus, seu מַרְאָה visio.

(2) Cons. S. Thom. 2, 2, q. 171. art. 1: *Dicendum, quod prophetia primo et principaliter consistit in cognitione, quia videlicet prophetae cognoscunt ea, quae sunt procul et remota ab hominum cognitione*, etc. Et ibid. q. 174. a. 2, ubi tres gradus prophetiae distinguit. Ab hic tradita prophetiae notione recessit incredulus Dumarsais in sua *Analyse de la religion chrétienne*, ubi scribit *veram significationem prophetae esse praedicatorem aut hortatorem;* sed bene vapulat a Nonnotte S. J. *Diction. philos.* art. *Prophéties*. Id ipsum, quod Dumarsais, innuit Salvador, in sua *Histoire des institut. de Moïse et du peuple hébreu*, Paris 1828, liv. II, chap. 3. *Orateurs publics ou Prophètes*, pag. 192 et seqq.; ubi nihil supernaturale in ipsis agnoscit, nullum vaticinium proprie dictum, quin potius omnem prophetiam excludit. Nec mirum, cum Judaeus iste non refricet nisi Spinozae principia et deistarum nec non recentiorum biblicorum et rationalistarum.

(3) *De divin.* lib. 1, c. 3.

(4) Diog. Laert. lib. X, qui est de Epicuro. Cicer. *De nat. deor.* lib. 1, c. 19.

(5) *De fato*, c. 14.

cultatem futura praevidendi Spinoza (1) atque Sociniani (2); nunc demum rationalistae (3). Adversus quos sit

PROPOSITIO

Prophetia est possibilis

199. Non implicat, sive nulla est repugnantia, Deum libere futura cognoscere, et haec manifestare; ergo prophetia est possibilis. Duo enim haec ad prophetiam requiruntur et sufficiunt. Jam vero non repugnare, quominus Deus libere futura cognoscat, insita hominibus ipsa Dei idea evincit, quorum ea semper fuit persuasio, Deum omnia cognoscere. Idem postulat ipsius entis perfectissimi notio, alioquin nec omnia praesentia Deus cerneret, neque omnia tempora complecteretur ejus aeternitas, ac nova semper fieret accessio ad ejus scientiam, quae omnia a Dei idea summopere abhorrent.

200. Quod si ejusmodi libere futura Deus necessario cognoscit, haec ipsa manifestare potest, ut patet per se, et ex iis, quae de revelationis possibilitate disseruimus. Ergo prophetia possibilis est.

DIFFICULTATES

201. Obj. 1. Quod nondum est, nihil est, atqui objectum prophetiae est id quod nondum est, ergo nihil est; at quod nihil est, nec praevideri nec praedici potest; ergo impossibilis est prophetia (4). Addatur 2. difficile, immo impossibile esse quempiam infallibiliter certum esse de accepta a Deo prophetia. Praeterea 3. quaevis praedictio divinitus patefacta, qua fatum inevitabile hominis aut populi cujusdam, quod ab opere quodam ab ipsis perpetrando pendeat, diserte annuntiatur, ideae Dei sanctissimi ac benignissimi repugnat, fatalismum fovet, et libertatem hominum moralem tollit (5); ergo.

202. Resp. ad 1. *D.* Nihil est actu existens, *C.* nihil est possibile et consequenter cognoscibile ab intellectu infinite perfecto *N.* Eodem ferme modo se habent futura respectu Dei, ac se habent praeterita respectu nostri. Res praeteritae in se utique nihil sunt, attamen certo fuerunt; idem dic de futuris respectu Dei, si tamen futura aliqua in Deo sunt vel praeterita, et non potius omnia praesentia; unde fit, ut in Deo proprie nulla sit praescientia sed potius scientia.

203. Ad 2. *N.* ut patet ex dictis agendo de possibilitate revelationis (6); et *N. conseq.* Dummodo enim eventus veritatem vaticinii comprobet, nihil aliud requiritur; vaticinium siquidem, ut diximus, probationem suam sibi ipsi suppeditat.

204. Ad 3. *N.* Non enim eveniet, quia praevisa vel praedicta, sed ideo praevisa et praedicta est res aliqua, quia futura, ideoque si aliqua necessitas est in ejusmodi praedictionibus, non est nisi

(1) *Tract. theol. polit.*

(2) Faust. Socin. in *Praelect. theol.* cap. 8, 9, 10; Joan. Crellius, *De Deo et attributis divinis*, c. 26, pag. 223, vers. belgic.; Valer. Smalzius *contra Franzium*, pag. 472 et seq.

(3) Wegscheider, op. cit. p. 1, c. 2, § 50; Kant, *Anthropolog.* 101, apud eumd.

(4) Ita fere Voltaire *Essai sur les moeurs et l' esprit des nations*; Discours prélimin., et artic. *oracles* tom. VIII. de ses Oeuvres, édition de Genève 1769, pag. 88.

(5) Ita Wegscheider loc. cit

(6) Num. 8 et seqq. hujus tract.

consequens et hypothetica (1); logice enim prius est aliquid esse, quam videri, proindeque et manifestari.

§ II.

De vi et efficacia prophetiae ad ostendendam divinitatem revelationis

205. Hic observare juvat quamdam excellentiae speciem respectu nostri sibi conciliare prophetiam super miraculum ad ostendendam divinam alicujus missionem ac proinde divinitatem factae revelationis. Cum enim unusquisque testis esse possit eventus praedicti, satis est eum cum prophetia comparare, ut superius observatum est. Quare minus cavillationibus ac telis incredulorum vaticinium exponitur quam miraculum. Quod patet potissimum ex ipsa incredulorum agendi ratione et praesertim Freret, qui licet plura congesserit adversus probationes christianismi, ejusque doctrinam, miracula, etc., alto tamen silentio praeteriit vaticinia, perinde ac si ad ea minime advertisset, eaque penitus dissimulavit, prout observavit Spedalieri (2). At quod non praestitit Freret seu verius auctor operis sub ejus nomine vulgati, id praestiterunt rationalistae; qui nihil intentatum reliquerunt ad vim elevandam hujus notae supernaturalis revelationis. Ipsorum argumenta inferius expendemus. Interea sit

PROPOSITIO

Prophetia est certissimum divinae ac supernaturalis revelationis argumentum

206. Prophetia vere et proprie dicta non potest esse nisi a Deo; ergo quoties vera habetur prophetia eventu comprobata, toties ineluctabile divinae ac supernaturalis revelationis exurget argumentum.

207. Antecedens constat ex notione, quam de prophetia dedimus; consequens negari non potest.

208. Id confirmatur ex omnium gentium persuasione, sive ex sensu naturae communi. Nulla enim gens est, quae non admiserit praedictionem libere futuri alicujus eventus qui exitum sortitus fuerit velut ineluctabile argumentum divinitatis. Hinc propterea receptum apud veteres sapientes adagium, cujus meminit Cicero (3): *Siquidem ista sic reciprocantur, ut et si divinatio sit, dii sint, et si dii sint, sit divinatio;* qui praeterea

(1) Difficultatem hanc, quam adeo magni facit Wegscheider cum suis, jam promoverat Epicurus, quocum causam communem agunt sociniani et rationalistae. Ipse enim non solum rejecit divinationem ex eo quod nulla diis cura esset de nobis, sed praesertim ex perempta hac ratione humana libertate: Ἡ μαντικὴ ἀνύπαρκτος. εἰ δὲ καὶ ὑπαρκτική οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς ἡγητέον τὰ γενόμενα; seu, *Divinatio nulla est; si vero talis esset, omnem ea tolleret voluntatis libertatem, nihil ad nos existimandum pertinere quae fiunt.* Diog. lib. x, Segm. 135, edit. Meibomii Amstelod. 1692. Eadem sententia inhaesit Carneadi, qui apud Tullium loc. cit., *ne Apollinem quidem futura posse dicere putavit, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset.* Idem senserunt Stoici et Tullius ipse, quorum sensa fuse S. Augustinus refellit, *De civ. Dei*, lib. v, capp. 8, 9, 10. Cons. S. Thom. loc. cit. art. 6. ad 1, qui hanc difficultatem jam praeoccupaverat.

(2) *Confutaz. dell' esame critico del signor Nic. Freret*. Praefaz. pag. VIII, edit. Rom. 1778.

(3) *De divin.* lib. I, c. 5.

addit: *Vetus opinio est, jam usque ab heroïcis ducta temporibus, eaque et populi romani et omnium gentium firmata consensu, versari quamdam inter homines divinationem, quam graeci* μαντικὴν *appellant, id est, praesentionem et scientiam rerum futurarum* (1). Exinde repetenda oracula, aruspicia, sybillae, ceu totidem divinitatis organa. Poetae ipsi passim vates exhibent numine plenos et agitatos ad futura praedicenda. Adeo gentes omnes hac persuasione imbutae erant, divinationem sive prophetiam nonnisi a Deo esse! Ergo.

DIFFICULTATES

209. I. Obj. Frustra Deo adscribuntur prophetiae; 1. prophetia enim a vividiore imaginatione pendet; 2. facile siquidem accidit, ut vehementior animi affectus imaginationem incendat, qua sibi animus quasi praesentia fingat, quae sperat vel metuit, ut Cassandrae contigit malorum vehementer terrore perculsae, quae Troja a graecis patiebatur. Ita post Spinozam auctor operis *Examen religionis*. 3. Hinc fit, ut per conjecturas humanas quaedam praevideri possint ac praenunciari, ut saepe factum esse omnis historia docet. Ergo incertum est, quod a vaticiniis deducitur, argumentum.

210. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Ac proinde hujusmodi prophetia ea non est, de qua loquimur, *C.* illa de qua loquimur *N.* Nempe eo ipso, quod a vividiore imaginatione pendeat aliqua praedictio, non includitur in prophetiae notione, quam dedimus, et ex qua exclusimus omnem causam naturalem. Addendum ejusmodi vaticinia incerta esse et conjecturalia, minime vero certa et determinata, qualia ad revelationis notam necessaria esse diximus.

211. Ad 2. Idem responsum esto, quod accommodari etiam potest iis, quae ex magnetismo animali vel somnambulismo objici solent; etenim semper extra hypothesim versantur; nam in his omnibus aliisque similibus praeexisteret causa naturalis, quam nos exclusimus. Addatur imaginationem, utut vividissimam, nullam habere vim posse in liberas hominum voluntates et actiones, quae futurae sint, cum nullam adhuc habeant determinationem vel in seipsis vel in causis. Quare Cassandrae factum, ejus supposita veritate, quae tamen saltem dubia est, extra rem et causam profertur (2).

212. Ad 3. *D.* Et in hoc casu haberetur prophetia proprie dicta, de qua loquimur, *N.* improprie dicta *C.* Futura pleraque non negamus posse non sine aliqua probabilitate conjici ac praenunciari; sic ex habitu corporis, et indole, propensionibus, aliisque id genus, futu-

(1) Ibid. lib. I, c. I. Idem alias Balbum ita locutum fuisse fingit: « Velleius, quia nihil tam irridet Epicurus quam praedictionem rerum futurarum, mihi videtur quam maxime confirmare deorum providentia consuli rebus humanis. Est enim profecto divinatio, quae multis locis et temporibus apparet, tum in privatis rebus tum maxime in publicis. Multa cernunt haruspices, multa augures provident, multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa somniis, multa portentis ». *De nat. deor.* lib. II, c. 65, edit. Taur. opp. XIII. Cons. Huet. *Demonstr. evang.* tom. I, Axiom. 4, ubi mira eruditione, ut solet, adductis veterum sive graecorum sive latinorum testimoniis, id luculentissime evincit. Optime propterea et energice Tertullianus, *Apol.* c. 20. concludebat: *Idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis*.

(2) Cons. S. Thom. loc. cit. q. 172, art. 1, ubi totum istud argumentum evolvit atque in clarissimo lumine ponit.

rum hominis exitum probabiliter conjicere possumus et solemus; ita nos quotidie ex puerorum indole conjicimus: iste vitam finiet in suspendio, hic erit sanctus, apostolus, etc.; id ipsum dicatur de politicis praedictionibus, quas non raro exitus confirmat (1). At haec neque excedunt naturalis ingenii vires vel conjecturae limites; hinc etiam vidimus saepe spem fallere et inopinato eventu omnem conjecturam subverti, et ratio est, quia humana conjectura non omnes *possibiles* casus praevidere potest.

213. II. Obj. Si prophetia a Deo esset, non vero ex humana industria vel arte comparata, id potissimum erueretur ex prophetiis, quae in sacris litteris habentur. Jam vero, inquit Wegscheider (2) cum suis rationalistis, 1. praedictiones vere et proprie dictae, indubitatae, summaque cum claritate definitae, in utroque sacro codice frustra quaeruntur, ipsiusque Jesu Christi praesagium de reipublicae judaicae excidio non satis perspicue enunciatum est (Matth. XXIV, 36). 2. Tum prolata sunt nonnulla vaticinia ab hominibus auxilio divino plane indignis (Num. XXII, 5 et seqq. I Sam. XV, 32; Jon. I, 3; IV, I. et seqq. Joan. XI, 51). Praeterea 3. nonnulla in libris sacris continentur, quibus eventus nequaquam respondit; conf. praeter plurima vaticinia messiana Isaïae XXII, XXIX, XXXIV, LXIII, LXVI; Dan. II, VII; Oseae IX, 3, XI, 5; Ezech. XL et seq. Luc. I, 32; Act. II, 30; Matth. XXVI, 32; Coll. Act. I, 4; Matth. XVI, 28; Joan. XXI, 22, I Thess. IV, 15; V, 1 et seq. I Cor. XV, 51; Apoc. et quae populi traditionibus mythicis et superstitiosis nituntur, veluti Ezech. XXXVIII et XXXIX. 4. Alia denique singulari quodam scriptorum hebraeorum artificio post eventum demum conficta sunt, v. g. Gen. XXV, 23; XXVII, 27, 29; XXXIX, XL, XLIX; Num. XXIV, 17 et seqq.; Deut. XXXIII; I Reg. XIII, 2; XIV, 15; Dan. VII-XII; Matth. XXIII, 35; vel 5. praedictiones nonnullae, propria earum significatione mutata aut pressius definita, ad rerum eventum inflexae et singulis rebus in facto positis post eventum demum accuratius adaptatae sunt, v. g. Dan. IX, 24, Ps. XVI, coll. Act. II, 29 et seq. Ps. XXII, 17-19, coll. Joan. XIX, 23 et seq. Isaïae LIII; Matth. XII, 40; XVI, 21; XVII, 9; XXII, XXIII, XX, 19; XXVI, 34, coll. Joan. XII, 36 et seq. Luc. XIII, 32; Joan. XXI, 18. Postremo 6. quemadmodum Jesus ipse parum honorifice judicavit de hebraeorum vatibus (Matth. XI, 11; Luc. VII, 28); ita apostoli vaticinationem obscuram et imperfectam esse ipsi professi sunt (I. Cor. XIII, 9; II Petr. I, 19 conf. Act. I, 7). Omnino autem apparet, Jesum interpretandi rationem, quae in thalmudicis et rabbinorum sicut in Philonis et Josephi scriptis latissime regnat, sequutum, et eo ipso, quod nonnulla prophetarum oracula ejus fata resque ab eo gestas vere adumbrare videntur, ductum, V. T. effata de felicissima rerum conversione et de novae faustiorisque civitatis instauratore aliaque, providentia divina ita moderante, ad seipsum traduxisse, ut fidem faceret judaeis, et ideis ipsorum messianis suas de regno quodam spirituali per Messiam condendo (Matth. XI, 13; XXII, 32. et seq.

(1) Huc referuntur praedictiones s. Gregorii Naz. de futuro Juliani apostatae exitu, et P. Le Jay S. J. de Voltaire, Polybii relate ad romanae reipublicae finem, Jos. Flavii quoad Vespasiani assumptionem ad imperium, Mahumetis circa victoriam graecorum sub Heraclio in persas, etc.

(2) Op. cit. p. 1, c. 2, § 50.

Luc. XVII, 20 et seqq. Joan. VIII, 12; XVIII, 36.) prophetarum quidem dictis nonnullis (Is. II, 2-5; XI, 1 et seq. XLII, 1-4; Joel. III, 1; Zach. III, 7 et seqq. VI, 12-15; Mal. III, 1-4; IV, 1 et seq.) jam vere adumbrato, adnecteret. Quae cum ita sint, argumentum e vaticiniis deductum, etc.; ergo (1).

214. Resp. *C. maj. N. min.* Ad 1. prob. *N.* Mentitur Wegscheider dum talia affirmat; exemplo sint promissiones Abrahae factae (Gen. XIII, 63 et seq.) de possessione terrae Chanaan, rursum praedictio de futura gentis peregrinatione a se nasciturae in Aegyptum, de illius servitute per quadringentos annos, deque ejus liberatione in quarta generatione (ibid. XV, 13 et seq.), praedictio nativitatis Isaac (ib. XVIII, 10) et quidem intra annum contra omnem expectationem, de benedictione omnium gentium in semine Abraham (ibid.), ut innumeras alias ex V. T. omittam claras, definitas, cujusmodi sunt eae omnes, quas edidit Moyses in conspectu Pharaonis circa futuras Aegypti plagas earumque cessationem (Exod. VIII; IX, X, XI, XII), ex N. T. autem omnes praedictiones Christi cum omnibus suis adjunctis circa ipsius passionem (Matth. XVI, 21; Marc. IX, 31; Luc. IX, 44 et XXIV, 7) ejusque post tres dies resurrectionem (ibid.), circa trinam Petri negationem illa ipsa nocte ante galli cantum (Matth. XXVI, 34; Marc. XIV, 27; Joan. XVI, 32). Impudenter igitur mentiuntur rationalistae, dum talia effutiunt. Ad Prob. *ipsiusque J.-C. praesagium*, etc. *N.* Apertissimum siquidem est illud non *praesagium* sed vaticinium de proxima templi ac Solymorum eversione, si praesertim conferatur locus parallelus Luc. XXI. 9, et seqq. et Marc. XIII, 2, cum omnibus suis adjunctis temporis, personarum, etc. Sufficit, ut quis certior fiat de gratuita adversariorum assertione, legere citata loca eaque cum historia Jos. Flavii de bello judaïco comparare (2).

215. Ad 2. *Tr.* Quia ejusmodi dona, quae a theologis dicuntur gratis data, absque sanctitate consistere possunt, et in ejusmodi casu nihil efficaciae suae amitterent vera vaticinia. Saepe diximus vaticinia suam probationem secum ferre (3).

216. Ad 3. Vel *N.* vel *D.* si conditionata sint, conditione non posita, ut saepe factum est, *C.* si absoluta *subdist.* posita arbitraria interpretandi methodo protestantium, nempe juxta privatum uniuscujusque sensum, *Tr.* juxta sanae exegesis regulas *N.* Observandum igitur est, non pauca vaticinia conditionata esse; porro cum conditio effectum suum

(1) Haec eadem fere sunt, quae jam objeceral Voltaire, *Bible enfin expliquée par plusieurs aumoniers de S. M. L. R. D. P.* et *Questions sur l' Encyclop.* art. *Messie*, tom. XXIV; ex quo patet, quam vere dixerimus, rationalismum non esse nisi atheismum seu theismum larvatum.

(2) Perspicuum adeo et definitum est hoc vaticinium, ut christiani eo admoniti, recedente exercitu Romanorum, Jerosolyma relicta, Pellam in Galilaea se receperint, ut refert Eusebius, *Hist. eccl.* lib. III, c. 5, vers. Valesii; oppidum autem illud erat trans Jordanem. Quod ergo clarum et definitum fuit omnibus christianis aetate illa, erit obscurum Wegscheider?

(3) Cons. S. Thom. loc. cit. art. 4, ubi ostendit, esse posse prophetiam sine morum probitate, cum ad proximorum utilitatem ac salutem, non autem propriam, sit a Deo infusa. Certe juxta verba Christi (Matth. VII, 22) dicturi aliquando nonnulli impii erunt: *Nonne in nomine tuo prophetavimus?*

non sit sortita, quid mirum si vaticiniis effectus non responderit? Talia sunt, quae adimplenda adhuc supersunt, vel in dies adimplentur, talia quae in Apocalypsi leguntur, quae spectant ad plenam vocationem gentium; talia quae sub cortice litterae sensum spiritualem praeseferunt (licet adversarii nostri id non admittant), cujusmodi sunt ea, quae de futurae synagogae felicitate, de sede David, de regno messiano, aliisque id genus non paucis pro lubitu intelligunt isti neoterici biblici protestantes et rationalistae, ut inde arguant eventum prophetiae non respondisse. Addatur gratis omnino asserere adversarios, citata ab ipsis vaticinia impleta non esse, atque insuper nec id asserere ipsos potuisse; etenim si omnia V. et N. T. vaticinia obscura sunt et indefinita, quomodo nunc affirmant, eventum iis non respondisse? Mendacem oportet esse memorem (1)!

217. Ad 4. *N.* Haec enim non est nisi gratuita et impudens adversarii assertio contra omnes critices regulas et consensum et testimonium universae gentis judaeorum et christianorum. Observandum est, quod inter vaticinia scriptorum Hebraeorum singulari artificio post eventum demum conficta recenseat auctor noster etiam illud quod legitur Matth. XXIII, 35. Quam bene haec cohaerent (2)! Addo: saltem ista vati-

(1) Hic obiter notetur, protestantes solitos esse scripturam per solam indicationem capitum et versiculorum adducere. Et hoc duplici ex causa, I. ut fucum faciant imperitis et malam fidem facilius tegant; ut ostentent propriam peritiam in versandis scripturis. At primum ingenuo scriptore indignum est, alterum puerile, cum ope concordantiae quisque possit eamdem peritiam ostentare. Nunc ut speciem exhibeam malae fidei et gratuitarum assertionum Wegscheider in adductis locis, observo caput XXIX Isaiae esse de eversione Solymorum, quod adamussim impletum est; cap. XXXIV de Dei ultione in omnes gentes, quae pariter sub chaldaeis contigit; cap. LXIII. de Christi triumpho in hostes suos et derelictione hebraicae gentis, quod pariter suum exitum sortitum est; cap. LXVI pariter esse de vocatione gentium et judaeorum derelictione seu reprobatione, Dan. cap. II. esse de visione Nabuchodonosor et de quatuor monarchiis. Eccur autem adimpletum non est hoc vaticinium? Sic dicatur de ceteris, cum non vacet singula percurrere. Interea *Crimine ab uno disce omnes*.

(2) Praestat et hic novum sumere specimen innocentiae atque honestatis rationalistarum eorumque eruditionis biblicae, quam in eis aliqui suspiciunt. Inter vaticinia conficta Wegscheider refert Gen. XXXIX; at hoc caput nullum exhibet vaticinium, sed historicum totum est, de tentata nempe Josephi castitate. Quo vero fundamento in animum induxerit suum Wegscheider, totidem esse conficta vaticinia, ea quae praedicunt futuram superioritatem hebraici populi super Idumaeos (ut Gen. XXV, 23-XXVII, 27; XXIX) plane ignoro. Id ipsum dicatur de interpretatione somniorum eunuchorum Pharaonis a Joseph in carcere facta (Gen. XL) et de Jacobi morituri benedictionibus in filios (ib. XLIX). Quare tantae fraudis non indicavit tempus, auctores, adjuncta? Sed veniamus ad Dan. VII et seqq. usque ad XII; Porphyrius longe ante rationalistas a quodam Epiphane haec capita in Judaea, aetate Antiochi, conficta autumavit. At praeter Judaeorum traditionem, in quorum manibus volumen Danielis erat, desperatum Porphyrii perfugium prorsus evertit testimonium Jos. Flavii, qui (*Archaeol.* lib. XI, c. ult.) refert Alexandro M. Jerosolymam adventanti a sacerdotibus volumen Danielis exhibitum fuisse, ac locum illum ostensum (est autem cap. VIII), in quo regem Persarum devictum iri a rege Graecorum praedicebatur. *Δειχθείσης δὲ αὐτῷ τῆς Δανιήλου βίβλου ἐν ᾗ τινα τῶν Ἑλλήνων καταλύσειν τὴν Περσῶν ἀρχὴν ἐδήλου, νομίσας αὐτός εἶναι ὁ σημαινόμενος, τότε μὲν*

cinia post eventum conficta deberent esse clara ac definita, cur igitur nulla esse id genus oracula adversarius noster affirmavit? Mendaces sibi constare non possunt.

218. Ad 5. *D.* In sensu et sententia adversarii, *C.* reipsa *N.* profecto commoda via est ad declinandam vim vaticiniorum, ut si quae sint luculenta et ineluctabilia, gratis affirmare ea post eventum conficta esse, iis autem, quae eludi minime possunt, affingere alium et privatum sensum, contrarium illi, quem sacri scriptores aperuerunt, ac deinceps affirmare ea deflexa significatione post eventum ad alia fuisse accommodata. Sed neque hic sibi constat auctor noster. Nam Danielis caput IX supra inter conficta post eventum retulit, nunc recenset inter ea, quae post eventum deflexa sunt a propria significatione. Addatur Psalmum XVI (in Vulg. XV) de Christi resurrectione in sensu recepto ab ipsa synagoga a Petro expositum esse, alioquin palam et pro concione non retulisset. Psalmum XXII (XXI) de Christi passione in citato versu accipiendum esse, tum res ipsa declarat, tum synagogae recepta expositio etc., et sic de ceteris ibidem commemoratis.

219. Ad 6. *Neg.* prorsus. Hoc enim novum est figmentum adversarii nostri. In locis enim citatis Christus solum dixit: *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista*, vel ut est apud Luc. *Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est* (1). Utrum hoc dicendum sit, parum honorifice de prophetis loqui, ad quos saepe provocat Christus ipse (ut Luc. XXIV, 25, 27; Joan. VI, 45 et alibi passim), quisque intelligit. Ad conf. *ita apostoli vaticinationem obscuram*, etc., *N.* Numquam apostoli hoc dixerunt, sed mentitus est bonus rationalista. I Cor. XIII, 9 Apostolus ait: *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus* (2); II Petr. I, 19 contrarium docetur: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tamquam lucernae lucenti in caliginoso loco*, adeo ut veluti praeferat prophetiam visioni sibi factae in monte sancto; Act. vero I, 7 legitur: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate*. Itaque si adversarius noster hic non abutitur scripturarum auctoritate ac bona lectoris fide, et perfricta fronte imperitis imponit, quis hoc facere dicendus sit plane non video.

220. Ad 7. *N.* Et hic praeter falsitatem impietas etiam adversarii patet, quippe Christum ut seductorem traducit, quod abusus fuerit judaeorum simplicitate. Et tamen isti christiano adhuc nomine gloriantur, et impune theologiam in academiis tradunt! Cum igitur prae-

ἡσθεὶς ἀπέλυσε τὸ πλῆθος· τῇ δὲ ἐπιούσῃ προσκαλεσάμενος, ἐκέλευσεν αὐτοὺς αἰτεῖσθαι δωρεὰς ἃς ἂν αὐτοὶ θέλωσι. etc. p. 581. tom. 1, op. edit. Havercamp, Amst. 1726. Jam vero Alexander Antiochum praecessit annis plusquam 150; fieri proinde non potuit, ut liber Danielis suppositus fuerit, vel assuta recensita capita tempore Antiochi. Sic corruit commentum Porphyrii, et Wegscheider qui eadem recoquere audet. Consulatur praeterea *Die authentie des Daniel*, etc. Seu *Authentia Danielis demonstrata*, etc. per Ernst Wilhelm Hengstemberg, Berolini 1831, in-8.

(1) Observat vero hic Maldonatus comparationem a Christo institui in sanctitate, non autem in prophetia.

(2) Prophetiae hic Apostolus praefert visionem beatificam, quae utique clarior erit. Cons. Bernard. a Piconio in *Triplici expositione*. Non absolute propterea loquitur Paulus, sed relative.

ter suam impudentem assertionem nullam afferat probationem, non est cur hic tempus teramus (1).

221. Inst. 1. Varius est prophetarum stylus pro diverso eorum ingenio et educatione. 2. Sine aliquo apparatu prophetare non valent, ut contigit Elisaeo (IV Reg. III, 15). 3. Institutae inveniuntur apud hebraeos prophetarum scholae, in quibus ars prophetandi tradebatur; hinc et grex prophetarum occurrens Sauli (I Reg. X); 4. hinc enthusiastae quidam ex ipsis indecora patrabant, ut esset nude incedere (Is. XX). Ergo divinae revelationi prophetia adscribi non debet.

222. Resp. ad 1. Quia Deus probabiliter non semper verba singula, sed sensum ut plurimum prophetis tradebat, *C.* secus *subdist.* quia Deus verba dictans sese diversae prophetarum indoli accommodabat, *C.* quia ex ipso non erant edita vaticinia *N. Nec enim homo*, inquit s. Thomas (2), *ex operatione divina immutatur circa prophetiam*.

223. Ad 2. *N.* Casus enim Elisaei, qui adducitur, unicus est et singularis. Ad sedandum enim animum suum psaltem requisivit, non ad excitandum spiritum prophetiae.

224. Ad 3. *D.* Ad pie educandos adolescentes, ex quibus Deus aliquos identidem eligebat ad futura praenuncianda, *C.* Ad artem prophetandi addiscendam

(1) In nota (o) scribit: *Sic Josephus, interpretandi genus Judaeis usitatum sequutus, Vespasianum oraculis messianis portendi* (*Bell. jud.* lib. VI, § 4), *Cyrillus jeros. sua ipse fata a prophetis praedicta fuisse opinatus est*. Sozom. *hist.* lib. IV, 5; Ammon, *Bibl. theol.*, II, 86 et seq.; Eichorn *Ausführl. Unterr.* 156 et seqq. *Briefe über den rationalismus*, 221 et seqq. Sed si Josephus incredibili assentatione contra omnium suae gentis sensum accommodavit oracula messiana Vespasiano, ergo et Christus hunc morem sequutus est? Mira rationalistarum dialectica! Falsum porro est Cyrillum Jeros. opinatum fuisse fata sua a prophetis praedicta; neque id tradit Sozomenus, sed relata ingentis crucis in aeris spatio apparitione ab omnibus conspecta per plures horas (et hic videant rationalistae an unquam signa defecerint in ecclesia catholica) subdit aliquos asseruisse haec in sacris libris olim praedicta fuisse per divinam quamdam prophetiam. En verba Sozom. loc. cit.: Ἐλέγετο δὲ παρὰ τῶν τὰ τοιάδε ἐπιστημόνων κατά τινα προφητείαν θείαν πάλαι ταῦτα προμεμηνῦσθαι ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις. Talis est fides istorum virorum Ammon, Eichorn, etc., qui habentur ut rationalismi fundatores!

(2) S. Thom. loc. cit. art. 3. ad 1. Conf. etiam Huet *Demost. evang.* prop. VIII, ubi in sententia de divina inspiratione quoad singula verba ad rationem reddendam diversitatis styli, quae in singulis prophetis habetur, hoc pulchra similitudine utitur: eodem modo ac idem ventus transiens per diversas organi fistulas diversum sonum emittit, sic licet idem spiritus sit, qui diversos inspirat, diversimode loquitur pro diversitate indolis, etc. Ceterum controversia de modo inspirationis, sive quoad solum sensum, sive quoad verba singula adhuc viget. Concilium Trid. litem dirimere noluit, sed solum declarat Deum utriusque foederis auctorem esse. Plures diversimode loquuntur. Ex theologis Lessius et Hamelius S. J. inter alias theses hanc statuerunt: *Ut aliquid sit scriptura sacra non est necessarium singula ejus verba esse inspirata*, quam thesim Theologi Lovanienses et Duaceni annis 1587 et 1588 atro carbone notarunt. Haec tamen censura a reliquis catholicis, ab universitate Parisiensi et a Rom. Pontifice minime probata fuit. Cum Lessio et Hamelio consentiunt e Soc. Jesu Bellarminus, Mariana, A Lapide, Bonfrerius aliique, ex externis Melchior Canus, Contensonius, Calmet, estque sententia communissima. Conf. diss. Calmet *De inspiratione*, etc. ad II Petr. Holden longius progressus est.

N. Et hic obiter notamus cum Bergier (1), non unam esse in scripturis nominis *prophetae* acceptionem; aliquando enim hac denominatione veniunt oratores, quo sensu Aaron dicitur *propheta Moysis;* interdum designantur aliqui addicti ad divinas laudes canendas, talis fuit *Saul inter prophetas*, vel cum *domi prophetabat*, psallente David; veniunt insuper doctores et interpretes legis, quo sensu nonnulli dicuntur filii, id est, discipuli prophetarum, qui nempe legis doctrinam addiscebant ab his doctioribus, quorum aliqui divino etiam lumine edocebantur. Quae si accurate distinxissent increduli, prophetiam inter humanas artes minime connumerassent.

225. Ad 4. *D.* Ex praeconcepta adversariorum sententia, *C.* in se *N.* Etenim Isaias ad calamitatem aegyptiorum et aethiopum symbolice exprimendam deposito pallio nonnisi ultima veste indutus incessit. Orientales siquidem nudum dicunt, qui nonnisi hac ultima veste, quam *ehram* appellant, indutus est, atque ita hodiedum in Oriente ruricolae et ad meccanum pseudoprophetae sepulcrum peregrinantes vestiti sine aliorum offensione incedunt (2).

DIFFICULTATES

Ex ethnicorum vaticiniis

226. Obj. 1. Nulla est religio, quae suas non habeat prophetias seu divinationes et oracula, 2. quae si cum biblicis conferantur, vix ullum inter ea deprehenditur discrimen. 3. Celeberrima sunt oracula Jovis Dodonaei in Chaonia Epiri regione, Jovis Ammonis in Lybia, Apollinis in Delo, Delphis et alibi, Latonae in Aegypto, quod Sebenniticum oraculum vocabatur, aliaque permulta erudite collecta et declarata a Mussardo (3), a quibus ethnici expetebant et plerumque

(1) *Traité*, etc. tom. VII, chap. 7, art. 1, § 1. Plura etiam de hoc argumento habet Jahn, *Introd. in libros V. et N. Foederis*, § 83. Sed ab hoc auctore valde cavendum, saepe enim accedit ad biblicos protestantes.

(2) Janssens, *Herm.* tom. 1, n. 319; et hic auctor in nonnullis a vera via deflectit, merito proinde castigatus ab Amando a S. Cruce dioec. Leodiensis presbytero, in suis *Animadvers. crit. in eumdem, Monaci* 1820. Interim ex dictis patet quid reponendum sit scurrae Voltaire, dum ridet panem stercore humano vel bovino linitum ab Ezechiele comedendum (Ezech. IV, 12). At non advertit numquam ejusmodi mandatum a Deo prophetae datum esse, sed ad exprimendam summam lignorum penuriam, ad quam in captivitate Judaei redigendi essent, jussit Deus coquere panem ex fimo exsiccato sive hominis sive bovis; en verba textus: וְהִיא בְּגֶלְלֵי צֵאַת הָאָדָם תְּעֻגֶנָה *coque illum sub cineribus cum hominis excremento;* eumdem sensum referunt chaldaeus ac graeci interpretes LXX: Ἐν βολβίτοις κόπρου ἀνθρωπίνης ἐγκρύψεις αὐτά. Jam vero hodiedum in Aegypto atque in Oriente pauperes incolae desertorum panes suos frequenter siccatis stercoribus boum, imo et hominum coquunt. Conf. Corneille Le Bruyn, *Voyages au Levant*, tom. 1, pag. 230; Tournefort, tom. III, p. 106, 122, 133, 136; Pietro della Valle, p. 1, let. 2; Gemelli Carreri, *Voyage autour du monde*, tom. II, p. 57; Calmet, hic; Lamy, *Apparatus ad Bibl.* Guénée *Lettres de quelques Juifs*, etc. tom. II, lett. IV, § 7, pag. 244, edit. de Lyon 1823.

(3) In sua *Historia Deorum fatidicorum, Vatum, Sybillarum, Phoebadum apud priscos illustrium*. Coloniae Allobrog. edit. 1675.

obtinebant prophetias, responsa scilicet de rebus ab humana cognitione prorsus remotis. 4. Nil mirum proinde si ea ut divinitus inspirata ethnici crediderunt. 5. Notissima sunt carmina Sibyllina ab ethnicis pariter et christianis admissa. 6. Negari saltem non potest, daemones potuisse praedicere, quae essent ipsi facturi. 7. Hinc dubium semper evadit argumentum ex prophetia deductum ad evincendam divinitatem supernaturalis revelationis; ergo.

227. Resp. ad 1. *D.* Veras vel fictas, *C.* veras *subdist.* quae tamen naturalem scientiam et conjecturam non excedant. *C.* quales nos propugnamus *N.* Nullum exemplum ex tota antiquitate proferri potest de editis oraculis saltem in confirmationem falsae religionis, quae notas praeseferant a nobis superius expositas.

228. Ad 2. *N.* Peculiare enim intercedit discrimen, illudque multiplex inter ethnicorum oracula et vaticinia biblica. Licet enim demus (quod verius censemus ob aperta patrum testimonia) cum P. Balto S. J. adversus Van Dale et Fontenelle non *omnia* gentilitatis oracula sacerdotum fraudibus esse adscribenda, attamen jure affirmamus dari characteristicas notas, quae essentialiter oracula paganorum a biblicis distinguant. Ut enim cetera omittam, oracula et divinationes non erant 1. nisi *effata singularia*, nulla ratione inter se nexa, 2. eaque de eventibus *proxime instantibus*, ut *certis personis* vel *civitatibus* consuleretur, et 3. adeo *ambigua*, ut quidquid accideret, praedictum fuisse videretur (1). Sic de celeberrimis oraculis Apollinis scribit Cicero (2): *Sed jam ad te venio, sancte Apollo... tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis et quae ad dialecticam deferenda sint*. E contrario vaticinia biblica

(1) Omnia prorsus gentilitatis oracula fraudibus sacerdotum adscribenda esse Van-Dale, *De Orac. vet. ethnic.*, Diss. II, contendit, cui adstipulatus est Fontenelle, *Histoires des Oracles*, ch. 7, quibus nonnulli ex recentioribus subscribunt atque inter ceteros Janssens, op. cit. Moshemius vero mediam viam inivit, in *Notis ad Cudworth*, asserens nihil certi affirmari posse pro alterutra sententia. At contra Van-Dale ejusque sectatores strenue adeo dimicavit P. Baltus auctoritate omnium veterum ethnicorum, si Plutarchum excipias, ss. Patrum, praesertim Justini, Tertulliani, Cypriani, Athanasii, Lactantii, Augustini, qui dicebat: *Loquacissima simulacra, pulsis daemonibus a christianis, veluti sine flatu organa siluisse*, quod veteres apologetae ethnicis passim exprobrabant, praesertim Tertullianus et Cyprianus; tum factis certissimis ac testibus immediatis, cujusmodi fuit s. Joan. Chrysostomus quoad silentium oraculi daphnitici in translatione reliquiarum s. Babylae, etc. ita ut Fontenelle coactus fuerit palmam dare adversario suo, festivo illo dicto: *Le diable a gagné sa cause; Diabolus* nempe *causam suam vicit*. Sane Bergier loc. cit. observat, neminem ausum fuisse P. Balti opus refellere. Hinc bene concludebat P. Bertier S. J.: *Veneratio, qua ecclesiae Patres prosequi debemus, non sinit nos dubitare, quia daemonum arte quaedam sint edita vaticinia*. In epistolis, quibus titulus: *Lettres édifiantes et curieuses etc.*, multa narrantur de his vaticiniis per idola emissis, ab ipsis oculatis testibus. Cons. Amandus a S. Cruce op. cit. *adversus Janssens*.

(2) *De Divin.* lib. II, c. 56, edit. Taur. 1831, op. tom. XIII.

1. sunt permulta, quae omnia *amice inter se conspirant;* 2. ad finem *communem, grandem et Deo dignum* tendunt; partim de factis in *sera posteritate* eventuris agunt, atque 4. minime *ambigua, sed determinata, certis adjunctis definita,* et eatenus, quatenus opus est, *clara* sunt. Talia sunt vaticinia, quae seriem eventuum, qui ad hebraeos aliasque gentes spectant ab Abrahamo per XXII saecula miro consensu praenuntiarunt, et eo tendunt, ut divinam legationem prophetarum, et per hanc legationem, veritatem doctrinae de Deo unico, omniscio, provido, sanctissimo comprobarent, eamque custodirent hebraei usque ad adventum Messiae ex Davidis posteris orituri, per quem eadem cognitio ad universas gentes erat propaganda. Nec generica sunt ista vaticinia, sed quamplurima cum suis adjunctis temporis, loci, personarum, absque ambiguitate, perspicua et clara. Plura jam exempla superius exhibuimus agendo adversus rationalistas, quibus addi possunt, speciminis gratia, quae habentur Gen. XII, 2-3; XV, 4-5; XVII, 4-8, etc.; tum Isaiae XXI et Jer. L. et LI de futura per medos et persas Babylonis depopulatione, quibus si conferantur, quae refert Xenophon (1), videtur historicus nonnisi eorumdem vaticiniorum commentaria edidisse, adeo omnia adjuncta enunciata adamussim completa cernuntur! Plura alia non minus clara ac definita praetermitto, ut brevitati praestitutae inserviam, cum ejusmodi vaticiniis abundent utriusque foederis paginae.

229. Ad 3. Responsio patet ex dictis. Addo non solum internas notas biblicorum oraculorum ab oraculis ethnicorum essentialiter differre, ut ex nuper dictis evincitur, sed etiam externa adjuncta; 1. enim multa oracula ethnicorum seu divinationes arte fiebant; 2. oracula ethnicorum addicta erant certis locis, ut vates graecorum Dodonae, Delphis, Delo, etc. adeo ut per totum orbem tercentum ad minus recenserentur; pendebant insuper a certis anni tempestatibus vel a vapore cavernarum subterranearum, Pythiae esu baccarum aut gestatione coronae laureae in furorem concitabantur, tripode in Boeotia potissimum; nota est insuper duplex origo oraculi Dodonaei ex sacerdotissa Thebana in sylva Dodonae ex murmure rivi, tum ex statua aenea, aeneo flagello, vasis aeneis; sacerdotes etiam in quibusdam quercubus oracula dabant, etc. 3. Non modo oracula gentilium, sed et praestigiatores donis ac muneribus conciliabantur, ut vaticinia ederent; hinc harioli et aruspices erant instrumenta principum ac magistratuum, per quos plebs ad ea, quae decreta erant, flecteretur. Hinc illud Demosthenis: *Pythia philippizat*. 4. Oracula et omnis generis hariolatores credulos habebant coaevos suos; prout vero progressu temporis vanitas et fallacia detegebatur, fidem amittebant et in oblivionem abibant. Contra vero prophetae 1. nulli erant addicti loco, 2. cujuscumque erant conditionis, 3. absque ullo apparatu vaticinia dabant, 4. non solum non rogati, sed invitis regibus, principibus, populo; nedum vero aliquam aut laudem aut mercedem referrent, ludibria, odium, insectationes, minas, vincula, carceres, vitae pericula ac necem etiam subibant; unde s. Stephanus, (Act. VII, 52): *Quem,* ait, *prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* 5. Plerumque habuerunt coaevos incredulos nec fidem nacti sunt, nisi postquam vivere desierunt, quum nempe fallere amplius non possent, quando scilicet vaticinia eorum posteriori aevo complerentur; id progressu tempo-

(1) *Cyrop.* lib. VII, c. 5.

rum adeo manifestum fuit, ut multi etiam ethnici veritatem vaticiniorum biblicorum agnoverint (1).

230. Ad 4. *D.* Rudes, et absque sufficientibus motivis, *C.* doctiores et sapientes *N.* Recolantur superius dicta.

231. Ad 5. *D.* Quin edita sint in confirmationem erroris, *Tr.* secus *N.* Omnia obscura et incerta sunt, quae spectant ad deperdita sibyllina carmina; sola nobis remanent, quae recensuit Virgilius (Ecl. IV): *Ultima Cumaei*, etc.; quae certe continent de Christo vaticinium, quidquid cum suis contendat Heyne (2). Diversa sunt veterum judicia circa illa. Nonnulli Patres censent Deum per Sibyllas vere edidisse vaticinia sicut olim per impium Balaam. Quae nunc prostant in bibliotheca Patrum, tum quae ex codicibus ambrosianis et vaticanis nuper evulgavit Cl. Maius, ex omnium criticorum judicio spuria sunt (3).

(1) Ita quidem Jahn, op. cit, etsi protestantium biblicorum passim vestigia premat.

(2) In argumento hujus eclogae; ubi adstruit poëtam phantasmata poëtica ab aureae aetatis narrationibus petita cumulasse, in certo aliquo temporis sui eventu declarando, quem paulo obscurius designavit, quoniam in vaticinium rem mutavit, atque vaticinantis verbis et phantasmatibus sensa sua exposuit. Deinde, exposita theoria vaticiniorum apud suos recepta, quod orta ea sint ex spe melioris aevi, concludit: » Quascumque in hoc genere descriptiones novae felicitatis habemus, sive in Orientis, sive in graecis vel romanis poëtis, eae omnes fere inter se similes sunt: bestiae ac ferae cicures, serpentes innocui, fruges nullo cultu enatae, mare placidum, dii praesentes in terris, aliaque ejusmodi in omnibus commemorantur ». Quibus verbis satis aperte alludit ad Is. XI, quem non secus ac profanos poëtas auream illam aetatem descripsisse innuit. Sed quid exspectes a profanis istis scriptoribus omni religionis sensu destitutis, qui nonnisi terrena sapiunt! Quomodo autem adeo universalis sensus nationibus omnibus inhaesit absque aliquo originario principio, ex quo in omnes emanaverit?

(3) Cons. Gallandi, tom. I, *Bibl. Patrum*, Proleg. c. XVI; ubi ostendit carminum Sibyllinorum auctorem esse christianum ex circumcisione, qui ea edidit anno 138. Quod attinet ad veteres Sibyllas earumque carmina, omnia involucris teguntur. D. Pierre Petit in erudita *Diss. de Sibyllis*, eas ad unam reducit, eamque opinatur vocatam fuisse Delphicam, Erythraeam, Cimmerianam, Cumanam, Samiam, Hellespontiacam, Lybicam, Persicam, Phrygiam, Tiburtinam, a diversis locis, in quibus commorata est. Existimat ipsam fuisse graecam, eo quod oracula omnia graece scripta sint, Erythraeae Asiae urbis natam, Hierophilem nuncupatam, demum Cumis in Italia obiisse. Alii Varronem secuti sunt, qui decem eas numerat. Ceterum inter has decem Cumana est celebrior. Tres ex ea libros Tarquinius magno pretio emit, quos lapideae capsulae inclusos in Capitolio reposuit. Hi libri consulebantur a romanis, quoties graviora impendebant reipublicae discrimina. LXXVI vero annis ante Christum Capitolio sub Sylla conflagrato, Senatus romanus in Asiam et Graeciam misit ad colligenda quotquot sibyllina oracula reperire potuissent. Hi legati mille versus propheticos existimatos Romam attulerunt, qui denuo in Capitolio reaedificato collocati sunt; et sic ratio redditur de carminibus Sibyllae Cumanae a Virgilio recensitis, cum teste Tacito, *Hist.* lib. V, c. 13 et Suetonio, lib. II, c. 14. Oriente toto pervulgata opinio seu potius traditio fuerit de magno Rege ex Judaea profecturo, qui rerum potiretur, quae inter sibyllina carmina relata est, cujus meminit Virgilius. Guillelmus Beveregius carmina sibyllina in tres classes distribuit; prima complectitur genuina annis 76 ante Christum combusta; altera subinde a Romanis collecta, quorum fragmenta apud Plutarchum, Varronem, Tullium, Virgilium occurrunt, quaequae Stylicon v. saeculo, teste Rutilio Numatiano, *Itinerarii* lib. II, flam-

232. Ad 6. *D.* Si Deus id ipsis permisisset, *Tr.* secus *N.* Recolantur porro, quae diximus de miraculis, spectatis moralibus Dei attributis.

233. Ad 7. *N.* Ex hoc enim, quod nummi aliqui suppositi sunt ac spurii, non sequitur, omnes ut spurios amandandos; imo ex eo, quod aliqui supposititii sint, concludi potius debet genuinos existere.

234. I. Inst. 1. Constat ex indubiae fidei historicis quaedam auguria et vaticinia ethnicorum clara, ac de re longe post eventura edita, et adamussim adimpleta fuisse. 2. Tale fuit, teste Varrone (1), illud Vetii de duratione imperii romani per XII saecula ex XII vulturibus a Romulo visis. 3. Tale illud cujusdam Germani, qui, teste Flavio Josepho (2), nuntiaverat et regnum et diem obitus Agrippae ex bubone, quem suspexerat. 4. Tale illud Thami, qui ab ignota voce jussum acceperat praedicandi ad portum Palades mortem Pan, teste Plutarcho (3). 5. Nec mirum, cum non desint ex ipsis Ecclesiae patribus, qui prophetiam a causis naturalibus repetant. 6. Sic s. Gregorius M. (4): *Ipsa*, inquit, *aliquando animorum vis subtilitate sua aliquid praevidet*, quod exemplis confirmat; et 7. s. Augustinus (5): *Animae humanae*, scribit, *secundum quod a sensibus corporis abstrahitur, competit futura praevidere*. 8. Quod et in somnambulis passim fieri cernimus; ergo.

235. Resp. ad 1. *N.* Haec enim non est nisi gratuita assertio, ut ex responsione ad singula facta quae afferuntur statim patebit.

236. Ad 2. *D.* Ita ut falsitatem augurii ostenderit eventus, *C.* secus *Tr.* Imperium enim romanum occidentale ultra XII saecula perduravit ab urbe condita; orientale vero ad IX. circiter alia saecula. Si vero de Urbe tantum sermo sit, rursum patet falsitas augurii, nondum enim Roma excidit.

237. Ad 3. *N.* Hic enim Josephum ut in nonnullis aliis factis fabulam sive commentum obtrusisse patet tum ex natura ipsius narrationis, tum ex Act. apost. XII, 23; ubi Herodis Agrippae mors alia omnino ratione describitur saltem quoad causam; percussus enim ab angelo perhibetur. Consulatur non solum *Prolusio Joan. Harduini de nummis Herodiadum*, Parisiis 1693, sed ipse Ant. Van-Dale, qui eam Josephi narrationem omnino vellicat atque explodit (6).

238. Ad 4. *D.* Quatenus Deus ade-

mis tradidit; tertia demum classis, quae tom. I, *Bibl. Patrum* inserta sunt, quibus addi debent a Cl. Maio vulgata. Ex Patribus ea citarunt Justinus, Athenagoras, Theophilus antiochenus, Lactantius aliique. Celsus apud Origenem, lib. V, n. 61, et lib. VII, n. 56, christianos *Sibyllistas* vocat, quod istorum carminum auctoritate uterentur. Cons. Bevereg. *Codex can.* lib. I, c. 14, tom. II; in Georg. Bulli *Primit. et Apostol. trad. de J. C. divinitate asserta*, etc. c. 4., § 3 et seqq. *Collect. Patrum Apost.* J. B. Cotelerii, Antw. 1698; Fabric. *Bibl. Gr.* tom. I, c. 29, pag. 227 et seqq. edit. Hamb. 1790. Sed potissimum ex Catholicis Gallandi loc. cit. et D. Prudentius Maran Maurinus, *Praef. ad Justin.* passim, edit. Parisiis 1742; quibus levissimi recentiores biblici protestantes et rationalistae refelluntur in illa jejuna conjectura de Sibylla portendente aetatem auream absque ulla ad Christum relatione.

(1) *Antiq.* lib. XVIII.

(2) *Archaeol.* lib. XVIII, c. 6, n. 7, coll. lib. XIX, c. 8, n. 2.

(3) *De orac. defectu*.

(4) *Dial.* lib. IV, c. 26.

(5) *De Genesi ad litt.* lib. XII, c. 13.

(6) In lib. *De Orig. et progressu idol.* c. 7, p. 137.

gerit daemones ad idololatriae cladem ex Christi morte denunciandam, *C.* alias *Tr.* Transmisimus porro omnia facta ista ex parte historica, quia ex critices regulis valde nutant (1).

239. Ad 5. *D.* Prophetiam late sumptam, *C.* stricte sumptam *N.* De hac porro nos loquimur; et sic responsio patet ad ea quae 6, 7 et 8 objecta sunt, quare non opus est ut illa singulatim ad trutinam revocemus (2).

240. II. Inst. cum Rousseau. Ut ex prophetiis certum argumentum erui possit de divina revelatione, tria haec concurrant, necesse est; 1. ut nos testes simus prophetiae, cum editur, ne per vana figmenta decipiamur; 2. nec prophetiae tantum, sed et ejusdem adimplementi; 3. ut certi simus, quod eventus nec potuerit naturali via praevideri, nec fuerit fortuito casu cum prophetia conjunctus; atqui id vix ac ne vix quidem fieri potest; ergo.

241. Resp. *N. M. et m.* Prophetia enim est factum, et factum pariter est ejus adimplementum. Possumus igitur certi esse de ipsis non secus ac de ceteris factis jam praeteritis quibuscumque. Sed nec pauca aut minus illustria exempla suppetunt ex sacris litteris vaticiniorum, in quibus tres recensitae conditiones mirifice concurrunt, v. g. trina Petri negatio, resurrectio Christi, Jerosolymorum ac templi eversio, ut cetera omittam.

CAPUT IV.

DE EXISTENTIA DIVINAE AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS

242. Si possibilis est supernaturalis

(1) Cons. Huet, *Demonstr. evang.* prop. IX, c. 136; Serry, *Exercit.* 57, n. VIII; Vossius, *De theolog. gent. et physio-Christ.* lib. VIII, c. 3, ubi vindicat historiam hanc Plutarchi; sed exponit vel de daemonis clade illata per Christum, vel de morte ipsius Christi. Cons. opp. tom. V, Amstelod. 1700.

(2) Consul. S. Thom. 2. 2. q. 172. art. 1. ubi citata Patrum dicta explanat dicens: » Quod prophetica praecognitio potest esse de futuris dupliciter; uno modo secundum quod sunt in seipsis; alio modo, secundum quod sunt in suis causis. Praecognoscere autem futura, secundum quod sunt in seipsis, est proprium divini intellectus, cujus aeternitati sunt omnia praesentia, et ideo talis praecognitio futurorum non potest esse a natura, sed solum ex revelatione divina. Futura vero in suis causis possunt praecognosci naturali cognitione etiam ab homine. Sicut medicus praecognoscit sanitatem vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento praecognovit ». Quo posito fundamento, quod in corpore articuli evolvit, ad objectas sibi s. Augustini et s. Gregorii M. auctoritates ita respondet: » Dicendum quod anima, quando abstrahitur a corporalibus, aptior redditur ad percipiendum influxum spiritualium substantiarum, et etiam ad percipiendum subtiles motus, qui ex impressionibus naturalium causarum in imaginatione humana relinquuntur, a quibus percipiendis anima impeditur, cum fuerit circa sensibilia occupata. Et ideo Gregorius dicit quod anima quando appropinquat ad mortem, praecognoscit quaedam futura subtilitate suae naturae, prout scilicet percipit etiam modicas impressiones; aut etiam cognoscit futura revelatione angelica, non autem propria virtute; quia, ut s. Augustinus dicit lib. 12, c. 13. Super Gen. ad lit.: Si hoc esset, tunc haberet, quandocumque vellet, in sua potestate futura praecognoscere, quod patet esse falsum ». Haec quidem voluimus per extensum referre, ut pateat a s. Doctore praeoccupata jam fuisse, quae postea magnetismi animalis patroni commenti sunt loquendo de somnambulismo a magnetismo excitato, de quo ipsi mira referunt.

divina revelatio, si necessaria, si certis characteribus ac notis discerni potest, prout adversus deistas ac rationalistas in superioribus capitibus nos evicisse confidimus, expendendum superest, utrum Deus homini defuerit, an vero eidem pro sua benignitate reipsa per supernam aliquam revelationem consuluerit. Negant deistae ac rationalistae; nos affirmamus. Agitur de quaestione *facti*, quae proinde monumentis dirimenda est. Moyses, Prophetae, Christus se tamquam divinitus missos ad divinam hominibus patefaciendam voluntatem perhibuerunt; si itaque ex indubiis monumentis constabit, ipsos praeter doctrinae utilitatem et sanctitatem miraculis et vaticiniis missionem suam confirmasse, evidens erit, et ipsos fuisse divinitus missos, ac divinam esse revelationem seu doctrinam, quam ipsi hominibus proposuerunt, seu divinam supernaturalem revelationem existere et factam esse. Hoc porro est, quod ostendere aggredimur.

243. Priusquam vero manus operi admoveamus, praemittimus: 1. nobis firmum certumque esse, tum Moysen, Prophetas, Christum extitisse, tum genuinos ac veraces libros esse utriusque foederis. Sacrarum litterarum professorem adeat, qui vult cognoscere, cur ita credamus. 2. Christum esse finem legis mosaicae, *finis enim legis Christus* (1), et centrum unicae illius verae religionis, quae a mundi primordiis ad consummationem usque saeculorum sese extendit, quemque Moyses et prophetae venturum praedixerunt, ad cujus adventum et cessare omnis mosaicae legis apparatus atque oeconomia, et synagoga repudiari, et gentes ad unius Dei cognitionem ac ejus mediatoris fidem vocari debuerunt. De quibus ex professo agemus in *Tractatu de Incarnatione*. Quare si nos ostenderimus miraculis et prophetiis, veterumque vaticiniorum, quae in suae divinae missionis confirmationem Christus protulit, adimplemento, Christum fuisse divinitus missum, ac si insuper divinam hanc Christi legationem confirmaverimus tum sanctitate et utilitate ipsius doctrinae, religionis a se institutae mirabili propagatione, martyrum constantia atque Ecclesiae conservatione, tria simul conficiemus atque obtinebimus; nempe 1. adversus deistas et rationalistas directe existentiam divinae ac supernaturalis revelationis in novo foedere per Christum factae, et indirecte hanc ipsam fuisse factam per Moysen et prophetas in lege veteri; 2. perfidiae judaeos, 3. superstitionis mahumetanos arguemus atque paganos. Hanc igitur utpote breviorem ac faciliorem viam ad finem, quo contendimus, assequendum, sectari constituimus in propositionibus, quas subjicimus.

PROPOSITIO I.

Christus miraculis et vaticiniis, praesertim vero sua a mortuis resurrectione divinam sui missionem comprobavit, seu divina facta est ac supernaturalis in Novo Testamento per Christum revelatio

244. Divina ac supernaturalis illius missio dicenda est, quae veris miraculis ac vaticiniis certissimis comprobatur;

(1) Rom. x, 4. Τέλος γὰρ νόμου Χριστός; subdit autem Apostolus: εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι, *ad justitiam omni credenti*, ex quo patet, quam sit abjecta et ridicula Rosenmulleri versio seu potius paraphrasis; ipse enim verba τέλος γὰρ νόμου Χριστός vertit: *Nam Christus sustulit legem mosaicam*. Ejusmodi enim liberis versionibus facile est obtrudere quidquid lubet.

multo autem magis, si miracula et vaticinia ad propriae missionis ostendendam veritatem edita sint, cum illis omnibus adjunctis temporis, loci et personarum, ubi nulla fraus, nullus dolus, hallucinatio nulla esse aut fingi possit. Atqui ita Christus luculentissime suam a Patre missionem comprobavit. Major patet ex superius disputatis.

245. Minorem per partes evincimus. Ac I. quidem Christi miracula 1. nec pauca fuerunt, nec suspecta, vel in occulto patrata; etenim in vicis, in templo, in urbibus populi frequentia celeberrimis, coram ingenti multitudine pleraque acciderunt (Matth. IV, 23; XI, 5, etc. Marc. I, 32; II, 3; Luc. VII, 12 et alibi passim). Non modo genere sed etiam opibus ac dignitate inclytos viros quandoque ea respexerunt (Matth. VIII, 5; Marc. V, 22 et 25; Joan. IV, 46 et alibi). In tota regione sic apud omnes celebrata erant, ut vel de iis quandoque publica actione quaesitum sit (Joan. IX, 13 et XI, 47 et seqq.); vel principium virorum invidiam, regis curiositatem excitaverint (Matth. XXVII, 18; Luc. XXIII, 8); adeo ut, si quid fraudis latuisset, statim et a callidioribus detegi, et iis docentibus patefieri necesse fuisset (1).

246. 2. Prodigiorum multitudo commodam etiam occasionem veritatis explorandae suppeditabat, ac omne deceptionis periculum toties repetitis actibus eliminabat; unum enim, in quo praestigiatoris opera deprehensa fuisset, reliqua suspecta reddidisset, praesertim cum Christus ad suam comprobandam missionem illa ederet, et ad ea adversarios suos provocaret (Joan. V, 36; X, 37-38; Matth. XI, 4 et alibi).

247. 3. Tandem, ejus generis erant eventa, quae sensuum testimonio probarentur, ita ut rudissimus quisque e vulgo idoneus eorum testis esset; morborum genera quaeque uno verbo depulsa, membrorum perditus usus innumeris hominibus redditus, mortui ad vitam revocati, ac ejusmodi prodigia quandoque etiam in absentium beneficium patrata; ergo.

248. II. Quod vero attinet ad prophetias, eae pariter nec paucae sunt, neque obscurae, sed apertae ac definitae, quaeque vel completae sunt vel in dies complentur. Nonnullas speciminis gratia recensebimus. Christus evangelium per universum orbem promulgatum iri, ac futurum ut mulieris, quae caput ejus unguento delibuerat (Matth. XXVI), pietas ubique celebraretur; gentesque omnes legibus evangelicis se subjecturum promisit (Matth. XXIV, 14; Marc. XIII, 10; Luc. XXIV, 47; Joan. XII, 32). Haec cum Marcus et a fortiori Matthaeus scriberent, vix fieri coeperant, exitum cum mundi excidio sunt habitura. Apostolis se adfuturum, tum ut doctrinam inauditis prodigiis confirment (Marc. XVI, 17; Joan. XIV, 12), tum ut constantiam ac fortitudinem praeseferant, cum ab hebraeis atque ethnicis, coram regibus atque magistratibus velut impii atque sacrilegi, hostesque generis humani traducendi essent, disertis verbis spondet (Matth X, 16; XVII, 19; XXIV, 9; Luc. XXI, 12; Joan. XV, 20; XVI, 2). Apostolorum acta ex parte promissi liberationem continent, verum post exarata tria evangelia maxima ex parte haec evenerunt (2).

249. Adversitatum fluctibus perpetuo jactatam ecclesiam usque ad mundi exitum ac Petri successorum regimini ob-

(1) Cons. Spedalieri, op. cit. c. 3, art. 3, 4, 5, 6.

(2) Vid. I Cor. II, 4-5; I Thess. I, 5.

temperantem perseveraturam esse vaticinatur (Matth. XVI, 18; XXIV, 35; XXVIII, 20). Vaticinium quotidie comprobat eventus. Clarissimum insuper est Christi oraculum de Jerosolymorum excidio. Tres evangeliorum scriptores, qui stante adhuc secundo templo atque jerosolymitana urbe scripserunt, non uno in loco referunt (Matth. XXIII, 36; XXIV, 2; Marc. XIII, 2; Luc. XIII, 34; XXI, 6) cum omnibus suis adjunctis temporis (1), personarum (2), modi (3), signorum (4), eorumque omnium, quae praecedere urbis templique eversionem debebant, eamque subsequi (5) usque ad mundi exitum. Quae quidem omnia adamussim partim adimpleta esse ex historicis illorum temporum, Josepho Flavio, Tacito, Plinio et Svetonio novimus; partim adimpleri nos ipsi cernimus oculis nostris; adhuc enim urbis templique ruinae permanent,

(1) *Non praeteribit generatio haec*, etc. (Matth. XXIV, 34; Luc. XXI, 32), anno autem 37 a Christi morte urbs templumque eversa sunt. Conf. Jos. Flav. *De bello jud.* lib. VII.

(2) *Multi venient in nomine meo*, etc. Matth. XXIV, 5; Marc. XIII, 6). Jos. Flav. *De bello judaico*, lib. II, memorat Judam galilaeum et Theudam aegyptium quemdam aliosque veteratores, qui prodigiorum spe multitudinem in desertum pertractam in seditionem impulerunt. Post dirutam urbem novemdecim a Joan. Lensio in *Schediagmate de pseudo-messiis* numerantur.

(3) Bellis atque tumultibus infaustum totum illud tempus futurum erat (Matth. XXIV, Luc. XXI). Tacitus (*Hist.* lib. I, c. 2) illud vocat *opimum casibus, atrox praeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum*. Circa illud tempus in Judaea bellis civilibus ac seditionibus ultra ducenta hominum millia fuisse absumta, in agro alexandrino foediorem judaeorum stragem editam esse tradunt Josephus et Philo. Peste, fame atque terraemotibus vastatum iri orbem praesagivit Christus (Matth. XXIV, Marc. XIII, Luc. XXI): *Erit fames valida, terraemotus*; etc. Jam vero Tacitus, *Hist.* lib. I, c. 2; Plinius, *Hist. nat.* lib. II, c. 84, in edit. Hard. c. 86, terraemotu Siciliam, Campaniam, Calabriam, Pontum, Macedoniam, Achajam concussa subversaque fuisse tradunt. Fame vexata Judaea est Act. XI, de qua Jos. Flav. *Archaeol.* lib. XX, c. 12. Triplex in Italia fames commemoratur; prior sub Claudio universum orbem populata est, testibus Suetonio et Dione in *Claudio*, et Tacito, *Annal.* lib. XIII, c. 43; altera sub Nerone, qua Romae triginta hominum millia perierunt, teste Suetonio in *Nerone*; tertia memoratur a Tacito, *Annal.* lib. XVI, c. 13, atque anno 66 aerae vulgaris contigit.

(4) *Terrores de coelo et signa magna erunt* (Luc. XXI). En quid referat Tacitus, *Hist.* lib. V, c. 13; « Visae per noctem concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum, expansae repente delubri fores, et audita major humana vox excedere Deos; simul ingens motus excedentium ».

(5) 1. Multa mala (Matth. XXIV, Luc. XXI) a judaeorum odio perferenda nunciat apostolis: *Persequentur vos trahentes in Synagogas*, etc. Revera Stephanum et utrumque Jacobum interemerant; Petrum, Paulum, Joannem in vincula conjecerant; ubique gentium plebis ac principum animos in apostolos concitaverant. 2. Hostes moenibus castra admoturi urbem obsidione circumdaturi esse dicuntur (Luc. XXI, 43): *Circumdabunt te inimici tui vallo*, etc. Ante urbis excidium anno IV Cestius Gallus legiones in urbem adduxit. Bellum deinde numquam intermissum, donec Titus muros in orbem exstruxit contra ipsos urbis muros, quod plane inusitatum est in obsidionibus. 3. In montibus perfugium quaerere monentur (Matth. XXIV): *Tunc, qui in Judaea sunt, fugiant ad montes*. Tutum revera in montanis regionibus perfugium christianos in oppido Pellae reperisse,

non obstantibus Juliani imperatoris conatibus (1), ac miseranda adhuc perdurat judaeorum dispersio.

250. III. Utramque praeterea minoris propositi argumenti partem per resurrectionem Christi, quae simul et praeclarum vaticinium et miraculum stupendum fuit, imo et aliorum vaticiniorum et miraculorum veluti sigillum, mirabiliter confirmamus. Christus enim se tertia die resurrecturum ex tumulo spopondit (Matth. XII, 40; XX, 19; Marc. IX, 30; X, 34; XIV, 28; Luc. XVIII, 33; Joan. II, 19). Vulgatum erat apud hebraeos hoc Christi oraculum Matth. XXVI, 61; XXVII, 40. Idcirco ad tumulum positae excubiae (Matth. XXVII, 63). Hoc vero vaticinium, antequam evangelium conscriberetur, effectum suum sortitum est.

251. Hoc porro resurrectionis factum comprobatur 1. ex apostolorum testimonio, qui non dubitarunt vitam exhibere in ejus confirmationem; 2. a plusquam quingentis fratribus (I Cor. XV, 6), quorum aliqui adhuc in vivis erant sub Trajano Imperatore; 3. ex omnibus apostolorum prodigiis, quae patrata sunt in confirmationem resurrectionis Christi (Act. III, 15-16); 4. ex iis omnibus, qui ex judaeorum atque ethnicorum castris ad Christi disciplinam accesserunt, qui propterea praeconceptas opiniones exuere, avitam religionem ejurare tenebantur, et aerumnis periculisque plenam vitam agere cogebantur, vitamque ipsam plerumque profundere. 5. Saltem indirecte ex agendi ratione judaeorum cum apostolis testantibus veritatem resurrectionis Christi, et cum excubiis ad tumulum positis, in ipsas enim nec animadverterunt nec eas puniverunt, quod tamen facere debuissent, si ex ipsarum socordia Christi corpus ab apostolis raptum fuisset. 6. Ex eorum tacita confessione; etenim longe lateque famam Christi resurrectionis manasse, atque revera sepulchrum vacuum repertum

tradit Eusebius loc. cit. 4. Caedibus, fame, peste, populum intra obsessam urbem absumptum iri docet Luc. XXI; nutrientibus praesertim foedum aliquid et miserabile imminere, Matth. XXIV, *vae nutrientibus*, etc.; captivorum post excisam urbem ingentem multitudinem abductum iri, Luc. XXI. Atqui, Josepho teste, *De bello jud.* lib. VI et VII, intra paucos obsidionis dies, sexaginta funerum millia elata sunt; passim projecta mortuorum corpora in cibum viventibus cesserunt; a lactente puerulo nec manum nec dentem impia mater abstinuit; toto tempore obsidionis undecies centena hominum millia desiderata sunt, et nonaginta millia abducta. 5. Imminentis excidii signum, *Cum videritis abominationem*, etc. (Matth. XXIV). Primum Claudius idolum inferri jussit, postmodum jam obsessa urbe Zelotes in interiori templi adyto velut in arce constituti foeda omnia patrarunt. 6. Ne lapis quidem super lapidem post templi eversionem mansurus esse dicitur (Matth. XXIV), urbs a gentibus conculcanda, usque dum impleantur tempora nationum, captivi per orbem universum dispergendi judaei (Luc. XXI). Et invito imperatore miles templo flammas admovit, ut testatur Jos. *De bello jud.* lib. VII. Hadrianus Aeliam, quae pristinum Jerosolymorum nomen deinde recepit, ex altero montis latere aedificavit. Julianus templum excitare conatus voti compos fieri nequivit. Miserandae judaeorum dispersionis testes ipsi sumus. Ita sanguis interfecti Salvatoris in eorum, qui interfecerunt, caput recidit, prout ipsi sibi ominati fuerant. Haec fusius prosecuti sumus, ut prava rationalistarum fides in propatulo poneretur, qui, ut vidimus, non satis definitam hanc Christi praedictionem effutire ausi sunt.

(1) Cons. Warburton, *Dissertation sur les tremblemens de terre et les éruptions de feu*, etc. Paris 1764, trad. de l'anglais.

fuisse, assentiuntur judaei apud Origenem, lib. I. *Contra Celsum*, et Agobardum, *De judaicis superstitionibus*, tum in impurissimo libello תולדות ישו sive *Generationum Jesu* (1). Cum vacuum illud sepulchrum vesanas eorum mentes mire torqueat, hinc alii Christum noctu sublatum a discipulis, alii per urbem raptatum avibusque dilacerandum projectum, alii judaeis ipsis, ne magicam vim discipulis inderet, occultatum fuisse, demum absurdissima quaeque comminiscuntur. Verum Christum et e cruce depositum, et in horto quodam sepulchro illatum, et custodes tumulo appositos, et nihilominus sepulchrum vacuum repertum esse nobis concedunt.

252. His coronidis loco addimus: 1. judaeos Christi miracula fateri, tum in locis citatis, tum in tractatu *Sanhedrin*, licet ea vel magicae arti vel aliis causis adscribant, imo nec dissentire nec abnuere Jos. Flavium (2). 2. Nec ab ipsis ethnicis ea unquam in dubium revocata fuisse, adeo aut apologetae eorum veritatis vindicias numquam suscipere debuerint. 3. Acerbissimos christiani nominis hostes, Celsum, Porphyrium, Hieroclem atque Julianum illa ut certa supponere, licet magicae arti ea et ipsi adscribant, ut videre est apud Huetium in *Demonstratione evangelica* (3).

DIFFICULTATES

Adversus Christi miracula et vaticinia

253. I. Obj. adversus miracula. 1. Nullum potest argumentum ex Christi miraculis erui, si ea suspecto nitantur testimonio; tale autem esse testimonium apostolorum, plura demonstrant. 2. Etenim apostolis, qui ea referunt, utile fuit

(1) Qui reperitur ultimo loco in collectione edita a Christoph. Wagenseilio sub titulo, *Tela ignea Satanae*, Altdorfii Noric. 1681. Haec ipsa miracula Christi Jesu fatentur hebraei in tractatu *Avoda Zara in Gemara Hierosol.* fol. 40, atque in eodem tractatu in *Gemara Babyl.* fol. 27, 2, in tract. *Sabbath.* fol. 14, 4, *Medrasc Koheleth*, fol. 73, 1. Cons. De Rossi, *Della vana aspettazione degli Ebrei*, c. VIII, § 7.

(2) *Archaeologia*, lib. XVIII, c. 3, n. 3, edit. Havercamp. Valde agitatum esse ab eruditis hoc testimonium non ignoramus. Pluribus enim suspectum est; eorum argumenta retulit Andr. Bosius in *Exercitatione historico-critica in periocham Josephi de Jesu Christo*. E contra Natalis Alex. Huetius, Valesius, Pagius, Caveus aliique primi subsellii critici eam acerrime tuentur. Animadvertendum porro est, nec ante Eusebium a quopiam unquam prolatum hunc locum, nec post Eusebium usque ad Tanaquillum (seu potius Fabrum) saeculo XVI in dubium revocatum, sed et a Photio in recensione antiquitatum omitti; nimis videri disertum testimonium Josephi de Christo, luculenter nimis vetera prophetarum oracula Christo accomodare, alieno loco insertam hanc clausulam videri. Contra vero, hac sublata, Josephi fidem, historiaeque integritatem desiderari, cum nullibi Jesu mentio facta sit, praesertim cum loquens de Jacobo, eum *fratrem Christi* vocet. Quare Wagenseilius in *Pera librorum juvenilium*, pag. 189, Ittigius in *Proleg. ad Joseph*, Le Moyne in *Variis sacris*, pag. 931, Fabricius *Bibl. graec.*, lib. VI, eam non intrusam sed interpolatam fuisse rati sunt. Quidquid sit, aut testimonium Josephi recipitur, aut rejicitur. Si recipitur, ut omnia suadent, nobis favet. Si rejicitur rursum nobis favet, cum alia tam alti silentii ratio assignari non possit, quam ipsum noluisse christianis suppetias ferre, nec aliquid habuisse, quo praeclara Christi gesta potuisset obscurare. Cons. *Diss.* Havercamp. sub finem II vol. opp. Jos. Flav.

(3) *Prop.* IX.

mendacium; 3. praesertim cum possent exinde ingentem sibi gloriam comparare vel saltem sperare. 4. Falsum praeterea est, omnes apostolos morte violenta occubuisse, hinc frustra eorum constantia in medium profertur ad veritatem miraculorum confirmandam. 5. Dato etiam, quod omnes revera caesi fuerint, nulla tamen quaestio de Christi gestis habita est; superstitionis, impietatis, veneficii damnati sunt. 6. Denique *notum est*, inquit Freret, *ex Luca, quia ubique sectae huic contradicitur*; ergo.

254. Resp. ad 1. *C. M. N. m.* nempe suspectum esse testimonium apostolorum. Addo falso supponere adversarios soli apostolico testimonio inniti Christi miracula. Nos contrarium ostendimus (1).

255. Ad 2. *N.* Siquidem utile non fuisset in hac vita patriam, parentes, amicos, familiares deserere; nullo otio aut securitate, nec certa sede frui; non solum maledictis, verum etiam verberibus proscindi, saepius egere, ac famem, vincula, squalloremque carcerum pati, ac mortem crudelissimam obire. Haec prius in deliciis habenda et inter humanas jucunditates essent recensenda. Neque id utile ipsis post mortem esse poterat in altera vita, cum mendacium in re gravissima aeternis suppliciis mulctandum esse et scirent et profiterentur.

256. Ad 3. *D.* Si fucum facere sperare potuissent, et propria improbitate in doli suspicionem se numquam venturos, potuissent sibi blandiri, *Tr.* vel *C.* secus *N.* Jam vero agebatur de factis publicis quae statim examinari potuissent, quaeque propterea ipsi supponere nullo modo poterant, quin uti mendaces ab omnibus haberentur.

257. Ad 4. *D.* Non omnes reipsa mortem pertulerunt, *Tr.* vel *C.* si sermo sit de Joanne; non omnes ejus oppetendae discrimini sese objecerunt, *N.* Ceterum Clem. Alex. (2) testatur, *omnes pro ecclesiis, quas fundarunt, passos esse*. Id ipsum confirmat vetus auctor (3), et aeque constans christianorum sententia est.

258. Ad 5. *D.* Nulla quaestio de Christi gestis habita est, quia de publicis notissimis factis agebatur, de quibus numquam quaesitum tormentis est, *C.* quia de his non agebatur *N.* Ad illud, quod subditur, *superstitionis*, etc. *damnati sunt*; *D.* quae tamen religio superstitionis, impietatis, magiae, blasphemiae tum a judaeis tum ab ethnicis odiosis appellationibus insimulabatur, ea Christi prodigiis factisque innititur, *C.* secus *N.* In eo tota quaestio versabatur, in eo institerunt apostoli. Cur judaei atque ethnici ab hoc quaestionis statu elapsi sunt?

259. Ad 6. *D.* Quoad doctrinam, *C.* quoad facta *N.* Haec enim judaei agnoverunt, ut ostendimus. Ceterum plurimi ex judaeis fidem susceperunt.

260. I. Inst. 1. Si vera essent Chri-

(1) Cons. Eusebius, *Demonstr. evang.*; et ex recentioribus Dominique De Colonia S. J. *La Religion chrétienne autorisée par le témoignage des anciens auteurs payens*, Lyon 1718, Houtteville, *La Religion chrétienne prouvée par les faits*; Addisson, *De la Religion chrétienne, avec les notes du seigneur de Correvon*, Lausanne 1757; Bullet, *Histoire de l'établissement du Christianisme tirée des seuls auteurs juifs et payens*, Paris 1764; Duvoisin, *Démonstration évang.* Paris 1802, Mayer, *Specimen defensionis et expositionis historiae Jesu Christi et Apostolorum ex graecis et romanis scriptoribus profanis*, germanice, 1805.

(2) Stromat. lib. IV, c. 9. Ὃν μιμούμενοι οἱ Ἀπόστολοι . . . ὑπὲρ τῶν ἐκκλησιῶν, ἃς ἄπηξαν, ἔπαθον.

(3) *Epist. sub nom. S. Ignatii ad Philipp.* c. IX, Ωἶ (τῷ κυρίῳ) καὶ συνέπαθον.

sti miracula, quae in evangelica historia recensentur, judaeorum primores amplexi christianam religionem essent; atqui nonnisi plebeii, qui patulas fabellis aures gerunt, iis crediderunt; 2. qui propterea Christi fidem suscipientes nullum examen veritatis factorum instituerunt. 3. Ceterum veteres omnes historiae fabulis scatent, hinc et evangelica, quae et ipsa mythicam suam originem redolet; 4. satis enim id liquet ex eo, quod doctiores ethnici ipsam impugnaverint; 5. quod nec christiani quidem omnes evangelicae historiae assensi sint. 6. Quae quidem duobus praesidiis mirifice confirmantur; ut enim observat Freret, ethnicorum, qui calamum in christianos exercuerunt, opera deperdita sunt; fragmenta tantum ab apologetis servata, quae non magnam christianis molestiam exhiberent, ergo evangelicam historiam ad trutinam revocarunt, et utpote fabulis refertam refellerunt. Alterum est, quod haeretici apostolici *emendatores apostolorum* se gerebant; ergo docebant contraria.

261. Resp. I. Ad 1. *D. M.* Si ira, odio, invidia, cupiditatibus impulsi, et praeconceptis opinionibus excaecati, a veritate oculos minime avertissent, ut innumeri quotidie ex incredulis avertunt, *C.* quasi falsa essent, quae de Christo referuntur praeclara gesta *N.* Recolantur superius dicta (1). *Neg.* etiam *min.* Jaïrus enim, Nicodemus, Zachaeus, Lazarus, Joseph arimathaeensis, multi ex principibus viris et ex sacerdotali ordine (Joan. XII, 42; Act. VI, 7), Crispus archisynagogus, Sosthenes synagogae princeps, Apollo vir facundus (Act. XVIII, 8, 17, 24), Paulus ipse, non erant de plebe viri. Resp. II. *D. min.* Et viri plebeii non satis idonei testes esse poterant veritatis miraculorum, *N.* secus *Tr.* Dummodo bonis oculis et auribus essent instructi, aeque idonei testes esse poterant, ac divites et nobiles doctique homines.

262. Ad 2. *N.* Numquam enim absque accuratissimo examine quisquam voluptatum atque cupiditatum illecebris obdurescit ac certo fortunarum ac vitae discrimini se objicit, imo et istud subit, ut debuerunt facere ii omnes, qui Christi religionem amplexati sunt.

263. Ad 3. *Tr.* et *N. cons.* quoad historiam evangelicam, ob peculiares rationes a nobis allatas. Agitur enim in ea de factis publicis, quae sub omnium oculis evenerunt, et quae referuntur ab auctoribus fide dignis ac testibus de visu, ut Matthaeus et Joannes sunt, vel ex depositione eorum, qui iis interfuerunt, ut Marcus et Lucas. Addo nunc veterem factam esse historiam evangelicam; verum eo tempore, de quo disputamus, recentem fuisse, aetatemque, in qua conscripta fuit, litteris floruisse; mythicam proinde originem nullo modo redolet, ut dictitant increduli rationalistae; sed omnes praesefert veracitatis et ingenuitatis notas intrinsecas atque extrinsecas (2).

264. Ad 4. *D.* Doctiores ethnici li-

(1) Vid. Cl. Bern. de Rossi, *La vana aspettazione degli Ebrei*, etc. c. 8, § 38.

(2) Cons. Houtteville, *La Religion*, etc. tom. IV, liv. 3, Diss. 1; Cellerier, *Essai d' une introduction critique au Nouveau Testam.*, Genève, 1823, part. 1, sect. 1. *De l' époque ou les livres du Nouveau Testament ont été écrits et de leur authenticité*, pag. 2 et seqq. Wegscheider op. cit. p. 1, c. 9, § 42, n. a. de mythis post Seidenflücker, Meyer, Bauer, Kaiser, etc. haec habet: « Accedit quod primae religionis christianae origines in ea tempora incidunt, in quibus hominum animi δεισιδαιμονίᾳ et miraculorum opinione imbuti essent ita, ut eventus praesertim extraordinarii, sed cum naturae

bidine ac luxu corrupti, sapientiae fama tumidi, honorum divitiarumque cupidi, aures apostolis non praebuerunt, novam doctrinam contemnentes, *C.* impugnarunt, *subid.* doctrinam, *C.* facta *N.* Ceterum ex ethnicis plures docti christianam religionem secuti sunt, ut Sergius Paulus (Act. XIII, 12), Dionysius Areopagita (Act. XVIII, 34), Clemens romanus, Hermas, Ignatius, etc. Fasti ecclesiastici saeculi II nomina exhibent plurium, qui genere, opibus, doctrina claruerunt (1).

265. Ad 5. *D.* Id est haeretici evangelicae historiae assensi non sunt, in quaestione *juris*, *C. facti N.* Nempe ea ratione primi haeretici se gesserunt ac se gerunt haeretici protestantes aetatis nostrae, praesertim biblici ac rationalistae, qui propria sensa ecclesiae auctoritati praeferentes in absurda omnia lapsi sunt, ut suo loco expendemus (2).

266. Ad 6. *N.* Ad 1 prob. *Ethnicorum qui calamum*, etc. Resp. 1. Dato etiam, quod adversarii supponunt, negamus alterum ex altero sequi; ex ignotis enim ducunt argumentum. Resp. 2. Juliani imperatoris opera ferme integra supersunt (3); ex his porro liquet, quod semper doctrinae, non autem historiae evangelicae detraxerint ethnici. Ad 2. prob. *Haeretici apostolici*, etc. *D.* Quoad theoretica systemata, *C.* quoad res gestas, prout sensuum, hominumque testimonio comprobantur *N.*

267. II. Inst. rationalistae: 1. « Scriptores sacri ea enarrant, in quibus partim fides testium desideratur (4); vel 2. res vere factas et judicium suum de iis in narrando confundentes; vel 3. traditionem sequentes, mythos tradunt; 4. partim eventus narrant a veris naturae legibus pro se nihil abhorrentes; 5. aperte denique profitentur, discrimine haud facto inter miracula vera et falsa, 6. tum doctrinae veritatem non pendere ex miraculorum auctoritate (Matth. XII, 27; XXIV, 24; Marc. XIII, 22; Luc. IX, 49; XI, 19; Gal. I, 8; II Thess. II, 9; addatur Matth. XI, 11; Luc. XVI, 27 et seq. Joan. XIV, 10 et seqq. XX, 29), ac de illa prius constare debere, quam de miraculo judicari plene ac tuto possit, 7. tum Jesu Christi apostolorum-

legibus facile conciliandi (ut ipsi autumant), causas habere extra rerum naturam constitutas immediatas comminiscerentur, eorumque errorem in ipsa rerum narratione proderent (ut ipse affirmat et non probat)... varias autem de Jesu narrationes mythicas jam inde a medio saec. I circumlatas fuisse, evangeliorum apocryphorum (quae tamen ecclesia constanter rejecit) argumentum satis declarat ». Posset tamen et hoc negari; aliud enim est, nonnulla facta esse falsa et conficta, aliud esse mythica in sensu adversariorum. Cons. *Codex apocryphus N. T. Fabricii*.

(1) Cons. S. Hieron. *De viris illustribus*, seu *De scriptoribus ecclesiast.*, in praefat.

(2) Haec ad rem nostram praeclare scribit Tertull. lib. *De praescr.* c. 37: « Unde autem extranei et inimici apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit aut recipit » ?

(3) Edita a Petavio, anno 1613, ac rursum ab Ez. Spanhemio, Lips. 1696, praeter aliam collectionem, quae edita est Parisiis 1630.

(4) Ita Gurlitt., *Or. de usu libror. sacr. ad humanitatem et omnem doctrinam liberalem excolendam vario et multiplici*, Hamb. 1803, pag. 30; Krummacher, *Ueber den Geist und die Form der evang. Geschichte*, seu *De spiritu ac forma hist. evang.*, Lips. 1805, pag. 86 et seq. *Briefe über den Rationalismus*, seu *Epistolae de rationalismo*, pag. 338 et seq. 355 et seq.

que facta mirabilia, quae ad sanandos hominum morbos potissimum pertinuerunt, Jesu ipso teste, a popularibus similiter effecta (Luc. XI, 19; Joan. XIV, 12); 8. ne spectatorum quidem excitasse fidem, adeo ut potius incredulitatem eorum fovendo (Matth. XVI, 1; XXI, 28; Marc. VIII, 2; Joan. VI, 2 et seqq. VII, 5; XI, 46 et seqq.); 9. a qua ne apostoli quidem plane immunes fuere, quippe quibus ipsius Jesu miracula certam fiduciam facere haud valuerint (Luc. XXIV, 21 et seqq.), vel ad Jesum crucifigendum judaeos adducerent (Act. II, 22 et seqq.). 10. Neque ullo modo cogitari potest narrationes de istis miraculis post complura saecula ad certam persuasionem inducendam majorem vim habere posse quam illa miracula apud eos, qui ea oculis cernebant, habuisse historia testatur. 11. Jesum ipsum fidem miraculis suis, quibus majora a cultoribus suis expectanda promisit (Joan. XIV, 12) excitandam strenue repudiasse, (Matth. XII, 39, et seqq. XVI, 1-4; Marc. VIII, 12; Luc. XI, 29; Joan. II, 18, 19; IV, 48; VI, 39; XIV, 12; add. Marc. V, 48; Luc. VIII, 56) quod quidem aliis effatis haud bene convenit. 12. Accedit quod persuasio de veritate miraculorum tamquam eventorum *supernaturalium* gravissima verae virtuti detrimenta affert, ipsamque legis moralis sanctitatem infringit. 13. Sola igitur biblica miraculorum notio admittenda est, qua providentia divina ita eventa illa instituit, ut ad fines optimos consequendos conducerent. 14. Ipso Christo praeeunte (Matth. XII, 38 et seqq.; XVI, 1-4; Joan. IV, 48; VII, 17; VIII, 31; XIV, 11), non tam inter argumenta, quam inter incitamenta multitudinis incultioris ad veritatem cognoscendum recte referuntur (1). »

268. Resp. ad 1. *N.* Nam vel ipsi, quae referunt, factis interfuerunt, vel ab iis, qui immediate ea viderant, acceperunt; *assecuto omnia a principio diligenter*, ait s. Lucas, quare numquam in dubium revocata.

269. Ad 2. *N.* Sed facta, prout contigerunt, miro animi candore referunt, ut cuique ea legenti patebit.

270. Ad 3. *N.* Non enim juxta perversa rationalistarum placita, sed ex mente sacrorum scriptorum et totius antiquitatis sensu, scripturam exponere debemus. Nam novum et recens est hoc inventum, ex eo potissimum ortum, quod tumidi isti sapientes libros sacros ad profanos exegerint non sine impietatis gravissimae culpa (2).

271. Ad 4. *N.* Cum vero in nota

(1) Ita Wegscheider op. cit. part. I, c. 2, § 49.

(2) Hanc recte dixeris ideam fixam (insaniam) neotericorum protestantium biblicorum et rationalistarum, qui ubique vident mythos. En quomodo disserant: « Mythos sacros intelligimus narrationes in antiquissimis monumentis instituti alicujus religiosi traditas, in quibus, ut est captus rudiorum ingeniorum, naturae quaedam supra humanae naturae fastigium positae sic inducuntur agentes, ut modo legibus naturae contrario nonnulla moliantur et efficiant. Ejusmodi mythos in religionibus paganorum (aeque atque in monumentis judaicae et christianae religionis) antiquissimis reipsa reperiri, ab iis negari nequit, qui progressus disciplinarum historicarum, philologicarum et philosophicarum non ignorant, nec mentis quadam imbecillitate ducti easdem res iisdem nominibus appellare dubitant (id est, dummodo sint impii et increduli; ceterum Petavius, Huetius, Bossuet, Muratorius aliique innumeri doctissimi viri, licet illas omnes disciplinas probe calluerint, nil tale deprehenderunt; hoc reservatum erat solis rationalistis). Quum vero menti humanae necessario haec lex sit propo-

exemplum ducant ex Matt. IX, 24, ubi perhibetur excitatio a mortuis filiae Jaïri, et Joan. IX, 6, 7, ubi caecus natus sanatur, patet impudentia istorum veteratorum, dum affirmant, *quod nonnullis miraculorum narrationibus* CERTA *insunt documenta, quae naturalem effectum produnt* (1). Excitent ipsi defunctum qualemcumque, vel luto visum caeco nato restituant!

272. Ad 5. *N.* Haec enim est gratuita assertio.

273. Ad 6. *D.* A falsis miraculis veritas seu potius divinitas doctrinae non pendet, *C.* a veris *N.* Saepe enim, ut videmus, Christus ad ista adversarios provocat. Matth. XII, 27 argumento ad hominem utitur ad impactam sibi calumniam repellendam, quod in Beelzebub ejiceret daemonia; ibid. XXIV, 24. praedicit praestigias futuras pseudoprophetarum, ut ex Paulo vidimus, qui utitur phrasi (II Thess. II, 9) τέρασι ψεύδους. Hinc responsio patet ad locum parallelum Marc. XIII, 22. Luc. autem IX, 49, sermo est de aliquo ejiciente daemonia in nomine Christi, in quo nulla est repugnantia, nihil inconveniens. Textus Luc. XI, 19 est parallelus Matth. XII, 27, de quo supra. Cetera loca citata vel non sunt ad rem, cum sermo non sit de miraculis, ut Gal. I, 8, vel sunt contra ipsos, ut II. Thess. II, 9; atque hinc patet rursum recta rationalistarum fides.

274. Ad 7. *N.* Nec illud evincunt loca citata ab adversariis, Luc. enim XI, 19, sermo est de argumento ad hominem, de quo supra ad 6. Joan. XIV, 12, nil tale habetur, quod ipsi fingunt; en verba: *Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Addo alteram ideam fixam esse neotericorum biblicorum protestantium, perinde esse daemonia ejicere ac morbos depellere. Coronidis gratia, atque ad detegenda plenius mendacia adversariorum, addo, Joan. III, 2, Nicodemum de Christo dixisse: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magi-*

sita, ut omnia, quae in orbe terrarum sensibus subjiciuntur, referat ad nexum causarum, et temporis successu et in spatio agentium, omnes ejusmodi mythi ad normam artis criticae atque historicae exigantur necesse est. Quo facto homines pii religionisque sensu imbuti, quominus in ipsis rebus mythice traditis divinam providentiam, naturalibus tamen praesidiis ac causis utentem, venerentur et tacito quodam sensu agnoscant, minime prohibetur (praeclaram veniam!). Absque illo autem examine fieri non posset, ut in antiquissimis libris superstitiosae narrationes a veris rerum eventibus dignoscerentur (nego suppositum in libris sacris). Ac nisi ejusmodi mythos in scriptura sacra reperiri statuimus, et veritatem ipsam divinam in iis latentem ab externa narrantium forma et involucro probe discernimus (nego iterum suppositum), librorum scripturae sacrae auctoritas contra adversariorum calumnias et opprobria haud satis defendi potest (non est quod hoc vereantur delicati rationalistae, semper enim defensa est absque ejusmodi deliramentis). In explicandis mythis biblicis hoc potissimum considerandum est, librorum sacrorum auctoribus obversatam esse opinionem theocraticae cujusdam immediatae, vel potestatis divinae, sive a Deo ipso sive per angelos administratae, et si qua inciderant mala majora sive physica sive moralia, ea, in libris N. T. praesertim, ex opinione illius aetatis vulgari ad Satanam ejusque socios tamquam horum malorum primos architectos et antistites referri ». Ita auctores loc. superius cit. In postremis his verbis tot fere sunt mendacia, quot verba.

(1) *Briefe über den Rationalismus*, seu *Epistolae de Rationalismo*, p. 215.

ster ; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, et Joan. XV, 24, Christum ipsum dixisse: *Si opera non fecissem, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*, ergo rursum falsitatis arguuntur et malae fidei.

275. Ad 8. *D.* in pluribus, *N.* Omnes enim qui crediderunt in eum, miraculis ad credendum sunt adducti; recolantur nuper dicta ex Nicodemo; in omnibus *Subd.* Quia aliud est convinci aliud converti, *C.* quasi unum sit *N.* Causas jam adsignavimus, quare veritati plures obstiterint ac propriae convictioni.

276. Ad 9. *D.* Circa peculiare factum resurrectionis, de quo postea, *Tr. vel C.* circa alia *N.* Addo s. Lucam XXIV, 21, loqui de solis duobus discipulis Emmaus castellum petentibus.

277. Ad 10. Responsio patet ex dictis in solut. ad 8; eadem enim ratio suffragatur praesentibus ac prioribus illis, qui increduli fuerunt tempore Christi, perversa nempe cordis dispositio.

278. Ad 11. *N.* Hoc enim est novum mendacium. Nam Christus, ut supra vidimus, provocat semper ad miracula sua, ut suam ostendat missionem; quomodo igitur *strenue repudiavit miracula ad fidem excitandam?* Ex locis adductis adversarii aliud non evincunt, nisi Jesum pro lubito incredulorum signa facere noluisse, cum tot fecisset, et eos remisisse ad maximum ex miraculis a se faciendum in sua resurrectione; alia ad rem non faciunt, ut cuique loca illa percurrenti constabit.

279. Ad 12. *N.* Cum autem contenti sint adversarii gratuita assertione, vel ad summum alterius rationalistae sive increduli, Kantii nempe auctoritate, hinc satis nobis est, eam negare. Poteritne Deus contrarius esse verae virtuti ac sanctitati, dum tot per servos suos prodigia patravit?

280. Ad 13. *D.* Prout intelligitur ab ecclesia et a tota antiquitate, *C.* prout intelligitur a neotericis biblicis protestantibus et rationalistis, qui totam revelationem subvertunt *N.*

281. Ad 14. *N.* Hoc pariter putidum mendacium est. Christus enim non solum ad incitamentum sua proposuit miracula, sed ad *validissimum argumentum. Si opera non fecissem*, inquit (Joan. XV, 24), *quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*, et ibid. X, 38: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, et alibi passim; ac proinde saepe adeo ea vocavit *signa* vel *opera* antonomastice, nec soli multitudini imperitorum, sed doctoribus ipsis inter judaeos proposuit, ut patet ex verbis Nicodemi, quae adduximus, ex sanatione manus aridae coram pharisaeis et scribis, Matth. XII, 10; Marc. III, 1; Luc. VI, 6 (1).

282. II. Obj. Vaticinia, quae Christo tribuuntur, potuerunt naturali lumine cognosci, vel saltem e naturali rerum sibi succedentium serie erui, vel fortuito casu compleri; ergo.

283. Resp. *Neg. antec.* cum agatur de rebus, quae a libera hominum voluntate pendebant, et quidem de eventibus enunciatis ac definitis in suis adjunctis etiam minutissimis, ut ostendimus, imo et hominibus maxime obsistentibus, ut ex irritis Juliani conatibus patet.

284. Inst. Saltem non omnem sunt effectum sortita Christi vaticinia, plures

(1) En, quomodo impudentibus mendaciis et gratuitis assertionibus magni isti nominis viri contortis ac violentis interpretationibus magnifico autem levissimae eruditionis apparatu, juventuti illudant. Fastidium revera creat istorum commenta persequi; sed interea religionis fundamenta subruunt. Liceat repetere: En protestantismi fructus!

enim in paganismo adhuc versantur nationes.

285. Resp. *D.* Quia lex evangelica per gradus quosdam debebat patefieri et admitti, *C.* secus, *subdist.* quae tamen in dies effectum sortiuntur, et in mundi exitu perfecte complebuntur, *C.* alias *N.*

DIFFICULTATES

Contra Christi resurrectionem

286. I. Obj. 1. Apostolorum testimonium ad adstruendam Christi resurrectionem insufficiens per se est; 2. addicti enim erant Christi scholae ac magisterio; 3. nec haberi possunt nisi ut testes singulares, cum nonnisi singuli ad provincias singulas se contulerint. 4. Ceteri qui de Christi resurrectione scripserunt vel testati sunt, ut Marcus, Lucas, Paulus, eam nonnisi per traditionem cognoverunt; ergo.

287. Resp. ad 1. *N.* Ipsorum enim probitas numquam in suspicionem venit; adeo constantes in hoc ferendo testimonio fuerunt, ut non solum incommoda et ludibria et probra quaeque pertulerint, sed et sanguinem ac vitam ipsam profundere non dubitaverint. *Neg.* praeterea suppositum, solos nempe apostolos testes fuisse resurrectionis; plusquam quingentos numeravit Paulus; recolantur probationes.

288. Ad 2. *D.* Qui proinde mentiri non poterant ex suis principiis, *C.* secus *N.* Notandum praeterea est, mendacium ipsis emolumenti nihil afferre potuisse, et ipsos detrimenta maxima fuisse ex eo laturos; neque, non supposita rei veritate, unquam vel spem potuisse animo concipere se fucum facturos.

289. Ad 3. *D.* Cum per orbem diffusi sunt, *Tr.* ante dispersionem et quidem in oculis totius synagogae et eorum omnium, qui Christum morti addixerant *N.* Nec illud praetereundum est, quod miraculorum virtute praediti ingentibus prodigiis fidem sibi apud populos, quibus praedicabant, conciliarunt.

290. Ad 4. Resp. 1. *N.* Paulus enim testatur (I Cor. XV, 8) Christum ita sibi post resurrectionem apparuisse (1), ut ipsum viderit. Marcus ex omnium veterum scriptorum consensu interpres ac discipulus fuit s. Petri (2); Lucas comes individuus s. Pauli; ab iis propterea, ceterisque apostolis et discipulis, quibuscum conversati sunt, certiores facti fuerunt de Christi resurrectione, quam scripto tradiderunt. Resp. 2. *D.* Per traditionem, id est, per testimonium immediatum apostolorum, ceterorumque Christi discipulorum, *C.* per traditionem proprie dictam et in sensu adversariorum *N.* (3).

(1) *Ἔσχατον δὲ πάντων, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη κἀμοί.*

(2) Atque hinc patet impudentia Wegscheideri (op. cit. p. III, c. 2, § 131, n. c.) dum scribere non erubuit: *Marcus* c. XVI, *Luc.* c. XXIV, *Auctor capitis* XXI *Evang. Joan.* (nempe cum suis una cum novis templariis, de quibus suo loco, rejicit ut spurium cap. XXI Evangelii s. Joan.) *et Paulus apost.* I *Cor.* XV, 5 *et seqq. Jesum tamquam genium coelestem suis apparuisse narrantes, traditionem secuti videntur mythicam, quippe qui ipsi numquam cum Jesu post ejus in vitam reditum convenissent.* Perinde ac si aliquot saecula fluxissent a Christi resurrectione, ut debuerint traditionem mythicam amplecti. Stulti! vere *φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν.*

(3) Quid si admitteretur sententia nunc post Basnagium (*In Annal. Polit. Eccl.* ad an. 66. § XV. seq.) inter protestantes biblicos passim recepta, Marcum evangelii scri-

291. II. Obj. Non desunt indicia interna, quae dubiam saltem Christi resurrectionem evincant; 1. discipuli nesciebant, Christum resurrecturum esse (Joan. XX, 9); 2. dubitarunt de vera Christi resurrectione (Matth. XXVIII; 17; Marc. XVI, 11); 3. mulieribus affirmantibus se Christum vidisse nullam fidem adhibuerunt, imo nec decem Apostolis Thomas; 4. plures occurrunt in historia Christi redivivi contradictiones; ergo (1).

292. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. autem prob. *D.* Juxta intelligentiam scripturarum V. T. *Tr. vel C.* absolute *N.* Loco enim citato Joan. ait: *Nondum enim sciebant scripturam.* Conf. Matth. XXVII, 63.

293. Ad 2. *D.* Quidam et ad tempus, *C.* omnes et semper *N.*

294. Ad 3. *Neg. cons.* Haec enim agendi ratio Apostolorum evincit, ipsos neque stupidos neque nimium credulos fuisse. *Plus enim nobis Thomae infidelitas ad fidem*, inquit S. Greg. M., *quam fides credentium discipulorum profuit* (2).

295. Ad 4. *D.* Apparentes, *C.* verae et reales *N.* Si enim accurate tempora, diversitas apparitionum et personarum distinguantur, omnes evanescunt (3). Consulantur interpretes.

296. III. Obj. Multa sunt, quae suadent vel nonnisi apparentem fuisse Christi resurrectionem vel phantasiae jocum in apostolorum Christo addictorum mentibus. 1. Nam ipsi apostoli existimabant *se spiritum videre* (Luc. XXIV, 37). 2. Discipuli euntes in Emmaus eum non cognoverunt nisi in fractione panis (ib. 31). 3. Januis clausis in coenaculum introivit (Joan. XX, 19). 4. Maria Magdalene non potuit ipsum tangere (ib. 17.). 5. Id confirmant subitae illae ac subsecivae apparitiones, quae in evangelio referuntur, et quidem sub diversa

ptorem eumdem esse cum Joanne Marco, de quo sermo est in Act. Apost. XII, 12, XIII, 13, XV, 37, cum Célérier (*Introduct. au N. T.* Sect. III), Rosenmüller, Kuinoel, Schmidt, Eichhorn, Bertholdt, etc.? Tunc potuisset sane in hac hypothesi (quam tamen nos parum probabilem habemus, imo ut falsam rejicimus) esse testis oculatus plurium Christi gestorum ac ipsius resurrectionis, eo magis quod juxta s. Epiphanium (haeresi 51, quae est *Alogorum* in edit. Petavii), pseudo-Dorotheum et pseudo-Hippolytum aliosque Marcus fuisset unus ex septuaginta discipulis et unus ex illis qui a Christo discesserunt (Joan. VI, 67).

(1) Non possumus admittere, quod Rosenmüller, in *Schol. ad Matth.* XXVIII, invexit ad conciliandas diversas narrationes evangelistarum, dum inquit: « Quisque evangelista eodem prorsus modo rem narravit, quo ipse primum de ea certior factus fuerat. Quum autem nullus apostolorum mulieres, primas resurrectionis nuncias, omnes vidisset, aliae potius mulieres alios apostolos per dissitas urbis Jerosolymae regiones adiissent, et quae ipsae viderant, his exposuissent, hinc factum est, ut unus has, alter alias περιστάσεις resciret, et in litteras referret ». Haec enim olent principia Plessing, Eichhorn, Herder, Griesbach, aliorumque recentiorum biblicorum circa fontes ab ipsis excogitatos, unde evangelistae suas narrationes hauserunt, quos suo loco refellemus.

(2) *Homil.* 20. *in Evang.*

(3) Has apparentes contradictiones jamdiu veteres ecclesiae patres conciliaverant. Consulatur inter ceteros Hesychius jerosolymit. qui, ut invictissime ostendit Combefisius Ord. Praed. tom. II *Auctarii*, p. 775, est verus auctor orationis *De resurrectione Christi*, hactenus Gregorio Nysseno tributae, quare mirum est adhuc passim protestantes, qui critici sagacissimi haberi volunt, eam citare sub nomine Gregorii Nysseni; ita quidem Kuinoel in *Comment. hist. in cap.* XVI *Marci*, nec non Beltenius, Griesbachius aliique non pauci cum ipso.

forma, modo hortulani, modo peregrini, etc. ergo.

297. Resp. ad 1. *Neg. antec.* ad 1. prob. *D.* Ob timorem conceptum ex subita apparitione intra januas clausas, *C.* postquam confirmati sunt *N.* Ceterum Christus ibidem se et videndum et palpandum eis praebuit, unde factum est, ut omne dubium deposuerint.

298. Ad 2. *D.* Non cognoverunt ob immutatam formam vel corporis glorificati vel personae peregrini, quam gerebat, *C.* postea non cognoverunt *N.* Conf. Matth. XVII, 2.

299. Ad 3. *D.* Ad ostendendas dotes glorificati corporis, *C.* quasi verum non habuerit corpus *N.* Nam Thomae (ib. 27) et cicatrices ostendit et se palpandum praebuit.

300. Ad 4. *D.* Quia Christus tangi noluit, *C.* quia non potuit, *N.* Conf. Matth. XXVIII, 9.

301. Ad 5. *D.* Et id genus apparitionum arguit peculiarem aliquam oeconomiam ex parte Christi redivivi, *C.* arguit falsitatem vel dubium saltem verae resurrectionis *N.* Conf. Act. X, 41.

302. IV. Obj. 1. Apostoli potuerunt decipi circa veram Christi resurrectionem; fortasse enim necdum mortuus fuerat, cum e cruce depositus fuit a *duobus discipulis* (Joan. XIX, 38, 39). Et sane 2. Pilatus mirabatur, si jam obiisset (Marc. XV, 44). 3. Hinc, diligenter compositus a Josepho Arimathaeensi et Nicodemo, convaluit ac veluti redivivus apostolis apparuit. 4. Nec obstat custodia sepulchro apposita, quod vacuum fortasse signarunt sacerdotes et pharisaei, putantes ibi reipsa depositum Christi cadaver, quod factum non fuerat, nisi per simulationem; ergo.

303. Resp. ad 1. *N.* Ad prob. *Neg.* suppositum; res enim in publico acta est coram acerbissimis Christi hostibus. Eum centurio confodit (Joan. XIX, 34) (1).

304. Ad 2. *D.* Ita tamen ut non donaverit corpus Jesu, nisi certior factus a centurione de ipsius morte, *C.* secus *N.*

305. Ad 3. *D.* Id est, *sicut mos est judaeis sepelire*, ut dicitur Joan. XIX, 40, *C.* ad eum componendum, quasi mortuus non esset *N.* Addo omnia adjuncta omnem possibilitatem excludere suppositi adversariorum.

306. Ad 4. *N.* Sacerdotes enim ac pharisaei, qui tanta anxietate et sollicitudine excubias a Pilato petierunt, ut omnem fraudi aditum praecluderent, tales omnino non erant, qui antequam diligenter introspicerent, sigillum apponere vellent (2).

307. Inst. 1. Cur igitur apostoli non

(1) Ἀλλ' εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε, καὶ εὐθὺς ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ. Atque ex his patet, non solum impium, sed et ridiculum se praebere G. Paulusium dum (ad hunc locum) Jesum a milite illo non lethaliter vulneratum autumat, sed vitae residuae explorandae causa *leviter* tantummodo punctum esse, πλευρὰν omnino latius significare, nec accuratius partem lateris a Joan. loc. cit. indicari. Hoc enim est vim inferre textui. Pleura apud anatomicos dicitur membrana pectus intus et utrinque circumcingens (hinc *dolor lateris acutus pleuritis et morbus lateralis*); communi loquendi usu, quem Joannes sequitur, intelliguntur *partes sub pectore sitae*, id est pulmones, cor cum pericardio, vasa magna reliqua; ita Grumerus uterque, pater et filius, medici jenenses, de quibus postea. Accedit per ictum et inflictum lateri vulnus illico profluxisse sanguinem et aquam, quae emanare non potuerunt, nisi ex pericardio aqua pleno in iis, qui post anxietatem summam mortui sunt, et ex corde cum arcu aortae copuleto. Addatur verbum νύττειν, quo usus est Joannes, vere significare *pungere*, *perfodere*, *aperire*, etc.

(2) G. Paulusius ex recentioribus biblicis protestantibus rationalistis, *Comm.* III, ad

petierunt a Pilato acta juridica resurrectionis Christi, ut illa universo orbi exhibentes fidem facerent veritatis ejusmodi resurrectionis? 2. Cur synedrio id persuasum non fuit, quamquam et militum accederet testimonium? 3. Cur demum Christus non se denuo redivivum genti universae exhibuit ad confirmandam propriam missionem, praesertim quum saepius miraculum resurrectionis veluti tesseram divinae suae missionis proposuerit?

308. Resp. Ad 1. Quia apostoli omnia a Deo, nihil ab hominibus sperabant. Miracula quae patrabant ad testificandam Christi resurrectionem, longe melius hanc veritatem confirmabant, quam quaevis acta juridica, quorum authenticitatem in dubium homines revocare potuissent.

309. Ad 2. Dico, synedrium adeo certum persuasumque fuisse, ut 1. pecunia milites corruperit, 2. ut milites ob socordiam minime puniverit, 3. ut apostolos (Act. IV), testantes Christi resurrectionem, veluti sepulchrorum violatores neque accusaverit neque mulctaverit, sed ipsis tantum vetuerit, ne Christi religionem praedicarent, et inducerent super se sanguinem Christi occisi, 4. ut multa turba sacerdotum (Act. VI, 7) Christi fidem amplexa sit.

310. Ad 3. Resp. quia noluit; quare noluerit, penes ipsum est; ceterum ad judaeos certos reddendos de Christi resurrectione sufficiens erat testimonium apostolorum et publica miracula, quae coram multitudine ipsi in ejus confirmationem patrarunt. Conf. Act. II, 2 et seqq. III, 6 et seqq. V, 12-15, et alibi passim.

311. V. Obj. 1. Nil constat ex libris sacris, inquiunt rationalistae, de corpore Christi in vitam restituti glorificato (Luc. XXIV, 15, 30, 39 et seqq. Joan. XX, 25). 2. Quamvis omnes fere consentiant in confirmanda narratione de Jesu reditu ad vitam, 3. qui a Deo, naturae cursum rerumque, ex quibus victrix Jesu causa penderet, seriem sapientissime moderante, recte deducitur (1). Plurimum quidem supernaturalistae dant vaticiniis de Jesu reditu in vitam ab ipso editis (Matth. XVI, 21; XVII, 9; XX, 17-19; XXVI, 32); 4. verum enim vero, quum Jesus in ultimis colloquiis, quae ab Joanne referuntur (XIII-XVII), ne minimum quidem sperandae resurrectionis suae indicium prodat; 5. imo potius contrariam sententiam diserte pronunciet (XVII, 4, 11; add. Matth. XXVI, 29; Luc. XXIII, 43, 46; Joan. XIX, 27); 6. quumque ejus discipulis post Jesu mortem summa desperatione afflictis nuncius de ejus in vitam reditu adeo inopinatus acciderit

Matth. XXVII, 50, pag. 310 et seqq., plura congessit, quibus efficeret Jesum Christum non vere mortuum, sed animi deliquium passum esse. Sic A. Henneberg, *Philos. hist. und krit. commentar über die Geschichte des Begräbnisses, der Auferstehung und Himmelfahrt Jesu*, seu *Philos. hist. et critic. comm. super hist. sepulturae, resurrectionis et ascensionis Jesu*, Lips. 1826, pag. 187 et seqq. et plures alii ex ipsis in hanc sententiam venerunt apud Kuinoel in *Comm. sup. Matth.* in hunc locum. Ast quaenam tam absurda sunt, quae impii ejusmodi homines non admiserint?

(1) Ita Wegsch. l. cit. § 131. Historiam praeterea resurrectionis Christi apud eumdem in dubium vocarunt Reimarus in Lessing *Beyträge aus den Schätzen der Wolfenb. Biblioth.* 5 *fragm.*, seu *Collat. ex thesauris Biblioth. Wolf. fragm.* 5, Wolfenb. 1777; Wünsch, in 1 *Horus*, 1788, p. 241 et seqq.; Bahrdt, *Ausführung des Plans und Zwecks Jesu*, B. IX et X, seu *Executio intentionis et finis Jesu*, vol. IX et X.

(Marc. XVI, 8, 11; Luc. XXIV, 11, 22, 37 et seqq. Joan. XX, 9), ut Thomas nisi cicatricibus vulnerum contactis se crediturum esse negaverit (Joan. XX, 25); 7. quum in proximis post resurrectionem colloquiis Jesus ipse, discipulis istam desperationem et animi demissionem exprobans, nusquam se iis, quid sibi eventurum esset perhibeat, sed potius veterum prophetarum oracula nunc eventum habere dicat (Luc. XXIV, 27, 44); hinc 8. credibile est, ea quae Jesus universe et infinite de inimicorum suorum propulsatione et institutorum suorum felici progressu (Joan. XII, 23), vel etiam de amicis ipsum olim revisuris (Joan. XIV, 19-21; XVI, 16-22) dixerat, postea ex eventu ab ejus discipulis pressius accepta et explicata fuisse, ita ut narratores harum rerum ea, quae serius intellexissent, cum iis, quae antea accidissent, miscerent atque confunderent. 9. Fieri etiam potuit, ut Jesus ipse *tertio die* se in vitam rediturum hoc sensu dixerit, quo apud prophetam (Oseae VI, 2 et 3), salus proxime exoritura *tridui* vocabulo designatur, praesertim quum similes dicendi formulae ei haud inusitatae fuerint (Conf. Luc. XIII, 32; Joan. II, 19; Marc. XIV, 58). Quod Christi effatum Joannes aperte ex eventu interpretatus est (Ev. II, 22). Addatur Cic. (Epist. ad Q. Fr. I, 4): *Saepe triduo summa cum gloria dicebar esse rediturus* (1). 10. Qua sententia probata non impedimur, quominus vel in allegoricis istis Jesu dictis eventu comprobatis, quemadmodum in singulis V. T. institutis atque oraculis veluti σκία τῶν μελλόντων, id est, *umbra futurorum* (Col. II, 17) divinam providentiam pia mente cognoscamus (2); 11. ideoque narrationem Jesu ad vitam revocati habeamus ut mythum poëticum vel ad summum historico-poëticum (3); ergo.

312. Resp. ad 1. *N.* Hi enim ipsi evangelistae in locis propositis commemorant Christum vel subito evanuisse (Luc. cap. cit. 31), vel intrasse ad discipulos januis clausis (Joan. XX., 19-26), vel elevatum et sublatum in coelum (Luc. cap. cit. 51); quae, nisi praeseferant dotes corporis gloriosi ab apostolo recensitas (I Cor. XV, 43 et seqq.), quid praeseferant non video. Vere isti circulatores, qui soli docti apud suos audiunt, posuerunt in mendacio spem suam, juxta illud (Is. XXVIII, 15): *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.*

313. Ad 2. *D.* Id est omnes absolute *C.* non omnes *N.* Proferant ipsi aliquam exceptionem si possunt. En novum mendacium!

314. Ad 3. *D.* Supposita veritate re-

(1) Sic G. Paulusius, *Comment.* II, 564 et seqq. apud Wegsch. p. I, c. II, § 50, N. *n*; De Wette, *Bibl. Dogm.* 2. A. 199; Bretschneider, *Handbuch d. dogm.*, seu *Manuale dogm. Theol.* I, 174 et seqq. apud eumdem. Quid intactum reliquit principium dissolvens protestantismi?

(2) Küster, *Immanuel oder charakteristik des Neu-testaments, Wunder-Erzählungen*, sive *Emmanuel seu character narrationum miraculor. N. T.*, Lips. 1821, pag. 304; Schuderoff, *Neueste Jahrb. für Religions-Kirchenund Schulwesen*, B. II, H. 5. seu *Novissimi annales circa res relig. eccles. et schol.* Vol. II, fol. 5, pag. 349 et seqq. 1827.

(3) Semler, *Beantwortung der Fragmente eines Ungenannten*, II A. seu *Respons. ad Fragm. anonymi cujusdam*. Edit. 2 1780; Eberhard, *Geist des Urchristenthums*, seu *Spiritus primitivi christianismi*, III. H. 1808, pag. 122. Mythum historico-poëticum e rebus in facto positis, quae pro visionibus et revelationibus habitae fuerint, effectum, praefert Kaiser, *Bibl. Theol.* I, 258 et seqq.

surrectionis, *C.* hac sublata *N.* Deus enim nos apertissime decepisset.

315. Ad 4. *D.* Expresse, *Tr.* aequivalenter *N.* Quid enim sibi volunt, et ad quid nisi ad ejus resurrectionem spectant illa Christi verba. *Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me* (Joan. XVI, 16)? Rursum: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum* (ib. 22). Accedit, quod etsi in hoc peculiari sermone verba non fecerit de resurrectione (quod tamen ex dictis falsum est), non propterea falsas esse toties repetitas et apertas praedictiones de sua post triduum resurrectione inferri posset.

316. Ad 5. *N.* Neque enim secum pugnare potest divina sapientia, ut blasphemi ipsi circulatores obtendunt. Joannes vero (cap. XVII, 4, 11) nec verbum habet quod hoc innuat; siquidem voces illae: *Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio,* juxta omnes interpretes, non exclusis Rosenmüller et Kuinoel, respiciunt tempus, quod subsequi debebat ejus in coelum ascensum, et patet ex ipso contextu. Quod et de reliquis citatis textibus dicendum est, quemadmodum eos consulentibus patebit; si tamen ad rem faciunt.

317. Ad 6. *D.* Et hoc argueret quamdam infidelitatem ex parte apostolorum ac Thomae praesertim, *C.* falsitatem praedictionum Christi resurrectionis *N.* Alterum enim ex altero non sequitur.

318. Ad 7. *N.* Hoc enim est putidum mendacium; Angelus enim (Matth. XXVIII, 6) mulieres sic affatus est: *Non est hic, surrexit enim,* SICUT DIXIT, et (Marc. XVI, 7) *Ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia praecedit vos in Galilaeam; ibi eum videbitis,* SICUT DIXIT VOBIS; item (Luc. XXIV, 6) *Non est hic, sed surrexit; recordamini qualiter* LOCUTUS SIT VOBIS, *cum adhuc in Galilaea esset, dicens: quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere, et* RECORDATI SUNT VERBORUM EJUS; et (v. 44) Christus ipse sic omnes discipulos alloquitur: *Haec sunt verba,* QUAE LOCUTUS SUM AD VOS, *cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysis et prophetis et psalmis de me.* Itaque utrumque conjunxit Christus et praedictiones suas et V. T. vaticinia. Quis porro fidat hominibus adeo impudenter mentientibus (1)?

319. Ad 8. *Neg.* Imo est prorsus incredibile; tum quia auctores sacri, velint nolint rationalistae, fuerunt divinitus inspirati, ut nos opportune ostendemus; tum quia hoc est novum commentum toti antiquitati inauditum et nonnisi ab his larvatis christianis excogitatum; tum denique, quia ratio ipsa docet, longe facilius deceptos istos neotericos esse et decipi, quam Christi discipulos, qui toties Christum apertissime ac absque ambagibus suam resurrectionem praenuntiantem audierunt.

320. Ad 9. *Neg.* omnino ob rationes superius allatas, praeter violentam scripturarum contorsionem, quae admitti deberet. Licet enim Christus (Luc. XIII, 32) *tertiam diem* de proxima sua passione usurpaverit (reliqui enim citati textus non pertinent ad ejus resurrectio-

(1) Cons. F. V. Reinhard, Diss. *De Christo suam, dum viveret, resurrectionem praedicente*, Helmst. 1798. Ex his colligitur frustra G. Paulusium in suis commentariis septem integras paginas insumpsisse ad evincendum Christum numquam suam praedixisse futuram resurrectionem.

nem), aeque ac Cicero, loquens de omine quod proximum suum ab exilio reditum praenuntiabat, ex contextu patet illum loquendi modum ibi indefinite accipi de proximo eventu. At Christus saepe indicavit *tres dies*, *tres noctes*, etc. loquendo de sua resurrectione, adducto praeterea exemplo Jonae, ut ex allatis testimoniis palam fit; alioquin nihil amplius determinati haberi posset.

321. Ad 10. *Neg.* suppositum. Haec enim sententia probari non potest, nisi a neotericis rationalistis totam religionem christianam evertentibus. Negamus dicta Christi esse allegorica, quod ipsi numquam ostendent; et multo minus concedimus ea conferri posse cum illa generali futurorum obscuritate, de qua loquitur Apostolus loc. cit., cum clara adeo Christi effata de sua futura resurrectione sint et aperta, ut quisque debeat sibi vim inferre, si ad alium sensum ea velit detorquere, ac in meridiana luce caecutire. Quod spectat ad divinam providentiam, quam istiusmodi homines obtrudunt, jam superius respondimus eam non posse admitti, negata rei veritate, quia in errorem ineluctabiliter induceremur.

322. Ad 11. *N.* Haec est enim mera blasphemia. Certe Apostolus aliter sentiebat, cum (I Cor. XV, 14 et 15) diceret: *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra, invenimur autem falsi testes, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit* (1). Non igitur resurrectio Christi, sed istorum rationalistarum systemata dicenda sunt *mythi poëtici*, in quibus vere evanuerunt in cogitationibus suis talia effutientes.

323. Inst. Ex dictis 1. Christus praenuntiavit se resurrecturum post tres dies, tum mansurum in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus (Matth. XII, 40). Atqui nonnisi per integrum diem juxta evangelistas fuit Christus in corde terrae. 2. Forsan ut contendit G. Paulusius, vehementi syncope oppressus, atque ab imperitis pro mortuo habitus, in sepulcro conditus, ad se rediit, et eo facilius cum ad eum in vitam revocandum valde contulerint tum aeris in sepulcro temperies, tum exhalationes opobalsamicae; citius proinde prodiit, nempe ante tempus constitutum.

324. Resp. ad 1. *D.* Diebus incompletis pro completis computatis juxta hebraeorum loquendi usum, *C.* completis *N.* Hebraei enim qui noctem diei initium computabant, duas noctes cum partibus primi ac tertii diei tres dies atque tres noctes vocabant, tempus incompletum pro completo habebant, ut in omnibus fere linguis pars diei, mensis, anni, dies, mensis, annus per synecdochen dici solet. Conf. Gen. XLII, 17 et 18; Deut. XIV, 28; coll. XXVI, 12 (2).

(1) Ex hoc vero Pauli textu rursum deprehendimus quam falso Wegscheider, Op. cit. p. 3, c. 2, § 131, n. (e), scribat « Neque tamen totam religionis christianae veritatem ex hoc solo facto (resurrectionis) pendere contendimus. Haud enim ignoramus, quod quis veram religionis doctrinam proposuerit, id minime probari posse re quadam in facto posita, quam pauci tantum testes cognoverunt, miraculique speciem olim pro aevi incultiori ingenio induerunt; sed solo illius argumento cum sanae rationis principiis bene conveniente veritatem ostendi. Accedit quod Jesus ipse post reditum in vitam doctrinam suam nusquam huic rei quasi fundamento superstruxisse traditur ». Mitto mendacia et falsitates in his verbis congestas; illud solum animadverto, quod si haec admitterentur, mentitus apertissime fuisset Apostolus loc. cit.

(2) Ita respondet vel ipse Kuinoel in comm. ad hunc locum.

Sane vetus synagoga semper spectavit, fi-

325. Ad 2. *Neg.* Nec enim praeferre debemus nugaces et impias excogitationes apertis evangelistarum testimoniis, sed attendere ad scripturarum auctoritatem et ad confessionem infensissimorum Christi hostium, judaeorum nempe, ut superius vidimus. Nam neque ipsi judaei in haec deliramenta venerunt, ad quae devenit G. Paulusius a suis ipsis confutatus (1). Ceterum Grunerus, Jenensis medicus, ostendit frigida illa in saxis excavata sepulchra atque exhalationes opobalsamicas, relate ad nervos male incitatos et cerebrum affectum, idonea potius esse ad mortem afferendam, ut exemplis evincit, quam ad vitam restituendam (2).

ctione quadam juris, temporis partem velut tempus integrum. *Ghemara* Hierosolym. tract. *Sabbat* fol. 12. et post eam doctores omnes, uti Maïmonides tract. *Mikvaot* cap. 8 in suo commentario in Mischna, R. Obadiah Bartenora ibid. Maïmonides, *Yad-hhazaka* tract. *Schaar-Abot hattummeot* cap. I. aliique passim, affirmant in praxi praevalere opinionem Rabbi Eliezer ben-Azaria (*Mischna* tract. mikvaot cap. 8. § 3. Talmud tract. *Sabbat* fol. 86.) qui cum omnibus doctoribus mischnüicis tenet terminum alicujus temporis et initium alterius sumi pro tempore completo. Huc pariter referuntur quae ghemaristae tradunt de computatione עוֹנָה quae vox interdum usurpatur ad significandum diem et noctem, seu integrum diem naturalem, quem graeci vocant νυχθήμερον noctem et diem יוֹם וָלַיְלָה, interdum vero diem aut noctem, aut etiam partem diei et partem noctis perinde ac si esset integer. Hinc in tract. *Avodah zarà* Babyl. legitur: » At quantum est spatium עונה? Dicit R. Jochanan vel dies vel nox.» Sic etiam Jeros. *Schabhat* fol. 12. 1. R. Achiba statuit diem pro עונה, et noctem pro עונה. At traditio est R. Eliezerum ben Azariae dixisse יום ולילה עונה ומקצת עונה ככולה *dies et nox honà, et pars honà est sicut totum* »; et paulo ante « R. Ismael computavit partem עונה pro toto ». Ex quibus abunde liquet juxta judaeorum consuetudinem idem significare *tribus diebus et tribus noctibus* ac vel tres integros dies vel partem trium dierum. Cf. Lightfoot *Horae hebr.* Lips. 1684. ad cap. XII. v. 40. Matth.

Quapropter quod Matth. XII, 40. dicitur *tribus diebus et tribus noctibus* alibi significatur per verba *tertia die* uti Matth. XVI, 21; XVII, 22; XX, 19. Marc. IX, 30; X, 34. Luc. IX, 22; XXIV, 7 et 46. Ex his intelligitur sollicitudo extraordinaria principum sacerdotum, et pharisaeorum, qui postridie a Christi morte (XXVII, 62.), quamvis duplex solemnitas concurreret, sabbati et paschatis, se contulerunt ad Pilatum, ac deinceps sigillo sepulcri lapidem communierunt. Nam nisi ipsi intellexissent praenunciatam resurrectionem potuisse contingere sub initium diei tertiae, seu post mediam sabbati noctem, abunde eis tempus suppetiisset ad illa omnia praestanda die insequenti, seu ut nos dicimus, die dominica, quin praepropere festinarent illa omnia persequi die sabbati et solemni, quod a lege vetitum erat.

(1) Vid. Flattus (Mollerus) *Kritik des Commentars von Dr. Paulus*, seu *Criticae observ. super Comm. Paulusii*; Storrius, *Hat Jesus seine Wunder für einen Beweis seiner Sendung erklärt?* seu *Deditne Jesus miracula sua tamquam argumentum suae missionis?* Scotti opusc. tom. 1, pag. 297. et seqq.

(2) In duobus libellis tum a patre tum a filio conscriptis, *De Jesu Christi morte vera, non simulata*, H. 1805. At in eo laborant, dum ostendere contendunt, Jesum vixisse quidem adhuc, quum cruci affixus hasta foderetur, vitam aliquam, sed praedebilem proximeque casuram, vulnere vero in pectus illato e vita subito excessisse;

PROPOSITIO II.

Doctrinae evangelicae excellentia et sanctitas divinam ac supernaturalem Christi missionem invictissime confirmat

326. Divina sane ac supernaturalis illius missio dicenda est, qui Dei nomine doctrinam sive theoreticam sive practicam proponit, quae Deo digna sit, digna homine, digna societate, quae dogmata omni humana sapientia superiora contineat, quae officia omnia legis naturalis complectatur, cui absque ullo vel minimo errore nec quidpiam desit nec supersit, quae simul motiva efficacissima ad ea adimplenda praebeat, quae sic vitia eliminet, ut ipsorum et originem detegat et adjumenta exhibeat ad ea radicitus convellenda, quamque nemo unquam ex philosophis vel excogitavit vel excogitare potuit. Atqui talis est doctrina, quam Christus Dei nomine proposuit; ergo. Sic porro breviter per partes minorem evincimus:

327. 1. Christus Deum exhibet non solum ut ens summum ac perfectissimum, sed insuper ut patrem amantissimum; homines vero tamquam unius parentis filios, qui unicam familiam constituant, fraterno charitatis vinculo colligatos; qui principibus pareant, non ex metu tantum, sed ex conscientia, tamquam Deo ipsi, cujus vices in terris principes gerunt, quibusque et tributa solvere et honorem impertiri tenentur.

328. 2. Dogmata omnia ab ipso tradita eo spectant, ut et sublimiorem de Deo ideam excitent et plenitiorem humanae conditionis ingerant cognitionem. Dogma siquidem peccati originalis, quo tota infecta exhibetur humana natura, relationem dicit ad aliud dogma, Incarnationis nempe et Redemptionis. Hoc pariter supponit dogma Trinitatis personarum subsistentium in eadem natura divina. Ex quibus et origo humani generis, ejusdemque a primaeva dignitate lapsus, necnon divina bonitas atque justitia in hominem mirifice elucent, ac basim constituunt firmissimam atque validissima incitamenta suppeditant ad homines in officiis continendos promovendosque.

329. 3. Haec vero officia sic Christus complexus est, ut semel Deo supremo ac ultimo hominis fine constituto, hunc instruat ad ipsum super omnia diligendum, ac proximum, quo nomine omnes omnino homines, sive amicos sive inimicos, sive concives sive extraneos, comprehendit, propter Deum diligendum sicut se ipsum. Amor proinde seu charitas est in evangelica doctrina ad instar universalis, ut ita dicam, fluidi, quod omnia et singula societatis membra atque integrum corpus permeat atque pervadit, ei vitam ac motum communicat, illudque nectit et ambit, ut unum quid cum Deo ac cum societate universa quodammodo efficiat. Ex quo foecundissimo principio officia singularia fluunt, quae ipse persequitur et evolvit tum in admirabili illo sermone, quem in monte habuit ad discipulos suos (Mat-

cum Joannes (XIX, 30) jam antea scripserit: *Et inclinato capite tradidit spiritum*. Consuli possunt de hoc gravissimo argumento resurrectionis inter alios: *Les temoins de la résurrection de J. C., examinés et jugés selon les règles du Barreau*, par Sherlok, trad. de l'anglais; Houtteville, op. cit. tom. IV; Bergier, *Dict. Theol.* art. *Résurr. de J. C.; La Religion chrétienne demontrée par la résurr. de J. C.*, par Ditton, trad. de l'anglais; *Observations de Gilbert West sur l'histoire et sur les preuves de la résurr. de J. C.*

th. V-VII), tum in tot illis sapientia vere coelesti refertis sententiis, quibus ad sanctitatem cujusvis conditionis homines informat.

330. 4. His autem officiis motiva subjecit efficacissima, quibus homines permoventur, tum ad ea executioni mandanda, tum ad se retrahendos a transgressione. Cum enim plerique rudes ac pene barbari homines non satis amore alliciantur ad propria munia obeunda, Christus et praemia amplissima atque aeterna, poenasque item acerbissimas atque aeternas pro meritis uniuscujusque proposuit; tum denique Semetipsum ut absolutissimum virtutum omnium exemplar ad imitandum praebuit, in tot praesertim, quibus undique premimur, angustiis atque adversitatibus leniter ferendis, quibus nihil efficacius excogitari potest (1).

331. 5. Ad vitia omnia convellenda

(1) Character personalis Christi Jesu est novum argumentum divinae ipsius missionis, quod nos quidem proposuissemus distincta propositione, nisi nos absterruisset conceptus timor nimiae prolixitatis in institutionibus fugiendae. Remittimus propterea auditores nostros ad demonstrationem evangelicam Cl. Duvoisin, *Démonstration Evangélique*, par M. J. B. Duvoisin, Evêque de Nantes, Paris 1826, ch. 3, *Caractère de Jésus-Christ*; nec non ad opus D. Aymé, *Les Fondements de la foi*, Paris, 1775, tom. I, II partie, p. 411 et seqq. Si Deus dederit, de hoc ipso argumento alibi agemus. Hic satis sit in medium afferre vulgatissimum quidem, et sane pulcherrimum locum, in quo J. J. Rousseau Christi divinitatem ex ejus personali charactere confessus est: « Quelle douceur, quelle pureté dans ses moeurs, *exclamat*, quelle grâce touchante dans ses instructions! Quelle élévation dans ses maximes! Quelle profonde sagesse dans ses discours! Quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle justesse dans ses réponses! Quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, souffrir et mourir sans faiblesse et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire, couvert de tout l'opprobre du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jésus-Christ; la ressemblance est si frappante que tous les Pères l'ont sentie, et qu'il n'est pas possible de s'y tromper. Quels préjugés, quel aveuglement ne faut-il point avoir pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie? Quelle distance de l'un à l'autre? Socrate mourant sans douleur, sans ignominie, soutint aisément jusqu'au bout son personnage, et si cette facile mort n'eût honoré sa vie, on douterait si Socrate, avec tout son esprit, fût autre chose qu'un sophiste. Il inventa, dit-on, la morale. D'autres avant lui l'avaient mise en pratique; il ne fit que mettre en leçons leurs exemples . . . Mais où Jésus-Christ avait-il pris chez les siens cette morale élevée et pure dont lui seul a donné les leçons et l'exemple? Du sein du plus furieux fanatisme la plus haute sagesse se fit entendre, et la simplicité des plus heroïques vertus honora le plus vil de tous les peuples. La mort de Socrate philosophant tranquillement avec ses amis est la plus douce qu'on puisse désirer; celle de Jésus expirant dans les tourmens, injurié, raillé, maudit de tout un peuple est la plus horrible qu'on puisse craindre. Socrate, prenant la coupe empoisonnée, bénit celui qui la lui présente et qui pleure; Jésus, au milieu d'un supplice affreux, prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu. Dirons-nous que l'histoire de l'évangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente . . . Au fond, c'est reculer la difficulté sans la détruire; il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale; et l'évangile a des caractères de vérités si grands, si frap-

ipsorum fontem et originem detegit, quae sita est in hominis inordinato sui ipsius amore et ad res sensibiles nimia propensione, quo fit ut et ceteris se praeferat quisque, et a sensibus suis se nimis abripi patiatur. Quare ad φιλαυτίαν, tot malorum scaturiginem, penitus compescendam, opposuit Christus odium perpetuamque abnegationem sui et crucis amorem; ad refraenandam porro illam ad sensibilia propensionem, a terrenis avocat hominem, atque incitat ad coelestia desideria his verbis (Matth. VI, 19 et seqq.): *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur; ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.*

332. Ne tamen desponderent animum uberrimas validasque gratias promisit, quibus homines adjuti nihil tam arduum atque difficile sit, quo contendere non possint; sacrificium item juge atque perpetuum instituit, et sacramenta, quibus ipsi confirmati corroborentur atque ad arctissimam cum Deo communicationem eleventur, sanctissimo praesertim eucharistiae sacramento, in quo semetipsum in cibum et potum praebet ad eos alendos et nutriendos ad aeternam vitam.

333. Quae quidem omnia, sic leviter adumbrata, coronidis gratia placet duobus aliquantum prolixis testimoniis S. Augustini exponere, quibus sive partem theoreticam sive practicam religionis christianae non minus vere quam eleganter ipse complexus est. Sic vero scribit in libro *De vera religione* (cap. III et seqq.): *Si Plato ipse viveret et me interrogantem non aspernaretur, vel potius, si quis ejus discipulus eo ipso tempore, quo vivebat, eum interrogaret, cum sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis, sed pura mente veritatem videri; cui quaecumque anima inhaesisset, eam beatam fieri atque perfectam; ad quam percipiendam nihil magis impedire quam vitam libidinibus deditam et falsas imagines rerum sensibilium quae nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressae varias opiniones erroresque generarent; quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, et eodem modo semper se habentem, atque undique sui similem pulchritudinem nec distentam locis nec tempore variatam, sed unum atque idem omni ex parte servantem, quam non crederent esse homines cum ipsa vere summeque sit; cetera nasci, occidere, fluere, labi et tamen, in quantum sunt, ab illo aeterno Deo per ejus veritatem fabricata constare; in quibus animae tantum rationali et intellectuali datum est, ut ejus veritatis contemplatione perfruatur atque afficiatur ornetur que ex ea aeternamque vitam possit mereri; sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore ac dolore sauciatur dedita consuetudini hujus vitae atque sensibus corporis inanibus evanescit imaginibus, irridet eos qui dicunt esse aliquid quod nec istis videatur oculis, nec ullo phantasmate cogitetur, sed mente sola et intelligentia cerni queat. Cum haec ergo a magistro sibi persuaderentur, si ex eo quaereret ille discipulus, utrum si quisquam existeret vir magnus atque divinus, qui talia populis persuaderet credenda saltem, si percipere non valerent, aut si qui possent percipere, non pravis opinionibus multitudinis im-*

paus, si parfaitement inimitables, que l' inventeur en serait plus étonnant que le héros ». (*Emile*, liv. IV, tom. III).

plicati, vulgaribus obruerentur erroribus, cum divinis honoribus dignum judicaret; responderet, credo, ille, non posse hoc ab homine fieri, nisi quem forte ipsa Dei virtus atque sapientia ab ipsa rerum natura excerptum, nec hominum magisteriis, sed intima illuminatione ab incunabulis illustratum tanta honestaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta denique majestate subveheret, ut omnia contemnendo quae pravi homines cupiunt, et omnia perpetiendo quae horrescunt, et omnia faciendo quae mirantur, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque auctoritate converteret. De honoribus vero ejus frustra se consuli, cum facile possit existimari, quanti honores debeantur sapientiae Dei, qua gestante et gubernante ille pro vera salute generis humani magnum aliquid proprium et quod supra homines esset, mereretur.

334. *Quae si facta sunt, si litteris monumentisque celebrantur, si ab una regione terrarum, in qua sola unus colebatur Deus, et ubi talem nasci oportebat, per totum orbem terrarum missi electi viri virtutibus atque sermonibus divini amoris incendia concitarunt, si confirmata saluberrima disciplina, illuminatas terras posteris reliquerunt, et, ne de praeteritis loquar, quae potest quisque non credere, si hodie per gentes populosque praedicatur:* In principio erat verbum, ... et sine ipso factum est nihil, *etc., si ad hoc percipiendum, perfruendum, ut anima sanetur et tantae luci hauriendae mentis acies convalescat, dicitur avaris:* Nolite vobis condere thesauros in terra, *etc.; dicitur luxuriosis:* Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem, qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam; *dicitur superbis:* Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur; *dicitur iracundis;* Accepisti alapam, para alteram maxillam; *dicitur discordiosis:* Diligite inimicos vestros; *dicitur superstitiosis:* Regnum Dei intra vos est; *dicitur curiosis:* Nolite quaerere quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt. *Postremo dicitur omnibus:* Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt; quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et ambitio saeculi.

335. *Si haec per totum orbem jam populis leguntur et cum veneratione libentissime audiuntur, si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, tanto fertilius et uberius usque ad barbaras nationes Ecclesiae pullularunt; si tot juvenum et virginum millia contemnentium nuptias casteque viventium jam nemo miratur; quod cum fecisset Plato, usque adeo perversam temporum suorum timuit opinionem, ut perhibeatur sacrificasse naturae, ut tamquam peccatum illud aboleretur; si haec sic accipiuntur, ut quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstruosum sit; si tali pollicitationi atque sponsioni per omnes terrarum partes quas homines incolunt, sacra christiana traduntur; si haec quotidie leguntur in Ecclesiis et a sacerdotibus exponuntur; si tundunt pectora qui conantur haec implere; si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, ut desertis divitiis et honoribus hujus mundi et omni hominum genere, uni Deo summo totam vitam dicare volentium desertae quondam insulae ac multarum terrarum solitudo compleatur; si denique per urbes atque oppida, vicos et agros etiam villasque privatas, in tantum persuadetur et appetitur a terrenis aversio et in unum Deum verumque conversio, ut quotidie per universum orbem humanum genus una pene voce respondeat,* sursum corda se habere ad

Dominum; *quid adhuc oscitamus crapulam hesternam et in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutamur? . . . Qui bonum et appetendum fatentur, cognoscant Deum et cedant Deo per quem populis jam omnibus haec credenda persuasa sunt.*

556. Alter vero ejusdem s. Doctoris locus desumtus est ex lib. I. *De moribus Ecclesiae* (1), in quo ita religionem ipsam alloquitur: *Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces et doces; tu foeminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis; tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis; tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis; parentes filiis pia dominatione praeponis; tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore quam sanguinis nectis; tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitatem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua charitate constringis; tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhaerere; tu dominos servis summi Dei, communis domini, consideratione placabiles et ad consulendum quam ad coërcendum propensiores facis; tu cives civibus, tu gentes gentibus, ac prorsus homines hominibus primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis; doces Reges prospicere populis, omnes populos se subdere Regibus . . . ostendens, quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus charitas et nulli debeatur injuria.*

557. Jam vero religionis systema, in omnibus suis partibus prorsus absolutissimum, quod in admirationem sui rapuit vel ipsos religionis infensissimos hostes (2), quod ita connexum est, ut et dogmata a se invicem pendeant, et

(1) Cap. xxx, n. 63. Cons. *Tableau synoptique contenant l'exposition de la doctrine renfermée dans les saintes écritures*, par Mr. l'abbé Frère, in *Annalibus* cit. art. 46, 30 Avril, art. *Doctrine chrétienne*.

(2) Auctor *Epistolarum persicarum* aperte fatetur moralia evangelii praecepta infinite praestare iis quae a sapientissimis totius antiquitatis philosophis tradita fuerant, atque perfectum esse philosophum qui sit vere Christianus. J.-J. Rousseau: » Scripturarum majestate, *inquit*, fateor in admirationem me trahi. Evangelii sanctitatem intimo quodam animi sensu percipio; videte philosophorum libros cum omni sua pompa, quam exigui illi sint, si cum hoc conferantur. Fierine potest, ut liber sublimis adeo simul et simplex opus humanum sit »? Sed praestat proprio idiomate ejus sensa referre, quae talem eloquentiae vim praeseferunt, ut ea latine exprimi admodum difficile sit: » Je vous avoue, *inquit*, que la majesté des écritures m'étonne, la sainteté de l'Evangile parle à mon coeur. Voyez les livres des philosophes, avec toute leur pompe qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un livre à la foi si sublime et si simple soit l'ouvrage des hommes »? *(Emile*, loc. cit.). Iterum vero in *Epist. III ex montibus data*, evangelicae moralis pulchritudinem, sanctitatem, veritatem, profunditatem ita extollit prae doctrina philosophorum, ut hanc saepe erroribus contaminatam dicat, illam vero unam esse confirmet, quae sit *semper tuta, semper vera, semper unica, sibi semper constans*. Inde vero concludit adeo certam hanc esse atque *infallibilem* divinae revelationis notam, ut alio nullo opus sit vel criterio vel argumento. Quae quidem postrema verba caute accipienda sunt; iis quippe abutuntur rationalistae, qui cum omnia supernaturalia rejiciant miracula, vaticinia, etc., hinc

officiorum omnium praecipuum fundamentum constituant; quod omnem virtutem, imo et virtutum omnium perfectionem et apicem insinuet; quod vitium nullum levemque defectum non eliminet; quod et motiva efficacissima complectatur et validissima media suppeditet ad ea vel fugienda vel prosequenda; quod constituto ultimo fine cetera omnia ad eum finem dirigat, Dei nempe gloriam et hominis bonum ac beatitatem; quod demum simplicitate sua sublimissima omnibus ita accommodatum sit, ut omnes omnino conditiones, status, varietatem vicissitudinum ac multitudinem attingat, non potest non esse a Deo ipso, vel ab eo qui sit edoctus a Deo: atqui tale est systema evangelicae doctrinae, ut ex dictis evicimus; ergo doctrinae evangelicae excellentia et sanctitas divinam ac supernaturalem Christi missionem invictissime confirmat.

DIFFICULTATES

338. I. Objic. cum D. de Pradt. Religio christiana opponitur civilis societatis bono, ut patet 1. ex ipsa ejus perfectione. Christianus est homo perfectus, est ens privilegiatum ac proinde rarissimum. Quod autem verum est in morali, multo magis verificatur respectu religionis, quae ad id tendit ut hominem religiosum sibimet vilem reddat, ut merita ipsi eatenus tantum concedat, quatenus ea non a propria virtute repetit, sed ab iis adjumentis quae illi religio ipsa suppeditat. Ejusmodi religio hominem ultra humanitatem evehit; ita vero est ardua, ut humanam infirmitatem opprimat; vult praeterea ut humanis omnibus nuncius remittatur, quae res locum habere nequit nisi in monachismo seu in separatione a mundo. 2. Id patet ex nimia auctoritate seu imperio sacerdotum in homines, quos tot subjiciunt observantiis cultus, ut ipsos obruant. Haec porro duo opponuntur civili progressui tum industriae tum libertatis; quod cuique patet dummodo protestantismum seu christianismum dimidiatum conferat cum catholicismo seu integro christianismo. Apud protestantes enim industria viget, mores efflorescunt, contra apud catholicos omnia languent. 3. Patet ex influxu longe validiori, quem exercet civilis cultura ad populorum mores corrigendos prae religione, quae potius detrimentum exteriori suo cultu morum integritati affert. 4. Denique id patet ex doctrina catholica circa foenus, quod valde promovet mercaturam, sine quo hac nostra aetate societas existere fere nequit, et quod tamen prorsus eliminatur a religione catholica; ergo (1).

339. Resp. *Neg. antec.* Imo religio

huic interno criterio, ut vocant, unice insistunt, cetera respuentes, prout praestiterunt Döderlein, in « Christ. Religions-unterricht, seu Christianae relig. doctrina, 1, 193 et seqq. »; *Ziegler*, » Vernunft und schriftmässige Eröterung, dass der Beweis für die Wahrheit und Göttlichkeit der chr. Relig. mehr aus der innern Vortrefflichkeit der Lehre, als aus Wundern und Weissagungen zu führen ist., seu Dilucidatio ex ratione et scriptura quod demonstratio veritatis et divinitatis religionis christianae potius ex interna doctrinae praestantia quam ex miraculis et prophetiis sit deducenda », in Heuke Mag. 1, 20 et seqq. et *Summa theol. christ.* 37; Jo. Schulthess, *De uno planissimo plenissimoque argumento pro divinitate disciplinae ac personae Jesu* (ex Joan. VII, 17), Tur. 1828, p. 11; Locke, *The reasonableness of christianity as delivred in the scriptures*, London 1696.

(1) *Oeuvres politiques* de M. de Pradt, ancien Évêque de Malines, *Du Jesuitisme ancien et moderne*, 3. edit. Paris 1828,

et societas amice inter se conspirant; religio enim christiana est validissimum fundamentum civilis societatis, quo sublato societas pessumdetur necesse est. Experientia omnium saeculorum evincit numquam magis societatem civilem floruisse, quam cum totam suam vim religio christiana exercere potuit (1).

340. Ad 1. *D.* Quae perfectio tamen pari gradu omnibus a religione non praescribitur, *C.* eodem gradu *N.* Confundit hic auctor duo quae confundenda non

ch. VI et seqq.; qui tamen protestatur se in cit. capp. spectare religionem christianam extra *theologiam*, ac discussione pure humana. En ejus verba, quibus orditur cap. VI, inscriptum « De la modification de l'action du Christianisme par la civilisation : Nous voici hors de la théologie; nous rentrons dans une discussion purement humaine; il s'agit de savoir pourquoi un culte éminemment réprimant ne réprime pas autant que d'autres, qui le sont moins. Ici il n'y a plus que de la moralité, de la logique examinant la conformité des principes avec les conséquences, et de la géométrie calculant les diverses proportions des lignes relativement à leurs effets. La justice exige qu'on ne nous transporte pas sur un terrain qui n'est pas celui dont nous avons fait choix; ici nous ne sommes pas en chaire, seulement nous avons le compas à la main ». Quid sibi vult hoc praeambulo, nisi sub obtentu considerandae religionis christianae (nempe catholicae ut ipse postea exponit), inducere religionem christianam, sub respectu politico spectatam, adversantem societatis bono atque incremento? Si justitia exigit, ut ipse ait, ne eum trahamus extra quaestionis statum, veritas pariter exigit, ne religio christiana seu catholica deformetur juxta praeconceptas pseudopolitici istius ideas. Deinde prolatis, quae a nobis adducta sunt, concludit: « Si l'on veut me contester ces bases et les taxer d'exagération, je demande, 1. si elles s'écartent en aucun point de la ligne rigoureuse de l'enseignement chrétien; 2. si ce n'est pas ainsi qu'à son début le christianisme a agi, et si ce n'est pas ainsi qu'il nous est représenté tous les jours; 3. si le ministère ecclésiastique ne renferme pas toutes les attributions que je viens de montrer; 4. si l'un des premiers dogmes du Christianisme, puisqu'il est rempli de mystères, n'est pas l'abnégation de la raison aux pieds de la foi; 5. si le prêtre n'est pas le juge de cette foi ». Ex iis, quae dicentur in solutione difficultatum, patebit partim inexacta et exaggerata, partim falsa esse, quae velut totidem axiomata vellet auctor sibi concedi, ut inde pessimas inferat consecutiones, quasi fieri unquam posset, ut religio divinitus revelata possit esse contraria publico ac politico societatis bono, vel adversari temporali uniuscujusque privati felicitati.

(1) Apposite Cl. de Saint-Victor in suo » Tableau historique et pittoresque de Paris, *Paris*, 1822, *scribit:* Sans la religion tout pouvoir politique ne serait qu'une force aveugle et matérielle, puisque, séparé de la raison divine, il serait dépourvu de toute conscience, et par conséquent de toute justice. On peut même dire que, dans cet état complet de violence et d'abrutissement, il lui serait impossible d'exercer la moindre action sur des intelligences, et de conserver quelques moments d'existence; d'où il résulte que plus la loi divine à la quelle il est tenu d'obéir, et qui fait sa véritable force, est respectée, plus il a de raison, de conscience et d'équité . . . C'est dans la religion chrétienne que cette loi a reçu son dernier développement; c'est donc dans les sociétés chrétiennes que l'opposition morale a le plus de force. C'est dans cette société que le pouvoir politique, soumis à des préceptes qui ne l'obligent pas moins que le dernier de ceux qui lui obéissent, est contraint, quelques efforts qu'il fasse pour en sortir, de rentrer à chaque instant dans les limites de l'ordre et de la justice, de pratiquer les vertus qui en dérivent, enfin de se montrer intelligent pour commander à des intelligences ».

sunt, perfectionem essentialem, quae sita est in mandatorum observatione, quaeque pro potiori parte exigitur ab ipsa religione naturali, et perfectionem, ut ita dicam, accidentalem et accessoriam, qualis in consiliis evangelicis insinuatur. Jam vero prima optime componitur cum omnibus officiis societatis, ut patet; altera vero, quae non est nisi paucorum, etsi cultores suos a societate quadantenus videatur segregare, eidem tamen societati illos proficuos sub alio respectu efficit, quandoquidem ejus bonum haud parum promovent studiorum cultura, juventutis institutione, nosocomiorum cura, precibus, exemplo, aliisque id genus innumeris, quae nonnisi societatis osores dissimulare possunt ac parvipendere (1). Atque hinc cetera ruunt, quae ex falso principio deducit adversarius noster.

541. Ad 2. *D.* Si ejusmodi auctoritas et imperium sacerdotum cum recta rerum administratione consistere non possent, *C.* si potius eam promovent N. Haec enim non est nisi putida adversarii calumnia. Influxus enim sacerdotalis non afficit nisi rectam morum institutionem, ex qua omnia bona in societatem profluunt, hominesque sub tali influxu sinceri, veraces, justi magis efficiuntur in contractibus, in publica rerum administratione, in propriis officiis rite persolvendis ceterisque omnibus, in quibus societas optime consistit. Quod si abusus aliquis irreperet, ejusmodi abusum religio non approbat. Cultus vero exterior non est nisi medium, quo non solum Deus honoratur, sed etiam promovetur cultus interior, et homines inter se arctiori vinculo constringuntur; quo sublato, ipsa religio in interitum vergit, ut patet ex protestantismo, qui cum nonnisi terrena promoveat, in deismum et rationalismum declinavit. Quidquid porro deistae dicant de honestate protestantium, a veris rerum aestimatoribus compertum est, quam corrupti ac foedati mores generatim apud eos sint. Utinam non ita esset, neque enim christianus gaudere potest de fratrum errantium corruptela! Quod addit de industria et commercio apud populos septentrionales, ut plurimum id non pendet nisi ex indole ac genio populorum et a temporum circumstantiis. Certe catholici in Anglia, Hibernia, Germania, Gallia, nec minus industrii sunt quam protestantes, nec minus seduli; ex hac porro observatione os obstruitur mali-

(1) « Fateor, inquit Leibnitzius, mihi semper religiosos ordines, piasque confraternitates, ac societates, aliaque hujusmodi laudabilia instituta mire probata fuisse; sunt enim quasi coelestis quaedam militia in terris, si modo, remotis depravationibus et abusibus, secundum instituta fundatorum regantur, et a Summo Pontifice in usum universalis Ecclesiae temperentur. Quid enim praeclarius esse potest, quam lucem veritatis per maria et ignes et gladios ad remotas gentes ferre, solamque animarum salutem negotiari, interdicere sibi varias illecebras atque ipsam jucunditatem colloquii convictusque, ut contemplationi abstrusarum veritatum ac divinae meditationi vacetur; dedicare sese educationi juventutis ad spem doctrinae et virtutis; miseris, desperatis, perditis, captivis, damnatis, aegrotis in squallore, in vinculis, in remotis terris auxilium ferre atque adesse, ac ne pestis quidem metu ab effusae charitatis officio deterreri? Quicumque haec ignorant aut spernunt, hi nihil nisi plebeium et vulgare de virtute sapiunt, et hominum obligationem erga Deum solemnium qualicumque obitione et frigida illa consuetudine vivendi, quae vulgo sine zelo, sine spiritu in animis regnat, inepte metiuntur ». Ita quidem auctor protestans *Systematis theologici*, Paris 1819, p. 88; quae si conferantur cum iis, quae scribit Dominus de Pradt, nunc episcopus, nunc pseudopoliticus, patebit eum habere, unde erubescat.

gno detractori in sua comparatione inter populos septentrionales et meridionales, quam fuse frustra prosequitur. Olim soli fere itali commercium promoverunt; nonnullae etiamnum sunt Italiae partes, in quibus commercium et industria non minus vigent, quam apud septentrionales; sic lusitani catholici saeculi XVI id fuerunt quod modo angli. Itaque totum pendet ex accidentalibus et externis adjunctis, nullo vero modo a religione, ut ipse autumat.

342. Ad 3. *D.* Ita tamen, ut haec ipsa cultura a religione catholica repetenda sit, *Tr.* secus *N.* Valde ingratos se religioni catholicae exhibent ejus detractores, dum civili culturae morum emendationem tribuunt, quae nonnisi a catholica religione inducta est. Medio aevo, quinam nisi religio catholica ejusque ministri, praesertim vero Romani Pontifices, sedulo adlaborarunt, ut populi ab illa barbarie, quae Europam pene universam dominabatur, eriperentur? Quis magis studia et artes omnes promovit quam catholica religio (1)? Nunc

(1) Hic juvat in medium afferre, quae auctor certe adversariis non suspectus, abbas Grégoire, de hoc argumento scripsit: « Chez certains hommes la haine contre la Papauté est effervescente à tel point qu'ils voudraient exterminer l'Italie, parce qu'elle reconnaît le Pape, et à peine ils pardonnent au Tibre d'arroser la ville de Rome. Ces insensés rendent le christianisme responsable des torts de quelques-uns de ses ministres. Avec cette manière de raisonner on proscrirait l'or, parce qu'il y a des faux monnoyeurs, le désinteressement, la sobriété, parce qu'il y a des avares et des débauchés. Toutes les vertus seraient complices de ceux qui les outragent. En ouvrant les yeux sur le mal, doit-on les fermer sur le bien? Le Christianisme et ses Pontifes furent, pour ainsi dire, le ciment qui dans le moyen âge empêcha la dissolution de l'Europe. Le clergé ne put la sauver entiérement de la barbarie, mais du moins il y conserva, et seul il y conserva quelques restes de l'ancienne civilisation; le ministre de l'évangile est le lien, qui met en contact les diverses classes de la société; placé entre le riche et le pauvre, il appuie les prières de celui qui a besoin, et amollit le coeur de celui qui peut donner. Le clergé est un corps modérateur entre ceux qui commandent et ceux qui obéissent. A cette époque où des potentats sans frein tourmentaient les peuples, communément les Papes s'interposaient pour réprimer les abus d'autorité, ralliaient les intérets, les volontés, et prévenaient ou éteignaient les troubles. Robert Ward, dans ses savantes recherches sur les lois, attribue le maintien de l'état social à l'ascendant qu'exerçaient les Papes, et aux conciles qui rapprochaient les peuples par l'entremise de leurs Evêques, et même les princes réclamaient l'intervention pontificale. L'histoire de Jersey et Guernesey en fournit un exemple. Par un usage anciennement établi, lorsqu'il y avait guerre entre l'Angleterre et la France, les habitans des deux pays ne devaient ni s'insulter, ni se battre, aussi loin que peut s'etendre en mer la vue des îles. A la sollicitation d'Edouard IV, Sixte IV la dixième année de son règne lança une bulle qui excommuniait *ipso facto* les infracteurs. Un historien protestant, Jean de Müller, croit que sans les Papes nous serions aussi étrangers aux connaissances des anciens que le sont aux arts et aux sciences des Grecs les Turcs qui occupent leur territoire. Tandis que de preux chevaliers se glorifiaient de ne pas savoir écrire, attendu leur qualité de *nobles*, tandis qu'en Angleterre les barons demandaient à Richard II *qu'aucun vilain ne pût envoyer son enfant à l'école*, et qu'ils le forçaient à révoquer les actes d'affranchissement, de toute part s'elevaient des écoles monastiques; elles conservaient le feu sacré et de là s'échappaient des rayons de lumière ». (Histoire des Sectes).

vero haec dissimulantes religionis hostes impudenter affirmant *civilisationem* , ut vocant , non vero religionem mores corrigere. Addatur, ejusmodi *civilisationem* non mores proprie corrigere , sed vitia mutare , luxum promovere , qui est societatis pernicies, et quamdam externam mollitiem fovere ac probitatis speciem , non vero probitatem ipsam ac bonos mores et virtutes , quae nonnisi a sola religione promoveri possunt et conservari (1) .

343. Ad 4. *D.* Immoderatum et injustum foenus , *C.* moderatum et justis titulis cohonestatum *N.* Recentia porro sunt responsa , quae ad diversa quaesita circa lucrum ex mutuo dedit sacra congregatio romana (et circa foenus ecclesia tolerat varias opiniones , ut constat ex editis libris) , ex quibus patet , adversarium falsum supponere, dum absolute pronunciat , quodcumque honestum lucrum ex contractu, qui passim *mutui* vocatur , sed reipsa non est, ab ecclesia catholica damnari (2) ; interest autem ecclesiae non minus quam societatis ea foenora damnari , quae repugnant justitiae et charitati, ex quibus exitium enascitur tot familiarum eorum ingluvie et rapacitate , quos urget *auri sacra fames* .

344. I. Inst. cum eodem auctore aliisque incredulis , qui eum praecesserunt : 1. Christianismus hominis mentem deprimit, ejus rationem confundit , vincula injicit ejus pedibus . Quo igitur abit ejus libertas ? 2. Christianus est veluti captivus sui cultus , qui non tendit nisi ad hominem a terra evellendum, quam exhibet ceu lacrymarum vallem. 3. Verus christianorum pater est Pater caelestis , quem ut adeat , opus est relinquere patrem matremque terrenam , ac dicere fratribus suis : *Non novi vos* . 4. Non est nisi unum verum regnum, illud nempe quod non est hujus mundi ; divitiae ad illud non modo non aperiunt aditum , sed occludunt , lacrimae sternunt viam , aegritudines praeparant , simplicitas perducit. 5. Omnis humana doctrina evanescit vel confunditur ab ejusmodi placitis . 6. Nullo non tempore vigilantia in seipsum christiano injungitur, adversarius circa ipsum excubat eumque obsedit , mors semper praesto est ad eum invadendum; oculus divinitatis ubique eum persequitur, penetrat omnes ejus cordis latebras ; manus occulta in libro recenset omnia quae praestituto die ei objicientur; supremus judex numquam a tribunali abscedit ; 7. simplex mentis evagatio potest ipsum ad irreparabilem jacturam perducere ; quilibet illicitae satisfactionis impetus animum ejus permeans potest insanabile vulnus afferre ; 8. humanae vitae laus , quam mundus dignitati paternae ut plurimum tribuit , in caelibatum ac virginitatem transfertur; 9. oblectationes vero, quae plerisque ad bene vivendum sunt necessariae, non sunt nisi iis infirmitatibus tributae, quibus humana natura abundat (3) . 10. Ex quibus concluditur , christianam doctrinam hominem abjectum efficere ac ineptum ad officia societatis , ad bella praesertim ; e contrario formidabilem huic ipsi reddere ministrum hujusmodi religionis ; ergo .

345. Resp. 1. *Neg. cons.* cum pariter omnia hic exposita partim falsa, partim exaggerata, partim denique sint quae ab ipsa naturali lege proficiscantur , et in

(1) Cons. Card. Gerdil , *Discours de la nature et des effects du luxe* , Edit. Rom. opp. tom. VIII ; Roberti, *Dialogo filosofico* , et *Discorso cristiano sul lusso.*

(2) Cons. *Decisiones S. Congregat. Rom. et universalis Inquisit. de Usura.*

(3) Op. cit. ch. VI.

quocumque religionis systemate admitti debeant.

346. Resp. 2. singillatim, et ad 1. quidem: Falsum est, religionem christianam mentem deprimere, rationemque confundere, vel illi vincula injicere. Innumeri docti et sapientes viri, qui quovis saeculo in ecclesiae sinu floruerunt, mendacii arguunt D. de Pradt; nusquam scientiae et liberales artes majus incrementum habuerunt quam in religione christiana atque catholica. Romana urbs uti religionis centrum est, sic centrum fuit omni tempore bonarum artium; ad eam confluunt undique viri septentrionales ad eas addiscendas, inde in Europam saeculis elapsis omnis cultura diffusa est et promanavit (1).

347. Ad 2. Falsum est, christianum esse veluti captivum sui cultus, qui non tendat nisi ad hominem a terra divellendum; quod si aliquo modo christianus captivus est sui cultus, ut auctoris phrasi utamur, seu suae religionis, eo sensu est, quatenus fides exigit rationis submissionem, et haec submissio a ratione ipsa praescribitur. Verum amor est veluti christiani cultus anima; amor autem captivum hominem non efficit, sed liberum ea libertate, qua donavit nos Deus. Evangelium autem numquam moderatum bonorum usum proscripsit, sed abusum tantummodo ac profusionem, vetatque animi perversitatem, in eo positam, ut fruamur utendis, utamur vero fruendis. Calamitates vero, quae undique nos circumstant, et gemitus, quibus mundus resonat, satis evincunt, an jure terra ista vallis lacrymarum vocanda sit potius quam felicitatis sedes.

348. Ad 3. Falsum est, verum patrem non esse, nisi caelestem, quem ut adeamus, opus nobis sit relinquere patrem matremque terrenam, etc., si id accipiatur ad exclusionem terrenorum parentum; dum enim Christus prohibet nobis vocare patrem super terram, eo quod nobis unus sit Pater in caelis (Matth. XXIII, 9), non excludit obsequia, quibus terrestres parentes prosequi debemus, cum potius hac de causa acriter objurget scribas et pharisaeos, qui sub falso religionis obtentu haec negligebant (Matth. XV, 3 et seqq.); sed vult, Deum per excellentiam et Patrem dici et haberi, et comparative, cum plura certe debeamus Deo, quam parentibus; adeo ut in conflictu inter Dei offensam et offensionem parentum, Deum ipsis praeferamus; atque hinc patet, quo sensu teneamur patrem et matrem relinquere, fratresque ignorare, cum nempe istorum amor cum amore Dei consistere non potest, quod et ipsa recta ratio dictat. Haec porro nosse debuisset D. de Pradt, utpote episcopus, qui toties pensum officii divini persolvens legit verba s. Gregorii Magni: *Eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, et proximos novimus, diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus* (2).

349. Ad 4. *D.* Non est nisi unum regnum aeternum, quod omnes appetere

(1) Cobbett (Ep. I) ad eliminandam calumniam toties a protestantibus ac deistis et incredulis impactam ecclesiae catholicae, quod foveat illum, quem vocant *obscurantismum* et ignorantiam, prout denuo praestat Dominus de Pradt (nam isti non faciunt nisi se invicem exscribere), instituta comparatione ex dictionariis historicis virorum illustrium tum doctrina, tum artibus praestantium, quos saeculo XVII et XVIII dederunt Anglia, Italia et Gallia, invenit Angliam etsi radiis reformationis collustratam dedisse 132, Italiam superstitiosam 164, Galliam suis tenebris involutam 676.

(2) Homil. 37, in Evang. de Com. unius Martyris.

debeant, *C.* ad exclusionem terreni *N.* Sed falsa praeterea sunt, quae addit de divitiis, perinde ac si a consecutione illius regni excluderent. Ex doctrina siquidem Christi, non divitiae, sed abusus divitiarum, ut nuper exposuimus, excludunt a regno caelorum. Quot divites, reges, imperatores in album sanctorum retulit ecclesia? Difficile sane est, illarum illecebris non tangi, attamen divinae gratiae auxilio omnia possibilia fiunt, ut ipsemet Christus docuit. Apposite s. Ambrosius: ***Discant divites non in facultatibus crimen haerere, sed in iis, qui uti nesciant facultatibus. Nam divitiae, ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis*** (1). Sic non omnes fletus et aegritudines, neque omnis simplicitas nos in illud intromittunt, sed quae propter justitiam tolerantur atque ab ea procedunt.

350. Ad 5. Falsum est omnem humanam doctrinam evanescere atque confundi ab ejusmodi placitis, dummodo rite intelligantur, atque ad sensum absonum non detorqueantur, prout faciunt adversarii nostri. Tot sancti et docti viri, quot ecclesia recenset, id suis operibus ostenderunt.

351. Ad 6. Quae addit de vigilantia, daemonis insidiis, Dei omniscientia, de ratione operum nostrorum reddenda, verissima sunt; ast quivis, qui atheus non sit, haec ipsa admittere debet, utpote quae hominem cautum et sollicitum reddunt, ne cupiditatibus suis se abripi sinat, sed virtutem sectetur et a vitio declinet. His sublatis, actum est de virtutibus et vitiis vel appetendis vel declinandis.

352. Ad 7. *D.* Si eisdem plene consentiat, *C.* si rejiciat, *N.* Itaque haec exaggerata sunt et doctrinae catholicae contraria; quod si homo illis consensum praebeat, cui dubium esse potest, reum coram Deo eum fieri? quid aliud recta ratio docet?

353. Ad 8. *D.* Id est caelibatus ac virginitas, utpote majus bonum, praefertur statui conjugali ut minus bono, *C.* praefertur, aliquid detrahendo laudi dignitatis paternae *N.* Haec non sunt nisi obsoletae calumniae, quas auctor noster veritus non est mutuari a protestantibus et incredulis. Honorabiles vero nuptias catholicis esse, patet ex eo, quod *magnum sacramentum* sint juxta Apostoli (2) doctrinam. Quod vero virginitas praeferenda sit (in se spectata) conjugali statui, ipso rationis lumine agnoverunt ethnici ipsi (3); ceterum Apostolus nuptiis satis aperte caelibatum praefert, et ex eo, imo a Christo id didicit ecclesia.

354. Ad 9. *D.* Id est permittuntur oblectationes utpote bonae et honestae, *C.* ut minus bonae et illicitae, *N.* Inter ceteras virtutes religio recenset etiam εὐτραπελίαν (4).

(1) Lib. VIII in Luc. circa finem.

(2) Ephes. V, 32.

(3) Cons. Morin *Dissert. sur le célibat*, cujus epitomen dedit Zaccaria S. J. in op. *Storia del celibato sacro*; et qui adversariis suspectus esse non potest, Frid. Kreuzer, » Religions de l' antiquité, considérées principalement dans leurs formes symboliques et mythologiques, ouvrage traduit de l'allemand, refondu en partie, complété et développe, par J. D. Guigniaut, 1825; ex quo patet, camdem inhaesisse ideam Indis circa caelibatum sacerdotum vel a remotissima antiquitate. Cons. praeterea Comes J. de Maistre, *Du Pape*, cap. III, § I, ubi documentis antiquis et recentioribus ostendit ideam generalem diffusam inter nationes omnes circa caelibatum religiosum.

(4) V. S. Thom. 2. 2. q. 168, ar. 3. Cons. *Traité des jeux et des divertissemens*, par M. Jean Bapt. Thiers, vol. I in-8, Paris 1686.

355. Ad 10. Negamus omnes consecutiones male deductas ex falsis principiis, ac 1. quidem, christianam doctrinam hominem sibi vilem efficere et ineptum ad societatis officia. Religio enim moderatur excessus et damnat; at promovet et incitat ad bona omnia ac virtutes quaslibet sive publicas sive privatas pro uniuscujusque statu et conditione. Praestantissimos viros semper aluit, qui una simul conjunxerunt pietatis officia et officia boni civis et magistratus, qui artes ita coluerunt, ut excellentissimi audiverint communi omnium suffragio. Apostolus otium damnat, omnibus inculcans, *quoniam si quis non vult operari, nec manducet* (II Thess. III, 10), et ad proprii munii officia incumbere rursum omnibus inculcat, dicens: *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* (I Tim. V, 8). 2. Pariter negatur consequentia quod homines nempe ineptos efficiat ad bella (1); evangelica enim doctrina christianos milites in officio continet eos removendo ab illo aestu inconsulto, quo sanguis non effunditur, sed projicitur, hostesque ut fratres agnoscere jubet (Conf. Luc. III, 14). Ceterum et hic experientia contrarium evincit; Constantinus, Theodosius, Carolus M., Ludovicus IX, Henricus I imperator, Stephanus Hungariae rex, Princeps Condaeus, Eugenius Sabaudus aliique innumeri non minus pietate quam militari gloria insignes fuerunt. 3. Denique negatur sequela, quod scilicet religio christiana formidabilem constituat suum ministrum, cum non aliam ipsi tribuat potestatem, quam quae in aedificationem est, ad salutem nempe animarum procurandam, qui ad imitationem capitis sui mitis esse debet et humilis corde. Quod si severitatis exempla interdum dare tenetur, id in bonum tendit, et ea nonnisi provocatus et compulsus elicit, ut historias mente minus praejudicata perlustranti patebit, posthabitis calumniis, quibus veteres et novi religionis hostes eam diffamare frustra conati sunt (2).

356. II. Inst. 1. Religionis efficacitas nulla est ad corrigendos mores. 2. Quod vel quale vitium eradicavit apud italos, ac praesertim Romae? 3. Quid contulit ad moralem emendationem Hispaniarum? Nonne ejusmodi regiones postremum in societate locum occupant? Dum

(1) Quam urget Gibbon velut objectam christianis a Celso apud Origenem, quam quidem difficultatem more suo Gibbon depravat; nam Celsus (apud Orig. lib. VIII, n. 75) solum hortatur christianos, ut *arma pro rege capiant, et si ita postulat, sub illo militent, et cum illo ducant exercitum*; minime vero, ut scribit Gibbon, quasi objiceret Celsus, quid de imperio esset, si omnes christiani fierent, etc. Sed bonam fidem in referendis auctoritatibus penes incredulos, cum pugnant adversus religionem, numquam inveni. Interea circa privatum sensum Origenis et Tertulliani relate ad militiam videatur Hugo Grotius lib. VIII, c. 2, sect. 9. *De jure belli et pacis*, et maurinus editor opp. Orig. ad lib. VIII *Cont. Cels.* ad § 73, n. c.

(2) Numquam e juvenum mentibus excidere debet monitum comitis de Maistre, qui loquens de ejusmodi auctoribus haec praeclare scripsit: » Jeunesse inconsidérée, quand tu portes les mains sur quelque livre de ces hommes pervers, souviens-toi que la première qualité qui leur manque c' est toujours la probité (*Soirées de Saint-Petersbourg*, tom. I, pag. 188). In hoc vero censu primum profecto locum obtinet abbas de Pradt, qui nonnisi sanniis, calumniis, falsitatibus ac perpetuis paralogismis catholicam religionem ac praesertim Romanam Sedem oppugnare nititur, tum in opere citato, tum in altero cui titulum fecit: *Concordat de l'Amérique avec Rome*, Paris 1828; in quibus veritus non est, multa vel ab ipso Bayle depromere.

e contra in regionibus septentrionalibus quidquid moralis habitudinis habetur, id uni culturae civili (civilizationem vocant) exclusive acceptum referri debet (1); ergo.

357. Resp. ad 1. *N.* Imo religionis efficacitas illa est, quae potissimum confert ad mores corrigendos. Si veteres legislatores ad unum omnes religione usi sunt ad animos efferatos emolliendos atque in officio continendos, alia profecto ipsis insedit opinio ac adversario nostro. Quod si tantum potuit religionis umbra, ut ita dicam, quid non poterit veritas ipsa? Tolle religionis habenas, in pristinam barbariem illico relabentur populi. Ipsa civilis cultura, ut supra notavimus, quam summopere extollit Dominus de Pradt, ab religionis virtute repeti praecipue debet. Sed ut propius ad evangelicam efficacitatem veniamus, si jura belli mitiora, si mitior et cultior ubique politia, si ubique fere aut abrogata servitus, aut humanioribus circumscripta legibus (2), si in connubiis publica quaedam servatur honestas et sanctitas, si theatrorum licentia minus expudorata quam olim, si gladiatorum cruore non amplius amphitheatra madent, nemo, qui in historiis hospes non sit, ignorat ab evangelio id omne provenisse (3). Norunt eruditi omnes, quanta esset et quam publica et effusa istorum omnium depravatio, antequam evangelii splendor eluceсeret, ita ut vere affirmare nobis liceat, 1. etiamnum evangelio plurimum debere eas ipsas gentes, quae evangelium aut corruperunt deinceps aut abjecerunt; 2. majorem minoremve in iis esse corruptionem, prout magis minusve ab evangelii regula recesserunt aut recedunt (4).

358. Ad 2. Omnia recensita vitia religionis virtus in Italia ac etiam Romae eradicavit. Cum enim Roma centrum religionis christianae sit, ipsius actio ad omnes regiones promanavit (5). Quod si vitia non ubique cessarunt, id non ex hujus actionis defectu, sed ex de-

(1) Ibid. ch. VIII.

(2) Cons. Comes de Maistre, *Du Pape*, liv. II, ch. V, ut pateat cujus conditionis fuerint innumeri prope servi apud omnes gentes, ac praesertim in republica romana et in imperio, antequam religio christiana potuerit mitiorem reddere ipsorum infelicissimam sortem, ac demum solvere eorum vincula.

(3) Immortalis semper erit in fastis religionis christianae S. Thelemacus martyr, qui non dubitavit ex ultimis orientis plagis Romam petere, in amphitheatrum prosilire ac sanguinem effundere, ut ejusmodi truculenta spectacula impediret, prout reipsa factum est jussu Honorii imperatoris post necem sancto viro illatam. Consul. Bolland. *Acta sanctorum*, die 1. Januarii.

(4) Merito Feller in *Catech. philos.* Liége 1788, tom. III, cap. 4, § 1, p. 274, affirmat, » qu'un demi-siècle de paganisme présente infiniment plus d'excès énormes qu'on ne trouverait dans toutes les monarchies chrétiennes depuis que le Christianisme regne sur la terre. *Cons. eruditissimus P. Baltus in opere* Jugement des SS. Pères sur la morale de la philosophie payenne, Strasbourg 1719, ch. 13 et seqq. ut quisque intelligat quam depravati mores essent sive publici sive privati in omni societatis ordine, quamdiu religio pagana viguit.

(5) Eloquentissime, ut solet, s. Leo M. romanae urbis conditionem ac vigentem omnium vitiorum ac superstitionum colluviem, cum ad eam s. Petrus se contulit, exponit: « Hic, *inquit*, conculcandae philosophiae opiniones, hic dissolvendae erant terrenae sapientiae vanitates, hic confutandi daemonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum . . . Silvam istam frementium bestiarum, et turbulentissimae profunditatis oceanum constantior, quam cum supra mare gradereris, ingrederis » (Serm. de ss. Apost.

fectu eorum, qui in suis flagitiis obfirmati, illius actionem religiosam nullam aut pene nullam reddiderunt, seu ipsius influxum impediverunt est repetendum. Si aegrotus praescripta a medico pharmaca negligit, sibi imputet, si valetudinem minime recuperat.

359. Ad 3. Ad emendationem moralem Hispaniarum in sensu ab auctore intento certe nihil contulit, cum ejusmodi emendatio moralis nil aliud sit, nisi turpis et cogitandi et agendi licentia; si vero sermo sit de emendatione morali proprie dicta, omnia sunt repetenda ab efficacia religionis, adeo ut regio illa quovis tempore veros sanctitatis heroas ediderit et omnium virtutum eximios cultores. Quod si et illic et alibi pensum solutum est humanae infirmitati, rursum dicimus, id non defectui religionis sed defectui eorum, qui eidem se subduxerunt, abscribendum esse. Quod vero subditur de extremo humanae societatis loco, omnino parvipendimus, cum id semper intelligendum sit in perverso auctoris pseudopolitici sensu.

360. Ad 4. Resp. Nostrum non est odiosam hic instituere comparationem; sed interea certum est, 1. septentrionales et ipsos *homines* esse, ideoque et omnibus infirmitatibus obnoxios; 2. non ab externa tantum quadam probitatis specie de morum integritate esse judicandum; 3. qui eas regiones perlustrarunt, ea referre, quae cum supposita probitate nulla ratione cohaerent; 4. Romam atque in Italiam ut plurimum corruptionem ab ejusmodi peregrinatoribus inferri (1). Utinam plerique omnes ex his heterodoxis numquam regiones nostras inviserent!

361. II. Obj. 1. Nil novi Christus

Petro et Paulo). Quis porro haec omnia a romana urbe eradicavit nisi sola catholica religio?

(1) Ut specimen habeatur probitatis et culturae civilis septentrionalium protestantium, juvat in medium afferre fragmenta statisticae medicae, quae D. Caspar, Medic. Doctor Berolinensis evulgavit anno 1825. Ex his patet numerum eorum, qui in se manus inferunt, singulis annis augeri. Ab anno 1818 ad annum 1822 numerantur in sola monarchia borussiana 3860 suicidia, id est 7 pro singulis 100,000; Berolini ab anno 1822 ad 1823 1 ex singulis centenis. Rarissima autem sunt haec exempla in Italia; nec latet ratio, quia ea nondum attigit gradus culturae protestantium septentrionalium. Legi praeterea poterunt *Lettres sur la Suisse*, par M. Raoul-Rochette, Paris 1826, in quibus praeclarissime ostenditur praestantia provinciarum catholicarum super protestantes seu reformatas tum in honestate, tum in relationibus politicis; in personali vigore ac robore, in heroismo et indole militari, pace interna, et indole pacifica, spiritu tolerantiae, fidelitate, etc., adeo ut vere dici possit hoc opus et comparationem et formalem refutationem continere practicam omnium calumniarum, quae in cultum catholicum et catholicorum indolem passim intentantur, et praestantiae, quam quidam de industria dare affectant protestantibus super catholicos. Ad italos specialim quod attinet, consuli possunt *Lettres sur l'Italie*, par M. Pierre de Joux, quae anno 1829 Parisiis duobus voluminibus prodierunt. Merito propterea dicebat Cl. Marchio Maffejus apud Roberti (*La probità nat.* p. 2), duo se collegisse ex longis suis peregrinationibus, tum nempe pluris facere patriam suam, tum magis venerari suam religionem. Post haec supervacaneum censeo in medium afferre quae de Parisiorum corruptione, ex tempore quo illic invaluit incredulitas, produnt publicae ephemerides, ex quibus patet, supputatione facta, ex 22,000, qui singulis annis nascuntur, 7000 spurios esse, id est tertiam fere partem; vix spatio 8 annorum numerantur 2108 suicidia, etc. Quid igitur nobis obtrudit dominus de Pradt prae italorum humanitate civilem septentrionalium culturam? Legatur praeterea egregium opus *L'action*

intulit in mundum, quod non acceperit vel a lege mosaica vel a veteribus Graeciae sapientibus. Ex religionibus ethnicorum mutuatus est mysteria sua, seu dogmata ac ritus; ab indis mysterium Trinitatis, Incarnationis, lapsus hominis, angelorum rebellionis, baptismi, etc.; a sinensibus praeceptum humilitatis christianae, condonationis offensarum, ac dilectionis inimicorum, alia ex Aegypto, alia ex Perside (1). 2. Quare religio christiana de suo non adjecit, nisi intolerantiam religiosam, 3. ex qua tot haeretici flammis consumpti, 4. terrifica Inquisitionis tribunalia, 5. nox s. Bartholomaei, 6. ex qua denique tot religionis bella, quae exitium Europae intulerunt. 7. Hinc imperatores et reges exauctorati a Romanis Pontificibus, 8. omniumque malorum colluvies, quibus ipsi causam dederunt; ergo.

362. Resp. ad 1. Vel *N.* vel *D.* Si sermo sit de lege mosaica, multa accepit explicando et ad perfectionem adducendo, quae nonnisi involuta et imperfecta in ea lege esse poterant, quae umbra erat, figura, typus ac veluti praeparatio quaedam ad Evangelium, *C.* nihil addidit de suo judaeis prorsus incompertum, et multa non vetuit, quae Moses ad duritiem cordis illis permiserat *N.* Addimus, quod sicut mosaicae ita etiam christianae religionis divinitas ex ipsa ejus doctrina jure probatur. Non aliud enim inter ipsas discrimen est, quam quod auroram inter ac meridiem (2). Quod attinet ad Graeciae sapientes, prorsus *N.* Eos enim Christus numquam audivit. Totum insuper christianae religionis systema ita unum est sibique cohaerens, ut tale numquam ediderint philosophi, qui distracta principia et sparsa tradebant velut disjecta corporis membra, nullo nexu conjuncta, erroribusque permixta, ut suo loco vidimus. *Ex religionibus ethnicorum*, etc. *Neg.* pariter, eadem ratione. Quae vero mysteria vel dogmata proferunt adversarii, quae tamen toto caelo distant a mysteriis et dogmatibus religionis christianae (3), evincunt nonnulla rudera, ut ita dicam, et fragmenta antiquarum traditionum apud omnes gentes conservata esse plus minusve erroribus foedata, *C.* secus *N.* (4). Ista enim somnia sunt incredulorum nostrorum, qui dum ne-

du clergé sur le peuple; ut nihil dicam de anglis, genevensibus, etc., cum res notissima sit quibus moribus protestantes illic universim utantur.

(1) Ita auctor operis *Résumé de l'histoire des traditions morales et religieuses chez divers peuples*, par M. de S***, Paris 1825, tum Felix Bodin in opere *Coup d'oeil sur l'histoire de la civilisation*, Paris 1825, qui plura a Gibbon mutuatus est; aliique innumeri prope diobolarii scriptores, qui eadem semper ad ravim usque recantant, perpetuo sese exscribendo, nulla habita ratione responsionum, quae his falsitatibus et calumniis datae sunt a catholicis scriptoribus non solum, sed ab ipsis ingenuis protestantibus.

(2) Hanc eamdem difficultatem jam proposuerat judaeus Orobius in amica collatione cum Limborchio in tertio scripto, quaesito II, n. I.

(3) Cons. Origenes, *Cont. Cels.* lib. VI. et s. August. *De civ. Dei*, lib. VIII, X, XII et XIX.

(4) Cons. *Lettere americane* del conte Carli-Rubi, nec non *Annales de philosophie chrétienne* etc. tom. VIII, anno V, n. 43, 31 Janv. Paris 1834, art. « Voyages et traditions, croyances, superstitions et restes des traditions primitives observées, par M. Dumont d'Urville dans son voyage autour du monde à borde de l'Astrolable dans la nouvelle Zélande et les îles de Jonga ». Cons. praeterea Kreuzer, op. cit. et in *Biblioth. univers. Genev.* tom. XXX, an. X, art. *Mythologie*.

gant in evangelio mysteria tradita esse vel dogmata, haec postea inveniunt apud barbaras gentes atque indidem profluxisse affirmant. Sed incohaerentia ipsorum propria est.

363. Ad 2. *N.* Haec intolerantia enim ex ipsa rei natura oritur. Veritas et error simul cohaerere non possunt. Sed de tolerantia suo loco.

364. Ad 3. Vel *N.* vel *D.* Ab intolerantia civili, *Tr.* ab intolerantia religiosa *N.* Intolerantia enim religiosa optime consistere potest cum tolerantia civili. Tot hebraei in ditione ipsa pontificia commorantes id apertissime evincunt. Quod attinet vero ad intolerantiam civilem, quae extranea omnino est a religione, hoc pendet ab ingenio principum, a civilibus legibus, ab adjunctis, quae modo eam excludunt, modo patiuntur. Ceterum hic adnotasse juvabit, nullos esse magis intolerantes quam sectarios, qui perpetuo vel aperta vi, cum possunt, vel clanculum ac per insidias catholicos ubique fere, quoad potuere, insectati sunt atque insectantur. Si conferantur cum catholicis, qui ab haereticis aut sectariis interfecti sunt, victimae, ut ipsi vocant, haereticorum penitus evanescunt (1).

365. Ad 4. *D.* Quoad errorum inquisitionem, *C.* quoad inflictionem poenarum *N.* Tribunalia enim inquisitionis ad fidem intemeratam servandam in errores inquirunt, ne ceteri inficiantur; sed, processu confecto, reos ad civilia tribunalia dimittunt; haec porro iis legibus ipsos subjiciunt, quae in eos constitutae sunt. Nil proinde commune habet ecclesia cum ejusmodi poenis. Principes vero laici ideo illas poenas in haereticos tulerunt, quia experientia edocti sunt, neminem fidei vel religioni bellum movisse, qui simul machinatus non sit adversus regnum (2). Sed et hic observandum est, tribunalia inquisitio-

(1) Dominus Prodhomme, in sua *Historia delictorum inter rebelles motus*, jam ab anno 1796 recenset supra ducentena millia victimarum tunc temporis interemptarum; inter quas, quotquot haberi potuerunt sacerdotes et religiosi, truculenter mactati sunt. Cons. praeterea *Historia Jacobinismi* Abbatis Barruel, ex qua patebit, quinam fuerint effectus civilis culturae absque cultu, quam adeo extollit Abbas de Pradt. Quod attinet ad haereticos, omissis innumeris documentis, ex quibus patet, quam immaniter in catholicos saevierint fere quovis loco et quoad potuerunt, satis sit in medium adducere quae in sola Anglia sub Elisabetha adversus catholicos patrarunt. Styrpe, auctor protestans, refert Elisabetham singulis regni sui annis super 500 catholicos interemisse, nec tamen contentam fuisse; regnavit autem annis XLV. Romae anno 1584, prodiit opus Joan. Bapt. Cavalleri, qui lineari pictura expressit supplicia ad cruciandos catholicos adhibita. Cum haec pictarum tabularum collectio in lucem prodiit, Elisabetha vix LI aetatis annum attingebat. Quid factum non est sub Henrico VIII, ejus patre, et deinceps a sequentibus regibus! Attamen de his ne unus quidem ex incredulis hiscit.

(2) Cons. Bergier, *Dict. de Theol.* art. *Inquisition*; Ab. Vayrai, *Etat présent de l'Espagne*, Amsterdam 1719; Feller, *Dict. hist.*, art. *Limborch*, *Isabelle*; De Maistre, *Lettres à un gentilhomme russe sur l'inquisition espagnole*, praesertim p. 89 et seqq. Elisabetha instituit inquisitionem adversus catholicos sub nomine *Commissionis* longe terribiliorem tribunali Hispaniarum. Cobbett, Ep. XI, *A history of the protestant reformation*, etc.: *Inquisitio Hispaniarum*, inquit, *tot caedes non patravit a sua institutione ad hanc usque diem, quot singulis annis regni sui ferox ista regina protestans commisit*; quae proinde merito, in *Biblioth. univ.* tom. XXVII, Tiberius faemininus vocata est. Quid actum non est in Dania atque Suevia adversus catholicos! Quo furore in Hibernia arminianos protestan-

nis apud haereticos longe severiora esse. Percurrantur, quae Elisabetha regina in catholicos anglos molita est, quae principes protestantes etiamnum moliuntur adversus eos, qui Romam appellant, et pudore suffundi debent, qui haec objicere non desinunt. Sed ista dissimulantur, quia haereticorum et sectariorum sunt, illa amplificantur, quia catholicorum.

566. Ad 5. *D.* Si a religione caedes illa nocturna s. Bartholomaei fuerit vel imperata vel permissa, *C.* si a politicis rationibus *N.* Notandum porro est hic, 1. exaggeratam illam caedem a plerisque esse; 2. calvinistas non nisi apud catholicos vel parochos vel episcopos effugium invenisse ab illo populari furore; 3. ortam illam esse ob perpetuos haereticorum tumultus adversus tranquillitatem regni, nullo vero modo ob ipsorum errores. Attamen numquam desinunt, his dissimulatis, illam sive haeretici sive increduli nobis ingerere, cum religio catholica ab ea semper abhorruerit (1).

567. Ad 6. *N.* Apposite de ejusmodi

tes anglicani persecuti non sunt? Atque eadem ratione protestantes et increduli, quoties clavum gubernii obtinuerunt, plus minus eadem ratione ubique locorum sese gesserunt. Attamen sola commemoratur Inquisitio hispanica vel lusitana, quae tamen non fuerunt nisi institutiones peculiares politicae potius quam religiosae. Sed de moderatione hispanicae Inquisitionis praestat audire auctorem minime suspectum atque Inquisitionis inimicum, qui, cum officio legati gallici ibi functus esset, haec scripsit: « L' inquisition pourrait être citée, de nos jours (sub Carolo II Hisp. Rege); comme un modéle d' équité . . . plus de neuf ans de séjour et d' observations m'ont prouvé qu'avec quelque circonspection dans ses propos et sa conduite relativement à la religion, on peut facilement lui échapper, et vivre aussi tranquillement en Espagne qu'en aucun autre pays de l' Europe (Tableau de l' Espagne, tom. I, p. 388). *Vid. Frayssinous*, Conférence sur la religion vengée du reproche de fanatisme.

(1) Apposite observat Cobbet, Ep. X, caedem s. Bartholomaei non aliam originem habuisse, nisi vindictam, quam Guisaei ducis filius sumsit a De Colygny ejusque asseclis, quorum opera proditorie interfectus fuerat ejus pater Franciscus Lotharingiae dux Guisae, et traditae anglis civitates *Dieppe* et *Le Havre* sub Elisabetha, cujus instinctu calvinistae tot actus perduellionis in Galliis moliebantur. Adeo verum est, religionem alienam omnino esse ab ejusmodi tumultibus. Attamen vix legas auctorem incredulum vel haereticum, qui eam caedem religioni catholicae non objiciat. Mirum quot paralogismos superstruant! Interea simplices capiuntur. Cons. *Tableaux historique et pittoresque de Paris*, par J. B. de Saint-Victor, tom. III p. I, p. 179 et seqq., ubi ex martyrologio Calvini, anni 1582, ostendit non inveniri nisi 776 victimas hujus caedis adeo magnificatae, et totum factum istud in suo lumine collocat. Recte in rem nostram scribit Cl. Manzoni: « Ripeteremo dunque quel principio, che ad una dottrina si deve chieder conto delle sue conseguenze legittime, e non di quelle, che le passioni ne possono dedurre, ed applicandolo alla religione, osserveremo, che anche in questo essa è al dissopra di tutte le teorie umane per quei caratteri inimitabili, che la distinguono. Essa esclude ogni conseguenza dannosa e la esclude con quella stessa autorità, che rende sacri i suoi principj, il che essa sola può fare; se andando di ragionamento in ragionamento si arriva ad una ingiustizia, si può essere certi di aver mal ragionato, e l'uomo sincero trova nella religione stessa l' avviso, che egli è uscito di strada, perchè dove apparisce il male, ivi si trova una proibizione ed una minaccia. Non è quindi ragionevole dare la colpa alle verità rivelate, che gli uomini si sieno odiati e distrutti, ma deve dirsi invece: la disposizione degli uomini ad odiarsi ed a nuocersi a vicenda è tale pur troppo,

bellis J. J. Rousseau ad archiepiscopum parisiensem scribebat: *Si superiora bella quae religionis dicuntur, expendas, ne unum quidem invenies, cujus origo et causa non fuerit in aula principum, quorum intererat, illa bella geri. Machinationes bellorum in secretioribus adytis struebantur; dein proceres commovebant Dei nomine populum et classicum canebant* (1).

368. Ad 7. *D.* Quia illi imperatores et reges jus et initum foedus, prout illius temporis adjuncta poscebant, pessime violarunt, *C.* alias *N.* Jam vero Pontifices qui restaurarunt imperium in occidente, sub peculiari conditione et clausula imperatores constituerunt, ut defensores se praeberent ecclesiae romanae; cum igitur ex defensoribus facti fuerint acerrimi hostes et impugnatores, hinc utpote pacti violatores exauctorati sunt, quae quidem ratio aeque militat pro temporibus quibus jus electorale introductum fuit. Non a potentia propterea sibi attributa a Romanis Pontificibus, sed ab ipsa rei natura repetenda est ejusmodi exauctoratio. Nec praetereundum est Pontifices interdum ex recepta communi sententia suorum temporum egisse (2). Opportuna praeterea est animadversio recentis auctoris: *De iis ecclesiae praesulibus longe aliud judicium feras, si qua vixerunt aetate considerentur. Etenim plura sunt, quae publicam animadversionem merito concitarent aetate hac nostra, quae tamen alio sub caelo atque in diverso rerum ordine videri possint consentanea communi societatis bono; extremis porro malis extrema remedia identidem admovere prudentiae est, nec tam facile reprobanda sunt illa, quibus homines*

che essi ne hanno preso pretesto sino dalle verità di una religione, che dà a loro la regola di amarsi, come una regola senza eccezione . . . la religione cattolica non ha mai agito, nè poteva agire come causa diretta e naturale di dissenzione: ma tutto è arme nella mano di un furioso; queste non sono scoppiate fra uomini dapprima concordi ed umani, ma sempre in tempi feroci e brutali, in tempi in cui tutte le passioni ostili erano accese . . .; ogni volta che si trova nella storia un esempio d'influenza benigna della religione, non si può a meno di non riconoscere una causa che produce il suo effetto proprio. Uno di questi esempj è la *tregua di Dio*, è una voce di concordia e di pietà, che sola s'innalza fra i gridi della provocazione e della vendetta; è la voce del vangelo e suonò per la bocca dei Vescovi e dei Preti. Ma per spiegare le vessazioni commesse col pretesto della religione, bisogna supporre uno stato d'ignoranza o di mala fede, un inasprimento degli animi, dei moti di aversione preesistenti, dei fini nascosti, e un grado di passione, che alteri l'intelletto al punto di farlo acconsentire a ciò che è proscritto da quella legge, che si propone per norma. S. Ambrogio spezza e vende i vasi sacri per riscattare gli schiavi illirici per la più parte ariani; s. Martino di Tours va a Treveri per intercedere presso l'imperatore in favore dei priscillianisti, e considera come scomunicato Itacio e gli altri Vescovi, che l'avevano mosso a sevire contro di quelli; s. Agostino supplica il proconsole dell'Affrica per i donatisti, dai quali ognuno sa, che travaglio avesse la chiesa: Noi preghiamo voi, dic' egli, perchè non sieno uccisi; noi preghiamo Dio, perchè si ravveggano. Ecco i veri cattolici; e la storia ecclesiastica abbonda di questi esempj » (Sulla morale cattolica, pag. 99 et seqq. edit. Rom. 1826).

(1) Cons. *Paradoxes intéressans*, p. 875-486; Frayssinous, *Conférence* etc. *des guerres de religion*.

(2) Cons. *Muzzarelli*, in opusc. *s. Gregorio* VII; cons. etiam ipse protestans Leibnitzius opp. tom. IV, p. 3; Caesarini Zurstenerii, Tract. *De jure suprematus*, integrum caput XXXI.

meliores fiunt ; ferrea autem saecula ferreo quodammodo regimine contineri debuisse nemo inficiabitur , qui paulisper humani generis historiam perscrutetur (1) .

369. Ad 8. *N.* Quae enim dissidia interdum exorta sunt ex duarum potestatum conflictu , aliis externis causis impellentibus quam religioni adscribi debent, et religioni falso sunt imputata ad invidiam ipsi creandam in iis rebus , in quibus religionis velamen atque praetextum subdolo consilio vafri homines atque ambitiosi quaerebant. At in aestimandis exponendisque factis ratio critica docet, atque sapientes monent rei praetextum a vera rei causa efficiente et impellente probe distinguendum esse ac secernendum . Saepe enim exterius v. g. belli aut facinoris praetextum omnibus patet , vera autem et intimior causa plerosque latet . Quamquam , si ea quae objiciuntur vera essent , quid tandem evincerent? Hoc unum, christianam videlicet societatem ex hominibus coalescere, qui optima quacumque re interdum abutuntur . Haec igitur et similia ab humana vel infirmitate vel pravitate proficiscuntur , minime vero a religione ipsa christiana, a qua interdicuntur omnino et reprobantur . Maligni praeterea est, omnia mala prosequi et exaggerare, et innumera bona alicujus institutionis , quae in immensum defectus illos ipsi extraneos superant, silentio praeterire (2) .

PROPOSITIO III.

Admirabilis christianae religionis propagatio in omnibus suis adjunctis spectata ineluctabile pariter suppeditat divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum

370. Christi vaticinium de futura suae religionis per universum orbem propagatione superius dedimus; jam vero ejus adimplementum nulli humanae seu naturali causae , sed uni divinae virtuti adscribendum esse sic ostendere aggredimur .

371. Certum est, christianam religionem vix trium saeculorum spatio per universum orbem ubique fuisse diffusam et propagatam ; atqui hujus celerrimae

(1) Ita auctor op. *Des guerres sacrées par rapport à l' utilité publique* , Consul. etiam comes J. de Maistre in op. *Du pape* , lib. II , cap. 7.

(2) Vel ipse Montesquieu , qui certe suspectus nemini esse debet, hoc ipsum jam adverterat , scribens : » C' est mal raisonner contre la religion , que de faire dans un grand ouvrage l' énumération des maux qu'elle a produits , si l' on ne fait celle des biens qu'elle a faits ; si je voulais raconter tous les maux qu' ont causés la monarchie , les lois civiles, le gouvernement républicain , je dirais des choses effroyables (Esprit des lois, liv. XXIV, ch. 2) . Sans sortir de notre France , *inquit Bergier* , je soutiens que la seule institution des hôpitaux pour les enfans trouvés, et les soins qu'inspire aux parens l'idée du baptême , conserve toutes les années plus de six mille français . . . La cruauté des Chinois laisse périr toutes les années, plus de trente-mille enfans de compte fait , et les philosophes nous vantent les moeurs chinoises . La barbarie des Romains laissait mourir de faim et de maladie tous les ans un plus grand nombre d'esclaves , et les philosophes n'en disent rien (Traité hist. et dogm. de la vraie religion ; tom. X , p. 487) » . Multiplicari possent in infinitum , ut ita dicam , monumenta ex quibus colligi possent ingentia beneficia , quae in societatem contulit religio christiana , quae tamen increduli dissimulant , ac interea microscopio latebras omnes inquirunt, ut inveniant quae reprehendant, et miseris paralogismis religioni adscribunt ea, quae religio proscribit ac damnat .

diffusionis causa, omnibus adjunctis perpensis, nulla humana vel naturalis adsignari potest; ergo tam subita atque tam lata christianae religionis propagatio a divina ac supernaturali aliqua virtute repeti debet, seu quod idem est, ejusmodi propagatio ineluctabile suppeditat divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum.

372. Major, quae res facti est, ex indubiis monumentis constat. Jam enim ab ipsis ecclesiae primordiis scribebat Apostolus ad Romanos (XV, 19), quod repleverit evangelium Christi ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum, et quod romanorum fides annuntiaretur in universo mundo. Plinius junior Asiae proconsul sub finem saeculi I sic ad Trajanum scribit (1): *Visa est mihi res digna consultatione propter periclitantium numerum; multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur; non civitates tantum, sed vicos etiam atque agros christianae superstitionis contagio pervagata est; prope jam desolata templa deorum, et solemnia diu intermissa*. Et Seneca (2): *Quum interim usque eo consuetudo convaluit sceleratissimae gentis, ut per omnes jam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt*. Hinc merito Tertullianus (3) sic romanos alloqui poterat saeculo III: *Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castra ipsa, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa* (4).

373. Ad minorem quod attinet, sic eam ostendimus: Agitur enim de propagatione religionis *novae*, quae dogmata proponebat humanae rationi impervia, atque receptis notionibus contraria, cujusmodi sunt mysteria Trinitatis ac Dei hominis facti et turpiter cruci affixi, ex invisa judaica natione orti, carnis resurrectionis, etc.; agitur de religione, quae austera praecepta imponebat, qualia sunt abnegatio sui, animi demissio, inanis gloriae contemptus; quae bellum omnibus cupiditatibus ac flagitiis indicebat; quae cultores suos communi ceterorum infamiae et privatae execrationi objiciebat (utpote qui traducerentur veluti homines *contemptissimae inertiae*, *per flagitia invisi, humani generis odio convicti, sontes et novissima exempla meriti* (5), ut reipublicae eversores, ita ut quidquid demum infortunii aut calamitatis contigisset iisdem continuo tribueretur (6)), ac denique certissimo

(1) Lib. x, Ep. 97.

(2) Apud s. August. *De civ. Dei*, lib. vi, c. xi, n. 36, et inter fragmenta ex libris Senecae, t. iv, opp. edit. Taur. 1829, ex recensione Buhkopf, qui in nota ad hunc locum, relatis versibus Rutilii:

Atque utinam numquam Judaea subacta fuisset
Pompeii bellis imperioque Titi!
Latius excisae pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit,

addit: *ubi etsi judaei nominantur, certum christianos maxime intelligi, sicut et in Seneca ipso*.

(3) Apolog. c. 37.

(4) Plura vide apud Cl. Ansaldi, ordinis Praed. Dissert. *Multitudo maxima eorum, qui prioribus ecclesiae saeculis christianam religionem professi sunt, ostensa et vindicata*; item Mamachium, ejusd. ord. tom. i, *Orig. et antiquit. christianarum*, edit. rom. 1749, pag. 343 et seqq., ubi non solum testimoniis ethnicorum ostendit ingentem fuisse christianorum numerum a Neronis ad Trajani aetatem, sed praeterea argumenta solvit, quibus Vitringa conatus est eorum numerum extenuare.

(5) Vide Tacit. *Annal.* tom. iv, cum notis Valeriani.

(6) Vid. Tertull. *Apolog.* c. iv.

mortis periculo et perpetuis privationibus eos exponebat (1); agitur de propagatione ejusmodi religionis inter gentes flagitiosissimas et in omne vitiorum genus effusas, quin philosophorum superbia, principum ira, immanitas sacerdotum, qui omni qua poterant industria ejus propagationi sese objicebant; ingruens sibi malum avertere possent; agitur demum de talis religionis propagatione tot inter difficultates peracta per duodecim viros piscatores, ineptos, rudes, judaeos (2). Cum itaque ex una parte omnis generis obstacula validissime huic propagationi obsisterent, ex altera vero religio subsidiis omnibus naturalibus ad ea superanda idoneis, penitus esset destituta, impossibilis erat hujus religionis propagatio, nisi invisibilis ac supernaturalis virtus ei adstitisset; nam ubi vis motrix est minima ac pene nulla, et oppositio seu resistentia est maxima, effectus obtineri nequit, nisi occulta aliqua virtus praesto sit, quae certe in casu nostro esse non potuit nisi supernaturalis atque divina.

374. Jam vero haec propagatio vel contigit propter miracula, vel sine miraculis; si primum, divina jam est religio, quae obsignata fuit certissima veritatis ac divinitatis nota, cujusmodi miracula esse ostendimus; si alterum dicitur, propagatio hujus religionis est omnium primum maximumque miraculum. Sic impios ac infideles sui temporis premebat s. Augustinus (3).

(1) Gibbon ipse graphice describit miserandam Christianorum conditionem tribus illis prioribus saeculis in *Historia de casu imperii romani*, c. XV.

(2) Eloquentissime, ut solet, hoc argumentum evolvit S. Joan. Chrysost. Orat. V *Contra gentiles*, Hom. *Quod Christus est Deus*. Illud etiam eleganter illustrat Segneri noster in numquam satis commendato opere *L' incredulo senza scusa*, p. 2, c. 9.

(3) *De civ. Dei*, lib. XXII. Feliciter hoc Augustini argumentum Dantes expressit in suo *Paradiso*, Cant. XXIV, his versibus, 106 et seqq.

Se il mondo si rivolse al Cristianesmo,
Diss' io, senza miracoli: quest' uno
È tal, che gli altri non sono il centesmo.

Perbelle autem illud evolvit Card. Pallavicinus in opere *Arte della perfezione cristiana*, lib. I, c. XVI, his verbis: « Per conoscere che la conversione del mondo fatta senza miracoli sarebbe stato maggior miracolo, facciasi ragione, che i misterii di nostra fede come superano nell' esistenza il poter della creata natura, così superano nella credenza l' intender della creata natura; onde ciò che la natura fa, e ciò che ella sà non basta a renderli prudentemente credibili. Solo il miracolo, siccome testimonianza di Dio, che non può nè cader, nè trarre in errore, li costituisce meritevoli di credenza. Ora il miracolo può essere di due maniere; o esteriore ed aperto al senso, com' è illuminar ciechi, risuscitar defunti, e ciò intende s. Agostino col nome universal di miracoli nella prima parte del suo disgiunto; o interiore, movendo l' intelletto, e la volontà a ciò che lor sarebbe impossibile per natura, e questo è quel più stupendo miracolo, il qual afferma s. Agostino, che sarebbe accaduto se il mondo senza miracoli della prima sorte si fosse convertito a Cristo. E dirittamente l' afferma; poichè tra le suddette due qualità di miracoli maggior miracolo è quello per cui Dio si mostra signore assoluto d' una maggior natura; ma superiore a tutte le corporali nature è l' intellettuale; adunque maggior miracolo, che il ridurre un occhio acciecato a condizion di vista, e un corpo defunto a condizion di vita, è il sospingere l' intelletto in atti eccedenti l' operar suo naturale. Or questo sarebbe avvenuto se innumerabili uomini sapientissimi, senza argomento di miracolo esteriore, avesser prestata fede a misterj tanto più alti di ciò, che

DIFFICULTATES

375. Objicitur primo cum Gibbon (1) aliisque incredulis : Ex conjunctione ac veluti concursu plurium causarum naturalium ratio sufficiens habetur propagationis religionis christianae. Eo contulit 1. tot populorum conjunctio sub una imperii romani auctoritate, quo factum est, ut fama longe lateque propagaretur novae istius religionis; 2. indoles philosophiae et dispositionis in plerisque philosophorum sectis illius aetatis, quae in mysticismum declinaverat, et in amorem solitudinis ac meditationis, quaeque rerum externarum contemptum ingerebat ac scepticismum circa paganam religionem (2); 3. bella et depopulationes provinciarum per barbaros, sub Gallieno imperatore praesertim, teste ipso Sozomeno (3), cui adstipulantur Theodoretus et Philostorgius; quibus factum est, ut inter barbaros numerus christianorum augeretur. Ex causis vero internis contulerunt, 4. ipsa christianorum

detta il conoscimento natio. E maggiormente perchè opponevasi a questa fede l' appetito inferiore, che molto può nella credenza . . . . poichè tal fede obbligava i credenti a condannar se stessi per delinquenti e rei di eterno supplizio, se non abbandonavano quei piaceri, ove il comun senso e la corrotta natura violentemente ci tira. Eppur gli articoli di questa fede s' infissero lor sì profondamente nel cuore, che d' altra materia non vergaron le carte, non cibarono i pensieri, non innamoraron gli affetti; sì che per sostenimento di essa alcuni tali sapientissimi uomini sofferser la morte, come san Giustino, sant' Ireneo, e san Cipriano; altri rinunziaron gli onori e le dignità, come san Paolino; altri si ritirarono a vita austera negli eremi, come san Girolamo e Arsenio; altri dieder ripudio a tutti i diletti del senso, in cui per addietro stavano profondamente sommersi, e ad ogni letteratura profana in cui trionfavano, come sant' Agostino. Ma più comprendendo in una parola che in molte, basti dir che a questa fede si convertì senza forza e di pura voglia tutto l' impero romano, in cui stava raccolto il fior dell' ingegno, e della sapienza terrena, e che era prima così nell' intelletto, come nella volontà occupato da opinioni, ed affezioni direttamente contrarie ».

(1) Gibbon, loc. cit.

(2) Haec difficultas jam proposita fuerat a Montesquieu, *Esprit des lois*, liv. XXIII, ch. 21; et a Deslandes, *Hist. crit. philosophiae*, lib. VII, c. 34. Eclecticismus, aiunt ipsi, opera Potamonis sub Augusto inductus fuerat. Quo argumento usi sunt Patres, ut facilius evincerent philosophiam, eo quod religio seu philosophia christiana selecta et praestantiora dogmata omnium sectarum in se continerent. Addunt praeterea, ea aetate qua religio christiana praedicari coepit, a pluribus philosophorum sectis inductam nescio quam aversionem ab imperio romano, quin imo et ab omnibus jam eversae reipublicae negotiis ἀπαθείαν, exinde perfectionis veluti ideam tum fere apud omnes contemplationi, meditationi ac solitudini affixam, quae semitam dogmatibus ac disciplinae christianorum aperiret, prout innuunt Justinus et Clem. Alex., dum passim tradunt per philosophiam Verbum jam populos praeparasse, praesertim vero Euseb. *Hist. eccl.* lib. III, c. 37: « Siquidem plerique, *inquit*, ex illis temporis discipulis, quorum animos ardentioris philosophiae desiderio Verbum incenderat, Servatoris nostri praeceptum jam ante impleverant (Σωτήριον πρότερον ἀπεπλήρουν παρακέλευσιν) divisis inter egentes facultatibus suis ». Ibi notat Willelmus Lowt Eusebium hic eos fortasse respicere, qui severioris vitae instituto et rerum mundanarum contemptu acti jam fuerant; quare praeceptum Christi de divisione bonorum pauperibus facienda *jam antea*, scilicet antequam religioni divinae nomen darent, adimpleverant. Sed res incerta ex Eusebio.

(3) *Hist. eccles.*, lib. II, cap. 6.

disciplina et vivendi ratio; ex quo enim evangelium praedicari coepit, frequentissimae fuerunt oblationes, primitiae, sportulae, agapae, convivia, mensae communes (1). Inducta deinceps sunt xenodochia aliaque his similia instituta, quae plures ad sectam christianam traxerunt, teste Juliano imperatore (2). 5. Facilitas, qua christiani inter suos admittebant omne perditorum mortalium genus, spemque praebebant criminum veniae facile impetrandae. Quare Julianus sic christianam religionem irridens: *Quisquis mulierum corruptor*, inquit, *quisquis homicida, quisquis piaculo et execrando scelere sese obstrinxit, fidenter adito; etenim simul atque hac aqua ablutus fuerit, illico ego eum purum reddam; quod si iisdem sese flagitiis rursus contaminaverit, efficiam, ut tonso capite et pectore percusso expietur* (3). 6. Fama miraculorum, quorum potestatem edendorum sibi attribuebant christiani, quamque summopere depraedicabant, plures decepit. Sive igitur spectemus humanarum causarum concursum, sive ipsius religionis christianae indolem, patet naturali omnino ratione eam propagari potuisse.

376. Resp. *Neg. antecedens* sive collective sive distributive sumptum, cum et impares effectui isti explicando sint causae, quae ex rerum humanarum concursu petuntur; calumniosae vero, quae ex indole et disciplina christianae religionis. Ac primo quidem impares sunt ejusmodi causae quae, licet collective sumantur, solum evincunt, res humanas divina providentia disponente concurrisse ad facilius *notitiam* evangelii propagandam, non autem movisse homines ad *credendum* et ad *amplectendam religionem* ea animi persuasione, ut pro ipsa parati essent ad bona, parentes, patriam, vitamque ipsam amittendam. Calumniosae vero sunt, quas ipsi ex indole religionis derivant, ut ex dicendis patebit. Sed jam singillatim eas disjiciamus.

377. Ad 1. *D.* Juvit ad *notitiam* evangelii disseminandam, *C.* ad movendos animos, ut ipsam amplecterentur *N.* Addatur plurimum ejusmodi imperii romani amplitudinem conferre potuisse ad ipsam religionem christianam facilius convellendam ex tacita ipsius Gibbon confessione (4).

378. Ad 2. *D. Poterat haec indoles*, etc. disponere *aliquot* eosque rarissimos ad amplectendam christianam religionem quoad *aliquas veritates morales*, et quidem in pari casu, *Tr.* omnes indiscriminatim, spectatis praesertim rerum adiunctis quae in probationibus recensuimus, et quoad omnes veritates *N.* Addimus philosophos, si fortasse aliquos excipias platonicos, teste s. Augustino (5), infensissimos prae ceteris adversarios

(1) Hanc difficultatem urget Thomas Hobbes in satyra, quam *Historiam ecclesiasticam* inscripsit, illis versibus:

Traxit, et ut dixi, multos aequatio vitae
Mensaque communis, queis erat una fides;
Doctis, indoctis, fidis simul et simulatis
Hoc paupertatis dulce levamen erat.

Sic etiam Felix Bodinus, op. cit.

(2) In *Epist.* XLIX. ad Arsacium Pontificem Galatiae, tum in fragmentis orationum circa finem, editionis Petavii.

(3) Apud Gibbon, loc. cit.

(4) Cons. Versio italica edita Mediolani cum specimine confutationis Spedalieri et anonymi c. III (tom. I, pag. 143, edit. Pisan.) Conf. Spedalieri *contra Gibbon*, fere tota sectione VI, par. I, ac praesertim c. III, pag. 262, edit. Placentinae.

(5) *De Verit. relig.* c. VII.

fuisse, quos ecclesia nacta sit; stoici siquidem et epicurei, qui primis illis ecclesiae saeculis in imperio romano principem inter ipsos locum obtinebant, summopere abhorrebant a christianorum institutis.

379. Ad 3. Eadem esto distinctio ac in resp. ad 1. nam eadem ratio militat. Addatur inter captivos plures sacerdotes ethnicos fuisse: quare ipsi idem non praestiterunt? Itaque omnes causae recensitae ab adversariis valent quidem in ratione *medii*, quo usa est divina providentia, non autem in ratione *causae* proprie dictae.

380. Ad 4. *D.* Et haec commendant sanctitatem christianae religionis et primorum christianorum, *C.* explicant causam propagationis vel *N.* vel *subdist.* Quoad aliquos, si insuper non debuissent sese exponere irae suorum, mortis evidenti periculo et in infinitas propemodum aerumnas se conjicere, *Tr.* omnes vel etiam plerosque in dictis rerum adjunctis *N.* (1). Addatur xenodochia, ptochia, gerontotrophia, etc. nonnisi sero instituta in ecclesia fuisse, postquam nempe pacem et securitatem ipsa adepta est.

381. Ad 5. *D.* Quatenus nempe christiana religio vel tota vel magna ex parte coaluerit ex scelestorum hominum faece atque colluvie, *N.* secus *subdist.* Et hos, quos admittebat religio in sinum suum, hac lege admittebat, ut veterem hominem exuti novum induerent juxta severa evangelii praecepta, *C.* quacumque ratione *N.* Nec praetermittendum est eo magis alienos homines esse ab amplectenda christiana religione, quo magis moribus perditi sunt atque corde corrupti; quod si plures ejusmodi conditionis homines ad christiana castra transierunt, in eo mirifice elucet virtus divinae gratiae, qua adeo perculsi sunt, ut christianam fidem professi mira statim morum sanctimonia fulserint, teste Plinio (2) ac ipso Juliano imperatore,

(1) Sportulae, etc. non dabantur nisi egenis, viduis, pupillis, etc. En verba Tertulliani, *Apolog.* c. XXXIX: « Haec quasi deposita pietatis sunt; nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensantur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis, re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt ». Haec ferme repetit s. Cyprianus, Epist. 38, edit. Pamelii, quae est ad Calcedonium et Herculanum collegas, et ad Rogatianum et Numidium presbyteros: « Cumque ego vos pro me vicarios miserim, ut expungeretis necessitates fratrum nostrorum sumptibus, si qui etiam vellent artes suas exercere, additamento, quantum satis esset, desideria eorum juvaretis, simul etiam et aetates eorum, et conditiones et merita discerneretis etc. ». — Ex quibus deducunt eruditi, matriculam necessitatum continuisse nomina egentium, aetatem, etc. aliquando nomina expuncta, aliquando addita quae opus essent ad alendam familiam, cum suis artibus quod esset satis sibi comparare non poterant. Hoc studium numquam defuit in ecclesia catholica. Innumera occurrunt exempla omnium saeculorum. Ethnicorum pauperes interdum alebantur ab ecclesia.

(2) Lib. X, epist. XCVII, scribit: « Affirmabant autem (christiani conquisiti) hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum abnegarent ». Addatur Tertullianus qui provocabat ethnicos, ut proferrent aliquem in carceribus detentum, vel extremo supplicio affectum aut conquisitum alia de causa praeter

qui ad Arsacium Galatiae Pontificem scribens, ut per ipsum ethnicos ad bene vivendum inflammaret, exemplum proposuerit ***Christianorum benignitatem in peregrinos, curam ab illis adhibitam in mortuis sepeliendis et sanctimoniam vitae*** (1).

382. Ad 6. *D.* Una cum veritate miraculorum praeteritorum, quae Christus et apostoli patrarunt, atque praesentium quae passim nempe a christianis peragebantur, *C.* fama tantum absque eorum veritate *N.* Postremum enim hoc supponere tum absurdum tum ridiculum foret. Addo minus etiam talem conjecturam valere, quod eamdem potestatem sibi tribuerint ethnici (2).

383. II. Obj. Nemo ab initio religionem christianam amplexus est, nisi populus; est autem pervulgatum illud Senecae adagium: ***Argumentum pessimi turba est***; ergo.

384. Resp. 1. *N. M.* Plures enim nos recensuimus ex judaeis et ethnicis, qui christianam religionem professi sunt, doctrina, nobilitate, opibus florentes. Illis addimus Polycarpum, Ignatium, Irenaeum, Justinum, Clementem, Ammonium, Origenem, Aristidem, Apollinarem, Athenagoram, Quadratum, Apollonium, etc., ut posteriores omittamus; addimus Glabrionem, qui sub Trajano magistratum gesserat, Flavium Clementem virum consularem Domitiani consobrinum, ejusque uxorem Flaviam Domitillam Augusti sanguine natam; addimus eos quos Tertullianus recenset ex palatio, foro, senatu; quos *omnis ordinis* recenset Plinius. Nonne adversarii nostri objiciunt plures philosophos ex indole philosophiae, quam profitebantur, ad christianam religionem venisse (3)?

385. Resp. 2. *D. M.* Et humilis plu-

illam fidei. — Cons. Mamachi, ***De orig.***, tom. I; Fleury, ***Moeurs des Israélites et des Chrétiens***, p. 2; Bossuet, ***Discours sur l' hist. univ.***, p. 2, ch. 19; Spedalieri, op. cit.; sect. IV, c. 1; et ex antiquis s. Augustinus, ***De moribus ecclesiae catholicae***.

(1) Ep. XLIX, edit. Spanhem. En ipsius verba: Τί οὖν ἡμεῖς οἰόμεθα ταῦτα ἀρκεῖν, οὐδέ ἀποβλέπομεν, ὃ μάλιστα τὴν ἀθεότητα συνηύξησεν ἡ περὶ τοὺς ξένους φιλανθρωπία καὶ ἡ περί τὰς ταφὰς τῶν νεκρῶν προμήθεια καὶ ἡ πεπλασμένη σεμνότης κατὰ τὸν βίον. Integra ferme epistola non continet nisi christianorum elogium.

(2) Cons. Spedalieri, *contra Gibbon*, sect. III, c. 2, 3, 8. *Origenes contra Celsum*, lib. I, affirmat, tot fuisse portenta a Christi sectatoribus patrata, *quae non tam trahebant ad Christum quam coactos etiam et invitos rapiebant*, ὅτι πόλλοὶ ὡσπερεὶ ἀκόντες προσεληλύθασι χριστιανισμῷ. Notae sunt provocationes publicae Tertulliani, Cypriani aliorumque Patrum.

(3) Apposite Hieronymus, ***Praefat. in Catal. Script. Eccl.: Discant igitur***, inquit, ***Celsus, Porphyrius et Julianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores*** (qui putant ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores), ***quanti et quales viri eam fundaverint, extruxerint; et desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere***. Nonne jam publica existebat in urbe Alexandriae schola a primis ecclesiae saeculis instituta, in qua viri doctissimi Ammonius, Pantaenus, Clemens Alex., Origenes, etc. floruerunt, et ad quam vel ipsi ethnici turmatim confluebant? En quid de ejusmodi schola scribat Eusebius, ***Hist. Eccl.*** lib. V, c. 10, ubi loquens de Pantaeno: Ἐξ ἀρχαίου ἔθους, inquit, διδασκαλείου τῶν ἱερῶν λόγων παρ' αὐτοῖς συνεστῶτος, ὃ καὶ εἰς ἡμᾶς παρατείνεται, καὶ πρὸς τῶν ἐν λόγῳ καὶ τῇ περὶ τὰ θεῖα σπουδῇ δυνατῶν συγκροτεῖσθαι παρειλήφαμεν, id est, « Jam inde a priscis temporibus, sacrarum litterarum schola in ea civitate fuerat; quae quidem nostra adhuc aetate

rimorum fidelium conditio est antiqui vaticinii adimplementum de iis, qui in futurum Messiam credituri sub initio erant, *C.* aliquid roboris detrahit argumento nostro N. Conf. Is. LXI, 1 cum Luc. IV, 17 et seqq.

386. Ad Prob. *Argumentum pessimi turba est, D.* Cum agitur de speculativis quibusdam veritatibus, circa quas turba indifferenter se habere potest, *Tr.* cum agitur de deserenda religione, quam cum lacte suxerat, atque de nova amplectenda, invisa, cupiditatibus inimica, cum famae, parentum, bonorum omnium vitaeque ipsius discrimine *N.* In negotio enim religionis sive verae sive fictae, multo illi tenacius adhaeret turba, populus, plebs, quam sapientes et nobiles; hinc si turba religionem christianam amplexa est, ad id praestandum nonnisi aut argumentorum evidentiam, aut divinae gratiae omnipotentem virtutem, aut utramque simul fortiter suaviterque ipsam impulisse dicendum est.

387. III. Obj. Christiana religio acceptum referre debet incrementum suum magna saltem ex parte persecutionibus imperatorum christianorum; ergo.

388. Resp. *N. A.* Nam religio christiana jam longe lateque per universum orbem propagata erat, eamque profitebatur major forsan incolarum romani imperii pars, ante Constantini conversionem (1). Imperatores christiani col-

perseverat, et ab hominibus tum eloquentia tum divinarum litterarum studio instructissimis obtineri dicitur ». *Porro*, sub Severo (inquit anonymus chronographus) floruit Pantaenus, quem secutus est in schola (alexandrina) Clemens Stromateus, hunc Origenes. Cf. Cave, *Hist.* vol. II, p. 37, ad annum Christi 181; ergo jam inde a saeculo II celeberrima illa schola florebat.

(1) Cons. Spedalieri in *Analisi dell' esame critico di Freret*, cap. VII, art. 3, et seqq. Etsi Constantius imperator arianus sub poena capitali prohibuerit exercitium idololatriae, nulla supersunt monumenta, ex quibus constat, illas leges fuisse executioni mandatas; imo s. Augustinus aperte scribit: *Quis unquam detectus non negavit, vel saltem timore poenae tantum scelus se numquam patraturum promisit?* Ipse Gibbon fatetur irritos conatus illos fuisse. Julianus imperator idololatriam propugnavit post Constantii obitum, et rursum juxta Freret religio pagana dominari quodammodo coepit. Sed hic duo sunt notanda Freret mendacia; I. quod negaverit Julianum christianos fuisse persecutum; hoc enim falsum est; nam dupliciter saeviit in christianos, indirecte per discordiae inter Praelatos semina quae ipse jecerat; directe per vim, exilia, bonorum direptionem, cruciatus, mortem. In martyrologio romano plura occurrunt nomina eorum, qui sub Juliano passi sunt. S. Gregorius Naz. ejus crudelitates palam ipsi exprobravit. Fictos saepe praetextus quaerebat eadem ratione, ac postea factum est sub Elisabetha anglorum regina, aliisque passim. Alterum mendacium Freret est, quod denuo sub Juliano religio pagana amissam recuperare coeperit dignitatem. Julianus in epistola ad Artemonem conqueritur, *quod nemo inveniretur qui redire vellet ad derelictum numinum cultum*, ac rursum scribens ad Libanium sophistam, conqueritur, quod sermones habiti ad incolas Bereae, ut ipsos inducerent ad denuo amplectendam religionem majorum, nullos pepererint fructus. Quod si nonnulli rursum ad idololatriam redierunt, ut referunt ss. Gregorius, Basilius, etc., ii ipsi fuerunt qui christianam religionem professi erant sub Constantino, arianam sub Constantio, et paganam sub Juliano, eadem ratione qua in Anglia Kranmer et Paulet, Caecilius aliique fuerunt semi-catholici sub Henrico VIII, protestantes sub Eduardo VI, catholici sub Maria, denique rursum protestantes et calvinistae sub Elisabetha. Paulet sub quinque Regibus quater mutavit religionem. Ceterum Jovinianus successor Juliani paganos persecutus non est, Valentinianus eos protexit, Valens pepercit ethnicis,

labentem jam undique idololatricam superstitionem vel proprio fato permiserunt, vel nullo ferme negotio funditus sustulerunt.

589. IV. Obj. Paganismus, mahumetanismus, protestantismus brevi longe lateque propagati sunt: ergo celeritas propagationis christianae nihil habet supernaturalis aut divini; in insito siquidem humani cordis novitatis amore et exemplo principum habetur ratio sufficiens propagationis cujuscumque religionis, ideoque et christianae (1).

590. Resp. *D. cons.* Celeritas *per se*, etc. *C. cum omnibus suis* adjunctis *N.* In hoc enim praecise totum consistit propositi argumenti robur, non autem in materiali, ut ita dicam, propagatione in se spectata. Hinc *Neg.* paritatem. Quid mirum si pagana superstitio tam late propagata sit, innixa cupiditatibus ac vitiatae propensionibus naturae, et simul freta auctoritate, potentia ac legibus principum? Si tamen paganismus una religio dicendus est, et non potius unum nomen. Sic nihil mirum est, si islamismus, utpote secta cupiditatibus blandiens ac praeconceptis magna ex parte opinionibus conflata, inter arma et caedes, tam celeriter creverit; praesertim cum ob diuturnas simultates et bella, ad internecionem pene usque pertracta, inter romanos et persas, utriusque imperii vires consumptae essent. Quod demum attinet ad protestantismum, nemo est qui ignoret, animos jam a longo tempore diversis concurrentibus causis ad illam veluti praeparatos atque dispositos. Agebatur praeterea de reformatione, quae ad majorem in moribus ac disciplina licentiam homines alliciebat, quae furtis, expoliationi bonorum ecclesiasticorum, quibus et principes et privati non pauci inhiabant, aditum aperiebat, quamque politica rationum momenta promovebant (2). Addo ingens esse discrimen inter introductionem novae religionis, veteri receptaeque omni ex parte contrariae, et corruptionem alicujus religionis sub falsis praetextibus, qualis reformatio lutherana fuit. Sed praeterea distinguendum est inter lutheranismum proprie dictum et protestantismum; primus enim saltem valde propagatus non est, sed brevibus limitibus circumscriptus et cito in plures sectas divisus; alter vero, cum non sit nisi negativus, nil aliud significat, nisi *magnam defectionem*, non autem *diffusionem* proprie dictam.

591. Ad Prob. de insito humani cordis novitatis amore, *N.* Etenim nihil magis obstat propagationi religionis, quam ejusdem novitas; haec profecto perpetua fuit ethnicorum exceptio adversus religionem christianam, ac maximum obstaculum, quod ipsa superare debuerit. Exemplum principum,

saeviit in catholicos. Sub Theodosio, Arcadio et Honorio vix reliquiae inveniri poterant paganismi in toto imperio romano. Nam a saeculo v labente jam vix fit mentio de paganis.

(1) Sic etiam post alios multos incredulos Wegscheider hac de causa rejicit argumentum pro divinitate religionis christianae desumptum ex ejus propagatione dum ait: » Neque fausta ecclesiae propagatio et conservatio, quod eadem et islamiticae religioni contigit, inter documenta veritatis atque originis divinae referri potest » (op. cit. p. 1, c. 2, §. 51, not. 1). Ita etiam Felix Bodinus loc. cit.

(2) Cons. Bossuet, *Hist. des variations*, liv. 1; Bernini, *Storia di tutte l' eresie*, tom. IV, edit. Rom. 1709; Zaccaria, *Antifebronio*, tom. 1, lib. 1; Cobbet, epist. 1. Certe vel ipse Hume, qui nihil credebat et neminem reverebatur, aperte fatetur, » Que le véritable fondement de la réforme fut l'envie de voler l'argenterie et tous les ornemens des autels (Histoire d' Elisabeth, trad. de l'anglais, ch. 30, an. 1568).

si quid probaret, evinceret, idololatras primis ecclesiae saeculis a religione christiana summopere abhorrere debuisse (1).

PROPOSITIO IV.

Conservatio Christianae Religionis in omnibus suis adjunctis spectata non minus certum divinae ac supernaturalis Christi missionis suppeditat argumentum

592. Christus Dominus non solum religionis suae propagationem sed et conservationem vaticinatus est usque ad consummationem saeculi (Matth. XXVIII, 20), ac portas inferi numquam praevalituras adversus ecclesiam, quam aedificaturus erat super Petrum (ibid. XVI, 18). Si adimplementum suum sortitum est vaticinium, patet non minus certum a nobis desumi argumentum ad divinam Christi missionem evincendam ab ipsius religionis conservatione quam ab ejusdem propagatione. Ad tollendam vero omnem aequivocationem, praemittimus, nos hic non aliam communionem sub christianae religionis nomine designare praeter *catholicam*, in cujus solius conservatione divinae virtutis efficacia elucet, ut jam ostendimus.

593. Religionis christianae conservatio non minus certum argumentum suppeditat divinae ac supernaturalis originis suae quam ipsius propagatio, si eadem adjuncta concurrant tum ex parte difficultatum, tum ex parte eorumdem defectuum naturalium causarum in iis superandis ad ipsius conservationem, quae concurrerint adversus ejus propagationem. Atqui ita est, etc.

594. Et sane, praecipuum impedimentum seu obstaculum, quod oppositum est christianae religionis propagationi, praeter dogmatum arduitatem, est bellum quod indixit omnibus cupiditatibus; jam vero hoc ipsum ejus conservationi semper obstitit; quo factum est, ut pugnare perpetuo debuerit adversus duplicem, ut ita dicam, hostium aciem, externam nempe atque internam. Externi ecclesiae catholicae seu religionis christianae hostes tribus prioribus saeculis fuerunt ethnici, qui in ipsam omnem saevitiem exercuerunt, quae postea recruduit sub apostata Juliano, qui crudelitati astutiam adjunxit; quibus addendi sunt subsequentibus saeculis persarum et islamitarum conatus. Interni praeterea hostes, qui ecclesiam catholicam omni molimine oppugnare aggressi sunt, innumerae prope fuerunt haereticorum sectae, quae vel ab ipsis christianae religionis incunabulis et quovis deinceps saeculo exortae sunt usque ad protestantismum ejusque propagines, anabaptistas, socinianos, quackeros, unitarios, biblicos, rationalistas. Quibus sese adjecerunt schismaticorum turbae novatianorum, donatistarum, graecorum, ruthenorum, anglicanorum, quarum aliquae numerosissimae quandoque fuerunt, ac imperatorum, regum ac principum favore ac potentia fretae formidabiles fuerunt vel etiam sunt. Ad internos quoque ecclesiae catholicae hostes spectant tot vel aperti vel occulti apostatae, tot perduelles filii, qui maestissimae matri nec minus atrox nec minus diuturnum bellum intentarunt, ut jansenistae, deistae, athei, pseudo-politici, tot occultae sectae, quae facile numerari profecto non possunt (2).

(1) Cons. Spedalieri, op. cit. *Analisi dell' esame critico di Freret*, tom. 1, c. 7, art. 8, p. 250.

(2) In Gallia, Anglia, Hispania, Germania, Italia innumerae prope insurrexerunt occultae societates, quae diversa nomina sub-

595. Hi porro sive seorsum, sive conjunctis viribus, eam oppugnarunt tum aperta vi, dirissimis scilicet in eam ejusque ministros excitatis persecutionibus, tum calamo ac publicis typis undique argumenta conquirentes non solum ex scriptura vel ecclesiasticis monumentis, sed et ex historia, antiquitate, chronologia, physica, mathesi, astronomia, therapeutica, geologia, sculptura, pictura, poësi, etc., adeo ut vix humanae scientiae vel artium liberalium pars aliqua sit, qua abusi non fuerint et ex qua identidem arma non desumpserint, ut ecclesiae extremam perniciem inferrent.

596. Hae praeterea sectae omnes, cujuscumque demum denominationis, licet inter se oppositae, semper colligatae fuerunt, quamdiu actum est de impugnanda catholica religione, et intimo insuper nexu conjunctae cum internis hostibus fuerunt et sunt ad finem hunc obtinendum, adeo ut destructio religionis catholicae sit velut unum omnium velut objectum attributionis, quod sibi proposuerint atque proponant. Adversus hanc unam ethnici, adversus hanc haeretici, schismatici, increduli omnes et pessimi quique; in hanc dicteria congerunt, in hanc calumnias struunt, hanc unam ex politicis principiis invisam vel saltem suspectam principibus viris reddere conantur. Adversus hanc foedera et societates ineunt, quibus sese singuli jurejurando obstringunt, ut nullis parcant sumptibus, nullis incommodis, itineribus, nullis mediis ad finem assequendum (1).

597. E contra christiana religio seu ecclesia catholica, ab humilibus exorta principiis, passim sibi relicta, saepe filios suos, qui auxilium illi ferre potuissent, indifferentes, saepe etiam adversos experta est, qui latens bellum in praecipuam ejus sedem ac in sua veluti castra inferebant, interdicendo communicationem omnem ac dependentiam ab ea, quae omni humano ut plurimum est destituta praesidio (2).

inde sumpserunt, Fratrum, Illuminatorum, Muratoriorum, Carbonariorum, etc. quae omnes eo tendebant, prout tendunt ad christiani nominis excidium. Non parcunt viribus, pecuniae, calumniis, hypocrisi, dummodo finem suum obtineant.

(1) In sola Gallia ab anno 1817 ad annum 1824, omissis 600,000 voluminibus bibliothecae saeculi XVIII, jam numerabantur 2,741,400 volumina impressa operum Voltaire, Rousseau, Helvetii, Diderot, etc.; anno 1827 numerabantur 5,000,000.

(2) Satis est hic speciminis gratia commemorare, febronianos omnes, eosque, qui congressus, seu potius conjurationis vulgo *D'Ems* nuncupatae, placita sectantur, atque etiamnum in praxim deducere satagunt, aliosque ejusdem furfuris homines. Dignum plane est quod legatur opus *Memorie storiche di Monsignor Bartolommeo Pacca, ora Cardinale di santa chiesa, sul di lui soggiorno in Germania dall' anno* 1786 al 1794, Roma 1832, in quo veridicae quamplures notitiae congestae habentur. Et tamen qui haec praestant catholici sunt. Quid fiet a protestantibus! Perpendatur edictum Magni ducis Hassiae relatae ad exercitium religionis catholicae in suis provinciis editum 30 Januarii anno 1830, Darmstad, nec non Ducis Badensis, etc. Si sermo sit de genevensibus, legatur Dominus Nachon, qui in sua *Lettre sur la tolérance de Genève*, Lyon et Paris 1823, per documentorum seriem ab anno 1553 usque ad annum 1823 ostendit; ipsos numquam destitisse a systemate persecutionis adversus catholicos; facile esset hanc documentorum seriem protrahere usque ad hunc annum, ut pateat, quomodo ipsi sibi cohaereant, ac quomodo verba cum operibus consentiant. Bergier provocat reformatos, ut vel unum locum indicent, quem quandoque obtinuerint, et in quo catholicos persecuti non sint.

398. Attamen vix paganismus vel sectae externis praesidiis caruerunt, vel levem aliquam adversitatem passae sunt, cum citius vel serius evanuerunt, nec nisi nomina sua in infami ecclesiae hostium albo reliquerunt; aliae nullis etiam regum conatibus potuerunt sustentari; aliae in tot sunt frustula divisae ac ita a primordiis suis diversae, ut vitam seu existentiam vix aliquam habeant, si excipiatur politica et externa, quae solo odio communi, supra (393-395) exposito, alitur ac sustentatur, steriles omnino sunt ac infoecundae.

399. Ecclesia vero catholica, licet internum atque externum permanens bellum sustinere debuerit ac debeat, licet experimentis omnibus gladii, calumniae, barbariei, scientiae, picturae, sculpturae, typographiae, confoederationum fuerit subjecta, licet per vicissitudines saeculorum modo prosperas modo adversas transire debuerit, quotidie cernit ex inimicis suis cadere a latere suo mille et decem millia a dextris suis, et novis insurgentibus veteres deficere, semper sibi constans, semper victrix, ex sua virtute fortis, semper una, semper foecunda ac majestate plena ad instar regalis fluvii, qui quo magis ab origine abscedit, aquis eo copiosioribus redundat, dum gentes ad fidem conversae ad eam undique confluunt, dum sinum aperit ad colligendas dispersiones Israelis, id est, eorum omnium, qui sincere atque ex corde veritatem inquirunt ex diversis sectis, vel qui ex filiis suis ad meliorem frugem se recipiunt, pristinos errores et fallacias ejurando. Veluti civitas super montem posita in signum semper est populorum, qui oculos in eam attollunt, et ipsa laetabunda et gaudens miro semper ac novo charitatis affectu ad se venientes vel revertentes complectitur, et fructum ac consolationem percipit tot lacrymarum, quas pro eis fudit. Velut sol fulgens in medio nebulae usque ad extremum terrae micantes semper radios suos emittit et nuntios pacis ad eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ut lumine fulgoris sui perciti ad eam se recipiant et videant ac vivant.

400. Jam vero diversis imo plane contrariis his effectibus causa tribuenda est. Hic agitur de factis, quae in dubium revocari nequeunt; sectae ac superstitiones omnes licet omnibus humanis praesidiis suffultae, computrescunt et pereunt; christiana religio seu catholica ecclesia, omni saepe humana ope destituta, imo adversitatibus omnibus pressa, semper viget, semper virescit et proficit. Profecto nisi desipere velimus, nil aliud superest, nisi ut dicamus, illas utpote humana opera perire, ut homines ipsi humanis omnibus vicissitudinibus subjacent ac demum intereunt; haec vero utpote divinae originis divina adsistentia ac vita vivit, donec expletis saeculis ac mundi cursu canticum incipiat aeternitatis.

401. Hujus Dei adsistentiae erga ecclesiam suam perenne pignus atque argumentum sunt dona supernaturalia atque charismata, quibus semper abundant non pauci ex filiis ejus; prophetiae et miracula, quae numquam in ecclesia esse desierunt; virtutes omnes, quae heroicitatis, uti dicitur, gradum attingunt. Non ignoramus incredulos, protestantes, biblicos, rationalistas falsa scientia tumentes haec spernere atque irridere, nec mirum, quum vaticinia ipsa ac miracula biblica rejiciant; haec tamen irrisio, hic contemptus facta testatissima ac juridica non destruunt. Ecclesia quovis saeculo examine severiori instituto, tum de virtutibus in gradu heroico, tum de miraculis aliisque donis supernaturalibus, plures refert in Beatorum ac Sanctorum album. Istorum gesta et acta ab ecclesia probata sincero animo ipsi legant et expendant cum suis documentis, et tunc, omnibus vanis subtilitatibus et

paralogismis praetermissis, non minus de eorum veritate certiores fient, quam de peculiari Dei providentia erga ecclesiam suam, seu erga religionem a se institutam (1).

402. Ut igitur gravissimum hoc argumentum ad scholasticam methodum exigamus, ita concludimus: Conservatio religionis christianae non minus certum suppeditat divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum quam ejus propagatio, si, omnibus adjunctis perpensis, nulli naturali causae adscribi possit; atqui talis est christianae religionis conservatio ex dictis et demonstratis; ergo.

DIFFICULTATES

403. I. Obj. 1. Religio catholica systemati auctoritatis unitatem atque perpetuitatem suam refert acceptam, 2. non secus ac islamismus et judaismus. 3. Quod si sectae, quae ab ecclesia catholica exortae sunt, omnes perierunt, ratio est, quia proscriptae fuerunt a mundo exculto, et a potestate temporali persecutionem passae sunt. 4. Protestantismus et jansenismus steterunt; ille quia invenit praesidium in potestate temporali, hic quia ea aetate exortus est, cum non amplius haereses destruebantur ferro et igne (2). 5. Naturali igitur causae tum christianae religionis conservatio, tum sectarum destrutio adscribi debet. 6. Nec obstant miracula aliaque dona, quae supernaturalia dicuntur, tum quia haec nullam fidem merentur, tum quia fanatismum promovent et indigna sunt ratione bene exculta; ergo.

404. Resp. ad 1. *D.* Quod tamen systema ab ipso christianae religionis auctore Christo originem ducit, *C.* et praeterea soli systemati huic religionis conservatio adscribi debet *N.* Utique principium auctoritatis est fundamentum christianae religionis, aiente Christo: *Qui ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. XVIII, 17); *Qui vos audit, me audit* (Luc. X, 16), quod et alia ejusmodi testimonia apertissime evincunt, et nos suo loco ostendemus; at absurdum est, uni huic systemati ecclesiae conservationem adscribere, nulla habita ratione specialis divinae erga eam providentiae et adsistentiae. Alioquin omnes antiquae sectae quae, excepto uno alterove puncto sive fidei articulo, in quo erraruut, systema auctoritatis integrum retinuerunt, cujusmodi v. g. fuerunt ariani, quique universum fere orbem obtinuerant, debuissent conservari, quod tamen factum non est; contra protestantismus ex opposito principio statim destrui debuisset, quum omnem auctoritatem rejiciat. Itaque perpensis tum principio auctoritatis tum ceteris omnibus, quae in probationibus attulimus, conservatio extrinseca ecclesiae non nisi divinae adsistentiae tribui debet vel potest.

405. Ad 2. *Neg.* paritat. Ac primo quidem quod spectat ad islamismum, ipse quemadmodum sola armorum vi propagatus, sic eadem virtute conservatus est; porro ejus felicitas crescit aut imminuitur eodem gradu, quo ejus externa crescit aut minuitur potestas. Nulla enim intrinseca virtute consistit et conservatus est, perinde ac imperium sinense, quod a tot saeculis perdurat. Accedit quod neque intrinseca neque extrinseca illa experimenta islamismus

(1) Cons. *Discours sur la divinité de la religion chretiénne, que l' église qui forme des saints est la seule église de J.-C.* par le cardinal Gerdil, opp. edit. roman. t. xx.

(2) Ita Sismondi, *Revue encyclopedique*, Paris, Mars, 1826, art. *Des opinions religieuses*, p. 622.

passus est, quibus perpetuo subjecta fuit ecclesia catholica, ut ex dictis patet. Judaismus vero est in alio providentiae ordine constitutus, atque ex prophetarum et Apostoli vaticiniis sic debet perseverare usque dum compleantur tempora nationum (Rom. XI, 25); ipsiusque conservatio est publicum ac perpetuum testimonium tum judaeorum perfidiae tum divinitatis religionis christianae. Sed de hoc argumento in Tractatu de Incarnatione.

406. Ad 3. *D.* Quia scilicet a Deo non erant, *C.* secus *N.* Alioquin si a Deo fuissent, illis omnibus non obstantibus, conservatae fuissent, ut conservata est ecclesia catholica, quae longe acerbiora bella in se sustinuit, quam sustinuerint sectae illae.

407. Ad 4. *D.* Quoad nomen, *C.* quoad rem vel *N.* vel *subdist.* Subsistentia civili, *C.* religiosa *N.* Adeo enim protestantismus, ut suo loco ostendemus, deflexit ab origine sua, ut protestantismus hodiernus idem cum antiquo dici nullo modo possit. Praeterea addendum, ejus existentiam esse potius politicam et civilem quam religiosam, quatenus nempe nationes et principatum politicum constituit. Quod si, fatente Sismondi, ideo protestantismus non periit, quia confugit ad praesidium potestatis temporalis, ergo hoc sublato certissime, ut ceterae sectae omnes, ita et ipse in interitum ibit. Addatur protestantismum seu protestantismi naturam esse negativam, ac potius incredulitatem denotare, quam professionem alicujus positivae doctrinae; hinc perdurat ut perdurat defectio aliqua generalis sive apostasia, donec homines resipiscant a tali defectione. De jansenismo non supersunt nisi exiguae quaedam reliquiae, quae occultis artibus venenum suum propinare pergunt.

408. Ad 5. *Neg. cons.* Etenim si ab homine fuisset ecclesia catholica seu christiana religio, millies periisset, concurrentibus causis omnibus superius recensitis; sed ideo subsistit et floret, quia fundata est super firmam petram, adversus quam portae inferi non praevalebunt, licet perpetuum sit contradictionis signum.

409. Ad 6. *N.* Ad 1. Prob. *Quia nullam fidem merentur*, *D.* Apud incredulos, qui lucem in meridie negant nec dignantur fundamenta expendere, *Tr.* apud cordatos viros, qui sincere quaerunt veritatem *N.* Tria hic consideranda sunt: 1. Nos non loqui, ut superius innuimus, nisi de miraculis aliisque donis supernaturalibus a sede apostolica examinatis et probatis; reliquis enim non aliam fidem praebemus, quam illam, quae tribui debet monumentis, quibus innituntur, quaeque passim circumferuntur (1). 2. Non posse iis omnibus fidem detrectari, quin fundamenta subvertantur omnis moralis certitudinis; quum plura miracula referantur a testibus de visu vel de auditu immediate et quidem omni fide dignis, quaeque negari nec potuerunt ab ipsis protestantibus (2).

(1) Atque hinc patet illorum paralogismus, qui, ut fidem detrahant veris miraculis, ex obscuris ac incertae fidei auctoribus, ex legendis antiquatis corrogant miracula ac narrationes prodigiosas, supposititias et ad ingenium confictas, ut inde invidiam creent catholicis, eosque ut credulos traducant in miraculis admittendis, quasi non extiterint et non extent inter catholicos primi subsellii critici, qui bene discriminare valeant veras a fictis narrationibus. Haec tamen est passim recepta apud incredulos et protestantes cum catholicis agendi ratio.

(2) Cons. *Vie de s. François Xavier*, par le P. Bouhours, liv. IV, circa finem. Sic enim scribit Philippus Baldeus in *Hist.*

5. Licet fides nostra his non fundetur, attamen negari non potest illa tum testimonium esse divinae adsistentiae erga ecclesiam in cujus gratiam patrantur, tum fidem nostram plurium jucunditatis ac soliditatis hinc percipere, dum in communione fidei invenimur cum iis virtute et sanctitate eximia pollentibus, quique a Deo ejusmodi donis exornantur; quod nullae sectae habere possunt, et peculiare est unius ecclesiae catholicae.

Ad 2. prob. *Fanatismum promovent*, etc. vel *N.* cum hic fanatismus non promoveatur in ecclesia catholica, licet his donis instructa; vel *D.* Ex parte quorumdam privatorum, *Tr.* ecclesiae ipsius *N.* Si aliqui pane, vino, etc. abutuntur, num ideo mala dici debent ac rejici panis, vinum, aliaque alimenta? Plures pecunias falsas supposuerunt, quin tamen pecuniae e commercio sublatae sint.

410. Inst. Si religio christiana divina virtute subsistit, cur igitur principum potestate innititur, cur tot tribunalia instituit, cur concilia celebrat, aliaque innumera praesidia quaerit ad se tutandam?

411. Resp. Quia virtus et providentia divina humana media non excludit ad finem suum obtinendum. Deus promisit nobis panem quotidianum, quem tamen non desides et otiosi expectare sed quotidie ab ipso petere debemus. Ceterum de principum protectione, de tribunalibus satis diximus, ne eadem recoquere debeamus. Haec tamen hisque similia media inutilia forent, si Deus causam suam minime defenderet, ut patet ex defectione sectarum, etsi plures fuerint omnibus his mediis abunde instructae.

PROPOSITIO V.

Christianorum martyrum testimonium, omnibus ejus adjunctis perpensis, validissimum etiam est divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum

412. Christus non solum religionis suae propagationem et incrementum ejusdemque perpetuam conservationem vaticinatus est, sed praedixit praeterea imminentes, futuras ac continuas persecutiones, nec non discipulorum suorum constantiam, fortitudinem atque victoriam: *Si mundus vos odit*, inquiebat, *scitote quia me priorem vobis odio habuit* (Joan. XV, 18); *Absque synagoga facient vos; sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo* (Joan. XVI, 2); *In*

Indica: « Si Xaverius fuisset nostrae religionis (protestanticae), etiam apud nos ut alter Paulus cum veritate esset aestimandus; et colendus velut alter Paulus. Quamquam autem religionis fuerit a nostra diversae, aio, bonos omnes ejus zelo, vigilanti cura et morum sanctitate excitari debere ad cavendam in faciendo Dei opere negligentiam ». Richardus Hakluit praeco anglicanus, qui quidem calvinianus fuit, de eodem Xaverio: « Historiae modernae Indiae, *inquit*, plenae sunt praestantium virtutum et operum vim omnem naturae excedentium, quae vir ille sanctus patravit. *Tavernier calvinianus:* Equidem in Sinas non penetravit; vero tamen est simile, doctrinam christianam quam in insulam Niphon induxit, inde manasse in vicinas regiones, et propagatam fuisse studio et cura sancti hujus viri, quem recte sanctum Paulum et verum Indiarum Apostolum nominare possis ». Vel ipse denique Joan. Laur. Moshemius, qui nulli ferme pepercit ex sanctissimis viris qui ecclesiam catholicam illustrarunt, in *Instit. hist. christ.* tom. II, p. 8, ipsum *non vulgaris ingenii fortissimique animi virum* appellat.

mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum (Ibid. 33); *Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et Samaria et usque ad ultimum terrae* (Act. I, 8); *Vos autem testes estis horum* (Luc. XXIV, 48); *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum ..... cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. X, 16 et seqq.); *Ne ergo timueritis eos* (Ibid. 26).

413. Haec autem attulimus non solum ut pateat persecutionum praedictio, sed insuper tum divina adsistentia quae martyribus promittitur, tum constantia et victoria secutura, nec non martyrii objectum, quod non praecise consistit in asserendis iis quae intra mentem sunt posita, sed aliquid externum quod nempe sub sensibus cadat, cujusmodi sunt facta quae habentur vel de visu vel de auditu; de iis enim tantum aliquis potest testimonium ferre. Ex qua animadversione palam fit, solam religionem christianam, imo solam ecclesiam catholicam potuisse ac posse martyres habere. Ut enim in altera hujus lucubrationis parte ostendemus, sola ecclesia catholica a Christo instituta et fundata potuit esse testis ocularis et auricularis, ob numquam interruptam testium successionem, de iis quae Christus et gessit et docuit, et apostoli tradiderunt.

414. Animadvertimus insuper, prout in superioribus propositionibus observatum est, vim hujus argumenti non in solo martyrio divisim sumpto positam esse, seu in sola poena vel morte, sed in causa et in complexione adjunctorum quae martyrium comitantur ac muniunt, quae sex praecipue recensentur: 1. Martyrum multitudo ac varia conditio; 2. tormentorum saevitia atque diuturnitas; 3. animi robur, constantia, fortitudo, quandoque et laetitia; 4. spontanea multorum oblatio; 5. frequentia et publica miracula; 6. effectus. Quae omnia nonnisi in christianorum martyrium concurrunt.

415. Ac 1. quidem multitudo christianorum martyrum colligitur ex legibus indirectis ac directis, quae in imperio romano vigebant, per quas ad arbitrium praesidum poterant vexari christiani. Tales fuerunt leges, quarum meminit Cicero (1), quibus peregrina quaecumque vetita erat religio, quas quidem leges nec Caesares ipsos potuisse convellere, utpote unanimi consensu confirmatas, tradunt Origenes et Tertullianus (2). Tales praeterea fuere latae adversus atheos atque maleficos, in quorum censum christiani passim veniebant (3). Talis fuit lex neroniana, cujus

(1) Cic. *De nat. deor.* lib. III, c. 19; atque in sua republica cohaerenter ad leges romanas hanc legem esse voluit: » Separatim nemo habessit deos: neve novos, sed nec advenas, nisi publice adscitos, colunto ». Saepe etiam Livius harum legum meminit praesertim lib. IX, n. 30; lib. XXV, n. 1; lib. XXXIX, n. 16. Cons. *Lettres de quelques Juifs à M. de Voltaire*, par M. l'abbé Guénée, edit. Lyon, 1822, tom. I, lett. 3.

(2) Orig. lib. I. *Contra Celsum*; Tertul. *Apologiae* loc. cit.

(3) Ut patet ex apologiis nostrorum, qui semper cogebantur ab utraque atheismi et maleficii criminatione nostros purgare. Hoc vero maxime attendendum est, cum ex eo ratio reddatur, quare lenta quandoque, sed continua, simul modo in una, modo in alia provincia exarserit persecutio usque ad Constantinum, et cur videamus plures pertulisse martyrium

meminit Svetonius (1), qui commemorans ea, quae censet laudabiliter a Nerone constituta, haec habet: *Afflicti suppliciis christiani, genus humanum superstitionis novae ac maleficae*, quae nunquam abrogata est. Tales denique leges subsequentium imperatorum, quae tot tamque variae erant, ut Domitius jurisconsultus septimum de his confecerit librum *Officii proconsulis* (2), et Ulpianus unum ex titulis codicis legum imperialium. Colligitur insuper ingens martyrum multitudo ex apologiis Quadrati, Aristidis, Justini, Tertulliani, Athenagorae, quae vix legi possunt, quin animus commoveatur ob immanitatem cui passim christiani subjiciebantur; colligitur etiam ex iis, quae Serenius Granianus, Tiberianus et Plinius scribunt ad imperatores: *Non est justum christianos nullius criminis reos absque judicio puniri* (3); tum ex irregularibus quaestionibus, clamoribus ac tumultibus repentinis, quos compescere identidem vel ipsi imperatores debuerunt; ex cryptis, hypogeis, aliisque subterraneis locis, in quibus delitescere cogebantur christiani, ut sibi perfugium quaererent (4); denique evincitur ex scriptoribus ethnicis et christianis: certe ex Tacito (5) fuit *multitudo ingens* eorum qui sub Nerone crudeli martyrio necati sunt; *plurimos sub Domitiano christianos fecisse martyrium* patet ex Brutio apud Eusebium (6), quod confirmatur a Xyphilino Dionis continuatore, seu potius epitomatore. Cum vero Plinius sub Trajano quosdam christianos e vita sustulisset, *ipsa tamen multitudine perturbatus*, quid de cetero ageret consuluit Trajanum tunc imperatorem, ut scribit Tertullianus (7), atque ut de reliquis imperatoribus taceam, *innumeram fuisse multitudinem eorum* qui sub Diocletiano passi sunt, saepe testatur Eusebius (8); nec mirum, siquidem, ut

etiam sub iis Imperatoribus qui favebant rebus christianorum, vel saltem eos non persequebantur, v. g. sub Commodo, Alexandro, Severo, utroque Philippo, etc.

(1) De qua lege etiam aliqua scribunt Tertull. in *Apol.* c. IV; Sulpicius Sev. *Sacrae Historiae*, lib. II, ubi memorat *leges datas* a Nerone, atque *edicta proposita*; et Orosius, lib. VII, c. 5. Huc referuntur pariter rescripta Trajani et Hadriani, quibus prohibebatur quidem, ne christiani *inquirerentur*, sed tamen *punirentur*, si accusati juridice constaret de ipsorum professione, in eaque persisterent. En verba Trajani: » Conquirendi non sunt (christiani); si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen ut qui negaverit se christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret » (*Epist.* 98 inter Plinianas, lib. X). Quo factum est ut amplissimus aditus malignis, invidis, etc. aperiretur saeviendi in christianos.

(2) Apud Lactantium, *Instit.* lib. V, cap. XI.

(3) Plin. epist. cit.; et tamen erant humaniores proconsules et sub humanioribus imperatoribus Trajano, Hadriano, etc. vid. tum *Apol.* I, s. Justini n. 98, 69, tum Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, c. 8. Cons. Alexii Symmachi Mazochii *Disquisitiones in acta martyrii s. Justini philosophi et sociorum*; atque ejusdem *Comment. in vet. marmor. s. Neapolit. eccl. kalendar.* vol. II, p. 476 et seqq. Quid factum putemus de aliis sub severioribus imperatoribus Septimio, Decio, Valeriano, Diocletiano?

(4) De quibus consulendi Boldetti, Fabretti, Bosius, Arringhius; etc.

(5) Tacit. *Annal.* lib. XV, n. 44.

(6) *Hist. eccl.* lib. III, c. 18.

(7) *Apologet.*, cap. II.

(8) *Hist. eccl.* lib. VIII, c. 4, et lib. I *De vita Constantini*, c. 13, ubi comparat persecutionem Diocletiani et Maximiani bello civili.

refert Lactantius (1), *vexabatur universa terra, et praeter Gallias ab oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant*.

416. 2. Quod spectat ad supplicia, erant illa exquisitissima. Nero christianos pice ac resina perfusos tamquam faces noctu ad illuminandum inservire jussit, teste Tacito (2). Praesides per provincias invenerunt tauros aeneos candentes, ferreas laminas, faces, sarmenta, pectines ferreos, equuleos, forcipes, rotarum varia genera, torcularia, nervos, cruces, compedes, ungulas, plumbata, uncos, lebetes, sartagines, craticulas, aliaque innumera, de quibus fuse docteque egit Gallonius (3). Cuique enim pro arbitrio et sine lege saevire ac torquere fas erat, et ille gratia praestabat, qui ceteros crudelitate vinceret. Edicta enim generalia erant, quibus praecipiebatur, ut christiani a suo instituto *tormentis* retraherentur ac vincerentur (4); ex altera vero parte proponebantur apostatis deliciae, voluptates, honores, praedia, dignitates, imperatoris gratia ac favor, publica officia.

417. 3. Christiani tamen innumeri, cujuscumque conditionis, aetatis ac sexus, delicati, nobiles, servi, senes ac decrepiti et infirmi, fragiles foeminae, pavidi pueri atque puellae in toto qua patet terrarum orbe, data optione, supplicia potius eligebant ac saevos quosque cruciatus ea fortitudine et alacritate, ut retineri aliquando vix possent, quominus ipsi se sponte ad immania quaeque offerrent, *quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur*, scribit Sulpicius (5), *multoque avidius tunc martyria gloriosis mortibus quaerebantur; quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur*; et *dum latrones*, subdit Lactantius (6), *et robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant, et gemitus edunt victi dolore, pueri et mulierculae tortores suos tacite vincunt, et exprimere illis gemitum nec ignis potest*.

418. 4. Splendidissima identidem ac publica accedebant miracula, quae martyrium christianorum comitabantur, cujusmodi sunt ferarum mansuetudo, luces quibus carceres effulgebant, fontes subi-

(1) *De mort. persec.* c. 16, et rursum lib. v. *Div. Instit.* c. 9 et 11. Cons. praeterea erudita praefatio D. Ruinart ad *Acta martyrum sincera*, praesertim § 3, ubi Dodwellum refellit qui (*Dissert.* xi *Cyprianica*) contendit paucos martyres extitisse. Hunc sequuti sunt Gibbon aliique vel increduli vel protestantes, qui cum animadverterint magnam gloriam, quae ecclesiae catholicae obvenit ex tot martyrum fortitudine, moliuntur illorum numerum extenuare; ast irrito conatu.

(2) *Annal.* lib. xv, n. 44, edit. taurinensis.

(3) *De ss. martyrum cruciatibus*, Ant. Gallonii, Congregat. Oratorii presbyteri, Romae 1594, in 4, qui triennio prius jam ediderat eumdem tractatum lingua italica, *Trattato degl' istromenti di martirio*, etc.

(4) Cons. Lact. *De morte persec.* c. 13 et seqq., nec non Euseb. *De martyribus Palestinae*.

(5) *Sac. hist.* lib. ii. Epictetus apud Arianum lib. iv, c. 7, eos proponebat in exemplum fortitudinis. M. Aurelius eos *vitae prodigos* vocabat. Cons. Noghera S. J. *Riflessioni sui caratteri divini del Cristianesimo*, rifl. xx et xxi.

(6) *Div. Inst.*, lib. v, c. 15. Vid. acta s. Laurentii, s. Vincentii, s. Agnetis, Felicitatis atque Perpetuae, Symphoriani, etc. apud Ruinart. Legi non possunt absque commotione ac pietatis sensu genuina martyrum acta; tanta in eis elucet simplicitas et candor, ut rapiant legentium animos. Quis sane non afficiatur intimo devotionis affectu, qui legat epistolam s. Ignatii M. ad Romanos, ejusque martyrii acta, acta s. Polycarpi, s. Pionii, etc.

to erumpentes, etc. quibus stupore afficiebantur ethnici ipsi, quaeque leguntur passim in sinceris martyrum actis, in Eusebio (1), Lactantio (2), aliisque probatissimis auctoribus (3).

419. 5. Fructus ejusmodi passionum fuit mirabile religionis christianae incrementum, cujus rei testem damus Tertullianum, qui ita praesides alloquitur (4); *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos . . . . plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum . . . . nec quidquam proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra, illecebra est magis sectae*. Idem testantur Arnobius et Lactantius (5), nec non Theodoretus, qui praeclara hac utitur comparatione (6): *Sicut lignatoribus silvam caedentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quam sint rami qui inciduntur; ita tunc quoque, piis compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam evangelicam accedebant*. Quod probe intellexit apostata Julianus, *qui caedibus videns augeri res eorum* (christianorum), *vitavit, quae approbare non poterat*, ut scribit ejus encomiator Libanius (7).

420. Quibus sic leviter delibatis, ita concludimus. Facta, quae testata sunt a viginti, triginta, etc. testibus fide dignis, tamquam de visu vel de auditu ab iis, qui immediate ea ipsa perspexerunt, qui interposito jurejurando veritatem confirmant, qui, ne veritatem testatam prodant, patiuntur bonorum jacturam, exilia, adversaque omnia, in quavis legislatione extra omnem dubitationis aleam posita habentur, quin imo summum certitudinis gradum attingunt. Atqui non centum vel biscentum, sed myriades, sed innumeri propemodum ex christianis sunt, qui vel ab initio ipsius religionis ac deinceps numquam interrupta serie per tercentum plus minus annos in quavis mundi plaga testati sunt facta, quibus christiana religio nititur, nec solum interposito jurejurando, non solum omni bonorum jactura, sed sanguine ipso effuso inter acerbissimos diuturnosque cruciatus, quos immanissimi tyranni excogitare potuerunt. Ergo christianorum martyrum testimonium pro christianae religionis veritate tale est, ut non modo quamcumque juridicam probationem, sed et legum et naturae ipsius limites excedat (8).

421. Rursum: Spectata infirma communi hominum conditione, moraliter saltem impossibile est, ut tanta fortitudo, tanta animi quies, pax et alacritas in dirissimis diuturnisque ferendis suppliciis, qualis in martyribus christianis apparuit cujusque aetatis, sexus ac con-

(1) *Hist. eccl.* praesertim lib. v et seqq. et lib. ii, *De martyribus Palestinae*.

(2) *De mort. persec.*, edit. Baluzii.

(3) Apud Ruinart, op. cit.

(4) *Apolog.*

(5) Arnob. *Contra gentes*, lib. ii, n. 3, Bibliotheca PP. Galland; Lact. *Div. Instit.* lib. v, c. 23.

(6) Ἀλλ' ὥσπερ τῶν δρυτόμων τὰ δένδρα τεμνόντων, πολλῷ πλείους τῶν τεμνομένων ἐκ τῶν ῥίζων παραφυάδες βλαστάνουσιν· οὕτω δὴ τηνικαῦτα τῶν εὐσεβῶν ἀναιρουμένων, πολλαπλάσιοι τῇ τῶν εὐαγγελίων διδασκαλίᾳ προσῄεσαν, καὶ αἷμα τῶν ἐκτμηθέντων ἀρδεία τοῖς νεοφύτοις ἐγίνετο. Serm. ix, *De legib.* tom. iv, edit. Sirmondi.

(7) *Parentalis in Julianum*, n. 59. Ταῦτ' οὖν αἰτιώμενος καὶ ταῖς σφαγαῖς ὁρῶν ηὐξημένα τἀκείνων, ἔφυγεν ἃ κατεμέμφετο. In *Bibl. Fabricii*, vol. vii, edit. Hamburg 1715.

(8) Optime Sulpicius Sev. lib. ii, *Sac. hist.* relata serie decem acerbissimarum persecutionum concludebat: » Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est; neque majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus (postremae nempe persecutionis) vinci non potuimus ».

ditionis, per tot saecula, humanae ac naturali alicui causae tribui possit; impossibile est, ut homines ceteri non deterrerentur ab eo amplectendo instituto, in quo certissimae ac cruentissimae morti se exponerent, nisi peculiari divino aliquo afflatu commoverentur. Quod si vehementissimae huic praesumptioni accedant miracula publica ac testatissima, nulli amplius dubitationi locus esse potest de divina ac supernaturali ejusmodi fortitudinis et constantiae causa; seu quod idem est: Christianorum martyrum testimonium, omnibus ejus adjunctis perpensis, validissimum pariter est divinae Christi missionis argumentum.

DIFFICULTATES

422. I. Obj. Christianorum martyrium nihil evincit, si vel 1. ex stupiditate, vel 2. ex furore mentis et animi (fanatismum vocant), vel 3. ex inanis gloriae cupidine, vel 4. ex spe emolumenti, vel 5. ex inani exspectatione bonorum futurorum repeti possit ac debeat. 6. Quis enim ignorat cafros, nigritas, japones aliosque barbaros vel se praecipites e rupibus dare, vel ante idolorum plaustra se sternere in viis, ut ab iis conterantur, vel indorum viduas se in ignem immittere, ut sese maritis vita functis conjungant, tum ne se infamia polluant? Praeterea 7. si non poena sed causa martyrem facit, ut fert receptum religionis axioma, profecto dum concluditur veritas christianae religionis quia martyres habuit, supponitur id quod est in quaestione (1); ergo.

423. Resp. ad 1. *Tr. maj.; neg. min.* quoad singula membra; nam christianorum martyrium repeti non potest primo a *stupiditate*, cum plures litteris ac scientiis floruerint ex iis qui vitam pro Christo ultro dederunt. Ea enim aetate persecutio contigit, qua imperium romanum optime adhuc erat excultum. Nemo adeo bardus et stupidus est, ut data optione inter delicias et supplicia, inter libertatem et carceres, vitam et mortem, nesciat se determinare ad ea, ad quae illicitur a natura ipsa; demum ipsa sanctorum martyrum acta evincunt, nonnisi causa probe cognita atque ex intima veritatis persuasione eos sanguinem fudisse.

424. Ad 2. Neque ex *animi furore* seu *fanatismo*. Qui enim agitur aestu fanatismi, caeco impetu ruit; ast quies animique tranquillitas, quam in cruciatibus acerbissimis martyres nostri praeseferebant, responsa sapientissima, preces quas pro persecutoribus in ipso martyrii actu fundebant, amor quo comple-

(1) Ita auctor libri *Examen de la religion*, chap. 6, nec non levissimus ac nugacissimus auctor libri; *Promenades dans Rome*, D. de Stendhal, Paris 1829, tom. II, p. 13 et seqq., qui ut moris est ejusmodi peregrinatorum qui eruditionem ostentant, quidquid confert ad depressionem religionis catholicae ac Romanorum Pontificum, congessit sparsimque per totum librum disseminavit. Obsoletas fabulas ab heterodoxis ipsis repudiatas de Joanna papissa ejusque partu recantat. At enim praeter Bayle Leibnitius eruditam scripsit dissertationem, cui titulum fecit: *Flores sparsi in tumulum Joannae papissae*, atque impressa fuit in *Biblioth. hist. gottingensis*, qua ad nihilum redegit omnia supposita fundamenta hujus fabulae; attamen D. de Stendhal serio quaerit eam confirmare eruditionis peregrinae apparatu, et solitas protestantium naenias obtrudit, sive ad rem faciant sive non, dummodo contemptum ipse inspiret catholicae religionis; haec enim loca sunt communia omnibus ecclesiae hostibus, quae ipse continue recoquit. Difficile esset omnia mendacia et falsitates enumerare, quibus ejus opus scatet, atque in pluribus quae refert factis supinam ignorantiam ostendit.

ctebantur inimicos suos, legata quandoque facta de bonis suis in favorem carnificum qui eos trucidabant, non arguunt certe caecum animi impetum atque furorem. Fanatismus praeterea seu caecus animi furor nec omnes invadit, nec diuturnus est; at in casu nostro abripere debuisset doctos et indoctos, nobiles atque plebeios, senes, juvenes, puellas ipsas, ad universam terram sese extendere debuisset ac per tria continentia saecula. Cui haec suadere increduli poterunt?

425. Ad 3. Neque ex *inani gloriae cupidine*, quam bene norant a religione nostra proscribi, per quam omnem martyrii fructum amisissent; plures in speluncis ac silvis vel fame perierunt, vel a feris devorati sunt a nemine cogniti nisi a solo Deo. Infamia publica notati erant; plures conglobatim occisi vel combusti erant, adeo ut certi essent sua nomina ad posteritatem perventura minime esse. Denique magis a gloriae cupidine quam a gladio vel igne sibi timebant (1).

426. Ad 4. Neque a *spe emolumenti*, quae absurda fuisset, dum potius omnium bonorum jacturam pati deberent, ac nonnisi uno gradu a morte durissima diriderentur. Divites ac nobiles hac spe moveri non potuissent; innumeris, si resipuissent, opes, honores, commoda, officia publica offerebantur.

427. Ad 5. Neque demum ex *inani futurorum bonorum expectatione*, nisi certum ac persuasum ipsis fuisset divinam esse illam fidem, quam proprio sanguine obsignabant; neque ignorabant haec apostoli dicta: *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, inanis praedicatio nostra; si mortui non resurgunt, miserabiliores sumus omnibus hominibus; manducemus et bibamus, cras enim moriemur*.

428. Ad 6. seu 1. confirmat. *D.* Qui se ipsos interimant juxta propriae superstitionis impulsum, *Tr.* qui ab aliis mortem sustineant ad testificandam propriae religionis veritatem *N.* Patet proinde ingens discrimen, quod intercedit inter infelices illas superstitionis propriae victimas, et christianos martyres qui minime in se manus intulerunt, sed ab aliis mortem sibi illatam sustinuerunt ad facta testificanda, quorum vel spectatores vel testes de auditu fuerunt, ut in probationibus adnotatum est. Itaque in illis caecus furor, in his veritatis testificatio agnoscenda est (2).

(1) Quot vero sunt ignoti martyres, de quibus cecinit Prudentius in *Peristeph.* hymn. XI:

Relliquias memini me didicisse hominum,
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Utpote quos propriae junxit amicitiae;

quique, ut de justis V. T. scribebat Apostolus (Hebr. XI, 37 et seqq.), « circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti . . . in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terrae ». Innumeri prope sunt qui profecto nullo poterant gloriae stimulo moveri ad talia perferenda. Cons. P. Ansaldi, Ordin. praedic. in opere, « De causis inopiae veterum monumentorum pro copia martyrum dignoscenda adversus Dodwellum, » Mediol. 1740.

(2) Atque hinc in irritum recidunt, quae citatus Stendhal loc. cit. scribit: « Notre sympathie nous donne l'idée d'une douleur, qui réellement n'a jamais été sentie, la *plupart* des martyrs étaient plus ou moins *dans l'état d'extase*. De 1820 à 1823 six cents femmes du Bengale se sont brûlées sur la tombe des maris qu'elles n'aimaient point. Voilà un sacrifice vraiment senti, une douleur réellement atroce. Il est bien plus aisé de braver la mort pour les intérêts d'une théorie méta-

429. Ad 7. seu 2. confirmat. *Neg.* ex duplici ratione. Ac 1. quidem nulla datur circulatio, ut ajunt, seu petitio principii, dum per effectum assurgitur ad causam, vel a causa proceditur ad effectum; quando ex. gr. dicitur: *Homo vivit, ergo respirat*, vel e converso: *Homo respirat, ergo vivit*, ut dialectica docet. Jam vero in casu nostro ab effectu, multitudine nempe, fortitudine ceterisque adjunctis martyrum christianorum inferimus veram ac divinam esse religionem christianam, in qua et pro qua illi occubuerunt. 2. Quia jam con-

physique, soutenue par des gens d'esprit, qui de leurs discours tirent leur subsistance; ils persuadent aisément aux âmes poétiques qu'elles vont acquérir un bonheur éternel au prix d'une douleur de quelques heures . . . il paraît que ces moments de passion profonde, d'insensibilité et d'*extase* se sont souvent reproduits dans ces épidémies d'*enthousiasme* dont on trouve tant de traces dans l'histoire, toute imparfaite qu'elle est jusqu'ici. M. le D. Bertrand a fait un ouvrage estimé sur cet état d'extase, dont le magnétisme reproduit à volonté l'insensibilité parfaite (*Recit. de M. Cloquet*, en avril 1829). At 1. unde didicit majorem martyrum partem *extra se raptos* fuisse, cum id non legatur nisi de uno vel altero? Certe auctor noster acta martyrum neque a limine se salutasse ostendit, dum talia obtrudit. 2. Quo fundamento asserit christianos martyres ob theorias metaphysicas subiisse martyrium, et non potius, ut ostendimus, ad testificanda facta quae sub sensibus cadunt? 3. Qua fronte audet praeferre viduas indicas in ignem se conjicientes martyribus christianis, qui ab aliis illata tormenta et immanissimos cruciatus perferebant, dum illae vero fanatismo abreptae, seu potius ad effugiendum publicum ludibrium et ignominiam id praestent, ut refert Bartoli in *Asia*, nec ipse diffitetur paulo infra dicens: » Ces jeunes femmes de l'Inde se brûlent par honneur, comme en Europe on se bat en duel? » 4. Quomodo persuadere poterit sibi vel aliis, christianos martyres omnis et aetatis et sexus et conditionis totidem fuisse *animas poëticas*, qui absque fundamento voluerint omnibus atrocitatibus subjici ob inanem spem? Nonne plures doctissimi viri et philosophi martyrio coronati sunt? Imo illi ipsi, qui juxta Stendhal ceteros exhortabantur, nonne illi erant qui potissimum ad necem quaerebantur, episcopi nempe et presbyteri? 5. Si persuadebantur fortiter exigui temporis tormenta sustinere ad aeternam vitam sibi comparandam, ergo non erant extra se positi ac quodammodo insensibiles, ut *plerosque* fuisse asseruit auctor noster; mentita nempe jam bis est iniquitas sibi. 6. Si epidemia enthusiasmi ita afficiebat martyres, ut eos velut extra se raperet in statum extasis et insensibilitatis, qui factum est, ut tot vi tormentorum devicti deficerent, atque spectatores christiani saepe adeo cum tanto suo periculo debuerint vacillantes ad constantiam hortari? 7. Extasis, quam magnetismus excitat, et de qua frequenter adeo medicina loquitur, est status morbosus: nec de alia loquitur Alex. Bertrand, cujus operis compendium exhibet *Biblioth. univ. Genev.* tom. XXXVI, p. 63, 215. Jam vero numquid status morbosus potuit esse communis in universo terrarum orbe omnibus et juvenibus et senibus, viris, foeminis, etc. et quidem per tria saecula, et renovatus quoties recruduit in catholicos persecutio, et quidem privative christianorum seu catholicorum? Tales sunt magni sapientes christianae et catholicae religionis impugnatores! Quod spectat ad extases, quas interdum unus vel alter martyr est passus, istae non aliunde quam a Deo servis suis opitulante repeti possunt, ut patet ex ipsis actis ss. Felicitatis et Perpetuae, quae adversarius noster commemorat. Quae enim in illis recensentur de s. Perpetua nihil habent commune cum extasibus magnetismi; si tamen verum est quod magnetismi patroni praedicant, cum certum sit ex allatis documentis, ubi agebamus de miraculis, saepius magnetismum suum effectum non sortiri, ac plura illi tribui, quae falsa sunt?

stituta veritate et divinitate christianae religionis argumentis tum intrinsecis tum extrinsecis petitis ex miraculis, vaticiniis, doctrinae Christi sanctitate aliisque superius allatis, magis magisque eadem veritas confirmatur et roboratur ex ceteris motivis credibilitatis, cujusmodi sunt religionis christianae propagatio, conservatio et martyres in suis adjunctis considerata, quae sunt totidem vaticiniorum Christi adimplementa; falsum propterea est a nobis supponi quod est in quaestione.

430. II. Obj. 1. Religiones omnes, aegyptia, pagana, islamitica, atque in sinu ipso christianae religionis montanistae, donatistae, anabaptistae, protestantes suos proferunt martyres. Hinc prodierunt martyrologia anabaptistarum, quorum meminit Bayle (1), martyrologium anglicanorum; quod edidit Fox (2), protestantium, quod inter ceteros confecit Geddesius (3). 2. Freret contendit, primo ipso ecclesiae saeculo disputatum esse de vi argumenti quod a martyribus ducitur (4). 3. Validior quaeque animi commotio, ait auctor *Fabulae Sanctorum*, aut sectae augendae cupido tenebras offundit, ne ea expendantur quorum causa pugnatur; eo vel magis quod primis ecclesiae saeculis non defuere pastores, eloquentia non minus quam fanatismo valentes, qui simpliciorum imaginandi vim inflammarent. 4. Procedente tempore ita deferbuisse martyrii studia, ut jam christiana religio divinitatem suam hoc argumento tueri non possit; ergo.

431. Resp. ad 1. *D.* Proferunt eos quos martyres vocant, *C.* qui martyres sint cum omnibus illis adjunctis quae martyres nostros comitari ostendimus *N.* Haec enim solius religionis christianae seu catholicae propria sunt. Qui enim ab adversariis nostris martyres vocantur non sunt 1. nisi pauci; 2. nulla plerumque inter se fidei seu religionis communione colligati, qui pro *sua* potius *sententia*, quam pro religione pugnarent, vel saltem qui non ad testificanda aliqua facta, sed ad asserenda tantum quae in opinionibus speculativis seu in contemplatione posita sunt, ad adstruenda nempe propria placita; 3. plerique absque optione justo supplicio graviorum criminum rei damnati sunt, cujusmodi fuere donatistae (5), anaba-

(1) In Dict. crit. art. *Anabaptistes*, remarque F.

(2) *Acta et monumenta ecclesiae*, vol. 3. in fol., quae recusa sunt sub titulo *Martyrologium* an. 1684.

(3) Michaelis Geddesii martyrologium eorum qui in Hispania ob professionem religionis protestantium supremo supplicio affecti sunt, ex anglico latine convertit et vulgavit Moshemius, praemissa epistola amarulenta, 1732, in fine suarum dissertationum ad Hist. eccl. pertinentium, vol. 1. Altonaviae et Flensburgii 1733, edit. 2.

(4) Spedalieri, *Annal. dell' esame crit.* etc. p. 110 et seqq.

(5) S. Augustinus, auctor coaevus, qui Donatistas bene noverat, *Epist.* 88, alias 68, quae totius cleri hipponensis nomine data est ad Januarium episcopum donatistam, descripta mira Circumcellionum feritate, ita concludit n. 8: » Vivunt ut latrones, moriuntur ut Circumcelliones, honorantur ut martyres. *Et lib.* I, contra epist. Parmeniani, *c.* 8: Si quisquis ab imperatore vel a judicibus ab eo missis poenas luit, continuo martyr est, omnes carceres martyribus pleni sunt, *et c.* X, *illorum mores describens ait:* Inobedientes atque impii nec Deo reddunt christianum amorem, nec regibus humanum timorem; *ac rursum. lib.* II, cont. Epist. Parm. *c.* 3. Isti, *inquit*, cur non se respiciunt, quorum catervae gregum furiosorum huc atque illuc armatae ferro ac fustibus volitant, et tam crebris, ubi potuerint, stragibus, nequaquam tamen tanta immanitate satiantur, ubi per busta cadaverum eorum cum foeminis quae cum illis

ptistae (1), protestantes sub Carolo V (2), vel in Galliis vel alibi mulctati; et inter

passim commixtae contra ordinem rerum divinarum et humanarum diebus ac noctibus evagantur, tanta fervet ebrietas ut inde insaniam quotidianam non solum alios insectandi, sed etiam seipsos praecipitandi concipiant? »; et alibi passim. Cons. praeterea s. Optatus Milevitanus, *De schismate Donat.* lib. III, c. 6. Tales porro sunt martyres, quos cum nostris conferunt increduli!

(1) De anabaptistis satis est in medium afferre, quae de ipsis scripsit Bayle, art. cit. » Ils enseignèrent que là puissance des princes était une usurpation, et que les hommes sous l'évangile doivent jouir d'une pleine liberté. *Ac de Munzero, praecipuo sectae auctore ait:* Munzer devint si téméraire qu'il exhorta hautement les peuples à résister aux magistrats, et à contraindre les souverains à se defaire de l'autorité. Un tel Evangile plut si fort aux paysans d'Allemagne, qui trouvaient un peu trop rude le joug de leurs maîtres, qu'ils se soulevèrent en mille lieux, et qu'ils commirent une infinité de violences. On leva des troupes contr'eux, on les battit aisément, on en fit mourir un très-grand nombre ». Jam vero seditiosi, rebelles, conspiratores contra legitimam potestatem, digni profecto sunt qui martyrii laurea ab incredulis donentur. Sed ad penitius cognoscendos furores ejusmodi sectariorum legatur *Histoire des Anabaptistes*, Paris 1795, nec non *Histoire de l'hérésie de Vicleff, de Jean Huss et de Jérôme de Prague*, Lyon 1682, item Gerardi Croesii *Historia Quackeriana*, lib. III, Amstel. 1695.

(2) De quibus scribit post Grotium, *Annal. de rebus Belgicis*, pag. 112, edit. fol., Paulus Sarpi in *Hist. Conc. Tridentini*, lib. III, atque ex ipso Gibbon, op. cit. cap. 16; ubi, quum innumeris mendaciis subtilique astutia extenuare numerum christianorum martyrum tentaverit, refert ex auctoritate Grotii, sub Carolo V, 100 millia, vel saltem 50 protestantium millia, ex testimonio Sarpii, carnificis manu interemptos. Ast notum est in immensum ejusmodi numerum auctum esse, ut patet ex ipsa Grotii et Sarpii supputatione; deinde in bello occubuisse Belgas illos qui jugum excusserant imperatoris et mulctatos tamquam perduelles. Quod spectat ad calvinianos qui in Galliis subinde poenas dederunt, certum est eos ubique suis doctrinis inhaerentes civiles motus excitasse adversus legitimam auctoritatem. Dixi *suis doctrinis inhaerentes;* siquidem Franciscus I, ut refert Brantôme, affirmabat: » Le calvinisme et toute autre nouvelle secte tendent à la destruction des royaumes, monarchies et dominations ». Calvinus saepe clamat adversus auctoritatem cruentam regum, eorumque ferocem licentiam, vellet ipsos variis subditorum ordinibus subjicere; eos nonnisi populorum tutores appellat, eisque objicit turpem ignaviam velut perfidiam. Nota sunt *Principia Paris; Vindiciae contra tyrannos* Huberti Languet, qui magis notus est sub nomine *Junii Bruti*, qui hoc opus conscripsit, teste ipso protestante d'Aubigné, ut animos adderet reformatis ad conjurationem Ambacii. Agnoscitur liber *execrabilis*, inquit Grotius, Boucher et Ministri Sureau du Rozier, in quo auctor conatur ostendere, ut loquitur quidam protestans: » Qu'il est loisible de tuer leurs rois et reines ne voulant obéir à la religion prétendue réformée et porter le parti protestant. *Demum ceteris omissis, ex confessione ministri Jurieu:* Le cardinal de Richelieu, ôtant aux prétendus réformés leurs places de sureté, agit plutôt par une sagesse politique que par un zèle de religion. Il voyait que c'était un état dans un état, et que ces villes étaient des retraites de *rebelles* et de mécontens ». Sane vix est aliqua rebellio quae in Europa a trecentis circiter annis excitata est, quae ab ipsis non prodierit. Neque ejusmodi spiritus in ipsis immutatus est, siquidem paucis abhinc annis celebris protestans scripsit: *Si la réforme a fait la révolution, c'est son plus bel ouvrage*. Cons. *Mémorial catholique*, II. année, tom. IV, Juillet 1825, p. 21. et seqq. Cons. praeterea

incredulos Caesar Vanini ob patrata flagitia, vitiatae praesertim juventutis (1), ceterique passim, quos increduli vel protestantes ut martyres venditant. Tantum abest, ut supernaturalia cetera dona in iis eluceant, quae martyres christianos summopere exornarunt! Ad confirmat. *Hinc prodierunt martyrologia*, etc. *D.* quae in censu martyrum et sanctorum recensent facinorosos quosque ac perduelles, atque ob propria crimina mulctatos, *C.* martyres proprie dictos *N.* Quid enim testati essent ejusmodi pseudomartyres nisi propria placita privatasque sententias? Recolantur, quae superius adnotata sunt circa veri martyris characteres (2).

452. Ad 2. *D.* quatenus nempe, ut supra dictum est, non poena sed causa martyrem facit, *C.* alias *N.* Etenim inter validissima christianae religionis et ecclesiae divinitus institutae argumenta

Histoire du fanatisme, par Mons. de Brueys, Utrecht 1737, 2 vol. in 8. Idque, ut notatum est, ex ipsa reformationis seu protestantismi natura ac doctrina per applicationem principii fundamentalis independentiae religiosae ad statum politicum. Quare non est quod obtrudant, ut nunc faciunt nonnulli scriptores protestantes, catholicorum in aliquibus provinciis rebelles motus, cum hi contra catholicum principium seu doctrinam exorti sint, et fructus spectari debeant ipsius protestantismi qui et in catholicos nonnullos influxit. Sane ubique fere qui tales motus machinantur, religionis catholicae hostes infensi sunt et religionis catholicae sacerdotes persequuntur.

(1) De Julio Caesare Vanini atheismi pseudo-martyre consulendus Barthol. Gramondus testis ocularis, in *Historia Galliae*, lib. XII, qui refert eum furore percitum fuisse, cum cognovit nihil sibi profuisse simulatam catholicae religionis professionem ad promeritas poenas evadendas. Tales sunt plus minus omnes heroes, quos sive increduli sive protestantes in fastis suis recensent. Sibi eos habeant.

(2) De martyrologio foxiano, quod aeque in martyrologium Geddesii quadrat, dicit auctor opusculi *A sure way to find out the true religion*, D. Baddeley, edit. American. Boston 1831: » Hic liber sanctorum et martyrum mendaciis scatet, nam raro integra est aliqua historia in hoc immenso volumine, quae aliqua ratione falsificata vel subversa non sit... Percurram tamen primos sex menses kalendarii foxiani, et verum protestantium istorum sanctorum et martyrum characterem exhibebo ». Speciminis gratia ne longiores simus haec pauca exempla bonae fidei Foxii ex citato auctore afferimus: 2. die Januar. *Joannes Wikleff martyr.* Ast iste Wikleff minime occisus, neque in carcerem ob haeresim conjectus est, sed in suo lectulo Lutterworth in Leicestershire diem obiit supremum. 3. Januar. *Wilhelmus Swinderby martyr*, anno 1400. Quamvis ipse Fox dicat eum anno 1401 post duodecim menses, non magno affectum infortunio fuisse; neque ipse scit quid de illo factum fuerit. 7. die Jan. *Roger Acton martyr*. Hic in vitam Henrici V conspiravit, atque in aperta seditione captus et ob proditionem suspensus est, non jam, ut refert Fox 7. Januar. 1401, sed 10. Febr. 1414. 8. Jan. *Joannes Brown martyr*. Ex ipsis perduellionibus fuit, et ob eamdem causam laqueo interiit; et sic dicatur de caeteris ejusdem farinae hominibus vel conspiratoribus vel latronibus, etc. quos in album sanctorum et martyrum refert Fox. Cons. op. cit pag. 54. et seqq. Ipse Pearsonius exprobrat Joanni Fox falsas citationes, prava ratiocinia, etc. Cons. Feller, *Dictionnaire historique*, art. *Jean Fox*. Sed prae ceteris circa kalendarium foxianum legi debet opus P. Personii S. J. de conversionibus anglorum, cui titulum fecit: *The third part of a treatise entitled conversions of England*, etc. anno 1604, sine loco, tom. II, p. 3, c. I et seqq., ubi inter cetera ostendit plures in vivis adhuc fuisse, quos Fox in suum retulerat martyrologium!

verum martyrium primos ecclesiae patres attulisse Clemens romanus, Justinus, Irenaeus, Cyprianus, Hieronymus, Lactantius aliique passim testes locupletissimi sunt (1); satis sit hic s. Hieronymi verba proferre: *Cum quis viderit*, inquit, *tanta perseverantia stare martyres atque torqueri*, *subit tacita cogitatio quod, nisi verum esset evangelium, numquam sanguine defenderetur*.

433. Ad 3. *D*. In perbrevi quodam mentis aestu, *Tr*. ad longum tempus primoque illo aestu defervescente *N*. Hi enim animi furores et commotiones, ut experientia constat, in primis non omnes ubique pervadunt, deinde brevi dissipantur ac maturae deliberationi locum cedunt. Jam vero christianorum martyria per universum terrarum orbem ab omni ordinum classe et per plura saecula celebrata sunt: *Steterunt torti torquentibus fortiores*, inquit s. Cyprianus (2), *et pulsantes ac laniantes ungulas pulsata et laniata membra vicerunt*. Quod vero additur de viris eloquentia pollentibus, nil aliud evincit nisi mentitam esse iniquitatem sibi, dum affirmarunt increduli, nonnisi rudes et plebeios ab initio christianae religionis amplexatos evangelium fuisse. Quaecumque enim vis eloquentiae sit, numquam efficit ut homines passim bonorum direptionem, exilia, exquisita tormenta ad longum tempus perferant.

434. Ad 4. *D*. Cum desiere persecutiones, *C*. quoties istae recruduerunt *N*. Ecclesiae enim catholicae numquam defuere martyria, ut patet ex martyribus qui tum sub imperatoribus ac principibus arianis, iconoclastis, etc. passi sunt, tum hac ipsa nostra aetate, quia numquam ipsi defuerunt persecutores. Praetermissis enim vetustioribus temporibus, japonenses aemulati sunt pristinos martyres, sive numerum spectes, sive conditionem, sive tormentorum atrocitatem (3). In Anglia et Hibernia ad plura pariter hominum millia, praesertim sacerdotio aut nobilitate praestantium, ad haec fere tempora pro catholica fide omnia vexationum genera sustinuerunt (4). In Gallia sub finem elapsi saeculi, ut superius notavimus, plures catholicorum myriades occubuere, in quibus religiosi, moniales, sacerdotes, episcopi heroicam plane fortitudinem ostenderunt (5). Hinc ea ratione qua quoties ecclesiae hostes eam aggressi sunt, toties victi fuere, et ecclesia semper novos celebravit triumphos, sic quoties eam aggredientur, toties vincentur (6).

435. III. Obj. Martyres christiani, non pro religione, sed ob alias omnino

(1) S. Clem. *Epist.* I. ad Cor.; s. Just. *Apol.* II, n. 10 et 12; s. Iraen. *Cont. haereses*, lib. IV, c. 33, n. 9; s. Cypr. *Epist.* LVIII; Lact. *Div. Instit.* lib. V, c. 13; s. Hier. *Ad Hedib.* q. II.

(2) *Epist. ad Mart.* et *Conf.*

(3) Cons. Bartoli, *Storia del Giappone*; Crasset, *Histoire de l'église du Japon*; Segneri, *L'incredulo senza scusa*, part. 2, c. 16.

(4) Cons. Bartoli, *L'Inghilterra*. Recolantur praeterea quae superius notata sunt de haereticorum saevitie. Lingard, *Storia dell'Inghilterra*, tradotta dal sig. Gregori.

(5) Barruel, *Histoire du Clergé de France pendant la révolution*.

(6) Pulchra similitudine utitur Segneri, *L'incredulo senza scusa* part. II, c. 10, ad exponendum duplicem effectum quem persecutiones in ecclesia producunt, his verbis: « Si fe chiaro, come i nemici di quella (chiesa), con tante scosse non le avevano arrecato finalmente altro danno di quello, che si arrechi ad un incensiere con agitarlo incessantemente per l'aria, che fu l'avvivarvi ad un'ora di dentro l'ardore della carità, di fuori la fragranza del buon esempio ».

causas occubuerunt; etenim vel ob impacta crimina *incendii*, *atheismi*, *superstitionisve maleficae* necati sunt; vel tamquam rei de oedipodeis incestibus, thiesteisque coenis et infanticidiis, occasione carpocratianorum, sub Hadriano mulctati sunt, vel denique ut perduelles ab imperatorum legibus; ergo.

436. Resp. *D. antec.* Interdum ob alias causas fucatis coloribus apparentes, *Tr.* reales *N.* Etenim 1. Justinus sic imperatores alloquebatur: ***Rogamus ut qui convictus fuerit puniatur ut improbus, non autem ut christianus*** (1); et Tertullianus (2) pariter: ***Nemo illic christianus, nisi hoc tantum***, et ita passim reliqui apologetae et martyrum acta loquuntur. 2. Per *Atheismum et superstitionem maleficam* christianam professionem designabant juxta praeconceptas ethnicorum opiniones, ut notum est. 3. Tacitus (3) ipse scribit incendium fuisse praetextum, quo usus est Nero ad christianos insectandos. 4. Impacta christianis crimina incestus, etc., vel erant apertae calumniae ab ipsis ethnicis excogitatae ad invidiam conflandam christianae confessioni, vel si ex occasione carpocratianorum aliorumque haereticorum exortae sunt, nonnisi ad brevissimum tempus praevaluerunt, ut enim tradit Eusebius (4), semper ecclesiam

(1) Apol. I, n. 7. En ejus verba: Ὅθεν πάντων τῶν καταγγελλομένων ὑμῖν, τὰς πράξεις κρίνεσθαι ἀξιοῦμεν, ἵνα ὁ ἐλεγχθεὶς ὡς ἄδικος κολάζηται, ἀλλὰ μὴ ὡς χριστιανός.

(2) Tert. in *Apol.* c. 44. Cons. Ansaldi, Diss. cit. ***De causis inopiae monument.*** adversus Dodwell, p. 4; Euseb. ***Hist. eccl.*** lib. III; Noghera, ***Riflessioni sui caratteri divini del cristianesimo***, Riflessione 20.

(3) *Annal.* lib. XV, n. 44.

(4) *Hist. eccles.* lib. IV, c. 7. Cum retulisset gnosticos (sapientes seu illuminatos, prout se vocant non paucae nostrorum temporum sectae), a Carpocrate prodiisse, docentes debere unumquemque flagitia obscoenissima perpetrare ad sibi conciliandos mundi rectores, indeque prodiisse tot ethnicorum in christianos calumnias de incestibus cum matribus et sororibus, et consecrandis dapibus, praeclarum hoc exhibet testimonium de ecclesia catholica; Ἡ τῆς καθόλου καὶ μόνης ἀληθοῦς ἐκκλησίας λαμπρότης, τὸ σεμνὸν καὶ εἰλικρινὲς καὶ ἐλευθέριον τό τε σῶφρον καὶ καθαρὸν τῆς ἐνθέου πολιτείας τε καὶ φιλοσοφίας εἰς ἅπαν γένος Ἑλλήνων τε καὶ Βαρβάρων ἀποστίλβουσα συναπέσβη γοῦν ἅμα τῷ χρόνῳ καὶ ἡ κατὰ παντὸς τοῦ δόγματος διαβολή· ἔμενε δὲ μόνη ἄρα παρὰ πᾶσι κρατοῦσα καὶ ἀνομολογουμένη τὰ μάλιστα διαπρέπειν ἐπὶ σεμνότητι καὶ σωφροσύνῃ θείοις τε καὶ φιλοσόφοις δόγμασιν, ἡ καθ' ἡμᾶς διδασκαλία, id est, *Catholica ecclesia*, quae sola vera est, » semperque sui similis et constans, novis quotidie incrementis augebatur, gravitate, sinceritate ac libertate, modestia denique ac sanctitate vitae cujusdam, philosophiaeque divinae omnium oculos, non graecorum modo, verum etiam barbarorum perstringens; simul etiam extincta est temporis lapsu calumnia illa quae universae religionis nostrae afficta fuerat (puto Sismondi hic dicturum non esse ferro et igne ecclesiae catholicae), mansitque tandem disciplina nostra *sola omnium consensu* superior et victrix, ac prae reliquis sectis modestia, gravitate, divinaeque sapientiae praeceptis excellere ab omnibus judicata ». Deinceps hinc factum refert, ut ecclesia catholica dicta fuerit a gentilibus ἡ κρατοῦσα δόξα, et catholici κρατοῦντες. Et sane hoc nomine Damascius in *Isidori vita*, p. 1058 donat ecclesiam catholicam, ac rursum pag. 1072 idem apud Suidam disserens de Ammonio; sic etiam ante ipsum Porphyrius, in libro ***De oraculorum philosophia***, apud Euseb. ***De praep. evang.*** c. 10, et Theodoretus, lib. ***De curatione graecanicae superstitionis***, id ipsum observat, imo ipse Julianus in ***Misopogone***, *p.* 99. τῶν κρατούντων, ***de iis qui tunc praevalebant*** loquitur. Cons. Valesius in notis ad citatum Eusebii locum. Miror quomodo eruditi protestantes ista non viderint.

catholicam, quam κρατοῦσαν seu *praevalentem* vocabant, ipsi ethnici a quibuscumque sectis discreverunt et agnoverunt. 5. Dummodo christiani fidem ejurassent, tamquam absoluti et immunes ab his omnibus criminibus habebantur. 6. Ideo perduelles declarabantur, quia respondebant: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (Act. V, 29). 7. Addo, quod si ob impacta ejusmodi crimina saltem ut apparentes praetextus, christiani interficiebantur, ergo infero, non temporalis quaestus, non inanis gloriae cupidine, non sectae augendae causa, non animi furore, ut deistae contendunt, martyres mortem obibant, cum nonnisi infamia eos sequeretur, sed unius veritatis gratia sobrii prudentesque sanguinem dabant.

437. Inst. Plures quovis tempore apostatae fuerunt; ergo.

438. Resp. *Tr. antec. N.* vel *D. cons.* Et istorum apostasia propriam arguit imbecillitatem, divitiarum, honorum, voluptatum, etc. amorem, *C.* arguit infirmitatem argumentorum christianae religionis, quam deseruerunt *N.* Imo istorum ignavia ceterorum fortitudinem exaltat tamquam vere divinam. A cruciatibus enim vinci hominis est, cruciatus vincere christiani. Contra propriam vero conscientiam et persuasionem atque ex ignavia eos cecidisse, duo sunt quae ineluctabiliter evincunt, 1. quod plures resumptis viribus novo se certamini committerent, et qui in prima pugna victi sunt, in altera fuere victores; 2. quod, vix pace ecclesiae reddita, illico turmatim lapsi non solum precibus, sed et lacrymis et gemitibus episcopos obsiderent, ut pacem et veniam patrati criminis consequerentur, ac durissimis publicae ac diuturnae poenitentiae laboribus se subjicerent ad ejusmodi pacem obtinendam (1).

EORUM QUAE HACTENUS PROPOSITA SUNT SUMMA ATQUE CONCLUSIO.

439. Jam praestat institutae disputationis adversus incredulos summam colligere, tum ut inde pateat argumentorum nexus et vis quibus nostra doctrina constituitur, tum ut consecutionum series deducatur ex iis quae confirmare studuimus, tum denique ut ex parallelismo impugnationis incredulorum planum fiat quam levibus nitantur momentis, qui fidem adhibere religioni detrectant.

440. Ad primum quidem quod attinet, ex dictis patet possibilem divinam ac supernaturalem aliquam revelationem esse, sive ex parte Dei, sive ex parte hominis, sive ex parte rei revelatae (2). Dari insuper certissimas notas quibus divina ac supernaturalis haec revelatio probe secernatur a quacumque hominum fraude, cujusmodi esse ostendimus, tum ex se, tum ex omnium gentium consensu, *extrinsecas* miracula et vaticinia eventu comprobata, *intrinsecam* sanctitatem doctrinae, quae tamquam revelata perhibetur, quae nempe promoveat gloriam Dei et utilitatem hominum (3). Hanc porro revelationem etiam ex ea tantum parte quae complectitur officia hominum erga Deum, erga seipsos et erga societatem, quae nempe absolute captum hominis non excedunt, non solum utilem, sed plane necessariam, sal-

(1) Cons. Morinus, *De poenitentia*; Petavius *De poenitentia*; Mamachius, *De orig. christ.* et s. Cyprianus passim in suis epistolis. Novatiani schisma originem cepit ex accusatione quam ipse intulerat ecclesiae romanae, quod pacem lapsis poenitentia functis concederet, atque rursum ad communionem suam eos admitteret.

(2) Cap. I, Prop. I.

(3) Cap. III.

tem morali necessitate, esse ex triplici capite collegimus, quae totidem facta sunt ab omnibus historicis monumentis testata; ac 1. quidem ex eo quod nulla gens unquam fuerit vel sit, quae, divina hac supernaturalique revelatione destituta, vel dignum Deo cultum exhibuerit, vel plus minus in gravissimos errores non impegerit contra sanae ethices principia; 2. ex eo quod nulli unquam philosophi vel sapientes idonei fuerint vel sint, ex triplici intrinseco ipsis inhaerente defectu, ad homines retrahendos a gravissimis ac perniciosissimis recensitis erroribus, eosque in officio continendos; 3. demum ex eo quod humana ratio, nullis aliunde suffulta praesidiis, motiva sufficientia non praebeat ad homines in officio continendos atque a vitiis retrahendos, etiam in iis quae naturali rationis lumine cognosci possunt (1).

441. His constitutis investigavimus, utrum divina bonitas homines in tanta necessitate positos sibi ipsis omnino permiserit, an vero proposita revelatione iisdem consuluerit; atque ostendimus Deum reipsa hominibus non defuisse, sed per Christum potissime gentes omnes ad verum Dei cultum atque ad sanam ethicen revocasse. Divinam porro ac supernaturalem Christi missionem seu revelationis factum extra omnem dubitationis aleam posuimus argumentis intrinsecis et extrinsecis, vaticiniis scilicet et miraculis a Christo patratis; ac praesertim gloriosa ipsius a mortuis resurrectione, quae omnium maximum et miraculum et vaticinium fuit et ceterorum omnium velut confirmatio atque sigillum. Et haec quidem quod attinet ad argumenta extrinseca; ad interna retulimus sanctitatem evangelicae doctrinae, quae in summo gradu gloriam Dei promovet, atque omnium et singulorum hominum utilitatem per integrum systema ita connexum, sive ex parte propositae doctrinae, sive ex parte motivorum atque sanctionis, ut nihil in ipso desiderari possit, nihil ipsi addi. Subsidiariis denique, si ita loqui fas est, argumentis, petitis tum ex admirabili religionis christianae propagatione, tum ex ejusdem non minus prodigiosa conservatione, tum ex martyrum testimonio, quae omnibus adjunctis perpensis non competunt neque competere poterunt unquam nisi uni divinae ac supernaturali revelationi, seu uni religioni christianae, talem certitudinis gradum adjecimus, ut nihil certius a prudenti et cordato quolibet desiderari possit. Quae quidem posteriora tria argumenta, quatenus in se continent atque includunt vaticiniorum Christi adimplementum, ad extrinseca superius recensita vocari facile possunt (2).

442. II. Cum vero Christus finis legis sit, ad quem et lex mosaica et prophetae referuntur, et quibus Christus adversus judaeos suam divinam comprobavit missionem (3), cum insuper veritas non nisi una sit, neque opponi possit veritati nisi error, jure inde inferimus.

443. 1. Divina igitur pariter est missio Mosis et prophetarum in veteri lege, ideoque et doctrina ab ipsis Dei nomine hominibus proposita.

444. 2. Si Christus finis fuit legis, atque in ipso lex et prophetae suum adimplementum habuerunt, ergo jamdiu abrogata est lex mosaica, quae non fuit nisi praeparatio quaedam ad Christum; vana proinde spe judaei eum praestolantur futurum, qui jamdiu venit; et quod consequens est, praesens judaeorum conditio ineluctabile argumentum est propriae eorum perfidiae, adimplementi ve-

(1) Cap. II.
(2) Cap. IV.

(3) Cons. Joan. V, 46; Luc. XXIV, 44.

terum vaticiniorum, divinitatisque christianae religionis.

445. 3. Ergo pagani, islamitae, deistae, increduli denique omnes extra veritatis semitam versantur.

446. 4. Cum argumenta, quae deducuntur ex christianae religionis propagatione, conservatione et martyrio, nonnisi in ecclesia catholica verificentur, et tamen objectum sint Christi praedictionum, merito pariter infertur, tum heterodoxos ea urgere non posse adversus incredulos, quin noceant propriae causae (1); tum solam ecclesiam catholicam integrum christianismum constituere, sectas vero non esse nisi christianismi fragmenta, reliquias sive segmenta, nec ipsis ullo modo competere posse divinos religionis a Christo institutae characteres (2); tum denique iisdem argumentis quibus quispiam christianus fit, catholicum fieri.

447. III. Analysi instituta argumentorum quibus increduli ac rationalistae divinam ac supernaturalem revelationem impugnant, omni fuco, jocis, calumniis ac falsae eruditionis apparatu sepositis, illa huc reducuntur: Homo sibi sufficit, ut sufficiunt sibi reliqua animantia omnia. Revelatio multis deceptionibus patet. Dantur revelationes falsae, ergo omnes falsae sunt. Plura falsa sunt miracula et vaticinia, ergo omnia. Plures abusi sunt religione, ergo nulla est admittenda religio. Ethnicismus, islamismus, protestantismus cito ex naturalibus causis et propagati et conservati sunt, ergo et christianismus. Plures fanatico furore abrepti in quavis secta mortem obierunt, ergo omnes christiani martyres tales sunt censendi. Magni abusus, magna crimina in religione christiana fuerunt, et adhuc sunt; ergo tota christiana religio non est nisi magna seductio atque deceptio (3).

448. Quis porro non videat ejusmodi argumenta talia esse, ut probationes christianae religionis non solum non infirment, sed ne attingant quidem? Si tota christiana religio non est nisi factum quoddam, plane patet nihil unquam proficere posse ejusdem adversarios, nisi monumenta destruant quibus illa fulcitur; cum vero haec monumenta summo

(1) Nullum est fere argumentum quod heterodoxi urgere valeant ad christianismi defensionem, quod non pugnet adversus illos pro ecclesiae catholicae veritate. Nullum enim est quod faveat christianismo partiali. Quare vel ipse Grotius qui praeclarum opus edidit *De veritate religionis christianae*, cum sibi proponit argumentum sive difficultatem petitam ex multiplicitate sectarum, haeret, nec amplius Grotius videtur. Id ipsum contigit Abbadie; id ipsum ceteris omnibus. Cons. Gerdil, Dissert. II. « Saggio dell' uso che si può fare a favore della religione cattolica degli argomenti de' protestanti in prova della rivelazione contro gl' increduli ». Opp. edit. Rom. tom. XI.

(2) Satis est ad ejusmodi divinos characteres eliminandos inquirere in cujuslibet sectae originem, epocham, motiva, doctrinam, progressus, ut luce meridiana clarius pateat, ex humanis cupiditatibus ortas eas esse, ac omnes humani operis vicissitudines fuisse expertas; totum in iis humile et abjectum.

(3) Ita incredulorum facile principes Boulanger, Bollingbrocke, Freret, Rousseau, Voltaire, etc., qui tantopere desudasse dicuntur ut christianismum retexerent, perpenderent, atque ad analysin revocarent; ita qui eos exscripserunt, vel in compendium redegerunt atque, utpote obscuriores obsoletique, jacent; ita demum, licet aliam viam iniverint, rationalistae, qui quam primum obsolescent et ipsi. Haec est enim conditio omnium religionis christianae impugnatorum et hostium, sive principes ii fuerint, sive scriptores: *Ecce inimici tui, Domine, ecce inimici tui peribunt;* eorum nomina in pulvere scripta sunt, licet aetate qua vixerunt, magnum de se excitaverint fragorem.

certitudinis gradu innitantur, infirmari non possunt, quin ipsius certitudinis subruantur fundamenta.

449. Rursum facta christianae religionis ita inter se firmo nexu colligantur, ut, ejus veritate ac divinitate posita, omnia explicentur, et illa sublata, sic omnia in suspenso maneant velut totidem effectus sine causa.

450. Cum autem haec agendi ratio contraria sit ipsi humanae naturae, vim sibi inferant necesse est qui eam sectantur, neque unquam quiescere possint. Poterunt quidem increduli sibi ad tempus illudere, ferventibus praesertim cupiditatibus; ratio tamen jus suum semper sibi vindicat. Unde fit, ut, quieto tandem animo christianae religionis motiva perpendentes, increduli non pauci demum resipiscant, vel saltem in mortis discrimine constituti plerique in sinum ejus confugiant. Pauci enim omnino sunt qui ita obdurescunt, ut velint ad extremum usque vitae spiritum in incredulitate persistere, iique vel stolidi vel corruptissimi, qui numquam aut fere numquam finem cogitant, ad quem conditi sunt; ac ne turbentur a falsa illa qua frui videntur pace, a quocumque religionis examine refugiunt pejus quam a cane et angue (1).

451. Expendant igitur religionis christianae fundamenta, et motiva conferant si placet cum suis argumentis, omnibus anticipatis judiciis exclusis, ut res tam gravis postulat, lucem a Deo enixis precibus humili ac sincero animo petant, et procul dubio ad eam religionem revertentur a qua aberrantes recesserunt.

(1) Facile posset catalogus et quidem prolixus exarari eorum incredulorum, qui duobus abhinc saeculis, vel examine accurate instituto ad catholicam fidem redierunt, vel saltem quos poenituit propriae incredulitatis in articulo mortis, ac se cum ecclesiae reconciliarunt, vel omni ratione conati sunt id efficere, licet hinc amicorum artibus et fraude, justo illinc Dei judicio, obstacula non levia repererint quominus id exequerentur. D. Emery in quodam opusculo de hoc argumento edito haec habet; » On ferait une longue liste des esprits forts qui ont rendu hommage à la religion au moment de la mort. Nous ne citerons que quelques-uns de ceux dont le nom est le plus connu; Boulanger, Toussaint, Boulainvilliers, le marquis d'Argens, Montesquieu, Maupertuis, Buffon, Dumarsais, Fontenelle, Damilaville. Thomas, Bouguer, de Langle, Tressan, Mercier, Palissot, Poulavie, Larcher. Diderot voulait se confesser, on lui en ôta les moyens: *Sans moi*, disait Condorcet, parlant de d'Alembert, *sans moi il faisait le plongeon*. Il paraît qu'on se précautionna également contre la faiblesse de Voltaire, qui mourut au rapport de Tronchin dans les convulsions de la rage, en poussant le cri sinistre: *Je suis abandonné de Dieu et des hommes*. J. J. Rousseau selon toutes les vraisemblances, termina lui-même sa vie ».

DE VERA RELIGIONE

PARS ALTERA

ADVERSUS HETERODOXOS.

1. Heterodoxorum nomine veniunt sectae omnes, cujuscumque demum communionis ac denominationis sint, quae sive in pluribus, sive in paucioribus fidei articulis, ab ecclesiae catholicae doctrina quovis tempore recesserunt, vel ab ea in dies recedunt. Longum propterea esset, imo vix possibile tot sectarum errores singillatim persequi. Revocari propterea disputatio nostra debet ad aliquod generale principium, a quo tota controversia sponte sua quodammodo defluat. Constituta porro atque in tuto posita divinae revelationis existentia adversus incredulos, inquirendum superest, num Deus qui suam aperiens doctrinam ac voluntatem hominibus mirifice prospexit, hanc suam revelationem privatis hominibus seu spiritui privato uniuscujusque dimiserit, an vero alicui coetui seu societati a se institutae, publicae, infallibili atque perpetuae conservandam atque interpretandam tradiderit et consignaverit. In hac vero posteriori hypothesi remanet discutiendum, quaenam societas legitimos titulos praeseferat, quibus jure meritoque sibi vindicet divinam hanc auctoritatem. In his maximi momenti quaestionibus expendendis tota versabitur altera haec tractatus nostri pars. Ex duplici hac disquisitione, controversiae peculiares omnes enucleantur ac dissolvuntur, cum ubi semel de illis constiterit, non agatur amplius nisi de audiendo ejusmodi infallibili magisterio a Christo ipso instituto. Omnem proinde diligentiam impendemus ad argumentum istud solide evolvendum, quod ut obtineamus, continenti propositionum serie, quae se invicem excipiant, rem totam complectemur.

PROPOSITIO I.

Validissimae rationes ostendunt, de via ordinaria divinam revelationem ab auctoritate divinitus instituta atque infallibili custodiri, atque proponi debere

2. Ut patet ex ipsa propositionis enunciatione, sermo hic non est de ipsa actuali revelatione, seu actuali veritatum manifestatione, sed de *revelatione jam facta, litterisque consignata, vel viva voce transmissa*, seu de collectione

ipsa ac corpore, ut ita dicam, jam factae revelationis.

3. Hisce positis, sic 1. ex ipsa natura rei, de qua agitur, evincitur propositio. Nisi enim a publica, externa ac infallibili auctoritate, divina revelatio proponeretur, infallibiliter nobis constare non posset de identitate divinae revelationis; fluctuare semper deberemus incerti, utrum id vere revelaverit Deus, nec ne; an quidpiam eidem additum, quidpiam ab ea detractum fuerit, eo vel maxime quod autographa omnia cito perierint (1). Cum vero fides non minus divina et infallibilis esse debeat in suo objecto et motivo quam in medio per quod proponitur, patet revelationem nonnisi ab infallibili atque divina auctoritate proponi posse.

4. Id ipsum pariter evincitur ex necessitate determinationis sensus legitimi ejusdem revelationis. Etenim, cum revelatio in hominis gratiam ac bonum data sit, necessario verbis ac signis patefieri ac exprimi debuit. Jam vero verba diversas plerumque habent significationes, diversos, quandoque etiam contrarios, exprimunt conceptus (2), aequivoca propterea sunt seu aequivocationi subjecta; nisi itaque ab infallibili auctoritate divinitus ad hoc instituta, revelatio proponeretur, nutantes ac dubii semper essemus circa verum objectum ac germanum sensum ac intelligentiam ejusdem revelationis; praesertim cum agitur de mysteriis humanae rationi imperviis, in quibus hallucinatio facillima est. Quod ex perpetuo experimento nimis luctuoso ex parte illorum omnium qui viam auctoritatis deserentes sibi ipsis duces esse voluerunt, mirifice confirmatur. Eo enim devenerunt ut, licet sacros revelationis codices assidue versent, in desperationem acti, nesciant quid tenere debeant, tot diversarum interpretationum numero, varietate ac contrarietate huc illuc distracti (3).

5. Ex perpetuitate demum ipsius di-

(1) De autographis V. T. nihil omnino scimus; quoad autographa autem N. T. Cellérier in suo: *Essai d'une introduction critique au Nouveau Testament*, Genève 1823, sect. III, censet ipsa, utpote exarata in cortice papyri, quae usitatissima tunc erat, cum scripta illa edita sunt, cito periisse, adeo ut aetate Tertulliani, Clementis Alex., Origenis nulla amplius vestigia superfuerint.

(2) Pluribus exemplis ostendi id facile posset; cum vero id neque a protestantibus ipsis nunc in dubium revocetur, non est cur in re non necessaria opus impendamus. Certe ad sensum determinandum verborum sacrae scripturae, ipsi perpetuo accedunt vel ad *usum loquendi*, quem vocant, vel in subsidium adsciscunt linguas affines, passim ad phrases profanorum scriptorum phrases exigunt scripturales, et tamen perpetuo haerent, ac fluctuant incerti, et quod ab uno scriptore affirmatur ut certum, ab altero ut falsum rejicitur. Levis istorum commentatorum sive exegeticorum, seu potius philologorum lectio sufficit, ut quisque intelligat in quanta ipsi versentur fluctuatione. Istorum opera ut plurimum non sunt nisi contextus auctorum heterodoxorum vel affirmantium vel negantium, hunc vel illum nativum sensum esse verbi quod expendunt. Praeter *Criticos sacros* videri possunt Kuinoel, Rosenmüller, Eichorn, etc.

(3) Sane ecclesia genevensis (ut alia exempla missa faciam) in suo *Statuto*; sub die 3 Maii an. 1817, prohibuit, ne quispiam in scholis agat de quaestionibus apud ipsam controversis, circa duas J. C. naturas, peccatum originale, gratiam et praedestinationem. Vid. *Précis des debats théologiques de Genéve*, par J. J. Chenevière, 1824, p. 22. Nempe eadem ratione ac exercitus, imperator seu dux, cum se viderit ad extrema redactum, monet ut sibi quisque prospiciat; ita ecclesiae reformatae tot dubiis ac tot perplexitatibus pressae et contradictionibus absque ullo termino, quibus ipsarum doctrinae scatent, eo

vinae revelationis eadem veritas patet. Divina enim revelatio non pro solis praesentibus, sed pro omnibus omnino hominibus cujuscumque aetatis facta est; quare, nisi perpetua quaedam semperque vivens divinitus instituta auctoritas esset ad eamdem inviolate servandam, et custodiendam a privatorum hominum novitatibus, interpolationibus, praeposteris interpretationibus, prout experientia passim fieri videmus (1), numquam nobis constare posset de ejusdem veritate atque integritate; hinc necessario lites ac controversiae perpetuae quae numquam dirimi possent. Abhorret autem ab idea sapientis legislatoris permittere cujusque hominis arbitrio codicem, et sensum propriae legislationis. Quod ut aliquo exemplo magis declaretur, fingamus animo, quempiam viatorem duas obire civitates, quae aeque glorientur optimis sibi datis legibus atque statutis, et ambae ut sapientissimum habeant legislatorem, utrique civitati communem; sciscitante autem ab iis viatore, quemnam sapientissimus hic legislator constituerit magistratum, vel quod tribunal ad codicem suum incolumem servandum, vel quem interpretem ad lites quae suboriri solent dirimendas, altera indicet constitutos a legislatore judices et magistratus, altera autem contendat non alium a legislatore constitutum judicem ac interpretem quam codicem ipsum, cui fidem adhibebit viator, et quam ex his duabus civitatibus verum dicere arbitrabitur? Illam profecto, quae magistratus ac judices constitutos affirmat, cum hoc longe magis congruat sapientiae ac prudentiae optimi legislatoris, qualem fuisse ambae profitentur, cum rei natura id exigat; cum enim lites excitantur, ut plurimum circa sensum codicis versantur; absurdum autem est affirmare, ad litem dirimendam constitutum esse codicem ipsum, circa cujus sensum lis moveri solet.

6. Validissimae igitur rationes ostendunt, quod nisi extraordinario aliquo medio a Deo ipso provideatur, de via ordinaria necesse sit, aliquam constitutam divinitus auctoritatem esse, eamque infallibilem atque perpetuam, quae divinam revelationem custodiat, proponat, verumque illius sensum aperiat.

DIFFICULTATES

7. Obj. Ante Christi adventum nulla instituta fuit infallibilis ejusmodi auctoritas, ad divinam revelationem proponendam; ergo.

8. Resp. *D. A.* Quia Deus extraordinaria quadam ratione et providentia supplebat ejusmodi defectui, *C.* secus *N.* Vel enim sermo est de tempore patriarcharum, vel de eo quod subsecutum est sub Moyse, respectu hebraeorum vel ethnicorum. Certum autem est Deum, in prima illa epocha per immediatas apparitiones saepius repetitas, revelationis jam factae integritati ac germano sensui prospexisse. Quod vero spectat ad aetatem posteriorem, praeterquam quod constituta jam fuit synagoga ac sacerdotium Aaronicum, quod depositarium fuit et quidem publicum atque perenne mosaïcae legis, certum pariter est ipsum Deum suae revelationi consuluisse, per prophetarum seriem numquam fere interruptam, usque ad Christum, ac singulari providentia populum suum rexisse, ut incolume servaretur revelationis depositum (2). His addimus

demum devenerunt ut dicerent membris suis: En Biblia, legite, expendite, cudite vobis religionem, sibi quisque prospiciat. Vid. *The catholic miscellany*, mensis Julii 1826.

(1) Non pauca exempla ejusmodi novitatum, interpolationum, etc. inferius dabimus.

(2) Josephus Flavius exhibet catalogum omnium summorum sacerdotum, qui, non in-

fidei articulos, ad salutem obtinendam explicite credendos, paucissimos fuisse, unitatem nempe Dei creatoris et remuneratoris, expectationemque futuri liberatoris (1), qui proinde facillima ratione ad seram usque posteritatem transmitti poterant. Nondum enim completa revelatio data fuerat. Quod si aliqui ex propria culpa illos obliterarunt, penes ipsos sit; quamquam si absque personali culpa aliqui posteriorem praesertim articulum ignoraverunt, dummodo legem naturalem observaverint, dubitandum non est, Deum pro sua bonitate aliquo modo iis providisse, et si aliqui adhuc ejusmodi sint, iis providere, infundendo nempe iis habitum fidei, spei et charitatis supernaturalis, sine quo nemo finem suum, supernaturalem scilicet beatitudinem, consequi potest, secus ac rationalistae sentiunt, et qui ipsorum vestigia premere non erubuit Franc. Brenner canonicus bambergensis, in libro cui titulus: *De dogmate* (2).

9. Ceterum numquam Deus ita suam revelationem privatorum hominum arbitrio atque interpretationi dimisit, ut fas unicuique fuerit eam aliquo modo vel temerare vel exponere.

10. I. Inst. 1. Ethnici non potuerunt revelationem habere, nisi per privatam familiarum traditionem, ideoque absque ejusmodi publica atque infallibili auctoritate; 2. atque ex ipsis judaeis nonnisi pauci viderunt prophetas, eosque immediate audierunt, quin dicendum sit eos omnes fide divina caruisse; ergo.

11. Resp. ad 1. *D.* Qui proinde

terrupta serie, ab Aaronen usque ad Ananum, seu Annam et Caipham, sub quibus mortuus est Christus, sibi invicem successerunt, et ab his usque ad Joan. Giscala, qui omnium Pontificum judaeorum postremus fuit; sub ipso enim a Romanis excisum est templum flammisque consumptum; qui omnes fuerunt *octoginta novem*. Sic dividit:

Ab Aarone ad Salomonem qui primum templum erexit,	13,	spatio	annorum	612;
a Salomone usque ad captivitatem Babylonicam, a captivitate	18,	—	—	466;
Babyl. usque ad Antiochum Eupatorem,	15,	—	—	412;
ab Antiocho, qui Oniam III cognomento Menelaum sacerdotio spoliavit, usque ad Herodem II, omnes Assemonei,	15,	—	—	113;
quorum ultimus fuit Aristobulus, creatus Pontifex ab Herode, a quo postea vita privatus est; post hunc usque ad Titum successere alii	28,	—	—	107.
	89			

Vid. *Antiquitatum*, lib. XX, cap. 10. Jam vero Salvador, *Histoire des Instit. de Moïse*, etc. liv. II, *Des fonctions législatives*, chap. 1, *De la magistrature sacerdotale*, p. 128 et seqq. observat scopum institutionis leviticae esse vigilantiam ad legis conservationem. Ejusmodi officium pariter spectabat ad publicum totius gentis synedrium. His addatur series prophetarum usque ad Malachiam. Joseph, lib. 1, *contra Appionem*, c. 2, n. 3, refert libros quos nos deuterocanonicos dicimus, diligenter in catalogo digestos scripturarum fuisse, etsi non habeant parem auctoritatem ac praecedentes (scilicet protocanonici) ex defectu successionis non satis clarae prophetarum. Ex quibus patet numquam divinae revelationis depositum in V. T. fuisse privatorum arbitrio commissum.

(1) Apostolus, Heb. XI, 6, his verbis veluti compendio quodam complexus est, quae fide necessaria ad salutem tenenda essent: « Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit ».

(2) Landshutii, 1832.

eamdem revelationem vel obliterarunt vel innumeris prope commentis ac fabulis temerarunt, *C.* integram custodierunt *subdist.* Nonnulli privati qui primaevam revelationem, extraordinaria ratione propositam, traditione conservarunt, *Tr.* nationes integrae *N.* Quo propiora fuerunt tempora primaevae revelationi, eo magis pura conservata est, etiam apud gentes divina revelatio; ast processu temporis adeo obliterata est vel foedata, ut nonnisi vestigia superfuerint veluti navis tabulae per naufragium diffractae, quas ingenti labore eruditi hinc inde collegerunt (1). Quae quidem vestigia duo ostendunt, nempe tum revelationem quamdam olim datam hominibus fuisse, tum corruptam hominum eorumdem incuria ac negligentia. Hinc nisi Deus, per peculiarem populum quem sibi delegit ejusdem revelationis custodem ac depositarium, ei prospexisset, actum penitus de ea esset, prout etiam nunc temporis absque catholica ecclesia vix rudera, ut ita dicam, magni illius aedificii, quod per revelationem conditum est, superessent atque caementa (2). Quod si nonnulli, iique paucissimi inter ethnicos, intemeratam servarunt acceptam revelationem, id acceptum referri debet tum paucitati articulorum qui credendi propositi erant, tum peculiari etiam divinae gratiae subsidio, quo factum est ut eorum memoria prorsus non deleretur. Addendum praeterea est, actum tunc temporis minime fuisse de integro revelationis codice, prout nunc agitur, quem proinde neque interpretari, neque corrumpere potuissent, sed de memoriter retinendis paucis articulis, ut notavimus. Tantum porro abest, ut exinde possit aliquid contra nos erui, ut magis confirmetur quod demonstrandum assumpsimus. Etenim cum ageretur de illa partiali revelatione adeo aperta et facili, per traditionem ad posteros transmittenda, si ea tantum de sua perspicuitate atque inte-

(1) Praesertim Eusebius Caesariensis in duobus praeclaris operibus *de praeparatione* ac *de demonstratione evangelica*. Ex recentioribus vero plures viatores universalis ejusmodi traditionis rudera, ut ita dicam, atque fragmenta, penes diversos populos barbaros atque silvestres collegerunt. Inter quos dignus est qui legatur Comes Carli Rubi in suis *Lettere Americane*, duobus voluminibus; nec non *Croyances*, *superstitions*, *et restes des traditions primitives observes par M. Dumont d' Urville*, *dans son voyage autour du monde à borde de l' Astrolabe*, *dans la Nouvelle Zélande*, *et les îles de Tonga*, etc., *Annales de philosophie chrétienne*, recueil periodique, 5 aunée, tom. VIII, n. 43, 31 Janvier, Paris 1834; *Neue theologische Zeitschrift*, von D. Joseph Pletz, id est, *Novae ephemerides theol.*, Viennae, 1833, fasc. II, p. 189-210, fasc. III, p. 305-329, fasc. IV, 26-50. Ex quibus patet apud universas gentes obtinuisse ideam existentiae Dei, semideorum seu angelorum, pugnae inter duos primos fratres Cain et Abel, Trinitatis occupatae in hominis creatione, foeminae aedificatae ex viri costa, lapsus protoparentum, etc.

(2) Sane cum unaquaeque secta haereticorum eorum qui a temporibus apostolicis ad nos usque exorti sunt qui vix numerari jam possunt, aliquam revelationis partem negaverit, cum unaquaeque praeterea aliquid de suo adjecerit, cum nullus sit fidei articulus qui plures non sit nactus adversarios atque impugnatores; absque ecclesiae catholicae firmitate tanta esset rerum omnium perturbatio atque confusio, etiam post Christi adventum, qualis fuit apud omnes populos (si unam excipias ecclesiam judaicam seu synagogam) circa primitivas traditiones quae, si non penitus perierunt, ita tamen fuere corruptae, ut absque earum prototypo nihil certi in iis discerneremus. Hoc vero magis patebit ex inferius dicendis.

gritate amisit inter gentes, non aliam ob causam nisi quia carebant ea auctoritate ac magisterio per quod integra et incolumis servaretur, quanto apertius patet ejusdem auctoritatis necessitas, ubi agitur de revelatione completa ac litteris consignata, ut nihil addam de parte illa quae per solam traditionem transmissa est?

12. Ad 2. *N. conseq.* Etenim prophetae missi potissimum sunt ad homines in officio continendos, et ad sartam tectamque divinam jam datam revelationem apud illos servandam, et ad manifestandam peculiarem aliquam Dei voluntatem, non autem ad divinam primitivam revelationem ad salutem necessariam, proponendam. Quoties nempe opus fuit prophetas mitti ad judaeos praesertim revocandos ad legis observantiam, vel ad peculiarem Dei voluntatem ipsis aperiendam, independenter etiam a synagogae approbatione missi a Deo sunt, non vero ad novos fidei articulos proponendos, sed potius ad jam receptos magis ac magis confirmandos et enucleatius exponendos, contortasque interpretationes privatorum corrigendas, quaestionesque, si quae ortae essent, dirimendas (1), et ad ipsorum animos excitandos in spem proxime futuri liberatoris adventus. Ceterum et ex jugi prophetarum missione, ad integritatem ac puritatem factae revelationis conservandam, rursum colligitur necessitas illius auctoritatis quam adstruimus. Scripta vero prophetarum simul ac emittebantur, synagoga seu synedrium ea in reipublicae tabularium inferebat, ut intemerata ibi servarentur (2). Cum his praesidiis destitutae fuerint gentes caeterae, hoc ipso amiserunt vel foede corruperunt revelatas veritates, licet omnes a Noe ejusque filiis, ex quibus originem trahebant, eas acceperint; ex quo magis semper ac magis absoluta necessitas eruitur cujusdam custodis ac interpretis divinae revelationis.

13. II. Inst. Exceptis protoparentibus, qui immediate primitivam illam revelationem a Deo ipso acceperant, reliqui nonnisi per illos eam cognoverunt; jam vero protoparentes eorumque posteri auctoritatem illam publicam atque infallibilem minime constituebant; ergo.

14. Resp. *D. min.* Ita tamen ut Deus extraordinaria providentia, ut dictum est, illius integritati atque incolumitati prospexerit, *C.* secus *N.* Nam protoparentes et patriarchae aliique quibus Deus se manifestavit ac recensitos articulos credendos proposuit, eos, ut patet, fide divina tenebant, reliquis autem certitudine morali summa constabat de factis illis; hinc ipsi eosdem articulos eadem fide credebant. Deus interea numquam destitit extraordinaria sua providentia, prout temporis illius infantia exigebat, ab iis in memoriam revocandis, ut eorum fides viva servaretur

(1) Hoc munus semper fuit prophetarum qui a Deo excitabantur, non solum ad futura enuncianda, verum etiam ad arguendos judaeos ob legis transgressionem, atque ad evertenda inania quorumdam commenta, saepeque perversa ad effugiendam legis observantiam, atque ad falsam spem concipiendam nescio cujus immunitatis a promeritis poenis ob ipsorum flagitia. Plena sunt prophetarum volumina ejusmodi acribus objurgationibus, praesertim apud Isaïam, Jeremiam, Ezechielem, etc. Quod si nonnulla dubia, vel quaestiones exortae essent, eas prophetae dirimebant (I Mach. IV, 46; IV Reg. XXII, 14 et alibi passim).

(2) Vid. *Histoire critique du Vieux Testament*, par le P. Richard Simon, Rotterdam 1685, tom. I, liv. I, ch. 4. Qui tamen plura habet quae probari nullatenus possunt a sano catholico.

usque ad plenitudinem temporis, in qua misit filium suum qui revelationem complevit, et ad suam perfectionem adduxit. Praeterea numquam dimittenda est distinctio superius proposita (in resp. ad 1 inst.), aliud nempe esse transmittere oralem traditionem de nonnullis articulis, aliud vero cum agitur de corpore ipso totius completae revelationis, sive scriptis consignatae, sive per traditionem transmissae, licet et in primo casu opus fuerit peculiari Dei providentia ad eam integre custodiendam, nec Deus eam privatorum arbitrio ac interpretationi dimiserit.

PROPOSITIO II.

Sola ecclesia a Christo instituta instructa est hac infallibili auctoritate

15. Ecclesiae nomine hic non intelligimus coetum omnium fidelium qui legitimis pastoribus subsunt sub Romano Pontifice, eamdemque cum ipsis fidem profitentur, eademque sacramenta participant, sed potius episcopatum universum seu, ut ita dicam, in tota sua plenitudine, nempe corpus pastorum una cum Romano Pontifice.

16. Jam vero episcopatus in apostolis, qui primi episcopi fuerunt, eorumque capite ac principe Petro, divinam revelationem eamdemque completam immediate a Christo et Spiritu Sancto accepit; Christus praeterea apostolos misit per universum mundum ad divinam revelationem patefaciendam hominibus, ipsisque propriam adsistentiam promisit usque ad mundi finem. Aperta sunt Christi verba apud Matth. cap. ult.: *Euntes docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum* (docentibus et baptizantibus) *omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi;* et apud Joan. XIV, 16, 17: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis . . . . apud vos manebit et in vobis erit.* Act. XVI, 13, prosequitur Christus: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* ac rursum, ibid. XX, 21: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.*

17. Quae quidem afferimus ut monumenta tantum historica, utpote relata ab auctoribus qui ea referunt quae ipsimet immediate a Christo ipso acceperunt, et omni fide digni sunt, non autem ut testes divinitus inspiratos eos hic sumimus. Uno verbo, adstruimus *factum* institutae ac fundatae a Christo societatis, quae depositaria ab ipso instituta est doctrinae suae, cuique ipse commisit magisterium omnium gentium per instructionem viva voce faciendam. Non enim dixit Christus apostolis: *Euntes scribite*, sed *Euntes docete*, neque ad tempus tantum, sed semper, quousque scilicet erunt vel gentes convertendae, vel gentes conversae in doctrina semel accepta conservandae. Hoc propterea magisterium juge ac perpetuum esse debet. Apostoli vel discipuli nonnisi data occasione commentaria sua ediderunt. Quin et hoc sedulo animadvertendum est, evangelistas minime in animo habuisse codicem integrum et absolutum Christi doctrinae et legum posteritati tradere, sed commentarium historicum gestorum et dictorum Christi, et quidem neque integrum neque perfectum, adeo ut non possint haberi evangelia ut codex et norma saltem perfecta et adaequata credendorum et agendorum. Ex quo sequitur, Christum non aliam voluisse gentibus sive convertendis sive conversis relinquere sive constituere regulam proximam eorum quae et credere et agere deberent, nisi publicum, juge ac vivens ecclesiae magisterium.

18. Hinc patet adeo connexum esse

systema auctoritatis cum ipsa revelatione, ut necesse sit vel rejicere omnem revelationem quae praeter veritates ordinis naturalis imponat hominibus obligationem credendi veritates *supernaturales* et servandi praecepta *positiva*, vel si illa admittitur, debeat pariter admitti medium certum et tutum, et quidem jugiter perseverans quo veritates illas et praecepta cognoscere homines absque erroris periculo possint. Hoc autem non est nisi auctoritas a Deo ipso instituta, nempe ecclesia, a qua edocemur tum libros, quos sacram scripturam dicimus et veraces et divina inspiratione conscriptos fuisse, tum hunc et non alium esse sensum illarum sententiarum seu verborum quae in iisdem continentur.

19. Tria itaque habemus ex verbis Christi: 1. immediatam missionem apostolorum ad gentes edocendas in rebus fidei et morum; 2. jugem adsistentiam Christi erga apostolos eorumque legitimos successores, usque ad consummationem saeculi in ejusmodi ministerio; 3. aeternum denique Spiritus Sancti cum iisdem magisterium.

20. Ergo apostoli sive ecclesia non solum habuit revelationem a Christo, sed habuit praeterea ab eodem Christo et a Spiritu Sancto germanum sensum ejusdem revelationis.

21. Ergo non soli apostoli, sed insuper legitimi eorumdem successores, seu ecclesia omnium saeculorum utitur seu *gaudet* iisdem praerogativis, infallibilitatis nempe et auctoritatis ad proponendam, custodiendam ac interpretandam hanc eamdem revelationem, utpote persona moralis jugiter vivens usque ad consummationem saeculi (1), necnon ad conservandam revelationem in sua primitiva puritate et integritate, cui soli promissa est vita aeterna, et ad regimen in sua unitate conservandum.

22. Ergo apostoli, seu ecclesia *jam constituta, ac supradictis Christi promissionibus munita*, antequam ullus liber sacrae scripturae esset litteris consignatus, adeoque jam ex solemnibus Christi promissionibus inerrantiae dono perpetuo exornata (neque enim verba Christi vera sunt quia scripta, sed quia ex ore Christi processerunt), ecclesia, inquam *praescribit* (2) ipsi scripturae quam ipsamet approbavit ut divinam, verumque et legitimum oraculorum divinorum sensum assecuta est, tum viva voce ipsius Christi, tum ope divinae peculiaris adsistentiae; ipsa divinas tradi-

(1) Hic sedulo observandum est in corpore morali quocumque individua singula a morte praeripi, sed ita ut ipsa societas eadem semper subsistens sit ac viva, ac proinde deficiente aliquo individuo ipsa nihil omnino de propria subsistentia amittat. Quare cum ecclesia in apostolorum collegio ad instar societatis ac moralis cujusdam corporis fuerit a Christo instituta, ac statim in immensum prope excreverit, institutione aliorum episcoporum per apostolos facta, ex quibus successiones per totum terrarum orbem coeperunt ad nos usque descendere, corpus episcopale sub suo capite Petro, ac postea Romanis Pontificibus, numquam interrupta serie episcoporum sibi invicem succedentium, semper idem viguit et est. Vivente adhuc s. Joanne apostolo, per universam terram fundatae erant singulares ecclesiae. Cum defecit ultimus episcoporum qui cum apostolis conversatus erat, longe plures alii fuerunt, et ita deinceps; desiit enim successio episcoporum apostolicorum in s. Polycarpo, s. Joannis evangelistae discipulo, qui martyrium subiit sub Marco Aurelio Antonino. His fere temporibus floruerunt Hegesippus et Irenaeus, qui mortui sunt imperante Commodo. Vid. Euseb. *Hist. eccles.* lib. II, c. 23, edit. Valesii.

(2) Hanc vocem usurpamus eo sensu, quo eam perpetuo adhibuit Tertullianus in lib. *de praescriptionibus haereticorum*, nec non s. Irenaeus, aliique patres.

tiones immediate a Deo accepit, ut eas fideliter custodiret usque ad mundi exitum.

23. Toties proinde objecta petitio principii, seu circulus vitiosus quo juxta protestantes ecclesia probatur per scripturam, scriptura vero per ecclesiam, non solum locum nullum habet, vel habere potest, sed prorsus ab ipsa natura rei et factis ipsis excluditur. Ecclesia enim admisit et approbavit ipsas scripturas (nempe Novi Foederis), quas vidit continere ea ipsa, quae a Christo acceperat, et conformes doctrinae quam profitebatur. Nam scripturae non sunt nisi instrumenta, in quae relata novit acta propriae possessionis velut in publicas tabulas, quae totam vim habent ad probandum ex proprio ipsius testimonio, et in quibus scripto consignatae sunt praerogativae eidem a Christo collatae, et quibus ipsa jam utebatur, antequam haec scriberentur, probarentur atque evulgarentur. Nam ecclesia jam habebat suam missionem divinam, suum regimen, suam infallibilitatem et auctoritatem; Petrus jam erat instructus jure primatus, ac ceteri apostoli ipsi subjiciebantur, antequam evangelia edita essent (1); cum autem eadem semper ac viva sit Ecclesia, sibi ipsi sufficit. Quod vero spectat ad scripturas Veteris Testamenti, de ipsarum divinitate certior facta est ab ipso Christo.

24. Cum igitur ecclesia divina illa oracula quae recensuimus, semper intellexerit de infallibilitatis et auctoritatis praerogativis sibi concessis, jure suo utitur, cum auctoritative christianae religionis dogmata tamquam totidem fidei articulos vel infidelibus quos in sinum suum admisit vel admittit, credendos proposuit ac proponit, vel a novitatibus turbulentorum quorumdam filiorum suorum quovis tempore strenue intemeratos servavit ac servat, pervicacesque in proprio sensu persistentes anathemate perculit ac percellit, qui ipsam a propria possessione earumdem veritatum exturbare moliti sunt vel moliuntur.

25. Idque magis evidens fit ex illis sententiis quibus Christus praecepit, ut haberentur tamquam ethnici et publicani quicumque ecclesiam audire detrectassent (Matth. XVIII, 17), cum declarat semetipsum audire qui ecclesiam audiret, semetipsum spernere qui ecclesiam spreverit (Luc. X, 16), ideoque rebelles ab auctoritate ecclesiae velut Deo ipsi rebelles condemnat. Quare cohaerenter ad hanc doctrinam quam semper hoc sensu ecclesia intellexit, apostolus Paulus Himaeneum et Alexandrum Satanae tradidit ut discerent non blasphe-

(1) Fere omnes eruditi viri consentiunt, intra VIII ac X annum post Christi in caelum adscensionem s. Matthaeum evangelio conscribendo manum admovisse in gratiam hebraeorum qui christianae religioni nomen dederant, teste Eusebio, *Hist. eccles.* lib. III, c. 24. Alii, inter quos Millius, in *Prol. ad N. T.*, differunt ad subsequentes annos publicationem evangelii Matthaei, innixi potissimum auctoritati Irenaei qui lib. III, *cont. haereses*. C. I, scriptum tradit a Matthaeo evangelium, *cum Petrus et Paulus evangelizarent Romae, et fundarent ecclesiam*; quod contigit multo post. Sed quidquid de hoc sit, quod aliis discutiendum relinquimus, certum est ex Act. Apost. I, 15, II, 14 et seqq. IX, 33, s. Petrum jam exercere coepisse traditam sibi divinitus auctoritatem. (Matth. XVI, 18, coll. Joan. XXI, 15 et seqq.) Evangelium autem editum non fuit a Joanne nisi post Petri mortem Ephesum e Patmos insula, Domitiano extincto, reduce, teste s. Irenaeo, lib. III, *cont. haeres.* cit. loc., ideoque anno 97 vel 98 aerae vulgaris, ut omnes consentiunt, si unum excipias Semlerum, *Praef. in Paraphrasin evangelii Joannis*, et in notis passim, aliosve ejusdem scholae rationalisticae alumnos.

mare, cum ex iis essent qui circa fidem navem fregerant (I Tim. I, 20). Hinc saepe adhortatur Timotheum et Titum ad vitandos omnes novatores et haereticos homines, utpote subversos et proprio judicio condemnatos (Ad Tit. III, 10, et II Tim. III, 5; IV, 15); ita se gessit Petrus in epistola praesertim secunda (II Petr. I et seqq.), s. Judas in epistola sua catholica, quae tota est de hoc argumento, s. Joannes, tum in epistolis suis, tum in Apocalypsi (II Joan. 7 et seqq. Apoc. II, 6, 14, 15). Cohaerenter ad hanc ipsam doctrinam et auctoritatem ecclesia jam a primo saeculo simonianos, ebionitas, cerinthianos, gnosticos aliosque novatores ac protestantes e sinu suo rejecit (1), et sequentibus saeculis ad nos usque, ut infra dicemus, numquam ab instituta hac agendi ratione recessit.

26. Sola igitur ecclesia a Christo instituta, seu corpus pastorum, integrum tamen, id est cum capite suo, seu Romano Pontifice, de quo infra, instructa est infallibili auctoritate ad revelationem proponendam, interpretandam et inviolate conservandam.

DIFFICULTATES

27. Obj. Haec propositio nititur falso supposito; supponit enim *a)* Christum instituisse ecclesiam in modum unius corporis seu societatis per mutuam membrorum relationem et dependentiam saltem ab uno capite; *b)* divinam missionem praerogativam esse exclusivam istius corporis; *c)* illam oeconomiam fore perpetuam atque ordinariam; *d)* revelationem proponi a tali corpore; atqui haec falsa sunt; nam 1. apostoli seorsim singuli et independenter ab invicem revelationem proposuerunt, totidemque fundarunt independentes societates (2); 2. apostoli non solum episcopatum repraesentabant, cum acceperunt a Christo missionem, sed praeterea universitatem fidelium, qui proinde hoc ipso propriam missionem a Christo ipso immediate habuerunt; 3. temporaria fuit illa oeconomia, siquidem verba quibus Christus futuram suam adsistentiam promisit, respiciunt ea tempora tantum, in quibus apostolis erant necessaria signa et prodigia ad disseminandum evangelium, ut patet ex Marci cap. ult.; 4. demum revelatio semper a privatis hominibus et individuis proponitur, imo quandoque et a laicis; ergo.

28. Resp. *A. N.* Ad prob. *C. maj. et N. min.* sub hac generali observatione, quod apostoli seu ecclesia quae imme-

(1) Cfr. Euseb. *Hist. eccles.* lib. III, c. 18, tum c. 26, 27 et alibi passim, praesertim lib. IV, c. 22, ubi memoratis menandrianis, valentinianis, etc. haec verba refert Hegesippi: Ἀπὸ τούτων ψευδόχριστοι, ψευδοπροφῆται, ψευδαπόστολοι οἵτινες ἐμέρισαν την ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας φθοριμαίοις λόγοις κατὰ τοῦ θεοῦ καὶ κατὰ τοῦ χριστοῦ ἀυτοῦ, id est, « Ex iis orti sunt pseudo-Christi, et pseudo-prophetae, pseudo-apostoli, qui adulterinam invehentes doctrinam adversus Deum et adversus Christum ejus, *unitatem* ecclesiae disciderunt; *et immediate ante scripserat* »: Βασιλειδιανοὶ ... ἕκαστος ἰδίως, καὶ ἑτέρως ἰδίαν δόξαν παρει σήγαγεν. ***Basiliani*** .... *qui seorsim singuli* proprias opiniones *induxerunt*. Ex quibus discimus spiritum privatum originem omnium haeresum fuisse. Quod et de encratitis notat idem Eusebius, lib. IV, c. 29 scribens quod legem et prophetas admitterent, sed Ἰδίως ἑρμηνεύοντες τῶν ἱερῶν τὰ νοήματα γραφῶν, id est, *Proprio quodam sensu scripturas exponunt.*

(2) Ita Gibbon, *Hist. de lapsu rom. Imp.* cap. 15, n. v; juxta ipsum apostoli sibi non vindicarunt auctoritatem legislativam, episcopi et presbyteri ejusdem erant auctoritatis, ecclesiae ab initio erant totidem respublicae quae postea formam *foederativam* inierunt, unde origo unitatis, etc.

diate a Christo tum revelationem accepit tum ipsam missionem, aliter semper intellexit et in praxim redegit Christi verba et institutionem, ut in probationibus ostendimus.

29. Sed jam singillatim resp. ad 1. *D.* Apostoli seorsim singuli tamquam totidem membra ejusdem corporis et cum debita subordinatione ad suum caput, Petrum scilicet, ut inferius ostendemus, revelationem proposuerunt, *C.* alio sensu *N.* Negamus pariter totidem ipsos societates independentes constituisse; cum enim Christus universum gregem suum Petri curae tradiderit (Joan. XXI, 17), hinc apostoli singuli acquirebant, ut ita loquar, Petro; omnes illae partiales societates seu ecclesiae coalescebant in unam universalem sub regimine Petri, quae proinde jam ab ipsis apostolicis temporibus *Catholica* seu universalis nuncupata fuit (1).

30. Ad 2. *D.* Apostoli sub aliquo respectu interdum universum fidelium coetum repraesentabant, *C.* semper, ac praesertim in officiis proprii ministerii, ideoque et missionis ad evangelicam praedicationem *N.* Alioquin frustra Christus instituisset peculiarem ministrorum ordinem; frustra segregasset Spiritus Sanctus Paulum et Barnabam ad opus ministerii (Act. XIII, 2); frustra apostoli ordinassent episcopos quibus commendarent fidei depositum (I Tim. VI, 20) et frustra Spiritus Sanctus eosdem posuisset ad regendam ecclesiam Dei (Act. XX, 28); frustra denique Christus fidelibus id injunxisset, ut suos audirent ministros, iisdem obedirent (Luc. X, 16) iisque subessent, quae omnia apostoli in omnibus fere epistolis fidelibus commendant (I Thess. V, 12; ad Tit. I; Hebr. XIII, 17, etc.). Et sane si omnes magistri, ubi discipuli? Si omnes pastores, ubi grex?

31. Ad 3. *N.* Nam Christi ecclesia semper indiget ejus praesidio et adsistentia. S. Marcus loc. cit. ne innuit quidem aliquando miracula et signa in ecclesia cessatura. Addatur Christum apostolis eorumque successoribus promisisse *Spiritum veritatis* qui doceret eos semper *omnem veritatem*, quique esset mansurus cum ipsis *in aeternum;* addatur praeterea Christi promissionem apud s. Marc. cap. ult. hactenus in ejus ecclesia adimpleri (2).

32. Ad 4. *D.* Revelatio semper a privatis individuis proponitur ut *privatis* hominibus et nomine proprio, *N.* ut

(1) S. Ignatius, Epist. ad Smyrnaeos cap. 8, sic ait: Ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω· ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, id est, « Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia ». Sic in epist. ecclesiae smyrnensis de martyrio s. Polycarpi legitur; Καὶ οὕτως τὸν τῆς ἀφθαρσίας στέφανον ἀπολαβὼν, σὺν τοῖς ἀποστόλοις καὶ πᾶσι δικαίοις ἀγαλλιώμενος, δοξάζει τὸν Θεὸν καὶ πατέρα, καὶ εὐλογεῖ τὸν κύριον ἡμῶν, καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας, id est, « Et hac ratione immortalitatis coronam adeptus (s. Polycarpus), una cum apostolis atque omnibus sanctis laetus glorificat Deum Patrem, et benedicit Dominum nostrum gubernatorem corporum nostrorum et *catholicae* per universum orbem *ecclesiae* », (apud Usserium). Et in actis s. Pionii, qui passus est sub Decio, legitur: « Tum Polemo, christianus, inquit, es? Respondit Pionius: sum profecto. Cujus, inquit Polemo, es ecclesiae? Respondit Pionius: Catholicae; nulla enim est alia apud Christum » (Cons. Valesius in notis ad cap. 10, lib. VII, *Hist. eccles.* Eusebii, et acta sanctorum apud Bollandum, mensis Febr. die 1).

(2) Ut patet ex dictis in 1 Parte hujus tract. n. 392 et seqq.

publicis ecclesiae ministris et legatis ac nomine ecclesiae *C.* Nec enim semper vel princeps vel respublica vel senatus in persona propria vel subditis vel exteris gentibus propria exponunt mandata, aut voluntatem patefaciunt, sed per suos plerumque nuncios aut legatos; sic ecclesia per suos ministros gentibus Christi evangelium annunciat, revelationemque divinam proponit.

33. I. Inst. Ergo etiam haereticus posset ecclesiae nomine fidem annunciare, et gentes ipsi credere tenerentur. Atqui hoc est absurdum.

34. Resp. *D. M.* Posset haereticus ecclesiae nomine fidem annunciare mentiendo, *C.* vere et proprie N. Quod si infideles bona fide ipsum ecclesiae ministrum putarent, tenerentur quidem credere, sed in hac hypothesi non propter ipsum crederent, sed propter ecclesiam cujus nomine praedicat et cujus nomen usurpat, ac populi illi sic edocti jam pertinerent ad ecclesiam Christi, ut infantes ab haereticis baptizati, et adulti qui bonae fidei sunt, seu ignorantia invincibili laborant. *Ecclesia enim*, ut loquitur s. Augustinus, *etiam per ancillarum sinum liberos parit Christo* (1).

35. II. Inst. Nullum saltem infideles motivum extrinsecum et infallibile habent, quo induci possint ad actum fidei eliciendum, et ad credendum fide divina quae ipsis proponuntur; ergo.

36. Resp. *D. A.* Nisi Deus aliqua ratione suppleret, *Tr.* vel *C.* si Deus suppleat *N.* Jam vero Deus vel per donum miraculorum ecclesiae ministris concessum, vel per internam gratiam suam, vel per utrumque simul cum infidelibus evangelium annuntiatur, ipsos et illustrat et movet et persuadet et trahit adeo ut firmissime ac fide divina propositis fidei articulis assentiantur et credant, non minus ac si ab ecclesia ipsa ea credenda proponerentur. Brevi insuper iidem populi certiores fieri possunt de ecclesiae existentia ejusque praerogativis.

37. III. Inst. Possent tamen hac ratione illudi ac decipi; ergo.

38. Resp. *D. A.* Si mala fide agant, *C.* si animo sincero viam salutis quaerant *N.* Etenim Deus pro sua bonitate non patitur illos illudi ac decipi qui eum timent, et veritatem ex toto corde ac sincera mente inquirunt (2).

PROPOSITIO III.

Sola proinde ecclesia est custos et interpres infallibilis divinae revelationis, sive viva voce per traditionem transmissae sive litteris consignatae

39. Haec propositio est veluti corollarium praecedentis; etenim si Christus non privatis hominibus, sed pastorum coetui, seu ecclesiae a se institutae mu-

(1) Hoc est argumentum septem librorum, quos s. Augustinus inscripsit *de baptismo adversus Donatistas*, in quibus ostendit fieri etiam aliquando posse, ut aliquis habeat aliquid catholicum extra ecclesiam catholicam, praesertim lib. 1, cap. 10.

(2) « *Nam si sapientia et veritas*, (praeclare inquit S. August. *de moribus Ecclesiae*, lib. 1, c. 17, n. 31, 32,) non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quaeratur, ut dignum est, subtrahere se se atque abscondere a suis dilectoribus non potest .... Amore petitur, amore quaeritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur .... O utinam possetis intelligere quae dicta sunt. Confestim abjiceretis omnes ineptias fabellarum, et vanissimas imagines corporum, totosque vos magna alacritate, sincero amore, firmissima fide *sanctissimo ecclesiae catholicae gremio* conderetis ».

nus religionis propagandae et conservandae demandavit, si eidem specialem ad id munus rite obeundum ac perpetuam adsistentiam promisit, si veritatis spiritum dedit in aeternum cum ipsa mansurum, si apostoli revelationis depositum delectis ad id successoribus custodiendum tradiderunt, ut patet ex illis apostoli verbis quibus sic Timotheum a se constitutum ecclesiae ephesinae episcopum hortatur: *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis* (II Tim. I, 14); *Tu assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem... tu vero permane in iis quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris; quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (II Tim. II, 2); ac rursum: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (I Tim. VI, 20 et 21). Eadem inculcat Tito episcopo cretensi alii suo discipulo. Ex his plane consequitur, solam hanc ecclesiam custodem et interpretem infallibilem atque perpetuam esse divinae sibi traditae revelationis, non autem privatos homines quibus semper obedientia injungitur, in rebus praesertim fidei ac morum, nisi velint ab ecclesia ipsa extorres fieri, et haberi in censu ethnicorum et publicanorum ac haereticorum.

40. Revelatio autem partim scriptis consignata fuit, partim viva voce transmissa, juxta illud apostoli: *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (II Thess. II, 15). Hinc s. Joannes in evangelio cap. ult. declarat se multa omisisse ex iis quae Christus fecit, et in secunda ac tertia epistola profitetur se plura adhuc scribenda habere, sed velle magis *os ad os loqui* (II Joan. 12, et III Joan. 14). Volens propterea apostolus Paulus quosdam contentiosos compescere, eos provocat ad contrariam ecclesiae *consuetudinem* dicens: *nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei*.

41. Sola idcirco ecclesia a Christo instituta est utriusque scripturae videlicet et traditionis depositaria, custos et infallibilis interpres ab ipsa sua institutione, ac talis erit usque ad consummationem saeculi, quia ipsa semper suam retinet possessionem ac praescriptionem, et semper habet in semetipsa legitimos titulos juris sui.

42. Quapropter sequitur 1. illos omnes et solos libros scripturae canonicos et divinos esse ab omnibus admittendos, quos ecclesia Christi ut tales recognoscit et admittit. Istorum autem censum exhibet concilium Tridentinum, sess. IV.

43. 2. Omnes et solas traditiones ab omnibus Christi fidelibus divinas habendas esse, quas eadem Christi ecclesia ut tales admittit ac veneratur.

44. 3. Jure suo ecclesiam uti, cum non omnes promiscue scripturae versiones approbat et permittit, sed illas tantum quas ipsa authenticas et fideles recognoscit; et cum insuper versiones in linguas vernaculas nonnisi sub praescriptis a se conditionibus vulgari ac legi permittit (I Cor. XI, 16) (1).

45. 4. Haereticos nullum jus in scri-

(1) Ecclesiam itaque non absolute sacrarum scripturarum lectionem in lingua vernacula vetare filiis suis, ut calumniantur haeretici, et post ipsos Jansenistae, patet ex regula III *Indicis librorum prohibitorum*; sed cum depositaria et custos fidelis sit sacrorum eloquiorum, in primis vetat versiones quas ipsa non recognovit, cum in versione, ut notum est,

pturam ac traditionem habere, ac multo minus ad earum interpretationem, utpote refractarios et extra ecclesiam constitutos, ut infra ostendemus.

46. 5. Privatos fideles fructum quidem percipere posse ex scripturis, cum omnia ad ipsorum bonum ac utilitatem in ecclesia ordinata sint, vel eas juxta ecclesiae regulas exponere et interpretari, sed ea sub conditione, ut ipsorum interpretationes et expositiones intra *privatae opinionis* cancellos concludantur; et ecclesiae judicio subjiciantur, cum ipsius tantum sit authenticam et auctoritativam interpretationem dare.

DIFFICULTATES

47. I. Obj. 1. Scriptura est patrimonium commune; eam Deus in haereditatem legavit filiis suis; Evangelistae fidelium precibus morem gerentes evangelium scripserunt (1); 2. Apostoli epistolas suas ad varias fidelium societates miserunt; 3. Scripturae lectionem omnibus commendarunt; 4. Apostolus Paulus omnibus Thessalonicensis ecclesiae fidelibus injunxit: *Tenete traditiones*, etc.; ergo non coetus pastorum, sed fidelium coetus est custos divinae revelationis, ac proinde legitimus ejus interpres.

48. Resp. I. generatim *D. A.* Sub directione ecclesiae, quae a Christo ipso revelationem accepit et a Spiritu Sancto una cum ipsius intelligentia ac legitimo sensu, *C.* independenter ab ecclesiae auctoritate et directione *N.* Etenim certum est quod Christus *aperuit illis* (apostolis) *sensum, ut intelligerent scripturas* (Luc. XXIV, 45), utique Veteris Testamenti; quoad scripturas vero Novi Foederis certum pariter est ex dictis, ecclesiam iis praescripsisse, easque ut genuinas ac divinas approbasse. Sic apostolorum princeps approbavit epistolas omnes s. Pauli, et simul corripuit praeposteras quorumdam privatorum interpretationes (II Petri III, 15).

49. Resp. II. Singillatim, ad 1. *D.* Quatenus ad commune bonum et utilitatem a Deo data est sub ecclesiae directione, *C.* quatenus ad omnes et singulos jus pertinet auctoritative eam custodiendi et interpretandi *N.* Nam et sacramenta commune patrimonium ac haereditatem constituunt, nec tamen propterea fideles jus habent ea administrandi. Ceterum quinam legislator codicem suum dimittit uniuscujusque custodiae atque interpretationi? Si res ita se haberet, actum prorsus esset de tota ipsa legislatione.

50. Ad 2. *D.* Una cum pastoribus suis eorumque subordinatione ac dependentia, *C.* ad solos fideles exclusive *N.* Apostoli scilicet epistolas suas scribebant vel ad universam ecclesiam vel ad ecclesias particulares, quae constituebantur ex pastoribus et fidelibus, istis autem perpetuo subjectionem et dependentiam

possit sensus corrumpi facili negotio, quemadmodum corruptus est in tot versionibus haereticorum, quarum catalogum exhibet Lelong in sua *Bibliotheca sacra*, duobus vol. fol. Parisiis 1723. Sed praeterea, ea ratione qua infantibus, qui lacte opus habent, ad nutritionem solidus cibus subtrahitur, ne eis noceat, vult ecclesia ut adnotationibus atque illustrationibus difficiliora loca explanentur. Praeclare Comes de Maistre: « La douce colombe, avalant d'abord et triturant à demi le grain qu'elle distribue ensuite à sa couvée, est l'image naturelle de l'Eglise expliquant aux fidéles cette parole écrite, qu'elle a mise à leur portée; lue sans notes et sans explications, l'Ecriture-sainte est un poison ». Soirées de s. Pétersbourg, soirée XI, tom. II, pag. 344, édit. d'Anvers. Sed de hoc argumento ex professo in tract. *De locis theologicis*.

(1) Ita passim scriptores Historiae Ecclesiasticae testantur.

a propriis pastoribus commendabant; quod si ad particularia individua scribebant, ea minime subducebant generali institutioni, qua tenebantur obedire iis, *quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei* (Act. XX, 28), et quibus dicebatur: *Obedite praepositis vestris et subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (Hebr. XIII, 17).

51. Ad 3. *D.* Ut supra, sub directione ecclesiae, *C.* independenter ab ipsa *N.*

52. Ad 4. *D.* Id est ecclesiae prout supra explicatum est, *C.* fidelibus seorsim sumptis *N.* Addo apostolos proprii pastoralis ministerii officio functos esse, cum ista scriberent ad fideles communiendos a seductoribus, ac propterea ex illorum agendi ratione magis confirmari necessitatem dependentiae a legitima auctoritate, ne in errorem quis inducatur vel ex propria infirmitate vel ex aliorum malitia.

53. Inst. Scriptura non est nisi voluntatis Dei declaratio; atqui omnium filiorum est interpretatio voluntatis patris; ergo.

54. Resp. *D. min.* Juxta regulas, quas pater ipse praescripserit, ac prout exigit ipsa rei natura, *C.* pro uniuscujusque arbitrio ac voluntate *N.* Alioquin, si lis oriretur inter filios circa patris dispositionem, nullus unquam finis disceptationis haberetur. Quare apostolus Petrus omnibus inculcat: *Hoc primum scientes, quod omnis prophetia scripturae* propria interpretatione non fit; *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (II Epist. I, 20, 21).

55. II. Obj. Si ecclesia esset revera depositaria, custos atque interpres infallibilis revelationis, nulla unquam excitata controversia fuisset circa numerum librorum canonicorum eorumque authenticitatem, nulla quaestio mota fuisset circa traditiones; atqui magna olim, ac primis ipsis ecclesiae saeculis, dissensio fuit circa hos articulos inter diversas ecclesias, nec magis Patres inter se hac in parte concordes fuerunt (1); ergo.

56. Resp. *D. M.* Si ecclesiae infallibilitas esset per modum revelationis aut inspirationis, *C.* si per modum adsistentiae ne erret in propriis judiciis *N.* Porro apostoli acceptam a Christo revelationem consignarunt vel singularibus individuis, episcopis scilicet, vel particularibus ecclesiis quas instituerunt, et ad quas identidem etiam scripserunt; nec totam insuper, atque, ut ita dicam, in solido revelationem singulis ad instar unius doctrinae corporis tradiderunt, sed prout occasio ferebat, exceptis articulis explicite necessario ab omnibus credendis, eam proponebant, prout colligitur ex I. Cor. III, 1, 2, et alibi passim. Hinc non potuit statim constare singulis episcopis vel ecclesiis particularibus, ex quibus ecclesia universalis coalescit, de iis, quae apostoli sive viva voce, sive scriptis singularibus vel episcopis vel ecclesiis commiserunt. Inde ortae quandoque vel excitatae controversiae sive circa numerum librorum canonicorum, sive circa veritatem aliquarum traditionum, sive demum circa legitimum sensum quorumdam scripturae locorum, donec collatis suffragiis ecclesia universa divina ope suffulta de eis determinaverit seu judicium tulerit (2).

57. Inst. Ergo ecclesiae fides non semper uniformis fuit.

58. Resp. Si sermo sit de aliqua dif-

(1) Cons. Franc. Marchini *Tractatus de divinitate et canonicitate sacrorum bibliorum*, Taurini 1777, in-4.

(2) Ex his patet, celeberrimum Vincentii Lirinensis effatum, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est* esse

formitate positiva, quatenus alii contraria vel diversa crederent, *N.* Si de difformitate negativa, *subd.* quoad ecclesias aliquas vel particularia individua circa puncta nondum definita, *Tr.* vel *C.*; quoad ecclesiam universalem *N.* Voco autem difformitatem negativam illam diversam sentiendi rationem, quae oriebatur vel adhuc oritur circa quaestiones nondum eliquatas vel definitas, quae potius provenit ex carentia cognitionis quam ex positiva aliqua scientia; omnes tamen ita affecti erant, prout semper sunt, ut implicite crederent ea omnia, quae tamquam divinitus revelata teneret vel tenet ecclesia, explicite crédituri, si ea expresse ecclesia definivisset vel definiret.

PROPOSITIO IV.

Ecclesia Christi est una, visibilis atque perpetua

59. Hic nobis in animo non est agere de notis verae ecclesiae, de quibus ex professo in tractatu de *Locis theologicis* sermo instituetur, sed solum eas intrinsecas et essentiales proprietates persequi, quae ad rem praesentem faciunt, juxta methodum quam nobis praefiximus ad impugnandos heterodoxos.

60. Ut igitur ad propositum veniamus, ecclesia est societas ab ipso Christo instituta ad profitendam religionem, cujus ipse auctor est et invisibile caput. Cum vero religionem Christus ad commune hominum bonum et utilitatem instituerit, hinc sequitur quod ecclesia vel societas a Christo instituta necessario debeat esse *una*, *visibilis* atque *perpetua*.

61. Una quidem, prout una est religio, una fides, quam Christus homines docuit, quamque ipse voluit homines profiteri. Religio autem et fides, sicut et veritas, una est ac indivisibilis in sui notione, nec ullam patitur cum falsitate et errore vel commixtionem vel transactionem, cum altera alteram excludat, veritas enim, ut acute observat s. Augustinus, est quod vere est (1), falsitas autem quod non vere est; quicumque propterea recedunt a fide quam Christus tradidit ecclesiae suae, seu societati quam ipse instituit, hoc ipso recedunt a veritate et ab unitate; ergo ecclesia Christi est essentialiter una, sicut essentialiter una est fides et una veritas.

62. Et sane Christus vocat ecclesiam suam *unum* ovile (Joan. X, 16), vocat

tenendum; quod ipse fuse evolvit n. 3, 4, 5, adversus haereticos in suo *Commonitorio*, et quo nonnulli ex recentioribus scriptoribus abusi sunt ad statuendam nescio quam auctoritatem universalem generis humani ut fidei christianae basim, non esse intelligendum nisi in sensu, ut dicunt, *positivo* quatenus nempe, *quod semper*, etc. non possit non esse verum, aut non ex traditione apostolica descendere; non autem in sensu *negativo*, ita ut verum aut certum non sit censendum quidquid semper, ubique et ab omnibus creditum saltem explicite minime fuerit; alioquin actum esset de authenticitate et canonicitate omnium librorum, quos deuterocanonicos dicimus; quod prorsus absurdum est, atque a Vincentii Lirinensis mente omnino alienum, qui profecto non ignorabat agitatas adhuc sua aetate esse, vel paulo ante fuisse controversias circa sacrorum librorum canonicitatem; et aliunde constat successu temporum sexcenta fuisse ab ecclesia definita, quae prius, nondum ortis haeresibus, quae solemnes ejusmodi definitiones provocarunt, nonnisi *implicite* credebantur.

(1) Tract. xxxviii, in Joan. n. 10, p. 559. edit. Maur.

regnum *suum*(1), ecclesiam *suam* (Matth. XVI, 18), etc. Et apostolus *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (Ephes. IV, 5); et in symbolo apostolico jubemur credere *ecclesiam catholicam* (2).

63. Omnis insuper societas, quae ex hominibus coalescit, debet necessario esse visibilis atque externa; talis autem est ecclesia quam Christus instituit. Ergo ecclesia Christi non solum una, sed et visibilis est. Quare non solum internam fidem, sed et externam fidei professionem Christus ab hominibus exposcit: *Qui confitebitur me coram hominibus*, inquit, *confitebor et ego eum coram Patre meo; qui erubuerit me et sermones meos coram hominibus, erubescam et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est* (Matth. X, 32.). Et Apostolus ad Romanos: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (cap. X, 10). Symbola praeterea externa ipsis dedit, nempe sacramenta, externum sacerdotium et externos ministros; praecepit ut omnes obedirent praepositis sibi pastoribus, et vicissim injunxit pastoribus, ut pascerent gregem sibi commissum; voluit ut omnes sub comminatione aeternorum suppliciorum ad ecclesiam accederent, e contra-

(1) Matth. XVI, 28, et alibi ecclesia passim a Christo *regnum Dei* vocatur, *regnum coelorum*, etc.

(2) Ubi obiter notandum est, plerosque protestantes, qui adhuc retinent symbolum apostolicum, prorsus sustulisse vocem *catholicam* e symbolo, ne, quoties illud recitant, toties propriae sectae condemnationem reperiant. Attamen neque hac ratione illam effugiunt, siquidem, cum profiteantur se credere *ecclesiam*, et quidem unicam et singularem, quid aliud venire potest sub hac denominatione nisi ecclesia catholica? Numquid ridiculum non est putare, apostolos vel auctores antiquissimos hujus symboli, quod saltem ab aetate apostolica provenit, et doctrinam apostolicam continet, voluisse ut objectum vel articulum fidei proponere: Credo ecclesiam *lutheranam*, vel *reformatam*, vel *protestantem*, etc.? Alii nonnulli aliter vitium originis suae obtegere conati sunt, dum vocem *catholicam* aequivoce verterunt per vocabula germanica *Allgemeine christliche*; Borussiae rex qui apud protestantes sui regni sacris praeest, in *Agenda*, seu *Rituali* protestantico, ejus jussu ex ecclesiae romanae *Ordinibus* et antiquis ritualibus catholicis conflato, et protestantibus regia auctoritate nuper imposito, verba Symboli apostolici: « Credo . . . Sanctam ecclesiam catholicam, *sic translulit:* Ich glaube . . . eine heilige, allgemeine christliche Kirche (Vid. Agende für die evangelische Kirche in den Königlich-Preussischen Landen, mit besonderen Bestimmungen und Zusätzen für die Provinz Westphalen und die Rhein-Provinz, *pag.* 23, *in* 4, *Berlin* 1834, *id est* Agenda pro evangelica ecclesia regni borussici, cum peculiaribus dispositionibus et additionibus pro provinciis Westphaliae et Rheni) »; sectae itaque suae sententiam clarius pronunciat, quam si vocem *catholicam* omnino de medio sustulisset. Dixi *auctores antiquissimos*; licet enim quidam recentiores intemperantes critici subdubitare videantur, apostolos per se hanc fidei regulam, quam symbolum apostolicum dicimus, minime confecisse, attamen extra dubium est ipsum antiquissimum esse, cujus jam meminit Tertullianus, in lib. *de Virginibus velandis*, c. 1, ubi illud vocat *regulam fidei*, tum in lib. *De Praesc.* c. 13, et *Adv. Praxeam*, c. 2, atque s. Irenaeus, lib. I. *Contra haereses*, c. 2; imo doctus Petavius censet ad hanc fidei formulam, passim jam receptam in omnibus ecclesiis apostolica aetate, s. Paulum respexisse in Epist. I. ad Cor. VIII, 5, quaeque cathecumenis ac tironibus, ante baptismum proponi, atque ab iis exigi solebat (*Theol. dogm.* tom. II, lib. III, de Trin. c. 1, § 5.). Vid. Bergier, *Dict. de théol.* art. *Symbole*, nec non Nat. Alex. *Diss.* XI *in saec. ecclesiae* I.

rio autem inobedientes et pervicaces in proprio sensu ab eadem expellerentur, aliaque ejusmodi; quae quidem omnia societatem profecto visibilem et externam supponunt. Ut ergo ecclesia Christi necessario est una, ita necessario visibilis est atque externa.

64. Ex iisdem principiis veluti sua sponte sequitur Christi ecclesiam perpetuam esse debere, seu perpetuo duraturam. Etenim Christus pro omnibus omnino hominibus, ac proinde pro hominibus omnium locorum et saeculorum, religionem suam instituit, ac fidem credendam proposuit; voluit ut quovis tempore infideles, quibus annuntiaretur evangelium, ad ecclesiam accederent, eidemque aggregarentur, et quovis tempore ab eadem expellerentur contumaces ac rebelles; hinc semper subsistere debet ecclesia seu ista societas, quam semel Christus instituit in omnium bonum ac utilitatem (1).

65. Cum vero per hominum infirmitatem vel malitiam ac improbitatem fieri posset, ut veritates ab ipso propositae

(1) Atque hinc refellitur illorum sententia neotericorum, qui ausi sunt affirmare, Christum non potuisse religionem, ut vocant, *positivam* instituere, eo quod haec contraria sit hominis indoli, quae ad libertatem adeo prona est. Id tamen plane ridiculum est; nam eo quod nonnulli rebelles se submittere detrectant legitimae auctoritati a Deo constitutae, debebit ne Deus eorum perversae agendi et sentiendi rationi se se accommodare? Cum tamen apud prophetam scriptum sit: *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Posset et his dicere Christus Dominus: *Numquid et vos vultis abire?* Praeterea hic obiter monebo, nullum majus inesse pondus alii rationi, quam ad hanc impossibilitatem saltem indirecte ostendendam, adducit neotericus auctor Georg. Hermes, nuper theologiae professor in universitate Bonnae, in sua *Introductione ad christiano-catholicam theologiam*, germanice exarata, p. 1, *Philosoph. introduct.* edit. 2 Munsteri 1831; ubi postquam in quaest. III, p. 504 et seqq., multa obscure atque implexe disseruit de possibilitate revelationis supernaturalis, tandem accedens ad eas generales conditiones, a quibus revelatio tamquam realis est habenda, p. 523 hoc generale statuit criterium: « Ibi, nec alibi, realitas supernaturalis divinae revelationis vel cujuscumque miraculi admitti debet, ubi per hujus negationem ratio theoretica necessarium principium rejicere, vel practica indubium officium omittere cogeretur, quia in utroque casu ratio vadem se praestat pro ipsius realitate et veritate ». Quod principium seu criterium a nullo vere catholico admitti potest; inde enim sequeretur humanam rationem, sive theoreticam sive practicam, esse judicem eorum, quae Deus revelare ac moliri posset. Quid si agatur de iis, quae mentis nostrae captum excedunt, cujusmodi plura sunt, quae in revelatione supernaturali continentur? Motiva, ut vocant, extrinseca credibilitatis ad haec admittenda sufficere debent; alioquin non rationem revelationi ac mysteriis, sed revelationem ac mysteria rationi subjiceremus, quod est principium socinianorum et incredulorum. Sed de hoc auctore ejusque systemate, cui adlaborando viginti tres annos ipse insudavit, suo loco dicemus. Interea id graviter dolemus, quod hermesianum ejusmodi eversivum systema in Westphalia passim atque in Borussia in ipsis scholis catholicis et recipitur et propugnatur.

Haec quidem ita se habebant, cum primum hoc opus in lucem prodiit (anno 1835); posteaquam vero emissum est decretum a sancta sede adversus Hermesii libros, nemo catholicus Hermesianam doctrinam in publicis scholis tuebitur, illive favebit. Nec stetit per illum Archiepiscopum coloniensem, qui tamquam murum aeneum sese illis perniciosis novitatibus opposuit, quominus vel ab ipsis animis eraderetur. At eheu! constantiae et fortitudinis suae reus molestam subit captivitatem, quae utinam neque novatoribus addat audaciam, neque in sanae doctrinae vergat detrimentum!

vel toto vel saltem aliqua ex parte laederentur, vel ut dissolveretur societas ipsa, quam Christus instituerat, hinc perpetuam ac numquam desituram protectionem et defensionem suam eidem promisit, qua fieret, ut intemerata semper persisteret adversus quaecumque hominum ac inferorum molimina; sic apud Matthaeum: *Portae inferi*, inquit, *non praevalebunt adversus eam* (Matth. XVI, 18), et iterum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. XXVIII, 20); et alibi passim. Quae oracula, aliaque ejusmodi, semper ecclesia intellexit de indefectibili sui subsistentia et infallibilitate sibi a Christo tributa usque ad mundi finem. Ac proinde ecclesia Christi, ut necessario ac natura sua una est ac visibilis, sic necessario perpetua ex Christi institutione est atque indefectibilis.

66. Ex dictis sequitur, 1. cum Christus unitati tantum praerogativas omnes tribuerit tum auctoritatis, tum infallibilitatis, etc., has nullo modo privatis hominibus competere.

67. Sequitur 2. has multo minus vindicare sibi posse sectas quaslibet utut numerosissimas, quae identidem ab unitate recesserunt, quaeque spectari debent veluti totidem rami a magna arbore excisi, ac veluti rivuli a fonte separati et disjuncti, veluti membra a vivo corpore exsecta, ut sancti ecclesiae patres passim loquuntur, ac praesertim s. Cyprianus (1); ideoque sectas carere vita omnique vitae principio (2).

68. Sequitur 3. somniare prorsus eos omnes, qui ad suam cohonestandam defectionem ab ecclesia, obtrudunt nescio quam invisibilem successionem et communionem cum justis (id est, haereticis) omnium praeteritorum temporum, ex quibus tantum vera ecclesia a Christo instituta juxta ipsos coalescit (3).

69. Sequitur 4. commentitiam esse

(1) *Ecclesia una est*, inquit sanctus martyr, (lib. *de unitate ecclesiae*), « quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non potest. A fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et ecclesia Domini », etc. Edit. Maur. p. 195.

(2) Ut rami dissecti, radii a sole divisi, etc. Hinc concludebat idem s. Doctor: *Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem*, ibid. pag. 196. Impossibile est ut sectarii oculos in sanctorum ecclesiae patrum scripta conjiciant, et illico non inveniant propriae sectae damnationem. At ipsi sapientissimos patres contemnunt, nec illorum ullam rationem habent. Ipsi viderint, si coram Deo tanta animorum audacia eos excuset; etiam veteres haeretici, ut refert s. Irenaeus, lib. III, *Contra haereses*, sub finem cap. 2, parvipendebant apostolos. Quid inde?

(3) D. Neander, berolinensis professor, in sua *Histoire de l' Eglise*, statuit quod ad bene cognoscendam historiam et eventus religionis christianae seu ecclesiae, necesse sit rei basim ponere in idea ecclesiae invisibilis. Haec assertio multos nacta est impugnatores etiam inter reformatos. In *Ephemeride evangelica*, quae Berolini imprimitur, pastor Grundwich, in articulo cui titulus *Neander*, scribit ejusmodi ecclesiam invisibilem inventam seu excogitatam esse a protestantibus ad respondendum catholicis, qui eis exprobrabant non amplius eos in ecclesia esse, extra quam non datur salus, quibus non aliter reponere potuerunt quam dando hoc nomen soli electorum ecclesiae, quae nulla distinguitur nota sensibili. Verum, subdit ipse, si homines nullum habent adjumentum ad secernendam veram

distinctionem articulorum fundamentalium et non fundamentalium, quam primus invexit Jurieu (1), quamque protestantes passim ambabus ulnis velut salutarem protestantismi tabulam, qua ab imminenti naufragio eriperentur, sunt complexi, ut adstruerent ad ecclesiam Christi seu unitatem eos omnes pertinere, qui articulis fundamentalibus assentirent, licet alios omnes articulos fidei rejicerent. Caeteris enim omissis, futilitas hujusmodi distinctionis ex eo deprehenditur, quod ea detrahat unitati ac integritati fidei, quam Christus omnibus indiscriminatim credendam per ecclesiam a se institutam proposuit, dicens: *Docete omnes gentes servare omnia quaecumque mandavi vobis . . . Qui non crediderit, condemnabitur* (Matth. cap. ult.; Marc. XVI, 16).

70. Sequitur 5. unitatem debere perpetuari, qualem Christus ipse eam instituit; jam vero Christus eam non solum constare voluit ex unitate seu identitate fidei et ex eorumdem sacramentorum participatione, verum etiam ex unitate regiminis, ac speciatim ex unitate capitis visibilis, quod universae a se institutae praefecit ecclesiae, Petrum dico, cui Christus apud Matthaeum ait: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus; et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* (Matth. XVI; 18). Ac rursum apud Joannem eidem Petro: *Pasce agnos meos .... pasce oves meas*, (Joan. XXI, 15 et seqq.). Quae verba de vera superioritate potestatis, honoris ac jurisdictionis Petro ejusque successoribus collata semper intellexit ecclesia. Sequitur proinde schismaticos esse eos omnes, qui ab hoc capite ac unitatis centro se subduxerunt vel identidem subducunt, ideoque ad Christi ecclesiam nulla ratione pertinere, qui Petro ejusque legitimis successoribus non adhaerent; nec quidquam episcopos in ecclesia posse, quod gubernandi potestatem attinet, nisi cum Petro et sub Petro, cum sub hac conditione tantum ipsi utantur privilegiis seu praerogativis, quibus Christus episcopa-

ecclesiam, haec non erit nisi *ens imaginarium*, atque impossibile pariter erit asserere cum certitudine, utrum s. Stephanus an vero ipsius carnifices pertinuerint ad ecclesiam, eo quod nos eos non aliunde secernere possimus quam ex verbis et actionibus, id est, ex rebus sensibilibus.

(1) Cum animadverteret premi a catholicis reformatos protestantes ab ineluctabili argumento, desumpto ex perpetuitate ecclesiae ac numquam interrupta episcoporum successione, ab identitate doctrinae, etc. hinc excogitavit distinctionem articulorum *fundamentalium et non fundamentalium*, quam late prosequitur in opere, *Le vrai systéme de l' Eglise*, in-8, 1686, tum in opere *Unité de l' Eglise*, 1688, quibus ostendere nititur ecclesiam constare ex omnibus societatibus christianis, quae retinuerunt *fundamenta fidei*. Fanatici omnium saeculorum proscripti ab ecclesia catholica in dypticos istius Jurieu referuntur. Ipse Bayle, tanta ministri protestantis amplitudine percitus, eum acriter impugnavit in suo tractatu *Janua coelorum reserata cunctis religionibus a celebri admodum viro domino Petro Jurieu*, cui epigraphum praemisit: *Porta patens esto, nulli claudatur honesto*. Verum ejusmodi systema, quod ab initio per hominum ora late abiit, jam plane jacet etiam apud ipsos protestantes. Nulla quippe est secta, quae non fateatur per illam doctrinam subrui fidei fundamenta. Quis judex erit? Vid. Feller, *Dict. hist.* art. *Jurieu*; Bayle, pariter in art. *Jurieu*, ubi eum vellicat acerbissime.

tum instruxit. Unitati siquidem, ut ostendimus, Christus has praerogativas concessit (1).

DIFFICULTATES

71. I. Obj. Eodem modo quo ecclesia est una, est etiam sancta; ergo sicut pravitas morum in individuis non officit verae ecclesiae sanctitati, sic diversitas aut pravitas fidei ac doctrinae non detrahit ejus unitati.

72. Resp. *Conc. antec. et neg. conseq.* Ad paritatem *D.* Si pravitas morum sit personalis, *C.* si doctrinalis vel *N.* vel *subdist.* privata, *C.* publica, quae nempe proveniat ex ecclesiae magisterio *N.* Sanctitas enim ecclesiae perinde ac unitas non minus ex fidei regula quam ex regula morum pendet; quapropter, si semel ecclesia pravam morum doctrinam traderet filiis suis, aperte patet quod sancta jam esse cessaret, eadem ratione ac si prava dogmata doceret. Quod si nonnulli privati sive circa fidem sive circa mores peccarent, utique istorum error aut ignorantia aut malitia nullo modo officerent sive unitati sive sanctitati ecclesiae, sed illis solis nocerent.

73. I. Inst. Unitas plerumque ex diversis, imo contrariis quandoque elementis seu principiis constare potest; ergo et unitas fidei.

74. Resp. *D. A.* Unitas physica, *C.* doctrinalis, fidei ac religionis *N.* (2).

75. II. Inst. Religio vetus sive naturalis sive judaica una et integra subsistebat, licet ipsarum cultores diversa, imo et contraria sentirent circa multos articulos, prout de ethnicis notum est, et quod spectat ad judaeos, circa resurrectionem futuram ex. gr. ut sadducaei, vel circa humanam libertatem vel aliquot traditiones, ut pharisaei (3), vel circa libros canonicos, ut samaritani; ergo.

76. Resp. *Neg. antec.* Quoad omnes partes: ac primo quidem ad ethnicos quod spectat, errores, quibus pedetentim se commacularunt, errores erant privatorum, qui a regula seu fidei norma desciverant. Cum vero in dies cresceret ejusmodi defectio, ne religio ex integro periret, Deus in Abrahamo ejusque posteris peculiarem sibi populum delegit velut publicum verae religionis ac fidei depositarium, apud quem vera ecclesia seu religio subsistere incolumis pergeret; ad hanc autem, spiritu saltem, pertinebant quicumque inter gentes veram religionem ex antiqua et domestica traditione profitebantur. Quod si aliqui etiam inter judaeos a veritatis tramite deflexissent, et adversati essent expressis fidei articulis, quos vera ecclesia profitebatur, hoc ipso culpabiles erant, et spiritu saltem, cessabant pertinere ad hanc veram ecclesiam, quandoque etiam ab ipso corpore expellebantur (4). Hinc vera religio seu ecclesia una semper ac

(1) Ut patet ex facto, et ex confessione ipsorum incredulorum Gibbon et Hume, quos inferius adducemus.

(2) Unitas enim fidei ac religionis est ipsa incommutabilis veritas, simplex, indivisibilis, aeterna, quae ab ipso Deo dimanat, qui est veritas ipsa subsistens, ut passim loquitur s. Augustinus, et ut patet per se.

(3) Cons. Flav. Josephus, *Antiquit.* lib. XVIII, cap. I et seq. ubi exponit dogmata peculiaria uniuscujusque sectae pharisaeorum nempe, esseniorum, sadducaeorum et galilaeorum, quia Juda galilaeo nomen sortiti sunt.

(4) Flav. Josephus ibid. refert sadducaeos coactos fuisse, cum aliquam publicam administrationem susciperent, se conformare pharisaeorum placitis, alioquin ipsos populos minime tulisset; sic enim de sadducaeis scribit (§ 4): Ὁπότε γὰρ ἐπ᾽ ἀρχὰς παρέλθοιεν, ἀκουσίως μὲν καὶ κατ᾽ ἀνάγκας, προσχωροῦσι δὲ οὖν οἷς ὁ Φαρισαῖος λέγει, διὰ τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτοὺς γενέσθαι τοῖς πλήθεσιν, id est, « Nam

indivisa immutabiliter exstitit, non obstantibus illis particularibus defectionibus, quae nocebant quidem his culpabiliter errantibus, non autem fidei et ecclesiae integritati et unitati, cui Deus semper prospexit, quamque incolumem ad Christum usque peculiari sua providentia servavit.

77. II. Obj. cum Bretschneider (1): 1. Uniformitas in modo concipiendi veritates fidei est prorsus impossibilis. 2. Variationes continuae hac in parte ex historia bibliorum ac dogmatum particularium patefiunt. 3. Unitas, quam catholica ecclesia jactat, reducitur demum ad unitatem verborum, quae pariter existit in fidei professionibus ecclesiae evangelicae, 4. sed verbum est sonus vacuus, neque constituit unitatem intellectualem; 5. sic nulla inter nos omnes est discrepantia in pronunciandis his verbis: *Credo in Deum*, attamen quae non existit diversitas in nostris conceptionibus respectu divinitatis? 6. Vis et auctoritas cum ultimo non inducant nisi unitatem in verbis, satius est non aliam admittere auctoritatem quam rationis utpote quae sola consistere possit cum spiritu religionis ac dignitatis hominis rationalis. 7. Homo quilibet per se veritatis compos fieri debet. 8. Privare omnes homines ejusmodi jure naturali, eo quod nonnulli individui homines eo abusi sint, aeque absurdum esset ac interdicere omnibus navigationem, quia nonnulli naufragium fecerunt; ergo.

78. Resp. ad 1. *D.* Quoad gradum comprehensionis, *C.* quoad substantiam *N.* Scilicet omnes uniformes esse possunt in credendis iisdem fidei articulis, quoad eorum substantiam, at pro majori vel minori ingenii acumine, vel cognitionis seu scientiae apparatu, majori vel minori perfectione eos percipiunt, prout pariter contingit in scientiis naturalibus; sic rusticus et astronomus eamdem quoad substantiam solis et lunae ideam habent, sed astronomus eas callet leges, quas ignorat rusticus, et ita de ceteris.

79. Ad 2. *D.* Apud dissidentes ab ecclesiae auctoritate, *C.* apud dociles ecclesiae filios in definitis fidei articulis *N.* Ecclesia catholica semper idem credidit, tenuit ac docuit in iis quae ad fidem pertinent; quod si dissidentes haeretici ac protestantes et rationalistae in perpetua fluctuatione fuerunt et sunt, sive circa scripturae sensum, sive circa particularia dogmata, illud defectui auctoritatis, quam rejecerunt, adscribere debent, non autem auctoritati ipsi, quae sola efficit, ne incerti *circumferamur omni vento doctrinae* (Ephes. IV, 14).

80. Ad 3. *Neg.* Verba enim non sunt nudus vocis sonus ac sensu vacuus, sed signa sunt mentis conceptuum, ut omnes logici docent. Neque Christus, neque apostoli, cum fidem tradiderunt et commendarunt ecclesiae, ut eam usque ad consummationem saeculi intemeratam custodiret et conservaret, unquam in animo habuerunt tradere ac commendare nudum vocis sonum, seu voces sensu vacuas, sed veritates per verba significatas; sic neque martyres sanguinem fuderunt ad conservandam materialem verborum formulam, cui nulla determinata idea responderet. Certe Apostolus Timotheo commendabat, ut *formam haberet sanorum verborum, quae a me*, inquit, *audisti in fide* (II Tim. I, 13).

si quando magistratus gerunt, inviti et necessitate coacti, pharisaeorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus ».

(1) In op. cui titulus: *Henricus et Antonius, seu de proselytis ecclesiae romanae et ecclesiae evangelicae;* cui respondit D. Handschuh, in ejusdem operis continuatione, Viennae 1828.

Ludicra porro fuisset haec commendatio, si verba non sunt nisi voces sensu vacuae. Cum legislatores leges condunt, vel cum principes decreta promulgant, in adversarii hypothesi non darent nisi voces absque sensu; cum medici pharmacum aegrotis praescribunt, non praescriberent nisi materialem verborum formulam; patres familias filiis suis petentibus panem, dare possent lapidem, pro ovo scorpionem, pro pisce serpentem. Adeo desipiunt, qui unitatem ecclesiae impugnant! Negamus praeterea ecclesiam, quam dicunt evangelicam, prout in ecclesia catholica viget, praeseferre unitatem fidei, tum quia ex protestantismi notione, ut inferius exponemus, nullam habet auctoritatem, qua praescribere possit ejusmodi fidei unitatem, tum quia ecclesiae singulae diversas fidei professiones habent, quas pro diversitate temporum seu scientiarum progressu, ut ipsi dicunt, variant, tum quia *passim* jam nullum librum symbolicum admittunt (1).

81. Ad 4. *Neg.* Omnes enim homi-

(1) Ecclesiae evangelicae rhenanae, in decreto unionis § 3, decreverunt assumere sacras scripturas velut unicum doctrinae theologicae fundamentum, e medio tollendo quodcumque symbolum; quod decretum confirmatum fuit, post novam deliberationem mensis Novemb. 1825, a tertia Synodo generali ecclesiae protestantis Rheno-Bavaricae. Ecclesia genevensis pariter omnia symbola et confessiones fidei rejecit, in suo statuto sub die 3 Maii 1817. Quae quidem documenta aliaque inferius dabimus. Interea patet viam impiorum revera esse tenebrosam; nesciunt ubi corruant; adeo nempe apud protestantes res fidei ac religionis perturbatae sunt et confusae, ut nesciant ubi pedem figant, neque ubi consistant. Dixi autem *passim* protestantes nullum jam librum symbolicum admittere; quoniam non ignoro aliquot protestantium communiones ejusmodi libros adhuc retinere; imo in Borussia rex ipse novam a se editam liturgiam tamquam librum symbolicum, fidei per cultus uniformitatem manifestatam, promulgavit, omnesque ministros jurejurando ad eam suscipiendam adstrinxit. Sed notum pariter est hisce ministris, qui in libros symbolicos jurant, persuasum esse se hujusmodi jurejurando ad credenda vel docenda ea omnia, quae in libris istis continentur, adstringi minime posse. In hac porro ingenuis ac religiosis viris non satis honesta agendi ratione ipsi ministri aliquam excusationem obtendere posse videntur; siquidem qui apud ipsos Pontifex seu Papa est, non censuris, sed aut expulsione aut armata militum vi eos ad obediendum adigit; quod sub finem anni superioris (1834) evenit. Cum enim detrectassent non pauci lutherani ministri ac lutheranae societates excipere novam *Agendam*, seu liturgiam denuo praescriptam sub die 28 Febr. anni 1834, a qua vehementer abhorrebant aeque ac ab conjunctione cum *ecclesia unita* quam vocant, de qua aliquid inferius dicemus, plures parochi de loco, in quo erant, dejecti sunt, ac a lege statutis poenis mulctati, novique vicarii in ipsorum locum suffecti. Quum vero, in quadam Silesiae urbe *Oels* nuncupata turba templum occlusisset atque obsignasset, ne novis vicariis aditus ad illud pateret, quingenti milites urbanusque Praetor missi sunt, qui populum coercerent et compellerent. Quo in tumultu ipso nativitatis dominicae pervigilio ad viginti circiter homines vulneribus mulctati sunt; in singulas autem domos decem, et quindecim etiam, milites distributi, qui ad frugem et obedientiam pertinaciores suavioribus argumentis adducerent. Atque hoc specimen est certissimum libertatis conscientiae, quam protestantes tantopere depraedicant. Praeclaram conscientiae libertatem! Operae pretium erat Romani Pontificis jugum abjicere ad eam nanciscendam! Habemus tamen, quod vehementius miremur; nam in iisdem hisce locis, de quibus est sermo, lutherani *dissentientes* ab ecclesia unita seu evangelica modo vocantur *protestantes*, modo *secta;* Vid. *Ephem. univ. Augustanae* n. 26, 27, cum addita-

nes hactenus verba veluti signa mentis notionum habuerunt, atque ut medium necessarium ad suas ideas sibi invicem communicandas. Sublatis verbis, actum est de societate et de qualibet scientia; libri omnes physicae, matheseos, etc. essent abjiciendi, si nullum praeseferrent sensum, nec scientiae unitatem; ad confusionem babelicam reverteremur. Addo quaedam verba habere sensum determinatum et unicum, cujusmodi e. g. sunt nomina, quibus geometrae utuntur, cum designant circulum, triangulum, etc., quaedam autem quamdam pati latitudinem significationis, ita tamen ut habeant ideam fundamentalem certam in quam omnes conveniunt (1).

82. Ad 5. *D.* Non omnes eumdem conceptum habent divinitatis quoad cognitionis gradum, ut supra dictum est, *C.* quoad substantiam *N.* Omnes enim qui haec verba proferunt: *Credo in Deum*, non aliud intelligunt sub generali Dei notione nisi summum esse ac perfectissimum, rerum omnium principium, etc., etsi non apprehendant in specie summas ejus perfectiones, ceteraque omnia, quae in Deo considerari possunt, quaeque nonnisi docti et quidem pro diverso scientiae gradu assequuntur.

83. Ad 6. *Neg.* ex dictis. Ad id vero quod adversarius subdit, satius esse non aliam admittere auctoritatem quam rationis, respondeo, rationem minime praeseferre aliquam auctoritatem in iis quae ad fidem pertinent, sed eam in his non esse nisi pedissequam; positis scilicet fidei dogmatibus, potest ratio plura invenire ad ea illustranda, magisque comprobanda, atque ad ostendendum nullam in iis inveniri repugnantiam, etc.; has enim partes, et quidem solas, potest habere ratio in rebus fidei. Ex quo patet falsum esse quod ipse assumit, homines scilicet rationales veluti machinas excipere debere veritates fidei, iisque assentiri; talis enim semper fuit spiritus religionis, ut nullo modo detrahat dignitati hominis rationalis, cum ipsa ratio nos doceat summa veneratione excipienda esse quae tamquam divinitus revelata proponuntur ab auctoritate infallibili, nomine ipsius Dei, cujusmodi Christi ecclesiam esse ostendimus.

84. Ad 7. *D.* Veritatis ordinis naturalis, *Tr.* vel *C.* ordinis supernaturalis ac revelatae *N.*

85. Ad 8. *Neg.* suppositum, homines nempe jure naturali gaudere inquirendi in veritates a Deo revelatas; in his enim homines non habent *jus*, sed *debitum* captivandi proprium intellectum in obsequium fidei (II Cor. X, 5; Philipp. II, 17); et quicumque sibi temere arrogarunt ejusmodi commentitium jus, se committendo liberae navigationi, ut

mentis extraord. ad diem 1 Januarii 1835, n. 21, p. 102, 103.

(1) Apposite Cl. Manzoni: « Questa diversità, o per dir meglio latitudine di significato, si trova più specialmente nei nomi consecrati ad esprimere disposizioni morali. Ma non pertanto è certo, che gli uomini s' intendono fra di loro, se non con precisione, almeno approssimativamente, quando adoperano o ascoltano alcuna di queste parole; non potrebbero anzi disputare, se non andassero intesi più o meno, se non dessero in parte lo stesso significato alle parole in questione; il che ha fatto dire a taluno, che non vi ha dispute di meri vocaboli, ma che tutte sono d' idee. Questo si spiega, a mio credere, osservando, che in ognuno di questi nomi d'idee morali (quod de ceteris dici debet) vi è una idea predominante e generalissima che tutti vi riconoscono, benchè nell' applicazione essa subisca modificazioni indefinite secondo la diversità delle menti; idea che ricompare sempre, e che regge per così dire il complesso d' idee alle quali si vuole applicare quel nome » (*Morale cattol.* cap. 17, p. 355, edit. rom.).

similitudine adversarii utar, *naufragaverunt circa fidem* (I Tim. I, 19), ut Hymeneus et Alexander, prout testatur Apostolus. Certe Christus, cum misit apostolos ad praedicandum, de ejusmodi jure ne verbum quidem fecit, sed simpliciter eis dixit: *Praedicate evangelium omni creaturae ; qui crediderit, salvus erit ; qui non crediderit, condemnabitur*. Videat adversarius, ne in horum censu sit.

86. III. Obj. cum Benjamino Constant (1). Christus nullam determinatam ac peculiarem ecclesiam instituit, nullum externum ac proprie dictum sacerdotium, sed ministros tantum, et quidem ab invicem liberos, misit ad annuntiandam populis doctrinam suam, quae cor potius quam mentem afficit. Religio enim essentialiter non consistit nisi in cordis affectu, ac mere, ut ajunt, *sentimentali*, quae proinde in se immutabilis est, licet diversas formas accidentales capere possit, hinc diversitas formarum non officit unitati religionis. Oportet praeterea distinguere, subdit Bretschneider (2), inter ecclesiam et christianitatem; Christus Dominus fundavit quidem christianismum, minime vero formam catholicam vel graecam vel evangelisticam christianismi. Sane, concludit Felix Bodin (3), ecclesiae ab apostolis fundatae non erant nisi totidem societates inter se distinctae atque independentes, ad quarum regimen aliquis ex praestantioribus fidelibus eligebatur; omnes autem ejusmodi aristocraticae respublicae sacrae communicabant cum romano praeside ad instar statuum foederatorum Americae, qui uni subsunt generali praesidi; ergo.

87. Resp. *Neg. antec.* quoad omnes partes. Sero nimis Constant, Bretschneider, Bodin ista systemata irreligiosa ac totius revelationis eversiva excogitarunt. Incognita fuerunt apostolis ac toti antiquitati, quae ejusmodi figmenta ne somniavit quidem. S. Petrus veram exercuit jurisdictionem in ecclesiam universam (4), prout pariter exercuerunt ipsius successores. Ecclesia est in possessione sua, a qua ipsam neque haeretici, neque rationalistae seu increduli exturbare possunt. Omnia praeterea monumenta ecclesiastica explodunt ejusmodi deliramenta. S. Clemens romanus veram exercuit auctoritatem in Corinthiorum ecclesiam (5), exercuit Victor adversus quartodecimanos, Stephanus adversus rebaptizantes (6). S. Irenaeus et asiatici

(1) *De la religion considéré dans sa source, ses formes et ses developpements*, loc. cit.

(2) Opere citato.

(3) *Resumé de l' Histoire de France augmenté d' un coup-d' oeil sur l' histoire de la civilisation*, Paris 1825.

(4) Act. IX. Petrus utpote totius ecclesiae caput perhibetur pertransiens *universos*, id est, non modo visitans omnes ecclesias tunc temporis fundatas, sed insuper in Ep. II, cap. III, 15, 16, approbans et commendans scripta apostoli Pauli. In concilio hierosolimitano (Act. XV, 7) omnium primus sententiam dixit circa exortam quaestionem. Ibid. I, 15, ipse proposuit fratribus simul congregatis, ut alter sufficeretur in locum Judae praevaricatoris, quae quidem omnia totidem actus sunt jurisdictionis, quam jure primatus sui Petrus apostolus exercuit.

(5) Ubi sedulo animadvertendum est, Corinthios ad sedandas seditiones ortas in propria ecclesia ad s. Clementem Romanum Pontificem confugisse, ut probabilius videtur ex communiori criticorum sententia, cum adhuc in vivis esset s. Joannes apostolus, qui tunc regebat omnes Asiae ecclesias a se fundatas. Atque inde eruitur Romanorum Pontificum supremam auctoritatem in ecclesiam universam agnitam jam fuisse viventibus apostolis, atque ab ipsis Romanis Pontificibus jam tunc in praxim deductam.

(6) Nota est ipsius responsio seu decretum

episcopi hanc superioritatem ecclesiae romanae, seu Romani Pontificis, et agnoverunt et testati sunt (1), ut nihil dicam de subsequentibus Pontificibus. Appellationes, quae undique interponebantur ad romanam sedem, id ipsum invictissime ostendunt (2). Verba, quibus Christus ecclesiam suam instituit, in sensum adversariorum nullomodo possunt detorqueri.

88. Ad id porro, quod subdit Bretschneider de distinctione inter ecclesiam et christianitatem seu christianismum, dico ejusmodi distinctionem vanam prorsus esse. Quid est enim christianismus nisi societas eorum, qui profitentur doctrinam Christi, et quidem in sua integritate, prout Christus apostolis suis illam tradidit praedicandam omnibus gentibus? Haec autem societas alia non est, nec esse potest, nisi ecclesia. Accedit quod nullibi legitur, Christum fundasse *christianismum*, vel id ipsum innuisse; saepissime vero legitur, eum fundasse ecclesiam suam: *Aedificabo*, ait, *ecclesiam meam . . . . . Qui ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus;* adeo ut tota controversia, quae a tribus saeculis viguit inter protestantes et catholicos, in hoc posita fuerit: *Quaenam scilicet sit vera ecclesia Christi;* numquam vero: *Utrum Christus fundaverit, vel instituerit ecclesiam*, prout nunc temporis a Benjamino Constant, biblicis ac rationalistis fit, qui, cum omnem fidem amiserint, confugiunt ad cordis affectum, quem vocant *sentimentalem*, ad charitatem, etc., cum Christus dixerit: *Qui non crediderit, condemnabitur*.

89. Quod spectat ad *formas*, quas dicunt accidentales, *catholicam, graecam, evangelicam* (lutheranocalvinianam), respondeo Christum reipsa non fundasse nisi unam ecclesiam, quae totam doctrinam suam et solam profiteatur sub

datum adversus s. Cyprianum ejusque synodum africanam: *Si quis ergo a quacumque haeresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam* (Ep. s. Cypr. LXXIV, ad Pompejum).

(1) Vid. praeclarum s. Irenaei testimonium (*Contra haereses*, lib. III, cap. 3) « *Ecclesiae romanae, ab ipso* maxime *vocatae* et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatae, *etc.* . . . . Ad hanc ecclesiam, *ait*, propter *potentiorem* principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est, quae est ab apostolis traditio ». Qui deinde refert de Clemente, tertio ab apostolis episcopo: « Et vidit ipsos apostolos, et contulit cum eis . . . Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit quae est Romae ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum ». Ex quibus patet s. Irenaeum superioritatem ecclesiae romanae seu Romani Pontificis in universam ecclesiam apertissime agnovisse. Atque hic obiter observo, maurinum editorum aliam lectionem secutum esse atque posuisse *potiorem* pro *potentiorem*, at absque solido fundamento; etenim non innititur nisi auctoritate codicis claramontensis, qui tamen mendosus est, cum habeat *pontiorem*, et auctoritate Salmasii protestantis, contra omnium antiquorum codicum fidem, qui habent *potentiorem*, quod quidem etiam innuit codex claramontensis per illud *pontiorem*, vocabulum imperfectum, quo indicatur librarium per abbreviationem, ut fieri solet, scripsisse *pontiorem* pro *potentiorem*.

(2) Harum appellationum exempla plura suppeditat in suis epistolis s. Cyprianus; notae sunt appellationes ad Romanam Sedem s. Athanasii, Pauli, etc. nec non s. Joan. Chrysostomi; imo ipsius s. Dionysii alexandrini, cum accusatus esset sabellianismi, ad s. Dionysium Romanum Pontificem.

legitimis pastoribus, eorumque capite ac principe a se constituto: *Super hanc petram*, inquit, *aedificabo ecclesiam meam*. Quae quidem ecclesia catholica nuncupata fuit ab ipsis temporibus apostolicis, ut supra adnotatum est, eo quod integrum complectatur christianismum, quovis tempore et quovis loco; et haec est proprietas intrinseca et essentialis verae ecclesiae Christi, non vero forma eidem superveniens et accidentalis, ut ipsi autumant. Ceterae vero societates omnes, quae partialem christianismum profitentur, debuerunt sibi adsciscere aliquam denominationem et formam determinatam induere, utpote locales et temporaneae; de his autem formis quid sentiendum sit, in sequenti propositione dicemus.

90. Inst. 1. Si unitati Christus praerogativas auctoritatis, infallibilitatis ac perpetuitatis concessit; ergo s. Petrus ejusque successores, utpote pars *totius*, nulla speciali praerogativa gaudent; 2. addatur promissiones Christi posse conditionatas esse, 3. prout insinuant ejus verba: *Filius hominis veniens; putas inveniet fidem in terra* (Luc. XVIII, 8)? et verba Apostoli, qui, loquens de tempore quod antichristi adventum praecedet, scribit: *Nisi venerit discessio primum*, etc. (II Thess. II, 3); 4. hinc s. Hieronymus non dubitavit de aetate sua affirmare, quod *Nicaenae fidei damnatio conclamata est; ingemuit totus orbis, et arianum se esse miratus est* (1); ergo.

91. Resp. ad 1. *D.* Si Petrus ejusque successores spectarentur ut personae privatae, *C.* si ut caput ecclesiae, universalis pastor ac unitatis centrum *N.* Nam ut apposite observat s. Ambrosius: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia* (2), vel ut loquitur s. Cyprianus: *Ecclesia est in episcopo* (3); ac proinde omnes praerogativae unitatis seu ecclesiae eminentiori quadam ratione in Petro resident, quia in Petro ecclesia, et ecclesia in Petro est; nec fieri unquam potest, ut, cum Petrus seu Romanus Pontifex proprio ministerio fungitur, ecclesia per ipsum et in ipso non agat, non definiat, etc. Est enim caput, et quidem vivum et operans. Talis est autem ratio, quare videamus Christum Petro seorsim ea omnia contulisse, quae toti postea contulit collegio apostolico seu ecclesiae, quae insuper debet regi, moveri, dirigi a capite, nec quidpiam potest independenter ab ipso.

92. Ad 2. *Neg.* Ecclesia enim eas semper ut absolutas intellexit et habuit. Addo ejusmodi exceptionem aditum aperire omni perduellioni; quilibet enim haereticus et contumax posset hoc modo eludere quamcumque ecclesiae definitionem.

93. Ad 3. *D.* Et haec verba intelligenda sunt de defectione partiali particularium membrorum *Tr.* de defectione totali ipsius ecclesiae *N.* Transmisimus primum membrum antecedentis, eo quod non desint interpretes, qui alio sensu exponant objecta testimonia.

94. Ad 4. *D.* Et hyperbolica s. Hieronymi verba sunt intelligenda de apparente quadam ac momentanea *multorum* defectione, *C.* de *vero* ac generali *ecclesiae* defectu *N.* Citata enim verba protulit s. Doctor ex occasione subscriptionis a patribus ariminensibus factae voci ὁμοιούσιου, dum nempe vim vocis non intelligerent, decepti fraudibus arianorum ac vi adacti; verum simul ac detecta est fraus, plerique illam illico retractaverunt. Deerat concilio Romanus Ponti-

(1) In *Dial. adv. Luciferianos*, n. 19, edit. Vallarsii.

(2) *Enarr.* in Psalm. XL, n. 30.

(3) *De unit. Ecclesiae*, loc. cit.

fex vel ejus legatus, majorque episcoporum ecclesiae catholicae pars eidem concilio non interfuit (1); addo nonnisi per vim sibi a Constantii imperatoris satellitibus illatam episcopos illos subscripsisse. Sane nemo ingemit et miratur se esse et haberi, qualem se esse scit et vult; ergo, cum episcopi ariminenses ingemuerint et mirati sint juxta Hieronymum, traduci se veluti arianos, manifestum est eos tales non fuisse neque in confessione externa; alias nec ingemuissent, nec mirati fuissent.

PROPOSITIO V.

Hinc sola ecclesia catholica est vera ecclesia Christi

95. Haec propositio necessario fluit ex praecedenti. Si enim vera ecclesia Christi ea sola est, quam Christus ipse fundavit in unitate fidei ac regiminis, quaeque non interrupta successione ad mundi exitum perdurare debet; cum ecclesia catholica sola sit, quae ab apostolis ad nos usque pervenerit in utraque fidei ac regiminis seu capitis unitate, ut omnia monumenta testantur, evidens est solam ecclesiam catholicam veram esse ecclesiam Christi.

96. Et sane quod attinet ad unitatem fidei, haec patet ex eo, quod omnium saeculorum haeretici impugnaverint illam eamdem fidem, in cujus possessione jam erat ecclesia cum ipsi insurrexerint et protestati fuerint modo adversus unum, modo adversus alterum ipsius fidei articulum, quos tamen ecclesia semper in possessione sua retinuit, rejiciens ut profanos novatores et usurpatores eos, qui aliquo ex ejusmodi articulis eam privare conati sunt; non secus ac eos execrata est, qui spolia aegyptiorum in suam haereditatem novo semper astu inferre aliquando contenderunt, eosque pariter ut profanos novatores rejecit e sinu suo (2).

(1) Ursacii potissimum ac Valentis episcoporum arianorum artibus factum est, ut deciperentur patres ariminenses, qui ad id adducti fuerunt, ut subscriberent formulae sirmiensi, quae vel catholica est, vel saltem sensum catholicum patitur. Filius enim catholico sensu dici potest similis Patri, at in sensu similitudinis substantialis promanantis a participatione ejusdem naturae divinae. Sed crimini datum est patribus istis, quod neglexerint formulam nicaenam, quae erat tessera omnium catholicorum adversus arianos multiplicesque arianorum surculos, qui unanimiter eam rejiciebant. Ceterum a Constantii satellitibus plures easque gravissimas vexationes patres ariminenses passi sunt, adeo ut nullo modo censeri debeat libera eorum subscriptio; facta enim est sub finem synodi, quando jam degeneraverat in conciliabulum. Dixi praeterea majorem defuisse episcoporum ecclesiae catholicae partem, praeter Romani Pontificis legatos, quia, licet nemo ex veteribus transmiserit ad nos certum episcoporum numerum tempore Constantini et Constantii, attamen opera ac diligentia Caroli a s. Paulo, Lucae Holstenii atque Binghami, facta recensione omnium sedium episcopalium ecclesiae catholicae in Imperio romano, compertum est numerum eorum per ea tempora ad 1800 attigisse, quorum *mille* inveniebantur in provinciis graecis Imperii, *octingenti* vero in latinis. Etsi huic supputationi non subscribamus, nam ex aliis monumentis constat longe plures per ea tempora in occidentali praesertim ecclesia episcopos fuisse. In hoc censu praeterea desunt sedes episcopales extra ditionem romanam positae, quae paucae non erant. In concilio vero ariminensi non interfuerunt nisi 400 Episcopi, ex quibus juxta s. Athanasium, lib. *De synodis*, quinquaginta, et juxta Sulpitium Severum, octoginta erant ariani. Cons. *Collectio Conciliorum*, Labbei, tom. II, col. 792 et seqq.

(2) Id evincitur ex ipsis scriptis apostolicis. Etenim s. Petrus excitat primos christia-

Ipsa proinde semper *praescripsit* istorum innovationibus sive negativis sive positivis. Quare ecclesia semper tranquilla spectatrix fuit istarum omnium sectarum ortus et interitus, ac toties repetere potuit: *Defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri*, nec non Psalmistae verba: *Vidi impium superexaltatum et elevatum, et transivi; et ecce non erat*.

97. Patet 2. ex consensu ac testimonio haereticorum. Haeretici enim, qui numquam sibi cohaerentes fuerunt, dum in aliqua doctrinae parte seu articulo ab ecclesia dissentiebant, cum eadem in ceteris omnibus fidei capitibus consentiebant; omnes proinde haeretici, exceptis punctis a quibus aberrabant, fassi semper sunt in reliquis ecclesiam catholicam veram fidem retinuisse; hinc, si percurramus circulum articulorum, quos seorsim singulae haereticorum sectae cum ecclesia catholica profitebantur vel adhuc profitentur, completum habebimus et absolutum doctrinae catholicae corpus seu collectionem omnium dogmatum fidei nostrae; quo fit ut haeretici ipsi, licet inviti, totidem sint luculentissimi testes verae fidei, quam ecclesia catholica semper professa est. Quod vero attinet ad veritates, quas ipsi singillatim impugnarunt, nulla est ratio cur his potius quam illis assentiamur. Si enim simul colligerentur articuli seorsim ab ipsis negati, jam nullus nobis restaret articulus fidei, atque in pluribus perfectae simul haberentur contradictiones.

98. Patet 3. eadem veritas ex perpetua dissensione haereticorum in constituenda vera et certa epocha, et in determinando vero auctore innovationis, quae juxta ipsos in ecclesia catholica aliquando introducta fuit. Centuriatores magdeburgenses sibi contradicunt (1); Hospinianus accusat s. Gregorium M. tamquam auctorem superstitionis et idololatriae (2); minister Claudius saeculum VII. recenset adhuc inter aureos ecclesiae dies (3); Andreas Rivetus sententiam dicit communem omnibus calvinistis esse, quod Antichristus signum seu vexillum publice erexerit in ecclesia post sexcentos annos a Christo nato (4); alii communiter vel ad quintum vel sextum

nos, ut memores sint, adversus haereticorum novitates, verborum prophetarum et apostolorum (II Pet. II, 3); sic pariter s. Judas adhortatur fideles ut adhaereant fortiter *semel traditae Sanctis fidei*; s. Paulus in I. ad Cor. cap. 15, arguit eos, qui dicebant resurrectionem jam esse factam, seu non dari carnis resurrectionem; s. Joannes invehitur in eos, qui docebant Christum non venisse in carne, qui solvebant Christum, etc. Quod attinet ad patres apostolicos aliosque, qui eos subsecuti sunt, res adeo manifesta est ex ipsorum scriptis, ut in dubium id revocare perinde sit ac lucem meridianam negare. Legantur epistolae s. Ignatii martyris, epistolae s. Polycarpi, scripta Justini, Clementis Alexandrini, Irenaei, Origenis, etc. In quavis prope pagina in novatores haec objurgatio occurrit, et eos hoc ipso nomine patres damnaverunt. Quod vero admirationem excitat, potissimum est, quod recentiores novatores (protestantes) dicant, veteres novatores haereticos, insanos, etc. neque animadvertant se in eumdem censum cadere. Nullum omnino discrimen est inter recentiores et veteres, nisi fortasse in aliqua errorum diversitate ac temporum discrimine, sed principium idem est, quia diversitas temporis et errorum non mutat naturam haereseon.

(1) Cfr. *Centuria* I, lib. II, c. 4, p. 138, tum *Cent.* III, c. 5, p. 145, ed. Basil. anni 1562, et alibi passim, siquidem semper haerent.

(2) Apud anonymum impugnatorem Gibbonii, edit. Pisan.

(3) Ibidem.

(4) *Critici sacri*.

saeculum restringunt aureos ecclesiae dies (1); dominus d' Aubigné quatuor priora integra saecula ex consensu ministrorum calvinistarum habet pro regula fidei; Gibbon affirmat, quod nemo eruditorum resistere possit ponderi evidentiae historicae, quae testatur per totam periodum quatuor priorum saeculorum praecipua puncta doctrinae papisticae (nempe catholicae) jam admissa fuisse theoretice et practice (2); Newton fatetur *germina papismi sata fuisse ab ipsa aetate apostolica* (3). Ergo ex aperta confessione ipsorum adversariorum eorumque agendi ratione ineluctabile habemus argumentum de perpetua fidei unitate in ecclesia catholica, quin recurrere debeamus ad positiva et singularia testimonia quoad singulos articulos, de quibus agendum erit in hujus operis decursu. Addo qualemcumque haereticorum hypothesim pugnare cum promissis Christi et esse prorsus impossibilem, cum, ut ait Bellarminus, in omni etiam levi mutatione semper ostendi haec quinque possint: auctor, dogma, aetas, defensores et oppugnatores.

99. Quod vero spectat ad unitatem regiminis, seu ad successionem non interruptam pastorum seu episcoporum, a Christo ad nos usque, series Romanorum Pontificum, cum quibus omnium particularium ecclesiarum episcopi communicarunt, est monumentum indubiae fidei atque certissimum perpetuitatis et unitatis regiminis ejusdem ecclesiae.

100. Tertullianus, Cyprianus, Irenaeus, Eusebius caesariensis, Optatus milevitanus, Augustinus exhibent catalogum Romanorum Pontificum sancti Petri successorum usque ad sua tempora, quem subsequentes scriptores subinde extenderunt usque ad aetatem nostram (4).

101. Romanum autem pontificem quovis tempore habitum fuisse veluti caput totius ecclesiae catholicae, principium, radicem, fontem, centrum unitatis regiminis ecclesiastici, omnium saeculorum monumenta pariter testantur.

102. S. Irenaeus: *Ad hanc ecclesiam* (romanam), scribit, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, et eos qui sunt undique fideles*; atque exposita serie Romanorum Pontificum a s. Petro usque ad Eleutherium concludit: *Hac serie et successione, tum traditio apostolorum in ecclesia, tum praedicatio ad nos usque pervenit* (5).

103. Tertullianus licet jam montanista vocat Romanum Pontificem *Episcopum episcoporum* (6), quae denominatio vel communis erat in ecclesia ad designandum Romanum Pontificem, vel saltem ab omnibus admissa erat suprema Romani Pontificis auctoritas in universam ecclesiam, ipso adnotante Fleury (7), illa denominatione designata.

(1) V. Bellarm. lib. IV, *De notis Ecclesiae militantis*, cap. 6.

(2) *Mém.* tom. I, c. I, versionis gallicae.

(3) Bishop Newton, *Dissertations on the prophecies*, in-8, tom. III, c. 10, pag. 148, London; addatur Hume, qui in sua *Historia Henrici VIII*, cap. 29, ad annum 1521, affirmavit: « Que les pouvoirs exercés par l'église romaine sont en grande partie antérieurs à presque tous les établissemens politiques de l' Europe ».

(4) In Historiis ecclesiasticis omnibus.

(5) *Contra haereses*, lib. III, cap. 3. et seq.

(6) Lib. *De pudicitia*, cap. 1: « Audio edictum esse propositum, et quidem peremptorium: Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus episcoporum, edicit: ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto ». Edit. Rigaltii.

(7) Vid. *Hist. eccles.* liv. V, n. 46. Paris. 1713, ubi sic scribit: « Les Papes ne prenaient point alors ces titres, et c' est par

104. Origenes unum idemque esse affirmat petram seu Romanum Pontificem et ecclesiam, scribit enim: *An quasi unam eamdemque rem petram et ecclesiam* (Christus posuit)? *Hoc verum existimo; nec enim adversus petram, super quam Christus ecclesiam aedificat, nec adversus ecclesiam portae inferi praevalebunt* (1).

105. S. Cyprianus vocat ecclesiam Romanam *Ecclesiae catholicae radicem et matricem* (2), et Romanum Pontificem *ecclesiae unius caput et radicem* (3), et alibi rursum vocat Romanam Ecclesiam *Ecclesiam principalem*, *unde* unitas sacerdotalis *exorta est* (4).

106. Concilium propterea Aquilejense, quod anno 381 celebratum fuit, cuique praefuit s. Ambrosius, haec habet, loquens de eadem Romana Sede: *Inde enim et in omnes venerandae communionis jura dimanant* (5). Hinc celebre illud ejusdem s. Ambrosii dictum: *Ubi Petrus ibi ecclesia* (6).

107. S. Hieronymus comparat ecclesiam seu sedem Romanam arcae Noe, extra quam omnes perierunt, et domui, extra quam agnum comedens profanus est; sic enim scribit ad Damasum: *Ego Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri, communione consocior, super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio* (7).

108. S. Optatus Milevitanus: *Cathedra*, inquit, *unica est, quae est prima de dotibus.... Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus.... Damaso Syricius, qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat* (8).

109. S. Augustinus in eodem sensu loquens de successione Romanorum Pontificum ac Petri sede, ut confunderet schismaticos donatistas, scribit: *Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae* (9).

110. S. Petrus Chrysologus: *Quoniam B. Petrus*, inquit, *qui in propria sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus veritatem* (10).

111. Huic consentiens doctrinae concilium oecumenicum Chalcedonense,

ironie que Tertullien les leur donne; mais cette raillerie eût été sans fondement, si le pape n'eût été en effet regardé par tous les catholiques comme le chef de la religion et le pasteur des Evêques mêmes. Il lui donne ensuite les tîtres de Pape et d'Apostolique que les catholiques lui donnaient ».

(1) Ἢ ὡς ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ τῆς πέτρας, καὶ τῆς ἐκκλησίας; τοῦτο δ' οἶμαι ἀληθὲς τυγχάνειν, οὔτε γὰρ τῆς πέτρας, ἐφ' ἧς ὁ χριστὸς οἰκοδομεῖ τὴν ἐκκλησίαν, οὔτε τῆς ἐκκλησίας πύλαι ᾅδου κατισχύσουσιν. Tom. XII in Matth. n. 11. Cons. praeterea eumdem, Hom. V, *in Exod.* n. 4, ubi ait: « Vide magno illi ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit ecclesiam, quid dicatur a Domino: modicae, inquit, fidei quare dubitasti »?

(2) Epist. 45, ad Corn.

(3) Epist. 73, ad Jub.

(4) Epist. 55, ad Corn.

(5) *Collect. Concil.* Labbei, epist. I, ad Gratianum Imperatorem, tom. II, col. 99.

(6) In Psal. XL, n. 30.

(7) Epist. 15, ad Damas. alias 57, edit. Vallarsii, n. 2, qui praeterea in *Dial. adv. Lucif.* n. 9: « Ecclesiae salus, *inquit*, in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes ».

(8) Lib. II, *Contra Parmen.* edit. Gabr. Albaspinaei, Paris 1651.

(9) In *Psalmo contra partem Donati*, circa finem, tom. IX, opp.

(10) *Bibl. Patrum* De la Bigne, tom. IX.

actione II, clamavit: *Petrus per Leonem locutus est* (1); et similiter conc. generale VI, actione XVIII, loquens de epistola s. Agathonis: *Charta*, ait, *et atramentum videbatur, sed per Agathonem Petrus loquebatur*; et episcopi orientales, scribentes ad Pontificem Symmachum, sic eum alloquuntur: *Qui quotidie a sacro tuo doctore Petro doceris oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere* (2).

112. Hinc concilium oecumenicum Lateranense IV anno 1215 hanc edidit definitionem: *Sancimus, ut post romanam ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra*, etc. (3). In concilio Lugdunensi oecumenico, anno 1274 celebrato, hanc fidei professionem graeci ediderunt, ut denuo cooptarentur in ecclesiam catholicam: *Romana Ecclesia* summum et plenum primatum et principatum *super universam ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit* (4). Ac demum concilium oecumenicum Florentinum definivit: *Sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum; et ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse* (5).

113. Patet igitur ex his omnibus testimoniis et monumentis, aliisque quamplurimis, quae afferri possent omnium saeculorum, semper Romanum Pontificem s. Petri successorem ab universa ecclesia veluti radicem, fontem, originem, caput et centrum ecclesiasticae unitatis habitum fuisse. Hinc licet multi fuerint episcopi per orbem dispersi, semper tamen unus fuit episcopatus ob istorum intimam adhaesionem ad Romanum Pontificem, et una ecclesia, quae *ad Trinitatis instar*, ut loquitur s. Symmachus (6), *cujus una est atque individua potestas, unum per diversos antistites sacerdotium*. Qua pariter similitudine usus est s. Cyprianus (7), tum ad explicandum *Episcopatum unum episcoporum multorum concordi numerositate diffusum*, tum ad exponendam unitatem illius episcopatus, *cujus a singulis in solidum pars tenetur* (8); qui postea concludit: *Et idcirco Dominus insinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem ponit et dicit*: Ego et Pater unum

(1) *Acta Concilii Chalcedonensis*, tom. IV, edit. Labbei.

(2) Apud Labb. tom. IV, col. 1305.

(3) Ibid. tom. XI, par. I, c. 153.

(4) Ibid. col. 966.

(5) Ἔτι ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν, καὶ τὸν Ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ πρωτεῖον κατέχειν, αὐτόν τε τὸν Ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτηρητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας κεφαλὴν, καὶ πάντων τῶν χριστιανῶν πατέρα τε καὶ διδάσκαλον ὑπάρχειν, καὶ αὐτῷ ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τοῦ ποιμαίνειν, καὶ διιθύνειν, καὶ κυβερνᾷν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πλήρη ἐξουσίαν παραδεδόσθαι. Ibid. tom. XIII, col. 1167.

(6) Epist. I, apud Labbaeum, tom. IV, col. 1291.

(7) Epist. 52, ad Antonian.

(8) Tract. *de unitate ecclesiae*.

sumus; *ad quam unitatem redigens ecclesiam suam, denuo dicit:* Et erit unus grex, et unus pastor (1); ex quo infert: *Si autem grex unus est, quomodo potest gregi numerari, qui in numero gregis non est?*

114. Jure propterea his praemissis nos concludimus: ecclesia Christi unitate regiminis in Petro ejusque successoribus constituta est; atqui in sola ecclesia catholica invenitur ista perpetua et numquam interrupta successio Romanorum Pontificum ceterorumque omnium episcoporum, qui cum ipsis communicarunt, assurgendo a Gregorio XVI, qui nunc ecclesiam regit, usque ad Petrum, nempe usque ad apostolos et usque ad Christum; ergo sola ecclesia catholica habet hanc perpetuam regiminis unitatem.

115. Seu quod consequens est, si vera ecclesia Christi necessario atque ex ipsius institutione est una, visibilis atque perpetua, cum sola ecclesia catholica has sibi vindicet proprietates, sola igitur ecclesia catholica est vera ecclesia Christi. Quod erat demonstrandum.

116. Ex his sequitur 1. omnes communiones ab eadem ecclesia separatas totidem esse synagogas Satanae, ut phrasi utar beati Joannis (2), et humanae superbiae monumenta, non autem Christi ecclesias.

117. Sequitur 2. hanc esse potissimum rationem, cur praeter ecclesiam romanam seu ecclesiam catholicam, quae a Christo ad nos usque perseverat, nullae sectae ausae quidem fuerint, obsistente scilicet ineluctabili conscientiae testimonio, sibi usurpare nomen *ecclesiae catholicae*, quam denominationem semper intactam reliquerunt veteri illi ecclesiae, a qua discesserunt, sed vel a sectae seu factionis auctoribus nomen habuerunt ex. gr. *sabelliani*, *ariani*, *macedoniani* . . . *lutherani*, *calvinistae*, *jansenistae*, etc. vel ab alio nomine, quod sibi imposuerunt, ex. gr. *gnosticorum*, *noetarum* . . . *reformatorum*, *apostolicorum*, *evangelicorum*, *protestantium*. Hae autem sunt illae, quas Bretschneider et Benjaminus Constant vocant *formas accidentales;* sunt certe prorsus accidentales, stricto sensu acceptae, a spiritu superbiae inductae. Toties proinde se ipsos judicant et damnant, quoties, symbolum apostolicum recitantes, profitentur se credere *ecclesiam*, dum ipsae separatas factiones constituunt et particulares sectas (3).

118. Sequitur 3. quod si fons et origo unitatis episcopatus et ecclesiae est in Romano Pontifice, graecos schismaticos, ruthenos, ecclesiam anglicanam, ultrajectinam ceterosque episcopos omnes, a Romano Pontifice separatos ac divisos,

(1) Epist. 76, ad Magnum.

(2) Apoc. III, 9.

(3) Conantur quidem haeretici identidem alio nomine catholicos nominare, *papistas* ex. gr. *pontificios*, *romanistas*, etc. at frustra; in hoc enim, sicut et in reliquis omnibus suos, ut ipsi vocant, antecessores imitati sunt, qui eadem ratione sese gesserunt, nullo tamen felici successu; *Catholicae* enim gloriosum nomen semper Ecclesiae Romanae communioni adhaesit atque adhaerebit. En quid de veteribus haereticis scripserit s. Augustinus, lib. I. *Operis imperfecti*, n. 75: « Athanasianos, *inquit*, vel homousianos ariani catholicos vocant, non et alii haeretici. Vos autem non solum a catholicis, sed etiam ab haereticis a vobis dissentientibus et vobis similibus pelagiani vocamini; quemadmodum non tantum a catholica, sed etiam ab haeresibus vocantur ariani. Vos vero soli nos appellatis traducianos, sicut illi homousianos, sicut donatistae macarianos, sicut manichaei pharisaeos, et ceteri haeretici diversis nominibus. Nec mirum esse debet, quod novi haeretici catholicis, a quibus exeunt, novum nomen imponant. Hoc enim et alii fecerunt, quando similiter exierunt ».

nullo modo pertinere ad individuam ecclesiae unitatem, ideoque neque ad Christi ecclesiam.

119. Sequitur 4. nullum dari posse concilium vere oecumenicum, seu repraesentans universam ecclesiam, absque Romano Pontifice, qui, cum sit caput ecclesiae, hoc ipso est caput concilii oecumenici, quod illam repraesentare debet, quodque alioquin esset acephalum.

120. Sequitur demum ineptire factiosos quosdam scriptores, qui dicunt Romanum Pontificem esse *signum*, *vexillum*, *signiferum* unitatis vel caput *ministeriale*, non autem simpliciter *caput*, *centrum*, *radicem* ipsius unitatis (1).

DIFFICULTATES

121. 1. Obj. 1. Fides in ecclesia immutari potuit sensim sine sensu, ut fit, donec mutatio ista evaserit universalis; nil mirum igitur, si assignari non possit epocha certa inductae immutationis. 2. Addatur, quasdam veritates et dogmata tractu temporis obscurari posse, propterea stante hac universali quarumdam veritatum obscuritate, error obrepere facillime potuit; ergo.

122. Resp. ad 1. *N.* Alioquin promissis Christus defuisset, quod impium est asserere. Ignorantia et error dari possunt in privatis individuis, numquam vero in ecclesia ipsa; Christus enim, ut superius diximus, promissiones suas et privilegia non privatis et singularibus personis, sed *unitati* concessit. Alias semper incerti fluctuare deberemus.

123. Ad 2. *N.* pariter; siquidem ejusmodi universalis obscuritas est commentum jansenistarum, merito confixum a Pio VI in constitutione *Auctorem fidei* (2). Etenim Christus semper vigilat super ecclesiam suam, eidem prospicit, ac *semper* cum ipsa est.

124. Inst. Cur itaque, cum nova oritur controversia, tot disquisitiones fiunt, tot exoriuntur dissidia?

125. Resp. Quia Christus non per modum inspirationis, sed per *modum adsistentiae*, ut jam notavimus, ecclesiae suae praesto est; neque excludit media, studium scilicet, humanam industriam, etc. ad finem obtinendum. Et eadem ratione ac, cum quis cum altero contendit de possessione bonorum suorum, iste inquirit in instrumenta et titulos propriae possessionis, maxima qua potest diligentia, ut sibi vindicet bona propria, sic ecclesia inquirit diligenter in monumenta scripturae et traditionis, ut ea opponat istorum novatorum audaciae, et consulat multorum infirmitati. Praeterea, nonne et in concilio jerosolymitano inter apostolos, et seniores *magna conquisitio* (Act. XV, 7.) facta est ad dirimendam controversiam de legalium observantia, etsi apostoli omnes et singuli infallibiles essent?

(1) Ita passim jansenistae, praesertim vero Tamburini, in sua *Ethica*, tom. 1, pag. 252 et seq. atque in sua *Analisi delle prescrizioni di Tertulliano*, § 40, 60, 69, etc. et in *Catech.* Gourlin, tom. 1, cap. 9, § 3, p. 273. Denominatio vero *capitis ministerialis*, tributa Romano Pontifici, proscripta fuit in Constitutione Pii VI, *Auctorem fidei*, prop. III, his verbis: « De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa, sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius ecclesiae caput pollet in universa ecclesia; *haeretica* ».

(2) Prop. 1. « Propositio, quae asserit postremis hisce saeculis esse generalem obscuritatem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et *quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Jesu Christi*, *haeretica* ».

126. II. Obj. Episcopi sunt successores apostolorum, qui immediatam habuerunt a Christo missionem, et quidem illimitatam, et super ipsos non minus quam super Petrum aedificata ecclesia est, dicente Apostolo, quod fideles aedificati sunt *super fundamentum Apostolorum et prophetarum* (Ephes. II, 20); ac, teste praeterea beato Joanne, civitas Hierosolymorum (ecclesia) habet *fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni* (Apocal. XXI, 14); ergo falsum est unitatem regiminis ecclesiastici ab unitate capitis seu Romani Pontificis provenire, ab eaque pendere.

127. Resp. *D.* primae propositionis sensum. Episcopi simul unum corpus efficientes sunt successores apostolorum seu collegii apostolici, *C.* singillatim sumpti, *subd.* quoad potestatem ordinis, *C.* quoad potestatem jurisdictionis *N.* Addo, licet extraordinaria fuerit apostolorum potestas, eam tamen non fuisse illimitatam atque independentem. Nam extraordinariam hanc potestatem habuerunt quidem apostoli a Christo, sed subordinatam Petro, qui unus plenitudinem potestatis accepit ad suos successores transmittendam, utpote ordinariam. Hinc istud intercedit discrimen inter potestatem Petro collatam et potestatem collatam apostolis singulis: licet utraque fuerit plena et universalis, attamen potestas Petri fuit *ordinaria*, *suprema*, et *independens*, potestas apostolorum *extraordinaria* et subordinata Petro quoad exercitium, quae propterea cum ipsis terminare debebat. Etenim potestas ista extraordinaria concessa fuit apostolis ad fundandam ecclesiam, ac necessaria fuit illis ecclesiae primordiis, potestas Petro insuper concessa fuit ad unitatem ecclesiae conservandam, ideoque perpetua atque, ut loquitur Tertullianus, *cum jure traducis*.

128. Hinc rursum idem Tertullianus: *Memento*, scribebat, *claves hic Dominum Petro, et* per eum *Ecclesiae reliquisse* (1); ac reliqui Patres passim vocant Petrum, *caput*, *coriphaeum*, *praesidem*, *principem*, *pastorem supremum Apostolorum et Ecclesiae* (2), quia, ut loquitur s. Cyprianus: *Exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia, et cathedra una monstretur, et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, et ecclesia Christi una monstretur* (3), *ecclesia est in episcopo .... Petro primum Dominus potestatem dedit, et post ad apostolos quoque loquitur ... super Petrum aedificat ecclesiam, inde episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit* (4); ac rursum: *Una ecclesia a Christo Domino super Petrum* origine unitatis *et ratione fundata* (5); et alias saepe eamdem veritatem inculcat. Consonat s. Cypriano s. Augustinus, dicens: *Et dubitabimus nos ejus ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani* ab apostolica sede *per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, ... culmen auctoritatis obtinuit* (6)? ut alia innumera his similia Patrum testimonia praetermittam.

129. Ad 2. prop. partem, *super*

(1) Scorp. c. 10.

(2) Vid. Bolgeni, *l'Episcopato*, 1789, Part. 1, c. 2.

(3) *De unitate ecclesiae*.

(4) Ibid.

(5) *Epist.* LXX, Ad Januarium.

(6) *De utilitate credendi*, cap. XVII, n. 35. Jam vero si ad haec aliaque prope innumera antiquitatis documenta, quae adduci possent, animadvertissent vel animadverterent protestantes, profecto tot nova systemata non excogitassent vel quotidie excogitarent ad detegendam

ipsos non minus, etc. *D.* Sed diversa ratione, ut nuper declaravimus, *C.* eadem ratione *N.*

150. Ad 3. ad prolata nempe testimonia scripturarum, *D.* Fideles aedificati sunt super fundamentum, id est, super fidem praenuntiatam a prophetis, et praedicatam ab apostolis, qui per praedicationem diversas ecclesias fundarunt, *C.* secus *N.*

131. I. Inst. 1. s. Cyprianus dicit: *Episcopatus unus est*, cujus a singulis in solidum *pars tenetur* (1); 2. idem praeterea addit: *Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis* (2); et 3. s. Hieronymus: *Licet... cuncti* (apostoli), inquit, *claves regni caelorum accipiant, et* ex aequo *super eos ecclesiae fortitudo solidetur* (3); ergo.

132. Resp. ad 1. *D. A. A singulis in solidum pars tenetur*, quoad individuam unitatem ipsius episcopatus et ecclesiae, quae non dividitur per multitudinem episcoporum, qui cum Petro et sub Petro *tenent* et pascunt *partem* sibi commissam, *C.* quasi episcopi singuli episcopatum in solido tenerent, *N.* Talem porro esse germanum sensum textus allati, patet ex verbis, quae immediate praecedunt: *Quam unitatem*, inquit, *firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus, ut* episcopatum *quoque* ipsum unum atque indivisum *probemus..... episcopatus unus est* etc. Ipsemet s. Martyr, scribens ad Cornelium, vocat: *Petri cathedram atque ecclesiam principalem, unde* unitas sacerdotalis *exorta est* (4). Hinc illae similitudines solis, unde radii, fontis, unde rivuli, arboris, unde rami exoriuntur, quibus passim ipse utitur ad ecclesiae naturam et unitatem designandam (5).

133. Ad 2. *D.* Hoc erant in dignitate apostolatus ac potestate extraordinaria, *C.* in potestate episcopali, *subd.* simul sumpti, *C.* seorsim sumpti *N.* Etenim hic s. Cyprianus non videtur spectare nisi solam dignitatem apostolatus, sub quo respectu dici poterant *ceteri* apostoli Petro aliqua ratione pares; etsi in hac ipsa dignitate, juxta eumdem Cyprianum, essent Petro subordinati; protinus enim subjicit: *Sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una monstretur*. Quod si adversarii contendant, loqui s. Martyrem de dignitate seu potestate episcopali, tunc dicimus sub duplici respectu tum apostolos tum episcopos considerari posse, quatenus nempe unum constituunt corpus et individuum cum suo capite, et quatenus singillatim sumpti singularia membra sunt ejusdem corporis; sub primo respectu omnes utique pari potestate praediti sunt, ut senatores in senatu sub et una cum suo praeside, qui omnes gaudent pote-

veram Christi ecclesiam, et constitutam a Christo religionem. Via enim brevissima nobis a patribus unanimiter proponitur, ecclesia Christi est illa, cui praesidet ut caput Romanus Pontifex, beati Petri successor et Christi vicarius, quaeque a Christo ad nos usque perpetua successione pervenit. Haec est via regia, quae fallaciae vel errori seu deceptioni obnoxia non est. Haec obtinet summam auctoritatem. Ubi haec abjicitur, nihil certi superest, nullum omnino effugium, per quod desperationem vitare possimus, ut ex dicendis magis patebit.

(1) *De unitate ecclesiae*.

(2) Ibid.

(3) Lib. 1, *Cont. Jovinianum*, n. 26.

(4) Epist. LV.

(5) *De unit. eccl.* loc. cit. Cons. in hunc textum s. Cypriani Bolgeni, in opere inscripto *L' Episcopato*, cap. 2, n. 20, et cap. 6, n. 68 et seq. edit. Rom. 1824; et Petrus Ballerinius, *De vi ac ratione primatus Rom. Pont.* cap. 13, § 3.

state suprema, legislativa, etc.; sub altero respectu nullam aliam potestatem habent, quam eam, quae eis conceditur seu communicatur; haec autem extraordinaria potestas apostolis a Christo ipso data est cum subordinatione ad Petrum quoad exercitium, ut superius notavimus, episcopis autem quoad proprias dioeceses a Romano Pontifice tribuitur ac communicatur (1).

134. Ad 3. *D.* ut supra; etenim prosequitur ibidem immediate s. Hieronymus: *Inter duodecim unus eligitur* (a Christo), *ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

135. II. Inst. Ecclesiae orientales et apostolicae independentes semper fuerunt ab ecclesia romana, seu a Romano Pontifice; ergo.

136. Resp. *Neg. antec.* Nam Romani Pontifices toties veram exercuerunt auctoritatem in ecclesias orientales, quoties sese obtulit occasio vel necessitas, ut pleraque ecclesiastica monumenta testantur, ipso fatente Fleury (2). Et sane frequentes fuerunt recursus ad Apostolicam Sedem. Non raro sane patriarchae alexandrinus, antiochenus, jerosolimitanus, Apostolicam Sedem adierunt; non raro ad ipsam appellationes detulerunt; non semel etiam ipsos patriarchas Romani Pontifices deposuerunt; s. Athanasius, a sua sede arianorum machinationibus expulsus, appellavit ad Sedem Romanam; s. Sophronius jerosolymitanus et Sergius constantinopolitanus in causa monothelitarum Romam miserunt. In schismate antiocheno id ipsum factum est (3). Quod primis etiam ecclesiae saeculis passim factum ipsemet Wetsteinius concedit, eidemque assentitur Gibbon (4).

(1) Cons. Muzzarelli, in *Dissertatione: An Summus Pontifex habeat auctoritatem destituendi Episcopum invitum*, etc., inter dissertationes ejusdem selectas, Romae anno 1807 editas, n. IV.

(2) Opere citato. Cons. praeterea Opusculum domini Marchetti: *Del concilio di Sardica*, vol. 1, in 8, nec non eruditissimi fratres Ballerini, tum in cit. op. *De vi et ratione primatus Romanorum Pontificum*, tum in adnotationibus ad novam editionem operum s. Leonis Magni, operibus numquam satis commendatis.

(3) Ibid.

(4) *De lapsu Imp. Rom.* cap. 21, loquens de appellatione interposita a s. Athanasio ad Romanam Sedem, n. 1, refert animadversionem prudentia *plenam*, ut ipse vocat, Wetsteinii (*Proleg.* n. 1, pag. 19): « Si tamen ecclesiasticam historiam velimus consulere, patebit jam inde a saeculo IV, cum, enatis controversiis, ecclesiae graecae Doctores in duas partes scinderentur, ingenio, eloquentia, numero tamen non aequales, eam partem, quae vincere cupiebat, Romam confugisse, majestatemque Pontificis comiter coluisse, eoque pacto, oppressis per Pontificem et episcopos latinos adversariis praevaluisse, atque orthodoxiam in conciliis stabilivisse; eam ob causam Athanasius non sine comitatu Romam petiit pluresque annos ibi haesit ». Admissa in primis confessione adversariorum de usu appellationum ad Romanum Pontificem ex parte ecclesiarum orientalium, IV ecclesiae saeculo, sciscitari possumus a Wetsteinio et Gibbon, quaenam unquam pars sit, quae *vincere* non cupiat? Certe ipse Nestorius vincere cupiens Romam confugerat, at frustra; ratio est, quia, cum haeresim induxisset, quae numquam in Petri cathedra locum habere potest, hinc nedum vinceret, victus est, ipsi obsistente Romano Pontifice. Sciscitamur secundo, quomodo a Romano Pontifice et episcopis latinis opprimi potuerint Orientales dissidentes tempore persecutionum, quum tamen certum sit, jam III. ecclesiae saeculo Romae accusatum fuisse Paulum samosatenum sub imperatore Aureliano ob novitates quas disseminare coeperat, atque a Romano Pontifice Paulum fuisse depositum, quod cum intellexisset imperator Au-

137. III. Inst. Non satis patet quandoque, quinam sit Romanus Pontifex legitimus; romana praeterea ecclesia saepe suo pastore caret, sede vacante; ergo in ejusmodi casibus ecclesia nullum habebit caput, nullum centrum.

138. Resp. *Neg. conseq.* In his enim casibus omnes ecclesiae particulares communicant cum Sede Romana, quae centri vices supplet, ut patet ex perpetua praxi. Negotia, quae urgent, sic expediri possunt communi consensu tribunalium seu congregationum et Cardinalium, quando peculiari non indigent Romani Pontificis auctoritate, quae alioquin tamdiu desideratur, donec novus Pontifex vel certus designetur. Qui bona fide tempore schismatis uni potius Pontifici dubio adhaerent quam alteri, hoc ipso inculpabiles sunt, et virtualiter saltem germano seu vero unitatis capiti adhaerent (1).

139. IV. Inst. Concilia Basileense et Constantiense non habuerunt Romanum Pontificem veluti unitatis centrum et caput; ergo.

140. Resp. *Neg. antec.* Haec enim Concilia, si tamen in decretis quae Romani Pontificis auctoritatem spectant, oecumenica sunt, quod plerique jure negant, istud unitatis centrum in Pontifice ultro admiserunt; eorum disceptatio non erat nisi de amplitudine pontificiae potestatis. Ceterum hac in parte concilium Basileense tamquam schismaticum vulgo habetur, Constantiense autem respicit tempus schismatis, atque passim quoad ista decreta rejicitur, vel saltem ut dubiae habetur auctoritatis, ideoque nullius roboris (2): sed de his uberius et ex professo in Tractatu *De locis theologicis*, ubi de Romano Pontifice.

PROPOSITIO VI.

Quicumque quovis tempore, spiritus privati placita sectando, se opponunt ecclesiae catholicae magisterio, rebelles sunt, sectarii et novatores

141. Una est omnium haereseon origo, systema videlicet spiritus privati (3),

relianus, qui ad episcopum Romanum querelas sibi delatas remiserat, eum exilio multavit. Vid. Eusebius, *Hist. eccles.* lib. VII, cap. 30.

(1) Sane ecclesia nonnullos, qui falsis Pontificibus, errore decepti, adhaeserant, fastis suis adscripsit. Juvat nonnulla hic exempla afferre. Die 31 Maii in *Martyrologio romano* mentio fit s. Paschasii, qui errore deceptus adhaesit schismati Laurentii antipapae adversus s. Symmachum, de quo sic scribit s. Gregorius Magnus, lib. IV, *Dialog.* cap. 40 et 41: « Qui enim non malitiae sed ignorantiae errore peccaverat, purgari post mortem a peccato potuit ». Vid. Baronius in *Notis ad Martyr. rom.* loc. cit. Sic sub die 5. Aprilis recensetur nomen s. Vincentii Ferrerii, quem schismati Benedicti XIII antipapae, eodem errore deceptum, ad tempus adhaesisse constat. B. Petrus luxemburgensis vivere desiit, quum adhuc adhaereret schismati antipapae Clementis VII, a quo creatus fuerat Cardinalis, et inter beatos a vero Pontifice ejusdem nominis, Clemente VII, adscriptus est. Vid. Raynaldus, ad annum 1387, n. 11, s. Antoninus, 3. part. tit. c. 2, § 1, cujus verba referuntur ab eodem Raynaldo, loc. cit. Ciacconius, *Vitae et res gestae Pontificum Rom. et sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium*, vol. 1, fol. col. 1012. Romae 1630, Bolland. *Acta SS. mensis Julii*, sub die 2 Julii, § 12, *Vindiciae*, etc.

(2) Cons. opus Schelestrate: *De Conciliis Constantiensi et Basileensi* in 4. necnon *Animadversiones Roncaliae et Mansi*, ad *Hist. eccles.* Natal. Alex. in diss. IV, saeculi XV et XVI, in decreta sess. IV, et V Concilii Constantiensis, § 1 et seqq.

(3) Hic notanda est confusio nuper inducta a plerisque recentioribus scriptoribus, qui

seu privatorum hominum, qui sese erigunt adversus legitimam auctoritatem, divinitus institutam ad fidem docendam, propagandam atque intemerate servandam usque ad consummationem saeculi, quam solam esse ecclesiam catholicam praecedenti propositione ostendimus, ut sua propria sectentur placita (1).

142. Christus, ut vidimus, soli ecclesiae, nempe *docenti*, a se institutae missionem dedit, eamque perpetuam constituit fidei depositariam ac magistram cunctis gentibus. Ecclesia hac facultate utens per suos ministros auctoritative, ut ajunt, seu nomine ipsius Christi, quovis tempore omnibus gentibus sibi commendatas veritates tradit, ac suos filios edocet. Hinc sicut ecclesiae officium ac munus est *docere*, sic privatorum est *doceri* et *credere*, seu, ut loquitur Apostolus, *in captivitatem redigere intellectum in obsequium Christi* (II Cor. 5), seu fidei christianae et *obedire fidei* (Rom. I, 5 et alibi passim). Fides proinde seu veritas *necessario* a legitima auctoritate est (2); haeresis contra seu error *necessario* a spiritu privato huic legitimae auctoritati opposito. Haec autem oppositio ex parte horum privatorum hominum necessario includit perduellionem, et quotquot ecclesiam catholicam deserunt, ut privatorum hominum placitis adhaereant, hoc ipso adhaerent perduellioni, sectarii fiunt, novatores vel novatorum participes.

143. De his novatoribus jam scribebant apostoli in concilio hierosolymitano congregati: *Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus*, etc. (Act. XV, 24); et Apostolus ad Galatas: *Sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi; sed licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (cap. I, 8); et ad Thessalonicenses: *Rogamus vos,... ne quis vos seducat ullo modo* (II Thess. II, 3); atque ad Timotheum:

promiscue accipiunt has duas denominationes *spiritus privati* et *rationis individualis*, perinde ac si idem significarent, at longe a se distant. Etenim *ratio individualis* in bonam partem accipi potest, cum homo etiam individualis recte ratione sua uti possit ad inquisitionem veritatis, et passim recte eadem utatur; at denominatio *spiritus privati* semper in malam partem accipitur, pro oppositione nempe rationis propriae adversus legitimam auctoritatem a Christo institutam, id est, ecclesiam catholicam; hinc factum est ut Bellarminus, Becanus, Bossuet etc. aliique controversistae numquam impugnaverint *rationem individualem*, sed semper *spiritum privatum* protestantium.

(1) En verba, quibus Hegesippus omnium haereseon originem declarat: Ἕκαστος ἰδίως καὶ ἑτέρως ἰδίαν δόξαν παρεισήγαγεν; id est, *Qui* (haeretici) *seorsim singuli proprias opiniones induxerunt*. Apud Eus. *Hist. eccles.* lib. IV, c. 22, qui praeterea refert ex eodem Hegesippo, qui floruit sub Imperatore Hadriano, ipsum, cum Romam proficisceretur, *Plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam*; Ὅτι τὴν αυτὴν παρὰ πάντων παρέιληφε διδασκαλίαν ἀκοῦσαι γέ τοι πάρεστι, etc. Unde patet perpetua unitas in ecclesia catholica, dissensio et divisio perpetua in sectis heterodoxorum.

(2) Praeclare s. Augustinus, lib. *De utilitate credendi*, cap. IX, cum hoc inter ecclesiam catholicam et haereticos dixisset esse discrimen, quod ecclesia catholica venientibus ad se praecipiat fidem, haeretici autem promittant rationem, concludit: « Vera religio, nisi credantur ea, quae quisque postea, si se bene gesserit dignusque fuerit, assequatur atque percipiat, et omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest ». Ed. Maur. tom. VIII.

Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, . . . hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem (II Tim. III, 2 et seq.); denique, ut alia innumera his similia testimonia praetermittam, Christus ipse in Apocalypsi reprehendit atque objurgat episcopum Pergami, eo quod haberet in ecclesia sua *tenentes doctrinam nicolaïtarum*. Ex doctrina igitur Christi et apostolorum isti omnes, qui insurgunt adversus legitimam auctoritatem, ut ipsius doctrinae ac magisterio sua propria placita substituant, tamquam totidem perturbatores, seductores, evangelicae doctrinae corruptores, superbi, mente corrupti, reprobi circa fidem, anathematizandi, sectarii, haeretici habendi sunt absque ullo discrimine; nam Apostolus loquitur etiam de iis, qui subsequentibus aetatibus insurrecturi erant, scribit enim ad Timotheum: *In* novissimis diebus *instabunt tempora periculosa*, etc. (II Tim. III, 1). Ergo omnes et singuli, qui quovis tempore, quovis colore ac praetextu, priorum novatorum vestigia sectantes, spiritus privati figmenta opponunt receptae ab ecclesia doctrinae, omnes, inquam, indiscriminatim tamquam rebelles, seductores, perturbatores, reprobi circa fidem hoc ipso sunt et erunt usque ad consummationem saeculi.

144. Et sane in rebus fidei, vel legitimae standum est auctoritati vel spiritui privato. Si primum dicatur, cum nulla alia auctoritas legitima sit nisi ecclesia catholica a Christo instituta, quod jam demonstravimus, et cum omnes et singuli novatores, nullo facto discrimine, ab ecclesia damnati et proscripti sint, hinc omnes indiscriminatim rebelles et sectarii ex aequo sunt, incipiendo a nicolaïtis, quos Christus ipse reprobavit, usque ad unitarios et methodistas. Quanam enim ratione methodistae, unitarii, protestantes ausint sese praeferre nicolaïtis, gnosticis, cerinthianis, carpocratianis, arianis aut aliis haereticis, quasi nempe illi erraverint, ipsi vero a veritatis tramite minime deflexerint? Quis judex erit? Ergo vel omnes pariter damnandi et reprobandi, vel omnes pariter ut veritatis cultores ac veri Christi discipuli habendi sunt; quod postremum cum dici non possit, nisi impie dicatur, tum Christum, tum apostolos errasse, dum hos insectati sunt et rejecerunt ab ecclesiae communione, restat ut primum affirmetur. Nulla via media.

145. Quod si contendant adversarii, spiritui privato vel, ut in praesentiarum loqui malunt, rationi individuali uniuscujusque standum esse in negotio fidei, tunc frustra damnati fuissent omnes novatores seu haeretici a temporibus apostolicis usque ad nos; omnes admittere possemus errores non semel contrarios et contradictorios, quos delira hominum quorumdam ratio invexit; omnis prorsus veritas sic prolaberetur; nullum jam dogma esset retinendum. In Deo tres essent personae et una tantum; Christus Deus esset simul et non esset; duae essent in Christo naturae et una solum; una esset in ipso persona et duplex; Deus auctor esset peccati et non esset; in homine esset liberum arbitrium et absoluta necessitas, etc. etc. vel saltem esset indifferens unicuique sic diversa, imo et contraria sentire et credere; et quod consequens est, cum identidem homines isti nonnihil novi induxerint etiam circa moralem seu practicam doctrinam, fas unicuique esset tamquam licita habere homicidia, adulteria, fornicationes, incestus, infanda denique omnia flagitia, quae tum veteres tum recentiores approbarunt (1). Itane Ecclesia, a Christo instituta, erit sine

(1) *Fletcher's Works*, vol. III, p. 10, refert moggletonianos et labbadistas, qui sunt

dogmate et sine morali? Quorsum igitur revelatio? Ergo vel catholici vel rebelles, vel in ecclesia catholica vel in synagoga Satanae vel Christi vel Belial, vel catholica fides vel quodlibet spiritus privati deliramentum, omnia contradictoria aeque vera, aeque laudanda sunt!

146. Ex his sequitur 1. quod quicumque protestati sunt adversus ecclesiam catholicam, protestati fuerint adversus veritatem et adversus Deum ipsum.

147. 2. Quod, cum protestantismus sit actus rebellionis adversus ecclesiae auctoritatem, quotquot haeretici fuerunt et sunt, totidem fuerint ac sint *protestantes*, ejusdem nempe criminis rei, et ipsis idem conveniat nomen.

148. 3. Quod, cum *Protestantismus* vox sit negativa, significans actum protestationis adversus articulos fidei ab ecclesia definitos, fiat ut, quo quis minus credit, seu quo plures articulos rejicit, eo magis sit protestans, eique magis conveniat talis denominatio, ita ut perfectus incredulus ac rationalista sit perfectus protestans.

149. 4. Quod protestantismus partialis sit plena et formalis incohaerentia; si enim regula fidei est spiritus privatus, nulla est ratio cur vel unus fidei articulus admittatur ob ecclesiae auctoritatem. Hinc protestantismus partialis non est status consistentiae; quisquis enim a fide catholica recesserit, ille profecto in nullo statu medio diu permanebit, sed deistarum vel ad rationalistarum partes accedet; et sane deismus ac rationalismus sunt naturalis ac ultimus fructus protestantismi (1).

ex secta methodistarum, sub praetextu obsequendi interiori lumini, se flagitiosissimis impietatibus dedisse, prout adhuc faciunt nonnullae aliae sectae methodisticae. *Adulterium et homicidium*, inquit supranominatus Richardus Hill, « non nocent filiis Dei, imo sunt ipsis utilia. Peccata mea possunt Deo displicere, sed persona mea semper ipsi chara erit. Etsi magis peccarem quam Manasses, non ideo minus dilectus filius Dei essem, quia semper me videt in Christo; exinde fit, ut inter ipsa adulteria, incestus et homicidia possit ad me verba convertere: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Ibid. vol. IV, p. 97)». Etsi ego vitupero eos, qui dicunt: « *Peccemus, ut in nobis gratia abundet;* attamen, his non obstantibus, adulterium, incestus, homicidium me sanctiorem reddent super terra et gloriosiorem in coelis » (Fletches Duybeny's Guide to the Church pag. 82). D. Milner (*Letters to a Prebendary*) refert et ipse Salomonem quemdam, ministrum apud *Conventry*, populum docuisse jurare, blasphemare, liberumque laxare frenum excessibus omnibus. Quoniam abhorret animus ejusmodi excessus recensere, qui plura cupit praeter citatos auctores, consulere potest ipsos scriptores protestantes, Trembley, *Considérations sur l'état présent du Christianisme*, pag. 239, et Baronem de Starck, *Entretiens philosophiques sur la réunion des différentes communions chrétiennes*, traduits de l'allemand, Paris 1818, praesertim pag. 285, ubi refert excerptum cujusdam dissertationis *De s. Pauli christianismo*, auctoris anonymi, insertae in *Repertorio Semleri*, in qua auctor praefert ethnicismum christianae religioni, et § 3 quaerit: « Si le rétablissement de la religion des Grecs et des Romains ne serait, point le meilleur parti qu'on pût prendre ». Id ipsum praestiterunt *magistri populi* seu pastores, ut constat ex nota 72 operis Thiess; sic imitati sunt nonnullos philosophos gallos, nominatim vero Raynal, qui in sua *Historia philosophica* amare queritur *De ce que la Croix de J. C. avait remplacé les divinites riantes de Rome et de la Grèce*. Si tamen hoc opus citati auctoris foetus est.

(1) Leibnitzius merito praedixit, in epis. inedita ad Arnaldum, atheismum vel saltem naturalismum postremam haeresium fore: « Il

DIFFICULTATES

150. I. Obj. S. Cyprianus aliique quamplurimi africani episcopi dissentiebant a Romano Pontifice, ideoque ab ecclesia universali, circa valorem baptismi haereticorum, nec tamen rebelles habiti sunt. Sic semipelagiani, licet errarent circa gratiae necessitatem ad initium fidei, non propterea damnati sunt. Frequentes sunt, in ecclesia ipsa catholica, concertationes circa fidei articulos, divisae scholae sunt thomistarum, congruistarum, augustinianensium, etc. nec propterea alterutra contendentium pars rebellis censetur. Jam ipse Apostolus scripserat: *Unusquisque in suo sensu abundet* (Rom. XIV, 5); necesse propterea non est auctoritati acquiescere in iis, quae ad fidem pertinent.

151. Resp. *D.* Ante expressam ecclesiae definitionem, et quidem sub anathematis poena latam, *C.* post ejusmodi definitionem *N.* Aliud est errare, aliud in proprio sensu persistere, seu resistere legitimae auctoritati definienti. Jam vero citati africani episcopi errabant quidem ante expressam illam definitionem; cum tamen dubium fortasse adhuc superesse posset, num ipsorum doctrina contraria esset ecclesiae doctrinae, innoxii erant; non autem post ejusdem ecclesiae definitionem, cui se reipsa submiserunt. Nec illud omittendum est, quaestionem illam rebaptizantium spectatam ab illis fuisse, juxta non paucos eruditos, ut quaestionem potius disciplinae quam fidei (1). Hinc factum putamus, ut nonnulli, etiam post concilium nicaenum, perrexerint consuetudinem illam inveteratam in suis ecclesiis retinere, ut suo loco dicemus.

152. Semipelagiani numquam sectam constituerunt, vix enim s. Caelestinus Pontifex dederat rescriptum suum ad controversiam illam dirimendam, cum statim omnes, quos error ille infecerat, eidem decreto ultro adstipulati sunt.

153. Atque hinc responsio patet ad difficultatem petitam a concertationibus theologorum. Ejusmodi enim domesticae concertationes, quae, salva charitate, in scholis catholicis libere agitantur, fidem seu fidei articulos ab ecclesia definitos nullatenus attingunt, sed modum tantummodo ac rationem nonnulla explicandi; praeterea omnes theologi catholici parati sunt privatos sensus subjicere ecclesiae definitioni, si qua ab ipsa daretur (2).

154. Ad verba Apostoli: *Unusquisque, etc.* *D.* circa aliquam praxim praesertim disciplinae, quam ecclesia liberam unicuique reliquit, *C.* in rebus fidei definitis *N.* Hoc enim inauditum in ecclesia est, et Apostolus, ut patet ex contextu, loquitur de libera discretione ciborum et quorumdam legalium observatione.

est vraiment à craindre que la derniére des hérésies ne soit l'athéisme, ou du moins le naturalisme ». *Vid.* Exposition de la doctrine de Leibnitz sur la Religion. Paris 1819, p. 415. Eventus veritatem praedictionis ostendit.

(1) Vid. Bolgeni, in opere *Risposta al quesito, cosa è un appellante?* Testo x.

(2) Atque hinc patet mala eorum fides, qui, ad cohonestandas propriae sectae divisiones in rebus fidei, in medium afferunt dissensiones theologorum catholicorum, non advertentes ingens interesse discrimen inter divisiones et placita haereticorum, quae oriuntur ex defectione a legitima auctoritate, ac subruunt fidem ipsam, et accidentales, ut ita dicam, levesque dissensiones theologorum, qui in fide unanimes sunt, et quorum controversiae agitantur circa ea, quae nondum ab ecclesia definita sunt, nec habent pro objecto nisi diversam rationem exponendi ea quae ad fidem pertinent, salva semper fide ipsa.

155. II. Obj. Spiritus evangelii est spiritus libertatis; et sane Christus, cum in mundum venit, praestitit erga degenerem judaeorum religionem, quod postea Lutherus efficere tentavit in ipsa religione catholica, tunc temporis foede immutata per usurpationes papales et insectatorem monachorum spiritum medio aevo (1); ergo.

156. Resp. *D. A.* Spiritus evangelii est spiritus libertatis a lege mosaica ac legalibus observantiis, vel per oppositionem ad spiritum servitutis et timoris legis mosaicae, *C.* est spiritus libertatis, ita ut liberum unicuique sit credere, sentire et innovare in rebus fidei, prout magis libet *N.* Absurda enim esset libertas illa credendi quodlibet, verum aut falsum, fidemque omnino destrueret.

157. Ad probationem, *Neg.* impiam et blasphemam comparationem. Ecquis enim, nisi deista vel atheus, impurum ac scelestissimum apostatam, qui immani arrogantia inconsutilem Christi vestem, id est, ecclesiam, dilacerare aggressus est, per rebellionem filiorum adversus propriam suam matrem omnia susdeque vertendo, audeat comparare cum unigenito Filio Dei, qui *non venit solvere legem, sed adimplere* (Matth. V, 17)? Ubinam signa inveniuntur ejus missionis? Ubi vaticinia, ubi miracula? Nisi per summum nefas velis inter ipsius prodigia satanicum plane furorem, fornicationes, adulteria, sacrilegia recensere (2).

158. Quod si Christus abrogavit legem caeremonialem et judicialem, substituendo umbrae ac figurae rei veritatem, necessario debuit vetus pariter sacerdotium abrogare, lex enim et sacerdotium relativa sunt; attamen novum in se sacerdotium instituit ac sempiternum, cujus ministros voluit perpetuari in ecclesia sua per continuam successionem, usque ad saeculi consummationem, cum potestatis plenitudine, quam in episcopatu, sensu jam exposito, collocavit.

159. Si aliquot praeterea abusus *in ecclesia* (3) circa disciplinam vel indivi-

(1) Ita auctor operis *Chronologie universelle*, vol. 100. *De la Bibliothéque du citoyen du* XIX *siècle*.

(2) Vid. Lessius, in *Consultatione: Quae fides et religio sit capessenda*, Consid. IX, quinta ratio ex vita et morum conditione; ubi pessima, Lutheri et Calvini vita in propatulo ponitur. Quod attinet ad miracula Lutheri nemo id ignorat, quod testis ocularis refert Frid. Staphylus, in *Absoluta apologia*, pag. 404, de Luthero anno 1545. exorcizante quamdam juvenem de Misnea Wittenbergae; ea nempe ratione, qua (Act. XIX, 16) in filios Scevae daemon insiliit, sic insiliit in Lutherum ejusque socios, nec levi illos damno affecit. Staphylus, quum Lutherum magistrum suum jugulo a daemone arreptum conspiceret, et fugam moliens seram recludere non valeret, securim a clerico per fenestras injectam adeptus, fores excidit salutique suae et incolumitati consuluit. Cons. Baddeley, *A sure way to find out the true religion*, Boston 1831, pag. 66.

(3) Vid. Muzzarelli in praeclaro opere, *Il buon uso della logica in materia di religione*, tom. I, edit. Florentiae 1821, opus. II, cui titulus est: *Abusi nella chiesa;* scite cl. auctor distinguens inter *abusus ecclesiae et abusus in ecclesia*, merito negat, vel aliquando extitisse, vel extare posse abusus ecclesiae, seu totius ecclesiae corporis, nisi Christus promissis suis potuerit deesse; abusus enim quoslibet ecclesia numquam probavit, sed perpetuo damnavit atque proscripsit, juxta illud s. Augustini effatum: « Ecclesia Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat; et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit (Ep. 55 ad Januar.) ». At fatetur, abusus esse in ecclesia, semperque aliquot fuisse, et futuros esse, quia cum ex hominibus ecclesia coalescat, qui fragiles sunt et infirmi, impossibile est, ut nemo sit, qui humana non patiatur.

duorum mores identidem exoriuntur, quis poterit tales abusus extirpare, nisi ecclesia ipsa, quae sola talem a Christo auctoritatem nacta est? Numquam privatorum est potestatem in ecclesia Dei exercere. Ii proinde qui sibi ejusmodi jus arrogant, tamquam sacrilegi et perduelles habendi sunt, ac detestandi veluti profani usurpatores, si fidem approbatam ab ecclesia mutare volunt.

160. III. Obj. Scriptura ubique supponit liberam doctrinae discussionem et examen ex parte fidelium, qui debent *probare utrum spiritus ex Deo sint*, ut praescribit apostolus Joannes (1 Joan. IV, I.); quibus praeterea injungit Paulus: *Omnia probate, quod bonum est tenete* (I Thess. V, 21); qui cavere debent, ne quis eos *seducat* (Colos. II, 18); quique jubentur omne externum excludere magisterium, cum Spiritus Sanctus unumquemque interius doceat ad fidem necessaria: *Non necesse habetis*, inquit Joannes, *ut aliquis doceat vos; sed unctio ejus* (Christi) *docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo* (I Joan. II, 27). Quod sane consonat veteri prophetiae, in qua dicitur: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino* (Joan. VI, 45, coll. Isaïae LIV, 13); quod quidem vaticinium suum adimplementum in Novo Foedere habuisse tradit Christus, qui propterea vetuit, ne quispiam ex discipulis suis vocaretur *magister*: *Quia magister vester*, inquit, *unus est Christus* (Matth. XXIII, 10); ergo.

161. Resp. 1. *N. A.* Nihil quippe evincunt adducta testimonia, quae alio sensu semper intellexit ecclesia.

162. Resp. 2. *Neg. Antec.* Ad quatuor vero priores probationes, *D.* Et allata testimonia speciatim tendunt ad excludendum systema spiritus privati, *C.* ad illud cohonestandum, sive ad excludendam ecclesiae auctoritatem *N.* Etenim allati textus inducti sunt ad praemonendos fideles, ut caveant a privatis et suspectis doctoribus, qui, cum apostoli adhuc in vivis essent, jam coeperant hac illac disseminare falsa dogmata, ac puram apostolorum doctrinam corrumpere. Quapropter ipsi, utpote vigiles pastores, gregem sibi commissum perpetuo monent de imminenti periculo, ac de necessitate obsequendi legitimae auctoritati, si immunes ab erronea doctrina et seductione esse velint. Subdit enim inter ceteros B. Joannes: *Haec scripsi vobis de iis, qui seducunt vos* (I Joan. II, 26). Apposite Bellarminus, lib. 3. *De verbo Dei*, cap. 10, ad argumentum 12, inter cetera habet: *Haec scribit s. Joannes, quomodo si catholicus aliquis scriberet catholicis, qui ab haereticis obsiderentur et perturbarentur; non necesse habetis, ut aliquis lutheranus vel calvinista doceat vos doctrinam Christi; omnino enim quae vos scire oportet jam didicistis et tenetis ex praedicatione ecclesiae, adjuvante unctione Spiritus Sancti.*

163. Ad 5. probationem, *D.* Christus in adductis verbis vanam excludit nominis gloriam, *C.* excludit magistros ab ecclesia *N.* Alioquin quomodo dixisset apostolis: *Euntes docete?* Ex eo autem, quod se unum magistrum praedicet non sequitur quod excludat ecclesiae magisterium. Opportune enim observat s. Augustinus magistrum proprie ac praecipue illum dici, qui doctrinam a seipso habet, non vero item illum, qui doctrinam ab alio acceptam ceteris tradit. Ecclesia autem non aliud filios suos docet, quam quod didicit ab ipso Christo.

164. Inst. Apostolus inquit: 1. *Non dominamur fidei vestrae* (II Cor. I, 23); et 2.: *Spiritualis homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (I Cor. II, 15); ergo.

165. Resp. ad 1. *D.* Non dominamur, id est, non intendimus ob prae-

dicatam vobis fidem arbitrarium in vos exercere dominatum cum ostentatione potestatis, *C.* non intendimus germanam in vobis fidem conservare *N.* Ut patet ex scopo et contextu istius capitis, et prout ipse exponit Rosenmüller (1). Et sane solus Deus est, qui dominatur fidei nostrae; ecclesia nos non docet nisi ea, quae Deus revelavit.

166. Ad 2. *D.* Judicat omnia judicio privato, quod tamen non dissentiat ab ecclesiae magisterio, *Tr.* judicio definitivo ac independenter ab ecclesiae auctoritate *N.* Addendum, non deesse qui ita explicent citatum textum, ut hinc falsum ostendant ethnicorum vel profanorum judicium de religione christiana; nullus enim christianus erroris circa doctrinam quam profitetur argui potest (2), et sane congruit contextus. Sed dato etiam, quod de christiano a Spiritu Sancto interius edocto sermo sit, sciri numquam potest certitudine fidei, quinam ejusmodi homo spiritualis sit.

167. IV. Obj. Ea, quae ad salutem spectant diligentissimo examine ponderanda ac discutienda ab unoquoque sunt, nisi velimus ipsum naturae jus prorsus violare; liberum ergo unicuique erit ecclesiae judicio adhaerere vel ab eo recedere, quoties conscientia aliud suadet.

168. Resp. *D. A.* Antequam fidem christianam quis amplectatur, seu quamdiu infidelis est, jus habet inquirendi in motiva credibilitatis, *Tr.* postquam fidem suscepit *N.* Fideli enim nullum *dubitativum*, ut vocant, examen permittitur, quod cum vera fide consistere nequit. Permittitur tamen iis, qui idonei sunt, examen tantum *discretionis*, ut magis magisque se in fide confirment.

169. Inst. Saltem unicuique examen dubitationis licebit instituere circa veram ecclesiam, alioquin sequeretur, quempiam posse, imo et debere; sectae, quae christiana dicatur, et in qua natus sit, adhaerere, quod est absurdum. Quod si examen dubitationis necessarium est ad veram Christi ecclesiam dignoscendam, quidni etiam ad cetera fidei dogmata discutienda?

170. Resp. *D. M.* Unicuique licitum est examen dubitationis circa veram ecclesiam, imo necessarium iis omnibus qui extra catholicam ecclesiam versantur, *C.* catholicis *N.* Ratio summae disparitatis inter utrosque ex eo patet, quod catholicis per examen discretionis evidentia morali constet de perpetua et numquam interrupta successione episcoporum ab apostolis usque ad nos, prout omnia publica monumenta testantur. Contra vero eadem morali evidentia constat omnibus sectariis de epocha, in qua ipsorum majores ab eadem ecclesia discesserunt ad novam societatem instituendam, quae se se opposuit tum auctoritati tum fidei quam reliquerunt, vel a qua ob suam pervicaciam expulsi sunt. Ideoque primi certi sunt, et quidem certitudine fidei, de infallibilitate propriae ecclesiae, cui promisit Christus se adfuturum usque ad consummationem saeculi; sectarii autem numquam sibi hanc infallibilitatem possunt polliceri, nisi velint sibi arrogare, quod denegant ecclesiae universae quam deseruerunt. Hinc catholici ex propriis principiis dubitare *non possunt*, sectarii autem ex propriis principiis dubitare *debent*. Verum de hoc argumento alias iterum agemus.

(1) In hunc locum, cui praeiverat Bern. a Piconio; si quid enim boni in suis commentariis habent protestantes, id a nostris mutuati sunt, nec unquam fere fontes indigitant. Hoc praeclare ostendit Dr. Petrus Fourer. Ackermann Canonicus lateran. in opere, quod inscribitur *Prophetae minores perpetua annotatione illustrati*, Viennae 1830.

(2) Cons. citatus auctor in hunc locum.

PROPOSITIO VII.

Iis, qui auctoritatem rejiciunt catholicae ecclesiae, ut spiritus privati placita sectentur, nulla est vera fides, sed opinio tantum vel dubium.

171. Ut omnis tollatur amphibologia, antequam manum admoveamus ad veritatem enunciatae propositionis evincendam, praemittimus:

172. 1. Ex recepta apud omnes doctrina, actum fidei bifariam constare, tum nempe ex objecto, ut vocant, materiali, cujusmodi sunt veritates ipsae revelatae, tum ex objecto formali, seu motivo, auctoritate scilicet et veracitate Dei revelantis, quae quidem duo una cum divinae gratiae auxilio requiruntur et sufficiunt ad actum fidei theologicae constituendum. Quum proinde dicimus respectu eorum, qui auctoritatem ecclesiae catholicae rejiciunt, ut sectentur placita spiritus privati, nullam dari fidem, id intelligimus ex defectu regulae proximae universalis atque infallibilis, quae nobis tuto proponat tum veritates revelatas tum verum sensum revelationis, ita ut circa objectum materiale decipi nulla ratione possimus. Quod enim revelatio supernaturalis data divinitus fuerit, et quod talis et non alius sensus sit ejusmodi revelationis, est *quoddam factum*, de quo nobis certo constare non potest, nisi per eos, quos Deus ipse constituit ejusdem testes, depositarios ac interpretes, quales ab initio fuerunt apostoli una cum Petro, in quibus coepit ecclesia docens, quae viva semper est, ac jugiter perseverat vivo magisterio suo in Romanis Pontificibus, Petri successoribus, atque in episcopis, qui cum ipsis conjunguntur et ipsis subordinantur (1).

173. 2. Non spectari a nobis hunc vel illum peculiarem fidei actum, quem quispiam circa unam vel alteram revelatam veritatem, independenter ab ecclesiae magisterio, elicere posset, eo quod ipsi ex motivis, ut vocant, credibilitatis, vel evidenti morali certitudine de aliqua revelata veritate constare posset, ac de sensu obvio ejusdem revelationis: sed a nobis agi de toto potissimum fidei systemate, seu de universis articulis, quos omnes credere tenemur utpote a Deo revelatos. Christus enim, ut vidimus, integrum fidei depositum ecclesiae suae concredidit, ut haec usque ad consummationem saeculi eamdem, fidem quam accepit, doceret omnes gentes: *Docentes*, ait, *servare omnia quaecumque mandavi vobis*; integrum propterea materiale fidei objectum intelligimus, non autem partiale. Quamquam, quod sedulo observandum est, nemo positive fidei actum eliciat, nisi dependenter ab ecclesiae auctoritate, a qua, saltem ab origine, didicit tum esse revelationem, et talem sensum esse revelationis circa illam peculiarem veritatem. Si quandoque enim protestantes positive aliquid credunt, credunt ex principio, ut ita dicam, catholico, et ex ea parte catholici sunt, quod et de ceteris haereticis est intelligendum; nam nemo est haereticus vel protestans, nisi quatenus de suo vel adjecit, vel detraxit ab iis, quae ecclesia docuit aut docet.

174. 3. Adstruimus, eos hoc integrum materiale fidei objectum habere non posse, qui opponunt spiritus privati placita, seu substituunt spiritum privatum magisterio et auctoritati ecclesiae a Christo institutae; hocque ex duplici causa: tum scilicet ob regulas fidei remotas, cujusmodi sunt scriptura et traditio, de quibus ipsis constare non

(1) Cons. Bolgeni in opere *L'Economia della fede cristiana*, Brescia 1790, cap. 1, art. 1 et seqq.

potest independenter ab ecclesiae testimonio; tum ob ejusdem genuinum scripturae et traditionis sensum, quem independenter ab ejusdem magisterio agnoscere nequeunt. Quae quidem evincere intendimus tum a priori, ut dicunt, tum a posteriori, a jure scilicet et facto, seu agendi ratione ipsorum protestantium. Quae quum ita sint, accedimus ad enunciatae propositionis probationem.

175. Systema fidei est systema auctoritatis. Fides enim in genere non est nisi assensus alicui praestitus ob ejus auctoritatem. Apostoli autem a Christo edocti de veritatibus fidei, has easdem tradiderunt successoribus a se delectis, ut isti pariter has easdem integras transmitterent ad seram usque posteritatem, quales eas acceperunt absque ulla discussione. Apostoli rursum eorumque successores infidelibus eas ipsas credendas proposuerunt, et, cum totum istud supernaturalem systema captum rationis excederet, signa ediderunt, vel motiva credibilitatis exposuerunt, ut rationabile esset eorum obsequium erga fidem. Quod tamen spectat ad veritates ipsas, prout in se sunt, id semper expostularunt, ut omnes captivarent intellectum, et eas crederent, comminantes aeternas poenas his, qui eas credere detrectassent. Quotquot proinde crediderunt, crediderunt ob auctoritatem ecclesiae, quae testabatur a Christo seu a Deo se eas accepisse.

176. Propter infallibilem hanc ecclesiae catholicae auctoritatem, divinitus institutam, fideles omnes has et non alias crediderunt veritates tamquam totidem fidei articulos, has et non alias admiserunt traditiones tamquam divinitus acceptas, hos et non alios canonicos libros tamquam divinitus inspiratos, juxta celebre Augustini effatum: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas* (1). Augustino praeiverat s. Irenaeus, eumdem sensum exprimens, dum ait, non apud alios quaerendam veritatem quam apud ecclesiam; *cum apostoli*, inquit, *quasi in depositarium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus*, etc. (2); deinde exposita successione ecclesiarum apostolicarum, ac praecipue ecclesiae romanae, a quibus quaerenda veritas esset, concludit. *Hac ordinatione et successione ea quae est ab apostolis traditio et veritatis praeconizatio pervenit usque ad nos* (3). Praeiverat s. Polycarpus, qui ex testimonio ejusdem Irenaei: *Vir multo majoris auctoritatis et fidelior veritatis est testis quam Valentinus et Marcion et reliqui, qui sunt perversae sententiae. Hic docuit semper, quae ab apostolis didicerat, quae ecclesia tradidit, et sola sunt vera* (4). Praeiverat Clemens Romanus, quem idem Irenaeus asserit, *vidisse ipsos apostolos, et contulisse cum eis, cum adhuc insonantem praedicationem apostolorum*

(1) Lib. *Contra epist. fundamenti*, cap. V, n. 6.

(2) *Contra haereses*, lib. III, cap. 4.

(3) Τὴ αὐτῇ τάξει, καὶ τῇ αὐτῇ διδαχῇ ἥτε ἀπὸ τῶν ἀποστολων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παράδοσις, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκεν εἰς ἡμᾶς. S. Iren. *Contra haereses*, lib. III, ap. 3, p. 176, edit. Maurin.

(4) Μαρτυροῦσιν τούτοις αἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐκκλησίαι πᾶσαι, καὶ οἱ μέχρι νῦν διαδεδεγμένοι τὸν Πολύκαρπον, πολλῷ ἀξιοπιστότερον καὶ βεβαιότερον ἀληθείας μάρτυρα ὄντα, Οὐαλεντίνου καὶ Μαρκίωνος, καὶ τῶν λοιπῶν κακογνωμόνων· ὃς καὶ .. μίαν καὶ μόνην ταύτην ἀλήθειαν κηρύξας ὑπὸ τῶν ἀποστόλων παρειληφέναι, τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραδεδομένην. Ibid. pag. 177.

et traditionem ante oculos haberet (1). Praeiverat s. Ignatius martyr, quem Eusebius testatur, *hortatum esse fideles, ut apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent* (2), nec non Origenes, de quo pariter idem Eusebius scribit: *Ecclesiastico insistens canoni, quatuor dumtaxat evangelia testatur, his verbis: Sicut ex traditione, inquit, accepi de quatuor evangeliis, quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittuntur* (3). Eusebius ipse, eodem loco primam Petri memorans epistolam, hoc ei testimonium reddit: *Petrus autem, cui tamquam fundamento superstructa est ecclesia Christi, adversus quam nec ipsae inferorum portae sunt praevaliturae* (4). Ut nihil dicam de Tertulliano, qui in suo libro *De Praescriptionibus*, totus est in hoc principio evolvendo adversus omnes haereticos, et de iis, qui recensitas sententias exscripserunt, Cyrillo Alex., Capreolo Carthaginiensi, Vincentio Lirinensi, etc., qui unanimes in hoc principio adstruendo auctoritatis ecclesiae catholicae insistunt, sive ad veros scripturae libros ac traditiones apostolicas cognoscendas, sive ad germanum earumdem sensum excutiendum (5). Propter idem idcirco universale motivum, quo infideles christiani facti sunt, crediderunt omnibus et singulis veritatibus ab ecclesia propositis, propter auctoritatem nempe infallibilem ipsius ecclesiae, seu per idem motivum facti sunt catholici per quod facti sunt christiani.

177. Si igitur norma et regula proxima fidei nostrae est auctoritas ecclesiae proponentis, seu applicantis nobis divinam auctoritatem, et conditio *sine qua certo* et infallibiliter constare nobis non potest, quaenam sint de fide tenenda, patet quod quicumque hanc rejicit, seu contra ejus auctoritatem protestatur, veram fidem habere nequeat. Nulla enim est ratio, cur quis hoc credat, aliud vero non credat; praeter proprium spiritum privatum; et eodem modo, quo quis rejicit unum articulum, potest pariter et alium respuere, atque ita porro, donec ne vel unus quidem supersit, juxta Tertulliani dictum: *Idem licuit valentinianis, quod Valentino, idem marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare* (6). Cum autem spiritus privatus per se fallibilis sit et

(1) Κλήμης, ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους ἀποστόλους, καὶ συμβεβληκὼς αὐτοῖς, καὶ ἔτι ἔναυλον τὸ κήρυγμα τῶν ἀποστόλων, καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων, οὐ μόνος. Ibid. pag. 176.

(2) Προὔτρεπέ τε ἀπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως. *Hist. eccles.* lib. III, cap. 36.

(3) Τὸν ἐκκλησιαστικὸν φυλάττων κανόνα, μόνα τέσσαρα εἰδέναι εὐαγγέλια μαρτύρεται, ὧδέ πως γράφων· ὡς ἐν παραδόσει μαθὼν περὶ τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων, ἃ καὶ μόνα ἀναντίῤῥητά ἐστιν ἐν τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ. Ibid. lib. VI, cap. 25.

(4) Πέτρος δὲ ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ἡ Χριστοῦ ἐκκλησία. Euseb. loc. cit.

(5) Cons. Gerdilius, in *Comm. adv. Boehmerum*, opp. edit. Rom. tom. XI, pag. 77.

(6) *De praescrip.* cap. 42, cujus integer textus ita est: « Mentior, si non etiam a regulis suis variant (haeretici) inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quod accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suae morem, profectus rei. Idem licuit valentinianis quod Valentino . . . Denique penitus inspectae haereses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur » (Pag. 217. edit. Rigaltii, Lutetiae Paris. 1664).

errori ac deceptioni obnoxius, evidens est nullam esse infallibilem regulam quoad eos, qui rejiciunt auctoritatem ecclesiae, propter quam aliquid de fide credatur, ideoque intra humanae opinionis limites non concludatur quidquid ab ipsis vel admittitur vel rejicitur. Cum nemo insuper possit tamquam certam propriam tueri sententiam, alienam autem, quae suae opponitur, certe ut absolute falsam rejicere, in iis praesertim, quae humanae mentis captum superant, infertur, per hanc substitutionem spiritus privati auctoritati ecclesiae, necessario oriri dubium aliquod universale, nec quemquam unquam posse verum fidei actum elicere, ac necessario in dubio absoluto in iis, quae ad fidem pertinent, versari debere; vel si quis actum fidei elicit, non elicit, prout adnotavimus, nisi ex principio catholico.

178. Haec magis ac magis confirmantur ex doctrina et agendi ratione ipsorum protestantium. Aliquot enim dogmata ab initio rejecit Lutherus, alia negavit Calvinus, alia Zwinglius, alia anabaptistae, omnia demum rejecerunt sociniani, methodistae, rationalistae, deistae. Pastores genevenses adeo desciverunt a placitis Calvini, ut postremis hisce annis bellum, hactenus non sopitum, moverint adversus doctores et ministros quosdam, qui, a proposito sibi systemate discedentes, aliquot dogmata, ex. gr. peccati originalis, Trinitatis, Divinitatis Christi; adhuc retinere ac defendere conabantur (1).

179. Hinc in Recognitione protestantica protestantismus definitur: *actus independentiae rationis humanae in negotio religionis* (2). Juxta Anglicanum Watson, protestantismus est *actus, quo quis credit quidquid vult, et profitetur quidquid credit* (3); vel prout traditur in cathechismo anglicano nuper evulgato: *Protestantismus est detestatio papismi* (catholicismi) *et exclusio papistarum* (catholicorum) *ab omni officio ecclesiastico et civili* (4); juxta quam definitionem, licet omnia rejiciantur fidei dogmata, et omnia subvertantur moralitatis principia, dummodo rejiciatur ecclesia catholica, quisque poterit esse protestans, ideoque et judaeus et islamita imo et ethnicus. In controversia nuper habita in provinciis confoederatis Americae septentrionalis a Breckenridge, protestantismus definitur: *Religio reformata et opposita ecclesiae catholicae romanae, quoad doctrinam, moralitatem, regimen, disciplinam ac cultum;* et alibi: *Religio revelata ac consistens cum ss. Scripturis tamquam unicis fidei ac praxis seu morum regulis, et quae contra errores et corruptiones ecclesiae romanae protestatur* (5). Quae quidem definitiones congruunt cum ceteris alla-

(1) Vid. edictum senatus genevensis latum adversus eos, quos vulgo nuncupant *Momierss*, in *Mém. cath.* Févr. 1824.

(2) *Revue protestante*.

(3) Apud Milner, *The end of religion's controversy*, etc. part. 3, pag. 125.

(4) *The protestant's catechism, by the Bishop of Saint-David,* pag. 12. Juxta Tzschirner professorem Lipsiensem protestantismus *est un christianisme dégagé de formes gênantes;* juxta theologos tigurinos, protestantismus consistit *in triplici libertate examinis interpretationis et publicae professionis;* et ita porro, adeo ut mira sit dissensio in ipsa protestantismi definitione.

(5) In *Controversy between rev. Messers Hughes and Breckenridge*, Philadelphiae 1833, cont. n. xx, p. 226, numquam hic provocator stetit regulis utrimque statutis, sed omnia miscet atque confundit. Mire in eum congruit Cl. Comitis De Maistre dictum: » Sur les points où il n'est pas possible de bien raisonner, l'esprit de secte fait ce qu'il peut, il *divague*, il donne le change, et surtout

tis, cum statuant essentiam protestantismi consistere in privata scripturarum interpretatione et protestatione adversus ecclesiam catholicam. Istiusmodi principiis insistentes nonnulli ex protestantibus rejiciunt hoc vel illud caput e sacris libris (1), hunc vel illum librum e censu Scripturarum divinarum; sunt qui rejiciunt omnem inspirationem librorum sacrorum; sunt qui affirmant christianismum necessarium non esse nisi ad solam moralem institutionem; sunt denique qui asserunt nullas actiones esse per se immorales, seu nullas dari actiones *subjective immorales*, sed solum *illegales*, quatenus minus congruunt cum humanae societatis legibus et institutis. Omnia enim affirmant subesse necessitati naturae, nec posse dari pugnam et oppositionem inter mentem et *sensibilitatem* (2). Jam vero quis non videt hac agendi et quidlibet sentiendi licentia omnem funditus tolli christianam religionem, vel ad summum non amplius retineri christianismi nisi nomen et larvam?

180. Propterea ex dictis jam sequitur 1. Protestantismum non esse, ut cum chemicis loquar, nisi *principium dissolvens* religionis christianae, quae vitam non habet nisi in sola ecclesia catholica, quae cum ea quodammodo identificatur (3).

181. Sequitur 2. Protestantes, ac

il s'étudie à laisser les choses dans un certain demi-jour favorable à l'erreur ». Soirée 8, p. 96. Et ipse quidem confugit ad loca communia inquisitionis, noctis s. Bartholomaei, etc.

(1) Speciminis gratia nonnulla indicabimus exempla. Duo priora capita, evangelii s. Lucae rejecerunt Evanson in *The dissonance of the four generally received Evangelist, and the evidence of their respective authenticity examined*, Ipswich 1792, 8; J. E. C. Schmidt, *Das ächete Evangelium des Lucas, eine Vermuthung*; seu *Evangelium authenticum Lucae*, in Henckii *Collect. pro religiosa philosophia, exegesi et historia ecclesiastica*, part. 5, sect. 3, part. 473 et seqq.; Horst, *Ueber die beyden ersten Kapitelen im Evangelium Lucas*, seu *De duobus primis capitibus evangelii Lucae*, in Henckii *Musaeo*. Authentiam ultimae sectionis evangelii s. Marci, a versu 8 ad finem, multi impugnarunt; cfr. Michaelis *Begräbnis und Auferstehungs Geschichte*, seu *Historia sepulturae et resurrectionis*, p. 179; Telleri, *Neues magasin* etc., seu, *Nova collectio pro concionatoribus*, vol. 3, § 5, aliique non pauci apud Kuinoel, in *Comment. in lib. Novi Testamenti hist.* Caput 21 s. Joannis praeter novos templarios in ipsorum codice, qui *Levitikon* inscribitur, Parisiis vulgatus anno 1831, fere omnes recentiores biblici protestantes rejiciunt, vel saltem in dubium revocant. Cons. Kuinoel, op. cit., Clericus, etc.

(2) Apud Baronem De Stark, op. cit. et Trembley, pariter op. cit. Nos inferius ex his omnibus aliquot eorum, quae hic indicavimus, documenta proferemus; interim omissis quae Sociniani, antinomii, aliique sectarii docent, satis sit ea in medium afferre, quae testatur Trembley, op. cit. pag. 262 et seqq. in ipso nempe reformationis sinu doceri: « Qu'il n'y a point d'actions immorales par elles-mêmes, quoiqu'elles puissent être illégales, d'après les lois et les conventions de la société, qu'il n'y a point d'action *subjectivement immorale*, mais, que tout est soumis à la nécessité de la nature, et qu'il ne peut y avoir d'opposition entre la sensibilité et la raison ».

(3) Apposite Comes de Maistre in opere, quod inscribitur *Du Pape*, liv. II, ch. 5, scripsit: « Si le protestantisme porte toujours le même nom, quoique sa foi ait immensément varié, c'est que son nom étant purement négatif, et ne signifiant qu'une renonciation au catholicisme, *moins il croira, plus il protestera*, plus il sera lui-même. Son

proinde haereticos omnes, nullum habere vinculum unitatis religiosae, cui propterea consulere non possunt nisi per auctoritatem civilem et politicam (1), vel per commune odium adversus ecclesiam catholicam a qua discesserunt (2).

182. Sequitur 3. quod si nonnulla adhuc christianismi lineamenta supersunt apud heterodoxos, et omnes fructus suos nondum protulit protestantismus apud populum, id unice repetendum esse ex incohaerentia pastorum ac ministrorum qui propriam *auctoritatem* auctoritati ecclesiae catholicae substituerunt, vel ex influxu validissimo, quem adhuc, saltem indirecte, exercet catholica ecclesia in istas sectas, etsi ab ea divisas et rebelles.

183. Sequitur 4. merito nos affirmasse rationalismum et naturalismum, etc. esse verum, naturalem et necessarium fructum illius principii, in quo tota posita est reformatio seu protestantismus, independentiae nempe absolutae et completae a legitima auctoritate, seu ab auctoritate ecclesiae catholicae, quam unice Christus constituit custodem, interpretem infallibilem, depositariam et testem suae doctrinae ac religionis.

DIFFICULTATES

184. I. Obj. Protestantes auctoritatem ecclesiae a Christo institutae minime rejiciunt, sed abusum istius auctoritatis, qui posterioribus saeculis inolevit. Immo *emendatores sacrorum* (3), qui quovis saeculo insurrexerunt, nihil

nom devenant donc tous les jours plus vrai, il doit subsister, jusqu'au moment où il périra, comme l'ulcére périt avec le dernier atome de chair vivante qu'il a dévoré ». Quod plane congruit cum iis quae habet Apostolus: *Sermo eorum* (haereticorum) *ut cancer serpit* (II Tim. II, 17).

(1) Experimento compertum est plurium saeculorum, sectas quae se subduxerunt legitimae auctoritati spirituali, prolapsas fuisse sub imperium saeculare seu civile, quod multo duriorem in ipsas exercet potestatem, quam unquam ante earum rebellionem in ipsas exercuerint Romani Pontifices. Quare merito scripsit Feller, *Dict. hist.* tom. VII, p. 262. « Tous ceux, qui se sont séparés du grand corps de l'église et de son chef, n'ont jamais manqué de tomber sous une autorité profane et arbitraire ». Hoc jamdiu observaverat Melanchthon in *Praefatione* suorum operum, ubi vehementer conqueritur, jugo papali, quod non erat nisi ligneum, suffectum fuisse jugum ferreum *politicorum* seu laicorum, qui sibi arrogaverant auctoritatem terribiliorem papali. Centuriatores magdeburgenses, in *Introductione ad centuriam* VII, graviter et ipsi de eodem malo conqueruntur. Sic anglos non puduit pro Romano Pontifice Elisabetham veluti papissam habere. Sic alibi supremi magistratus omnia spiritualia negotia, synodos, liturgiam, etc. moderantur, et ministri non aliud possunt nisi auriculas demittere, et abjectissime in his omnibus, velint nolint, assentiri.

(2) Odium omnium sectarum adversus religionem seu ecclesiam catholicam potest vere dici ipsarum vita et alimentum. Indidem tot machinationes oriuntur, insectationes, fraudes de quibus consuli potest Lessius, *Diss.* cit. *Quae religio sit capessenda; Septima ratio ex dolo et fraudibus*. Superius vidimus definitum protestantismum in catechismo anglicano, *odium papismi*; deputati genevenses ad synodum dordrectanam declarant omnium nomine: *Nous ne voulons avoir aucune sorte d'union avec les catholiques, au contraire nous les méprisons, et nous les haïssons* (§ 15, et sess. XXV et XXVI).

(3) Ita passim Wegscheider aliique protestantes Lutherum et Calvinum designant. At apposite Cl. Comes De Maistre, lib. IV. *Du Pape*, sic ironice eos pingit: « Jésus-Christ reparut parmi nous, pour assurer solennellement à son église une assistance aussi durable que le monde. Mais hélas! cet effort de

innovarunt in rebus fidei, sed solum protestati sunt adversus novitates, quae in eamdem ecclesiam identidem irrepserunt, fidem revocantes ad simplicitatem ecclesiae purioris ac primitivae; ergo.

185. Resp. *N. A.* et adversariorum suppositionem. Nullus enim ejusmodi auctoritatis abusus in iis, quae ad fidei ac morum integritatem spectant, juxta Christi promissa in ejus ecclesia locum habere potest. Haec autem appellatio ab ecclesia praesenti ad ecclesiam primitivam ac puriorem praeteritorum saeculorum non est nisi pallium, quo semper nisi sunt isti (non *emendatores*, sed *corruptores* sacrorum, id est, *haeretici*) cohonestare propriam perduellionem, ut populis fucum facerent. Ebionitae, elceseitae, simoniani, nicolaïtae, cerinthiani, gnostici insurrexissent adversus novitates apostolorum, et appellassent in istorum hypothesi ad puriorem ecclesiam, qualis erat vivente adhuc in terris Christo Jesu (1).

186. II. Obj. 1. Independentia religiosa protestantium non est absoluta, sed circumscribitur sacris bibliis, quae sunt codex revelationis. Cum igitur quidpiam ipsi de fide tenent, illud tenent ob auctoritatem sacrae scripturae, quae perspicue ejusmodi articulos, in quos credunt protestantes, in se continet; ergo independentia religiosa ab auctoritate ecclesiae in sensu protestantium non officit, quin aliquid de fide credatur (2). 2. Imo ex hoc intelligitur, quomodo ecclesia protestans *una* sit, non minus quam ecclesia romana, quum una fide et sacramentorum administratione juxta mentem sui fundatoris (Christi) omnes fideles conjungat, ut Otto bene exponit (3). Vel prout rem explicat D. Tittmann, 3. adeo sibi ecclesia protestans unitatem vindicat, ut *a)* sacram scripturam pro unico revelationis fonte habeat, *b)* sempiternam veritatis propagationem et *c)* continuum ecclesiae christianae progressum admittat (4); ergo.

187. Resp. Ad I. *Neg.* rursum *antec.* et suppositum. Rejecta semel ecclesiae catholicae auctoritate, unde constat protestantibus libros sacrae scripturae fuisse inspiratos et divinos, vel inspiratam fuisse quamlibet ipsorum partem nisi ex ipso spiritu privato, qui est solus judex independens inspirationis? Nonne Lutherus expunxit integros libros e censu scripturae divinitus inspiratae? Et post Lutherum nonne recentiores quidam Germaniae protestantes divinam inspirationem plurimarum partium scripturae, imo et totius scripturae formaliter rejecerunt (5)? Nonne ex reformatis Benjaminus Constant, cui concinit recognitio

l'amour tout-puissant n'eut pas à beaucoup près tout le succès qu'il annonçait. Par défaut de science ou de force, ou par distraction peut-être, Dieu manqua son coup et ne put tenir sa parole .... bien tôt cette religion sainte, révelée à l'homme par l'Homme-Dieu, ne fut plus qu'une infâme idolâtrie, qui durerait encore, si le christianisme n'eût été brusquement ramené à sa pureté originelle par deux misérables ».

(1) Cfr. s. Iren. *Contra haereses*, loc. cit.

(2) Ita *Revue protestante*; cui addi potest D. Breckenridge, in *Controversia americana*, loc. cit.

(3) In opere, quod inscribitur *Der Katholik und der Protestant*, id est, *Catholicus* et *Protestans*.

(4) *Ueber die Einheit in der evangelischen Kirche*, seu *De unitate in Ecclesia evangelica*, Lipsiae 1826.

(5) Cons. *On the state*, etc. seu *De statu religionis protestantis in Germania*, R. Hugh James Rose; ubi auctor licet anglicanus deplorat statum, ad quem demum devenit protestantismus in Germania; ibi prote-

protestans, aperte tradit libros Veteris Testamenti corruptos magna ex parte fuisse a spiritu sacerdotali Esdrae, quem exasperaverat infortunium (1)?

188. *Neg.* praeterea *conseq.* Etenim si spiritus privatus est solus interpres et quidem independens sacrorum codicum, quidquid putat quis se invenisse ad fidem pertinens, de fide erit, quidquid vero ad fidem minime pertinere existimaverit, omnino respuet. Tot proinde erunt fidei symbola, quot capita, immo cum quisque opinionem suam saepe mutet, erit de fide hodie, quod cras erit falsum. Nihil proinde fixum in tali systemate habetur praeter perpetuam inconstantiam et fluctuationem. Nulla alia fidei regula erit praeter subjectivam ac privatam uniuscujusque persuasionem, seu potius opinionem vel dubium. Experientia et historia id evidentissime ostendunt (2).

stantes nonnulli accusant s. Paulum apostolum judaismi, Semlerus e contra ipsum affirmat fuisse gnosticum; alii, ut Ammon, Wegscheider, Heusse, etc. omnem supernaturalem revelationem et inspirationem Spiritus Sancti ab auctoribus sacris explodunt; imo scriptura universa non est nisi quaedam introductio ad rationem puram. Baro de Starck, op. cit. pag. 133. cum nonnulla excerpta attulisset Cludii doctoris biblici ac superintendentis protestantis Heldesiae, qui in suis *Aperçus primitifs du Christianisme*, edit. anno 1808, accusat Christum Dominum velut falsarium ac perjurum in mortis conspectu, utpote qui prodidit veritatem solemni jurejurando coram judaeis, etc. demum refert ejusmodi tractum: « D'aprés l'évangile de Matthieu, la doctrine est exposée avec beaucoup de supplémens étrangers et de changemens; il ne peut par conséquent servir de règle de foi. L' évangile de Jean et ses lettres ne sont pas de lui, mais l'ouvrage de quelque juif. On y trouve plusieurs choses blâmables et contradictoires; la doctrine en est gnostique. Paul, dans ses lettres, n'a point quitté ses idées judaïques; il continue de croire à la divinité de la religion juive, d'admettre une résurrection réelle de la chair, et on ne trouve point chez lui la doctrine de la providence. Les lettres de Pierre et de Jacques et celle aux Hébreux sont comme celles de Paul; en général, les écrits du Nouveau Testament ne peuvent produire aucun corps de doctrine bien lié et bien avéré, etc. ». Sed satis est oculos conjicere in ipsos biblicorum neotericorum libros, ut quisque certior fiat, quo tandem devenerint protestantes. Quae enim adduximus non sunt nisi levia lineamenta; et tamen hi sunt, qui pro unica religionis basi sumpsisse sacram scripturam gloriantur!

(1) Op. cit. *De la religion considerée dans sa source*, etc. tom. II, pag. 242: « L'Histoire des juifs, *scribit*, ayant été recomposée de nouveau par Esdras (ut ipse gratis affirmat) qui était de race sacerdotale, et qui, dans son zèle, *aigri* par le malheur, exagérait la sévérité des lois de Moïse, les livres hébreux durent se pénétrer de l' esprit sacerdotal, etc.

(2) Cons. *Lettre de M. Laval cidevant ministre à Condé-sur-Noireau, à ses anciens correligionnaires*, Paris 1823; in qua inter cetera invictissime ostendit, protestantes ex suis principiis non posse affirmare aut in quo consistat vera fides, aut quid sint biblia, quia eadem ratione qua primi reformatores e sacrorum librorum numero aliquot expunxerunt, eodem jure et ex eodem principio quisque potest alios et alios expungere, quin argui possit, vel tolli e numero protestantium, cum ita se gerat ex subjectiva persuasione et juxta libertatem, qua primi reformatores usi sunt, prout reipsa se se gesserunt, ut vidimus, biblici protestantes. Atque hic obiter praevenienda est difficultas, quae objici posset, nempe etiam inter catholicos extitisse atque extare non paucos, qui non minus absurda circa religionem ac sacros libros protulerunt, nec tamen istorum aberrationes adscribi posse seu imputari religioni catholicae, sic a

189. Ad 2. *D. Una* sit nomine ac negative, *Tr.* re et positive, *N.* Nisi velis sub unica fide totam omnium contradictionum congeriem comprehendere; ut si quis dicat: ***Christus est Deus***, alter vero: ***Christus non est Deus***, haec eadem fides est, ideoque ambo eamdem fidem profitemur et ecclesia nostra una est; et sic dicatur de ceteris omnibus articulis. Quare saepe provocati protestantes ad communem fidei professionem edendam numquam adduci potuerunt ad id praestandum; cur vero, nisi quia ex protestantismi fundamento hoc est ipsis impossibile? Si enim fundamentum ac ipsa natura et essentia protestantismi, ut protestantes saepe professi sunt, consistit in independentia religiosa individuali in materia fidei, clare patet, impossibile omnino esse, ut ipse possit unam habere fidem, imo nec fidem ipsam, cum fides in hoc systemate non pendeat nisi a subjectiva uniuscujusque persuasione, quae et individua est, fallax atque inconstans. Ex quo sequitur, non aliam in protestantismo reperiri posse unitatem nisi negativam, quae scilicet consistit in negatione fidei cujuscumque.

190. Ad 3. *Neg.* vindicari etiam hac ratione posse fidei vel ecclesiae unitatem, sive tria argumenta a Tittmann adducta seorsim, sive simul sumantur. Non sufficit *a*) quod ecclesia protestans habeat scripturam sacram pro unico revelationis fonte; alioquin sociniani et methodistae, unitarii omnes, rationalistae, etc. qui omnia dogmata rejiciunt, sive Trinitatis, sive Divinitatis Christi, Incarnationis, transmissionis peccati originalis, realis Christi praesentiae, etc. constituerent unam ecclesiam, et profiterentur fidei unitatem cum lutheranis et supernaturalistis protestantibus, qui illa se adhuc profiteri contendunt; omnes enim recensiti sectarii habent Scripturam sacram pro unico revelationis fonte. Imo omnes prorsus omnium saeculorum haeretici, qui tot paradoxa effutierunt, servarent fidei et ecclesiae unitatem, eo quod omnes Scripturam pariter pro unico revelationis fonte habuerint, quod quam absurdum sit nemo est qui non videat.

191. Id ipsum dicatur de sempiterna veritatis propagatione, quae secundo loco recensetur, quid enim sibi vult adversarius illa *sempiterna veritatis propagatione*? Haec enim vel sunt verba sensu vacua, vel si quem sensum habent, nihil aliud significant nisi sempiternam *confusionis* et *chaos* propagationem; tot enim pene sunt, ut vidimus, in protestantismo sententiae quot capita; alter ex ipsis affirmat quod alter negat, donec desperatione compulsus protestantismus omnes ubique fere rejecerit libros symbolicos, omnemque fidei professionem; et tamen Tittmann loquitur de sempiterna veritatis propagatione, quamvis ignoret penitus, quale sit hujus veritatis objectum.

192. Sed neque sufficit quod tertio loco posuit, quod scilicet *continuum ecclesiae christianae progressum* admittat, cum non alius progressus in protestan-

pari protestantismo imputari non posse privatorum deliramenta. Reponimus enim, ingens esse discrimen inter catholicos et protestantes; illi enim agunt *contra* propriae religionis principia, quae ejusmodi deliramenta proscribit et damnat, resistunt auctoritati, etc., at protestantes agunt *ex reformationis principiis*, *natura et essentia*, quae consistit, ut toties diximus, in libertate examinis quam habet spiritus privatus, cum independentia a quacumque auctoritate, et proinde nemo jus habet istos erroris arguendi, contra accidit in communione catholica, cujus fundamentum est principium auctoritatis ecclesiae docentis.

tismo sit, nisi de errore in errorem. Adeo enim protestantismus hodiernus differt a protestantismo primitivo, ut, excepto principio fundamentali nuper memorato de independentia individuali, toto coelo ab illo differat; cum omnes abjecerit veritates, quas primi protestantes cum ecclesia catholica adhuc retinuerant; ad quam defectionem cohonestandam recentiores excogitarunt principium *perfectibilitatis*, id est, destructionis.

193. Dixi praeterea illam unitatem tria haec a Tittmann recensita etiam simul sumpta non constituere, cum nulla secta sit cui accommodari non possint; simoniani, nicolaïtae, etc. potuissent pariter sibi ejusmodi unitatem vindicare, etsi jamdiu evanuerint, prout evanescet protestantismus, non obstante sua *sempiterna veritatis propagatione et continuo progressu*.

194. Inst. Satis saltem erit implicite credere ea omnia, quae Christus docuit, seu ut loquitur Otto (1), juxta mentem sui Fundatoris; ergo.

195. Resp. *Neg.* Necesse enim est credere ea, quae Christus docuit per ecclesiae magisterium, id Fundator religionis christianae voluit, id non semel patefecit, ut ex adductis testimoniis patet. Alioquin inutilis plane fuisset ejus revelatio, penitus ignoraremus fidei nostrae objectum, religionis veritates jam nullum in nos influxum exercerent, et in perpetua versaremur fluctuatione. Eo magis quod ejusmodi ignorantia voluntaria sit, atque a perduellione et contumacia proveniat.

PROPOSITIO VIII.

Haeretici et schismatici declarati extra Christi ecclesiam sunt

196. Hic non loquimur, ut ipsa propositionis enunciatio indicat, de iis qui in haeresi vel schismate ignorantia invincibili seu, ut ajunt, bona fide versantur. Hos siquidem anima saltem seu spiritu ad veram Christi ecclesiam pertinere, ut infantes omnes rite baptizatos, nemo est qui dubitet. Neque pariter loquimur de haereticis aut incredulis, vel occultis, vel nondum ab ecclesia solemni judicio declaratis. Quamdiu enim isti ab ecclesia sejuncti aut expulsi non sunt, ad ejus saltem corpus spectant. Propositio igitur est de illis, qui exterius ab ecclesia divisi sunt, et in separatam ac distinctam ab ipsa societatem aut coetum coalescunt, et quidem per voluntariam ac culpabilem defectionem.

197. Hos autem neque ad animam, neque ad corpus, ut ajunt, ecclesiae, seu nullo modo ad ecclesiam pertinere facile est evincere. Sectarii atque schi-

(1) In opere *Der Katholik und der Protestant*, in quo ea refricat, quae ante ipsum alii dixerunt, atque inter ceteros Baronissa de Staël, in suis *Considérations sur les principaux événemens de la révolution française*, tom. III, p. 15; ubi scribit: « Il n'est aucune question ni de morale, ni de politique, dans laquelle il faille admettre ce qu'on appelle autorité. La conscience des hommes est en eux une révélation perpétuelle, et leur raison un fait inaltérable. Ce qui fait l'essence de la religion chrétienne, c'est l'accord de nos sentimens intimes avec les paroles de J. C.; *et alibi :* Le droit d'examiner ce qu'on doit croire est le fondement du protestantisme. Les premiers réformateurs ne l'entendaient pas ainsi. Ils croyaient pouvoir placer les colonnes d'Hercule de l'esprit humain aux termes de leurs propres lumières; mais ils avaient tort d'espérer qu'on se soumettrait à leurs propres décisions, comme infaillibles, eux qui rejetaient toute autorité de ce genre dans la religion catholique » (*De l'Allemagne par Mad. Staël*, IV part. ch. II, in 12, pag. 13).

smatici, ut superius vidimus (1), sunt veluti totidem rami excisi a magna illa arbore, quam Christus plantavit, ut cresceret usque ad consummationem saeculi, sunt rivuli a fonte separati, membra a corpore recisa. Utpote perduelles, atque in proprio sensu pervicaces contra ecclesiae definitiones, ipsos eadem ecclesia damnavit atque exscidit ab unitate. Ecclesia juxta Christi mandatum eos habet velut ethnicos et publicanos, et cohaerenter ad Pauli aliorumque apostolorum doctrinam et praxim veluti proprio judicio condemnatos et subversos devitat (2), nec ulla ratione cum eis communicat, nec sinit in spiritualibus communicare cum ipsis filios suos. Ergo haeretici atque schismatici voluntarii tam alieni sunt ab anima ecclesiae, quam alienus et extraneus est error a veritate, et divisio et confusio ab ordine et individua unitate; tam sunt alieni a corpore ipsius ecclesiae, ut membrum a corpore abscissum, ut ramus ab arbore avulsus, ut rivulus a fonte divisus, ut rebelles ac refractarii a societate depulsi atque extorres. Hinc sicut nulla est conventio Christi ad Belial, et nulla societas lucis ad tenebras, sic nulla haereticis et schismaticis pars est cum Christo ejusque regno seu cum vera Christi ecclesia.

198. Haec proinde semper fuit et sententia et praxis antiquitatis in revelatione fundata. Christus ipse, ut supra animadvertimus, in Apocalypsi acriter objurgat Angelum seu episcopum ecclesiae Pergami, eo quod pateretur in sua ecclesia quosdam *tenentes doctrinam nicolaïtarum;* et idcirco injungit ipsi poenitentiam (Apoc. II, 15). Apostolus Paulus in Epistola ad Galatas anathema dicit iis, qui docerent diversam doctrinam ab illa, quam ipse tradiderat (Galat. I, 6.). S. Joannes scripsit ad Electam et filios ejus: ***Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis*** (II Joan. v. 10 et 11). Hinc ab aetate ipsa apostolica cerinthiani, ebionitae, etc. jam segregati erant ab ecclesia, Irenaeo teste (3). Cum idem s. Joannes Cerinthum in balneo invenisset: ***Fugiamus***, inquit, ***ne balneum corruat***, ***in quo Cerinthus est veritatis inimicus*** (4); sic B. Polycarpus Joannis discipulus, cum ei obviam Romae venisset Marcion, dicens: ***Agnosce nos***, respondit ei: ***Agnosco te primogenitum Satanae***, ut refert idem Eusebius, qui post hujus facti narrationem e vestigio subdit: ***Adeo religiose cavebant apostoli eorumque discipuli, ne vel sermone tenus miscerentur cum ullo eorum, qui veritatem adulterabant*** (5). Origenes deseruit domum cujusdam matronae a qua aleba-

(1) Prop. IV, corol. 2.

(2) loc. cit.

(3) *Contra haereses*, lib. III, cap. 28. Id etiam aperte affirmat apost. Joannes, qui Epist. I, cap. II, 18 et 19, loquens de haereticis, dicit: ***Et nunc antichristi multi facti sunt . . . ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis***, permansissent *utique nobiscum*, etc. Et s. Hieronymus, ***De scriptoribus ecclesiasticis***, testatur eumdem apostolum, rogatum ab Asiae episcopis, se contulisse ad conscribendum suum evangelium, ut illud opponeret Cerintho aliisque haereticis, et maxime ebionitarum dogmati tunc consurgenti; cons. praeterea Tertull. ***Adv. Marcionem***, lib. III, cap. 8.

(4) Apud s. Iren. loc. cit. cap. 3, et apud Eusebium ***Hist. eccles.*** lib. IV, cap. 14. Verba, quae ab apostolo Joanne prolata refert s. Irenaeus, haec sunt: Φύγωμεν, μὴ καὶ τὸ βαλανεῖον συμπέσῃ, ἔνδον ὄντος Κηρίνθου, τοῦ τῆς ἀληθείας ἐχθροῦ.

(5) Τοσαύτην οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ μαθη-

tur, maluitque pauper ac sine hospitio esse quam ibi diutius commorari, eo quod quidam haereticus ibidem degeret, licet ipsius occursum omni studio effugere contenderet (1). Tertullianus haereticos omnes interrogabat: *Qui estis, et unde venistis*, etc. (2)? Tum: *Edant ergo*, sic eos perstringebat, *origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem* (3). Hinc prodierunt haereticorum catalogi, quos exhibuerunt s. Irenaeus, s. Epiphanius, s. Augustinus aliique ad nostram usque aetatem (4). Ergo haeretici schismatici quavis aetate tamquam omnino ab ecclesia Christi extranei habiti sunt.

199. Cujus rei causa obscura non est. Alioquin enim ecclesia Christi esset commixtio veritatis cum omnibus erroribus atque absurditatibus, quae ab humana ignorantia ac perversitate excogitari unquam possent, prout reipsa excogitatae sunt ab haereticis sive antiquioribus sive recentioribus (5); si cuilibet impune fas esset innovare, jam nullum daretur adjumentum ad cognoscendam atque intemeratam servandam veritatem, quam Christus e coelo detulit, atque ecclesiae suae patefaciendam gentibus omnibus tradidit, dareturque in ecclesia absoluta confusio ac sententiarum perturbatio; in tanta porro opinionum varietate et discrepantia nulla via pateret ad veritatem cognoscendam, anceps quisque esset circa id quod esset credendum vel agendum ad salutem obtinendam, vel cuipiam saltem pro lubito fas esset credere vel agere quidquid sibi bonum videretur. Quae omnia, quam absurda sint et Christo injuriosa, quisque videt; siquidem actum esset de ipsa revelatione.

200. Sequitur autem ex dictis 1. inepte sibi placere protestantes, perinde ac si ad Christi ecclesiam pertinerent, vel ceteros omnes, qui christianum nomen gerunt, eo quod in Christum se credere profitentur. Necesse enim praeterea est, ut pertineant ad unitatem tum fidei tum regiminis, qualem Christus instituit, et ut teneant eam doctrinam, quam Christus per ecclesiam suam homines docuit.

201. Sequitur 2. ex desperatione inveniendi veritatem et ob insitam eorum systemati fluctuationem et perpetuas varietates, protestantes adductos ad hoc

καὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μη δὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινὶ τῶν παραχασσόντων τὴν ἀλήθειαν. Euseb. loc. cit. Haec quidem Eusebius ex Irenaeo *Contra haereses*, lib. III, cap. 3, edit. Maurinorum.

(1) Eusebius *Hist. eccles.* lib. VI, cap. 2.

(2) *De praesc.* cap. 2.

(3) Ibid. cap. 32.

(4) Cons. *Historia haereseon* Bernini; ac postea Petri Paletta S. J. *Storia ragionata delle eresie*, Verona 1797; *Dictionnaire des hérésies*, par M. l'abbé Pluquet; etsi plures in his operibus desint ex recentioribus sectis nuper exortis.

(5) Vere affirmari potest de haereticis cujusque aetatis, quod de philosophis dicebat Tullius, nihil esse tam absurdum, quod dictum non fuerit ab aliquo philosophorum; sic nihil est tam absurdum ac impium sive circa fidem, sive circa mores, quod dictum non fuerit ab aliquo haereticorum, et quidem prout observatum est, juxta germana haereseon principia earumque naturam, quae tota est in substituendo spiritum privatum auctoritati legitimae. Nos, qui brevitati studemus, nonnisi pauca exempla dedimus, sed interea, ex paucis quae adduximus et adducemus, quisque poterit speciem aliquam sibi efformare absurditatum, in quas ducit haeresis natura et principium fundamentale.

fuisse, ut scilicet proclamarent tolerantismum religiosum universalem omnium sententiarum, opinionum ac paradoxorum quarumcumque sectarum, quae eodem innituntur principio independentiae a quavis auctoritate, ejusdemque fructus legitimi sunt (1).

202. Sequitur 3. hanc veram esse causam communis illius odii, quo protestantes, quodcumque gerant nomen, prosequuntur ecclesiam catholicam, quae ipsis numquam cessat objicere verba Christi: *Nescio vos*, neque eos in sua unitate et communione consistere patitur.

203. Sequitur 4. haereticos et schismaticos se quidem ab ecclesia separasse, vel fuisse per eamdem expulsos ab unitate, nec tamen eorum errores ac perduelliones ecclesiae Christi unitatem vel scindere vel laedere unquam potuisse.

DIFFICULTATES

204. I. Obj. Si haeretici vel schismatici in ecclesia non essent, nullam in ipsos ecclesia jurisdictionem exercere posset; atqui ex sententia catholicorum ecclesia veram potest in eos exercere jurisdictionem; ergo.

205. Resp. *D. M.* Si nullo titulo ad ecclesiam pertinerent, *C.* aliter *N.* Jam vero haeretici et schismatici ratione baptismi subditi ecclesiae facti sunt, et cum perpetuus atque indelebilis sit character, quem ipsi ex baptismo receperunt, hinc ecclesia perpetuum atque inalienabile jus habet in ipsos, licet perduelles ac refractarios, quamdiu ipsi in vivis sunt, multo magis quam princeps in subditos suos, licet rebelles contra ipsius auctoritatem.

206. Inst. Ecclesia ipsa haereticos quandoque atque schismaticos e societate sua rejicit atque expellit; ergo.

207. Resp. *D. A.* Rejicit atque expellit, ut puniat et corrigat, atque a contagionis periculo filios suos innoxios servet, *C.* abdicando jus, quod in ipsos habet *N.*

208. II. Obj. 1. Licet sadducaei graviter in fide errarent, 2. ac decem tribus schismaticae essent respectu ecclesiae judaicae, non ideo cessabant pertinere ad veram ecclesiam; ergo a pari, licet haeretici atque schismatici a fide ecclesiae catholicae ejusque unitate discesserint, ad veram Christi ecclesiam pertinere non cessant.

209. I. Resp. ad 1. *D.* Quia nullo solemni judicio fuerunt a synagoga expulsi, ideo pertinebant ad verae ecclesiae corpus, *Tr.* pertinebant ad animam *N.* Erant enim in corpore ecclesiae, prout nunc sunt tot increduli, qui ad ecclesiae corpus pertinent, etsi nullo modo nec illi pertinuerint, nec isti pertineant ad ecclesiae animam. Juvat praeterea iterum referre, quod de sadducaeis habet Josephus Flavius, quod scilicet ceteri judaei illis nullum munus

(1) *Les protestans*, inquit Sismondi, (*Revue encyclopédique*, Paris, Mars 1826, art. *Opinions religieuses*), « n'ont pas toujours bien compris leur propre système; ils n'ont pas toujours senti que l'indépendance des opinions individuelles était l'essence de leurs églises (haeretici enim habent *ecclesias*, numquam *ecclesiam*), ils n'ont pas toujours renoncé à l'uniformité de croyance, et ils ont paru quelquefois embarrassés de ce qu'on leur reprochait leurs variations et les nombreuses dissidences qu'on trouvait entr'eux. Encore aujourd'hui une moitié des protestans, persistant dans la même erreur, combat pour l'unité des doctrines, quoiqu'avec bien peu de chances de l'obtenir, parce que chacun cherche cette unité dans un systéme différent ».

publicum concrederent, nisi publice saltem a corporis morte animas superstites esse profiterentur (1), seu nisi assentirent pharisaeorum sententiae.

210. Ad 2. *D.* Schismaticae erant civiliter seu politice, *C.* religiose *subd.* plerique, *C.* omnes *N.* Plures enim semper fuerunt in decem tribubus, qui mosaica instituta rite servabant, et statutis temporibus Jerosolymam Deum adorandi causa ascendebant, nisi per vim ab hujusmodi officio impedirentur (2); qui vero in decem tribubus idololatriam sectabantur, neque ad animam neque ad corpus ecclesiae judaicae pertinebant.

211. Resp. II. *N. conseq.* et paritatem, quia Christus apertis verbis alium rerum ordinem induxit in ecclesiam suam.

212. III. Obj. 1. Omnes, qui in Christum credunt et habent charitatem erga proximum, sunt veri Christi discipuli, dicente Domino: *Creditis in Deum, et in me credite* (Joan. XIV, 1); tum: *Qui credit in me, habet vitam aeternam* (Joan. VI, 47); et alibi passim; 2. ac rursum: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (Joan. XIII, 35); ergo quicumque in Christum credunt et proximum diligunt, sunt in vera ecclesia Christi.

213. Resp. ad 1. *D. A.* Omnes qui credunt in Christum et credunt ea omnia, quae Christus docuit, et credenda per ecclesiam proposuit, seu eo modo quo Christus vult, *C.* eo modo quo volunt haeretici *N.* Quandoquidem Christus ipse apostolis dixit: *Docentes servare* OMNIA QUAECUMQUE *mandavi vobis* (Matth. ult.); ergo non partem aliquam, et prout unicuique libet. Addo adhuc haereticos ignorare quid Christus sit, utrum Deus scilicet an homo tantum, etc.

214. Ad 2. *D.* Cognoscent an sint *veri* discipuli, et non solum fidei professione, sed et operibus bonis, quorum praecipuum est charitas, *C.* an discipuli *simpliciter N.* Vult enim Christus Dominus discipulos suos cognosci ex bonis operibus, quae fidem commendent. Sunt enim aliqui, de quibus loquitur Apostolus, qui *verbis profitentur se nosse Deum, factis autem negant* (Tit. I, 16); quo sensu etiam dicebat apostolus Jacobus: *Ostendam tibi ex operibus fidem meam* (Jacob. II, 18). Addatur haereticos nec veram hanc charitatis dilectionem habere, nec habere posse. Etenim sine fide nulla vera datur charitas, quae commisceri non debet cum liberalitate, docente Apostolo: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (I Cor. XIII, 3).

215. IV. Obj. Plures interdum in schismate vixerunt, in eoque defuncti sunt, nec tamen ab ecclesia Christi extorres habiti fuerunt, quin etiam nonnulli in sanctorum album sunt relati. Tales fuerunt sancti Meletius et Paulinus antiocheni episcopi, talis Lucifer calaritanus, ac plures ex iis, qui Acacii schismati adhaeserunt; ergo.

216. Resp. *D. A.* Plures, bona fide, atque in dubio de vero ac legitimo episcopo vel Pontifice, *C.* alias *N.* Idem enim dicendum est de schismatibus partialibus quod de generalibus, quando

(1) *Antiquitatum*, lib. XVIII, cap. I, n. 4. En ejus verba: Ὁπότε γὰρ ἐπ' ἀρχὰς παρέλθοιεν, ἀκουσίως μὲν καὶ κατ' ἀνάγκας, προσχωροῦσι δ' οὖν οἷς ὁ φαρισαῖος λέγει, διά τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτοὺς γενέσθαι τοῖς πλήθεσιν.

(2) Atque hinc patet, quam insulse Voltaire in *Questions sur l'encyclopédie*, art. *Prophéties*, dicat plures prophetas fuisse schismaticos.

scilicet Pontifex est dubius, ut supra notavimus. Meletius porro et Paulinus viri sancti erant, et uterque communicabat, saltem mediate, cum universa ecclesia. Lucifer calaritanus vel in unitate ecclesiae defunctus non est, neque inter sanctos ab ecclesia universali recensetur, vel saltem eum ante mortem poenituit, ut aliqui volunt (1). Nulli pariter ex iis, qui Acacii schismati adhaeserunt inter sanctos relati fuere, quin potius Euphemii et Macedonii constantinopolitanorum Antistitum nomina e sacris dypticis expuncta sunt, eo quod Acacii nomen in dypticis retinuerint (2).

PROPOSITIO IX.

Protestantismi origo ac variae phases ipsius arguunt falsitatem

217. Eadem nempe ratione, qua origo, stabilitas ac perpetuitas ecclesiae catholicae, prout superius demonstravimus (3), ejus divinam institutionem invictissime ostendunt, sic origo ac perpetua vicissitudo et successus, quos subiit protestantismus, non minus quam sectae omnes, quae in ecclesia passim excitatae sunt, invictissime ejus arguunt falsitatem.

218. Divinum opus omnes praesefert characteres divinos, quibus facile ab humano quocumque molimine secernitur; talis porro est ecclesia catholica, quae a sua origine semper eadem immutabiliter stetit, semper sibi constans, semper praeseferens divinae adsistentiae, ac divinarum promissionum signa atque argumenta, ut ex iis, quae hactenus dicta sunt, quisque intelligit. *Dei enim perfecta sunt opera ; apud quem non est mutatio , nec vicissitudinis obumbratio* (Deut. XXXII, 4; Jacob. I, 17).

219. Jam vero protestantismus saeculo XVI ortum suum habuit ab apostata Luthero ex aemulatione privata Ordininis, cui ipse nomen dederat; dein incrementum coepit ex pervicacia ac perduellione contra constitutionem Leonis X, qui nefarios illius proscripserat errores. Tunc primum rerum *sacrarum hic restitutor* proclamavit principium protestantismi de absoluta spiritus privati independentia ab ecclesiae auctoritate. Quo principio semel constituto, coepit totum religionis christianae aedificium labefactare, prout ipsi libuit. Rejecit indulgentias, purgatorium, missas privatas, necessitatem bonorum operum, statuit articulum de *sola fide justificante*, sustulit omnia fere sacramenta. Ad haec adjecit Scripturarum corruptionem, expunxit plures libros e censu *hagiographorum* scriptorum, nec tamen in hac re sibi unquam constans fuit; saepe affirmat quod negaverat, negat quod affirmaverat (4), projectus in omnem libidinem, arrogantia tumens, ita ut saepe videatur spiritu satanico correptus (5).

220. Ex eodem protestantismi destructivo principio velut ex equo trojano plures statim proinde *sacrorum emendatores* Zwinglius in Helvetia, Calvinus in Gal-

(1) Vid. Nat. Alex. *Hist. eccles. saeculi* IV, cap. 6, art. 11.

(2) Ibid. *Senec.* V, cap. 3, art. 16, circa finem. Nec non Petrus Ballerinius in appendice ad § 1, cap. 2, operis *De vi ac ratione primatus*.

(3) Part. 1, cap. 4, prop. 1 et seqq.

(4) Vid. *Catechismus christianus D. Martini Lutheri*, ex ejus operibus simul collectus per Ludovicum Upleber, 1744, qui denuo recusus fuit Augustae Vindelicorum anno 1828, cum hac inscriptione: » Diss. Christophori Besold, motiva sui reditus ad rom. cathol. ecclesiam elaborata, translata et edita per P. W. K. appendix secunda ».

(5) Vid. Lessius, diss. cit. cum ejus appendice.

liis, Carolostadius in Germania, Munsterus in Westphalia, etc. qui *emendarunt* suo sensu quod *inemendatum* reliquerat Lutherus, seu verius subverterunt quod intactum adhuc ille servaverat. Sed et isti *novos emendatores* nacti sunt in quakeris, fratribus bohemis, pietistis, herrnhutanis, swedenborgianis, arminianis, et in socinianis, qui rursus dejecti de loco, quem sibi usurpaverant, *emendati* fuerunt ab illuminatis et philosophis, ac demum a rationalistis ac naturalistis. Protestantismus in innumeras prope sectas sive frustula divisus est, quae se invicem non ita pridem damnabant atque anathematizabant (1), ac, quantum poterant, morte mulctabant (2).

221. Donec, ad saniora consilia se recipientes ejusmodi emendatores coeperunt serio secum consulere de foedere ineundo, praesertim inter duas principales sectas lutheranorum et calvinistarum, plures prodiere libri ex utraque parte ad pacem hanc conciliandam (3),

(1) Sic enim, ut diximus, protestantes vocant haeresiarchas saeculi XVI. Simon magus fuit primus *emendator sacrorum*, quem postea tercentum alii subsecuti sunt usque ad Lutherum et Calvinum. Postremum locum inter hos *sacrorum emendatores* obtinent rationalistae, seu potius athei, qui sacra omnia plenissime emendarunt.

(2) Nemo est, qui ignoret Lutherum, Melanchthonem, Bugenhagen, Regium ac theologos Ulmae et Tubingae pronuntiasse, anabaptistas, utpote *haereticos*, posse morte mulctari; ac reipsa Müller, Kraut et Peisker capitis sententiam Jenae subiisse, cooperante Melanchthone notum est; omnes norunt submersiones aliaque supplicia, quibus in Helvetia isti enthusiastae affecti fuerint; Servetum Calvini jussu fuisse igne combustum, Gentilem capite truncatum res pariter notissima est. Poët reformatorum coryphaeus in Galliis decrevit imitandum esse Calvini exemplum in catholicorum supplicio, quod ipse dederat respectu Serveti (isti tamen accusant catholicos intolerantiae!); et sane episcopos, sacerdotes, religiosos catholicos passim ab ipsis morti datos esse, praesertim in rusticorum bello, quod dirigebant reformationis praecones, indubiis monumentis compertum est; vid. Baro de Stark, op. cit. pag. 406 et seqq.

(3) Foederis conditiones, a theologo heidelbergensi David Paraeo, in suo *Irenico*, 1614 propositae, non sine stomacho rejectae sunt a Lutheranis; proponebant autem, ut doctrinae, in quibus ambae sectae a se invicem non discrepabant, fundamentales declararentur, quique hoc inficiaretur *syncretista* vocaretur. Gustavus Adolphus, occasione cujusdam principum conventus, auctor fuit, ut collatio institueretur inter theologos lutheranos et calvinistas anno 1631, in qua confessio augustana velut fundamentum sumeretur, quam reformati, absque propriae doctrinae detrimento, facile admittere potuissent, nihil tamen factum est; prout nihil pariter profuit colloquium in urbe Cassel anno 1661 habitum inter theologos marburgenses et wittenbergenses. Decretum tamen ibi editum est, quo statuebatur, ne propter articulos, de quibus convenire non poterant, se invicem injuriis lacesserent, neve calumniis objurgarent, vel odio prosequerentur, sed unusquisque alterius partis asseclas vera membra *unicae verae ecclesiae* haberet. Haec porro conventio dicta fuit *unio conservativa*; verum theologi lutherani, qui illius participes fuerant, in *syncretistae* notae suspicionem incurrebant. Paria prae se ferebant ea, quae proposuit theol. tubingensis Pfaff in diversis opusculis collectis et vulgatis anno 1723, 2. vol. in 4, quibus titulus: *Gesammelte Schriften, so zur Vereinigung*, etc., seu, *Collectiones ad stabiliendam concordiam*, etc. Utraque pars, aiebat ipse, habet articulos necessarios ad salutem; diligant ergo se ut fratres, et adhuc residuam opinionum diversitatem patienter ferant, ita quidem ut in posterum liberum unicuique sit, *coenam* ex manu lutherani vel calviniani praedicatoris accipere. Hoc vero

ast irrito conatu; saepius instituta sunt colloquia religiosa, praecipue Lipsiae anno 1631, et Maulbruni anno 1654, ast nec ipsa optatum effectum consequuta sunt. Sub saeculi XVIII initium, adnitente vel maxime Borussiae rege, qui Berolini templum pro utraque confessione, ut ajunt, erexit ac dedicavit, denuo tentata pax est, sed obsistentibus lutheranis res infecta cessit. Novi exarati libri ad eumdem scopum obtinendum, ac nova data edicta praesertim a Borussiae rege Guillelmo I, anno 1636, quibus jubebat calvinistas recedere a doctrina de praedestinatione, lutheranos vero a consuetudinibus abstinere, quas adhuc cum religione catholica retinebant; donec Fridericus II anno 1740 sectis omnibus plenam libertatem restituit. Quo tempore etsi nihil directe ad unionem ineundam molitus fuerit Fridericus, attamen longe lateque recentiori philosophia, rationalismo ac naturalismo sese diffundentibus, omnis difficultas sublata videbatur. Sed necdum optatam pacem sunt assequuti. Ipsius successor Guillelmus III, 18. Junii 1798, emisit edictum, in quo proposuit novam liturgiam, qua ambae confessiones uterentur, quin tamen ulli liturgiam illam acceptandi obligationem imponeret; sed et istud edictum nullum alium effectum obtinuit, quam ut scriptores non pauci e grege rationalistarum unionem plenis buccis praedicarent, ac omnibus eam factam esse suaderent. Cum anno 1817 jubilaeum reformationis celebraretur, qui illic sacra moderabantur, die 27 Septembris publice declararunt se optare, ut unio quam primum locum haberet; plura ad illam stabiliendam praescripta sunt, indictae synodi, Berolini aliisque in locis calvinistae et lutherani in eodem templo sacram coenam celebrarunt, ea lege, ut quisque circa realem Christi praesentiam crederet quidvis prius quisque sibi persuaserat, sive panem scilicet, sive reale Christi corpus. Haec unio, quae partialis fuit, *ecclesiae evangelicae* sibi nomen adscivit anno 1818. Synodis nova ecclesiae constitutio proposita fuit, et anno 1820 edita denuo est nova liturgia, quae librum symbolicum unitae ecclesiae constituit, atque omnibus ecclesiis commendata, quae rursum anno 1834 indicta est (1); attamen hoc eodem anno 1834 contra hanc liturgiam scripsit D. J. G. Scheibel (2).

consilium, saltem apud lutheranos, fautores non habuit; ipse Leibnitius et Molanus ei adversabantur. Vid. Amiraldus calvinista, in op. cui titulus: « De secessione ab ecclesia romana, deque pace inter evangelicos in negotio religionis constituenda, 1647, *et dein in* Irenico, *anno* 1662; *Calixtus*, De tolerantia reformatorum circa quaestiones inter ipsos et augustanam confessionem professos controversas consultatio, 1697 »; vid. *Hist. eccles.* D. Hortig, continuata a Joan. Jos. Ignat. Doellinger, sacrae theologiae prof. in universitate Monachiensi.

(1) Sic inita tandem, aliqua saltem ex parte, pax fuit religiosa inter lutheranos et calvinistas, licet tam in doctrina quam in constitutione, quoad res maxime essentiales, differant inter se, ac tam acriter inter ipsos dimicatum fuerit, ut, teste Schroekio, in *Hist. eccles.* vol. IV, pag. 292, a tempore reformationis lutherani majori odio et detestatione insectati fuerint calvinistas quam ipsos catholicos. Quoad unionis seu societatis istius documenta consulatur folium periodicum religiosum, cui titulus: *Der katholik*, id est, *Catholicus*, editum a D. Weiss, Spirae anno 1834, mens. April. fasciculo IV, pag. 1—26; mens Mai. fac. V, pag. 141—181; mens. Jun. fasc. VI, pag. 280—310.

(2) *Actenmaessige Geschichte*, etc. seu, *Historia authentica tentaminis reformatam et lutheranam ecclesiam uniendi per quamdam* agendam *communem*, etc. Lipsiae 1834.

222. Et haec de varietatibus sectarum protestantium in se; ad doctrinam vero quod attinet, et haec, ex principio a Luthero posito de omnimoda independentia spiritus privati ab ecclesiae auctoritate in bibliorum interpretatione, suas conversiones subiit (1). Non pauca dogmata, ut vidimus, rejecerat Lutherus, multo plura rejecerunt ejus discipuli, donec agentibus potissimum gallis et anglis naturalistis et latitudinariis necnon Friderico II, Borussiae rege, ac demum philosophia kantiana, eo deventum est, ut fides omnis ac ipsa etiam religio revelata, si tamen nomen excipias, extincta videatur.

223. Etenim ex systemate kantiano distingui debet religio vera a religione seu fide ecclesiastica. Religio vera est religio rationis, quae sola admitti potest; fides ecclesiastica est fides praestita veritatibus positivae revelationis. Religio revelata nec potest nec debet aliud esse quam simplex vehiculum ad facilius invehendam religionem rationis, quam alio nomine vocat *fidem religiosam*, cujus objectum ex propria cujusque hominis ratione erui potest. Quo purior et universalior fiet fides haec religiosa, sensim sine sensu deficiet fides ecclesiastica. Hinc statutus canon ad exponendas sacras Scripturas, non aliud scilicet in illis esse quaerendum quam solam religionem rationis; reliqua vero non esse nisi involucra vel accommodatitium quid ad vulgi opinionem, quae tunc vigebat, quum scripturae editae sunt, vel ad privatam biblici scriptoris opinionem. Juxta Jacobium ejusque asseclas religio, perinde ac quaevis alia scientia philosophica, in naturali et immediata fide, in perceptione veri et supernaturalis absque probatione, id est in scientia intuitiva consistit; alia, praeter hanc internam, revelatio nec ulla forma externa religionis existit (2). Quo convenit, saltem ex parte, *philosophia identitatis*, invecta a Schelling ejusque discipulo Daub, nec non doctrina de *absoluto*, quod in historia tantum sui conscium (id est personale) sit, et de reditu, qui aliquando fiet omnis separati ad identitatem, adeoque de annihilatione omnis personalitatis (3).

(1) Quae quidem jamdiu praedicta fuerant a Bossuet ac Fenelon inter catholicos, ac Leibnitio inter protestantes.

(2) In lib. *De rebus divinis.*

(3) Dum dicimus ex principio independentiae spiritus privati a legitima auctoritate omnes sectas ortas esse, omnesque errores illos profluxisse, inter quos fluctuant protestantes, non exclusis ipsis rationalismo ac naturalismo, quos affirmavimus fructum germanum esse principii reformationis, duo haec confundere non debemus, quae occasionem querimoniae dederunt protestantibus. Plures enim inter ipsos conqueruntur, catholicos injuste adscribere principiis reformatoris saxonis errores, qui non solum ex illius doctrina non profluunt, verum etiam toto coelo eidem adversantur; Lutherus enim per Adae peccatum prorsus periisse hominis arbitrium autumavit, humanamque rationem penitus obtenebratam; rationalistae autem utrumque rejiciunt, ac rationem sibi solam sufficere obtendunt. Assentimur propterea et nos doctissimo professori Möehler, qui in sua *Symbolica*, pag. 353. primae edit. 1832, adstruit, recentiorem theologiam protestanticam reactionem esse perfectissimam atque completam adversus antiquam, rationemque terribili plane modo se vindicasse de totali oppressione, ad quam eam redegerant reformatores, quae onus praeterea in se suscepit in omnibus contradicendi illorum doctrinae. Ast his non obstantibus, verissimum est, idem esse principium formale praedicatum a reformatoribus, cuique Lutherus et rationalistae inaedificarunt, et cujus ope propugnarunt suas reformationes atque doctrinas. Absoluta oppositio, quam invenimus inter ejusmodi protestantes, maxime evincit falsitatem illius principii formalis funda-

224. Hinc nova prodivit exegesis sacrorum librorum, juxta quam sublata sunt miracula et vaticinia omnia, introducti mythi, adoptatum systema, ut vocant *accommodationis* (1). Eminent in hac schola Paulus Hetzel, Eichhorn, uterque Rosenmüller (2), Koppe, Heinrichs et Kuinoel.

225. Semler oppugnat inspirationem scripturarum, plures libros expungit e canone, Vetus Testamentum in contemptum adducit, opponit religioni exteriori ac publicae fidei ecclesiasticae religionem interiorem et moralem privatam (3). Gruner asserit christianismum, jam sub finem saeculi I, in suis principalibus doctrinis per doctrinam platonicam fuisse corruptum, atque idcirco rejicit christiana mysteria. Eckermann contendit doctrinam Jesu nihil amplius esse quam popularem instructionem ad moralem et rationabilem cultum Dei; insuper evangelia esse corrupta, et apostolicas epistolas falsas continere interpretationes et errores. Henke querebatur de nimis adhuc dilatata *christolatria* tamquam de impedimento magnae et beneficae *revolutionis* in rebus religiosis. Wegscheider, cujus operis dogmatici, quod classicum apud rationalistas audit, saepe in priori hujus tractatus parte mentionem fecimus, supernaturalem revelationem minime necessariam, quin imo impossibilem declarat. Ad eumdem censum pertinent Roehr, Boehme, Schultess, nec non Schott, Bretschneider et de Wette, qui postremus in dogmatibus christianis non aliud videt praeter expressionem symbolicam religiosarum idearum. Utpote omni humanitate expertes, incredibilique arrogantia tumentes, doctrinas christianas aggressi sunt Basedon et Car. Frid. Bahrdt (4).

226. Post haec, non est quod ali-

mentalis, atque necessitatem illius auctoritatis, quae nobis verum praebeat sensum verbi Dei, et proponat, conservet ac semper tueatur divinam revelationem in sua integritate atque in unico suo sensu. Itaque duo haec distingui debent, principium scilicet generale ac fundamentale reformationis a Luthero invectum de independentia rationis ab auctoritate, et peculiare doctrinae Lutheri systema. Systema rationalismi adversantur peculiari doctrinae Lutheri, ideoque ab eo recedit rationalista; quatenus autem hoc systema provenit ex independentia, rationalismus genuinus fructus est reformationis, ut ceteri errores omnes, quos recensuimus.

(1) Cujus auctor videtur Semler, Cons. Hug. James Rose, op. cit. *Sur l'état de la religion protestante*.

(2) Etsi Rosenmüller junior in suis scholiis in libros Veteris Testamenti majori moderatione usus esse videatur, in Daniele tamen, edit. anno 1832, nullam plane temperantiam servavit, sed abjudicat Danieli prophetiam ejus nomine inscriptam, vel saltem suspectam reddit, valde probabile existimans ante annum Christi ducentesimum aut centesimum octogesimum nondum fuisse scriptum volumen, quod Danielis nomine inscribitur. Ad gravissimam vero Christi Jesu auctoritatem, qui, referente Matthaeo (cap. XXIV, 15) et Marco (cap. XIII, 14), praedictionem, quae in Daniele cap. IX, 27 legitur de futuro templi jerosolimitani excidio, Danieli prophetae tribuit, respondet Jesum ex recepta tunc aequalium suorum sententia loquutum esse; de ipsius scholiis tacebo; vid. proëmium § 3.

(3) Recolantur superius relata ex opere ministri protestantis Baronis de Starck.

(4) *Generalis bibliotheca germanica*, ab anno 1768, medium erat sive organum ac vehiculum omnium aptissimum ad omnes ejusmodi impietates disseminandas. Quique alios audacia et impietate superabat, primus habebat, summis laudibus in hac pessima bibliotheca afferebatur. Cum impossibile sit errores, quos isti docuerunt et docent, singillatim persequi, ut aliqua saltem idea habeatur istarum impietatum, placet ea referre, quae scribit

quis quaerat, quid sentiant protestantes, praesertim rationalistae et naturalistae, circa singulos fidei christianae articulos. Satis sit observare nonnullos ex ipsis eo devenisse, ut dicere non erubuerint, Joannem Baptistam et Christum Jesum foedus inter se iniisse, ut alter Praecursoris, alter Messiae personam sustineret (1), et alii scripserint apologiam Judae Iscariotis (2).

protestans Joan. Tremblay, in op. cit. « Considérations sur l'état présent du christianisme » *pag.* 62 : « Plusieurs prédicateurs, *ait ipse*, (en Allemagne) ne nient pas, à la vérité, l'existence de Dieu, la Providence, une vie future, et cependant enseignent publiquement qu'on ne peut proprement rien savoir de ces vérités fondamentales de la religion, représentent non seulement dans les églises mais aussi dans les écoles, comme nulles les preuves de l'existence de Dieu tirées de la considération de l'univers, soutiennent que tout ce qu'on peut affirmer c'est qu'un homme vertueux doit désirer qu'il y ait un Dieu. On sait qu'ils en disent autant du christianisme, et affirment que J.-C. a enseigné la même doctrine, et que la bible ne doit être employée que comme une introduction à la raison pure, puisqu'on ne peut pas plus prouver la révélation que l'existence de Dieu ». Et tamen isti sunt professores in universitatibus et curam gerunt animarum! Cons. praeterea opus cui titulus: *Der Triumph.* etc. seu, *Triumphus philosophiae saeculi* XVIII, Germantown 1803, auctore eodem De Starck, qui edidit *Convivium Theoduli*. Nunc in medium prodeat minister genevensis Chastel, et principii loco statuat: « Qu'on peut distinguer en deux classes les dogmes du christianisme; les uns sont reconnus antérieurement à l'interprétation de l'évangile, et sans eux il n'y a point de christianisme; ce sont les dogmes de l'existence de Dieu, de la mission divine de J.-C. et l'inspiration des écrivains sacrés; nous les appellerons *primitifs*. Les autres dérivent d'une interprétation déterminée de l'évangile, après que celui-ci a été reconnu pour règle de foi ... nous les appellerons *d'interprétation* (*De l'usage des confessions*, etc. pag. 2) »; circa prima dogmata affirmat omnes christianos convenire; quoad dogmata interpretationis asserit convenire catholicos; reformatos vero consentientes esse circa dogmata *primitiva*, dissentientes vero in dogmatibus *interpretationis*. At ex allatis documentis patet falsum esse protestantes et reformatos consentientes esse circa dogmata primitiva, nam et illa destruxerunt. Observat praeterea fidei confessiones non fuisse obligatorias nisi saeculo III, easque causas fuisse divisionum et multiplicationis haereseon. At in hoc dupliciter labitur, quia fides coepit esse obligatoria a sua promulgatione, ut patet ex epistolis apostolorum; et symbolum apostolicum statim obtinuit ab ipsa praedicatione evangelica, etsi daremus non esse confectum ab ipsis apostolis, quod tamen Rufinus cum aliis affirmat; 2. adeo multiplicatae fuerunt haereses duobus prioribus ecclesiae saeculis, ut Hippolitus, Eusebio teste, *Hist. eccles.* lib. VI, cap. 20, secundo saeculo labente, librum scripserit adversus triginta duas haereses; quod ante ipsum jam praestiterant Hegesippus, qui floruit sub Hadriano, et Melito, et Bardesanes haereticorum malleus nuncupatus, apud eumdem, lib. IV, cap. 22. An haec ignorantiae vel malae fidei ministri protestantis vel utrique simul adscribenda sunt?

(1) Ita Becker *Historiae universalis ad usum juventutis*, vol. III, ubi Christum Dominum et Joan. Baptistam velut ferventioris ingenii homines (Feuerkoepfe) traducit, qui ad excutiendum jugum sacerdotum judaeorum, quorum detestabantur superbiam et hypocrisin, post longas deliberationes convenerunt inter se, ut alter Praecursoris, alter Messiae personam gereret. Wieland in *Agathodemon*, Berolini 1799, vocat Christum *nobilem theurgum judaeum*; alibi eum ut enthusiasten traducit, lib. IV, pag. 335 et 355.

(2) Edita est a praedicatore evangelico, qui nititur Christum accusare, quod sibi socium adsciverit Judam, hunc vero ab omni

227. Libros fere omnes, sive veteris sive novi foederis, vel prorsus rejecerunt, vel eorumdem authenticitatem in dubium revocarunt. Quo potissimum tempore protestantismus sibi ecclesiae evangelicae titulum adscivit, ut observat Reinhard, scripturae et evangelii auctoritatem plerique ex protestantibus rejiciebant. Inter libros Veteris Testamenti maxime Pentateucho historica abjudicatur auctoritas; eum Davidis aut Salomonis aetate confectum asserunt Vater atque Gesenius, tamquam epos declaratur a de Wette. Alii, ut Fulda et Nachtigal, universum Vetus Testamentum serius ortum aperte pronunciant. Idem contigit libris Novi Testamenti; Eichhorn omnia evangelia tardiorem habuisse originem contendit; Vogel, Horst, Ballenstedt, Bretschneider evangelium Joannis genuinum esse negant, imo opus cujusdam gnostici illud esse autumant (1). Schleiermacher, Borussiae regis concionator, primam epistolam ad Timotheum Apostolo Paulo abjudicat, Eichhorn utramque rejicit, ac illam praeterea quam Paulus ad Titum scripsit. Juxta hunc auctorem Apocalypsis non est nisi drama, in quo excidium judaismi atque ethnicismi exprimitur; Semler prius eamdem rejecerat veluti furentis auctoris librum. Tria priora Evangelia, Matthaei nempe, Marci et Lucae a communi quodam fonte syrochaldaico, quem *Urevangelium* vocant, hausta fuisse tradunt Lessing, Semler, etc. ac praesertim Kuinoel (2). Quod vero accidit integris libris, a fortiori singulis librorum sacrorum partibus evenit, quarum vix ulla est, quae non traducatur ab uno vel altero tamquam subdititia vel interpolata; nos nimis taederet singula persequi.

228. Interea ex his, quae vix a nobis delibata sunt, sive circa protestantismi originem et vicissitudines, sive circa fructus, quos protulit tum in doctrina, sive theoretica sive practica, sive circa exegesin et criticam sacram, sic argumentum perstringimus. Quod a pessimo atque eversore principio originem ducit, quodque natura sua infert opinionum et sententiarum divisionem et sectas, et eo tendit ut omnem fidem, proindeque religionem omnem revelatam e medio tollat, ac nonnisi ad dubium quoddam universale inducat, et morum corruptionem inferat, certo non potest esse a Deo ejusdem revelationis auctore, et secum fert propriae falsitatis ineluctabilia argumenta, dicente Christo, *non potest arbor bona malos fructus facere .... ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Atqui ex dictis talis est protestantismus; ergo.

229. Atque hinc sequitur 1. divisionem intrinsecam esse atque essentialem protestantismo, nec nisi per quamdam conventionem ac mutuam cessionem posse inter se diversas sectas coalescere, facultatem praebendo, ut unaquaeque in negotio religionis id sentiat, quod unicuique magis lubet, prout factum vidimus in foederatione inita inter lutheranos, et calvinistas, quasi ageretur de latifundio; proindeque unitatem essentialiter opponi naturae protestantismi.

230. Sequitur 2. neminem protestan-

macula purgare suae proditionis. Cons. *Correctiones pro amicis et inimicis catholicismi*, a Joan. B. Pfeilschifter, edit. Offenbachii ad Moenum 1831, pag. 116 et seqq.

(1) Cons. Hughes James Rose, op. cit.

(2) Vid. Joan. Gregorii Rosenmüller *Scholia in Novum Testamentum*, edit. VI, tom. I, in praef., ubi *de quatuor evangeliis*, pag. 2. et seqq., nec non Kuinoel, *Comment. in lib. N. T. historicos*, Lipsiae 1832, vol. I, prolegomena § I, *De origine evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae*.

tium, si principio essentiali reformationis adhaerere velit, habere jus alteri exprobrandi propria sensa religiosa ut impia et absurda (1).

251. Sequitur 3. frustra nonnullos protestantes adhuc gloriari, quod protestantismus habeat pro basi ac regula purum verbum Dei, tum quia seposita ecclesiae auctoritate numquam ipsis constare potest, quodnam sit istud Dei verbum, quum nullus fere sit liber, cujus authenticitas in dubium revocata non sit, et non revocetur; tum quia absque ecclesiae auctoritate numquam ipsi certi esse possunt de inspiratione divina sacrorum librorum, quae pariter vel penitus abjudicata est ab universa scriptura, vel saltem in dubium revocata quoad plures libros; tum denique quia, si verbum Dei pendeat ab interpretatione spiritus uniuscujusque privati, nullus est error, nullum paradoxum, quod non cohonestetur per verbum Dei sic expositum, prout anabaptistae, quakeri, sociniani, methodistae et alii novatores faciunt. Quomodo enim verbum Dei, prout litteris consignatum est, potest regula esse fidei, si tota lis fere semper vertitur circa sensum verbi Dei? Quicumque in judicio lites agitat, legem pro se habere contendit, et nisi judex foret, qui sententiam ferret, nullus unquam liti et controversiae finis esset. Nullus unquam haereticus extitit, qui non jactaret pro se esse verbum Dei, ita gnostici, ita manichaei et ceteri omnes qui non secus ac protestantes in innumeras prope sectas seu frustula divisi sunt, quod pariter contigit arianis, aliisque omnibus sectis ab ecclesia separatis, quae proinde omnes aeque perierunt (2).

252. Sequitur 4. hanc potissimam rationem esse cur tot ex privatis et principibus viris, doctrina et eruditione conspicui, ejusmodi chaos, quod necessario protestantismo inest, animadvertentes, ad ecclesiae catholicae gremium, a quo eorum patres, recesserant, se se receperint, ut in illa conscientiae pacem nanciscerentur, quam frustra inter tot sententiarum varietatem ac fluctus protestantismi quaesierant. Dum contra nonnisi pauci sordidique apostatae, caelibatus ac propriae vocationis pertaesi, ad protestantismum defecerunt aut deficiunt (3).

(1) Sic enim statuit *Revisio protestantica: Notre croyance n'est que la liberté d'examen*, (anno 1825, 4. livraison, pag. 153), et alibi: *Ce principe fondamental du protestantisme est admis aujourd'hui sans restriction* (5. livr. pag. 151).

(2) Gnostici cito in quinquaginta sectas divisi sunt, ipsis fatentibus Moshemio, Clerico, Beausobrio, apud Gibbon, op. cit. lib. 1, cap. 15. Tertullianus, loquens de Marcionitis, dicebat: *Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et marcionitae*. Recensentur novemdecim fidei confessiones spatio quatuordecim circiter annorum editae ab arianis apud Petavium, *De Trin.* lib. 1, cap. 7, n. 13. Et sic ceteris omnibus evenit. Quod attinet ad nostros protestantes, res adeo aperta est, ut ipsimet nunc de hac variatione glorientur. Certe impossibile est, ut ipsi possint confessionem fidei elicere sive communem sive perpetuam; non *communem*, quia juxta ipsos fides est *negotium individuale*; non *perpetuum*, quia eorum religio assimilari potest tabulis metereologicis, in quibus attendendum est ad diem, horam, locum atque atmospherae statum, utrum humidus an siccus, supra vel infra *zero*. Hinc protestantes non possunt dicere nisi: *Ego credo in me, protestor contra ecclesiam romanam*. Cons. epistola data ad redactores Revisionis protestanticae in *Mémorial catholique*, mense Februario, anno 1827.

(3) Innumeri prope sunt nobilitate, doctrina et eruditione insignes, qui ad religionem catholicam ab initio hujus saeculi, tum in Germania, tum in Anglia, Gallia et foederatis

DIFFICULTATES

233. Obj. 1. Etiam ecclesia catholica suas vicissitudines passa est. 2. Fidei definitiones, quas identidem ecclesia catholica emisit, totidem argumenta sunt progressus ac perfectibilitatis systematis, quod adoptavit protestantismus. 3. Quid porro sunt fidei dogmata, quibus gloriatur ecclesia catholica, nisi unius vel alterius Patris istius ecclesiae inventa, vel formulae verborum sine sensu (1)? 4. Cum proinde vera lux non prodierit nisi saeculo XVI, ex illo tempore clariores semper radios emisit ad tenebras dissipandas, quas ecclesia tum decipiens tum decepta effuderat, ac fanatismus et dominandi libido foverant, donec emendatores sacrorum, captivitatis illius vincula solventes, in libertatem et se et nos asseruerunt. 5. Atque hinc ratio eruitur cujusdam inconstantiae atque fluctuationis, quae tum in ipsis tum in primis eorum discipulis interdum conspicitur, circa plures vel pauciores articulos quos retinuerunt, cum nec uno temporis momento potuerint omnes ideas illas deponere, in quibus ab infantia fuerant enutriti (2). Nec est 6. quod rationalismus nobis objiciatur aut naturalismus; si enim res bene perpendatur, rationalismus est proprius ecclesiae catholicae; et caput ecclesiae romanae spectari debet ut verus rationalista; etenim ipse praetendit spiritum suum internum seu rationem suam, intra sui pectoris veluti penetralia, posse per immediatam inspirationem divinam sententias legesque proferre, quae norma sint in rebus fidei, etiamsi desit, vel illi opponatur Scriptura. Item concilia ecclesiae catholicae sint *natura-*

statibus Americae redierunt. Longum esset catalogum texere. A multis annis in Hungaria id animadvertitur, quod singulis annis ex *frigescentibus catholicis* ad religionem protestanticam a 30 ad 40 migrent; contra vero ex protestantibus a 500 ad 600 ad ecclesiam catholicam se conferant; licet provocati protestantes, ut hoc factum negarent altum tamen silentium servarunt. Cons. *Universalis amicus relig. et eccles. et Correspondens eccles.* a D. Benkert Herbipoli (Würzburg) edit. n. 9. 28 Feb. 1834, pag. 10 et seqq. Diximus e *frigescentibus catholicis*, quia verissima est observatio Cl. Comitis De Maistre, hoc discrimen intercedere inter catholicos et protestantes relate ad firmitatem in sua religione, quod quo catholicus innocentioris vitae est, eo tenacius ecclesiae suae adhaeret, et eo magis fluctuat, quo inquinatioribus moribus diffluit; e contra, quo magis protestans vel sectarius corruptus mente et corde est atque in vitia effusus, tanto est firmior in sua secta; et quo integrioribus moribus praestat, eo magis dubitat de veritate suae sectae, et ad religionem catholicam accedit. Et sane ut plurimum, qui ad protestantismum nunc accedunt quinam sunt, nisi perditi quidam apostatae sacerdotes vel religiosi ad omnia vitia projecti? Nempe quod veteribus haereticis solemne fuit, recentioribus etiam familiare est, quod citatus Tertullianus illis exprobrabat, dicens: « Ordinationes eorum temerariae, leves. Nunc neophytas conlocant . . . Nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est » (*De praescr.* cap. 41, edit. Rigaltii). Hoc possem pluribus exemplis illustrare, nisi ageretur de re notissima.

(1) Sic Henke in *Hist. eccles.* cujus iteratae editiones, continuationes et compendia communem plausum, quo apud protestantes fuit excepta, ostendunt. In hujus porro historiae initio statim evangelistae ut mendaces, apostoli vero ut corruptores doctrinae Jesu Christi traducuntur. Huc referuntur pariter historiae dogmatum a protestantibus passim vulgatae.

(2) Ita respondere solent protestantes, cum ipsis objicitur recessus a doctrina emendatorum suorum.

listica, *rationalistica* seu phantastica, quatenus ipsa confirmant proprias sententias, non jam in solo canone infallibili verbi Dei scripti, sed in praetensa ac fallaci illustratione interna et inspiratione Spiritus Sancti, prout potissime concilium Tridentinum se gessit (1); ergo.

234. Resp. ad 1. *Dist.* In disciplina mutabili et accidentali, *Tr.* Vel *C.* in fidei morumque doctrina *N.* Jam enim ostendimus ipsos adversarios nobis ultro dare vel a primo ecclesiae saeculo omnia germina catholicae doctrinae reperiri. Saepius provocati adversarii, ut assignarent epocham mutationis, quam nobis objiciunt, numquam id efficere potuerunt, prout superius ostendimus.

235. Ad 2. *D.* Id est majorem recepti jam dogmatis dilucidationem, ex occasione eorum qui aliquem articulum impugnarunt *C.* per novorum dogmatum introductionem *N.* Nempe ex occasione, qua aliqui receptam in ecclesia doctrinam temerare infami ausu aggressi sunt, ecclesia accuratiori examini subjecit controversum articulum, ipsumque sibi vindicavit per expressam illius articuli definitionem et condemnationem oppositae novitatis. Ita constanter se gessit ecclesia, quod ut obtineret, semper ad vetusta monumenta ac receptam fidem provocavit, ut ex historia conciliorum unicuique constare poterit. Protestantismus contra, per suum perfectibilitatis inventum, unum post aliud omnia fidei dogmata rejecit, donec vel ipsum fidei nomen sustulerit, et tunc demum summam adeptus est, ad quam tendebat, perfectionem, omnia scilicet destruendo (2).

236. Ad 3. Respondeo fidei dogmata esse totidem veritates divinitus revelatas, quas a Christo ecclesia accepit ad posteros transmittendas et intemerate servandas ab edaci novatorum dente, prout, divina ope suffulta hactenus praestitit, ac praestabit usque ad consummationem saeculi, juxta fundatoris sui pollicitationes. Quod attinet ad supposita Patrum inventa, respondeo non esse istam nisi gratuitam adversarii assertionem, omni destitutam fundamento, imo plane contrariam omnibus historicis documentis. En quid de ecclesiae Patribus jam suo tempore scripserit s. Augustinus: *Quod invenerunt in ecclesia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt* (3); et longe ante s. Augustinum Tertullianus dicebat: *Quicumque hac regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri* (4), et ita distinguebat catholicos ab haereticis, qui suis novitatibus antiquam doctrinam ecclesiae catholicae temerare audebant, ut innumera ejusmodi testimonia praeteream, quae impuden-

(1) Sic Ernestus Sartorius, prof. Theol. dogmat. et moral. *Dorpart.* in *Beitraege zur*, etc., id est, *Collationes ad defensionem evangelicae orthodoxiae*, Heidelbergae 1825.

(2) Vadem damus hujus assertionis non suspectum D. Müller profess. Schaffusiae: « Des Théologiens mêmes, *inquit*, se font une affaire de noyer la religion dans un vain déisme, . . . Tous ensemble sciemment ou sans s'en douter tiennent la même conduite, et le langage suivant: déchirons et jetons loin de nous ces liens, qui attachaient à la foi et au devoir nos ignorans et ténébreux ancêtres ». *Vid.* « Recherches hist. de Müller dans ses lettres confidentielles à Briester, » 1801, pag. 41, et pag. 69, 88, ubi citat textus Schroek et Vincentii Lirinensis ad judicium ferendum novi *perfectibilismi* protestantium. *Celui-ci*, inquit De Starck (op. cit.) *est au but, quand il aura atteint l'athéisme*.

(3) Lib. II, *Contra Julianum*, n. 34, tom. x, edit. Maur.

(4) *De praescript.* cap. 37.

tissimi mendacii arguunt adversarium nostrum, qui nonnisi imperitis fucum facere potest. De formula verborum, quam dicit sensu vacuam, satis disseruimus, nec opus est eadem refricare.

257. Ad 4. *D.* Qualis lux nempe jam affulserat simonianis, nicolaïtis, ceterisque haereticorum pestibus, usque ad Lutherum et deinceps, seu a diabolo excitata, *C.* lux quae a Deo sit *N.* Optime Tertullianus: *Sed quaeritur a quo intellectus interpretetur eorum, quae ad haereses faciant? A diabolo, cujus sunt partes intervertendi veritatem* (1). Mirum sane est Christum ecclesiae suae non prospexisse nisi a tempore Lutheri ejusque sociorum perduellionis et apostasiae nec antea cognitum fuisse principium regenerationis per sexdecim integra saecula. Apposite rursum Tertullianus: *Quod apud multos unum invenitur non est erratum sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse qui tradiderunt? Quoquomodo sit erratum, tamdiu utique regnavit error, quamdiu haereses non erant. Aliquos Marcionitas et Valentinianos* (Lutheranos et Calvinistas) *liberanda veritas expectabat; interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot chrismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata* (2). Libertas vero, in quam nos asseruerunt, est solutio ab omni freno et subjectione legis evangelicae divinorumque mandatorum, ita ut neque islamitae tanta licentia, credendi nempe quidquid placet, et faciendi quidquid lubet, utantur.

258. Ad 5. *D.* Id est in destructionis progressu, a quo sive quodam irresistibili conscientiae clamore, sive contraria animorum dispositione detinebantur, *C.* secus *N.* Nimirum ejusmodi *emendatores* vel statim non agnoverunt omnes principii a se constituti pessimas consecutiones, vel nondum satis firmi in impietate ab iis exhorruerunt, atque ut proprium est eorum, qui periculum vident nec pedem a praecipitio retrahere valent, nituntur per incohaerentiam in medio itinere consistere. Ast abyssus aperta erat, impulsum ipsi dederant, eorum discipuli omnem harum consecutionum necessarium nexum sequuti sunt, magisque obfirmati antecessorum exemplo, post varias fluctuationes demum fructus omnes illius destructivi principii collegerunt, quos afferre debebat. Sic cadaver per aliquot tempus lineamenta servat, quae postea, cum corruptum ac dissolutum est, amittit. Sic contigit protestantismo. Bossuet ac Fenelon ejusmodi dissolutionem jamdiu praeviderant atque praedixerant; eventus veritatem ejusmodi praeditionis comprobavit.

259. Ad 6. *D.* Ea nempe ratione, qua datur participatio justitiae cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, aut conventio Christi ad Belial, *C.* alia ratione *N.* Si rationalismus est proprius ecclesiae catholicae, ut impudentissimus auctor affirmat, qui fit, ut ecclesia catholica illum damnet et anathematizet, et rationalistae pejus quam a cane et angue abhorreant ab ecclesia catholica? Nonne hoc est vocare lucem tenebras et Christum Antichristum? Quamquam hic opus non sit plura congerere ad depellendam calumniam, quum vel ipsi protestantes rationalistae ejusmodi invento glorientur; Wegscheider unus ex ejus antesignanis recenset auctores rationalismi, qui omnes protestantes sunt (3). Kantius, a quo potissimum originem

(1) Ibid. cap. 11.

(2) Ibid. capp. 38 et 39, edit. Rigaltii.

(3) Op. cit. Sic enim inter cetera scribit in praefatione: cap. 11, « Omnino progres-

duxit, nonne protestans est? Nonne protestantes ii sunt, a quibus mysticismus et fanatismus prodiere (1)? Porro, si jus suum est cuique tribuendum, teneant protestantes quod suum est; iste est fructus sive effectus illius magnae lucis, quae demum regnum suum adepta est saeculo XVI, et illius libertatis, quam in mundum intulit Lutherus cum ceteris suis *sacrorum emendatoribus*.

240. Atque hinc responsio patet ad id quod subdit idem auctor de Romano Pontifice ac de conciliis ecclesiae catholicae rationalistis, naturalistis, phantasticis, eo quod definitiones edant per inspirationem immediatam sine scripturis et contra scripturas. Cui unquam id persuadere poterit? Numquam Pontifex aut concilia definitiones fidei edunt nisi in verbo Dei seu revelatione divina fundatas, quae pervenit ad nos tum per scripturam tum per traditionem (de qua in tractatu de locis theologicis); nihil sive Pontifex sive concilia de suo obtrudunt, sed testes sunt doctrinae, quam Christus docuit et apostoli tradiderunt, prout supra exposuimus. Aliud porro est divina adsistentia, qua suffulta est ecclesia juxta Christi promissa, aliud illa divina immediata inspiratio, de qua loquitur adversarius, quam numquam sive Pontifex sive concilia sibi vindicant, quum edunt fidei definitiones. Divina inspiratio non tribuitur a catholicis in iis, quae ad religionem pertinent, nisi hagiographis scriptoribus. Sola divina adsistentia tribuitur tum Romano Pontifici ex cathedra, ut ajunt, decernenti, tum ecclesiae sive dispersae sive in conciliis congregatae. Divinae autem adsistentiae nomine designant illam peculiarem opem atque specialem providentiam, qua Deus ita praesto est ecclesiae suae, ut non patiatur illam in errorem labi, quacumque demum ratione id obtineat; verificari enim

sus in litterarum doctrinis . . . effecti *plerosque protestantium ecclesiarum socios* ad altiora quasi scientiae atque culturae templa adduxerunt, unde aliam fidei religiosae formam ac speciem intuentur, quam majoribus nostris pro illius aetatis rationibus licuit ». Et clarius adhuc (proleg. cap. 1, § 13): « Protestantismus autem, *inquit*, quum accurata et subdita librorum sacrorum indagatione nitatur, eorumque argumentum ad verum vitae usum transferre studeat, utrumque autem pro illorum librorum diversa indole, saepius obscura, nisi rationis artisque usu obtineri nequeat, jam ab initio reformationis ecclesiae primis ejus auctoribus hic rationis usus adeo observabatur, ut in ipsa sacrorum emendatione *rationalismi germina* clarissime appareant ». Ac demum ibid. not. *k*, ostendere nititur rationalismi principia fuisse a Luthero posita, et concludit. « Quae cum ita sint, theologi recentiores, qui ad Lutheri exemplum, clarissimisque rationibus ducti ultra libros symbolicos et usum rationis, quem dicunt formalem, sapere tandem aliquando didicerunt, suo jure, sicut Lutherus, recte, uti videntur, neque ideo calumniandi sunt ».

(1) Celeres rationalismi progressus inter protestantes, ejusque aperta oppositio contra quodlibet christianismi principium divisit protestantes in duos, ut ita dicam, ingentes exercitus, in *naturalistas*, qui rejiciunt positivam Dei revelationem, et *supernaturalistas*, qui ipsam admittunt. Qui quidem postremi iterum in duas classes subdividuntur, quarum altera ad unguem sectatur Lutheri placita, admittitque propterea libros symbolicos seu fidei professiones una cum aliqua hierarchica constitutione suarum ecclesiarum, prout in Borussia potissimum viget; altera vero est *pietistarum* seu *mysticorum*, qui libros symbolicos rejiciunt, neque obsequi se profitentur nisi interiori Spiritus Sancti lumini. Pietistae in Germania suae sectae fundatores agnoscunt Philippum Jacobum Sperner, comitem Zinzendorf, Frid. Wanteuville et Spangenberg.

debent Christi dicta : *Portae inferi non praevalebunt adversus eam ;* et : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi ,* aliaque ejusmodi. Si adversarius legisset concilium Tridentinum , reperisset , nullum esse fidei decretum , in quo non referantur testimonia tum ex scriptura tum ex traditione deprompta (1) .

PROPOSITIO X.

Sterilitas Protestantismi in suis missionibus apud infideles novum est ipsius falsitatis argumentum

241. Inter ceteros divinos characteres et dotes , quibus praestat catholica ecclesia, mira ipsius foecunditas in conversione infidelium debet recenseri . Cum enim ipsa missionem a Christo acceperit per ea verba : *Euntes per mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae* ; numquam destitit filios suos in diversas regiones mittere , qui spiritu vere apostolico repleti eas de tenebris infidelitatis ad evangelicam lucem revocarent . Innumeros propterea recenset , qui in ejusmodi ministerio non solum magnos exantlarunt labores , sed et sanguinem profuderunt , ac plures praeterea , qui quovis saeculo tum prophetiae tum signorum dono ditati religionem mirifice propagarunt . Non solum nullum regnum vel provincia , sed nec regio , nec civitas , nec vicus est in toto terrarum orbe , qui ad Christi fidem aliter venerit quam per ecclesiae catholicae operarios. Historia ecclesiastica in suis annalibus quovis fere saeculo aliquam gentem vel regionem refert, quae evangelium amplexa est per operarios a Romanis Pontificibus ad praedicandum missos (2) .

242. Haereticae sectae e contra semper sterilitate a Deo multatae sunt, adeo ut nulla proferri possit gens , quam aliquando ab infidelitate aliqua haeretica secta ad Christi fidem converterit . Hujus sterilitatis conscii haeretici infidelium conversionem penitus neglexerunt , vel animum desponderunt post infelicia tentamina nullosque successus , ac semper ad Christi fideles seu catholicos perver-

(1) Praeclare Vincentius Lirin. in suo *Commonitorio* , n. 32 , scribit : « Christi vero Ecclesia , sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat , nihil minuit , nihil addit , non amputat necessaria , non apponit superflua , non amittit sua , non usurpat aliena . . . . denique quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur ? . . . . Hoc , inquam , semper , nec quicquam praeterea , haereticorum novitatibus excitata , conciliorum suorum decretis catholica perfecit ecclesia , nisi ut quod prius a majoribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturae chirographum consignaret » .

(2) S. Innocentius I. jam saeculo V , epist. XXV. *ad Decentium Episc. Eugub.* scripsit : « Cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias , Hispaniam , Africam atque Siciliam et insulas interjacentes nullum instituisse ecclesias nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes » . Addit autem D. Constant in nota *c*: « Hilarius iis , qui una fidei communione ac societate copulabantur , librum de synodis scribens , cum iisdem Germaniae primae et secundae Britanniarumque episcopus recenset . His si adjungantur variae Illirici provinciae , quas Innocentius epist. XIII , n. 2 , suam in eas vicem Rufo committens , recenset, dioeceseon , quae ad Romanum Patriarchatum attinent, satis accurata habebitur enumeratio » . De Anglia , Hibernia , Scotia , Hungaria , Polonia , reliquisque septentrionalium regionum gentibus , ad Christi fidem conversis Romanorum Pontificum sedulitate subsequentibus temporibus , res vulgatissima est .

tendos studium omne adhibuerunt: *Cum hoc sit negotium illis* (haereticis), ut jam scripsit suo tempore Tertullianus, *non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi, hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur; quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua aedificent* (1). Ac talis constanter omnium haereticorum indoles fuit, talis perpetua eorum agendi ratio.

243. Ac proinde ita se gessit protestantismus. Ab initio reformationis, ut ipsi vocant, de conversione infidelium protestantes ne cogitarunt quidem. Omnes eorum machinationes dirigebantur ad perversionem catholicorum, ad extirpationem antiquae fidei. Licet vero nonnullae protestanticae respublicae classibus instructae essent, et maritimo potirentur imperio, quibus subsidiis uti potuissent ad Christi fidem inter paganos disseminandam, iis uti maluerunt ad catholicas missiones evertendas, ut se gesserunt Batavi, et heu nimis felici successu in Japonia praesertim et Indiis orientalibus! Imo ut protestantes zeli defectum in evangelii propagatione tegerent, declarabant minime per conscientiam licere paganos in sua fide turbare, atque in dordracena synodo objectioni Remonstratentium respondebant: *Qui sine peculiari vocatione et missione paganis evangelium annunciat, haec in eum quadrat Apostoli Petri objurgatio, quod se videlicet rebus alienis immisceat, Deumque tentet, cum sine vocatione tanto se objicit periculo*. Subsequentibus temporibus decanus cantuariensis in oratione habita coram rege Angliae asserebat nemini licere, quin habeat, ut apostoli, extraordinarium mandatum, illudque probare possit, religionem etsi falsam regionis alicujus aggredi, hominesque ab ejus professione contra magistratus voluntatem dimovere (2).

244. Ast perculsi gloriosis catholicorum successibus, demum et ipsi protestantes coeperunt serio de missionibus apud infideles cogitare sub finem saeculi XVII (3). Anno 1647 jam exorta erat quaedam societas in Anglia ad hunc finem, quae a senatu (parlamento) approbata est, tamen nonnisi tardius aliquid profecit. Fridericus IV Daniae rex missionem instituit anno 1706 pro sua colonia Tranguebar in Indiis orientalibus; in Groenlandia vero ab anno 1708 evangelium praedicavit *venerabilis Joannes Egede*. Anabaptistae inchoarunt missiones suas anno 1792. Anglia praesertim sub hujus saeculi XIX initium maxime coepit suum exercere zelum ex occasione missionum anabaptistarum et methodistarum, pluresque ibi institutae sunt societates generales et particulares ad propagandas missiones; ab anno 1807 insudatur convertendis nigris in Sierra-Leone Africae; Societas Britannica nuncupata et extranea bibliorum propagandorum erecta est Londini anno 1804, quibus aliae auxiliares adjectae sunt.

His porro delibatis circa originem et progressum missionum protestantium, expendamus breviter media, quibus ad finem oblinendum ejusmodi societates usae sunt, deinde successum et fructum.

245. Jam vero si spectemus *numerum* missionariorum protestantium, con-

(1) *De praescrip.* cap. XVII.

(2) Cons. *Hist. eccles.* D. Hortig continuata a Joh. Jos. Ignat. Doellinger, sac. Theol. Doct. et Profess. ordin. in universitate Monachiensi.

(3) Dixi *demum*, nam notum est missionem anno 1536 a Genevensibus tentatam non fuisse nisi abortivam.

stat ab anno 1824 societatem ecclesiae anglicanae 419 missionarios permanentes habuisse (1). Eodem anno methodistae numerabant 623 (2). Hae duae proinde societates jam tunc suppeditarant 1042 operarios. Nunc supputatione instituta ad ceteras societates, quas mox recensebimus, in sola Anglia haberemus 3442 emissarios; ex America societates, quae illic sunt, miserunt ad missiones saltem 1000 concionatores; itaque, non computatis missionariis, quos protestantes regiones suppeditarunt, habemus summam 4442 (3). Licet vero missionarii societatis propagationis evangelii teneantur juxta tenorem diplomatis, dati 16 Junii 1801, prospicere instructioni coloniarum anglicanarum, cui tribuuntur 122 missionarii ac 96 ludimagistri, attamen certum est, hos ipsos debere operam navare conversioni infidelium.

246. Si vero spectemus *numerum* societatum, quae pecunias ac libros quotannis subministrant ad opus conversionis infidelium, inveniemus ex Anglia, Statibus Foederatis Americae, Gallia, Germania, Hollandia, Helvetia ac regionibus septentrionalibus XIX societates principales, quibus aliae quatuor addi debent institutae ad distribuenda *biblia*, *tractatus religiosos*, *libros precum et homilias ecclesiae anglicanae* (4). Unaquaeque vero ex his societatibus suas habet numerosas veluti minoris gentium sodalitates, quas vocant auxiliares; in sola Gallia 200 numerantur, in Anglia vix numerari possunt. Scopus harum societatum est, pecunias ac libros subministrare missionariis, qui conversioni infidelium dant operam. Porro hae societates jam ab anno 1824 subministrabant singulis annis 1,715,500 nummos scutatos (francos circiter 9,263,700), id est, 4700 (francos circiter 18,800) in dies singulos (5). Cum vero missionarii adhuc conquererentur de ejusmodi stipendio quasi nimis exiguo, reditus seu proventus annui societatum jam ascendebant ad 3,431,000 scutatos (franc. 18,527,400) (6). Societas biblica innumera exemplaria s. Scripturae, in omnia fere idiomata ac dialectus conversae, quotannis distribuit ope suorum publicanorum et viatorum, qui veluti totidem missionarii spectari debent. Anno enim 1830 solo distribuit 632,676 exemplaria Novi Testamenti (7). Et hoc medium censetur aptissimum ad conversionem infidelium.

247. His addantur subsidia externa, quibus abundant missiones protestantes, nempe favor, qui vel a magistratibus vel

(1) Vid. eruditam dissertationem Cl. D. Nic. Wiseman, rectoris collegii Anglorum in alma hac Urbe, et prof. linguarum orientalium in Archigymnasio Romano, quam prius recitavit in academia religionis catholicae, postea typis vulgavit Romae 1831; ex qua pleraque documenta, quae hic recensentur, desumpsimus, et quae interea proferimus, ut videant protestantes, in quorum manus haec dissertatio non venit, quibus fundamentis ea, quae hic traduntur, nitantur.

(2) *Quarterley Review journ.* 1825, p. 29 et *Christian register*, in quo solum numerantur 210.

(3) *Nouveau journal asiatique*, Paris 1828, tom. 11, pag. 29, computat 5000 missionarios.

(4) Jowett *Christian researches in the mediterranean*, 3. edit. Lond. 1824, pag. 318.

(5) *Quarter. Rev.* pag. 29.

(6) Qui calculus valde moderatus est *Ephemerides* enim *asiaticae* Paris. 1828, tom. 11, pag. 32, illi addunt vicies centena millia libellarum gallicarum.

(7) *Christ. regist.* eodem anno Londini vulgatum.

legibus tribuitur (1), apparatus moderatorum ac omnis gradus magistratuum, publicarum ephemeridum, doctorum virorum, etc., opes et commoda quibus ejusmodi missionarii obruuntur (2), regiones, in quibus ut plurimum commorantur, quae ad Britanniam pertinent; quod si barbaros ac silvestres penetrare interdum tentant, semper armatis provinciae praesidiis utuntur, praemia distribuunt cum magna pompa ac apparatu suis alumnis in scholis, quas gratis aperiunt (3), adeo ut vere scribere potuerit D. Buchanan magnus missionum fautor: *Nulla gens christiana unquam campum tam extensum habuit ad propagationem fidei christianae*, *qualem nos habemus ex influxu, quem exercemus super centum milliones incolarum Indostan. Nulla unquam natio tot commodis abundavit ad dilatationem suae religionis, qualia nobis offeruntur inter gentes, quae nullam opponunt resistentiam, quae obtemperant libenter miti imperio nostro, quae reverentur principia nostra, et dominationem nostram velut benedictionem aestimant* (4). Talia igitur sunt media, talia subsidia ac commoditates, quibus protestantes instructi sunt ad disseminandam evangelicam doctrinam apud infideles. Restat ut videamus, quo successu ac fructu opus istud perficiant.

248. Ex confessione ipsorummet protestantium fautorumque harum missionum, ejusmodi fructus post tot labores et tot impensas nullus aut fere nullus omnino est; vix enim numerant nonnulla individua (5), quae commodioris vitae illecebris inducta sunt, vel quia depulsa a propriis contribulibus. Ipsimet missionarii animum despondent ob invictas et insuperabiles difficultates, quas in conversionibus ubique offendunt; omnes fere missiones in statu decrementi inveniuntur, nonnullae penitus perierunt. Relationes horum missionariorum fere semper reticent conversiones factas, et sese extendunt ad exaggerandam *meliorem spem* in futurum. Si interdum numerum individuorum recensent, statim ab aliis mendacii arguuntur. Et haec non in una vel altera mundi parte, non ab una vel altera secta, sed idem omnino plenus defectus reperitur ubique terrarum, ubi isti missionarii, cujuscumque demum confessionis seu sectae, appulerunt et operam impenderunt ad infidelium conversiones, adeo ut auctor historiarum missionum protestantium non dubitet his verbis narrationi suae finem ponere. *Sub finem hujus libri*, *cujus*

(1) Societas propagationis evangelicae anno 1819 a Georgio III litteram regiam, ut vocant, impetraverat, qua praescribebatur stipes expetenda in universo regno, collegitque scutata romana 283200. *Christian remembr.* vol. XI, Lond. 1829, pag. 50.

(2) Quilibet stipendium annuum percipit scutatorum 1132 (fr. circiter 6112); quod si uxorem habeat, augetur aliis scutatis 188 (fr. circiter 1015); quod si filios habeat, alia 94 (fr. circiter 508) adduntur in singulos filios. *Report of the society*, London 1829, pag. 195—197.

(3) *Report.* ibid. anno 1826 et 1827, pag. 51.

(4) *Memoirs on the expediency of an ecclesiastical establishment in british India*, by the rev. Claud. Buchanan D. D. 2 edit. Lond. 1812, pag. 48.

(5) Cons. cit. diss. sectione quarta, ubi recensitis missionibus anglicanis in Indiis orientalibus missionibus anabaptistarum et independentium in iisdem regionibus, omnium sectarum in India et Australasia, in America circa servos, in Mediterraneo, inter Calmuchos, atque ex confessionibus eorum ipsorum, quorum maxime interest earum fructus patefacere, adductis certissimis documentis, ostendit nullum vel pene nullum esse istarum missionum omnium fructum.

erat scopus enarrare propagationem christianae religionis, animos omnino desponderemus, si nostrae religionis propagatio penderet a successu operum, quae hactenus suscepimus, quaeque in his voluminibus descripsimus (1). Non minus aperta est confessio quam D. Bickerseth, qui erat a secretis societatis missionariae, apud ecclesiam anglicanam exhibet in sermone quem habuit anno 1823, ad novos socios Eboraci cooptandos: *Decem priorum annorum decursu*, ait, *societas numquam notitiam habuit vel unius individui, quod ab idololatria transierit ad christianam religionem* (2). *Post viginti annorum labores*, alibi dicitur, *felix successus praesens et visibilis non est certe criterium quod labores nostri, Deo accepti sint* (3), ut alia innumera prope monumenta ejusdem tenoris omittam (4). Quare his annis gubernium anglicanum, cui cordi est conversio coloniarum suarum, omni spe destitutum, ut videtur, alicujus successus missionariorum protestantium, promovit, saltem indirecte, catholicorum missiones; adeo ut vere affirmari possit, protestantes tot missionariis, tot impensis, tanta bibliorum diffusione nullum alium fructum tulisse, praeter hunc, quod nempe catholicorum missiones vel everterunt, vel exturbarunt, vel earum successus quoquomodo impedierunt, qui semper praecipuus ipsorum scopus et finis est.

249. Contra vero missionarii catholici ut plurimum absque ullo praesidio regum aut magistratuum, pecuniis aliisque humanis facultatibus destituti, soli se conferunt ad efferatos ac silvestres populos, inter continua ac praesentia pericula vitae amittendae quocumque penetrant, atque ubique uberrimos fructus ferunt. Solus s. Franciscus Xaverius ultra decies centena hominum millia sua manu sacro baptismate tinxit, plures principes ac reges ad religionem christianam adduxit, ubique ecclesias aedificavit, quae adhuc consistunt, non obstantibus atrocibus Batavorum aliorumque haereticorum persecutionibus ac conatibus ad eas evertendas. Atque ut ad recentiores missiones veniamus, etiam omissis quae spectant ad Paraquariam, de quibus egregie scripsit Muratorius (5), Brasiliam, Novam Franciam, sive Canada etc. postremis etiam hisce annis plures missionarii in Virginia, apud Iroquenses aliasque septentrionalis Americae silvestres gentes felici exitu laborarunt, ibique adhuc operam suam impendunt (6), et plura hominum millia ad evangelicam lucem venerunt ac veniunt. Ubique expetuntur ab iis apud quos olim conversati sunt, et unde postea ab Europeis fuerunt ejecti (7). Nuper praeterea ipse praeses, licet protestans, provinciarum foederatarum in America promovit ejusmodi missiones catholicorum, quae jam magnam fructuum copiam producunt. Idem dicatur de missionibus catholicis apud Indos orientales; D. Buchanan fatetur paucorum annorum spatio non obstantibus diris persecutionibus in insula Ceylan auctum esse numerum catholicorum ad 50,000, dum missiones protestantium omnino defecerunt (8). Eumdem habent exitum missiones sinen-

(1) *Month. rew.* 1817, p. 252.

(2) *York Herald*, may 1823.

(3) *Report of P. C. K. soc.* Lond. 1829, pag. 43.

(4) Quae videri possunt cit. Diss. sect. IV et V.

(5) *Il cristianesimo felice nelle missioni del Paraguay*, Venezia 1743.

(6) Vid. *Lettera del Padre Carlo Vanquickenborne della compagnia di Gesù*, 10. Marzo 1829, edita in *Amico d' Italia*, vol. XVI, pag. 165.

(7) Ibid.

(8) *Brist. critic.* Jun. 1828.

ses; etsi vix unquam ibi quieverit persecutio, attamen ab anno 1800 ad 1827 numerantur 22,000 baptismate initiati in sola provincia Sucinen (1), atque ita non dissimili fere modo augentur in aliis provinciis ejusdem imperii Kansii et Kaukowan, Zokien et Kiansi, Canton et Kouansi, quae excoluntur a religiosis diversorum Ordinum vel a sacerdotibus saecularibus; idem successus in provinciis Thibet, Tunkini, in regno Cocini, Siamensis, etc., et ibidem pariter conatus protestantium irriti omnino sunt, ita ut ne unum quidem hactenus ad religionem christianam adduxerint. Quidam protestans Scotus ex India reversus, *Neminem novi*, inquit, *exceptis missionariis catholicis, qui operetur conversiones* (2). Et haec delibasse sufficiat ad ostendendum ex confessione et factis ipsorum protestantium discrimen ingens inter fructum ac exitum missionum catholicorum et acatholicorum (3) ubique gentium et quovis tempore.

250. His constitutis, sic argumentum nostrum perstringimus: Ubi vis naturalis est maxima, effectus autem minimus, et ubi vis naturalis est minima, effectus autem maximus, ejusmodi effectus a causa seu vi naturali repeti nulla ratione potest; atqui ex demonstratis aliisque quamplurimis, quae brevitatis gratia praetermisimus et afferri possent, constat, omnibus perpensis, ex parte protestantium vim seu causam naturalem maximam esse, sive numerus missionariorum spectetur, sive subsidia, sive commoda, etc., minimam vero ex parte catholicorum, effectum vero contrarium omnino tamen produci, minimum scilicet ac pene nullum ex missionibus protestantium, maximum vero et perennem ubique locorum ex missionibus catholicorum; ergo hujus discriminis ratio a causa supernaturali repeti debet; quia nempe soli ecclesiae a Christo ipsius fundatore dictum est: *Euntes docete; Sicut misit me Pater et ego mitto vos; Ego posui vos, ut fructum afferatis, et fructus vester maneat; Faciam vos fieri piscatores hominum; Ecce ego vobiscum sum*. Contra vero haeretici non sunt *de genere virorum illorum, per quos salus facta est in Israel;* de ipsis scriptum est: *Nescio vos; Non novi vos; Discedite a me operarii iniquitatis; Scribe virum istum sterilem;* seu, quod idem est: Eadem ratione qua jugis foecunditas ecclesiae catholicae est argumentum ineluctabile divinae ipsius institutionis ac jugis divinae protectionis, ita sterilitas protestantismi in suis missionibus apud infideles novum est ipsius falsitatis argumentum. Quod erat demonstrandum.

251. Atque ex his sequitur 1. imputationem illam *proselytismi*, quam toties protestantes catholicae ecclesiae objicere solent, praeclarissimum esse testimonium foecunditatis et gloriae ejusdem ecclesiae, ac nullius spei incredibilisque sterilitatis quae inest sectis omnibus protestantibus; proinde ipsae cum videant irritos ac inanes esse suos omnes conatus et infelicem exitum suarum missionum, invidia quodammodo tabescunt, et illud crimini vertunt ecclesiae catholicae, quod ipsae attingere, licet maxime velint, omnino non possunt (4).

252. Sequitur 2. protestantes, si fun-

(1) *Annales de l' association de la Propagation de la foi*, Lyon 1830.

(2) Ibid.

(3) Cons. Wiseman, diss. cit.

(4) Hic juvat recensere media, quibus utuntur protestantes, qui accusant catholicam ecclesiam *proselytismi*, ad proprias sectas augendas, seu potius procurandam defectionem ab ecclesia catholica, vel, si agatur de infidelibus, ad impediendum, ne ad eam veniant: 1. Jubilaeum reformationis. 2. Anniversarium reformationis festum. 3. Missiones apud infi-

damentali atque essentiali reformationis principio de omnimoda spiritus privati independentia religiosa in rebus fidei adhaerere velint, nec posse missiones instituere apud infideles. Si enim unusquisque jus habet ex sacris litteris sibi cudendi religionem, non possunt ipsi nisi biblia porrigere, ac dicere pagano: Hinc tibi effinge religionem, cave tamen ne filiis tuis tradas ea quae didicisti, cum eodem jure et ipsi fruantur sibi propriam cudendi religionem. Addo nec posse ipsos affirmare volumen, quod tradunt, verbum Dei purum continere, cum uniuscujusque pariter sit, non solum judicare de sensu sacrae scripturae, sed ex eodem principio praeterea expendere quinam libri genuini sint, quinam divinitus inspirati, num integri sint, num aliquid adjectum eis fuerit vel detractum; alioquin contra proprium principium examinis se gererent, et propria auctoritate imponerent infideli; cum notum sit ex dictis, plures protestantes hunc vel illum librum, hanc vel illam alicujus libri partem rejicere, negare divinam inspirationem, etc., et quidem ex principio fundamentali protestantismi. Quae cum ita sint, quin protestantismi essentiam destruere velint, nequeunt haeretici vel unam operari conversionem.

253. Sequitur 3. societatem biblicam, dum sacra volumina diffundit ad conversionem infidelium, destruere principium essentiale protestantismi, et praeterea nocere causae propagationis evangelicae; quia etiam caeteris omissis, cum infideles idonei per se non sint ad intelligendam scripturam, scandalum potius ex diversis ibidem contentis narrationibus patiuntur, et graviter offenduntur, quo fit ut animum magis avertant a religione christiana, ut reipsa passim evenire apud Indos abbas Dubois, qui per annos XXX missionibus illis operam navavit, testatur et factis luculentissimis ostendit (1).

254. Sequitur 4. ingentem illam pecuniae copiam, quam undique corrogant quaestores societatum protestantium ad missiones promovendas, non esse, ex confessione ingenuorum nonnullorum protestantium, nisi totidem latrocinia ac simplicium deceptiones, qui dum sibi blandiuntur cooperari magno operi conver-

deles, et juxta professorem Elvers, ad impugnandum catholicismum (saltem aliquando verum scopum suum confitentur). 4. Instituta ad convertendos judaeos, ad quod opus ab una tantum ex societatibus londinensibus quotannis 9000 nummi scutati (*thalari*) impenduntur. 5. Societates biblicae et propagationes, quibus addi debent innumeri emissarii ubique locorum, qui causam protestantismi vel clanculum vel aperte omni conatu promovent. 6. Studium occupandi cathedras in catholicis universitatibus et scholis. 7. Domicilium in regionibus catholicis et publicum ibidem exercitium sui cultus. 8. Distributio tractatuum et editiones librorum, in quibus doctrinae distinctivae catholicorum (difformatae, ut supponitur,) et protestantium non sine strepitu traduntur; bibliothecae librorum protestantium, quae omnibus patent. 9. Incitamenta et exhortationes ad amplectendam religionem protestantem. 10. Theoretica confirmatio proselytismi. Quidam protestans, Thomas nuncupatus, appellat ad Jesum, ad Apostolos, praesertim Paulum, ad reformatores saeculi XVI et ad missionarios evangelico-christianos, qui proselytismum commendant et confirmant. 11. Matrimonia mixta inter protestantes et catholicos, quae illi summo studio promovere satagunt in regionibus praesertim catholicis. 12. Innumerae prope ephemerides, in quibus agitur de religione, adeo ut ipsorum theologia possit dici theologia ephemeridum, prout notavit de Starck. 13. Demum calumniae, dicteria, etc. quibus putide religionem catholicam ubique insectantur; et tamen quotidie deficiunt, et ecclesia catholica propagatur et crescit.

(1) *Lettres sur l' état du Christianisme dans l' Inde*, par M. Dubois.

sionis infidelium et dilatationis verbi Dei, pecuniam suam non erogant nisi ad alendam seductorum cupiditatem, qui non possunt conversionem paganorum promovere nisi subruendo fundamentum essentiale et constitutivum protestantismi (1).

255. Sequitur 5. nec veram neque christiana denominatione dignam eam professionem esse, quae si sola obtinuisset, mundus paganus adhuc in tenebris esset suae superstitionis, cujusmodi esse protestantismum ostendimus, spectata ejus intrinseca impotentia annunciandi ac disseminandi religionem christianam. Quin imo neque subsisteret ipse protestantismus, qui non secus ac haereses omnes non prodiit, nisi ex catholicorum quorumdam seditionibus ac perversione. Quod jamdiu significaverat Tertullianus testimonio supra adducto: *Quoniam et ipsum opus eorum* (haereticorum) *non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua aedificent*.

DIFFICULTATES

256. Obj. 1. Falsum in primis est, missiones protestantium ea sterilitate laborare, quam fingunt catholici, sed ubique florentissimae sunt. Anno 1830. proselyti religionis wesleianae seu methodisticae jam ascendebant ad 39,000; proselyti vero societatis propagationis evangelii in partes exteras numerabantur eodem anno 6043; et ita porro quoad ceteras societates (2), praesertim 2. fratrum Moravorum. 3. Quis ignorat felices successus missionum Ziegenbald, Schulze et Schwartz? 4. Addatur ejusmodi successus adhuc non esse nisi certum argumentum ulteriorum progressuum. 5. Quod si vel una anima salva facta esset, nonne tot labores ac impensae satis bene erogatae fuissent (3)? Notum praeterea est 6. missiones protestantium plurimum impediri a missionariis catholicis, qui ubique animos christianorum et infidelium commovent adversus nos, quos propterea nec recipi patiuntur; quid mirum proinde, si missiones protestantium non omnes adhuc fructus pariant, quos sperare liceret absque hujusmodi impedimento? ergo.

257. Resp. ad I. *D.* Supputatis proselytis vel secundum numerum bibliorum quae distributa sunt, vel secundum numerum discipulorum qui aut scholas aut aliquam congregationem frequentant, *C.* proprie dictis *N.* Admissis itaque exaggeratis ac saepe falsis missionariorum protestantium relationibus, illud serio est animadvertendum, nempe eos solere numerum seu censum proselytorum instituere ex numero bibliorum quae distribuunt (4). Haec tamen ratio computandi falsa est; plures enim, imo plerique volumen bibliorum accipiunt, ut illud dein adhibeant ad varios usus domesticos, amiciendi ex. gr., ut dicam cum Horatio, *et piper et quidquid chartis amicitur ineptis* (5); ita ut, innumeris distributis bibliis, nemo christianus fiat. Tum etiam, ut magnum faciant numerum suorum proselytorum, solent inter hos ac-

(1) Fol. period. anglicanum protestans *Age*, 7. Sept. 1831, vocat hos *Latrones immanes*, et *pessimum genus daemonum terrestrium*, *sycophantes*, etc.

(2) *Christ. regist.* an. 1830.

(3) Vulgus enim deceptum cum nihil aliud pro regno Dei facere velit, sibi maxime placet, si, data singulis annis exigua pecunia, sibi blandiri potest, se cooperari magno operi conversionis paganorum et dilatationis verbi divini.

(4) Vid. Wiseman, diss. cit sect. v.

(5) *Nouveau journal asiatique* 1828, tom. II, pag. 40.

censere discipulos, qui eorum scholas frequentant (1); quae pariter supputatio falsa deprehenditur, eo quod ejusmodi discipuli vix schola abscedunt, ut illico ad idola sua redeant atque illudant magistris suis, a quibus interdum et victum et donaria accipiunt (2). Tum denique in proselytorum censum referunt eos omnes, qui ipsorum congregationibus adsistunt (3); et tamen compertum est, plerosque iis non adesse nisi rei novitate et curiositate permotos, tum ut irrideant concionatorem; vel ut eorum subsidiis pecuniariis perfruantur (4), quae ubi cessaverint, cessat proselytorum numerus ac penitus evanescit. Tales sunt triumphi ejusmodi missionariorum, talis exitus biblicae societatis! *Risum teneatis amici*.

258. Ad 2. *D.* Id est in opificiis et coloniis instituendis, *C.* in convertendis infidelibus *N.* Nempe istiusmodi fratres Moravi, adeo celebrati in missionibus Sareptae, non eunt nisi ad proprium lucrum, atque ad instituendas colonias, ad promovendam industriam, minime vero ad novos christianos efformandos, ut testatur Klaproth, testis oculatus (5). Omni effectu missiones ad radices Caucasi institutas caruisse fatetur Henderson (6). Quare Alexander Russiarum Imperator anno 1822. tum Moravorum missiones in Sarepta tum nonnullas alias omnino de medio sustulit; hinc penitus perierunt, ut aliae plurimae (7).

259. Ad 3. Resp. omnibus nota esse quae plenis buccis protestantes ab initio de istorum missionibus in Tranguebar, Trichnopoli, Tanjore ac Travancor praedicabant, adeo ut episcopus protestans Heber, ut refert D. Robinson, dicere soleret: *Ibi subsistere vim causae christianae in Indiis*, ac nullibi se adeo florentem vidisse christianismum. At postea compertum est post quinquaginta annorum labores, concurrentibus pluribus adjunctis politicis, septem millia fuisse filiorum spiritualium a Schwartz relicta, si fidem damus eidem Geor. Heber, qui postea adeo imminuti sunt, ut vix vestigia supersint illius celeberrimae missionis, et anno 1826 quinquaginta candidati fuerint in ecclesia Tanjore, ubi ille pseudo-apostolus sepultus est. Quid de reliquis dicemus (8)?

260. Ad 4. *D.* Certum argumentum progressuum, quos sibi et mens et desiderium effingit, *C.* qui jure ab antecedentibus expectari possint; omnino *N.* Jam enim ostendimus ex monumentis ipsorum protestantium irritos cessisse omnes eorum conatus; quare, si ex praeteritorum laborum exitu conjicere licet sortem futuram, affirmare procul dubio possumus, nullam illis inesse posse spem felicioris exitus. Plantatio enim, quam non plantavit Pater, ut verbis utamur Ignatii Mart. (9), vitae fructus edere non potest. Nunc addimus, hanc fraudem communem esse apud hos missionarios

(1) *The history, design. and present state of the religions*, etc. *by the British in Calcutta and its vicinity* 1824, pag. 217 et seqq. Anno 1831, jam distributa erant a societate biblica 12,000,000 bibliorum exemplaria in 143 linguas conversa.

(2) Ibid. tom. III, pag. 399, nec non *Report*, etc. pag. 211.

(3) *Register*, p. 85 seqq.

(4) *Memoir of the rev. Henry Martyn.* edit. 8. Lond. 1825, pag. 279387.

(5) *Voyage au Mont Caucase et en Géorgie*, Paris 1823, tom. I, pag. 261.

(6) *Voyage dans la Russie Méridionale*, Paris 1826, tom. II, p. 870.

(7) V. Wiseman, diss. cit. pag. 85 et seqq.

(8) Ibid.

(9) Epist. *Ad Philadelph.* cap. 3.

protestantes, qui cum non possint in suis relationibus exhibere fructum determinatum laborum suorum, ad decipiendos emungendosque incautos, toti sunt in magnificanda spe fructuum, quos jamjam percepturi sunt, etsi tamen eos numquam colligant (1). Optima profecto agendi ratio, et horum apostolorum digna.

261. Ad 5. *D.* Quae tamen longe facilius sine ipsis salva fieri posset, *C.* per ipsos *N.* Verendum nempe est, ne iis congruant verba Christi: *Vae vobis .... qui circuitis mare et aridam, ut faciatis* unum proselytum; *et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos* (Matth. XXIII, 15). Notum est enim, plerosque ex ejusmodi proselytis ad evangelicam professionem venire, ut liberius vivant, ut jugum servitutis excutiant, plures (si sermo sit de missionibus quakerorum et methodistarum) cooptari in christianorum coetum absque baptismo, interdum eucharistiam ipsis porrigi confectam in liquore, quem *rhum* vocant, quique illic minoris quam vinum prostat, et quidem aqua dilutum, etc., et eos adeo flagitiosae vitae ut plurimum esse, ut ab ipsis magistratibus protestantibus excludantur isti proselyti ab officiis publicis (2). Jam praeterea observavimus, ejusmodi missiones impedimento potius esse veri christianismi praedicationi ac dilatationi.

262. Ad 6. *D.* Impediri apud exteras gentes, *Tr.* apud gentes quae subsunt ditioni protestantium *N.* Itaque observo in primis optime fungi officio suo missionarios catholicos, dum sedulam dant operam, ut suos greges a lupis avertant; praeterea non a missionariis catholicis, sed ab ipsis locupletioribus agrorum possessoribus, non naturam, ut ajunt, sed quakeros praedicatores et methodistas expelli furca, ne servos ad fugam ac rebellionem adducant, imo et a civilibus magistratibus, ne deteriores fiant coloniae per istorum praedicationem. Ceterum missiones protestantes etiam in regionibus, in quibus favore ac protectione regum utuntur, quotidie in pejus ruunt (3). Deinde si desiderio martyrii flagrarent hi novi apostoli, absterreri nulla ratione deberent ab ejusmodi impedimentis, quae catholicos non absterrent. Ast nimius eos tenet cuticulae amor, a minimis periculis fugiunt; nil mirum proinde, si nemo ex ipsis hactenus pro evangelio sanguinem fuderit; nempe, ut de Pelagio scribebat s. Hieronymus, isti fovent inimicam suam, id est, carnem suam.

263. Inst. Saltem in dubium revocari nequeunt progressus, quos religio christiana ingentes fecit, protestantium missionariorum opera, in insulis Sandwichianis, quae jacent in Oceano pacifico, nec non in aliis insulis ejusdem maris, *Socialibus* nuncupatis, quae sub illorum cultura ita profecerunt, ut altera Paraquaria jure dici possint; ergo.

264. Resp. *D.* Id est opera missionariorum protestantium dissipatae sunt optimae illorum populorum dispositiones, *C.* religio propagata est *N.* Nempe jam rex ac principes illarum regionum, utpote optima indole praediti, subditos suos ab idololatria abduxerant, interea ministros religionis christianae exoptaverant atque petierant ab anglis, qui ad ipsos protestantes missionarios, puritanos praesertim, miserunt. Sed simul ac suum influxum suamque virtutem illuc intulerunt

(1) Vid. Wiseman dissert. cit. sect. IV.

(2) *Catholic miscell.* Maj. 1823, pag. 927 et pag. 296. Heber op. cit. tom. III, pag. 463 et seqq.

(3) Diss. citat.

ejusmodi apostoli (ut plurimum sutores, sartores, etc.), illico omnia permiscuerunt ac perturbarunt, seditionem, ignaviam, inertiam omniumque vitiorum colluviem quacumque disseminarunt. Sancte adeo instruebant suos proselytos, ut Sandwichianorum rex Riho Riho, qui a quinque annis jam baptismo lustratus erat cum Londini mortuus est, polygamiam sectaretur et incestum; inter ceteras enim uxores suas habebat propriam sororem, quam secum in Angliam duxerat, quaeque Londini pariter defuncta est (1). Eos non secus ac Pomarem regem insularum *socialium* poenituit accersivisse ejusmodi praedicatores, qui veluti grando ac ventus urens omnia mala secum in illas insulas detulerunt ex confessione ipsorummet protestantium (2). Hinc novi sunt accersiti missionarii, catholici nempe, qui eo appulerunt anno 1827, atque ex tabulis, quae anno sequenti ad nos pervenerunt, colligitur eos cito coepisse tot infortuniis illorum incolarum occurrere, protestantes omnem fere influxum jam amisisse in illos populos, et florere jam religionem catholicam (3). Ecquid aliud haeresis nisi desolationem ac mortem producere potest? Fructus vitae nonnisi veritas potest afferre.

PROPOSITIO XI.

Culpabiliter in haeresi vel schismate vel incredulitate ex hac vita decedentibus nulla salus esse potest, seu extra ecclesiam catholicam nulla datur salus

265. Haec propositio, quae sectarios omnes et incredulos valde commovet, non solum ex scripturae auctoritate ac perpetuo et constanti ecclesiae catholicae sensu, verum et ex ipsa ratione apertissime constat, ita ut caecus sit oporteat, qui ejusdem veritatem non videat. Jam vero, ut patet ex ipsius propositionis enunciatione, de iis tantum agitur, qui *culpabiliter* vel in haeresi vel schismate aut incredulitate versantur, seu de iis qui *formales*, ut ajunt, sectarii sunt, minime vero de *materialibus*, ut fertur, seu de iis, qui ab infantia erroribus ac praejudiciis imbuti sunt, quique nec dubitant quidem in haeresi se vel schismate versari, vel si quod dubium in ipsorum mentibus exurgit, toto corde ac sincero animo veritatem inquirunt; hos enim ad Dei judicium remittimus, cujus est cordium cogitationes habitusque introspicere atque scrutari. Dei enim bonitas et clementia non patitur quempiam aeternis cruciatibus addici, qui voluntariae culpae reus non sit. Contrarium affirmare esset contra expressam ecclesiae doctrinam (4).

266. Porro contumaces adversus ecclesiae definitiones, vel pertinaciter ab ecclesiae unitate divisos salutem obtinere non posse, seu in perpetuum damnatum iri, satis aperte Christus declarat, sive cum apud Matthaeum inquit: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (XVII, 17), sive cum apud Lucam ait: *Qui vos spernit me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me* (X, 16), vel apud Marcum: *Qui vero non crediderit condemnabitur* (cap. ult.), ac demum apud Joannem: *Qui non credit jam judicatus est* (III, 18). Quare

(1) *Annales de l' association pour la propagation de la foi*, n. XXI, Juillet 1830, pag. 286.

(2) *Times*, 20 Sept. 1830, rev. LXX, pag. 609.

(3) *Annales de l' association pour la propagation de la foi*, pag. 273 et seqq.

(4) Huc enim referri possunt propositiones in Bajo proscriptae, nempe LXVIII: « Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus

apostolus Paulus haereticos dicit *subversos* et *proprio judicio condemnatos* (ad Tit. III , 10 et 11) ; apostolus Petrus eos vocat *magistros mendacii* , *qui introducunt sectas perditionis , Dominum negant , superinducentes sibi celerem perditionem* (II Pet. II , I) ; s. Joannes passim eos vocat *antichristos* (I Joan. II, 18 , 19 et alibi *seductores* (II Joan. 7) , qui propterea sollicite discipulos suos admonet, ut caveant ab ejusmodi seductoribus , scribens : *Videte vosmetipsos , ne perdatis , quae operati estis ; omnis qui recedit et non permanet in doctrina Christi , Deum non habet* (II Joan. 8, 9) ; apostolus Judas eos vocat *illusores* , *quibus procella tenebrarum servata est in aeternum* (Judae 13) ; *et hos quidem* , addit , *arguite judicatos* (ibid. 22) ; quae quidem omnia ita sunt perspicua , ut commentario non egeant .

267. Patres apostolici his principiis inhaerentes eorum vestigia perquam diligenter sectati sunt , et quemadmodum apostoli simonianos , nicolaïtas , cerinthianos, phantasiastas, ebionaeos ab ecclesia expulerunt , iisque poenas aeternas , nisi resipiscerent , denunciarunt , sic eorum discipuli ac successores menandrianis, basilianis, saturnianis, marcosianis, valentinianis, gnosticis ceterisque illius aetatis novatoribus ac protestantibus easdem aeternas poenas comminati sunt (1) . Ita ss. Ignatius , Polycarpus , Irenaeus , Justinus , Theophilus , etc. Ex quibus s. Ignatius : *Ne erretis , inquit , fratres mei . Si quis schisma facientem sectatur , regni Dei haereditatem non consequitur . Si quis in aliena sententia ambulat , iste passioni non consentit* (2) ; cujus quidem assertionis hanc rationem reddit : *Quotquot enim Dei et J. C. sunt , hi sunt cum episco-*

non est praedicatus, peccatum est ; LXVII : Homo peccat damnabiliter etiam in eo , quod necessario facit » , item XXXIX , etc. , quae licet proprie sint de infidelibus negativis , ratio tamen eadem est quoad haereticos , qui invincibili ignorantia laborant. Sed audiatur s. Augustinus : « Qui sententiam suam, *ait*, quamvis falsam atque perversam , nulla pertinaci animositate defendunt , praesertim quam non audacia suae praesumptionis pepererunt, sed a seductis in errorem lapsis parentibus acceperunt , quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem , corrigi parati , cum invenerint , nequaquam sunt inter haereticos deputandi » , epist. 43, edit. maur. alias 162 ; cons. praeterea *tract.* 45 *in Joan.* , et in lib. *De utilitate credendi* , cap. I , edit. maur. tom. VIII ; lib. *De haeres. ad Quodvultdeum* , cap. I , circa finem , etc. Sic ceteri patres , quos longo agmine citare possem , qui in eadem sententia sunt . Quare merito Suarez , *De fide* , etc. disp. XIX , sect. 3, ubi quaerit : « Utrum sit de ratione haeresis , ut voluntarie et cum pertinacia committatur ? *respondet n.* I : In primo puncto hujus articuli generaliter sumpto nulla est difficultas ; certum est enim de ratione haeresis esse , ut voluntarie fiat. Ita docent omnes theologi, *D. Thom.* 2. 2. q. 11. a. 2. et 1. p. q. 32. a. 4. et reliqui scholastici . . . et Patres antiqui » etc. ; *et num.* 9 : Primo statuendum est *pertinaciam* esse de ratione haeresis . In hoc fundamento conveniunt omnes doctores allegati . . . . et merito quia expresse in jure canonico traditur , etc. » . Cons. ex recentioribus Bergier, *Diction.* art. *Héresie , Eglise* , § 5 ; item de la Forest, *Méthode d' instruction pour ramener les pretendus réformés à l' église romaine* , Rome 1817, second entretien , pag. 23 et seqq. ; Card. de la Luzerne , *Evangile du* 19. *dim. après la Pentecôte ;* Blanco , *Opusculi storici critici* , etc. tom. II , *Lettera sullo stato degli eretici e scismatici* , etc. , ut alios quamplures praeteream .

(1) Euseb. *Hist. Eccles.* lib. IV, cap. 7.

(2) Μὴ πλανᾶσθε , ἀδελφοί μου . Εἴ τις σχίζοντι ἀκολουθεῖ , βασιλείαν Θεοῦ οὐ

po. *Quotquot autem poenitentia ducti redierint ad unitatem ecclesiae, et isti Dei erunt* (1); alibi s. Martyr haereticos vocat *feras humanam formam prae se ferentes* (2), *patronos mortis magis quam veritatis*, *abnegatos a Christo*, *Christum ignorantes*, *quos nonnisi raro ac difficulter ad poenitentiam converti affirmat* (3); docet praeterea mortiferum eos propinare pharmacum, quod qui ignorat libenter cum voluptate noxia mortem accipit, a quibus propterea omnes custodiendos sollicite admonet (4). Ita quidem de haereticis sui temporis Ignatius. S. Polycarpus vero adeo ab haereticis abhorrebat, ut, cum audiret aliquas adversus receptam doctrinam novitates, obturatis sibi auribus, exclamaret: *Deus bone, quae me in tempora reservasti, ut haec sustinerem?* Atque statim e loco fugiebat, in quo stans aut sedens ejusmodi sermones audiverat (5). S. Justinus non dubitat haereticos vocare *atheos* et *impios*, *injustos* et *exleges* (6), sed praeterea addit eos esse, quos Christus praenunciaverat *lupos* indutos pellibus ovium, *pseudochristos*, *pseudoapostolos*, fidelium seductores, eosque appellari eorum nomine, a quibus sectam quaeque et opinio ortum habuit: *Nonnulli enim*, ait ipse, *vocantur marciani*, *alii valentiniani*, *alii basilidiani*, *alii saturniliani*, *alii aliud vocabulum habent ex suae quisque sectae principe* (7) et illos judaeorum pseudoprophetis comparat, qui quae ab impuro spiritu diabolo sunt mentibus suis injecta docuerunt et etiam docent (8). S. Theophilus, cum perbelle ecclesias sanctas per orbem dispersas insulis frugiferis comparasset aqua salubribus, stationibus ac portibus munitis, ut iis, qui tempestate jactati sunt perfugio esse possint, ad quas proinde, qui salutem consequi cupiunt, veritatis facti amatores se recipiunt, haereticas vero sectas insulis saxosis et inaquosis, infrugiferis, ferarum plenis, ad perniciem navigantium et tempestatem subeuntium appositis, in quibus naves conteruntur, et qui eo appellunt penitus pereunt, concludit: *Ita se habent erroris doctrinae, haereses dico, ad quas qui accedunt omnino pereunt* (9). Ita quidem patres aposto-

κληρονομεῖ. Εἴ τις ἐν ἀλλοτρίᾳ γνώμῃ περιπατεῖ, οὗτος τῷ πάθει οὐ συγκατατίθεται. Epist. *Ad Philadelph.* cap. 3.

(1) Ὅσοι γὰρ Θεοῦ εἰσὶν καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗτοι μετὰ τοῦ ἐπισκόπου εἰσίν· καὶ ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας, οὗτοι Θεοῦ ἔσονται. Ibid.

(2) Θηρίων τῶν ἀνθρωπομόρφων. Epist. *Ad Smyrn.* cap. 4.

(3) Ὄντες συνηγοροι τοῦ θανάτου μᾶλλον ἢ τῆς ἀληθείας ... Ὃν (Χριστὸν) τίνες ἀγνοοῦντες ἀρνοῦνται, μᾶλλον δὲ ἠρνήθησαν ὑπ᾽ αὐτοῦ ... ἐάν πως μετανοήσωσιν, ὅπερ δύσκολον. Ibid. cap. 4, 5.

(4) Ὥσπερ θανάσιμον φάρμακον διδόντες μετὰ οἰνομέλιτος, ὅπερ ὁ ἀγνοῶν ἡδέως λαμβάνει ἐν ἡδονῇ κἀκεῖ τὸ ἀποθανεῖν. Epist. *Ad Trall.* cap. 6., et cap. 7, concludit: Φυλάττεσθε οὖν τοῖς τοιούτοις.

(5) Apud Euseb. lib. v, cap. 20.

(6) *Dial. cum Tryph.* n. 35.

(7) Τίνες καλούμενοι Μαρκιανοὶ, οἱ δὲ Οὐαλεντινιανοὶ, οἱ δὲ Βασιλιδιανοὶ, οἱ δὲ Σατορνιλιανοὶ, καὶ ἄλλοι ἄλλῳ ὀνόματι, ἀπὸ τοῦ ἀρχηγέτου τῆς γνώμες ἕκαστος ὀνομαζόμενος. *In Dial. cum Tryph.* ibid. Satis porro est ut protestantes subrogent propriae sectae denominationes, nempe lutheranos, calvinistas, zwinglianos, socinianos, etc. et patebit se ibidem esse descriptos.

(8) Ἀπὸ τοῦ ἀκαθάρτου πνεύματος διαβόλου ἐμβαλλόμενα ταῖς διανοίαις αὐτῶν ἐδίδαξαν, καὶ διδάσκουσι μέχρι νῦν. Ibid. n. 82. Videant hic lutherani praesertim, num haec quadrent in Lutherum, cum scriberet librum *De abroganda missa privata*.

(9) Οὕτως εἰσὶν αἱ διδασκαλίαι τῆς πλά

lici unanimiter docent, a quibus hanc doctrinam pariter hauserunt subsequentes patres, ita ut omnes unius sententiae hac in parte sint, et ne unus quidem excipi possit (1).

268. Non est propterea, cur eorum testimonia hic singillatim exscribam; non possum tamen me cohibere, quin afferam nonnulla s. Cypriani dicta, qui non solum docet apostolos haereticos execratos esse, non solum graphice eos describit, gladiis ac venenis eos subruere veritatem adstruit, negat esse christianos et multos secum trahendo decipere affirmat; non solum vocat *pestes*, *bestias*, *fures*, *latrones*, *praedones*, *laniones*, aliisque non minus probrosis nominibus compellat, sed praeterea, quod non est sine animadversione praetermittendum, causam aperit et originem haereseon omnium, quas repetit ex eo, quod caput ecclesiae non quaeritur, primatus Petri contemnitur, et cathedra ac ecclesia una et episcopatus unus deseritur: *Asserentes*, inquit, *noctem pro die, interitum pro salute, desperationem pro obtentu operis, perfidiam sub praetextu fidei, antichristum pro vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur. Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis, compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, etc.* (2); *Et cum haereses*, prosequitur ibidem, *et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt*, (nempe Romanum Pontificem, de quo locutus fuerat); demum concludit; *Tales* (haeretici et schismatici) *etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur .... esse martyr non potest, qui in ecclesia non est, ad regnum pervenire non potest, qui eam, quae regnatura est, derelinquit*.

269. Vix tamen opus est auctoritate ad veritatem hanc adstruendam, cum ratio ipsa evidenter eam evincat; quicumque enim peccati alicujus lethalis reus est, et cum ejusmodi noxa ex hac vita decedit, perpetuam damnationem incurrit; atqui peccatum lethale et quidem gravissimum est voluntarie schismati vel haeresi aut incredulitati adhaerere, veritatem a Deo credendam propositam respuere, legitimam et divinitus institutam auctoritatem contemnere, ecclesiam non audire, et privatum sensum pertinaciter adversus ecclesiae doctrinam sequi; ergo.

270. Atque hinc factum puto, ut protestantes ipsi, qui nunc nobis succensent ob istud dogma fidei catholicae, quod propugnamus, nullam videlicet dari salutem extra ecclesiam catholicam, ad haec fere tempora id ipsum docuerint. Licet enim semper fluctuantes fuerint circa molestam ipsis quaestionem, utrum catholici salvi fiant, et licet modo affirmaverint, modo negaverint, attamen certo certius est plures ex ipsis, Barone de Stark protestante referente, spectare suam ecclesiam, seu verius sectam, veluti *solam operantem salutem* (3); ac Sulzer testatur se etiam invenisse in quo-

νης, λέγω δὲ τῶν αἱρεσεῶν, αἳ ἐξαπολλύουσι τοὺς προσιόντας αὐταῖς. *Ad Autolycum*, lib. II.

(1) Ita ss. Cyprianus, Ambrosius, Augustinus ceterique omnes.

(2) *De unit. Eccles.*

(3) *Entretiens philosophiques*, etc. pag. 403.

dam mandato magistratus Tigurini in Helvetia anni 1740, quod ecclesia reformata dicta fuerit *sola operans salutem;* quin etiam observat Henricum Dodwellum docuisse saeculo XVII. *sola membra ecclesiae episcopalis* posse spem certam habere perveniendi ad aeternam beatitudinem (1); quae doctrina omnes profecto reformatos, presbyterianos, ceterosque omnes, ut ipsi vocant, *non-conformistas* excludit ab aeterna salute. Ecclesia anglicana adhuc retinet symbolum athanasianum nuncupatum, quod certe excludit a salutis consecutione omnes unitarios, methodistas, rationalistas, imo et graecos schismaticos, negantes Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. Recens minister protestans affirmat se plures novisse ministros anglicanos dicentes se non posse sibi persuadere, eos qui in Trinitatem non credunt, posse salvari (2). Quo fundamento autem id sentiant diversae protestantium sectae, prorsus ignoro; cum aeque novatores omnes sint, atque ex eodem principio independentiae religiosae progenitae sectae; multo minus intelligo, quare tot fidei confessiones cuderint et recuderint, quas jam inde a suo tempore recensebat Bossuet (3), quibus novus et satis prolixus catalogus addi posset. Sed operam perderet, qui cohaerentiam in protestantibus quaereret. Id solum ex dictis colligo, nullam esse rationem, cur nobis adeo irascantur, dum docemus, quod ipsorum sectae ad haec usque tempora docuerunt. Quod si ipsi postea mutarunt sententiam, ut in ceteris omnibus, numquid et nos catholici mutare debemus? Error mutari potest, veritas non potest (4).

271. Sequitur autem ex dictis, 1.

(1) Vid. *Vérité et Amour, par Sulzer*, pag. 199 et seq.

(2) Auctor opusculi: *Quelques réflexions sur la maxime chrétienne: Hors de l'Église il n'y a point de salut*, Paris 1827; vid. etiam Lessius in append. ad tract. *Consultat. de religione*, etc. cap. 1, quaest. 2, ratione 8.

(3) *Hist. des variations*, praesertim lib. III, § 1 et seqq.; lib. VIII, §§ 16, 17, 63; lib. IX, §§ 86, 87; lib. X, §§ 58, 68, etc.

(4) Sed rursum hic adnotare juvabit perplexitates et arbitrariam docendi ac sentiendi rationem in Babelem protestantium, inter quos alii adeo januas coelorum aperiunt, ut velint ipsas patere non solum haereticis, etc. sed etiam ipsis idololatris, ut ex adductis documentis evincitur; alii adeo illas occludunt, ut aditus non pateat vel ipsis laborantibus invincibili ignorantia, ut ex citato opere Baronis De Stark patet; alii accusant catholicam ecclesiam veluti barbaram, eo quod profiteatur extra suum sinum nullam dari salutem, et ita porro. Jam vero neque in praesentia inter protestantes desunt, qui adhuc doceant extra suam sectam nullam esse salutis spem. En quomodo scribat D. Harms: « Extra ecclesiam (Lutheranam) non est salus. Neque approbare possumus, si quis nostrum ad catholicam aut reformatam ecclesiam transeat (non obstante inita societate, de qua supra); nam apud nos est selectissima ecclesiastica institutio (quis dubitet?). Potius vero quam ut aliqui nostrum in rationalisticam unionem conveniant (quae tamen est fructus naturalis protestantismi), concedere possumus, ut judaei fiant, etsi hoc ceteroquin legibus civilibus sub capitis poena vetitum sit ». *Einige Winke, etc. id est*, Nonnulli nutus et exhortationes de rebus ad ecclesiam spectantibus, *Kiel* 1820; *Theremin vero sic concionatur:* « Jus alios damnandi utique nos habemus, nam scriptum est: Qui non credit jam judicatus est. Et quare illos non damnabimus, quos Deus ipse damnavit »? *Predigten, etc. seu*, Conciones, *vol.* II. *Berolini* 1819. *Professor Götting Elvers:* « Quia et nos, sicut Lutherus, *inquit*, pericula in ecclesia catholica non ignoramus, et firmam salutis spem

male omnino suae saluti consulere eos, qui effutiunt *probi hominis* non esse deserere eam religionem, in qua unusquisque natus est et enutritus. Idololatrae enim, islamitae, etc. hanc eamdem exceptionem facere potuissent vel etiam possent adversus apostolorum et ecclesiae praedicationem. Si probi hominis non est deserere religionem, in qua quisque natus est, cur igitur protestantes tot biblia, tot impensas, tot labores insumunt in missionibus, quas tanto studio atque impetu promovent? Ast propterea solum ejusmodi principium inter protestantes invaluit, quia cum viderint suas sectas ubique dilabi, ac plures quotidie ex ipsis ad ecclesiam catholicam se recipere, ejusmodi commentum effutierunt, ut per hunc saltem inanis honoris praetextum sectarii retinerentur. Sane nihil potius probro esse potest homini honesto ac ingenuo, quam non amplecti veritatem, cum ipsius menti affulget, et velle in errore cognito et detecto persistere. Quamquam, ut verius dicam, haeretici, schismatici et increduli, accedendo ad ecclesiam catholicam, inter matris amplexus denuo *redeant*, quam ipsi vel eorum majores per summum nefas deseruerunt.

272. Sequitur 2. unumquemque pro viribus teneri dubia, quae interdum sibi suboriuntur, discutere et veritatem inquirere, eamque statim amplecti, cum eam deprehendit, nisi velit in gravissima habituali noxa vitam degere, ac damnationis aeternae evidenti periculo sese exponere, moras nectendo ad conversionem.

273. Sequitur 3. non solum gravissimi criminis reos illos esse, *qui veritatem Dei in injustitia detinent*, quique quaestum faciunt ex animarum damnatione, verum etiam eos omnes, qui omnem diligentiam non adhibent in inquisitione veritatis, ac negligunt negotium maximi momenti, qui propterea sibi solis imputare debent aeternae damnationis reatum, si ex sua culpabili vel socordia, vel mora, ac praecipue orationis neglectu, veritatem non agnoscunt, et ad ecclesiae sinum non redeunt.

DIFFICULTATES

274. I. Obj. Apostolus scribit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superae-*

in sola fide in hac ecclesia numquam doceri aut teneri videmus; debemus et nos sicut protestantes majores nostri, huic adhaerere sententiae, non quod omnes catholici aeternum damnentur, nam tam terribile judicium nobis numquam arripuimus (et si arriperent, parum tali judicio catholici commoverentur), sed quod protestans, qui ecclesiam romanam relinquit, et catholicam fidem amplectitur, veram evangelicam fidem (nego suppositum) non inquirendo, neque sibi illam absciscendo, salutem suam aeternam magno exponit periculo (hui quibus scrupulis tanguntur!) prout et protestans pater filios catholice instituendo, ipsorum aeternam salutem dubiam reddit ». Ita in *Ephem. univ. eccles.* 1827, n. 189. Novissima *Agenda Borussiana*, de qua jam supra, continet et symbolum athanasianum, quod sic incipit; « Qui salvus fieri cupit, rectam prae omnibus christianam universalem (symbolum dicit *catholicam*) fidem habeat oportet. Qui illam non omnino integram aut puram habet (qualem vidimus teneri a protestantibus, qui scripturas rejiciunt, apostolos accusant, et Christum ut seductorem habent enthusiasten, etc.), absque dubio in aeternum peribit; *sic vero explicit:* Haec est recta christiana fides; qui ipsam firme et fideliter non tenet, salvus fieri non potest ».

dificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, faenum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit . . . si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (I Cor. III, 10); unde sic argumentamur: Qui aedificant super fundamentum Christi foenum et stipulam, ii profecto sunt, qui doctrinas forte erroneas docent; atqui tamen asserit Apostolus eos tantum probandos esse quasi per ignem, non vero aeternis cruciatibus plectendos; ergo.

275. Resp. *N. M.* Etenim haeretici non *superaedificant*, sed destruunt et subvertunt fundamentum Christi, ut patet ex v. 17, quos *destruet Deus*, ut addit Apostolus; in adductis igitur verbis loquitur de iis doctoribus, qui reipsa *superaedificant*, ac docet, eos qui doctrinam germanam et solidam tradunt consequuturos esse mercedem; eos vero, qui vanam, inutilem et ad captandam gloriam praedicant, operam perdituros, et operis jacturam esse passuros (1). Haud dissimilem interpretationem adducti testimonii exhibet ipse Rosenmüller.

276. II. Obj. 1. Licet sectarii errent ab ecclesia dissentiendo, attamen certa persuasione ducuntur, se veritatem tenere et obsequium praestare Christo; 2. Sane, subdit Le Courayer (2), haeresis est semper error involuntarius, propterea prae culpis omnibus venia digna est. Nemo voluntarie errorem profitetur; quod si criminis gravitas a libertate electionis dimetienda est, concludamus oportet, haeresim omnium culparum minimam esse; ergo.

277. Resp. ad 1. *D.* Certa persuasione et erronea atque ex mentis arrogantia ac pervicacia profecta, *C.* persuasione prorsus innocua *N.* Haeresis crimen non consistit praecise in sola mentis aberratione aut ignorantia, sed in pervicacia voluntatis, quae se se opponit ecclesiae magisterio, ex qua fit, ut privatum judicium quis praeferat auctoritati legitimae a Christo institutae, ut suo loco vidimus: quod proinde includit perduellionem, et est omnium criminum in genere suo gravissimum. Ceterum etiam qui occidebant apostolos et martyres, putabant se obsequium praestare Deo, nec tamen propterea excusabiles erant.

278. Ad 2. *N.* Juxta dicta, et sic corruit tota Courayerii argumentatio, quae laborat, ut ajunt, falso supposito.

279. I. Inst. 1. Inhumanum plane ac durum est ob opinionum diversitatem, infinitam propemodum hominum multitudinem sempiternis cruciatibus addici, quorum ceteroquin non pauci charitate et evangelii zelo flagrant; eo magis 2. quod principium istud, de nulla salutis spe extra ecclesiam catholicam decedentibus, contrarium charitati sit, et inducat in animum perpetuum odium adversus proximum; ergo.

280. Resp. Ad 1. *D. A.* Et haeretici praecise ob meram opinionum diversitatem aeternum punientur, *N.* ob contumacem resistentiam ecclesiae doctrinae ac voluntariam perduellionem *C.* Hoc vero posteriori sensu inhumanum ac durum esse quempiam damnari nemo affirmare poterit, nisi dicat inhumanum ac durum esse hominem lethalis peccati reum ejusmodi damnationi subjacere. Cum praeterea, ut ex probationibus patet, Christus et apostoli ita docuerint, jam non est quod quis opponere queat hoc durum esse, quin Christi ipsius doctrinam re-

(1) Cons. Bernardinus a Piconio in hunc locum.

(2) Not. 119 ad lib. I *Historiae Conc. Trid.* Pauli Sarpii.

prehendat veluti injustam, ipsumque ore blasphemo arguat iniquitatis, quod sine causa aeternas poenas comminetur. Resipiscant, redeant unde discesserunt, et jam nulla erit ratio querimoniae; quod si nolint, atque idcirco aeternum pereant, id sibi imputent. Quod si impune quisque ac pro lubitu innovare posset in rebus fidei, jam actum esset de fide ipsa, et de unitate a Christo instituta. Quod vero attinet ad zelum et charitatem, qua plures inter suos flagrare praedicant, jam vidimus quid censuerit s. Cyprianus, cui addimus s. Augustinum de haeretico atque schismatico voluntario scribentem: *Foris ab ecclesia constitutus, et separatus a compage unitatis et vinculo caritatis, aeterno supplicio punieris, etiamsi pro Christi nomine vivus incenderis* (1).

281. Ad 2. *N.* Nisi quis contendat contra charitatem esse, quempiam admonere de mortali periculo, si coeptum iter insistere pergat. Ceterum ecclesia numquam non omnium, sive haereticorum, sive schismaticorum, sive incredulorum conversionem ac resipiscentiam exoptat, atque efflagitat enixis ad Deum precibus, eosque adhortari non desinit, ipsorum ruinam luget; veritas enim nescit odisse nisi errorem, ac diligit errantes, quia charitas est (2).

282. II. Inst. Ad salutem consequendam satis est honeste vivere et opera misericordiae in proximum exercere; et sane Christus, in extremo judicii die, minime sententiam feret in praescitos, quod male crediderint, sed ex eo potius quod male vixerint: *Esurivi enim*, inquit, *et non dedistis mihi manducare*, etc. (Matth. XXV, 42) (3); ergo.

283. Resp. *N. A.* Tum quia Christus aperte dixit: *Qui non crediderit, condemnabitur* cum reliquis, quae adduximus in probationibus. Non sufficit proinde honeste vivere, prout olim et ipsi pagani dicebant, teste s. Augustino, qui propterea sub hoc praetextu recusabant religionem christianam profiteri, sed necesse praeterea est vivere vita supernaturali, quae per fidem unice haberi potest: *Sine fide enim impossibile est placere Deo*, et *Justus ex fide vivit*.

284. Ad probationem autem, *D.* Quia Christus partialem et inadaequatam causam damnationis exposuit, *C.* totalem et adaequatam *N.* Alioquin et moechi et ebriosi et fures, etc. imo et hebraei et islamitae et idololatrae, qui recensita opera misericordiae exercerent, salvarentur, quod est absurdum. Voluit itaque illis verbis Christus ostendere solam fidem sine operibus ad salutem minime perducere, secus ac docuit Lutherus protestantium parens (4); sed necessaria

(1) Epist. 173 alias 204, ad Donat. presbyt. edit. maurin.

(2) Cum doctus quidam protestans feria VI majoris hebdomadae officiis divinis nostris interfuisset, ad teneras effusasque ecclesiae catholicae preces, quibus ipsa Deum orat pro *catechumenis, haereticis et schismaticis, judaeis, paganis*, pio quodam enthusiasmo veluti extra se raptus, non potuit se cohibere quin exclamaret: *Date huic infantem vivum; haec est enim mater!* (III Reg. III, 27), Feller. *Catech. philos.* § 495, n. *a.*

(3) Hic error, quem nonnulli sapientes neoterici protestantes velut novum proferunt, antiquissimus est; etenim Apelles, haereticus saeculi II, inter cetera docebat; « Non esse omnino examinandam fidem: sed unumquemque in eo, quod semel imbibisset, persistere oportere. Quippe eos, qui in Crucifixo spem suam collocassent, servandos esse affirmabat, dummodo in bonis operibus deprehenderentur ». Euseb. *Hist. eccles.* lib. V, cap. XIII.

(4) Hinc receptum illud ejusdem Lutheri effatum, quod ei exprobrat ipsemet Grotius:

praeterea esse opera bona, ut quis salvus esse possit, dicente eodem Christo: *Qui non credit, jam judicatus est* (Joan. III, 18).

285. III. Inst. Hujus saeculi sapientia aequo animo ferre non potest immania ejusmodi dictata, 1. quae Dei ipsius indignam prorsus ideam ingerunt; 2. procul proinde amandandum est istiusmodi ignorantiae ac superstitionis figmentum; cum quo nec philanthropia, nec mutua vivendi consuetudo, nec ipse humanitatis sensus consistere possunt(1).

286. Resp. *D. A.* Et nos debemus componere ac temperare fidei doctrinam ad cujusque aetatis sapientiam, seu *sapientia* saeculi debet esse fidei regula, *N.* lux et sapientia Christi *C.* Si deberemus fidem accommodare pravae hujusmodi regulae, actum omnino esset de fide ipsa, imo et de praeceptis decalogi, quandoquidem nec ista ferre potest, saltem in nonnullis praeceptis, mundana illa sapientia. Hanc sapientiam relinquimus protestantibus, rationalistis et incredulis omnibus, qui cum sibimetipsis sint et sapientiae et legis norma, possunt pro lubito mutare quod ipsis placet; nobis non alia affulget lux, quam ea, quam attulit Christus in mundum, seu in saeculum tenebris obvolutum, cui olim plures restiterunt, quam nunc vero plures a se quotidie repellunt, utpote minus accommodatam suis cupiditatibus, ut aliam lucem luci Christi omnino contrariam sectentur. Apostoli aliter docuerunt, aliter sensit tota antiquitas, aliter ipsi protestantes; donec nova lux philosophica ipsis affulsit, ut ex dictis patet; imo ut proprium est eorum, qui nullam regulam sequuntur, ad aliud extremum plures protestantes accesserunt excludendo a consecutione salutis illos etiam, qui ex invincibili ignorantia sectae ab illa, quam ipsi profitebantur, diversae adhaeserunt (2).

287. Ad 1. prob. *N.* Alioquin dicendum foret ideam Dei prorsus indignum ingerere dictatum, quo adstruitur Deum aeternis poenis illum plectere, qui culpae gravis reatu irretitus ex hac vita discederet, quod nemo nisi incredulus aut insanus dicet; talem vero esse ostendimus eum, qui culpabiliter haeresi vel schismati aut incredulitati adhaerens, migrat ex hac vita.

288. Ad 2. prob. pariter *Neg.* superstitionis ac ignorantiae figmentum dicendum esse dogma istud, quod aperte adeo in revelatione continetur, atque in illo

Pecca fortiter et crede fortius. Vid. opera Lutheri, edit. Wittembergensis, tom. VI, fol. 160; a quo dogmate, ut patet ex adducto nuper testimonio Elvers professoris Göttingensis, nondum recesserunt lutherani, etsi omnem fidem abjecerint; imo observat Cobbet (Ep. 7, § 199) hanc unicam fuisse doctrinam in quam convenerint omnes illustres reformatores ecclesiae catholicae, nempe *bona opera inutilia esse ad salutem*, et sane, prosequitur ipse, eorum vitae ratio comprobabat sinceritatem talis professionis, quia nemo erat inter ipsos, qui carnificis manum non sibi promereretur. Et hic interim rursum notetur cohaerentia et unitas protestantium, *ex quibus* alii docent ad salutem sufficere solam fidem sine operibus, alii opera sola sine fide. Feliciter!

(1) Ita auctor anonymus operis cit. *Quelques reflexions*, etc.

(2) Hinc Leibnitzius fassus est *Ecclesiam romanam, longius quam protestantes progressam*, non absolute *damnare eos, qui sunt extra suam communionem*. Cons. operum Leibnit. collectio per Ludov. Dutens. tom. I, oper. Theol. Genevae 1768, *Tentaminum Theodiceae* par. I, § 96, ubi observat, quod cum alias hoc posuerit ob oculos Cl. Pelissoni, perinde ac sententias plurium theologorum catholicorum, praesertim celeberrimi P. Friderici Spec, ipsum minime abnuisse.

puro verbo Dei scripto, quod unice pro regula habere protestantes gloriantur. Sed ita est, quoties istud verbum Dei purum et scriptum aliquod continet quod cum istorum principiis consistere non potest, illud vel rejiciunt vel eludunt ejusmodi sapientes, quibus magis placent vana philosophiae seu incredulitatis commenta quam Christi doctrina. Quod attinet ad philanthropiae atque humanitatis sensum, cum quo doctrina ista consistere nequit juxta adversarios, jam diluimus in responsione ad secundum.

289. Et haec sunt argumenta, seu potius declamationes, quas solidis adeo rationum momentis in re tam gravi opponunt sectarii, qui sic committunt negotium aeternae salutis subjectivae suae persuasioni; quid si deciperentur? Ipsi viderint.

PROPOSITIO XII.

Tolerantia religiosa est impia et absurda

290. Duplex distinguitur tolerantia politica seu civilis, et theologica seu religiosa, quarum prima dici potest extrinseca, altera intrinseca. Tolerantia politica est libertas seu facultas, quam princeps vel respublica tribuit civibus eam profitendi religionem, quam quisque maluerit; religiosa est expressa vel tacita professio veritatis omnium religionum omniumque sectarum, qua scilicet quilibet tenet religiones omnes aut sectas aeque veras ac bonas, hominique proinde omnes aeque salutares esse. Juxta istud principium nulla religio vel secta potest aliam tamquam falsam accusare ac respuere, atque inde oritur *indifferentismus*, quem vocant, erga religiones omnes, utpote quae tum verae, tum bonae, tum divinae esse possint; perinde est unam potius quam aliam profiteri et sequi. Nos hic de tolerantia politica non disserimus, dantur enim nonnulla rerum adjuncta, in quibus ea non modo licita, sed etiam necessaria est.

291. Porro tolerantiam religiosam impiam atque absurdam esse evincimus 1. ex eo quod per eam inutilis plane evaderet revelatio; si enim religiones omnes sive christianae sive antichristianae aeque bonae sunt ac salutares, ad quid Deus voluntatem suam hominibus patefecisset? Ad quid supplicia comminatus esset in eos, qui ejus resisterent voluntati? Nonne illusoria omnia ista forent? At vero *non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur; dixit ergo et non faciet, locutus est et non implebit?* (Num. XXIV, 19).

292. Evincimus illud 2. ex eo quod in tali hypothesi duae vel plures darentur veritates sibi invicem contradictoriae, hoc vero absurdum esse nemo non videt; etenim veritas individua est ac simplicissima, nec ipsi opponi potest nisi error et falsitas. Veritas necessario excludit errorem et falsitatem, ut lux tenebras expellit, neque cum iis consistere ullo modo potest.

293. 3. Ex eo quod tunc Deus aeque patrocinaretur veritati et errori, et aeque diligeret et salvaret eos qui ipsi obsequerentur, et eos qui voluntarie et culpabiliter ipsi resisterent, rejicerentque veritates a se ad credendum propositas; et propterea, quod consequens est, Deus esset indifferens ad veritatem et falsitatem, ad virtutem et vitium, ad obedientiam ac perduellionem. Quod esset destruere ipsam Dei notionem, atque inducere Deum Epicuri.

294. 4. Ex eo quod Christus, si sermo praesertim sit de diversis christianorum sectis, auctor fuisset et revelator omnium contrariarum opinionum quae reperiuntur in diversis his ac prope innumeris sectis, non solum divisis ab ecclesia catholica, sed etiam inter se. Christus propterea se Deum esse et non esse revelasset, vel saltem indifferens esset ad

utrumque, sive adoraretur ut Deus, sive haberetur ut simplex creatura, et sic de ceteris; ac licet ipse quidpiam docuerit, nihil ipsius referret, etsi quisque contrarium omnino doceret ac sentiret, et hoc non ex ignorantia, sed ex voluntaria perfidia et contumacia. Quae quidem omnia aliaque non pauca quae urgeri possent, non solum falsam et impiam, ideoque in Deum contumeliosam, sed et absurdam ejusmodi tolerantiam evincunt, utpote et revelationi ac rectae ipsi rationi contrariam.

295. Quod et ipsi protestantes ad haec ipsa ferme tempora viderunt. Hinc tot ipsorum synodi, in quibus se invicem ejusmodi protestantismi frustula seu sectae anathematizabant (1); *haereticos* alii alios vocabant atque alienos a salute (ac recte, si alias unquam, hac saltem vice, et vere); hinc, antiquioribus praetermissis, anno 1828 in Hibernia celebrata est synodus a presbyterianis in qua proscripti sunt novi ariani atque unitarii, ac nova proinde inter ipsos scissio facta est (2). Neque his contenti, ut capitalis criminis reos protestantes passim insectati sunt eos, qui diversa a sua secta sensa profiterentur. Innumera suppeditat historia protestantismi exempla eorum qui sic vexati, dilaniati ac combusti etiam sunt (3). Loquor porro de protestantibus a protestantibus ipsis neci traditis. Nam quod attinet ad catholicos, notum est protestantismum, nulla secta excepta, constans et atrox bellum a suis incunabulis movisse adversus eos, quod adhuc in diversis eorum provinciis perdurat, non obstante systemate nuper ab ipso inducto de tolerantia universali, quae ita semper intelligenda est, ut excipiantur catholici quos adhuc non pauci protestantes profitentur se odio habere, et factis reipsa ostendunt (4).

(1) Jam plura superius documenta dedimus. Consul. Bossuet, loc. cit.

(2) *Revue catholique* du 15 février 1830, *Irlande*, Synode d'Ulster.

(3) Recolantur exempla paulo ante prolata.

(4) Non solum antiquitus sed et in praesentiarum protestantes profitentur intolerantiam adversus ecclesiam catholicam. Sic enim legitur in opere: « Lichtblicke von protestanten *etc.*, *id est*, Lumina a protestantibus agnita, vel novissimae confessiones pro veritate factae ab ipsis adversariis, *per Doctorem Fr. Brenner*, *Bambergae* 1830, *pag.* 44 »: « Si protestantes nullibi jam sunt concordes, in religionem catholicam uniuntur, communem rem esse constituunt illam a se arcere atque impugnare; ipsique, quamvis liberalissimi, in aciem se sistunt, ut pugnam plenius inflamment, dirigant atque praelientur ». Et sane in folio litterario Jenae 1820, num. 11, 13 legitur: « Sincerus protestans non potest indifferens esse, si quis confessionis suae particeps infidelis evadit (id est, catholicus fit); talem moralem corruptionem oportet cum ira et indignatione omnis immoralitatis considerare ». Et Dr. Krug. in opere *Die Kirchenverbesserung*, etc. id est, *Ecclesiae melioratio* (reformatio), *seu pericula Protestantismi*, Lipsiae 1816, Protestantibus principibus acclamat: « Protegite potenti brachio vestro libertatem evangelicam tanta cum difficultate acquisitam ». *Sic Dr. Espe*, *in op.* die Hoffnung des Sieges, etc. *id est*, Spes victoriae protestantismi in innovata pugna cum romana ecclesia, *Lipsiae* 1827. « Vincendum nobis est, *inquit*, hoc, amici, verbum signale omnium sit, qui ex persuasione nostrae adhaerent ecclesiae quando vel per verbum, vel si non cogunt, per factum contra adversarios in arenam descendamus ». Finem vero huic declarationi seu diatribae imponit jurejurando aeternae pugnae adversus romanam doctrinam; quod per subsequens *amen* confirmatur. Hoc vero scriptum corona donatum est. Omitto quae in novissima Berolinensi *Agenda* seu liturgia leguntur, ne nimius sim. Interea ex his habetur specimen odii per-

Quorsum vero haec omnia, quorsum apud eos zelus proselytismi et missionum, si omnes religiones aeque bonae sunt, ac Deo eadem ratione sunt acceptae, vel si saltem Deus indifferens est erga quamcumque professionem? Si quilibet salvari potest in sua, ut ajunt, confessione, quare igitur ipsi solliciti adeo sunt de propria secta augenda, et eos acriter persequuntur, qui ad catholicam ecclesiam redeunt? Velint igitur nolint protestantes, et dictis et factis ostendunt, se saltem in praxi aliter omnino tenere, conscientia scilicet obluctante, quae dictat impiam ac absurdam esse ejusmodi tolerantiam religiosam, quam nunc ipsi comminiscuntur.

296. Atque ex his infertur 1. tolerantiam religiosam universalem, certam afferre perniciem omnibus religionibus, quas dum supponit aeque veras esse, hoc ipso declarat omnes aeque falsas vel saltem dubias.

297. Infertur 2. tolerantiam ab iis solum propugnari posse, qui nullam vel religionem vel fidem habent, nempe ab atheis, deistis, protestantibus, qui cum numquam in incerto non sint, quaerunt per hanc persuasionem quamdam conscientiae tranquillitatem ac pacem, quam aliter obtinere non possunt; et sane a protestantibus praesertim proclamari haec tolerantia coepta est, postquam rationalismus ac nova philosophia apud ipsos invaluit, quae omnem revelatam religionem e medio tollit. Hinc demum eam inierunt veluti societatem, in qua recudere, ut ita dicam, trium praecipuarum ecclesiarum, seu priorum emendatorum Lutheri, Zwinglii atque Calvini, reformationem nisi sunt.

298. Infertur 3. pacem et tranquillitatem quam *indifferentistae* seu *tolerantes* sectantur, non esse veram animi quietem, sed languorem soporemque vix aut ne vix quidem ab ipsa morte dissimilem; placet ipsis mortis ac sepulchri tranquillitas, atque hic quidem mentis animique morbus eo sane gravior atque insanabilior est, quo magis negligitur ignoratur et latet. Quid enim agas cum homine, qui sanari renuit, qui aegrotare se negat, qui imminente jam morte incolumem se ac tantum non immortalem arbitratur? *Desperata est plaga ejus*, ut Michaeae verbis utar.

299. Infertur 4. eam potissimam causam esse, cur omnes sive deistae, sive sectarii adeo abhorreant ab unanimi catholicorum voce: *Extra ecclesiam catholicam nulla salus*. Lethifero siquidem somno correpti, nolunt ab hoc, quem amant, sopore expergefieri: hinc veluti ii qui non tam mente quam corpore aegrotant, ipsi medico irascuntur; non aliter isti dum unanimiter nunc tolerantiam religiosam proclamant, catholicis indignantur, eosque acriter persequuntur, eo quod in eamdem sententiam minime conveniant. Non tamen ideo ab hoc pietatis officio desistere, sed potius quasi tuba extollere debemus vocem nostram; haec enim vox, dum illos licet invite turbat et anxios tenet, potest fortasse ipsis fieri salutaris; dubium enim et conscientiae turbatio in iis qui errorem sectantur, solet esse primus ad veritatem gradus. Dolendum plane vehementissime, quod nonnulli neoterici scriptores, nescio quo falsae pietatis obtentu, vel inani spe ducti, in iis praesertim regionibus, in quibus maxime malum crevit ac prae-

petui protestantismi in ecclesiam catholicam. Nec mirum; aliter enim esse nequit.

Dum vero vel hic vel alibi de odio protestantium aut sectarum in ecclesiam catholicam verba facimus, intellectum id volumus *de spiritu*, ut ajunt, *sectae*, non autem de singulis individuis. Nec enim abnuimus non deesse inter sectarios ipsos sive ex privatis sive ex principibus viris eos, qui catholicos colant, ac omni comitate etiam ac favore prosequantur.

sentissimo remedio opus est, vix audeant aperte hoc fidei nostrae dogma tueri, imo illud ita infirmare contendunt, ut omnem vim suam amittat (1); ex hac porro pessima agendi ratione fit, ut isti protestantes nullum percipiant emolumentum ex ejusmodi temperamentis, ac veritas potius prodatur, et vacillantes catholici in extremi exitii periculum adducantur (2).

DIFFICULTATES

300. I. Obj. Deus delectatur rituum et caeremoniarum quibus colitur varietate; quemadmodum homines fructuum et florum in hortis, principes officiorum et ministrorum multitudine in regiis aedibus, vel imperatores multarum urbium ac gentium multiplici obsequii genere gaudent; ergo.

301. Resp. *N. A.* in sensu adversariorum; ut enim una veritas est, ita una est vera religio, cui superstitio e regione adversatur, ut error opponitur veritati. Jam vero Deus, qui veritas est, errore et falsitate delectari nequit, nec proinde diversitate religionum. Diversitas florum in hortis et officiorum in aedibus principum nullam arguit oppositionem, sed mirifica est in eumdem finem conspiratio. Sic etiam diversum obsequii genus potest imperatori placere, si ea obsequii varietas componi possit cum obsequio ipso, secus vero si pugnet. Atqui veritas cum errore, religio cum superstitione componi inter se nequeunt, quemadmodum non compo-

(1) Inter hos non infimum locum obtinet Franc. Oberthür, in sua *Idea biblica Ecclesiae Dei*, Solisbaci 1828, in qua vol. I, pag. I, haec leguntur: « Quo pertinet quod hodie magis quam olim plurimi christianorum gravem experiantur luctam inter sensum humanitatis, nunc multo quam alias, acutiorem, dissidentes in religionis theoria ac diversarum ecclesiarum vel confessionum, ut vocant, homines excusantem, atque ab omni quem inde contraxisse videri possent, reatu absolventem et ex altera parte inter conscientiam, illum in publicis fidei symbolis articulum: *Extra ecclesiam non est salus*, metuentem ». Cui quidem luctae nova, quam ipse aperuit, via consulere se posse arbitratus; pag. 65. scribit Apostolum docere: » Ut salutem quis adipiscatur, non interesse, cujus ecclesiae sit membrum, sed quam justus »; pag. 68, « fidem vero . . . scriptura monente, interpretamur esse religionem sinceram hominis »; pag. 79, profitetur consilium suum hoc esse, ut pharisaïsmo occurrat, quo quis confidit salutem obtinere per solam professionem externam suae religionis, ceterosque despicere, qui *alieni sunt a propriae sectae communione*; pag. 100, repetit ecclesiae unitatem 1. ab uno fundatore ecclesiae J. C., 2. ab uno totius ecclesiae fundamento, apostolorum doctrina, 3. ab uno externo ejusdem professionis communi symbolo, baptismate; quo sensu quaelibet secta posset sibi vindicare unitatem. Hoc opus a capite ad calcem scatet doctrinis novis, erroneis, depromptis magna ex parte a protestantibus. Quid mirum proinde si auctor in prooemio ad cit. 2. editionem pag. 10, jactet elogia, quae suae huic locubrationi tribuerunt relationes quae a protestantibus Gottingae scribuntur? Et sane saepius citatum ac laudatum hoc opus est a scriptoribus protestantibus, biblicis et rationalistis.

Neque pariter probari possunt, quae in hanc sententiam habet Marianus Dobmayer, in suo *Systemate theologiae catholicae*, Solisbaci 1811, tom. IV, pag. 195.

(2) Hac enim ratione fit ut timore depulso, ipsi transeant ex una in alteram communionem perinde ac si ageretur de transitu de una in aliam scholam aut academiam, quemadmodum non pauca luctuosa exempla testantur infirmorum scilicet quorumdam catholicorum.

nitur contemptus cum obsequio, obedientia cum contumacia (1).

302. II. Obj. 1. Publica tranquillitas postulat, ut quisque patriam religionem sequatur; 2. nam si secus agat nec reipublicae nec principum legibus praestabit obsequium; 3. hinc multa bella, seditiones et clades catholicorum intolerantia peperit. 4. Quod si religio patria colenda non est, si unica est christiana religio in qua salus obtineri possit, ergo crimen est poena aeterna dignum, quod quis fide et revelatione careat, de qua nihil unquam audivit (2). Quod cum absurdum sit, sequitur 5. eum qui falsam religionem profitetur quam veram putat, tum culpa liberum esse, tum Deo placere posse, non secus ac illum qui veram religionem profitetur; Deus enim ex intentione operantis judicat omnes. In omnibus proinde religionibus Deus aeque coli potest, ac salus aeterna obtineri (3).

303. I. Resp. Ad 1. posse ejusmodi argumentum adversus deistas retorqueri et adversus omnes haereticorum antesignanos seu primos reformatores: publica tranquillitas postulat, ut nemo agat et scripta in lucem emittat contra religionem patriam; ergo deistae ac primi protestantes qui tot scripta edidere contra patriam religionem, seditiosi fuerunt, et in Deum ipsum peccarunt.

304. II. Resp. directe, ***Dist. antec.*** publica tranquillitas postulat, ut quisque religionem patriam sequatur si vera sit, *C.* si falsa *N.* Numquam enim debent homines assentiri mendacio; nec principes jus ullum habent recipiendi falsam religionem, cum ipsi praesertim ad veram religionem complectendam teneantur (4). Ceterum licet nemo possit religionem falsam suscipere, etsi illa humanis legibus praeciperetur, ac prohiberetur vera religionis professio, pax tamen servanda est, nec ordo publicus perturbandus. Sola in ejusmodi casibus resistentia, quae passiva dicitur, est opponenda, prout religio docet, ac primi christiani in praxim deduxere (5). Quod si fiat, nullum tranquillitati publicae detrimentum affertur, etiamsi falsa patria religio non observetur.

305. Ad 2. *D.* Is reipublicae legibus obsequium denegat, quia nec potest obsequi, nec tenetur, *C.* secus *N.* Tales

(1) Cons. Segneri, *L' incredulo senza scusa*, part. II, cap. ult.

(2) Rousseau, *Emile*, tom. III.

(3) Ita Baylius in *Comm. phil.*

(4) Peropportune hoc animadvertit *The catholic miscellany* Jun. 1826. Tabula ibi apponitur mutationum in religionis professione, quibus subjacere debuit Henricus Ienckins in provincia Eboracensi sectando religionem praescriptam a legibus civilibus quibus unum fere ac idem est facta. Henricus Ienckins ortus anno 1501 vivere desiit anno 1670, cum vixisset annos 169. Ab anno 1501 usque ad annum 1534, sub Henrico VII, et Henrico VIII, annis 33 catholicus; ab anno 1534 ad annum 1547, sub eodem Henrico VIII, annis 13 partim catholicus partim anglicanus; ab anno 1547 ad 1553, sub Eduardo VI, annis 6 anglicanus; ab anno 1553 ad 1558, sub Maria annis 5 catholicus; rursum ab anno 1558 ad annum 1649, sub Elisabetha, Jacobo I et Carolo I, annis 91 anglicanus; ab anno 1649 ad annum 1653, interregnum, fanaticus; ab anno 1653 ad annum 1660, sub Cromwel, annis 7 presbyterianus; demum ab anno 1660 ad annum 1670, sub Carolo II, annis 10 anglicanus. Id est, debuit octies mutare religionem; quod si id non est ludere in negotio salutis, ac Deum et homines contemnere, profecto quid sit nescio. Tale porro esset principium Rousseau.

(5) Illustre hujus agendi rationis praebuerunt exemplum milites christiani sub Juliano apostata, qui licet scirent facile futuros se totidem victimas superstitionis hujus imperatoris, si victor e Perside rediisset, attamen fortiter alacriterque pugnabant adversus imperii hostes.

enim leges sunt essentialiter nullae, Deo enim opponuntur. Tunc enim quispiam homini obedire tenetur, ubi Deo ipse contraria non praecipit: *Oportet enim Deo magis obedire quam hominibus* aliquid contra Deum praecipientibus.

306. Ad 3. *D.* Et ista bella, seditiones, caedes ad summum exorta sunt ex intolerantia civili, *Tr.* ex intolerantia religiosa *N.* Si quid enim probaret adversariorum argumentandi ratio, evinceret nonnulla esse et locorum et rerum adjuncta, in quibus toleranda est a principibus seu reipublicae moderatoribus religionum diversitas, quod minime diffitemur. Quamquam bella et seditiones, de quibus adversarii loquuntur, aliam omnino causam, a religione diversam, habuisse suo loco ostendimus (1).

307. Ad 4. *Neg.* sequelam. Perperam siquidem colligit Rousseau culpam in eo esse, quod quis fide et revelatione destitutus sit, de qua nihil unquam audivit. Nam juxta catholicae ecclesiae doctrinam, si quis invincibili verae fidei ignorantia laboret, is neque in culpa est, neque propterea poenae obnoxius; Deus enim impossibilia non jubet. Hinc theologi docent infidelitatem negativam non esse peccatum (2).

308. Ad 5. *D.* Quam veram putat invincibiliter, *C.* vincibiliter *N.* Quare rursum negamus Baylii sequelam: *ergo in omnibus religionibus Deus aeque coli potest;* alioquin sequeretur Deum aeque coli sive ab iis qui humano sanguine et obscoenis ritibus falsa numina colunt, sive ab iis qui legitimum cultum vero Deo exhibent, quod tamen adeo horrendum dictu est, ut ipsorum incredulorum aures offendat.

309. III. Obj. 1. Quilibet videtur admittere religiones omnes veras esse hoc sensu, quod ipsae sint totidem idiomata quibus creatura infirma exprimit obsequium, gratum animum et amorem suum erga dominatorem universi. Quaecumque demum sit ipsius ignorantia vel barbaries, quicumque sint errores, quibus illius mens obvolvitur, ipsius obsequium semper ad Deum dirigitur, semper Deus totius universi ille est, qui illud recipit, quocumque nomine id ipsi offeratur. Gentes silvestres ac barbarae agnoscunt actionem Dei in fulgure, quod iram et minas patefacit, benevolentiam in pluvia quae campos foecundat, providentiam in febri quae vires debilitat, atque in cortice peruana medicinali quae eas restituit. Quaerunt hunc Deum, ac putant se eum invenisse in tuguriolis suis, vel intra proximam silvam; saepe in saxo informi, in arboris trunco, in ave arbitrantur se eum invenisse. Stolide profecto ipsae decipiuntur; attamen dum ad haec objecta convertunt preces, ens invisibile mente revolvunt, vel ens cujus actio est invisibilis, magis potens quam homo, quod remuneratur vel punit, ejusque protectionem implorant. Sed hoc *Esse* solum in mundo est. Ita quidem Sismondi (3). Cui consonat Benjaminus Constant dicens: 2. *Omnes cultus diversi exprimere non debent nisi sensum omnibus communem* (4); ergo.

310. Resp. ad 1. *D.* Si invincibiliter ignorent, quali obsequio Deum honorare debeant, *C.* si Deus manifestaverit modum, quo velit honorari, illisque innotescat *N.* Certe si Deus non manifestasset voluntatem suam circa modum,

(1) Part. I, n. 367.

(2) Recolantur quae superius allata sunt ex propositionum Baji proscriptione, s. Augustino, etc.

(3) In *Revue encyclopédique*, Paris 1826, Janv. art. *Opinions religieuses*.

(4) *De la religion*, etc. lib. I.

quo coli ab hominibus velit, quacumque demum ratione homo exprimat venerationem suam et obsequium creatori, dummodo cum recta ratione non pugnet, recte fungitur munere suo. Ast si homini innotescat hic modus quem Deus praescripserit, jam ipse non potest pro lubito suo Deum colere; alioquin fieret inobedientiae reus. Quare jam concidit tota superstructa moles illius argumenti, seu potius poeticae descriptionis quam subdit genevensis hic auctor. Silvestris enim ac rudis ille homo quem sibi fingit quaerentem Deum suum in tugurio vel silva, etc., est *Esse*, ut ita dicam, abstractum, ac difficile est, imo impossibile ut, si ejusmodi homo ceterorum utitur consuetudine, non possit deprehendere errorem suum, vel ut lux saltem aliqua ei identidem interius non affulgeat, Deum creatorem universi non esse vel truncum vel saxum, ac si sincera mente, et prout oportet, Deum quaerit, Deus certo praesto illi erit, interna saltem illustratione, ad eum erudiendum, ne in tam turpem idololatriam corruat. Hinc receptum illud adagium in scholis: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*. Quare tam rudis ignorantia quae invincibilis sit, vel non datur, vel diuturna saltem non erit. Hinc diversum tulit judicium apostolus Paulus circa ritum seu cultum idololatricum, eosque qui *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum et serpentum* (1). Nec sufficit ut cultus interpretative, ut aiunt, referatur in Deum unicum et verum, nisi id ex ignorantia inculpabili fiat, si tamen dari posset; sed requiritur, ut aperte atque, ut loquuntur scholae, *formaliter* in verum Deum dirigatur; alias vel ipsa turpissima idololatria quae victimarum sanguine vel obscoenis ritibus sordescit, in Deum dirigeretur, eumque coleret ac honoraret.

311. Ad 2. *D.* Diversitate accidentali et innocua, *C.* essentiali ac perniciosa *N.* Omnia ejusmodi systemata a protestantibus vel incredulis excogitata evanescunt, si lenocinio verborum quibus concinnata sunt, expolientur.

312. I. Inst. 1. Christianus sibi conscius suae fallibilitatis numquam vi adiget ceteros ad sua propria sensa admittenda; id enim non aliud esse arbitraretur, nisi ipsos in aeternas poenas conjicere; nonnisi invito animo poterit a sua communione eos repellere qui, eodem fatente, forsan melius et rectius, quam ipse, sentiunt, quosque forte Jesus ipsi praefert. Semper reverebitur sentiendi rationem fratrum suorum, numquam eos ut haereticos habebit, numquam odio prosequetur, numquam ob ipsorum fidem rejiciet. Ita minister Chastel; qui praeterea refert 2. ecclesiam genevensem declarasse, vere Christianos esse eos omnes, qui admittunt Deum, Jesum Christum et Scripturas (2); hinc 3. subdit: Omnes reformati, quicumque demum sit modus, quo interpretantur Scripturas, debent se considerare ut fratres, repellere a se anathemata, schismata, controversias, ac se invicem in Christo ut fratres diligere ac revereri. 4. Quod attinet ad catholicos, si nos eos a communione nostra arcemus, non propter ipsorum dogmata vel ritus id facimus, sed tum propter spiritum intolerantiae, quam profitetur ipsorum ecclesia, tum propter eorum dependentiam ab auctoritate humana, etc. (3); ergo.

(1) Rom. I, 23. Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν.

(2) Op. cit. *De l' usage des confessions*, etc. pag. 81 et pag. 106.

(3) Ibid.

313. Resp. ad 1. *D.* Christianus protestans, *C.* catholicus *N.* Certe nullum jus habet protestans, si velit sibi esse consentiens ac fidelis principio reformationis, ceteros erroris accusare, vel repellere, vel anathematizare, fidei confessionem exigere, etc.; cum omnes et singuli protestantes eodem jure gaudeant, quibus *quidlibet audendi semper fuit aequa potestas*. Quod si secus fecerunt eorum majores, violarunt ejusmodi jus, prout violavit omnium primus Calvinus dignus eorum parens, dum igni damnavit Servetum, eo quod hoc jure uti voluerit, licet admiserit et ipse Deum, Jesum Christum et Scripturas, ac proinde verus esset christianus juxta declarationem ecclesiae genevensis; quod pessimum exemplum ceteri reformati sequuti sunt usque ad hanc epocham, in qua primum totum systema protestantismi ejusque spiritum agnoverunt. Ipsis propterea gratulari debemus. Ast catholicus, qui ab auctoritate infallibili instituitur, ejusmodi commixtiones ac foedera quae erroris tantum propria sunt, nec facere nec inire potest, alioquin jam non catholicus.

314. Ad 2. Quae ecclesia genevensis rursum jure suo usa est in hac declaratione, et emendavit suos emendatores; non longe abest forsitan illud tempus, quo eadem ecclesia declarabit Christianos eos etiam qui rejiciunt Scripturas, prout plures jam reformati faciunt, ut ex dictis suo loco patet. Islamitae ex declaratione ecclesiae genevensis veri Christiani sunt; nam et ipsi admittunt Deum, Jesum Christum (ut magnum prophetam sicuti ecclesia genevensis) et, ex parte saltem, Scripturas. Mirum profecto in modum per hanc declarationem suos ecclesia genevensis terminos dilatavit.

315. Ad 3. Concedimus totum, sed interea petimus a ministro Chastel, num suis irenicis, quo nomine volunt appellari, congruere possint quae haereticis sui temporis scribebat Tertullianus? *Pacem quoque*, ait ipse, *cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis impugnationem conspirent* (1); *schisma est unitas ipsis* (2). Adeo verum est haereticos seu protestantes omnium saeculorum eodem spiritu duci!

316. Ad 4. *D.* Attamen propterea catholici non conquerentur, *C.* quasi conquerentur *N.* Non debet adversarius noster cum sua ecclesia genevensi sollicitus esse de catholicorum sensu propter ejusmodi communionis denegationem; nam eam catholici nec quaerunt nec ambiunt, atque utpote intolerantes etiam ultro oblatam respuerent, ut humanae, quam ipse vocat, auctoritati subesse pergant.

317. II. Inst. 1. Ast religio non est dogma; ipsa consistit in relatione hominis cum Deo suo, minime vero in illa Dei notione quam sibi quisque efformat, vel in verbis quibus eam exprimit. 2. Religio est quaedam animi affectio (italice: *un sentimento*), non autem scientia; ipsa enascitur ab expressione amoris (3); ergo.

318. Resp. ad 1. *D.* Ita tamen ut dogmata credenda proponat, *C.* secus *N.* Religio utique in se non est nisi moralis virtus quae hominem inclinat ad Deum debito cultu prosequendum, at objectum istius cultus sunt etiam dogmata quae Deus revelavit ac credenda proposuit. Qui enim renuit fidem Deo revelanti ac per ecclesiam revelationem proponenti adhibere, iste Deum profecto, ut decet, nulla ratione colit. Atque in

(1) *De praescriptionibus*, cap. 41.
(2) Ibid. cap. 42.

(3) Sismondi loc. cit.

hac fide praecipue consistit tamquam in sua radice ac fundamento tota relatio, quam homo habet cum Deo suo qui veram sui notionem homini manifestavit, et ut plurimum verba quibus eam exprimat.

519. Ad 2. *N.* Haec siquidem animi affectio non est nisi fructus et effectus quem religio producit, non autem religio ipsa est. Notiones rerum confundi non debent, alioquin orietur confusio. Sic expressio amoris non est nisi affectus quem inspirat ipsa religio non vero ab ipsa enascitur religio, quae absolute stare potest absque ejusmodi expressione.

520. IV. Obj. Deus ipse commendat tolerantiam religiosam; 1. Deus enim, inquit Salvador (1), creare voluit coelum ac terram in bonum omnium hominum. 2. Foedus inivit cum Noe cunctorum hominum parente. 3. Moyses neque allexit neque impulit unquam socerum suum ad relinquendos deos suos. 4. Bona Noemi dicebat nuribus suis: *Ite, revertimini ad populum vestrum, et ad Deos vestros* (Ruth I, 12). 5. Legati Jephte loquuntur non sine veneratione de Kamos Ammonitarum Deo (Jud. XI, 24). 6. Michaeas progressus est eo usque, ut ratione formali ac positiva praenunciaverit tempora tolerantiae generalis: *Concident* (populi) *gladios suos in vomeres ..... non sumet gens adversus gentem gladium .... quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui; nos autem ambulabimus in nomine* (Jehovah) *Dei nostri in aeternum et ultra*. Cfr Isaiae II, 4; ergo.

521. Resp. *N. A.* Ad 1. *D.* in bonum omnium hominum creare voluit coelum et terram, ut omnes homines, tantis beneficiis per eum cumulati, eum colerent ac digno obsequio et amore prosequerentur, *C.* ut sic ostenderet sibi placere tolerantiam religiosam, id est, omnium superstitionum foedissimarum cultum, eumque probare, *N.* Quis enim tam stultum nefas in animum inducat suum nisi atheus? Si quid valeret hoc argumentum sive inductio judaei philosophi Salvador, id etiam sequeretur, quod nempe Deo placerent homicidia, furta, blasphemiae, flagitiaque omnia, in quae homines scelesti facile adeo prolabuntur; cum et pro ipsis creaverit Deus coelum et terram, et *pluere faciat super justos et injustos*. Attamen adversarius noster id etiam prae oculis habeat, Deum nempe creasse pariter paradisum et infernum, ut pro meritis post praesentem vitam decernat unicuique vel praemia vel poenas. Deus quidem vult ex animo omnes homines salvos fieri, atque *ad cognitionem veritatis venire*. Quod si homines desciscunt, si malunt cupiditatibus indulgere, et colere opera manuum suarum, et veri Dei, qui fecit illos, oblivisci, etsi creaverit pro ipsis etiam coelum et terram, aeternum tamen, nisi resipiscant, a Deo punientur.

522. Ad 2. *D.* Quatenus numquam amplius diluvio esset homines perditurus sicut prius, *C.* ad cohonestandam tolerantiam religiosam *N.* Quin potius ne vera religio oblivioni daretur, vel humanis commentis corrumperetur, elegit sibi Abraham ejusque posteritatem in populum peculiarem, cui commissam voluit revelationem suam, donec veniret plenitudo temporis, in qua gentes ab erroribus revocarentur ad veri Dei cognitionem et amorem, quod suo loco ostendemus (2).

523. Ad 3. *D.* Numquam allexit neque impulit socerum suum ad relinquen-

(1) *Histoire des institutions de Moïse*, pag. 120.

(2) In tract. *De incarnatione*.

dos deos quos non habebat, *C.* quos habebat *N.* Jethro enim erat cultor, imo sacerdos veri Dei cui in deserto obtulit holocausta et hostias, ut patet ex libro Exodi (cap. XVIII, 12). Non poterat proinde Moyses eum impellere ad falsos deos relinquendos. Ceterum quod non impulerit etiam, ut sese cum populo Israel conjungeret, ac proinde profiteretur cultum mosaïcum, hoc falsum est, ut rursum patet ex libro Numerorum (cap. X, 29-31), ubi et semel et iterum eum invitavit, multa bona ei promittens. Judaïcane an potius philosophica est haec fides integerrimi illius Salvador?

324. Ad 4. *N.* prout profert Salvador. Numquam enim dixit Noemi: *Ite, revertimini ad populum vestrum et ad Deos vestros* (1); sed solum: *Revertimini filiae meae, et abite;* cum vero discessisset ab ea Orpha, altera ejus nurus, dixit Noemi ad Ruth: *En reversa est cognata tua ad populum suum et ad Deos suos, vade cum ea;* ita ut sensus sit: vade et tu in terram tuam, prout et illa perrexit. Haec autem profata est Noemi, ut interpretes passim exponunt, ad explorandam Ruth constantiam atque animi propositum (2). Quid igitur habetur, quod vel innuat tolerantiam religiosam?

325. Ad 5. *D.* Id est, ad mentem ammonitarum ac moabitarum, *C.* ex mente Jephte qui non credebat nisi in verum Deum, *N.* Ut si nos argueremus adversus islamitam, ac diceremus: Si tuus propheta Mahumetes hoc tibi praescripsit, etc.; numquid hinc sequeretur nos habere Mahumetem ut verum prophetam, vel de eo loqui non sine veneratione? Non puto; talis vero est sensus legatorum Jephte (3).

326. Ad 6. *Neg.* Imo contrarium omnino vaticinatur, sensus enim est: etsi omnes gentes ambulent in vanitate sensus sui, falsos deos vel idola colentes, nos tamen semper ambulamus et ambulabimus in nomine Jehovah Dei nostri. En quomodo verba Michaeae vertat Rosenmüller, quem Salvador interdum in medium profert: *Nam omnes populi ambulant in nomine Dei sui, nos vero ambulamus in nomine Jehovah, Dei nostri in perpetuum et aeternum* (4), qui praeterea sic pergit exponere sensum prophetae: *Id est, quum Jehovah vobis spem faciat tam praeclarae restitutionis, oportet vos bono animo stare, et hac promissione fretos pergere in vero ejus cultu, utcumque aliae gentes suis diis serviant, et in suis superstitionibus superbiant.* Consonat Chaldaeus Paraphrastes, qui sic reddit citatum versum: *Etenim omnes populi ambulant juxta id quod idola colunt, nos vero confidimus in verbo Jehovah, Dei nostri, in saeculum et in saecula saeculorum* (5). Haec ignorare non poterat judaeus auctor. Ubi est igitur formalis, illa imo *formalissima*, ut ipse loquitur, et positiva praedictio futurae alicujus tolerantiae generalis (6)? Quare vero idem auctor proferat Isaïam II, 4, non video,

(1) Sic enim Salvador refert verba Noemi: *Allez, retournez à vos peuples et à vos dieux;* jam vero etiamsi recederemus a versione vulgata, hebraica veritas ita se habet שֹׁבְנָה בְנֹתַי לֵכְןָ ad verbum: *revertimini filiae meae, ite . . .* nec additur; *ad Deos vestros.*

(2) Ita exponunt non solum interpretes catholici a Lapide, Tirinus, Calmet, etc. sed ipsi protestantes, ut videre est in *Criticis sacris*, ad hunc locum.

(3) Ita pariter hunc textum exponunt citati interpretes.

(4) In hunc locum.

(5) Ibid.

(6) En verba auctoris: « Il va jusqu'à prophétiser de la manière la *plus formelle*

cum ibi nec syllaba nec jota habeatur ad rem suam.

327. Inst. Intolerantia civilis nullo modo distingui potest ab intolerantia religiosa; duae enim hae intolerantiae sunt prorsus indivisibiles; impossibile siquidem est pacifice vivere cum iis, qui tamquam inimici Dei habentur (1); ergo.

328. Resp. *N. A.* quoad omnes partes. Non solum enim distingui possunt duae istae intolerantiae, sed distingui omnino debent, ut distinguuntur et differunt inter se objectum temporale et spirituale. Regis enim seu magistratus qualiscumque est poenas in delinquentes contra incolumitatem reipublicae decernere, vel eas infligere. Religionis est declarare eos, qui culpabiliter falsitatem vel errorem sectantur extra viam salutis esse, et eos interea non solum pati, sed amare, iis benefacere, atque omnimode eorum salutem procurare ad exemplum Christi et apostolorum, qui non solum pacifice vixerunt cum iis, qui pervicaces in suis erroribus erant, sed omni beneficentiae argumento eos prosequuti sunt, ut eos sibi conciliarent; eo magis, quod nos semper lateat, an non futurum sit ut ipsi aliquando revertantur ad veritatem ac resipiscant. Quamdiu vivunt, juvat spem aliquam alere de eorum conversione, quae non raro felicem habuit exitum.

et la *plus positive* les temps de la tolérance générale: un jour tous les peuples cesseront de combattre, et prendront plaisir à la paix; chacun marchera en invoquant le nom de son Dieu, Israel toujours le nom de Jehovah ».

Perfrictae frontis sunt ii, qui fidem omnem abjecerunt.

(1) Ita J. J. Rousseau, *Emile*, liv. IV, tom. III.

CONCLUSIO

329. Ex iis, quae hucusque disseruimus, pronum est colligere totum christianae religionis systema in auctoritate fundari. Deus enim ita disposuit, ut homo, qui limitibus circumscriptus est, ac errori obnoxius, rationem suam subjiceret ipsius auctoritati; quare non contentus revelare veritates, quae intra rationis ac naturae fines continentur, revelavit praeterea veritates, quae humanae mentis aciem atque obtutum superant, ut homo disceret munus sibi incumbere subjiciendi propriam rationem in iis, quae ad fidem ac religionem pertinent, atque Deum statuisse mundum salvare per fidem.

330. Donec veniret plenitudo temporis, extraordinaria providentia, ut vidimus, ipsemet prospexit revelationis suae incolumitati atque integritati (1). Ac cum misit Filium suum ad homines retrahendos ab illis ignorantiae tenebris, quibus ipsi sua culpa obvolvebantur, utpote obliti, magna saltem ex parte, illarum veritatum quas jamdiu Deus ipsis patefecerat, atque ad dandam illis pleniorem sui cognitionem, constituit, ut haberetur magisterium juge, infallibile, visibile, atque perpetuum, quo tuto dirigerentur in salutis via; neque a veritatis tramite, ut antea, aberrarent. Hoc vero magisterium posuit in ecclesia, quam

(1) Prout fatetur ipse Limborchius, etsi socinianus, in sua *Amica collatione cum erudito Judaeo*, nempe Orobio. Cum enim Orobius in tertio scripto objecisset: « Numquam tot difficultatibus, dubiis et variis intelligentiis obnoxium fuisse verbum Dei quam sub evangelio; in ecclesia Israëlis nullas enatas sectas, nisi jam depravato saeculo, et de rebus ad legis essentiam non pertinentibus »; respondet Limborchius ad istud secundum punctum: « Quod ecclesia israelitica in principio variis opinionibus agitata non fuerit, causa fuit crebra prophetarum, qui spiritu divino commovebantur, frequentia, quorum auctoritatem omnes excipere tenebantur » (cap. IV. resp. ad tertium Judaei scriptum). Ergo, colligo, auctoritas et quidem divina necessaria est ad unitatem servandam, alioquin hominum ingenia dilabuntur. Quoad dissensiones enatas post evangelium, facile fuisset catholico respondere, ipsas non ex evangelio ipso emersisse sed ex privatorum perduellione ab illa auctoritate, quae divinitus constituta est ab ipso evangelii auctore, nempe ecclesia catholica. At sociniano homini alia via ineunda erat, quae satisfacere expostulationi Judaei nullo modo potest, ut legenti ejusmodi effugia, quae hic habet Limborchius, patet; neque melius, ut supra monuimus, huic ipsi difficultati occurrit Grotius protestans.

Christus fundavit, eam sibi acquirendo sanguine suo, ac praecise in pastorum coetu sub regimine unius capitis visibilis, quod in totum corpus influeret, quodque fundamentum totius aedificii ecclesiae suae esse voluit. Constituit, ut huic ecclesiae omnes subjicerentur, nisi velint haberi tamquam ethnici et publicani, id est extorres ab hoc individuo corpore seu societate a se constituta, ac rei criminis perduellionis, ideoque aeternae damnationis.

331. Huic ecclesiae revelationis depositum consignavit; mandavitque, ut ipsa in nomine suo praedicaret evangelium omni creaturae, id est in omni loco et omni tempore, adsistentiam suam promittens, ne unquam in hoc ministerio vel deficeret vel erraret. Voluit ut pignus adsistentiae suae praeseferret miracula, vaticinia, aliaque charismatum dona, nec non foecunditatem, non solum in filiis gignendis, sed provehendis usque ad plenam sanctitatem.

332. Haec autem ecclesia, quae coepit in Petro et in apostolis, continua et numquam interrupta successione, velut persona moralis semper jugiterque perseveravit, ac plena vita praedita usque ad nos, prout ex divinis promissis semper jugiterque una et individua perseverabit usque ad consummationem saeculi, ambiens omnia loca et omnia tempora, semper praeseferens divinae adsistentiae pignora et argumenta. Restitit enim firma et invincibilis adversus sibi praenunciatas inferni machinationes, tum externas ex parte ethnicorum seu infidelium, tum internas ex perduellione filiorum suorum. Sibi sufficiens, seu potius divino praesidio ac divinis pollicitationibus innixa, independens omnino est ab hominum sive favore sive furore; humanos favores spectat ut media, persecutiones et iram ut probationes, sed nec illis innititur, nec istas formidat, et saecula trajicit novis semper triumphis clara, uberes sanctitatis fructus producens, homines nempe tum omnibus virtutibus tum charismatum donis insignes in testimonium divinae originis suae, ac novos semper filios in coelum transmittens, usque dum et ipsa, non habens neque rugam neque maculam, cum completus fuerit electorum numerus, regnabit in perpetuas aeternitates.

333. At sicut Deus voluit unitatem ecclesiae suae constitutam esse in principio auctoritatis, e converso sectae ab hac auctoritate divinitus constituta, desciscentes, ut ductum spiritus privati seu rationis, ut vocant, individualis, sectarentur, oppositum ecclesiae magisterio principium dissolutionis ac divisionis substituerunt. Quo principio semel posito, factum est, ut numquam illae inter se unitatem doctrinae conservare potuerint, atque, ut consequens erat, numquam sibi constantes nisi in sola mobilitate, de novitate in novitatem, de errore in errorem prolapsae sint; novas semper confessiones edentes, ac in frustula comminutae, donec consummerentur atque perirent, ut sal in aqua dissolvitur. Ita veteribus sectis accidit, ita novis, quae desierunt in naturalismum seu rationalismum, ultimum, juxta Leibnitzium, haereseos genus (1). Quod si inter-

(1) Non me fugit Ephemeridem evangelicam ecclesiasticam (mens. Januar. 1830, n. 5, 6) vehementissime insurrexisse contra rationalismum, ac contra doctores Gesenium et Wegscheider, professores theologiae Hallae. Censura autem adeo fuit virulenta, ut non solum commoverit horum professorum auditores, sed compulerit facultatem theologicam ad invocandam ministerii protectionem adversus impugnationes aemulae Berolinensis Universitatis (vid. *Appendix extraord. Ephemer. univers.* n. 26, 1830). At quis non videt

dum atque ad tempus consistere visa est inter haereticos protestantes antiquiores et modernos aliqua unitatis species, id factum non est, nisi quia ipsi non fuerunt consentientes suo proprio principio, substituentes, sive aperte, sive occulte, propriam auctoritatem auctoritati ecclesiae catholicae, quam deseruerunt. Sublata enim auctoritate, necesse est ut auferatur unitas, imo unitatis principium ac proinde ecclesia ipsa, quia sublata auctoritate non remanet nisi individualis libertas, individuus cujusque sensus; et vinculum disrumpitur, quo simul ejusmodi membra secum cohaereant, adeo ut sectae non sint nisi aggregatio turbarum, seu etiam individuorum, quorum alterum nihil habet cum altero commune, nisi principium dissolutionis ac divisionis, seu unitatem negativam, id est, privationem essentialem cujuscumque compaginis atque unitatis.

334. Neque huic auctoritatis ecclesiae catholicae defectui supplet auctoritas scripturae, ut protestantes reponunt; nam praeterquam quod ipsis constare non potest de numero, de integritate, de divina inspiratione sacrorum librorum ac singularum eorum partium nisi ex testimonio et auctoritate ecclesiae catholicae, a qua, ut ipsi loquuntur, se tandem in libertatem vindicarunt (1), ac proinde cum integrum unicuique sit, ex principio examinis spiritus privati, eos admittere vel rejicere, ut factum ostendimus a protestantibus recentioribus, quemadmodum semper factum est a protestantibus antiquis (2), illud ipsi constituunt tamquam remedium quod semper fuit omnis mali origo. *Neque enim*, ut praeclare jam observaverat s. Augustinus (3), *natae sunt haereses, et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur*. Adeo ut nulla unquam fuerit haereticorum secta, quae non inniteretur alicui scripturarum auctoritati (4).

335. Interea Deus ordinatissima providentia sua permisit, ut haereses et sectae orirentur, viventibus adhuc apostolis ipsis, ut ex ipsorum agendi ratione adversus ejusmodi novatores protestantes, compertum esset toti posteritati seu subsequentibus saeculis, tum quaenam esset haereseon origo, tum ratio, qua ecclesia se gerere deberet cum haereticis seu protestantibus orituris; ut hos nempe expelleret e sinu suo, et fideles praemuniret adversus eorum conatus ac subdolas versutasque artes; tum demum ipsis, nisi resipuerint, sempiterno exitio

hanc agendi rationem destruere principium et essentiam reformationis? Si enim, ut toties dictum est, essentia reformationis consistit, ipsis fatentibus, in plena examinis libertate atque in plena independentia spiritus privati a qualibet auctoritate, quo jure Berolinenses excandescere possunt adversus rationalistas, si isti corollaria deduxerunt ex principio et essentia reformationis? Si ipsis persuasum est, se in scriptura non invenire nisi purum rationalismum, quo jure id illis objicitur, quod reformatores sibi arrogarunt? Adeo verum est nullum dari medium inter catholicismum et rationalismum sive deismum. Quilibet enim apud protestantes potest respondere: *Quis nostrum judices vos constituit?*

(1) Nempe sicut filius prodigus se emancipavit ab auctoritate paterna.

(2) Nempe ebionitis, cerinthianis, marcionitis, manichaeis, etc. qui et ipsi rejecerunt eos libros, quos ipsis rejicere placuit.

(3) Tract. XVIII, in Joan. tom. III, p. 440, edit. Maur.

(4) Cons. Vinc. Lirin. *Commonitorium* n. 45 et seqq.

certo addicendos denunciaret, nullum interponens discrimen inter haereses et haereses, haereticos et haereticos. Quandocumque enim quis reus est protestantismi, seu protestationis adversus ecclesiam, quam Christus instituit depositariam perpetuam revelationis, magistram et interpretem, seu, ut loquitur Paulus, *columnam et firmamentum veritatis* (I Tim. 5), certissime ejusmodi poenam incurret.

336. Non exiguum tamen emolumentum cepit, aut capit ecclesia catholica ex ejusmodi semper sibi succedentibus haeresibus et sectis, ipsarumque perpetua mobilitate, ortu et interitu. Ac 1. quidem ex occasione exorientium errorum diligentius inquirit in fidem suam, explicate et luculentius evolvit veram doctrinam, ut inde magis appareat pulchritudo totius catholici systematis, et nexus intimus omnium veritatum, quas profitetur, ut reipsa semper factum est, quoties quilibet novator aliquam veritatem impugnavit. 2. Ut ex perpetuo conflictu, quem sustinere debet ex parte haereticorum, vigilet semper, firmioremque quodammodo auctoritatem nanciscatur. Etenim prout justi ex malorum insectatione probantur, ac magis eorum virtus nitet, sic ecclesia, quae est, ut saepe diximus, moralis persona, ex sectarum machinationibus, malis artibus, calumniis, imo saepe ferro et igne, pulchrior semper ac nitentior splendet. 3. Ut omnibus planum compertumque sit, ecclesiae stabilitatem ac firmitatem non aliunde quam a Deo ipso ejusque promissis esse repetendam, dum opera hominum continuo diffluunt ac dissolvuntur. 4. Ut ex sterilitate haereticorum omnes discant jugem ecclesiae catholicae foecunditatem Deo soli acceptam esse referendam, non autem humanae cuivis industriae vel hominum conatibus, quia: *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam;* et: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (I Cor. III, 7). 5. Ut discant omnes, fidem donum Dei gratuitum esse, neque scientia comparari posse, neque humana industria, quibus virtutibus certe pollent plures inter sectarios, nec quempiam de se debere praesumere, et: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (I Cor. X, 12); quum Deus de se praesumentes dimiserit in desideria cordis eorum ac *dicentes se esse sapientes, stulti facti sint*, et *Deus errare eos fecerit quasi ebrios;* adeo ut vix sit errorum monstrum sive theoreticum sive practicum, in quod plus minus ejusmodi sapientes non inciderint, et vix sit contradictio, in quam ipsi turpiter non sint prolapsi; sic neminem aliter posse in fide perseverare nisi humilitate et oratione, prout nemo ad veram fidem nisi humilitate et oratione accedere potest: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. IV, 6). Neque mirum cuiquam videri debet tantam hominum multitudinem in haeresi vel schismate versari, dummodo is secum animo reputet, ante adventum Christi, Deum dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, una excepta hebraica natione; post Christum vero, vocatas quidem fuisse gentes ad fidem, ast judaicum populum in coecitatem ac mentis stuporem incidisse (1).

337. Cum igitur ex dictis duplex tan-

(1) Vincentius Lirinensis internos haereticorum tumultus cruciatusque graphice describit in suo *Commonitorio*, cap. 15, dicens: » Heu miseranda conditio! Quantis illi curarum aestibus, quantis turbinibus exagitantur! Nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semetipsos reversi, tamquam contrarii fluctus, reliduntur; nunc

tum sit ad veritatem via, *ratio* videlicet et *auctoritas*, omnes de religione controversiae ad hunc cardinem, ut ita dicam, revocantur: utrum videlicet in religionis negotio auctoritas rationi, an contra ratio auctoritati sit praeferenda; vel clarius etiam, utrum per viam disquisitionis et examinis, instituendi per privatum uniuscujusque spiritum, seposita omni auctoritate, an vero per viam fidei ac submissionis publicae ac legitimae auctoritati in religionis negotio sit incedendum; vel etiam ulterius: utrum standum sit auctoritati ecclesiae catholicae, an vero, ista posthabita, unicuique liberum relinquendum sit Scripturas privato sensu admittere et interpretari, ac cudere sibi religionem, prout magis minusve quidpiam probabile videatur (1). Dixi ecclesiae catholicae auctoritati; nam si systema seu via auctoritatis admittitur, nullum dubium esse potest aliis quibuscumque eam ecclesiam praevalere auctoritatis pondere, quae omnes certo vincit sive antiquitate, sive universalitate, sive unitate et consensione, imo nulla est, quae cum ipsa comparari possit.

338. Jam vero non potest admitti via sensus privati, quin incidamus in illa omnia absurda, quae recensuimus, quaeque eo tandem homines deducunt, ut omnem fidem amittant, incidantque in perfectum scepticismum religiosum, adeo ut nemo sciat quid tenere, quid respuere debeat, sed majori tantum aut minori probabilitate quadam permoveatur. Unde fieret, ut disputare liceret de religione eodem fere modo ac olim disputabatur inter philosophos; religio vero non esset nisi systema philosophicum, sectae autem totidem academiae, vel scholae philosophicae, in quibus liberum est id tenere ac sectari, quod bonum unicuique videtur. Qui autem sobrius sibi persuadere poterit Deum sic dedisse revelationem suam, ut ejus existentia et sensus permitteretur hominum disputationibus, et omnia incerta, omnia confusa essent, ac religio desineret in pyrrhonismum vel philosophicam quaestionem (2)? In hoc systemate protestans

temeritatis praesumptione, et ea, quae incerta videntur, adprobant; nunc irrationali metu etiam, quae certa sunt, expavescunt; incerti, qua eant, qua redeant, quid adpetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quae quidem dubii et male penduli cordis afflictio divinae erga se miserationis est medicina, si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum catholicae fidei portum diversis cogitationum quatiuntur, verberantur ac pene enecantur procellis, ut excussa in altum elatae mentis vela deponant, quae male novitatum ventis expanderant, seseque intra fidissimam stationem placidae ac bonae matris reducant et teneant, atque amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivae et salientis aquae fluenta potare. Dediscant bene quod didicerant non bene; et ex toto Ecclesiae dogmate, quod intellectu capi potest, capiant, quod non potest, credant.

(1) Sane in Ephemeride protest. (*Le Globe*) n. 137, aperte scribitur: « Notre siècle doute, et, dans le doute, sa religion *c' est sa liberté*, parce que c' est le seul dogme, qui permet à chacun de suivre ce qui lui plaît aujourd'hui, de le rejeter demain. Le caractère de ce siècle est de ne pas avoir une religion, mais d'en avoir mille, mais d'en avoir presqu'autant qu'il y a de familles dans chaque nation ». Potuisset insuper adjicere *quot sunt individua in qualibet familia*. Hic graphice describitur systema protestantismi, quod consistit in nulla habenda religione, nulla fide, sed in profitendo purum dubium, prout suo loco monuimus.

(2) En quomodo ab alio folio protestantico progressus protestantismi describitur: « C'est au seizième siècle que la première fois, dans

sive haereticus, divulsus ab ecclesia universa omnium saeculorum, quaeque hactenus perdurat, segregatus a consortio eorum etiam, qui ecclesiam deseruerunt, cum quisque habeat ex principio protestantismi religionem suam individualem, et sibi a se cusam, solus est, velut insula sive scopulus, in medio mari procellis fluctibusque undique percussus. Quam vero spem, quodve solatium capere potest ex religione sua? Quid si erret? Quod judicium sibi polliceri poterit a Christo Domino post mortem? Omnia plane in hoc systemate horrorem ingerunt, ac plena omnia formidine sunt. Contra vero catholicus, in systemate seu principio auctoritatis securus vivit; ipse communicat cum ecclesia omnium saeculorum et locorum omnium; consortio fruitur apostolorum, martyrum, sanctorum omnium aetatum; nullum unquam poterit ob religionis suae professionem periculum subire, nisi (quod absurdum omnino est) universa catholica ecclesia locum periculis daret; se ipse spectat veluti membrum magnae familiae, cujus caput invisibile Christus est, qui imaginem sui reliquit in Petro ejusque successoribus vicariis suis, in qua omnia bona communia sunt, universalis quidam amor omnia regit, in qua omnia sapientissima providentia a Christo ad nos usque perseverant, omnes eidem mensae eucharisticae assident; et si quae humana fragilitate maculae contrahuntur, per humilem culparum confessionem, in qua ex integra animi sui manifestatione magnum quisque a parente omnium amantissimo percipit solatium. Numquam solus catholicus est, nec vivens nec moriens, sed sicut unus Dominus, ita una fides, unum baptisma, unum corpus et unus spiritus, sicut vocatus est in una spe vocationis suae. Quin imo nec deseritur post mortem; pergit enim communicare cum ecclesia sua, sive militante, cujus suffragiis juvatur, sive triumphante, quae manus ad ipsum tendit et ad se eum invitat.

339. Itaque vel nulla religio, vel so-

la série des événements qui nous intéressent, on voit la liberté de conscience ouvertement et nettement érigée en principe; mais d'abord ce n'est point cette liberté illimitée qu'on a réclamée depuis, c'est seulement la faculté de croire, sur un certain nombre de points déterminés, autrement que l'Eglise catholique. A mesure qu'on se succédant, les sectes, qui s'élèvent du sein de l'Église, prétendent s'eloigner davantage de sa doctrine, elles reculent aussi théoriquement les bornes de cette faculté qu'elles s'attribuent par le fait. *Les Écritures sacrées* avaient été d'abord le champ, où il paraissait convenu que la liberté de conscience devait se renfermer; bientôt cette limite est franchie; *la religion* par quelques hommes est réduite, dans son dogme, à une simple conception de la raison et du sentiment, et dans son culte à une pure relation métaphysique de l'homme à son Créateur; enfin les idées fondamentales de toute institution ou croyance religieuse sont elles-mêmes attaquées, et c'est à l'abri du principe de la liberté de conscience, toujours de plus en plus étendue, que ces divers degrés d'incrédulité se produisent tour à tour et essaient de se faire recevoir » (*Producteur;* n. 9, pag. 408). Hoc ipsum, jam a quinto Ecclesiae saeculo, rursum praeviderat et praenunciaverat, in suo admirabili *Commonitorio*, cap. XXXI, Vincentius Lirinensis: « Nam si semel admissa fuerit, *inquit*, haec impia fraudis licentia, horreo dicere quantum exscidendae atque abolendae religionis periculum consequatur. Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps alia et alia, jam quasi ex more et licito abdicabuntur. Porro autem singillatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur?

la religio catholica. Nullum datur medium; vel si medium datur, est medium incohaerentiae. Quia si Deus est, si divina providentia sua cuncta gubernat, per nexum quemdam validamque ipsius rationis vim ad catholicam professionem tandem deveniri debet.

340. Placet haec omnia testimonio et auctoritate magni Augustini roborare et confirmare, qui non minus vere quam eleganter velut compendium exhibet eorum omnium, quae hactenus fuse a nobis, in utraque hujus tractatus parte, discussa sunt atque exposita.

341. *Si Dei providentia*, scribit ipse, *non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum; sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimae pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior, nescio quae conscientia Deum quaerendum, Deoque serviendum, meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur, non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes adtollamur in Deum. Haec autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere, ut saepe diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine . . . miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet, in quo genere nihil est populis aptius, et omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admovetur. Sed rursus haec in duo dividuntur; quaedam enim sunt, quae solam faciunt admirationem, quaedam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi praeter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit, convalescat, admirationem sanitatis suae, sanantis etiam caritate superabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, caecis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt; ita quaedam corpori manifestiori beneficio, quaedam vero menti occultiori signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant; sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas. Cur, inquis, ista modo non fiunt? Quia non moverent nisi mira essent. Nam diei et noctis vices et constantissimum ordinem rerum caelestium . . . decedentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum saporumque varietates, da qui primum videat atque sentiat, cum quo loqui possimus, hebescit obruiturque miraculis; nos vero haec omnia, non cognoscendi facilitate, quid enim his causis obscurius? sed certe sentiendi assiduitate contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissime, ut, his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas. Mores autem quilibet tantum valent ad obtinendas hominum mentes, ut etiam quae in his prava sunt, quod fere superantibus libidinibus evenit, improbare citius et detestari quam deserere aut mutare possimus. Parum ne consultum rebus humanis arbitraris, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium feminarumque in tam multis diversisque gentibus et credit et prae-*

dicat? Quod continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquae, et non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies continuata jejunia, quod castitas usque ad conjugis prolisque contemptum, quod patientia usque ad cruces flammasque neglectas, quod liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus, quod denique totius hujus mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur? Pauci haec faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt; sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi; populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine provectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Hoc factum est divina providentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum praedicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus, pro temporum opportunitate, miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus ecclesiae cóndere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus et partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi praecolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore praeditae auctoritati velle resistere? Et si unaquaeque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariae superbiae plenius quam divinorum sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare? Quamobrem si quid te vel ratio vel oratio nostra commovit, et si veram, ut credo, curam tui geris; velim me audias, et bonis praeceptoribus catholicae christianitatis te pia fide, alacri spe, simplici caritate committas; Deumque ipsum, cujus unius et bonitate facti sumus, et justitia poenas luimus, et clementia liberamur, orare non cesses. Ita tibi neque praecepta et disputationes doctissimorum hominum et vere christianorum, neque libri, neque serenae ipsae cogitationes defuerint, quibus facile quod quaeris invenias (1).

(1) Lib. *De utilitate credendi*, capp. 16, 17, 18, tom. VIII, opp. edit. Maur.

[illegible]

TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS

LECTORI BENEVOLO

Jam pridem ab ipso mearum de re theologica praelectionum ingressu illud me praestiturum spoponderam, ut peculiari aliquando locos theologicos, quos nuncupant, tractatione explanarem. Id vero Dei Opt. Max. beneficio tandem perfecisse laetor. Prodit quippe in lucem primum disputationis hujus volumen, quod alterum non ita serius excipiet. Universa porro haec lucubratio tametsi postremo omnium loco edatur, primam nihilominus sedem post tractatum qui de vera religione a nobis inscriptus est, suo jure sibi vindicat. Etenim quae reliquae sunt theologicarum institutionum partes, ex principiis notis veluti aliunde atque exploratis, in peculiarium dogmatum evincenda veritate versantur. At vero haec quam auspicamur, posteaquam quod par est fundamentum in tractatu de vera religione praejactum fuerit, principia ipsa atque fontes, unde omnis in theologica disciplina veritatum series dimanat, proponit atque explicat, eorundem inter se nexum ac mutuam, quam vocant, dependentiam patefacit, et quod caput est, singulorum veritatem accurate demonstrat. Quae cum ita sint optimo jure factum est, ut tractationi huic locorum theologicorum appellatio inderetur: eandemque ob rem haud alio quam receptissimo illo titulo hanc operis nostri partem praenotandam censuimus.

Jam nos ipsi profitemur plura in hisce locis illustrandis fuisse complexos, quae arctissimam cum iis necessitudinem habent, quae in altera parte tractatus de vera religione haud ita summis labiis delibata sunt. Verum utraque invicem disputatio plurimum distat. Etenim id unum illic intendimus ut continenti propositionum serie, efficaci illa quidem, sed arctiori et pressa, homini divinae revelationis necessitatem atque existentiam nuperrime edocto, nec in quanam societate exquirenda ea sit satis per seipsum internoscere valenti, verae Christi ecclesiae faciem

ac praecipua lineamenta velut in tabula quadam expressa exhiberemus. Heic vero quoniam regulae proximae fidei nostrae dignitatem nancisci ecclesia debet, funditus enucleanda res est; natura ipsa atque intima ecclesiae constitutio exploranda, ceteraque de Scripturis et traditionibus in propatulo ponenda; quae nisi solide in ipso Theologiae vestibulo constituta fuerint, omnis deinceps disputatio suis quasi nervis destituta nutet oportet.

Neque vero mirum cuique videri debet, quod locorum theologicorum explanationem duobus voluminibus vix exhauserimus. Nam quominus parciores in scribendo esse possemus, tum rei gravitas atque copia, tum instituti nostri ratio, nec non aetatis quae nunc est conditio prohibuerunt. Incredibile enim dictu est quanto vesaniae ac furoris aestu heterodoxi homines, quo inclinatum et prope collapsum protestantismum utcumque sustentent, in labefactanda catholicae ecclesiae imprimisque rom. Pontificis auctoritate, ceterisque sacrae Theologiae fontibus corrumpendis unanimes adlaborent. Nec facile explicari potest quam fallacibus eisque variis ac multiplicibus artibus utantur, quotque in dies teterrimas machinationes moliantur. Quandoquidem igitur illud perpetuo animo constitutum gesserimus ut prae obsoletis jamdiuque protritis, errorum qui in praesentia grassantur potissimam haberemus rationem, committere non potuimus, ut hasce vaferrimorum hominum technas paulo studiosius non consectaremur, quo ipsa manifestatione debilitatae et fractae conciderent.

Ceterum nihil inde nostrarum praelectionum moles justo amplius excrescit. Hic enim qui de locis est theologicis, atque alter de vera religione tractatus, apparatus loco ad universam theologiam haberi debent, iidemque propterea seorsum a reliquis edi atque in usum deduci possunt.

Nihilo tamen secius quo iis etiam collegiis morem geramus ac clericorum ephebeis in quibus brevior usura temporis ad theologiae curriculum absolvendum pro sua studiorum ratione conceditur, simul ac alterum tractationis hujus volumen publici juris effectum fuerit, ad ipsas hasce praelectiones nostras in compendium redigendas, si Deus annuat, aggrediemur.

Utinam laborum omnium nostrorum ille tandem fructus obtingat, ut quidpiam solidi emolumenti juventuti in spem catholicae ecclesiae adolescenti pariatur. Id enim vero est quo tendimus, quod discupimus. Id ut Deus Opt. Max. faxit enixis precibus flagitamus.

TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS

PROOEMIUM

1. Nemo profecto qui sacras vel a limine salutaverit disciplinas conspicuum Dominicanae familiae decus illud ac lumen Melchiorem Canum merito non suspexerit, quem tractatus *de locis theologicis* inscribi solitus, suum veluti parentem agnoscit. Sive enim doctrinae spectetur firmitas, sive acumen ingenii, sive compta scribendi ratio ac perpolita: tam multa inibi eximia offeruntur, ut quid potissimum sibi primas vindicarit, addubites. Nihilominus cum per aetatem in qua vir praeclarissimus scripta edebat, numeris omnibus absolutum opus videatur, tum in praesentia minus idoneum, et auditoribus informandis minus accommodatum, suffragio doctorum virorum habitum est. Quapropter expetita fuit nova methodus qua hic tractatus in scholis traderetur ab ea diversa, quam sibi praeoptavit Canus, ceterique deinceps qui ad haec ferme tempora eum imitati, aquas ex illo communi fonte in suos usus quodammodo derivarunt.

2. Et plura sunt quae me ad obsequendum huic sive monito sive desiderio, non movent dumtaxat, sed pene compellunt. Atque in primis agendi ratio protestantium, biblicorum, rationalistarum ac mythicorum in doctrinis catholicis insectandis, ob quam non amplius datur nobis tritum iter insistere ut apto cum iis armorum genere dimicemus. Etenim quemadmodum post adscitum in usus bellicos sulphureum pulverem, integra militaris ars sive in extruendis arcibus, sive in impetu hostico repellendo, sive in ceteris, quae ad leges oppugnatorias spectant est immutata; ita variari debuit norma oppugnandi religionis hostes, posteaquam isti novis machinationibus ad catholicos aggrediendos uti coeperunt. Praeterea idipsum suadent progressus quos insequentibus temporibus scientiae fecerunt tum in arte critica, tum in exegesi, tum denique in philosophicis disciplinis ad quos exigi rem theologicam necesse est, ne reliquis disciplinis haec nostra inferior videatur. Huc accedit methodum a Cano adoptatam, ac deinceps a reliquis fere post ipsum, minus geneticam, ut loquuntur, sive scientifi-

cam videri posse. Ex ea siquidem haud levia dimanant incommoda, quae declinari vix, aut nullatenus etiam queunt.

3. Etenim Canus primo loco de Scripturis divinis agit, deinde vero de Traditione, hinc de Ecclesia et de Conciliis, quibus subnectit quae ad romanum Pontificem, Sanctos veteres, quos vulgo *Patres* nuncupamus, ac Theologos scholasticos pertinent; ut demum tres alios aperiat fontes, unde Theologus hauriat argumenta illa quae ipse vocat adscriptitia, ac velut ex alieno emendicata, rationem scilicet naturalem, auctoritatem philosophorum, et jurisconsultorum, postremo auctoritatem humanae historiae (1).

4. Verum enimvero quis unquam non viderit nequaquam posse quemquam de Scripturis sacris, prout *divinae* spectantur apte disserere, de ipsarum, ut ajunt, inspiratione, et canone, ut reliqua missa faciam, quin prius auctoritas illa constituta sit ex qua solum eae notae tuto nobis poterunt constare? Idem dic de divinis traditionibus et earum auctoritate, ac de reliquis quae ab Ecclesiae auctoritate ac testimonio, uti postea ostendemus, unice pendent.

5. Quamobrem iter insistendo, quod et alias ingressi sumus in posteriori tractationis nostrae parte quam de *Vera religione adversus heterodoxos* inscripsimus, magis ad rem conficiendam opportunum nobis visum est exordiri ab ecclesia cujus praescriptionem, sive *anterioritatem*, ut ita loquar, cum jam constituimus, sic magis ac magis in hac ipsa tractatione confirmabimus. Ex hoc porro principio velut ex uberrima segete pronum erit colligere quae ad sacram Scripturam, et ad traditionem sive oralem, sive litteris, documentisque deinceps consignatam, aliave ratione ad nos deductam, referuntur. Quibus absolutis firmiterque constabilitis, pandetur via ad reliquas quaestiones agitandas de quibus acris controversia aetate potissimum hac nostra et contentio excitata est, de analogia videlicet rationis ac fidei.

6. Cum enim locorum theologicorum nomine veniant argumentorum sedes ac veluti domicilia, ut loquitur Canus, ex quibus theologi omnes suas argumentationes sive ad confirmandum, sive ad refellendum inveniant, patet, si rem strictius spectes ac prout scientiae nostrae natura exposcit, quae tota divinae auctoritati innititur, eos revocari debere ad verbum Dei sive scriptum sive traditum, quod constituit eam quam vocant *remotam* fidei nostrae regulam. Cum autem de genuino Dei verbo ac germano ejus sensu, sive revelationis objecto constare certo nobis non possit nisi per medium tutum ac infallibile, cujusmodi ecclesia est, quae constituit fidei regulam *proximam* nuncupatam, ut latius suo loco ostendemus, hinc fit, ut prius de ecclesia quam de Dei verbo agere debeamus. Etenim quoad nos prius constare debet medium, quam res quae per medium innotescit. Abjicere autem legitimum rectae rationis usum a theologicis disciplinis nec possumus nec debemus, adeo siquidem individuus est nexus inter rationem ac revelationem, quae ex eodem omnium bonorum fonte, Deo, dimanant, ut dissociari ab invicem nullatenus possint. Hunc propterea ordinem consectantes totum quod aggredimur opus in tres partes distribuere constituimus, in quarum prima universim quae ad ecclesiam spectant disputabuntur; in altera quae ad verbum Dei scriptum et traditum; in postrema quae ad rationis et fidei analogiam referuntur. Interseremus praeterea idoneis locis quae usui necessaria sunt, ut prospere feli-

(1) Lib. 1, cap. 3.

citerque, qui adversarios fidei catholicae aggrediuntur, eos valeant impugnare.

7. Quoniam vero ecclesia *acephala* seu sine capite neque est neque intelligi potest, ideo de ecclesia integra quae in prima parte dicturi sumus accipienda erunt; quamvis ob rei de qua agitur gravitatem cogamur distincte de ecclesiae capite disputationem instituere. In duas proinde sectiones hanc primam tractatus partem dividimus in quarum priori de Ecclesia generatim, in posteriori de ejus capite, seu de romano Pontifice agemus.

PARS I.

SECTIO PRIOR

DE ECCLESIA CHRISTI

8. Christi Ecclesiae nomine significamus societatem illam, quam Christus Jesus cujus divinam missionem vindicavimus in Tract. de *Vera religione*, instituit, ut depositum asservaret caelestis doctrinae in terras ab se delatae, atque organum seu medium simul esset, quo haec ipsa doctrina conservaretur integra atque propagaretur.

9. De hac societate nobis inquirendum est quaenam sit ejus origo seu institutio; quomodo sit constituta; quaenam sint ejus notae; quae ejus dotes et munia. Totidem haec capita erunt in quae priorem hanc sectionem distribuemus.

CAPUT I.

DE CHRISTI ECCLESIAE INSTITUTIONE ET ORIGINE

10. Ut ex ipsa tituli inscriptione patet, controversia hic minime agitatur de ecclesia universim sumpta, quaeque ab ipso mundi exordio cum protoparentibus coepit, longo saeculorum tractu percrebuit, ac novam peculiaremque sub Moyse adepta formam in electo Dei populo usque ad Christum perseveravit. De hac enim ecclesia, seu potius de hisce diversis ejusdem ecclesiae statibus nulla intenditur nobis lis; praesertim cum hi status desierint, ut tertio locum cederent in quo ecclesiae per Christum in terris totius nunc perfectionis cumulus accessit.

11. Disserentes igitur de postremo hoc ecclesiae statu, quem a suo institutore ac fundatore posthac vocabimus Christi ecclesiam, aut absolute ecclesiam, investigabimus ejus originem, ut eam colligamus antiquiorem esse quavis scriptura, quae de ipsa loquitur, et eidem praescribere. Hujus quidem veritatis semina ac velut fundamentum jecimus in allegato tract. *De vera religione* (1); ast quod illic in finem quem nobis proposuimus vix attigimus, nunc firmius statuemus, minutimque evolvemus ob gravissimas, quae exinde fluunt, consecutiones.

12. Porro cum illud nobis propositum sit ecclesiae originem et institutionem absque scripturarum divinarum subsidio ostendere, non earumdem usum rejicimus, imo, cum opus fuerit, ex iis testimonia adducemus. Verum quod alias monuimus (2), hic eis utemur ut documentis mere historicis, quorum au-

(1) P. II. Prop. II.

(2) Ibid. n. 17.

ctoritas atque veritas ex solis argumentis criticis constent, prout ex solis criticis argumentis sacras litteras admittunt protestantes cum quibus potissimum nobis res est. Etenim cum protestantes rejiciant ecclesiae catholicae auctoritatem, coguntur confugere ad sola argumenta critica ad utramque constabiliendam. Hinc abstrahentes a divina sacrarum litterarum inspiratione et ab earumdem canone, ex libris illis sic testimonia promemus, quos ex criticis regulis protestantes authenticos et veros habent, perinde ac si ex Livio aut Tacito aliisve profanis scriptoribus testimonia afferremus quoad ea, quae referuntur de republica aut imperio romano. Ad sensum vero quod spectat, eum consectabimur quem exegeseos regulae a protestantibus pariter admissae requirunt.

13. Quibus ita constitutis pergimus ad ea perficienda, quae nobis hoc in capite proposuimus circa ecclesiae institutionem et originem insequentibus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Christus ecclesiam instituit et fundavit, ut per eam et in ea sui cultores mediis idoneis essent instructi ad aeternam salutem sibi comparandam

14. His verbis *factum* enunciamus cum *jure* conjunctum; institutionem videlicet ecclesiae, quae a Christo facta sit, et finem quem idem Christus sibi proposuit in ea instituenda, qui aeterna est Christifidelium salus mediis idoneis obtinenda.

15. Jam vero ejusmodi factum, seu instituta a Christo societas cultorum suorum triplici via nobis innotescit; ac primo quidem ex societate ipsa, quae adhuc perseverat ac floret, et a Christo conditore suo nomen habet. Quaevis enim societas est persona moralis, cujus membra sunt individua singula ex quibus illa coalescit et existit per vincula quibus societas ipsa constituitur. Porro persona haec moralis, quae numquam deficit et moritur ea ipsa est quae sua existentia de se testimonium dicit; objectum vero hujus testimonii sunt ea omnia quae de sua origine, institutione, doctrina, legibus, institutis, ac reliquis omnibus quae ad eandem societatem spectant, ipsa profitetur (1). Societas autem christiana vel ipso nomine suo, cultu, institutis testatur in universo quo late patet terrarum orbe se a Christo primitus fundatam fuisse, et ultra XVIII. saecula ab sui origine numerare, omnigena nec unquam interrupta monumentorum ac documentorum serie id ipsum confirmans (2). Quapropter etiamsi deessent sacrae litterae, adeo factum istud compertum est, ut qui velit ipsum non dicam inficiari, sed vel in dubium revocare profecto amens sit.

16. Secundo, id ipsum evincitur ex

(1) In qualibet societate individua moriuntur, ast societas eadem semper perseverat pereuntibus individuis, quo fit ut institutiones, mores, consuetudines simul coeptae jugiter conserventur. His porro societas a societate, gens a gente discriminantur, nec melius possumus de institutis cujusvis gentis aut societatis nosse quam a peculiari gente aut societate cujus illa sunt propria. A graecis e. g. melius novimus quae ad graecos spectant, a romanis quae ad romanos, et ita porro. Hoc vero potissimum valet cum agitur de institutis religiosis. Quanam enim meliori ratione cognoscere possum quae ad Islamismum pertinent quam ab Islamitis; quae ad Buddhaismum, quam a Buddhistis, et ita de reliquis? Haec regula generalis est.

(2) Huc enim referuntur successiones epi-

omnibus christianae religionis motivis, quae vocant, credibilitatis, quaeque suo loco evolvimus et propugnavimus (1). Nam si haec motiva talia sunt, quemadmodum alias ostendimus, ut divinam prorsus esse patefaciant religionem a Christo institutam, simul patefaciunt institutionem et originem ecclesiae, quae identificatur cum religione ipsa. Equidem haud ignoramus re *in abstracto* spectata, aliud religionem esse, aliud ecclesiam, quum illa respiciat tantum cultum, aut etiam si lubet, latiori quodam sensu veritates quas religio proponit, haec autem tantum societatem colentium, aut profitentium veritates quas religio complectitur; verum et illud quoque novimus *in concreto* rem in idem recidere. Neque enim unquam religio consistere potest absque iis, qui eam profiteantur, Cum itaque motiva credibilitatis evincant divinam originem et institutionem religionis christianae in concreto, hoc ipso evincunt divinam originem et institutionem ecclesiae christianae. Haec autem majorem adhuc firmitatem ac robur accipiunt ex eo quod pleraque credibilitatis motiva afficiant societatem ipsam, seu ecclesiam a Christo fundatam; ejusmodi sunt quae petuntur ex propagatione christianae religionis, ex martyrum fortitudine, ex ecclesiae item perpetua conservatione, quae duplex semper praeseferunt pro divina christianae ecclesiae origine ineluctabile argumentum; alterum quidem ex ipsa rei natura in omnibus suis adjunctis spectata; alterum vero ex adimpletis divini ipsius Conditoris vaticiniis, quibus ea praenunciavit futura ac certo adimplenda. Tot igitur suppetunt argumenta pro origine et institutione ecclesiae a Christo facta quot sunt motiva certissima religionis christianae.

17. Duplici ex hac via quarum altera a nobis ascendimus ad Christum usque, altera autem a Christo ad nos usque descendimus, factum quod enunciavimus ineluctabili adeo ratione imo evidentia constat, ut plane confecta res sit; idque absque ullo scripturarum adscito praesidio.

18. Nunc demum idipsum adstruimus ex sacris litteris, quas, ut praefati sumus, adjicimus velut documenta historica coaevorum scriptorum, qui nobis oeconomiam aperiunt quam Christus Servator noster in hac ecclesia instituenda atque fundanda sequutus est. Jam vero qui commentaria primum ediderunt de Christi gestis et dictis, eum nobis exhibent colligentem ex suis discipulis prius viros duodecim quos et apostolos nominavit (2). Hos voluit esse propagatores suae doctrinae (3), atque adeo diligentius instituit, ac suos effecit individuos comites (4), immo peculiari potestate instruxit (5), et auctoritate (6), amplis-

scoporum, universalis ecclesiae praxis, acta conciliorum sive particularium, sive generalium, christianorum praeclara gesta, scripta patrum, templa, lapides aliaque ejusmodi monumenta, quae expendemus in altera hujus tractationis parte, ubi de mediis per quae perennis ecclesiae traditio ad nos pervenit, atque a nobis cognosci potest. Quae quidem omnia moralem historicam certitudinem summam constituunt omni exceptione majorem.

(1) In Tract. *De vera relig.* P. I, capp. III, et IV. ubi ex miraculis et vaticiniis, praesertim vero Christi a mortuis resurrectione, divinam ejusdem Christi missionem, ac religionis proinde et ecclesiae ab eo institutae divinitatem ostendimus.

(2) Matth. X, 1 seqq. Marc. III, 10. Luc. VI, 13.

(3) Act. Apost. I, 8. Ephes. II, 20. Apoc. XX, 14.

(4) Matth. Marc. Luc. ll. citt.

(5) Marc. XVI, 15 seqq.

(6) Jo. XX, 21.

simumque commendavit munus praedicandi doctrinam suam per mundum universum (1), spondens sese eis praesto adfuturum, et Spiritum veritatis usque ad consummationem seculi ab eis numquam recessurum (2). In his Petrum elegit ut petram seu rupem ad fundamentum super quo aedificaret *ecclesiam suam* (3) semper constituram; eundem praefecit cunctis agnis et ovibus suis, eique munus eas pascendi commisit (4), et peculiari ratione, seorsum nempe a ceteris, claves ei contulit regni caelorum (5). Post apostolos et alios septuaginta duos discipulos elegit, ut illis essent tamquam adjutores in ministerio quod ipsis commiserat (6). Parvam hanc societatem in iisdem documentis post ascensum Christi in caelum conspicimus succrescere, ac sese in proximas regiones effundere (7), deinde vero in remotiores ac longe dissitas, ita ut brevi occupet universam terram juxta ejusdem Christi pollicitationem (8), ac denique per seculorum lapsum ex documentis ecclesiasticis prope innumeris eodem semper vigore pollentem ad nos usque pervenire.

19. Constat igitur juxta triplicem quam inivimus viam omni argumentorum genere luculentissime factum quod enunciavimus. Quod vero spectat ad *jus*, ad aeternam scilicet salutem mediis idoneis nobis comparandam tamquam finem quem Christus sibi proposuit in instituenda ecclesia sua, prout secundo loco ostendendum assumpsimus, non minus aperte adstruitur. Ac *primo* ex ipsa divina Christi missione, quam ei jamdiu vindicavimus (9). Objectum porro divinae missionis non aliud esse potest quam revocandi ac conjungendi homines cum Deo ultimo fine nostro sive in tempore sive in aeternitate; ut scilicet homines redeant ad illud principium a quo originem per creationem habent. In hoc autem consistit aeterna hominum salus. *Secundo* hoc ipsum conficitur ex professione ipsius ecclesiae a Christo institutae, quae non alium sibi praestitutum finem agnovit praeter aeternam felicitatem obtinendam ope divinae gratiae, et omnium virtutum, charitatis praecipue in Deum et proximum exercitio. Huc media omnia collineant ac revocantur. *Tertio* demum palam est repetitis effatis Christi conditoris ecclesiae relatis a scriptoribus coaevis, quibus protestatus est se in hunc mundum venisse, ut daret vitam, eamque abundantem ovibus suis (10), suis videlicet cultoribus; quae quidem vita gratiam complectitur in praesenti ceu germen, opera sancta tamquam fructum, aeternam vero beatitatem quasi ejusdem evolutionem ac terminum, quamque absolute interdum vocat *vitam aeternam* (11). Omnis ejus doctrina, praecepta, consilia, sacramenta etc. veluti totidem media eo tendunt, atque in id unum conspirant.

20. Cum propterea apertissime ex dictis factum cum jure conjunctum constitutum sit, patet quod proposuimus, Christum nempe ecclesiam instituisse atque fundasse ut in ea et per eam sui cultores mediis idoneis essent instructi ad aeternam salutem sibi comparandam.

(1) Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15.

(2) Ibid. et Luc. XXIV, 49. Jo. XIV, 16.

(3) Matth. XVI, 18.

(4) Jo. XXI, 15-17.

(5) Matth. XVI, 19.

(6) Luc. X, 1.

(7) Act. Apost. II-X, seqq.

(8) Rom. XV, 19. Coloss. I, 6.

(9) Tract. *De vera relig.* P. I, cap. IV.

(10) Jo. X, 10.

(11) I. Jo. V, II.

DIFFICULTATES

21. Obj. 1. Vehementer errat, qui ex hodierna ecclesia sibi persuadet colligere posse originem et statum ecclesiae primigeniae. Etenim 2. *reactiones*, ut vocant, quae longa seculorum serie factae sunt adversus ecclesiam dominantem seu catholicismum, omnes, nulla prorsus dempta, sive quoad doctrinam, sive quoad internam constitutionem ecclesiae primitivae nomine prodierunt, seu ut revocarent ecclesiam ad pristinam originem et statum suum (1). 3. Quis porro probe dijudicaverit, utrum ecclesia catholica desciverit a primaeva origine per successivas phases, quas adjuncta materialia rerum induxerunt, an vero ecclesiae particulares, quae protestantur se unice legitimas haeredes esse societatis a Christo institutae? 4. Sane ecclesia non illico perfecta enata est, sed tres distinctae ejus phases enumerantur, quarum prima se a Christo Jesu protendit ejusque discipulo Petro, in qua societas Christiana, seu potius schola judaica vix a synagoga discriminabatur, omnesque ritus legales adhuc servabantur; altera a Paulo coepit per quem abolita lex ritualis est, ac veluti divisionis murus erectus inter utrumque populum judaicum et christianum post acres pugnas quibus decertavit cum christianis primae phaseos, et cum Petro ipso; tertia a Joanne est constituta, qui utpote theosophus principium evolvit mysticismi, invexitque mutationem systematis suorum praedecessorum, et insinuavit ecclesiae ut ope novae interpretationis erueret ex scriptis evangelistarum et apostolorum formam positivae dominationis, spiritum rigidae politices, et ardorem insatiabilis ambitionis. Hinc in prima periodo idea symbolica Christi Jesu referebat *personificationem* judaicae gentis; in altera retulit *personificationem* totius humani generis; in postrema *personificationem* totius universi, quatenus omnia per Christum coeperunt, et in ejus unitatem per generalem restitutionem, seu ἀποκατάστασιν desinere debent (2)? 5. Quid mirum igitur si idem iter insistendo praesens ecclesia longe alia atque diversa sit a primaeva, nec propterea ex actuali ecclesiae existentia ullum possit capi argumentum pro ejus identitate originis et institutionis cum origine et institutione ecclesiae primitivae?

22. R. Ad 1. *N.* Nec enim debet permisceri quemadmodum ab adversariis fit quaestio de existentia aut identitate alicujus societatis cum varietate, ut ita dicam, formarum quas eadem societas temporis lapsu inducere, seu adsciscere potuit. De posteriori hac quaestione idoneo loco agemus, interim argumentum de existentia perenni et continuata societatis christianae, sive ecclesiae a Christo institutae immotum permanet. Alioquin deberet concludi nationem gallicam e. g., germanicam aut anglicam non amplius existere ob diversitatem sive principiorum sive formae regiminis quam identidem subierunt.

23. Ad 2. *D.* Id est perduelliones particulares adversus ecclesiam dominantem factae sunt sub praetextu ecclesiam

(1) Ita J. Salvador in op. cui tit. *Jésus-Christ et sa doctrine*. Paris 1838, ubi tom. I, pag. I, loquens de origine christianismi scribit: « Les commotions les plus étendues dont il ait ressenti les effects, les schismes qui l'ont divisé aux époques où la puissance de son organisation semblait à jamais inébranlable, se sont tous accomplis au nom de l'église primitive ».

(2) Sic idem Auctor, qui haec evolvit lib. II, et III. op. cit. cf. praesertim tom. I, pag. 154 seqq.

revocandi ad primaevam institutionem, *C.* reipsa id susceperunt *N.* Utique nulla perduellio, seu ut adversarii loquuntur, reactio contigit ex parte privatorum hominum adversus ecclesiam dominantem, id est catholicam, quin factio non obtenderet illam in melius revocare sive circa aliquem doctrinae theoreticae aut practicae articulum, sive circa ejus regimen. Verum praeterquam quod pallium istud cito decidit, et vera apparuit seditionis causa, privata scilicet ac personalis ratio (1), hoc ipso quod istae factiones quovis seculo, imo plures intra ejusdem seculi spatium ad nos usque contigerint, sunt totidem documenta quae invicte perennem ostendunt existentiam illius unicae ecclesiae adversus quam illae omnes protestatae sunt, quod nobis in praesentia sufficit.

24. Ad 3. Respondeo sectas ipsas idoneum hoc dare judicium. Nam cum earum unaquaeque propriae defectionis ab unica illa ecclesia dominante, nempe catholica, hoc vel illo seculo figat epocham, fateaturque eam jam extitisse, cum ascendamus de secta in sectam usque ad Apostolos et Christum, patet profecto sectas ipsas sollemne ferre judicium solam dominantem ecclesiam a Christo et apostolis provenisse, eamque propterea solam legitimam haeredem esse promissionum quas societati a se institutae Christus fecit. Quod vero attinet ad titulos quibus unaquaeque secta cohonestare extrinsecus nisa est propriam defectionem, eos paulo post excutiemus.

25. Ad 4. *D.* Id est nonnisi temporis lapsu totam vim suam, naturam, ac proprietates evolvit, prout adjuncta poscebant, *C.* totam, plenamque intrinsecam perfectionem consecuta non est a divino suo conditore *N.* Perfecta sane ecclesia prodivit cum a Christo instituta est; germina omnia ac elementa futurae illius majestatis et fulgoris ad quam matura pervenit in intima sua natura asservabat, etsi ea illico non explicuerit, et maturaverit. Ad hoc enim tempore, et opportunis rerum vicissitudinibus opus est, siquidem societas seu corpus morale evolvi debet ad instar

(1) Non aliunde haereses aut sectae ortae sunt quam ex eo quod voluerint earum auctores privatum sensum suum opponere traditioni ac doctrinae ecclesiae universalis seu catholicae. Tertullianus, Epiphanius, Augustinus ceterique scriptores qui catalogum et originem singularum haereseon nobis reliquerunt, unanimes sunt in hac assertione. Nec alia extitit origo haeresum, quae tribus postremis seculis ortae sunt, nec alia erit earum, quae subsequentur. Praetextus varii sunt, ast una est vera causa, superbia quae omnium sectarum mater fecunda est. Apposite s. Augustinus Tract. XLV. in Jo. n. 5. variis commemoratis haereticis qui jactabant se veram doctrinam Christi tradere, tandem concludit: « Et quid opus est multa percurrere, et multa vana haeresum enumerare? Hoc tenete, *ovile Christi esse catholicam ecclesiam*. Quicumque vult intrare ad ovile, per ostium intret, Christum verum praedicet . . . sed Christi gloriam quaerat, non suam: nam multi quaerendo gloriam suam, oves Christi sparserunt potius quam congregaverunt. Humilis est enim janua Christus Dominus: qui intrat per hanc januam, oportet humiliet se, ut sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere; qui autem per maceriam adscendit, ideo exaltatur ut cadat ». Et clarius adhuc Serm. XLVI. de pastoribus num. 18. « Diversis locis, inquit, sunt diversae (sectae): sed una mater superbia omnes genuit; sicut una mater nostra catholica omnes christianos fideles toto orbe diffusos. Non ergo mirum, si superbia parit discessionem, caritas unitatem ». opp. tom. V, col. 234.

corporis physici. Quapropter perinde ac infans iis omnibus naturalibus proprietatibus instructus est, quas crescente aetate exerit et prodit, sic ecclesia suis essentialibus proprietatibus praedita ab ipsa sua institutione temporis lapsu ac poscentibus rerum adjunctis eas in plena luce posuit et evolvit. Quod nec adversarius ipse quem impugnamus diffitetur imo contendit (1).

26. Exinde ruit per se, quod de triplici distincta periodo, seu ut adversarius loquitur, de triplici ecclesiae phasi adjectum est, seu verius gratis et ad arbitrium ab eo confictum. Etenim Petrus, Paulus et Joannes nihil aliud praestiterunt quam quod Christus jam effecerat. Christus dogma jam praedicaverat de futuro regno suo inchoando in terris et perficiendo in altera vita, complendoque per mortuorum resurrectionem; legem ac vaticinia in se implementum habuisse non semel testatus est; Petrus omnium primus accessum ecclesiae, pro collata sibi auctoritate, gentilibus dedit (2); Paulus pluribus ubicumque exantlatis laboribus gentilium et judaeorum conversionem promovit. Joannes obstitit gliscentibus haeresibus docetismi et cerinthianismi quarum altera humanitatem, altera divinitatem Christo detrahebat. Doctrina porro his omnibus erroribus contraria tum in evangeliis, tum in epistolis Pauli ac reliquorum apostolorum, ipso adversario fatente (3), continebatur. Ubi igitur reperitur mysticismus primo invectus a Joanne? Ubi protensio *personificationis* symbolicae Christi Jesu?

27. Quod subjicitur de acri pugna quam Paulus juxta adversarium sustinere debuit adversus primae scholae sectatores et adversus Petrum ipsum, commentum est ab adversario excogitatum. Immo Petrus pugnare debuit cum judaizantibus (4) eo quod admisisset in ecclesiam gentiles absque mosaico ritu. In concilio Hierosolymitano pari consensu constitutum est non esse cogendas gentes ad ritus mosaicos servandos (5).

(1) Sic enim scribit op. cit. tom. I. p. 45. « Sans doute le christianisme n'est point apparu tout à coup tel qu'il se manifeste après quelques siècles de durée : sa période d'origine elle-même embrasse plusieurs phases très -distinctes, dans chacune desquelles on voit un aspect particulier de l'édifice se développer sous l'influence d'un personnage principal ».

(2) Act. Apost. X, XV. 7.

(3) En ejus verba ex vol. II, p. 181; seq. « Entre les sectes nées sous les yeux des apôtres, il y en avait une qui reconnaissait le fils de Marie pour le Christ, sa morale pour une morale divine; mais au lieu de prendre la résurrection des morts à la lettre, et dans son matériel, elle se proposait de la réduire allégoriquement au passage qui s'accomplissait chaque jour entre l'état de ténèbres et de mort où les ames se trouvaient avant la venue de Jésus-Christ et leur état ultérieur d'activité et de vie. Or les chefs de cette secte furent bientôt poursuivis et anathématisés par le plus puissant et même par le plus pratique de tous les apôtres. Paul leur opposa cette déclaration solennelle, que *s'il n'y avait pas de résurrection materielle des morts, Jésus-Christ non plus ne serait pas résuscité; et si le maître n'etait pas résuscité, s'il ne représentait point, en déhors de toute allégorie, le prémier né visible et palpable du royaume surnaturel qui devait s'accomplir, toute la prédication de la nouvelle école serait vaine* ». Cf. etiam II Timoth. II, 17, 18.

(4) Act. XI, 2 seqq.

(5) Ibid. XV, 7 seqq. Nec omittendum quod legitur Act. VI, 14. de B. Stephano adversus quem ejus adversarii accusationem intulerunt ex eo quod diceret: « Quoniam Jesus Nazarenus hic, destruet locum istum *et mutabit traditiones quas tradidit nobis*

Quod si Christus et apostoli morem ab initio gesserunt caeremonialibus institutis, prudenti quadam oeconomia usi sunt, ut facilius judaeos ad christianam religionem amplectendam adducerent, qua cessante, totus ille ritualis apparatus utpote supervacaneus sublatus est (1). Objurgatio autem quae a Paulo facta est Cephae, ac si adversario magis arridet, Petro (2) ad quam ipse alludit, pro objecto habuit dissimulationem practicam, quae ethnicos conversos inducere facile poterat in errorem.

28. Ad 5. Resp. quinimo optimo jure ex dictis inferri identitatem praesentis ecclesiae cum ecclesia a Christo instituta. Ecclesia enim sequentibus aetatibus magis ac magis principia ac germina a Christo in ejus fundatione inducta, uti jam praestiterant apostoli, evolvit. Et quoniam invecta ab apostolis explicatio diversam ecclesiam non intulit, sed ad summum novam evolutionis periodum, ita eductio successiva eorumdem germinum ac principiorum, quae progrediente aetate facta est, non intulit diversitatem ecclesiae distinctae ab ecclesia primigenia seu originali, sed solum, ut diximus, diversitatem periodorum ejusdem evolutionis. Efficax propterea ac firmum consistit argumentum quod ex actuali ecclesia ducitur pro identitate hujus ecclesiae cum primaeva.

PROPOSITIO II.

Ecclesia a Christo instituta anterior est quavis Scriptura

29. Uti ex substrata materia liquet et ex ipsa propositionis enunciatione, hic agimus de *anterioritate* ecclesiae in ordine ad Scripturam novi testamenti, ad quam solam tractatum nostrum coarctavimus.

30. Existentiam porro christianae ecclesiae quibusvis libris anteriorem esse, res pariter *facti* est, quae sive spectata ejus origine ac natura, sive documentis ipsis, a nemine sanae mentis in dubitationem revocari potest (3).

31. Atque id evidens inprimis fit

Moyses ». Quae profecto referuntur ad abrogationem legum ritualium, et tamen spectant ad primam quam adversarius vocat christianismi phasin.

(1) Eadem ratio quae impulit Apostolos ad retinenda legalia, quo facilius judaeos inducerent ad profitendam religionem christianam, compulit pariter ad ea abjicienda ne ab eadem profitenda retraherentur gentiles.

(2) Non pauci critici innixi potissimum auctoritati Clementis Alex. tuentur Cepham a Paulo reprehensum diversum esse a Petro. Sane Clemens apud Eusebium lib. I, Hist. Eccl. cap. XII. ait « Cepham a Paulo reprehensum unum fuisse ex LXX. discipulis Petri Apostoli cognominem: Κηφᾶν . . . ἕνα φησί γεγονέναι τῶν ἑβδομήκοντα μαθητῶν, ὁμώνυμον Πέτρῳ τυγχάνοντα τῷ ἀποστόλῳ. Idem censuit ex antiquis Dorotheus Tyri in commentario de LXX. discipulis apud Du-Cangium in chronico paschali, nec non illi quorum meminit s. Hieronymus in suis commentariis in Ep. ad Galatas; auctor chronici Alexandrini ad an. Christi XXX. pag. VI. aliique. Hanc sententiam mordicus tuetur Jo. Harduinus in peculiari de hoc argumento dissertatione, quae inter opera ejusdem selecta Amstelod. 1709. relata est p. 920 seqq. eandem tuetur Zaccaria, aliique passim cum ipso.

(3) Sane Lessing in opp. *posthumis theologis* scribere non dubitat « Non solum Jesu Christi historia cognita erat priusquam vulgaretur in Evangeliis, sed *universa christiana religio* jam tenebatur et exercebatur, cum nullum adhuc Evangelium scriptum fuerit. Recitabatur *Pater* (oratio dominica) quin legi posset in Evangelio s. Matthaei. Adhibebantur in collatione baptismi verba a Christo Jesu praescripta antequam ea litteris apostoli consignassent ». Possem aliorum protestantium ad

spectata ecclesiae origine ac natura; Nam Christus Servator noster ejus conditor et institutor nihil omnino litteris consignavit (1), sed prout ferebat aetatis illius consuetudo doctrinam suam vivae vocis oraculo tradidit; ut autem citius longe lateque propagaretur misit apostolos et discipulos in Judaeam primum (2), deinde vero in mundum universum, ut eam pari ratione, id est, viva voce disseminarent (3). Ne tamen alieni in hoc ministerium se obtruderent, ac prava dogmata ingererent, quaeque a magistri mente quavis ratione deflecterent, Christus peculiares ad id muneris homines delegit, in unum veluti corpus congregavit, auctoritate instruxit, legibus communivit, de perenni auxilio suo certiores effecit usque ad consummationem seculi (4); ipsis praeterea Spiritum veritatis quibuscum maneret in aeternum pollicitus est (5), atque ita demum efformata et instituta societate sua, seu ecclesia, ei praecepit ut *doceret* omnes gentes *omnia quaecumque* ipsi mandaverat (6). Apostoli Christo

hoc ipsum adstruendum auctoritates congerere, nisi ageretur de re quae a nemine in dubium vocatur. Cf. Céllerier : *Essai d' une introduction critique etc.* p. 260.

(1) S. Augustinus *De consensu evangelistarum* lib. I, cap. IX. Sub Christi nomine vulgatos memorat a manichaeis libros in quibus habebatur ars patrandi prodigia, quam Salvatorem exercuisse homines impurissimi autumabant. Hi porro libri statim cum execratione rejecti sunt. Idem epist. CCXXXVII. ed. Maur. al. CCLIV. memorat a priscillianistis compositum hymnum quem Christus Matth. XXVI. ad montem Olivetum pergens dixisse fertur, ac rejicit velut obscurum haereticorum figmentum. Gravior est controversia de mutuis Christi et Abgari Edesseni principis epistolis, quas ex Edessenae urbis archiviis erutas e syrorum lingua se translulisse testatur Eusebius lib. I, cap. XII. Gelasius inter apocrypha has retulit epistolas; ac merito, cum ecclesia eas non receperit, et ante Eusebium, aut ut Grabio placet, in spicilegio Patrum I seculi, ante Julium africanum, qui primus reperit, Christianos omnes latuerint. Attamen Tillemontius, Caveus atque Grabius propugnandas sibi esse duxerunt. Potissima eorum ratio ab Eusebii fide, candore ac eruditione oritur; haec porro ad id valuisse dicimus, ut nihil Eusebius obtruderet, quod in archiviis edessenis non extaret, non ut genuinum fieret quod inde deprompsit. Altera petitur ratio ex Ephremi syri (in testamento), Darii comitis (in epist. ad Augustinum CCXXX.) Procopii, Theodori Studitae, atque Gregorii II. auctoritate, qui eas cum honoris significatione memorant. Ast Procopius suspectas habuit, ceteri Eusebii fidem securius secuti sunt. Tertia ratio profertur ex eo quod nihil continent Christo indignum. Esto, sed inde non sequitur eas authenticas esse.

(2) Matth. X, 5. Act. XIII, 46. Clemens Alex. ex veterum traditione, apud Eusebium lib. V, cap. XVIII., refert Dominum praecepisse apostolis, *ne intra duodecim annos Hierosolymis* excederent.

(3) Cujus quidem assertionis, de consuetudine nempe tunc temporis recepta apud Judaeos de communicandis viva voce et per nuncios doctrinis, vadem damus judaeum Salvador, qui op. cit. tom. I, pag. 160. scribit; « L'usage hebraïque de communiquer les enseignemens par la tradition orale bien plus, que par l'écriture, et l'exemple des docteurs contemporains les plus célèbres du pays empêcheraient encore de tirer de ce fait aucun argument décisif contre son existence » et ibid. p. 322. « A une époque où la communication la plus rapide des idées ne s'opérait qu'à l'aide de la parole, Jésus sentit bientôt la nécessité de choisir douze suppléans appelés à annoncer sa mission et à la représenter partout ».

(4) Matth. ult.

(5) Jo. XIV, 16.

(6) Matth. l. c.

obsecuti sunt et viva voce doctrinam Christi judaeis primum, postea ethnicis tradiderunt; ex conversis ad Christi fidem quosdam delegerunt quibus idem ministerium committerent, nempe episcopos, qui ceteros eadem ratione informarent.

32. Quare ecclesia ita instituta et informata absque scripturarum subsidio, quae nondum editae erant, stetit ac perseveravit ad plures annos. Instruebantur fideles, credebant, regebantur, orabant, sacramentis muniebantur ac firmabantur antequam horum quidpiam fuerit scriptis mandatum.

33. Quod si temporis progressu apostoli aut discipuli Christi gesta et doctrinam litteris consignarunt, non ideo id effecerunt vel ut Christi monitis obsequerentur, vel ut facta omnia Christi Domini et universam ejus doctrinam in editis a se commentariis complecterentur. Contrarium potius professi sunt (1). Sumpta itaque occasione, quod non satis veritati consentanea circumferrentur de Christi dictis et factis a privatis hominibus, tres priores evangelistae sua commentaria ediderunt (2) aut saltem rogatu fidelium hoc praestiterunt (3) octo, decem, viginti eoque amplius annis post Christi in caelum ascensum adeoque post institutam ecclesiam. Joannes vero ut se corruptoribus Christi doctrinae opponeret post sexaginta plus minus annos ab ecclesiae institutione suum evangelium exaravit (4). Eadem de causa ut fideles tuerentur a gliscentibus erroribus, et insidiantibus haereticis, qui jam coeperant intemeratum christianae fidei depositum suis novitatibus corrumpere ac foedare, epistolas suas scripserunt apostoli, aut etiam, ut, aliqua

(1) Jo. XX, 30. XXI, 25. Item ep. II, 12. et ep. III, 13. II. Thessal. II, 14. Verum de hoc argumento postea.

(2) Luc. I, 1. Exinde enim orta sunt commentaria, quae Lucas hic leviter culpat.

(3) Matthaeum inter sextum et octavum an. post Christi ascensionem evangelium scripsisse hebraico, seu potius syro-chaldaico idiomate in gratiam palaestinensium qui fuerant ad Christum conversi plerique interpretes tradunt innixi veterum auctoritati. Id enim testantur Papias apud Euseb. lib. III, c. 4. Irenaeus lib. III, c. 1. Eusebius lib. III, c. 24. Hieronymus praef. in evangelia, et in Catalogo, nec non lib. III. contra pelagianos; Epiphanius haeres. XXIX, XXX, et alibi; Chrysostomus Hom. I. in Matth. Augustinus De consensu Evangelistarum lib. I, cap. 2. Auctor synopseos athanasianae, aliique magno numero. Sic etiam Marcum Romae an. 43, aut 44. a romanis rogatum graece evangelium exarasse iidem ferme auctores ll. citt. referunt, adeoque X, vel XI post Christi ascensionem anno.

(4) S. Hieronymus in *Catalogo* cap. IX scribit: « Joannes Apostolus .... novissimus omnium scripsit evangelium, rogatus ab Asiae episcopis, adversus Cerinthum, aliosque haereticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Unde compulsus est divinam ejus nativitatem edicere. Sed et aliam causam hujus scripturae ferunt, quod cum legisset Matthaei, Marci et Lucae volumina, probaverit quidem textum historiae, et vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantum anni, in quo et passus est, post carcerem Joannis, historiam tenuisse ». Ed. Vallars. tom. II, lib. III, c. 24. Clemens Alex. apud Euseb. lib. VI, c. 14. Epiphanius haeres. LI § 19. aliique. Quibus omnibus ratum est propositum illi fuisse tum Christi divinitatem adversus exorientes haereses tueri, tum edita evangelia supplere. Plerique Irenaeo consentiunt asserenti lib. III, c. 1. Ephesi in Asia id contigisse. Idem asserit vetustior Polycarpus apud Victorem Capuanum; Petrus Alexandrinus in Chronico, quod *Alexandrinum* vocant, ejus authographum ea in urbe sua aetate servatum fuisse tradit apud Petavium in *Uranologio* p.

sibi oblata occasione, ipsos instruerent (2). Numquam autem eos in animo habuisse plenam et integram, seu absolutam in suis scriptis christianae doctrinae normam praebere, patet ex his ipsis commentariis, quae peculiares narrationes aut doctrinas continent; quoad cetera discipulos suos remittebant ad ecclesiae magisterium (1).

34. Quae hic complexi sumus aeque referuntur ad Scripturas, atque ad doctrinam universam. Prius enim est existere, quam aliquid agere aut scribere et docere. Cum vero tum ex ipsa rei de qua agitur natura, tum ex luculentissimis documentis id ostenderimus, constat quod proposuimus, scilicet ecclesiam a Christo institutam anteriorem esse quavis Scriptura.

DIFFICULTATES

35. Obj. 1. Utique ratio et documenta concurrunt ad *anterioritatem* ecclesiae adstruendam prae Scriptura; verum hoc ipso nutat veritas historica ipsius ecclesiae, imo et Christi ipsius. 2. Etenim in hac hypothesi nihil vetat quominus cum Straussio aliisque mythicis ac rationalistis non paucis admittamus Christum ipsum prout in sacris litteris exhibetur, non aliud esse quam conceptum idealem aut symbolicum humanitatis ad summum perfectionis gradum evectae. 3. Hujus quidem typi conceptio orta ex connubio doctrinae, seu potius idearum judaicarum, et idearum orientalium expressa est in *personificatione* Christi Jesu ab hominibus utrique doctrinae initiatis. 4. Cum vero ejusmodi *personificatio* de ore in os transmissa fuerit, atque ut fit, amplificata, originem dedit primum evangelio aramaeo, deinde evangeliis reliquis, seu narrationibus de Christi fatis effatisque, prout adhuc leguntur juxta varias, quae circumferebantur traditiones ex fonte mythologico derivatas. 5. Prout autem quisque affectus erat, alii systema judaico-orientale ad normam receptae tunc temporis interpretationis veterum vatum exposuerunt, uti tres priores evangelistae, qui propterea quaecumque de populi israëlitici *personificati* vicibus vates praedicarunt, ipsi accommodarunt Christo Jesu; alius autem, nempe Joannes, systema secutus graeco-orientale, utpote apud asiaticos commoratus atque in ipsa schola Alexandrina institutus, visibilem Deum in Christo Jesu visibilis Graeciae diis substituit. 6. Facile autem fuit a Christo ad institutam quamdam ab eo societatem seu ecclesiam gradum facere; et quae de synagogae institutionibus, ritibus, regimine, hierarchia, sacerdotio constituta erant, tum quae de

213. Porro Joannes Ephesum e Patmos insula Domitiano extincto repetiit an. XCVII. Quare vel hoc, vel insequenti anno Evangelio lucubrando vacavit, qui annus respondet sexagesimo tertio, aut sexagesimo quarto post ascensionem Christi Domini.

(1) Dum vero asserimus scriptores hagiographos *oblata sibi occasione* scripsisse, non ideo inficiamur divina providentia ita disponente id factum esse, ac propterea Deum eos ad scribendum excitasse, mentem manumque duxisse in iis seligendis quae ipse voluerit, id quod G. Palmer Prof. Oxon. de quo postea agemus, catholicos scriptores carpens, inde consequi putat; sed dicimus Deum qui omnia fortiter suaviterque disponit, hac usum esse opportunitate, ut obtineret finem quem intendit in illis scriptis, ut enucleatius exponemus.

(2) Cf. epist. II Petri, epist. Judae; item epist. Pauli ad Rom.; ad Corinth. in quibus hoc ipsorum propositum aperte elucet. Cf. praeterea I. Cor. XI, 16. I. Tim. III, 15. Hebr. XIII, 17. ut pateat solitos apostolos fuisse fideles remittere ad ecclesiae magisterium, in iis quae ipsi non scripserunt.

ejusdem temporali gloria ac majestate fuerant praedicta, tum quae de regeneratione temporali et felicitate omnium gentium opera judaeorum ex Dei cognitione erant denunciata Abrahae et Jacob, in fictitiam hanc Christi ecclesiam translata sunt. 7. Semina exinde futurae dominationis, auctoritatis, immo et ambitionis ac potentiae jacta sunt; temporis autem lapsu evoluta, ex mystica et spirituali auctoritate quae prius fuerat in terrenam et temporalem iterum delapsa est, ita ut ejusmodi temporis auctoritas et potestas provocaverit reactionem in se protestantismi, prout ipsa ecclesia christiana in synagogam jamdiu insurrexerat (1). Ergo.

36. Resp. Ad 1. *Neg.* quemadmodum haud nutat veritas historica romanae reipublicae, quamvis ejus exordia, et quae praeclare in ea gesta sunt, ne dicam post paucos annos, sed post plura secula scriptis fuerint consignata.

37. Ad 2. Seu ad 1. prob. *N.* Etenim etiamsi hoc paradoxum novum non sit, ac superiori seculo labente ab incredulo homine fuerit invectum, qui in Christo ejusque apostolis systema caeleste adumbrari sensit (2), adeo tamen absurdum est, ut nullius sanae mentis hominis suffragium tulerit, nec ferre unquam possit. Existentiam siquidem realem et historicam Christi Domini, ac conditae proinde per eum societatis, scilicet ecclesiae, tot regionum, aetatis illius morum, traditionum antiquarum, legum, linguae, opinionum popularium, sectarum, regiminis sacri et civilis, classium diversarum judaeorum tunc temporis vigentium adjuncta postulant, ut, illa sublata, nulla amplius istorum quae ad illam referuntur et cum illa connexa sunt, ratio dari possit, neque confingi potuerit. Gesta praeterea, praedicatio apostolorum ac vices arcto adeo nexu consociantur cum reali Christi existentia, prout in evangelio et scriptis apostolorum exhibetur, ut quodammodo cum ea identificentur. Tota denique Christi doctrina ac dogmata praecipua a reali ejus historia pendent, atque necessario eam exposcunt (3) nedum supponunt. Neque

(1) Ita Strauss *Vie de Jésus, ou examen critique de son histoire*. Traduct. de l'Allemand par E. Littrè. Paris 1839. tom. 1, part. 1, pag. 35, suiv. 105. suiv.; et Salvador op. cit. *Jésus-Christ et sa doctrine*. Paris 1838. Nempe eodem tempore duo scriptores alter protestans, judaeus alter, vacabant scriptioni vitae Christi Jesu, et decertare inter se videbantur, quis alter alterum, impietate superaret in evertenda christiana religione; eo vero successu res iisdem accidit, ut incertum adhuc sit, quis palmam alteri eripuerit, siquidem sunt ambo pessimi. Quamvis vero quoad rei summam et scopum sibi propositum inter se conveniant, contrariam tamen viam inierunt in principiis statuendis. Etenim Salvador veritatem historicam evangeliorum veluti basim suae inquisitionis assumpsit, Strauss autem eam rejecit imo evertere nisus est, ut mythicam ei basim sufficeret. Sic utrique inveniuntur falsi testes adversus Jesum.

(2) Dupuis *Origine de tous les cultes, ou Religion universelle*. Paris l'an. III *de la république une et indivisible*. Tribus voluminibus in 4. Haud dubium nihilominus est, ingens interpositum esse discrimen inter opus Dupuisii et opus Straussii, cum ille vel ipsam Jesu et apostolorum existentiam inficietur, iste vero eam admittat sensu quem innui, ac paulo post fusius exponam. Uterque ingentem eruditionem ostentat ad suum peculiare systema adstruendum.

(3) Porro juxta Strauss genealogia Christi, ejus admirabilis conceptio, nativitas, infantia prout referuntur a Ss. Matthaeo ac Luca, multo vero magis ejus a mortuis resurrectio, ascensus in caelum etc. mythica sunt omnia, quae non alium fundum historicum ha-

silentio praetereundum est fieri nullomodo potuisse, ut plures homines, illius praesertim indolis et conditionis, cujusmodi fuerunt apostoli atque evangelistae, in idem consilium convenerint, ad personam scilicet confingendam ex conceptu ideali, et ad doctrinam adeo sublimem promulgandam, qualis in evangelio traditur. Inventores enim, ut loquitur Rousseau, praestantiores essent heroe a se excogitato (1). Ad haec, si addantur documenta omnia judaeorum, et profanorum scriptorum (2), scripta itidem apocripha antiquissima apostolis fere coaeva (3), effectus omnes, qui sine existentia reali et historica a qua dimanant, nulla ratione obtineri poterant, plena adeo ac evidens illius certitudo exurgit, ut vel historiae omnes rejiciendae sint, et existentia Alexandri, Julii Caesaris aliorumque ejusmodi summorum virorum sit prorsus eliminanda atque ad ideas symbolicas revocanda, vel necessario, imo magis Christi Jesu realis seu historica existentia admitti debeat; quum nullius ex illis heroibus existentia adeo foecunda fuerit eventuum qui cum illis colligantur, uti est existentia Christi (4).

38. Ad 3. *N.* Et hoc enim commentum sero excogitatum est a rationalistis absque ullo historico fundamento, sed per ineptas conjecturas deductum. In istorum enim systemate ejusmodi connubium fieri coepisset post dispersionem hebraici populi per duplicem captivitatem, primo decem tribuum sub Salmanasar, deinde duarum reliquarum sub Nabuchodonosor; perfectum denique esset seu consummatum postquam multitudo ingens judaeorum profecta est in Aegyptum, ibique, praesertim vero Alexandriae, sinagogas et scholas habuerunt. Porro nullus est doctrinae articulus, qui ortus traditur ex illarum idearum consociatione, cujus aut expressa mentio non fiat in antiquioribus hebraeorum libris, aut saltem non occurrant ibidem vestigia (5). Cum itaque falsum sit assumptum adversariorum, hoc ipso

bent quam praeseferant dii aut semidii et heroes paganae antiquitatis. Suum systema circa mythicismum evangeliorum exponit in introductione §§ XIII, XIV. praesertim vero § XV. *Caractères distinctifs des mythes dans le récit evangélique*.

(1) Sic enim scribit in Aemilio: « Il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d' accord eussent composé ce livre, qu' il ne l' est qu' un seul en ait fourni le sujet . . . . L' Evangile a des caractères si parfaitement inimitables, que l' inventeur en serait plus grand que le héros ». Integrum ejus textum exhibuimus in Tract. *De vera relig.* p. I, prop. II, not. (a), edit. primae Rom. His adde quae ex Hug profert Cellérier op. cit. *Essai d'une introduction critique au Nouveau Testament.* Genève 1823. sect. I. *De l' époque* où les livres du Nouveau Testament ont été écrits et de leur authenticité § I. *Indices internes* etc. et section II. *Crédibilité des écrits du Nouveau Testament.*

(2) In eodem tract. l. c. p. 252. jamdiu animadvertimus Christi praecipua gesta, imo et miracula tum a judaeis tum ab ethnicis impugnatoribus christianae religionis admitti quoad partem historicam.

(3) Cf. codic. Apocryph. Novi Testamenti cum praefatione Fabricii.

(4) Jam innuimus Straussium non absolute negare existentiam individui Jesu nuncupati, sed solum existentiam *Christi* prout a scriptoribus sacris perhibetur quoad ejus conceptionem, ortum, infantiam, doctrinam, miracula, resurrectionem, ascensionem, quae partim exponit de mytho quodam historico, partim de mytho poëtico, partim de mytho mixto invectis a genio illius gentis ad quam pertinebat, ex praeconceptis opinionibus asseclarum, ex traditione mythica.

(5) Sane de lapsu humanitatis jamdiu disseruerat Moyses Genes. III. Item de appari-

concidit superstructum aedificium de *personificatione* orta ex connubio utriusque doctrinae, quae facta sit in Christo Jesu. Cum praeterea usus prosopopoejae vulgatissimus esset penes antiquos scriptores sacros, qui factum est, ut numquam alias originem dederit typo symbolico, cujusmodi fingitur contigisse in Christo Jesu? Haec scilicet somnia sunt, quae respuit sensus hominum communis.

39. Ad 4. *Neg.* gratuitam suppositionem adversariorum, ut patet ex modo dictis. Jam alias animadvertimus evangelium aramaeum nunc ab ipsis rationalistis contemni (1); quod vero spectat ad evangelia reliqua, supposita reali Christi historici existentia, reddi ratio de illis potest; illa sublata, numquam confingi potuerunt. Res enim quae in ipsis referuntur tales sunt, ut liquet ex responsione ad 1. difficultatem, quae nullo modo a fonte mythico, sicut profani homines loquuntur, prodire potuissent. Quod vero adjicitur de traditionibus variis, hae omnes procedebant ex realitate facti, et exinde originem duxerunt. Ex evangelistis porro quatuor, duo fuerunt testes oculati, Matthaeus scilicet et Joannes; reliqui vero duo, quae commentariis suis consignarunt de Christi gestis et doctrina acceperunt ab iis « qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis (2) » ut loquitur

tione angelorum, ac de immediata actione seu communicatione divinitatis cum hominibus frequens mentio occurrit in Pentateuco; de futura corporum resurrectione celebre extat testimonium in Job. XIX, 26 seqq. de quo Cf. quae scripsimus in Tract. *De Deo Creatore* p. III, n. 850. not. (a). Circa immediatam manifestationem Dei Cf. quae adversus Schottum scribit auctor non suspectus Chr. Trid. Fritzsche in opusc. *De revelationis notione biblica*. Lips. 1828.

(1) Alias attulimus quae adversus ejusmodi archetypum evangeliorum scripsit Rosenmüller; hic praestat in medium adducere quae habet Cellerier op. cit. Deux. part. Divis. première, sect. II, pag. 258. ubi loquens de Michaelis ait : « Il a affirmé que les trois premiers évangélistes n' avaient point connu les écrits les uns des autres (quamvis veteres contrarium affirment), puisqu' ils étaient quelque fois en opposition. Son principe admis, les objections et les difficultés s' élèvent de partout, et on ne sait en particulier comment expliquer l'identité de tant de parties des deux premiers évangiles. Il l'a senti, et il a recouru à une supposition gratuite. Il a imaginé que l' un et l' autre avaient été en partie écrits d'après des documens antérieurs et inconnus. Après Michaëlis, des savans célébres, mais moins amis de la vérité que lui, ont voulu développer cette idée, et transformer cette affirmation vague en une hypothèse brillante, ingénieuse et décisive. Ils ont anéanti d' un trait de plume, les trois premiers évangiles, et les ont remplacés par un évangile primitif, source commune mais ignorée de tous ceux que nous possédons. Supposition bizarre, qui, contredite par tous les témoignages historiques, par tous les critères internes, non seulement renverse l' authenticité, la divinité, la véracité de nos évangiles; mais est combattue par toutes les règles de la critique, et ne peut prouver autre chose que l' extrême habileté des hommes qui, à force d' esprit et de talent, avaient réussi à en faire une hypothèse spécieuse. N' importe; attaqués avec toute la force de la science et de la vérité, obligés sans cesse d' abandonner quelque partie ruinée de leur édifice, ses auteurs, entassant conjecture sur conjecture, lui conservaient en apparence quelque ombre de solidité. Mais Hug l'attaque dans les formes et lui porte le coup décisif; maintenant il n'est plus permis même de douter sur cette question ». Talis est origo et exitus hujus evangelii aramaei. Attamen Kuinoel, Wegscheider aliique passim mira securitate ipsi innituntur.

(2) Luc. I, 2. Οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λογου.

s. Lucas, nempe ab apostolis aut discipulis Christi; quemadmodum de Marco referunt historica documenta evangelium conscripsisse, prout Petrum referentem audierat (1). Nulli igitur amplificationi locus esse poterat in ejusmodi traditione.

40. Ad 5. *N.* Siquidem et haec pariter gratuita assertio est absque ullo historico fundamento, ac unice innixa praeconcepto adversariorum systemate. Pro certo enim assumunt prophetas nihil de Christo tamquam spirituali humani generis reparatore vaticinatos esse, nihil de ejus passione, morte ac resurrectione; quod ut obtineant mire detorquent scripturarum oracula, vimque iisdem inferunt, ut ipsi revera suas *personificationes* populi isräelitici constituant. Hos porro suo loco refellimus (2). Jam vero quum absque fundamento et contra communem veteris synagogae acceptionem (3) novam suam expositionem obtrudant mythici ac rationalistae, plane consequitur vana esse quae subjiciunt de tribus prioribus evangelistis, qui prosequuti sint normam, ut ipsi ajunt, receptae tunc temporis interpretationis accommodandi Christo vaticinia antiquorum vatum; consequitur praeterea inane esse quod affirmant de Joanne adoptante graeco-orientale systema sufficiendo visibilem Deum visibilibus Graeciae diis. Omnes enim evangelistae pari ratione de Christo scripserunt, de ejus divinitate et humanitate, de admirabili ejus conceptione et nativitate, de doctrina ac vitae genere, passione denique ac resurrectione. In peculiaribus tantum adjunctis et sermonibus persequendis alii parcius, alii uberius disseruerunt, prout uniuscujusque institutum exposcebat. Prae ceteris vero s. Joannes prosecutus est quae spectant ad Verbi seu Christi divinitatem, eo quod adversus diversas haereses tunc insurgentes conscripserit (4). Ceterum tria priora evangelia ipse probavit, et supplevit quae in prioribus omissa erant (5).

41. Ad 6. *D.* A Christo historico

(1) Id enim testantur Papias apud Euseb. lib. III, cap. ult. Clemens Alex. in deperdito hypothyposeon opere apud Euseb. lib. II, c. 15. et lib. VI, capp. 13 et 14. Auctor veteris in Petri priorem epistolam commentarii Clementi Alex. tributi (Biblioth. maxima Patrum tom. II.). Hieronymus de *Viris illustribus* in Marcum; Irenaeus lib. III, c. I. Tertullianus cont. Marcion. lib. IV, § 3. Origenes apud Eusebium lib. VI, cap. 25. Epiphanius Haeres. LI, § 6. Chrysostomus Hom. XIX. in Acta. Augustinus *De consensu Evangelist.* lib. I, c. 2. et lib. XIII. contra Faustum c. 3. Theodoretus praef. in *Historiam religiosam*.

(2) In tract. de Incarnat. part. I, Cf. etiam Bandini ord. praed. *Saggio di esegesi biblica*. Firenze 1835. Cui eo major fides adhibenda, quod origine hebraeus sit et in traditione judaica apprime doctus.

(3) Cf. Ray. Martini, in Pugione fidei cum praefat. et adnotationibus Du-Voisin; Schoëttgenium *Horae hebraicae et thalmudicae etc.*

(4) Recolantur documenta, quae paulo ante attulimus.

(5) Praeter auctoritatem Hieronymi supra relatam id constat ex aliis veteribus scriptoribus, qui id ipsum testantur. Sane Eusebius hist. eccles. lib. III, c. 24. « Perlatis jam, scribit, in omnium ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus evangeliis, approbavisse ea Joannes, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur: solam vero narrationem earum rerum quas Christus circa praedicationis initium gesserat, desiderasse ». Των προαναγραφέντων τριῶν εἰς πάντας ἤδη καὶ εἰς αὐτόν διαδεδομενων, ἀποδέξασθαι μὲν φασὶν ἀλήθειαν αὐτοῖς ἐπιμαρτυρήσαντα· μόνην δὲ ἄρα λειπεσθαι τῇ γραφῇ τὴν περὶ τῶν ἐν πρώτοις καὶ κατ' αρχὴν τοῦ κερύγματος ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ πεπραγμένων διηγησιν. Clemens

realiter existente facile fuit ad institutam ab ipso ecclesiam gradum facere, *C.* a Christo ideali et symbolico *N.* Nam ecclesia, eaque realis certe pendet a Christo ipso, utpote ejus auctore et institutore, velut catena cujus annulus primus Christo pendulus haereat. Ast Christi existentia, prout ab evangelistis exhibetur, sublata, nulla amplius institutionis et fundationis ecclesiae ratio reddi potest. Ecquis enim sic animo est comparatus ut innumeros exantlaret labores, poenas vel immanes subiret, sanguinem denique ipsum effunderet, uti praestiterunt apostoli atque discipuli, deinde vero tot martyrum millia, pro ideali ac symbolico mentis conceptu? Haec nugatoria sunt, imo absurda deliramenta, quae soli mythici et rationalistae glutire possunt. Judaeis autem ac judaizantibus relinquimus quae de veteris synagogae institutionibus, ritibus, regimine, hierarchia et sacerdotio, tum quae de ejusdem gloria ac majestate, tum demum quae de temporali regeneratione seu resurrectione applicatis seu translatis ab apostolis Christi ecclesiam ipsi comminiscuntur, prophetarum oracula crassiori quadam ratione interpretantes. Diversa providentis Dei ratio in synagogam ante et post rejectionem Christi continenti viginti plus minus seculorum serie, luculenter ostendit utrum reipsa necne ecclesia in jura synagogae successerit, an vero spectari debeat, ut adversarius contendit, tamquam collateralis synagogae secta (1). Illud autem verum est, plura quoad regimen, principium auctoritatis, aliaque non pauca, ut postea evolvemus, a Christo adoptata ex veteri synagoga et in ecclesiam suam translata; nam et illa fuit divinitus instituta et ordinata ad Christum ejusque ecclesiam.

42. Ad 7. *D.* Id est a Christo ipso ecclesiae forma determinata est, ex qua reliqua tamquam ex semine evoluta sunt quae ad ejus perfectionem pertinent, *C.* Ex ideali et symbolico conceptu *N.* Dimissis porro adversariorum calumniis de dominationis ambitu, deque ecclesiae seu ejus auctoritatis in terrenam et temporalem conversione ex mystica et spirituali; dicimus Christum ecclesiae suae formam dedisse, quae postea magis ac magis evoluta est, dum per temporum et rerum adjuncta totam majestatem suam ac gloriam explicare potuit. Huc referuntur ejus parabolae sub quibus futura haec amplitudo ac majestas est adumbrata (2). Dum vero protestantismus sub praetextu nonnullorum abusuum, qui, spectata humana infirmitate, ex parte privatorum individuorum in eam irrepserant, vexillum rebellionis erexit, vitalem ipsam, ut ita loquar, ecclesiae constitutionem adortus est, et ejus, ut dicitur, reactio non tam in ecclesiam romanam seu catholicam, quam in ipsum christianismum, qualis a Christo institu-

Alex. apud eundem Euseb. lib. VI, c. 14. subdit: « Joannes omnium postremus cum videret in aliorum evangeliis ea quae ad corpus Christi pertinent tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus spiritale evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit ». Epiphanius haeres. LI § 19. (ed. Petav.) « Sanctissimus hic Evangelista, inquit, ordine ac successione quartus, ac, tametsi primus esset omnium, scribendi tamen tempore postremus, quae ante se praeclare erant aliorum, opera degesta repetere noluit: sed ante ea, quae jam dicta fuerant, quae non erant dicta proposuit ».

(1) Cf. quae scripsimus adversus Salvador ac judaizantes reliquos in Tract. *De Incarnat.* p. 1, n. 180 seqq.

(2) Tales sunt parabolae de grano sinapis Matth. XIII, 31 seqq.; de fermento ibid. 33. De semine terrae dato quod crescit et fructificat Marc. IV, 26 seqq.

tus est vires suas convertit. Sane si rite principium fundamentale in omnibus suis legitimis consecutionibus indagemus, pervenimus ad ejusdem religionis christianae eversionem. Exinde enim socinianismus, postea vero rationalismus prodierunt, ac demum Strauss cum schola sua, quibus funditus religio christiana, imo et Christus ipse de medio tollitur (1).

CAPUT II.

DE CHRISTI ECCLESIAE CONSTITUTIONE

43. Existentia et origine ecclesiae vindicatis, una cum ejus *anterioritate* novi testamenti Scripturis, ordo logicus postulat ut ad intimam atque essentialem ejusdem ecclesiae constitutionem, nec non ad ipsius formam (2) ut vocant,

Hic juverit opponere Salvador ceterisque detractoribus externae majestatis quam ecclesia seculorum lapsu adepta est, veras ac profundas observationes hominis protestantis sed ingenui, scilicet Cl. Hurter qui in vita Innocentii III. lib. XIV. ex germanico idiomate in gallic. conversa haec praeclare scribit: « C' est ainsi que l'essence intérieure du christianisme enfanta, dans le cours des siècles, sa forme extérieure, l' Eglise, dont la hierarchie était la base et le pilier. Une vie pleine d'activité juvénile et d' énergie morale, l' action et la réaction produites par l' enchaînement des événemens, rendirent cette hiérarchie grande et forte, et en firent une aristocratie spirituelle qui avait ses racines dans les plus nobles prérogatives du genre humain, qui touchait le ciel avec sa couronne et répandait ses rameaux protecteurs sur tous les peuples professant la foi chrétienne. Tout ce qui était éminent par la naissance, par les dons de l' esprit, par l' habilité et l' expérience des affaires, par ces vertus dont la récompense était la couronne impérissable que le christianisme présente à ses fidèles confesseurs, se trouvait au sein de l' Eglise. Par la position qu' elle réclama de la société pour son clergé, elle donna à celle-ci une direction plus noble, et à ses propres membres cet éclat extérieur qui, à la verité, ne réhausse pas la valeur morale intérieure, mais l'honore en la faisant apprécier, et lui assure une autorité imposante en la plaçant l' égale des plus grands et des plus puissans. C'est ainsi qu'elle éleva de la poussière sur le siége des princes ceux qui se distinguaient par quelques qualités, et les posa à côté des thrônes, elle les entoura d' honneurs devant les hommes, de pouvoir et d' influence sur la marche des affaires du monde, et leur offrit à côté de la palme céleste la couronne terrestre » (Histoire du Pape Innocent. III. par M. Fr. Hurter trad. de Allem. par MM. Alex. de Saint-Cheron et J. B. Haiber. Paris 1838. tom. III, p. 6, 7.

(1) Hinc Salvador op. cit. Préface p. XIX. loquens de opere Straussii haec habet: « L'ouvrage du professeur de Tubingue a surtout un grand sens comme dernière expression de l'esprit du protestantisme. La réforme s'était fait illusion à elle-même, en se croyant un mouvement tout chrétien, un retour pur et simple aux doctrines évangéliques. Mon travail actuel expliquera mieux une vérité, que j'avais déjà énoncée, et qui, au premier aspect, a dû ressembler à un paradoxe. — Dans les destinées de l' ordre biblique et religieux, la réforme a étè un commencement de réaction, une préparation inévitable au réveil de tout ce que la sève indestructible de l' hébraïsme renferme encore d' énergie morale et de pouvoir créateur pour faire arriver la famille humaine a son plus haut degré d' unité, a son meilleur état d' équilibre ». Ex judicio proinde hujus auctoris, qui acerrimus est adversarius catholicismi, et satis versatus in scriptis rationalistarum ex quibus plura mutuatus est ac sua fecit, patet protestantismum ferri in destructionem christianae religionis.

(2) Dum hic commemoramus exteriorem ecclesiae formam distinctam ab ea quam vocavimus intimam ac essentialem ejusdem constitutionem, minime intendimus alteram ab altera dispescere; cum juxta praesentem ecclesiae statum de quo disserimus inseparabiles sint,

exteriorem accurato examine expendendam accedamus. Passim ecclesiam societatem nuncupavimus a Christo institutam. Haec porro societatis notio in nobis excitat ideam corporis moralis, seu moralis personae, quae ad instar hominis seu individui humani viventis agat atque operetur. Si de qualibet humana societate haberetur sermo hic sistendum foret, cum haec idea satis foecunda sit, nosque suapte natura ducat ad agnoscendam animam seu principium vitale ejusdem societatis aut moralis personae, per quod suas exerat vires, ac moveat molem cujus vitale principium est. Nos praeterea trahit haec ipsa idea ad formam exteriorem admittendam, seu corpus quod capite ac membris apte inter se dispositis et arcto invicem nexu consociatis constat, quorum diversa munia sint ac officia; tum denique nos inducit ad intimam ac mutuam animae et corporis internoscendam communicationem, sive commercium. Atque haec quidem omnia in societate a Christo instituta necessario admitti debent, cum sine iis, quemadmodum nulla vivens persona individua, sic nec ulla persona moralis, seu proprie dicta societas sit aut intelligi possit.

44. Ac nos quidem hic sistere possumus, cum omnia exinde habeamus, quae necessaria sunt ac sufficiunt ad veram Christi ecclesiam constituendam. Non defuerunt tamen, qui ulterius progressi, sibi in ecclesia quandam veluti incarnationis continuationem videre visi sunt. Juxta hos Christus Deus-homo voluit in ea perfectam suipsius imaginem ac similitudinem relinquere in qua et per quam ipsemet vivere quodammodo videretur, ac nobiscum etiam post visibilem suum in caelum ascensum conversari. Haec propterea societas Christum praeseferens, ut ipsi loquuntur, *divino-humana* est, subsistens in *unitate* personae cum utriusque naturae *communicatione*, quo fit ut elementum, ut vocant, divinum pervadat ac penetret elementum humanum, ipsumque regat ac dirigat, alat ac veluti informet, unitatemque ex utroque constituat. Quod divinum in hac persona morali seu societate inesse dicunt, constituit partem ejus intimam seu animam; quod vero humanum vocant, constituit ejus formam exteriorem ac visibilem, sive corpus quo velut organo anima exterius se prodit ac manifestat. Exinde fit ut ecclesia invisibilis aeque ac visibilis necessario esse debeat; invisibilis quidem quoad animam, visibilis vero quoad corpus; item fit ut ecclesia una sit, prout unus est Christus, sancta uti sanctus est Christus, indefectibilis quemadmodum indefectibilis est Christus, infallibilis sicut infallibilis est Christus, qui eam tamquam vivam imaginem sui ipsius atque perfectam esse voluit, imo per eam quodammodo se in his terris usque ad consummationem seculi perpetuare constituit, ita ut quod Christus habuit et habet natura sua, communicet per gratiam ac privilegium huic filiae seu sponsae suae. Dummodo haec rite intelligantur, prout natura similitudinum exigit, quae ad vivum resecari non debent, nihil reprehendendum in iis conspicimus, imo ad ecclesiae naturam et constitutionem explicandam valde hanc ideam conferre existimamus eaque uti non abnuimus (1).

verum significare tantum volumus distinctionem, quae intercedit inter ejusdem ecclesiae animam et corpus, prout clarius ex tota expositionis serie patebit.

(1) Ita Moehler *Symbolique* tom. II, ch. V, § XXXVI, et seq. ubi doctus auctor hanc ideam fuse exponit, et evolvit. Haud me latet quibusdam expositionem hanc minime arri-

45. Verum quidquid de ea sit, ex iis quae paulo ante exposuimus patet hic agendum a nobis esse prius de ecclesiae anima, deinde de ejus corpore, ac denique de mutua communicatione seu commercio quod intercedit inter animam et corpus ejusdem ecclesiae. Quod quidem perficiemus distinctis articulis, ne si de omnibus simul agatur, confusio ingeneretur. Cum vero divina ecclesiae institutio a nobis vindicata sit a qua, ut postea ostendemus, scripturas sacras habuimus ac traditiones, eis deinceps ut divinae auctoritatis documentis ad rem nostram utemur.

ARTICULUS I.

De anima ecclesiae

46. Hoc nomine significamus in primis interiorem justitiam seu gratiam sanctificantem, qua homines justi Deo intime uniuntur, vitamque supernaturalem ac prope divinam viventes, aeternae vitae fructus emittunt; cum Christus « tamquam caput in membra, ut loquitur Tridentinum, et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent (1) ». Significamus praeterea fidem, spem et charitatem sine quibus nemo profecto vivit, nec non alias praeclaras dotes quibus Deus eos qui eximia praesertim sanctitate praecellunt cumulare solet. Cum vero haec omnia quae animam ecclesiae constituunt, Dei dona sint, et ea dona quae Christus ipse tamquam caput eidem ecclesiae velut corpori suo mystico jugiter communicat, quibusque vivificat, ideo animam hanc elementum divinum, ut diximus, nonnullis vocare placuit, quod penetrat elementum humanum, nempe ecclesiae corpus.

47. Ecclesiae animam, seu invisibilem ac interiorem ecclesiae partem ultro admittunt protestantes, immo ex ea sola plures ex ipsis ecclesiam totam constare contendunt, ut hac ratione se ad

dere verentibus ne nescio quem pantheismum redoleat. Ast si rite et ad mentem auctoris intelligatur, nullum ejusmodi periculum subest. Nam Moehler utitur incarnatione Filii Dei veluti similitudine ad significandam intimam unionem Christi cum ecclesia per gratiam sanctificantem, quae justis omnibus inhaeret, seu membris vivis ejusdem ecclesiae. Mens proinde auctoris est, Christum instituisse ecclesiam suam *ad instar* incarnationis, non autem quod veram ac proprie dictam incarnationem cum ipsa peregerit, quod vel suspicari nefas, imo impium et stultum est. Vera autem ratio cur isti censores Moehlerum reprehendunt, repeti debet ab ipsorum systemate circa gratiam sanctificantem, quam juxta protestantium placita in mero externo favore ac benevolentia Dei erga justum constituunt, ita ut ejus vi Deus benevolum se ipsi exhibeat. Quod quam abhorreat a doctrina Concilii Tridentini sess. VI, cap. VII. nemo catholicus ignorat.

Ceterum haec idea biblica est; Apostolus enim passim vocat ecclesiam Christi corpus, ut Coloss. I, 18-24. Ephes. I, 23. IV, 12. V, 23. etc. Eamdem patres commendant, inter quos s. Athanasius scribens in lib. de *Incarnat.* § 21. « Et cum Petrus dicat: *certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos crucifixistis:* non de divinitate ejus dicit, quod Dominum ipsum, et Christum fecerit; sed *de humanitate ejus, quae est UNIVERSA ECCLESIA*, quae in ipso dominatur et regnat, postquam ipse crucifixus est: et quae ungitur ad regnum caelorum, ut cum illo regnet, qui seipsum pro illa exinanivit, et qui induta servili forma, *ipsam assumpsit* (edit. Maur. opp. tom. I, p. II, p. 887.) ».

(1) Sess. VI, cap. XVI.

ecclesiam Christi pertinere evincant, quamvis turpiter ab ipsa desciverint. In quo veteres haereticos imitati sunt, qui eadem de causa unicam ecclesiam invisibilem proclamarunt, nec praecise ex justis, sed ex solis electis seu praedestinatis coalescentem (1), sive actu justi fuerint sive scelesti. Hos paulo post refellemus; interim insequenti propositione adstruimus quinam proprie ad potiorem hanc ecclesiae partem spectent, et quinam sint ab ea excludendi, ut deinceps ad alia gradum faciamus.

PROPOSITIO

Omnes et soli justi pertinent ad ecclesiae animam

48. Si omnes ac soli justi ad animam ecclesiae spectant plane consequitur eos solos hoc censu includi, qui actu justitia et sanctitate praediti sunt, ac propterea eos omnes ab illa removeri, qui quamvis ad vitam aeternam praedestinati, nondum sunt justitiam adepti, quicumque demum ii sint, id est, sive in ecclesiae corpus jam fuerint cooptati sive non; rursum si omnes includuntur in hoc censu qui actuali sunt justitia ornati, patet ad nobiliorem hanc ecclesiae partem pertinere quotquot eam sanctitatem possident, sive intra sive extra ecclesiae corpus actu inveniantur. Quibus ita compositis, sic accedimus ad veritatem enunciatae propositionis evincendam.

49. Illi omnes et soli ad ecclesiae animam pertinere dicendi sunt, qui actu vivunt vita illa supernaturali atque divina, quae ipsam ecclesiae animam constituit; per quam Dei spiritu aguntur, qui ipsos invadit ac penetrat, eisque intime inhaeret, ita ut idonei fiant ad eliciendos actus huic vitae consentaneos, seu ad emittendos fructus vitae aeternae. Atqui tales sunt omnes et soli justi. Ergo.

50. Etenim, ad majorem quod spectat, nemo est qui ambigat in iis quae recensuimus vitam de qua loquimur consistere, quae ratio est cur, ut vidimus, a nonnullis vocata fuerit elementum divinum penetrans humanum, et ex iis constat quae suo loco ostendimus (2). Gratia siquidem sanctificante aut nascimur ad hanc vitam; aut reviviscimus, si postquam illam amisimus eam recuperamus, et in ea nutrimur et crescimus. Ex ea fides illa profluit quae per charitatem operatur cum ceteris virtutibus ac donis adnexis.

51. Porro omnes ac solos justos tali gaudere vita evidens est, quia ipsi soli gratia sanctificante instructi sunt, seu principio illo vitali, quo fit ut Deo adhaereant, ejusque spiritu moveantur et agant. Hanc notionem involvit ipsa *justi* denominatio, proveniens in re de qua agimus, ab illa justitia quae est complexio omnium virtutum divinarum quibus Deo chari efficimur, amici ac filii Dei, seu « divinae consortes naturae », ut loquitur Apostolus Petrus (3).

52. Quapropter asserere aut non omnes justos, aut non solos pertinere ad ec-

(1) Cf. Bellarm. *De ecclesia* lib. III, cap. I. cum notis Erbermanni; Becanum *Manuale controv.* lib. I, c. 3. FF. de Walenburch *De controversiis fidei* edit. Colon. Agripp. 1669. tom. I. tract. *De Unitate Ecclesiae* lib. I.

(2) Cf. Tract. *de Gratia* p. II, n. 468 seqq. ubi in toto suo lumine collocavimus doctrinam ecclesiae catholicae et eidem adversantis systematis protestantium circa naturam et effectus gratiae sanctificantis una cum nexu quem habent cum contrariis principiis ex quibus ejusmodi doctrinae profluunt, et corollariis, quae exinde deducuntur.

(3) II. Petr. I, 4. Θείας κοινωνὶ φύσεως.

clesiae animam, esset propositio contradictoria; simul enim actu justi essent et non essent; viverent simul ac non viverent, quod repugnat et sensum absurdum inducit.

53. Ergo non soli electi nec omnes electi ad hanc ecclesiae animam spectant, cum plures possint esse electi qui actu non vivunt, aut quia nondum eam vitam adepti sunt, aut amissam nondum recuperarunt: plures item possunt esse reprobi qui actu eam vitam obtinent, quamvis eam ex propria culpa sint amissuri, nec rursum eandem sint adepturi. Id ipsum dicatur tum de iis, qui extra ecclesiae corpus adhuc sunt, attamen gratia sanctificante instructi fide et charitate flagrant, cujusmodi catechumeni esse possunt, tum de iis qui quamvis intra ecclesiae visibilis septa degant, sunt nihilominus peccato lethali inquinati, destitutique propterea gratia sanctificante et charitate.

Constat igitur quod enunciavimus, omnes et solos justos ad ecclesiae animam pertinere.

54. Priusquam vero istud argumentum concludamus, id apposite animadvertendum, quod licet fides proprie atque, ut scholis loqui mos est, formaliter vitam non tribuat cum est a charitate sejuncta, est tamen ejusdem vitae fundamentum, seu principium et radix, atque conditio sine qua vita haec haberi nequit; unum est de essentialibus ejusdem constitutivis. Hinc fit, ut, qui gravi patrato crimine amiserit charitatem, retenta fide ac spe, per hoc non omnem penitus vitam amiserit, nec propterea cesset ad ecclesiae animam quadantenus pertinere. Nam etsi fides sine operibus, seu sine charitate ex qua opera prodeunt meritoria « mortua sit in semetipsa », ut inquit s. Jacobus (1); nihilosecius permanet ad instar radicis aut bulbi quibus licet propagines ac stirpes discerptae sint et accisae, caelesti pluvia rigati iterum pullulare, virescere, ac novas emittere propagines possunt.

DIFFICULTATES

55. Obj. Aliam omnino ideam ecclesiae invisibilis exhibent ipsi christianae religionis propagatores; 1. s. Joannes enim supponit ad ecclesiae animam omnes et solos praedestinatos pertinere: « Ex nobis, inquit, prodierunt, sed non erant ex nobis, nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis (2) »; quibus congruunt quae scribit Paulus: « Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus (3) ». 2. His inhaerens s. Augustinus: « Quidam, ait, qui filii Dei, propter susceptam vel temporaliter gratiam, dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo (4) », et iterum:

(1) II, 17. Apposite Card. Bellarm. lib. III. *de Eccles. Milit.* c. II, n. II. hos diversos gradus eorum qui sunt in ecclesia exponit scribens: « Notandum autem est ex Augustino in breviculo collationis, coll. 3. Ecclesiam esse *corpus vivum* in quo est anima et corpus; et quidem anima sunt interna dona Spiritus Sancti, fides, spes, charitas etc. Corpus sunt, externa professio fidei, et communicatio sacramentorum. Ex quo fit, ut quidam sint de anima et de corpore ecclesiae, et proinde uniti Christo capiti interius, et exterius, et tales sunt perfectissimi de ecclesia; sunt enim quasi membra viva in corpore, quamvis etiam inter istos aliqui magis, aliqui minus vitam participent; *et aliqui etiam solum initium vitae habeant, et quasi sensum, sed non motum, ut qui habent solam fidem sine charitate* ».

(2) I. Jo. II, 19.

(3) II. Tim. II, 19.

(4) Lib. *de Corrept. et grat.* c. IX, n. 20.

« Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non vere discipuli Christi, ita nec vere filii Dei fuerunt, etiam quando videbantur esse, et ita vocabantur (1) » et alibi passim. 3. Haec omnia fundamentum habent in ipsius ecclesiae Conditoris verbis: « Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili . . . et ego vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum (2) ». Ex quibus intelligimus 4. Christum caput non esse nisi illius ecclesiae quam salvam faciet, et quam exhibebit olim gloriosam non habentem maculam aut rugam, ut loquitur Apostolus (3), quae certe constare non potest nisi ex omnibus et solis praedestinatis. 5. Ad haec accedit quod invisibilis ecclesia *idealis* potius sit et philosophica quam *realis* et *empirica*; 6. atque etiam non satis tuta, siquidem ad ecclesiae animam cum non spectent nisi sancti, recte inferri potest ejusdem corpus, quod a tali anima informatur, non esse aliud quam *collectionem sanctorum*, et sic dilaberemur in ecclesiam absolute invisibilem, quod certe catholici non admittunt. Ergo.

56. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Ex adductis testimoniis Joannis et Pauli ecclesia invisibilis constat ex omnibus et solis praedestinatis in ordine ad consecutionem finis, *C.* in ordine ad praesentem justitiam *N.* Si ratio habeatur finis seu termini, profecto ecclesia haec invisibilis ex omnibus et solis praedestinatis exurgit, utpote qui omnes ac soli pervenient ad gloriosam Christi ecclesiam, quae in caelis triumphat; ast si ratio habeatur actualis ipsorum status, et conditionum quas recensuimus, apertum est neque ex iis omnibus, neque ex iis solis ecclesiam invisibilem coalescere, cum non omnes nec soli ad ecclesiae animam pertineant. Complures enim praedestinati actu non vivunt, seu instructi non sunt charitate, quandoque etiam nec fide, contra vero plures charitate actu sunt praediti, in qua non perseverabunt. Jam vero Scripturae textus qui adducuntur in priori significatione intelligendi sunt ut cum reliquis componi possint (4).

57. Ad 2. Eadem esto distinctio: sic enim s. Doctor mentem suam declarat postquam docuit justos non praedestinatos non esse veros filios: « Non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt (5) ».

58. Ad 3. *N.* Multiplici autem sensu *ovium* nomine significantur qui pertinent ad Christi ecclesiam, ac primo omnes justi, qui nobiliorem ejus partem constituunt, scilicet animam, uti ostendimus; deinde omnes praedestinati secundum aeternam praescientiam et praedestinationem, licet plures ex iis nonnisi in potentia, uti dicitur, quae certe ad actum reducetur, ad ecclesiam spectent; tertio relate ad ejusdem ecclesiae corpus de quo paulo post disseremus. Ex hac secunda animadversione patet qua de causa Christus dixerit se habere oves quae adhuc non sunt in ejus ovili, atque in aeternum haud perituras quas Pater ei dedit secundum praescientiam et aeternam praedestinationem (6).

(1) Ibid. n. 22.

(2) Jo. X, 16-28.

(3) Ephes. V, 27.

(4) Cf. Bellarm. De eccles. lib. III, cap. VII, n. 21. ubi observat hoc intercedere discrimen inter diversum hominum statum, quod qui sunt oves, aut filii, aut membra secundum solam praedestinationem, non sunt actu, sed solum *potentia* tales. Praedestinatio enim, ut ipse loquitur, nihil ponit in homine, sed est actus in ipso Deo manens: at qui sunt tales secundum praesentem justitiam, sunt *actu* et simpliciter tales, quia in se revera habent id, unde tales appellantur. Quod confirmat auctoritate s. Augustini Tract. XLV. in Joan.

(5) Loc. cit. n. 20.

(6) Quo sensu s. Augustinus lib. IV. de Bapt. cap. IV, n. 4. scribebat: « Secundum

59. Ad 4. *Neg.* Sed Christus est caput eorum omnium qui utpote viventes per fidem et charitatem de ea vita participant, quam ipsis idem Christus communicat per jugem influxum gratiae sanctificantis qua *formaliter* vivunt; tales autem sunt omnes et soli justi. Etenim « Si quis spiritum Christi non habet, ut ait Apostolus, hic non est ejus (1) » scilicet quoad animam.

60. Ad 5. *D.* Id est ejusmodi ecclesia non est physica, corporea ac visibilis, *C.* non est vera ac realis, licet invisibilis *N.* Haec duo permisceri inter se nequeunt, uti evidens est, ne plura adjiciamus ad hoc evincendum.

61. Ad 6. vel *N.* vel *D.* Si anima ecclesiae in sola justitia et charitate tota consisteret, *Tr.* si praeterea consistat in fide, quae quamvis mortua dicatur et sit respectu charitatis quae eam informat, attamen in se reipsa subsistit ac viget *N.* Sub finem hujus propositionis jam animadvertimus, eos qui fidem habent, etsi peccatores sint, quodammodo ad ecclesiae animam pertinere, ac propterea vitam aliquam inadaequatam, ut ita loquar, seu principium vitae retinere, quamvis in tali statu ad meritum eis non prosit ejusmodi fides utpote destituta charitate. Optima praeterea dispositio est haec fides quae, afflante gratia, statim germinare rursum potest, et amissam charitatem ac plenam vitam recuperare (2).

ARTICULUS II.

De ecclesiae corpore

62. Si ex dictis Christus ad modum humani individui societatem suam, nempe ecclesiam instituit, legitime infertur eam non sola anima, sed et corpore constare, ac propterea formam exteriorem habere, ac visibilem esse, prout superius adnotavimus.

63. Pari praeterea jure consequitur, ecclesiam, quod ad hanc formam exteriorem sive corpus attinet, non in mera fidelium aggregatione consistere, sed intimo et essentiali ordine atque, ut ita dicam, *organice* esse constitutam, sic ut constet ex membris invicem sociatis et subjectis pro diversitate officiorum quo unicuique membro competunt juxta Christi institutionem. Immo vero, quemadmodum in qualibet rite instituta societate, omnino necesse est ut alii praesint, alii autem subjiciantur omnesque arctissimo inter se nexu consocientur per modum unius, ut unam societatem aut corpus morale efficiant, illudque individuum reddant, ita plane ejusmodi ecclesiam Christi esse, societatum scilicet omnium perfectissimam ac nobilissimam, necesse est.

64. Duo hic proinde praestare debemus, quorum alterum est patefacere quibus coalescat pars haec exterior ec-

ejus praescientiam, qui novit quos praedestinaverit ante mundi constitutionem conformes imaginis filii sui, multi etiam qui aperte foris sunt, et haeretici appellantur, multis et bonis catholicis meliores sunt. Quid enim sint hodie videmus, quid cras futuri sint, ignoramus ». Et tract. XL. in Jo. n. 12. « Secundum praescientiam Dei, inquit, et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus, et quam multae oves intus, et quam multi lupi foris? »

(1) Rom. VIII, 9.

(2) Ex hoc colligimus magnum esse beneficium vel ad solum verae ecclesiae corpus pertinere. Etenim quamvis non raro contingat quempiam in peccatis sordescere, dummodo tamen veram fidem teneat, semper habet unde resipiscat, et pharmacum morbis animae suae, uti experientia quotidiana ostendit. Contra vero qui extra veram Christi ecclesiam versantur et vera fide destituti sunt his quoque remediis destituuntur.

clesiae; alterum vero utrum, et in quas classes qui hanc ecclesiam seu societatem christianam conficiunt, distribuantur. Quoad primum vero ostendemus eam coalescere tam ex justis quam peccatoribus; quoad secundum evincemus eam in duos ordines distribui clericos nempe et laicos, seu, quod idem est in coetum docentem ac discentem, regentem et rectum, activum atque passivum.

65. Quatenus ecclesiae partem exteriorem diximus constitui seu coalescere ex omnibus Christi fidelibus sive justis sive peccatoribus, patet eam generatim cum Bossueto definiri posse: « Ecclesia est societas hominum viatorum veram Christi doctrinam profitentium (1) ». Haec enim definitio nobis in praesentia sufficit, atque utpote generalissima, a nemine, qui visibilem ecclesiam admittat, respui jure potest, ita ut jam in ea protestantes consentientes habeamus.

His praemissis, sic jam ad priorem thesim adstruendam accedimus.

PROPOSITIO I.

Ad corpus ecclesiae, seu ad visibilem ecclesiam spectant omnes christifideles tam justi quam peccatores

66. Hic loquimur de fidelibus baptizatis qui nempe cooptati sunt in illam societatem quam Christus instituit, quaeque veram ejus doctrinam profitetur, neque ab ea quacumque demum de causa separati sunt. Sensus proinde enunciatae propositionis hic est, ita Christum instituisse visibilem suam ecclesiam ut coalescat aut coalescere possit tam ex justis quam peccatoribus; et hanc opponimus iis, qui ex solis justis et sanctis eam constitui autumarunt, cujusmodi ex veteribus fuerunt praecipue novatiani ac donatistae, ex recentioribus non pauci protestantes, licet ex diverso plane principio. Illi enim ita senserunt, ut cohonestarent proprium schisma (2), isti ut statuerent ecclesiam invisibilem ad contegendam propriam defectionem ab illa ecclesia quam deseruerant (3).

(1) Conférence avec M. Claude, Oeuvr. de Bossuet ed. de Versailles 1816. tom. XXIII, p. 247. suivv.

(2) Novatiani non ideo negabant peccatores, lapsos praesertim in gravia crimina, esse in ecclesia quod statuerent ecclesiam invisibilem, sed ne communicarent cum libellaticis, et cum lapsis in gravia peccata post baptismum quibus remittendis concessam a Christo ecclesiae suae potestatem inficiabantur; tum etiam ut se mundos profiterentur. Cf. Nat. Alex. H. eccl. sec. III, cap. III, art. IV. §. 1 seqq.

Sic neque donatistae professi sunt ecclesiam esse invisibilem, sed coarctatam affirmabant illam esse ad partem Donati, et ecclesiam catholicam arguebant praevaricationis eo quod traditorum contagio malorumque communione contaminatam autumarent, quia Caecilianus juxta ipsos consecrationem episcopalem acceperat a Felice Aptungitano sacrorum librorum traditore, et cum Caeciliano ecclesia romana, adeoque catholica communicabat. Cf. cit. auct. sec. IV, cap. III, art. I § 1-4. Necnon Valesium in opusc. *De schismate Donatistarum*, Albaspinaeum in *observationibus* ad Optatum Milevitanum, card. Norisium *Historiae Donatistar.* p. I. opp. edit. Veron. 1732. tom. IV.

(3) Protestantes circa visibilitatem aut invisibilitatem ecclesiae semper ancipites fuerunt; interdum enim duce Luthero docuerunt ecclesiam esse invisibilem utpote congregationem sanctorum, ut hac ratione excluderent a Christi ecclesia romanum Pontificem et praelatos, atque sic contenderunt se esse in communione cum omnibus sanctis, id est haereticis, qui eos praecesserunt. Negabant propterea eam esse veram ecclesiam a qua discesserant. Idem docuerant Hussitae, et Wicleffitae protestantium antesignani, imo et Cathari sive Albigenses ut refert Hurter lib. XIV. vitae Innocentii III,

67. Jam vero Christum ita instituisse ecclesiam suam qua parte visibilis est, ut ad eam non minus justi quam peccatores pertineant, patet tum ex apertis Scripturarum sententiis, tum ex Christi ipsius scopo, ac demum ex sensu traditionali.

68. Et re quidem vera quod attinet ad Scripturarum sententias, evincitur thesis veritas ex eo quod ecclesia comparetur areae in qua cum frumento paleae continentur (1), tum ex illis omnibus parabolis in quibus Christus comparat ecclesiam suam sagenae missae in mare ex omni genere piscium congreganti (2); convivio nuptiali ad quod intraverunt boni et mali, et cui interfuit homo non vestitus veste nuptiali (3); decem virginibus ex quibus quinque erant fatuae, quinque vero prudentes (4); ovili in quo sunt oves simul et haedi (5). Quae quidem confirmantur ex Apostolo, qui I. Cor. V, 3. expresse jubet expelli ab ecclesia incestuosum Corinthium, qui proinde tamdiu in ecclesia permansit quamdiu ab ea expulsus non est; et in II. ad Timoth. II. 20. scribit: « In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam », ut alia ejusmodi non pauca praetereamus.

69. Nec minus evidenter constat si ratio habeatur ad scopum seu finem,

ed. cit. tom. III, pag. 23. ubi referens istorum errores scribit: « Leur principale attaque fut dirigée contre *l'église visible* . . . comme les cathareens, ils appelaient l'église la prostituée de Babylone, pleine de tous les vices, ils donnaient au Pape le nom du chef de l'erreur, aux prélats ceux de scribes, de pharisiens et d'assassins ». Cf. etiam Bellarm. de ecclesia lib. III, c. II. et Bossuet *conférence avec M. Claude* l. c. Postea vero fassi sunt ecclesiam esse visibilem, et nisi sunt exponere de anima ecclesiae contraria majorum suorum effata. Sane Gerhard loc. theolog. XI, 106. cum annot. Cottae » Patet, scribit, distinctionem ecclesiae in *visibilem* atque *invisibilem* non esse divisionem generis in species, quasi duas specie fingeremus ecclesias sibi oppositas, uti perperam nobis affingunt ecclesiae romanae socii (utrum *perperam* ut affirmat Gerhardus, an *vere* catholici hoc protestantibus affinxerint patet tum ex dictis, tum ex iis quae scripsimus in tract. *De vera relig.* part. II, prop. IV, num. 67. not. (c)), sed esse dumtaxat *limitationem subjecti* secundum *diversos* suos *status*. Quemadmodum scilicet in eodem homine duplex datur relatio, *exterior* nempe, qua alios homines, atque *interior*, qua Deum respicit; ita et de toto aliquo coetu hominum, qui in certum doctrinae sanctioris typum consentiunt, hoc est de ecclesia vere enunciari potest, eamdem quoad formam externam *visibilem*, quoad internam vero *invisibilem* esse. Prout *visibilis* est, definitur congregatio seu coetus hominum viatorum, qui amplectuntur verbum Dei, sacramentisque utuntur. Prout *invisibilis* autem est, definitur coetus pie credentium, atque ad vitam sempiternam infallibiliter praedestinatorum ». Alia protestantium in hanc rem testimonia cf. apud FF. de Walenburch *de unitate eccles.* lib. I, c. V.

Cum vero urgerentur a catholicis protestantes, si ecclesia est visibilis, quaenam erat, et ubinam erat quando primum ab ecclesia catholica divisi sunt? Ut ab hac permolesta quaestione se liberarent plures iterum ad ecclesiam invisibilem relapsi sunt, ut patet ex difficultatibus quas urgent apud Palmer in recentissimo ejus *Tractatu de ecclesia Christi* p. I, cap. III. qui apud Anglicanos vocantur *dissidentes*. Nempe nesciunt ubi consistant.

(1) Matth. III, 12.
(2) Ibid. XIII, 47.
(3) Ibid. XXII, 2 seqq.
(4) Ibid. XXV, 1 seqq.
(5) Ibid. 33.

quem Christus sibi praestituit in ecclesia instituenda. Voluit enim Christus ut ecclesia sua esset veluti lucerna quae omnibus luceret, ac civitas supra montem posita ut ab omnibus conspiceretur; ei demandavit munus praedicandi verbum suum, administrandi sacramenta, corrigendi delinquentes, admittendi resipiscentes ad poenitentiam, expellendi e sinu suo contumaces ac rebelles, regendi gubernandi, aliaque ejusmodi pro opportunitate statuendi quae ad bene constitutam societatem necessaria sunt. Jam vero si soli justi pertinerent ad ecclesiam, cum hi non cognoscantur, ecclesia fieret prorsus invisibilis ac nullum munus exercere posset. Incertum semper quidem esset, utrum illi qui ejusmodi munia exercent sint de ecclesia nec ne. Quod plane adversatur consilio Christi in ea instituenda.

70. Sane Christus sub sensibili forma doctrinam suam discipulis consignavit in posteros sub sensibili quoque forma propagandam; sub forma sensibili ac visibili Spiritus Sanctus super eosdem discipulos in unum congregatos sese diffudit (1), cum nempe ecclesiae proprie dictae exordia coeperunt; Christus praeterea visibile sacerdotium, et sacrorum ministerium, illudque perpetuum, ut suo loco ostendimus (2), in eadem instituit; sacramenta denique, quae essent visibilia signa ad sanctitatem in hominibus efficiendam, augendam, aut reparandam (3) esse voluit. Quapropter luculenter patet in ecclesia fundanda Christo minime propositum fuisse societatem nescio quam invisibilem instituere, sed prorsus visibilem eam constituere voluisse, per quam potius tamquam per organum et instrumentum interior et invisibilis efformaretur, seu gigneretur sanctitas in ecclesia visibili (4).

71. Talem denique perpetuo extitisse sensum traditionalem constat ex iis quae patres adversus novatianos et donatistas disputarunt velut certum dogma propugnantes, peccatores in ecclesia esse. Ne prolixiores simus unum aut alterum textum ex iis afferemus. S. Augustinus in lib. III. contra litteras Petiliani c. XII. « Homo sum, inquit, in area Christi: palea si malus; granum si bonus »; et iterum lib. VII. de Baptismo cap. 51. « Nam et istos (graves peccatores) esse in domo (nempe in ecclesia), negare non possumus, dicente Apostolo, in magna autem domo non solum aurea vasa sunt vel argentea, sed et lignea, et fictilia etc. ». Sic etiam s. Hieronymus in dial. contra Lucifer. « Arca Noe, inquit, ecclesiae typus fuit .... ut ibi pardus et haedi, et lupus et agni; ita et hic (in ecclesia) justi et peccatores, id est, vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur (5) » ut alios omittam. Porro peccatores ex di-

(1) Act. II, 2 seqq.

(2) In tract. *de ordine* n. 26 seqq.

(3) Cf. tract. *de sacram. in genere* n. 1 seqq.

(4) Hinc optime Moehler op. cit. § XXXVII. « Les temps, inquit, étaient accomplis, l'Esprit-Saint se communique aux Apôtres et aux autres disciples du Sauveur. Lorsque le Paraclet descendit sur eux, ils n'étaient point dispersés, mais réunis dans un même lieu, et ne formant qu'un même coeur (ὁμοθυμαδὸν); il leur avait même été formellement ordonné d'attendre le Saint-Esprit à Jérusalem. De plus, l'Esprit divin prît une forme extérieure, la forme de langue de feu; symbole de sa vertu qui purifie les coeurs de toute malice et les réunit dans l'amour. Il ne voulut venir d'une manière seulement intérieure, comme pour affermir une société invisible; mais de même que le Verbe s'était fait chair, l'esprit vint a son tour d'une manière accessible aux sens, accompagné d'un grand bruit, semblable à un vent impétueux ».

(5) n. 22.

ctis non pertinent ad ecclesiae animam, ergo spectare saltem debent ad ejusdem corpus.

72. Tum igitur Christi dicta, tum ejus scopus in ecclesia instituenda, tum denique sensus traditionalis totius antiquitatis luculentissime concurrunt ad evincendum quod proposuimus, nimirum ad ecclesiae corpus seu ad visibilem ecclesiam pertinere omnes Christi fideles, sive justi fuerint sive peccatores, quo nomine omnes prorsus significamus malos et pessimos christianos, imo et incredulos et haereticos occultos, quamdiu ab ipsa societate aut ejecti non sint, aut separati.

DIFFICULTATES

73. I. Obj. 1. Ecclesia, seu societas a Christo instituta debet esse sancta, uti etiam profitemur in symbolo apostolico; talis porro non esset, imo potius esset perversa et scelerata, si praeter justos, peccatores, facinorosos, et infideles praeterea et haereticos occultos in sinu suo complecteretur; 2. Christus esset ipsorum caput, ac regnum Christi constitueretur magna saltem ex parte ex diaboli regno, quae quidem praeterquam quod absurda sunt, 3. adversantur Apostolo scribenti ad Ephesios quod « Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata (1) ». 4. Quae verba exponens Hieronymus concludit: « Qui ergo peccator est et aliqua sorde maculatus, de ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici.... peccator currat ad medicum.... et fiat de ecclesia, quae corpus est Christi (2) »; Hieronymo ceteri patres assentiuntur, inter quos 5. s. Pacianus: « Ceterum, scribit, peccator et poenitens non est ecclesiae macula, quia quamdiu peccat et non poenitet extra ecclesiam constitutus est (3) », 6. s. Augustinus de magnis peccatoribus ait: « Non ideo putandi sunt esse in Christi corpore, quod est ecclesia, quia sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt (4) » et iterum: « Quos non pertinere ad sanctam ecclesiam Dei, quamvis intus videantur, ex hoc apertissime apparet, quia isti sunt avari, raptores, fornicatores, invidi, malevoli et caetera hujusmodi; illa autem columba (ecclesia) unica, pudica et casta, sponsa sine macula et ruga... quod non intelligitur nisi in bonis et sanctis, et justis (5) »; qui praeterea inter bonos et malos hoc affirmat intercedere discrimen, quod boni sint in ecclesia et de ecclesia, mali vero sint quidem in ecclesia sed non de ecclesia (6). Comparat etiam s. Doctor peccatores humoribus malis (7) qui profecto dici non possunt corporis membra. Demum, etsi daretur peccatores esse in ecclesia, cum non sint nisi membra mortua, ad nihil inserviunt, cum nihil agere possint. Ergo.

74. Resp. ad 1. *D.* Debet sancta esse et revera est ex multiplici capite, *C.* ad exclusionem peccatorum *N.* Itaque ecclesia reipsa sancta debet esse ac semper est ut eam in symbolo profitemur

(1) V, 25 seqq.

(2) Comment. in ep. ad Ephes. lib. II, in v. 24.

(3) Epist. III. ad Sympron. in magna Biblioth. Patrum tom. IV, p. 239.

(4) Lib. II, cont. litter. Petiliani cap. CVIII.

(5) Lib. VI. de Baptismo cap. III.

(6) Ibid. lib. VII, capp. LI, et LII.

(7) Tract. III. in I. epist. Jo. n. 5.

1. ratione partis suae potioris seu nobilioris, cujusmodi esse animam ecclesiae ostendimus; 2. ratione capitis quod est Christus; 3. ratione finis qui est sanctitas in hac vita, et gloria in futura; 4. ratione doctrinae; 5. ratione mediorum; 6. ratione plurimorum membrorum quae sanctitate praedita sunt. Si quae igitur membra ipsius ecclesiae infirma sint, imo et mortua, non sequitur eam propterea facinorosam, perversam aut sceleratam esse, quia ad hos peccatores producendos ecclesia ordinata non est; imo peccatores contra hanc ordinationem Christi ecclesiae agunt, contra naturam ipsius ecclesiae, contra finem, ita ut omnia pervertant quae ad ipsorum sanctitatem constituta fuerunt. Hujusmodi itaque homines sibi nocent dum male agunt, aut etiam perverse sentiunt non autem ecclesiae quae non foedatur ob istorum malam agendi aut sentiendi rationem, eamque constanter damnat, et peccatores ab illa perpetuo satagit revocare (1).

75. Ad 2. *D.* Sub aliquo respectu, *C.* sub omni respectu *N.* Quatenus peccatores eamdem fidem profitentur, subjiciuntur legitimis pastoribus, iisdem utuntur sacramentis, habent Christum ut caput ac pertinent ad visibile ejus regnum; quatenus vero peccant ad diabolum spectant ejusque regnum: in quo nullum est absurdum.

76. Ad 3. *D.* Mundat Christus per merita sua ecclesiam fide et sacramentis in terris ut eam sibi aliquando exhibeat gloriosam, sanctam et immaculatam in caelis *C.* ita ecclesiam sibi exhibet in terris vel *N.* vel subd. Quoad nobiliorem ejus partem, *C.* sub omni respectu *N.* Hunc apostoli textum alii exponunt de ecclesia militante, ita ut sanctitas quae inchoatur in terris, perficiatur in caelis, alii exponunt de ecclesia triumphante, quia ibi solum sine macula et ruga gloriosa erit; verum nihil vetat quominus de utraque ecclesia, seu potius de utroque ejusdem ecclesiae statu juxta datam distinctionem eum intelligamus (2).

77. Ad 4. *D.* Juxta Hieronymum peccator de ecclesia Christi non potest appellari aliquo sensu, quatenus nempe non vivificatur a Christo, *C.* absolute *N.* Etenim in v. 30. ejusdem capitis mentem suam magis exponit scribens: « Ecclesia de cunctis credentibus con-

(1) S. Augustinus constanter hanc veluti thesim adstruit adversus donatistas, non posse videlicet bonos contaminari ex consortio malorum, nec maculari ecclesiam ex pravorum malis operibus, quae ecclesiae nulla ratione imputari possunt, quibus corripiendis vigilat ecclesiastica disciplina. Ut nonnulla loca indicem, ita docet lib. VII. de Bapt. cap. XXV, n. 49. lib. II. cont. lit. Petiliani cap. LXXVIII, n. 174. lib. V. de Bapt. c. I. et alibi passim.

Placet vero hic adjicere verba s. Paciani ex ep. III ad Sympron. l. c. quoniam ut hujus auctoritas nobis objicitur. « Magna, inquit, in filios cura matris istius, et mollis affectus: honorantur boni, castigantur superbi, curantur aegroti, nullus perit, nemo despicitur, securi foetus sub indulgentia matris retinentur ».

(2) Cf. Estium Comment. in hunc loc. ubi observat graecorum commentarios totum hunc Paulinum textum referre ad tempus vitae praesentis, in quo Christus ecclesiam suam ab omnibus peccatorum maculis baptismi sacramento mundans sibi exhibet pulchram, et omni genere virtutum ornatam. Quam expositionem secutus pariter est s. Ambrosius, ex recentioribus vero Lyranus et Cajetanus probarunt. Quoniam vero pelagiani hoc loco abutebantur, s. Augustinus aliique exposuerunt eumdem textum de ecclesia triumphante. Utraque expositio vera est; quod si distinguantur tempora, ita ut dicatur Christus praesenti tempore eam mundare, ut aliquando gloriosam et immaculatam sibi *exhibeat*, apprime ambae expositiones inter se cohaerent. Sed videatur ipse Estius. Cf. etiam Cornelium a Lapide, qui copiose pariter hunc textum enarrat.

gregatur », qui certo non omnes sancti sunt.

78. Ad 5. *D.* Peccator extra ecclesiam constitutus est quoad animam, *C.* quoad corpus, seu simpliciter *N.* Sensus s. Paciani patet ex verbis immediate sequentibus; subdit enim post recitata verba: « Ubi desinit peccare, jam *sanus* est ». Itaque peccator est membrum morbosum aut etiam mortuum, quod tamen adhaeret ecclesiae corpori cujus pars est (1). Talem esse mentem s. Paciani argumentum ipsius epistolae patefacit, quod est ostendere adversus novatianos posse ecclesiam peccatoribus ac poenitentibus filiis suis post baptismum peccatorum veniam dare.

79. Ad 6. *D.* Magni peccatores aut etiam peccatores absolute, non sunt de ecclesiae corpore prout vivum est, seu vivificatum per gratiam sanctificantem a Christo, *C.* non sunt de corpore Christi quatenus hoc conflatur a societate credentium sub legitimis pastoribus *N.* Cum enim corpus Christi mysticum quod est ecclesia sub duplici respectu considerari possit, et quatenus vivum est, ut paulo post ostendemus, et quatenus solum exterius est et a multitudine seu societate fidelium constituitur, praescindendo ab interiori eorum statu, fit ut interdum ss. patres, inter quos etiam s. Augustinus, in objectis locis negare videantur peccatores de corpore Christi esse, sive de ecclesia. Ast nomen *corporis et ecclesiae* coarctant ad significandum corpus quod vivum est, seu cujus membra vivunt per gratiam, quo sensu profecto peccatores non sunt de corpore ecclesiae, licet sint membra corporis vivi prout ad societatem credentium, sub legitimis pastoribus, pertinent. Hac animadversione facile explicantur apparentes antilogiae, quae nobis opponuntur sive ex Augustino, sive ex ceteris patribus, cum exploratum sit tum s. Augustinum, tum patres reliquos propugnare adversus novatianos et donatistas commixtionem bonorum et malorum in ecclesia.

80. Ad 7. *D.* Ut denotet peccatores esse membra mortua, *C.* ut denotet non esse membra ecclesiae *N.* Ibi enim affirmat quod cum in die judicii exierint ex corpore ecclesiae hi mali humores, qui illud nunc gravant, bene se habebit. Nec debemus oblivisci has non esse nisi similitudines ac tropicas locutiones, quae non semper sunt urgendae praeter scopum principalem ad quem assumuntur.

81. Ad 8. *D.* Ad nihil inserviunt *sibi* quoad meritum nisi resipiscant, *C.* ceteris et quatenus instrumenta, aut ministri Christi sunt *N.* (2).

82. II. Obj. Juxta ideam quam nobis

(1) Nonnulli suspicati sunt hunc locum fuisse a novatianis interpolatum; Bellarminus vero lib. III. de eccles. cap. IX. ad arg. 7. censet s. Pacianum non loqui de omnibus peccatoribus, sed solum de peccatoribus *qui in haeresim labuntur*, eo quod paulo ante scripserit ecclesiam carere macula et rugis, quia caret haereticis. Quod quidem verissimum est; scribit enim s. Pacianus immediate ante objecta verba: « *Ecclesia est non habens maculam neque rugam*, hoc est haereses non habens, non Valentinos, non Cataphrygas, non Novatianos (non Lutheranos, addi posset, non Calvinistas, non Protestantes etc.). In his sunt enim quidam sinus maculosi atque rugosi preciosarum vestium ornatibus invidentes ». Verum cum subdat: « *Caeterum*, peccator et poenitens etc. » per hanc particulam quae hic vim habet adversativam, non videtur loqui de haereticis a quibus peccatores et poenitentes secernit s. Doctor.

(2) Huc referuntur plurimi articuli in Wicleffo, et Huss proscripti in concilio Constantiensi, praecipue art. IV. Wicleffi « si episcopus, vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non confi-

verae ecclesiae, Scripturae et patres exhibent, haec debet prorsus esse invisibilis ac proinde ex solis justis constare. Etenim 1. s. Paulus describens ecclesiam prout est in novo Testamento « Non enim accessistis, inquit, ad tractabilem montem, et accensibilem ignem .... sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem caelestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis (1) »; et 2. apostolus Petrus « et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis . . . . vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta (2) ». 3. Quae congruunt verbis Christi « Regnum Dei intra vos est » (3); imo 4. congruunt antiquis vaticiniis Isaiae LII. 1—2. « Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus... Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus et ego recipiam vos, dicit Dominus », ut subdit Apostolus recitata verba exponens, qui praeterea rationem reddit quare recedere debeant justi a peccatoribus dicens: « Quae enim participatio justitiae cum iniquitate ... quae conventio Christi ad Belial (4)? » 5. Hinc receptum illud apud patres veluti axioma, non posse habere Deum patrem qui ecclesiam matrem non habet; ex quo aperte sequitur ratione contrariorum nec posse habere ecclesiam matrem qui Deum patrem non habet, cujusmodi profecto sunt peccatores. Cui principio innixus 6. s. Augustinus « Ac per hoc, inquit, etiam nesciente ecclesia propter malam, pollutamque conscientiam damnati a Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata (5) ». 7. Sane si ecclesia est corpus vivum non potest habere membra mortua, quae nonnisi improprie corporis membra vocantur. Ergo.

83. R. N. A. ad 1. prob. *D.* Per oppositionem ad temporale foedus inter Deum et israëlitas initum, *C.* ad exclusionem ecclesiae visibilis *N.* Nempe antithesim hic instituit Apostolus inter modum quo initum primum foedus est, et modum quo initum novum; inter promissa quae in illo facta sunt, et promissiones quae factae sunt in novo; inter sanguinem quo vetus sancitum est, et sanguinem quo sancitum est novum; inter spiritum veteris, et spiritum novae legis. Initum enim est primum foedus cum terroris apparatu, secus ac factum fuerit in novo; promissiones illius foederis erant temporales, spirituales vero promissiones novi, et aeternae; sancitum illud est sanguine brutorum, sancitum vero hoc sanguine ipso novi mediatoris, Christi Domini; spiritus veteris testamenti erat timoris et minarum, spiritus novi est spiritus amoris, seu adoptionis et gratiae. Ad illud accesserunt hebraei corporeis vestigiis, ad istud christiani accesserunt et accedunt per fidem, qua praeterea anhelant ad patriam caelestem, ad consortium angelorum, et ecclesiam primitivorum descriptorum in caelis (6).

cit, non baptizat ». Et art. xx. Huss. « Si papa est malus, et praesertim si est praescitus . . . non est caput sanctae militantis ecclesiae, cum nec sit membrum ejus ». Cf. collect. concil. Labb. ex edit. Coleti Venet. 1731. tom. xvi, col. 756. seqq.

(1) Hebr. xii, 18 seqq.

(2) i. Pet. ii, 5.

(3) Luc. xvii, 21.

(4) ii. Cor. vi, 14 seqq.

(5) Lib. ii. contra Crescon, c. xxi.

(6) Cf. in hoc testimonium Estium qui et heic observat nonnullos interpretari montem Sion de ecclesia triumphante; ast ipse censet rectius ab aliis intelligi de ecclesia, quatenus militantem simul et triumphantem comprehen-

84. Ad 2. *D.* Id est concurrunt fideles ut lapides spirituales ad spirituale aedificium, seu non materiale, sed metaphoricum, *C.* spirituale seu invisibile *N.* Admonet Apostolus fideles quod vocati sint ad omnimodam sanctitatem, ad Deum rite colendum, et laudandum (1).

85. Ad 3. *D.* Regnum Dei, id est Messias, aut gratia, si placet, *C.* ecclesia nondum a Christo fundata *N.* (2).

86. Ad 4. *D.* In sensu litterali, *N.* in sensu mystico subd. per separationem ab infidelibus, *C.* a peccatoribus sive occultis sive manifestis *N.* Quo sensu exposuit Apostolus II. Cor. VI, 14. scribens: « Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio etc. (3) ».

87. Ad 5. *D.* Si eadem ratione qua habent Deum patrem haberent ecclesiam matrem, et vicissim, *C.* si diversa ratione. *N.* Porro fideles etiam peccatores sunt filii ecclesiae per fidem, participationem sacramentorum et subjectionem legitimis pastoribus, sunt autem filii Dei per gratiam sanctificantem, charitatem et imitationem. Schismatici et haeretici non habent in sensu patrum nec ecclesiam matrem nec Deum patrem (4).

88. Ad 6. *D.* Docet Augustinus non esse in ecclesia peccatores eo modo quo in ea sunt justi, id est ut membra viva corporis vivi, *C.* non esse in ecclesia ullo modo, saltem ut membra mortua corporis vivi *N.* Hoc patet ex scopo s. Doctoris adstruendi adversus donatistas corpus ecclesiae constare tum ex justis tum ex peccatoribus, quos vocat humores corruptos in pectore manentes, adeoque in ecclesiae corpore (5).

89. Ad 7. *Neg.* Nihil enim impedit,

dit. Nam militantem excludi non permittit antithesis inter duo membra comparationis. Sina, ut ipse prosequitur, allegorice vetus testamentum significat ejusque filios; ita mons Sion et Hierusalem quam continuo nominat Apostolus, significationem habet novi testamenti et filiorum ejus, ut legitur Galat. IV. Hujus autem testamenti filii partim militant in terris, partim regnant in coelis. Hanc eamdem interpretationem dedit Cornelius a Lapide.

(1) Cornel. a Lapide in hunc loc. ubi non solum eum docte exponit, sed pessimas haereticorum consequentias diluit.

(2) Cf. Maldonatum, qui ostendit hic agi de Messia, ejusque regno ad mentem Pharisaeorum. Cf. etiam Lightfootum *Horae hebraicae in evangelium Lucae* opp. edit. Utraject. 1697. tom. III.

(3) In textu Isaiae litteraliter praedicitur solutio captivitatis babylonicae, judaeorum in patriam reditus, ac immunitas a vexationibus infidelium in terra palaestinensi, ut patet ex orationis serie. Cf. Sanctium in h. l. qui quamvis non excludat, imo supponat nostram interpretationem, contendit in hoc capite prophetam sub typico Hierusalem sensu significare futurum ecclesiae splendorem ac majestatem; ad verba porro quae objiciuntur ab adversariis *non adjiciet ultra etc.* duplicem dat responsionem, quarum prior est de immunitate ecclesiae a dominatione principis infidelis; altera quae magis mihi arridet, est, non tam hic praedici quod reipsa futurum sit quam quod esse in ecclesia a Christo constituta debeat, aut quod, ut fiat, ipsa rerum natura postulat. Ast ipsum adi.

(4) Hoc revera sensu s. Cyprianus omnium primus scripsit in lib. *De unitate eccl.* p. 195: ed. Maur. « Habere jam non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem »; hunc enim librum edidit adversus schismaticos novatianos, ut ostenderet extra ecclesiam catholicam nullam esse sperandam salutem. Nec alio sensu hoc effatum ceteri patres usurparunt, quam adversus haereticos et schismaticos extra Christi ecclesiam constitutos.

(5) S. Augustinus hic disputans adversus Cresconium donatistam, vult ostendere perinde esse quoad valorem baptismi sive conferatur ab haeretico sive ab occulto aut manifesto peccatore; quia eadem ratione qua haeretici aut manifesti ac publici peccatores judicati sunt ab

quominus corpus vivum membrum aliquod mortuum habeat, quod scilicet motum non recipiat a toto corpore, ut experientia docet. Multo vero magis id locum habere potest in societate, quae nonnisi analogice corpus dicitur.

90. Inst. Ecclesia est objectum fidei, videri igitur nequit.

91. R. D. Quatenus ecclesia est ecclesia Christi, sancta et catholica, *C.* quatenus videtur *N.* (1).

PROPOSITIO II.

Ecclesiae corpus constituitur ex hierarchia divina ordinatione instituta, et ex laicis; seu constat ex clericis, et laicis divino jure ab invicem distinctis

92. *Hierarchia*, si vim nominis spectes, perinde valet ac *sacer principatus, sacrum imperium, seu principatus in rebus sacris* (2); si vero rem voce significatam, definiri solet « coetus seu ordo praesidum et sacrorum ministrorum ad regendam ecclesiam gignendamque in hominibus sanctitatem divinitus institutus ». Pertinet propterea hierarchia ad essentialem constitutionem visibilis ecclesiae utpote sic a Christo institutae atque fundatae. Quamobrem de hierarchia hic a nobis agendum erat.

93. Protestantes qui nullum agnoscunt a Christo institutum sacerdotium externum ac proprie dictum, sed contendunt omnes omnino fideles vi baptismi totidem esse sacerdotes, inferunt plenitudinem auctoritatis ex Christi ordinatione residere in populo, qui cum non possit per se implere munia sacerdotio adnexa, deputat ad haec obeunda peculiares viros, ipsisque per quamdam caeremonialem inaugurationem plus minusve auctoritatis tribuit pro majori vel minori gradu in quo eos collocat, a quo si amoveantur, omnem auctoritatem amittunt. Hos vocant *ministros*, quos inter praecipuos vocant etiam *episcopos* aut *praesidentes*, aut aliis titulis donant ratione gradus quem respective obtinent (3). Ex hoc eodem principio colligunt praeterea protestantes necessitatem absolutam suffragii quod ferre debet populus, seu ejus per-

ecclesia, occulti peccatores judicati a Christo sunt, et qua tales ab eo damnati. Porro, ait ipse, quemadmodum Christus non habet membra damnata in corpore suo quod est ecclesia, sic licet isti videantur exterius ad ecclesiam pertinere, attamen non computantur in membris illius columbae unicae donec corrigantur et resipiscant. Evidens autem est hic loqui s. Doctorem de membris vivis ecclesiae qualia profecto non sunt peccatores; non autem de membris absolute, ut patet ex antithesi quam hic instituit s. Augustinus inter illos qui receperunt baptisma *foris* nempe ab haereticis, et illos qui idem susceperunt *intus* a peccatoribus. Cf. etiam Bellarminum l. c.

(1) Cf. de hoc argumento P. Fontana S. J. in *Constit. UNIGENITUS theologice propugnata* Romae 1721. tom. III. Cum enim Quesnellius sectariorum more vellet damnationem declinare, septem propositionibus nisus est insinuare ecclesiam esse invisibilem, nec ad illam pertinere nisi electos et justos. Sunt autem proposit. LXXII et sequentes usque ad prop. LXXIX. Has, ut solet, Fontana copiose et erudite confutat. Ut specimen exhibeam Quesnellianae doctrinae, ejus exscribam propositionem LXXII. quae ita se habet: « Nota ecclesiae christianae est quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos caeli, et omnes electos et justos terrae et omnium seculorum ». Cetera sunt ejusdem tenoris.

(2) Cf. Svicerum in *Thesauro* ad vocem Ἱεραρχία.

(3) Exinde intelligitur quid sint apud lutheranos qui *episcopi* vocantur, et quorum frequens apud eos fit mentio, quin tamen admittant hierarchiam.

sonam gerentes, principes nempe aut magistratus, ad validam ministrorum electionem (1).

94. Haud multum ab hoc protestantium placito neoterici distant illi, qui cum Edmundo Richerio sentiunt, Christum totam potestatem, quam tribuit per collationem clavium, contulisse corpori fidelium in solidum, quemadmodum Deus oculos e. g. dedit corpori, aut etiam facultatem visivam non oculis in se spectatis contulit, sed corpori quod cernit per oculós, audit per aures etc. Cum vero fideles nequeant per se ejusmodi potestatem exercere, deligunt ecclesiasticos viros, ac in primis rom. Pontificem, episcopos, presbyteros ac reliquos clericos ad peculiaria officia obeunda (2). Atque inde profluit illa *capitis ministerialis* denominatio a Richerio primum, deinde vero a synodo Pistoriensi romano Pontifici tributa (3); quae quidem denominatio utpote emergens a systemate, quod uti haereticum damnatum est, pariter ut haeretica proscripta fuit a Pio VI. in constit. *Auctorem fidei* (4).

95. Id ipsum de iis dicendum, qui sin minus verbis, re tamen in eandem concedunt sententiam, contendentes Christum ecclesiae suae seu hierarchiae potestatem *jurisdictionis* minime tribuisse, sed solam potestatem, seu potius ministerium *directionis*. Hinc episcopos vocant primos inter pares, ac idem sentiunt de rom. Pontifice respectu episcoporum. Vocant proinde ecclesiam *collegium*, non autem *statum*, *regnum*, *monarchiam*, *corpus*.

96. His porro omnibus haereticis erroneisque sententiis opponimus doctrinam catholicam, quae semper tenuit ac tenet in ecclesia esse hierarchiam divina ordinatione institutam quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris (5), quaeque a populo, divino jure distincta sit. Non complectimur his verbis, ut patet, rom. Pontificem, de quo suo loco nobis apposite agendum erit; neque complectimur patriarchas, primates, archiepiscopos, archipresbyteros etc. utpote subdivisiones ab ecclesia processu temporis inductas. Verum eos tantum gradus significamus, qui una cum potestate ordinis comprehendunt potesta-

(1) Talis est origo juris quod principes protestantes sibi tribuunt et exercent in sacra, frustra reclamantibus pastoribus, siquidem ejusmodi jus in eos profluit ex ipso protestantismi systemate.

(2) Ita Richerius in op. inscripto: *De ecclesiastica et politica potestate*. Hoc opus ter damnatum fuit Decr. 10. maj. 1613. 2. decemb. 1622. et 4. Mart. 1709. Richerius librum suum semel et iterum non solum retractavit, sed plane confutavit. Cf. opusc. Zaccariae cui tit. *Theotimi Eupistini de doctis catholicis viris, qui Cl. Justino Febronio in scriptis suis retractandis ab an. MDLXXX. laudabili exemplo praeiverunt, liber singularis*. Romae 1791. Cf. praeterea eumdem auctorem in *Anti-febronio*. Cesena 1770. pag. 87 seqq.

(3) Sane Richerius in sua Retractatione ita scribit: « Hanc propositionem, seu potius *haeresim* ex putridis Lutheri et Calvini fontibus me hausisse non diffiteor, qui ambo impie falsoque contendunt, proprie et immediate jurisdictionem ecclesiae fuisse datam a Christo, non s. Petro, aliis apostolis et episcopis, nisi per accidens instrumentaliter et nomine ecclesiae etc. . . . Nec minus mihi ridiculum fuit dicere, eumdem Papam esse caput ministeriale, ac si esset ecclesiae minister, quemadmodum apparitores sunt ministri justitiae ».

(4) Prop. III. quam alias dedimus. Sic pariter prop. II. « Quae statuit *potestatem* a Deo datam ecclesiae, ut communicetur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii, ac regiminis potestas, *haeretica* ».

(5) Conc. Trid. sess. XXIII. can. VI.

tem jurisdictionis, ex quibus tamquam a sua radice surgit quodammodo auctoritas ipsa (1); nempe designamus coetum ecclesiasticum simul spectatum, quatenus divino jure distinguitur a populo.

97. Itaque hoc sensu directe adstruimus hierarchiam adversus protestantes, indirecte autem adversus richerianos, pistorienses ac reliquos novatores, quod scilicet Christus Dominus instituerit peculiarem coetum cui soli commisit regimen ecclesiae suae independenter a fidelibus quibuscumque, qui potius ab illo regendi sunt atque informandi in iis quae ad salutem aeternam conferunt.

98. Sic vero expositam doctrinam evincimus. Non aliter prorsus de ecclesiae regimine ejusque forma et origine sentiendum, ac judicium ferendum est quam ex voluntate ejusdem Fundatoris, quae innotescere nobis debet tum ex Scripturis, tum ex facto ipso ad nos usque protracto. Jam vero ex utroque fonte constat Christum commisisse fidelium suorum regimen una cum auctoritate quam illud suapte natura exposcit, non omnibus indiscriminatim, non multitudini, aut seculi principibus, sed peculiari coetui hominum quem sacerdotio externo, proprie dicto, ac certo ritu in ecclesiam suam continue propagando in triplici suo gradu episcoporum, presbyterorum et ministrorum insignivit. Ergo.

99. Ac primo quidem ad sacras litteras quod attinet, legimus Matth. XVIII. ex omnibus discipulis quos sibi Christus adjunxerat, claves regni caelorum, seu potestatem ligandi atque solvendi solis apostolis tradidisse; Ibid. XXVI. solis apostolis contulisse potestatem eucharistiam conficiendi; ac demum XXVIII. solis apostolis mandatum dedisse et auctoritatem docendi omnes gentes, ac baptizandi, quibus praeterea se adfuturum in hoc munere obeundo usque ad consummationem seculi promisit (2). Hanc potestatem contulit Christus immediate apostolis suis eadem ratione, qua ipse eam consecutus erat a Patre suo. Ut enim legitur Matth. XXVIII. Christus praemiserat: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, *euntes ergo* docete etc. », atque ut habetur Jo. XX. 21. dixit eis: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: haec cum dixisset insufflavit, et dixit eis: accipite Spiritum Sanctum etc. ». Ex his igitur luculenter constat Christum in institutione ecclesiae suae tum missionem, tum administrationem sacramentorum, tum denique opportunam auctoritatem ad ejusdem ecclesiae regimen non populo, aut secularibus principibus, ab ipsis deinde delecto coetui communicandam, sed unice apostolis suis eorumque in sacerdotio successoribus immediate contulisse. Accedit ecclesiam praecise non caepisse in sua, ut ajunt, formali ratione ac solemni inauguratione, nisi die Pentecostes, cum ad Petri concionem tria hominum millia per baptismum in eam cooptata sunt (3); quomodo igitur iis nondum existentibus fidelibus conferre Christus potuit auctoritatem aliis communicandam?

100. Verum res luculentius adhuc patet ex facto constanti ab apostolis ad nos usque absque interruptione continuato. Ex quo enim societas christiana caepit, statim conspicimus apostolos eam quam a Christo adepti erant auctoritatem exercere, atque, ut diffunderetur,

(1) Cf. Franc. Hallierium *De hierarchia ecclesiastica* Lutet. Paris. 1646. lib. I. cap. V.

(2) Cf. etiam loca parallela Marc. XVI, 17. Luc. XXIV, 47 seqq. Act. I, 8.

(3) Ante id temporis non erat nisi ecclesia inchoata, atque ut ita dicam, in embryone, suisque veluti elementis.

delectis a se hominibus communicare. Et quidem ab initio soli apostoli cum ministris seu diaconis sacro ritu initiatis (1); deinde vero cum sacerdotibus utraque praeditis potestate, presbyterali scilicet et episcopali (2), ac demum temporis exigui lapsu cum episcopis, qui ad praecavenda schismata presbyteris tali gradu destitutis superpositi sunt (3). Exinde habemus, sacerdotium illud quod in sua plenitudine Christus primum apostolis contulerat, veluti flumen trifariam in suis gradibus distinctum ad nos usque promanare. Nullum siquidem pene monumentum ecclesiasticum est vel a remotissima ipsa antiquitate, in quo aut seorsum, aut simul etiam mentio non occurrat episcoporum, presbyterorum et diaconorum. De his enim monumenta biblica passim, de his Clemens romanus immediatus apostolorum discipulus, nec non Hermas, Ignatius, Papias, Polycarpus discipuli pariter apostolorum, deinde reliqui omnes qui iisdem successerunt, mentionem faciunt. Horum omnium supervacaneum censeo testimonia in medium adducere quippe omnibus compertissima.

101. Quod autem potissime prae oculis ad rem nostram in his documentis habendum, auctoritas illa profecto est, quam ab ipsis ecclesiae primordiis exercuerunt summi pastores, ac sub ipsis reliqui secundo, ut diximus, aut tertio sacerdotii gradu insigniti, presbyteri nempe et diaconi. Atque ut exordiamur ab apostolis, legimus eos a Spiritu S. in opus ministerii assumptos fuisse, uti Paulum et Barnabam (4); Paulum item et Barnabam per civitates singulas presbyteros constituisse auctoritate propria per sacram inaugurationem (5); insuper Paulum testatum esse episcopos a Spiritu S. positos esse ad *regendam* ecclesiam Dei (6); praefecisse Timotheum ecclesiae Ephesinae (7), Titum Cretensi (8); iisdem regulas ac monita dedisse, ut scirent quomodo in commissis ecclesiis conversari, easque cum omni imperio gubernare (9); quibus dotibus praefulgere ii deberent quibus manus imponerent, seu ordinationem conferrent (10), nulla prorsus mentione plebis injecta, nisi ad summum ut bonum ab ea testimonium haberent (11). Apostolus Joannes pariter viros a se delectos praefecit ecclesiis Asiae quas fundaverat (12): idem constat fecisse Petrum per universas occidentis ecclesias (13).

102. His vestigiis inhaerentes viri apostolici quos paulo ante commemoravimus, affirmant episcopos, presbyteros et diaconos a Domino ecclesiae in ordine seu gradu suo fuisse praefectos (14);

(1) Act. VI.

(2) Cf. quae scripsimus in tract. *De ordine* n. 104 seqq.

(3) Cf. Ib. n. 57 seqq. et n. 110 seqq.

(4) Act. XIII, 2 seqq.

(5) Ibid. XIV, 20.

(6) Ibid. XX, 28.

(7) I. Tim. I, 3.

(8) Ad Tit. I, 6.

(9) Ibid. II, 15. et in epist. ad Hebr. XIII. vocat ecclesiae ministros *praepositos*, adjiciens v. 17. « Obedite praepositis vestris, et subjacete eis ».

(10) I. Tim. 2-9. V, 22. etc. ad Tit. I, 6 seqq.

(11) I. Tim. III, 7.

(12) Irenaeus et Clemens Alex. apud Euseb. lib. III. cap. XXIII. Hieronymus de *Viris illustr.* cap. IX.

(13) Tertull. *De praescript.* cap. XXXV, ed. Rigal. Innocentius I. ep. XXVI. ad Decent. § 2. cum not. Coustantii; s. Augustinus in *Breviculo Carthagin. collat.*, tum in lib. *De unico bapt.*

(14) Cf. Clement. Rom. I. ad Corinth. cap. XLII. apud Cotel. tom. I. p. 170. Ignat.

vocant episcopos ecclesiarum praesides (1), qui praesunt Dei loco, quibus proinde parendum sit ut Deo mandato, ut Deo Patri, aliaque ejusmodi pene innumera apud eosdem occurrunt (2), ut recentiores praetermittam, quibus luculentissime edocemur tum semper extitisse hierarchiam divina ordinatione constitutam, quae constat episcopis, presbyteris et ministris, tum hanc a laicis divinitus distinctam semper spectatam fuisse; tum demum auctoritatem, quae semper et constanter in ea viguit, non a plebe, non a mundi principibus, sed a Christo sive a Deo ei fuisse tributam (3).

103. Ex his non solum eruimus adversus protestantes Christum fidelibus universis nullum sacerdotium proprie dictum contulisse, nec proinde potestatem eidem adnexam, ut fert illorum principium fundamentale ad evertendam ecclesiasticam hierarchiam, et distinctionem divinitus inductam inter clericos et laicos; sed praeterea colligimus adversus richerianos neque mediate, neque immediate Christum contulisse corpori fidelium potestatem clavium, ut eam deinde communicarent sive rom. Pontifici, sive episcopis aut presbyteris; ac denique adversus pistorienses inferimus sive romani Pontificis, sive episcoporum auctoritatem non *ministerialem* tantummodo esse, eo videlicet sensu, quod absque idonea potestate illis a coetu fidelium communicata munus sibi divinitus commissum exercere nequeant. Haec enim omnia aliena sunt a Christi mente in ecclesiae suae constitutione patefacta, nec illorum ullum occurrit in tota antiquitate vestigium (4).

DIFFICULTATES

104. I. Obj. Si ecclesiarum praesides ac ministri tum divina institutione, tum divinitus accepta potestate carent, nulla profecto existit ecclesiastica hierarchia divina ordinatione constituta, ac divino jure a laicis distincta; porro ita rem se habere facile evincitur. 1. Ac primo quidem quod attinet ad divinam institutionem; nam quae sunt divinitus instituta ea pendere ab humana auctoritate nullatenus possunt; jam vero ex populi suffragio pendere ministrorum electio-

Mart. in epist. ad Ephes. IV. et alibi passim ib. tom. II. Cf. Guillelm. Beveregium *annotat.* in can. I, et II. apostol.

(1) Hermas Pastor. lib. I. vis. III. n. 5. seqq.

(2) Sic Hermas l. c. Clemens Rom. Ignatius apud Coteler. quem Cf. in indice ad voces *Episcopi*, *Hierarchia*; nam nimis longum esset velle loca singula indicare. Sane episcopus vocatur passim *summus sacerdos* a Tertulliano lib. *de Bapt.* c. XVII. ab Ambrosio lib. III. *de Sacram.* c. V. a Hieronymo *adv. Luciferian.* et in epist. ad Asellam etc. apud Hallierium cit. lib. IV. pag. 461 seqq. Certe antiquissimus auctor *Constit. apostolic.* lib. II. cap. XIV. inter cetera scribit: Οὐδὲ γὰρ δίκαιον κεφαλὴν ὄντα σε, ὦ ἐπίσκοπε, οὐρᾷ προσεχειν, τουτέστι λαϊκῷ ... ἀλλὰ Θεῷ μόνον· ἄρχειν γάρ σε χρὴ τῶν ὑπηκοων, οὐ μὲν καὶ ὑπ' αὐτῶν ἄρχεσθαι οὔτε γὰρ υἱός ἄρχει πατρὸς κατὰ τὸν τῆς γενεσεως λόγον. κ. τ. λ. « Neque etiam aequum est, o episcope, ut tu qui caput es, assentiaris caudae, hoc est laico ... sed Deo soli. Nam oportet te subjectos regere, non ab iis regi; cum nec filius imperet patri secundum rationem ortus etc. ».

(3) Cf. Petavii *De ecclesiastica hierarchia* libros quinque, praesertim lib. I cap. II. seqq.

(4) Cf. opus cui tit. *Le storte idee raddrizzate, ossia esame teologico e canonico di certe nuove dottrine intorno la potestà costrettiva della chiesa etc.* Foligno 1794. Cujus auctor creditur Zaccaria.

nem luculentum exemplum exhibent Acta apostolica sive in electione Barnabae ac Matthiae (1), sive in electione septem diaconorum (2); exhibent concilia, quibus passim constituitur, ut episcopo defuncto, ille in ejus locum sufficiatur quem *populus elegerit*, uti inter cetera con. Nicaenum statuit in epistola synodica ad ecclesiam Alexandr. (3); exhibent ecclesiae patres inter quos s. Cyprianus testatur populi suffragium et consensum in electione ministrorum ecclesiae ex traditione divina, et apostolica observatione descendere (4). 2. Verum non modo carent ecclesiae praesides divina institutione, sed carent praeterea divinitus accepta potestate; Christus enim Matth. XX. 25-27. quocumque principatu interdixit apostolos ipsos dicens: « Principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus ». Quapropter Petrus I. ep. V. 3. scribebat: « Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo ». 3. Hinc etiam apostoli reliqui non se ecclesiae hierarchas, sed Christi servos, ministros, atque dispensatores Dei se esse profitebantur, ut in primis Paulus. 4. Igitur tridentini Patres recte quidem definire potuissent esse in ecclesia *hierodiaconiam*, aut *hieroduliam*, sacrum videlicet ministerium aut sacram servitutem, non autem hierarchiam, quod nomen imperii ab instituto Christi ejusque apostolorum omnino abhorret. 5. Quare Germania mirata est, inquit Sarpius (5), illius synodi Patres consecrasse vocem, quae a sacris litteris aliena est, veteribusque moribus, institutisque contraria. 6. Neque silentio praetereundum est hierarchiam hujusmodi ecclesiasticam cum civilis reipublicae hierarchia conciliari nullo modo posse. Ergo.

105. Resp. *N.* min. Ad 1. vero prob. *Neg.* iterum min. quoad omnes partes; atque in primis non suffragantur adversariis Acta apostolica; etenim ex principio ipsorum adversariorum, quod pendet a divino ac naturali jure constans esse debet, nec ulli mutationi obnoxium alioquin irritum illico ac nullum censeretur quod contra utrumque jus fieret. Porro praeter duo illa facta ex capp. I. et VI. nobis objecta, nullum aliud ejusmodi occurrit exemplum de servata illa electionis forma; imo ut ex allatis probationibus constat, aut sola voluntate Dei immediate expressa, aut a solis apostolis, aut sola denique voluntate eorum, qui ab apostolis praefecti ecclesiis erant, juxta leges sibi constitutas facta ejusmodi electio est. Restat igitur ut dicamus in duplici illo casu ita se gessisse apostolos ex peculiari quadam ac prudenti oeconomia, quin voluerint normam seu legem immutabilem constituere, multo vero minus id fecisse necessitate compulsos, eo quod ita exposceret naturale aut divinum jus, alioquin ipsi se juris ejusdem violatores constituissent (6).

106. Sed neque iisdem suffragantur

(1) Act. I, 23.

(2) Ibid. VI, 3-5.

(3) Apud Theodoret. hist. eccles. lib. I, cap. IX.

(4) Epist. LXVIII.

(5) *Storia del concil. di Trento* lib. VIII.

(6) Quae ut melius intelligantur, revocandum in mentem est systema protestantium circa sacerdotium ex quo pendet hierarchia. Cum Christus juxta ipsos noluerit peculiare sacerdotium externum et visibile instituere, sed fideles omnes voluerit praeditos sacerdotio vi baptismi, fit ut omnibus competat jus et potestas concionandi, consecrandi, administrandi sacramenta, ceteraque munia sacerdotalia ob-

concilia, quorum decretis pro diversis temporibus varia omnino disciplina sancita est in ministrorum electione. Interdum statutum fuit ut episcopus et presbyteri eligerentur cleri et plebis suffragio, uti constat ex cit. Synodica epistola concilii Nicaeni; interdum ut a solis episcopis, nulla facta populi mentione, episcopus nuncuparetur, ut patet ex eodem concilio Nicaeno can. IV. (1); aliquando populi suffragium aperte exclusum est, uti a conc. Laodicaeno can. XIII. (2), et Bracarensi II. cap. I. (3). Id ipsum evincit usus peculiaris ecclesiae Alexandrinae, uti habemus ex s. Hieronymo, ubi « A Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant (4) ». Eadem varietas viguit in electione ceterorum ministrorum, quae ut plurimum a sola voluntate ordinantis pendebat. Quae quidem omnia innumeris propemodum documentis ecclesiasticae historiae firmata ab eruditis Thomassino (5), Hallierio (6), Nat. Alexandro (7) aliisque passim, luculenter ostendunt populi electionem non a jure divino, sed a varia ecclesiae disciplina et concessione unice esse repetendam.

107. Nec adstipulantur patres, qui potius saepenumero conqueruntur de usu illo qui in ecclesiis aliquibus obtinebat (8), donec penitus abolitus est. Quod si s. Cyprianus ep. cit. hujusmodi populi

eundi. Attamen nemo singillatim jus istud potest in praxim deducere nisi ex delegatione communitatis, quae accepit in solidum hanc potestatem; ex quo sequitur suffragium populi ad eligendos ministros esse necessarium necessitate intrinseca et essentiali, ita ut nulla, et invalida sit electio absque suffragio communitatis, aut ejus saltem qui eam repraesentat; nullum plane et invalidum prorsus sit absque ejusmodi electione ministerium. In ipsorum enim hypothesi systema ecclesiasticum est omnino democraticum, ut in republica e. gr. Atheniensi quondam viguit. Quapropter omnia congerunt protestantes ex sacris litteris atque ex historia ecclesiastica documenta, quibus hanc suadeant necessitatem essentialem; quia nisi eam adstruant, nihil proficiunt, et totum corruit ipsorum aedificium. Cum vero impossibile id ipsis factu sit, quoniam ex scripturis et ex historia ecclesiastica innumera exempla suppetant electionum sive episcoporum, sive presbyterorum, sive diaconorum, quae factae sunt absque ullo plebis aut communitatis suffragio et interventu, imo in quibus haec exclusa sunt, hoc ipso patet totum everti ejusmodi systema.

Ceterum quoad electionem s. Matthiae cf. Calmet in dissert. *De electione per sortes*, et in Comment. *in Acta* cap. I. v. 26. Circa electionem autem diaconorum in qua major potest esse difficultas, non desunt rationes cur apostoli ita se gesserint. Ideo enim exquisiverunt suffragium multitudinis, ut ferret testimonium de ipsorum probitate et moribus, ne in suspicionem postea ipsi venirent, praesertim cum ipsis concredita esset bonorum temporalium administratio. Quare, ut observat s. Jo. Chrysostomus hom. XIV. in Acta, aut omnes aut plerique saltem electi sunt ex Hellenistis, ut patet ex eorum nomine, quia murmur excitatum erat ex parte graecorum. Cf. Cornel. a Lapide in h. l.

(1) Apud. Harduin. *Acta concil.* tom. I. col. 328.

(2) Ibid. col. 783.

(3) Ibid. tom. III. col. 391.

(4) Epist. CXLVI. ad Evangelum. ed. Vallars. tom. I. col. 1076.

(5) *Vetus et nova disciplina* p. II. lib. I. capp. I seqq. praesertim cap. IV.

(6) *De sacris electionibus et ordinationibus* p. I. c. III. §. I seqq.

(7) Hist. eccl. Diss. VIII. in sec. I. *De jure christianae plebis in sacrorum ministrorum electione*, et Diss. IV. in sec. XI, et XII. *De investituris episcoporum*.

(8) Sane s. Hieronymus lib. I. contra Jovinian. scribit: « Nonnumquam errat plebis

jus de traditione divina et apostolica observatione descendere docet, s. Martyr latiori significatione heic *traditionem divinam* commemorat, quatenus exemplis innititur ex divina Scriptura depromptis, minime vero quod reipsa ex divina aliqua lege illud proficisci autumaverit. Adde s. Cyprianum loqui de suffragio aut testimonio, quod populus ferret de moribus eligendorum, non autem de electione ipsa cujus *judicium* episcopo reservabatur, ut constat ex epistolae serie (1).

108. Ad 2. *N.* Ad allatas vero probationes desumptas ex Christi, et Petri verbis *D.* Improbant Christus et apostolus imperii aut potestatis fastum et abusum in ecclesiae pastoribus, *C.* potestatem ipsam et imperium *N.* Improbant scilicet in ecclesiae ministris elationem, jubentque ne potestatem exerceant nimis duram et imperiosam, quemadmodum exercebant principes gentium. Abusus porro legitimum rei alicujus usum supponit. Sane Christus Petro Jo. XXI. jam dixerat: « Pasce agnos meos.... pasce oves meas »; ac idem Petrus: « Pascite, qui in vobis est gregem Dei providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum (2) ». At providere et pascere sine potestate quis possit? Sed praeterea recolantur reliqua in probationibus adducta ac hominibus patebit utrum Christus voluerit ministros suos omnis dignitatis ac auctoritatis expertes, an vero in finem ad quem eos destinaverat amplissima voluerit esse potestate praeditos. Deinde nonne protestantes contendunt hanc potestatem Christum contulisse populo universo? Itaque de potestate non potest esse controversia, sed quaestio circa ejusdem potestatis subjectum tota versatur. Quod semper prae oculis habendum est (3).

vulgique judicium: et in sacerdotibus comprobandis unusquisque suis moribus favet, ut non tam bonum, quam sui similem quaerat praepositum ». Ed. Vall. tom. II. col. 292. cf. praeterea AA. citt.

(1) Sic enim scribit s. Martyr l. c. « Propter quod diligenter de traditione divina, et apostolica observatione observandum est, et tenendum quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus deligatur, plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit ». En itaque rationem quare juxta s. Cyprianum exquireretur suffragium plebis, ut praeberet testimonium de eligendi vita et moribus, idque consone ad Apostoli regulam 1. Tim. III, 7. « Oportet illum (episcopum) et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt ». Quod si ab ethnicis ipsis necesse est habere bonum testimonium, seu apud eos bona fama frui, quanto magis apud fideles? uti observat s. Jo. Chrysostomus. Exinde effluxit in ecclesia catholica disciplina de publice denunciandis nominibus ordinandorum, ut si quae vitia in iis sint, detegantur. Cf. Hallierium op. cit. *De sacris election.* p. I. cap. II. nec non Nat. Alex. diss. VIII. cit. sect. I. prop. III.

(2) Loc. cit.

(3) Etenim cum juxta dicta in systemate protestantium, et propterea Richerii, qui magna ex parte illud suum fecit, Christus constituerit veram ac puram democratiam, adeoque populum christianum universum sacerdotem effecerit, contulit in eundem populum fidelem potestatis plenitudinem, quae potestas nemini in particulari competit, sed tota residet in communitate. Quodlibet individuum singillatim sumptum nihil habet, nec quemvis vel minimum jurisdictionis actum exercere potest. Debet proinde a communitate ea communicari illi quem deligit in ministrum et juxta gradum in quo eum collocat. Contra vero in doctrina catholica Christus hanc potestatis plenitudinem contulit sacerdotio visibili, externo ac

109. Ad 3. *D.* Apostoli hierarchae nomen sibi non vindicarunt, *C.* rem vocabulo significatam *N.* Quamvis enim apostoli passim se Christi servos et ministros appellaverint, atque dispensatores mysteriorum Dei, haec tamen eorum agendi ratio, causae quam propugnamus minime officit: siquidem ejusmodi nomina et officia non repugnant cum potestate ordinandi ecclesiae ministros, ferendi leges, judicandi et contumaces puniendi. Hanc porro sive ordinis, sive jurisdictionis potestatem apostolos generatim omnes, maxime vero Paulum exercuisse testatur omnis Actorum historia, testantur epistolae ejus. Quid ergo interest, si apostoli non vindicarunt sibi appellationem *hierarchae*, quando constat eos vindicasse sibi hierarchicam potestatem, eamque non populo, sed Deo acceptam retulisse? Esto igitur hierarchia sit nomen imperii; ast sacri et ecclesiastici imperii nomen est, quod ex dictis, neque Christi neque apostolorum instituto repugnat.

110. Ad 4. *D.* non definierunt Tridentini patres esse in ecclesia *hieroduliam aut hierodiaconiam*, quia id non ferebat ipsorum scopus, imo eidem penitus ejusmodi voces opponebantur, *C.* secus *N.* Ideo Tridentini *hierarchiam* potius quam *hieroduliam* aut *hierodiaconiam* in ecclesia esse definierunt, quia duo nomina isthaec sacrum tantum ministerium significant absque ulla eidem adjecta spirituali potestate. Cum vero scopus Tridentinorum fuerit dogma catholicorum, quod a protestantibus impugnabatur, sartum tectumque tueri; ideo debuerunt eam vocem consecrare, quae praeter ministerium illam complecteretur auctoritatem, quam Christus ministris suis communicavit, et in ecclesia semper obtinuit. Etsi vero antiquis patribus incognita fuerit hierarchiae vox (1), apud eosdem tamen ea nomina occurrunt, quae ad ejus notionem proxime accedunt; nam et Origenes vocavit episcopos ecclesiae *principes* (2), Chrysostomus item commemoravit ec-

proprie dicto, ac praecise corpori episcopali cum et sub rom. Pontifice, ita ut episcopi seorsum sumpti, saltem quoad potestatis exercitium, nihil possint nisi dependenter a rom. Pontifice, ut suo loco ostendemus. Interim patet in quacumque hypothesi semper requiri veram ac propriam potestatem ad ecclesiae regimen, et totam controversiam unice versari circa subjectum cui Christus immediate eam voluit conferre. Cum vero ex dictis Christus non in populo, sed in corpore episcopali sub rom. Pontifice eam collocaverit, hoc ipso concidunt omnia protestantium argumenta, cum potestas ad regendum oriatur ex ipsa natura rei, supposita Christi institutione.

(1) Primus qui perhibeatur in antiquitate usurpasse *hierarchiae* nomen est Dionysius vulgo areopagita nuncupatus, seculi V. scriptor (qui putatur aliquis monophysita aut saltem monophysismi errore infectus ab erudito Le Quienio diss. II. Damascenica). Hic duos libros vulgavit, alterum *De coelesti hierarchia* in XV. capita distributum, alterum vero *De ecclesiastica hierarchia* complectentem capita VII., quos inter ceteros latine reddidit, et una cum reliquis ejusdem auctoris operibus denuo vulgavit Balthassar Corderius S. J. qui praeterea adnotationibus ea auxit et illustravit. De auctore operum areopagiticorum praeclaram dissertationem lucubravit doctissimus P. J. F. Bernardus Maria de Rubeis Or. Pr. quae est IX. inter eas quas scripsit *De gestis et scriptis ac doctrina sancti Thomae Aquinatis*. Vol. in fol. Venet. 1750. In hac porro dissertatione vindicat de Rubeis hunc auctorem ab omni apollinarismi, eutychianismi, et monothelismi labe ac suspicione.

(2) Tom. XVI. in Matth. opp. edit. Caroli De la Rue tom. III. p. 723 seqq. ubi constanter Origenes vocat episcopum ἡγούμενον, et instituit comparationem inter seculi principes et principes ecclesiae, atque diversam ra-

clesiae *praefecturam* (1); Eusebius pariter et Chrysostomus episcopos passim vocant ecclesiarum *archontas* (2); latini autem patres vulgo episcopos dixerunt *ecclesiae praesidentes, principes* atque *praepositos* (3). Propterea cum citato Origene concludimus: « Paulus ecclesiarum rectoribus et principibus loquitur, his videlicet, qui judicant eos, qui intus sunt, id est, episcopis, presbyteris et diaconis (4) ».

111. Ad 5. *D.* Mirata est Germania protestans et quidem immerito, *C.* catholica *N.* Quid enim mirati non sunt protestantes? Porro catholici mirari non potuerunt a Tridentina synodo vocem consecratam fuisse, omnium jam sermone tritam ac novatorum errori confodiendo aptissimam, quaeque rem significat biblicis ac traditionalibus documentis firmatam (5).

112. Ad 6. *N.* Saepius enim jam animadvertimus ecclesiasticam hierarchiam, seu potestatem ad res divinas atque coelestes, civilem vero ad humanas referri atque terrenas; nihil proinde esse civili reipublicae formidandum ab ecclesiastica hierarchia, nec ullam fore perturbationem, si suis quaeque finibus contineatur. Jam vero exploratum est summa divini numinis providentia, duobus maxime praesidiis instructam esse humani generis societatem ad felicitatem consequendam, quorum alterum ad divina ministeria, alterum ad civilem reipublicae statum pertinet, ita ut ex utriusque conspiratione et concordia omnis res christiana, atque civilis augescat et floreat (6).

113. II. Obj. 1. Si ecclesiastica hierarchia divina ordinatione constituta fuisset, et apostolica traditione declarata, certa et determinata esse deberet ecclesiastici regiminis forma; attamen magna adhuc viget inter catholicos ipsos ea de re concertatio. 2. Tridentini in eo canone nullam mentionem injiciunt rom. Pontificis, nec patriarcharum, archiepiscoporum, archipresbyterorum, parochorum, aliorumque ejusmodi dignitate pollentium, quos tamen catholici in ecclesiasticam hierarchiam inserendos esse contendunt. Ergo.

114. *R.* Ad 1. Viget inter catholicos controversia circa peculiarem regiminis formam, *Tr.* (7) circa regimen ipsum

tionem patefacit quam illi tenent in regimine civili et ecclesiastico.

(1) De sacerdotio lib. III. cap. 15. vocans episcopatum δυνάμιν edit. Maur. opp. tom. I. p. 393.

(2) Euseb. hist. eccl. lib. X. c. IV. in orat. panegirica de aedificatione ecclesiarum. Ed. Cantabrig. 1720. p. 479. Chrysostomus l. c.

(3) Tertull. lib. *De jejun. advers. Psychicos* cap. XIV. episcopos vocat *praepositos*; item Cyprianus epistolis IV, X, XXI. et alibi passim; et epist. LV. episcopatum nominat *sacerdotium princeps*. S. Hilarius comment. in Matth. cap. XXVII. eos nuncupat *populi principes*. Alia plura ejusmodi testimonia cf. apud Hallierium op. cit. *De hierarchia ecclesiastica* lib. IV. cap. III. nec non apud Binghamum *Origines sive antiquitates ecclesiasticae* lib. II. cap. II. et apud Mamachium *Originum et antiquit. Christ.* lib. IV. cap. IV.

(4) Lib. II. in epist. ad rom. opp. edit. Paris. 1582. p. II. pag. 304. De quo commentario in epist. ad Rom. cf. Huetium in Origenianis lib. III. sect. II. §. 8.

(5) Adversus Sarpium cf. Card. Pallavicini *Istoria del concilio di Trento* lib. XXI. cap. XIII. §. 14 seq.

(6) Apposite Ivo Carnotensis epist. 240. ad Paschalem II. scribit: « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat ecclesia ». *Epist. Ivonis Carnot.* Paris. 1585. pag. 200. *b.*

(7) Quod intelligi debet de peculiari regiminis *monarchici* forma; nam quod monar-

ejusque originem et subjectum *N*. Catholici omnes adversus novatores plane consentiunt. Christum instituisse ecclesiasticam hierarchiam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris; Christum praeterea his solis potestatem seu auctoritatem contulisse regendi et gubernandi ecclesiam suam. Dogma propterea sartum tectumque est. Ipsorum concertationes attingunt tantum determinatam regiminis hujus formam, utrum scilicet ea sit pure monarchica, ut card. Ursius cum aliis contendit (1), an vero sit praeterea aristocratia permixta, ut Natali Alexandro cum suis magis arridet (2), an denique aristocratia et democratia temperata, ut Bellarmino et Gretzero placet, propterea quod fidelis quilibet per inferiores ecclesiae gradus potest ad summum potestatis apicem pervenire (3). Jam vero ejusmodi concertationes rem ipsam non attingunt; nec minores forsan vigent in ipsa civili republica circa peculiares uniuscujusque magistratus attributiones, privilegia, praeeminentias, quin propterea in dubium revocetur potestas civilis; idem dic de acerrimis controversiis quae cir-

chicum regimen a Christo in ecclesia institutum sit, in controversiam venire non potest, atque ut loquitur Duallius in op. *De suprema Rom. Pontificis in ecclesia potestate*. Paris. 1614, P. I. q. 2. p. 108. *Id affirmant doctores omnes*. Nosque postea ostendemus.

(1) Dissert. *Qua ecclesiasticae monarchiae forma seu ratio explicatur* in op. *De Rom. Pontificis in Synodos oecumenicas et earum canones potestate*. Romae 1740. par. II. lib. VII. pag. 559 seqq.

(2) Diss. IV. in hist. eccl. sec. XV, et XVI, § V.

(3) Bellarm. lib. I. *De Rom. Pontifice* cap. III. Gretzerus in *Defensione tertiae controversiae Bellarmini de Rom. Pontifice*. opp. edit. Ratisbon. 1737. tom. IX. cap. III. Videri possent primo intuitu Bellarminus et Gretzerus minus tribuisse monarchicae formae, quam tribuerit Nat. Alexander, siquidem illi non solum monarchiam aristocratia, sed praeterea democratia temperata admiserunt. Ast si res penitius introspiciatur, rem longe aliter se habere patebit. Etenim Bellarminus et Gretzerus eo sensu affirmant ita temperatam monarchiam optimam esse in his terris regiminis formam, quatenus in ea habetur summus aliquis princeps, qui et omnibus imperet, et nulli subjiciatur, principes tamen in ea inveniantur, qui non sint vicarii regis, sive annui judices, sed veri principes, qui et imperio principis summi obediunt, et interim provinciam vel civitatem suam non tamquam alienam, sed ut propriam moderentur ac regant; quatenus demum in ea nec princeps summus, neque principes subjecti haereditaria successione dignitates illas acquirant, sed ex universo populo optimi quique ad eas evehantur. Hinc patet monarchicum ejusmodi regimen temperatum esse tum aristocratia sub priori respectu, tum democratia sub posteriori. Deinde ostendunt tale esse regimen ecclesiae, in qua vera est monarchia per summum Pontificem, aristocratia per episcopos, qui veri principes sunt et pastores, non autem vicarii summi Pontificis; adest denique democratia cum nemo sit ex omni christiana multitudine, qui ad episcopatum, imo et ad summi Pontificatus apicem evehi non possit. Contra vero Nat. Alexander diss. cit. nititur ostendere adversus Bellarminum et auctorem anonymum (Anton. Charlas), eo sensu permixtum aristocratia esse regimen monarchicum ecclesiae, quod suprema potestas sit auctoritas conciliorum, non autem rom. Pontificis qui illis subjicitur in sententia theologorum gallicanorum. Hanc sententiam suo loco expendemus; interim hic obiter observo argumenta omnia quae profert Nat. Alexander diss. IV. in sec. I. §. 2. ad adstruendum monarchicum ecclesiae regimen, si quid evincunt, evincere pariter monarchiam puram.

ca jus in sacra, ut ipsi loquuntur, inter protestantes adhuc agitantur (1).

115. Ad 2. *D.* Quia propositum Tridentinis fuit eos gradus recensere, qui ex divina ordinatione jurisdictionis fundamentum ac basim constituunt, *C.* ad reliquorum exclusionem *N.* Etenim soli recensiti gradus sunt, qui ex divina institutione vim tribuunt exercendae potestatis in ecclesiam. Patriarcharum porro, archiepiscoporum, aliorumque praesidum dignitates et officia omnium consensu ab ecclesiastica tantum institutione dimanant, et divinae illi ordinationi innituntur. Quamvis autem romani Pontificis primatus divinitus institutus sit, ordinem tamen minime constituit; quare patres Tridentini de eo in cit. canone nullam mentionem fecerunt, quia mens ipsis fuit eos tantum gradus commemorare, qui peculiari ritu divinitus instituto conferuntur (2).

ARTICULUS III.

De mutuo inter ecclesiae animam et corpus commercio

116. Cum ex hactenus constitutis ac vindicatis constet ecclesiam veluti humanum individuum, aut etiam ad instar quodammodo Christi ipsius fuisse institutam, ut ejus personam jugiter in terris visibilem referret, anima proinde et corpore praeditam, sequitur mutuum debere intercedere commercium inter ejusdem animam et corpus ex quo vita pendet et actio.

117. Nec enim ecclesia instar cadaveris est sine vita ac sine motu, sed viva est et operans. Atque ut presse analogiam prosequamur, quemadmodum ad vitam constituendam praeter animam et corpus requiritur nexus inter utrumque, vi cujus commercium illud mutuum exurgit quo anima in corpus, corpus vero in animam agat; sic etiam in ecclesia, ut viva dici possit et sit, seu corpus vivum, necesse est ut suo modo hoc intercedat commercium, quo ejusdem ecclesiae anima in corpus, et corpus in animam vim exerat suam. Insuper ad eum modum, quo in humano individuo semine creto, prius evolvitur ac se prodit corpus, deinde animus, qui per corporis operationes innotescit, sic ecclesia incipit a generatione, quae ei obtingit per baptismum, ac si sermo sit de adultis per verbum Dei et per baptismum, quo quis cooptatur in membrum ecclesiae, donec per virtutum theologicarum exercitium anima, qua vivum ille membrum effectus est, se manifestat exterius. Demum quemadmodum corpus extrinsecus alimentis perceptis nutritur, et animus verbo seu institutione informatur, ita ecclesia verbo Dei reliquisque subsidiis exterioribus alitur, quae totidem gratiae ac sanctitatis vehicula sunt, ac animam penetrant,

(1) Fuse has concertationes exponit Wegscheider § 187.

(2) Praeter auctores citt. cf. de hoc argumento etiam Petrum de Marca in dissert. *De discrimine clericorum et laicorum ex jure divino, et de forma regiminis a Christo instituta*, quae reperitur in collectione cui tit. *Opuscula Petri de Marca* archiep. Parisiens. vol. I. in 8. Paris. 1681. pag. 72 seqq. item Thomassinum *Vetus et nova ecclesiae disciplina* toto lib. I. Mamachium op. cit. lib. IV. cap. III. *De forma et ratione gubernandae ecclesiae;* praecipue vero Zaccariam in *Antifebronio vindicato*. Cesenae 1771. p. I. diss. II. *De forma regiminis ecclesiastici a Christo Domino instituta* pag. 181 seqq. praesertim cap. II; nec non Moehler *Symbolique* tom. II, cap. V. § XLIII. *De la hierarchie* pag. 81 seqq.

vivificantque. Interiorem porro hanc vitam seu sanctitatem, qua suo modo informatur, ecclesia exterius patefacit sive per sanctas operationes, sive etiam per supernaturalia dona atque charismata quibus a Deo honestatur (1).

118. Cum ex hoc mutuo commercio, ut diximus, vita efflorescat, efflorescit et unitas, quemadmodum unitas personae seu individui in supposito humano ac vita ex animae et corporis mutuo commercio profluunt. Valde propterea interest mutuum ejusmodi inter animam et corpus ecclesiae commercium adstruere ob gravissima, quae exinde pendent corollaria, de quibus a nobis paulo post agendum erit. Sit igitur

PROPOSITIO

Mutuum existit inter animam et corpus ecclesiae a Christo institutae commercium, quo ipsam supernaturali modo jugiter vivere, et agere certissime deprehenditur

119. Ideo in propositione enuncianda adjecimus verba illa *supernaturali modo*, id est, divino, quia contendimus non vitam qualemcumque ecclesiae vindicare, sed eam quae ex intima ejus conjunctione cum Christo exurgit, quam *jugem* praeterea esse adstruimus.

120. Cum porro ex dictis ad ejusmodi

(1) Praeclare Dr. Moehler in *Symbolica* cap. V. § XLVIII. discrimen detegit quod interponitur inter doctrinam protestantium, et doctrinam catholicam circa originem corporis et animae ecclesiae, plane inter se contrarias. « Les catholiques, inquit, enseignent : L'église visible existe d'abord, puis vient l'église invisible, *c'est la première qui forme la seconde*. Les Lutheriens disent, au contraire : *l'église visible sort de l'invisible :* la seconde est le fondement de la première ». Id est juxta catholicos ex corpore ecclesiae provenit anima; juxta protestantes ex anima provenit corpus. Pergit porro eximius auctor: « Cette contrariété si petite au prémier coup d'oeil implique une énorme différence. Quand l'Evangile vint éclairer le monde, le royaume de Dieu n'existait qu'en Jésus-Christ et dans l'idée divine. Ce furent les apôtres qui, les premières reçurent la nouvelle de ce royaume; mais elle leur fut annoncée par la parole externe, par le langage humain; elle passa *du dehors* dans leur intelligence. Lorsque le fils de Dieu fait homme eût formé les apôtres, il leur donna la mission *extérieure* de semer au loin la doctrine du salut. Alors on voit les ouvriers évangéliques traversant des contrées où régnait, non pas le souverain Dominateur, mais le prince des ténèbres. Instruments du Christ qui agissait en eux, ils apportèrent l'image de l'homme céleste dans des coeurs qui jusque-là n'avaient reflecté que celle de l'homme terrestre. Or de même qu'ils avaient été envoyés par le Sauveur, à leur tour ils envoyèrent des disciples qui porterent plus loin la divine parole; et c'est ainsi que, dans tous les siècles, de l'église visible a découlé l'invisible. Telle est aussi la marche qui entrainait l'idée de la révélation chrétienne : institution positive et permanente, enseignement determiné dans ses dogmes et ses preceptes, elle nécessitait un ministère vivant, et parlant, auquel pussent se rattacher ceux qui désiraient la connoître ». Quod deinde latius prosequitur exponens contrarium principium protestantium cujus absurditatem patefacit. Quum vero dicitur ex ecclesia visibili efformari ecclesiam invisibilem, intelligi debet, prout illa instrumentum et organum est quo Deus utitur ad communicandam gratiam sanctificantem habitusque virtutum; siquidem semper ipse prior est ad tangendum cor per gratiam *actualem*.

commercium constituendum duo concurrant, aliud ex corpore in animam, aliud ex anima in corpus ob mutuam actionem ac reactionem utriusque, seu quam exercent ad invicem; ad illud constituendum duo a nobis praestanda sunt, evincendum scilicet, et corpus ecclesiae agere in animam, et animam vicissim in corpus et per corpus ejusdem ecclesiae agere.

121. Et primum quidem vix probatione indiget, cum et protestantes ipsi fateantur per Dei verbum seu praedicationem evangelii, atque per sacramenta gigni in nobis sanctitatem, ac per baptismum in specie nos cooptari in ecclesiae corpus. Si qua controversia viget, haec tota versatur circa modum quo sacramenta hunc effectum producant, num scilicet per se et immediate, ut contendunt catholici, an vero mediante fide, ut autumant protestantes (1).

122. Superest igitur evincere quod anima agat in corpus ita ut exterius se prodat interior sanctitas tum per pia opera, tum etiam per extraordinaria illa dona quibus Deus consuevit insignem nonnullorum ecclesiae membrorum sanctitatem exornare, ac veluti sigillo obsignare.

123. Jam vero interiorem fidem per externam professionem, et cultum exteriorem qui Deo exhibetur, nemo est qui ambigat patefieri. Idipsum dicatur de spe cujus vi fit ut culparum remissionem a Deo petamus atque expectemus, preces ad eum fundamus, ut media idonea obtineamus quibus in officio perstemus, expugnemus salutis nostrae adversarios, ardua aggrediamur ad salutem nobis comparandam. Denique patefacimus charitatem tum in exequendis Dei mandatis juxta illud Christi effatum: « Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me diligetur a Patre meo: et ego diligam eum » (2); tum etiam per actus dilectionis in quos erumpimus; tum demum in exercendis charitatis operibus et misericordiae in proximum; quod et de virtutibus reliquis exinde prodeuntibus, aut illas comitantibus ob eandem rationem intelligi debet.

124. Cum autem exteriores ejusmodi actus, ac propterea exterior ipsa sanctitas, sive spectes principium ex quo dimanant; sive motivum quo quis ad eos moliendos permovetur; sive demum modum quo perficiuntur (ob defectus nimirum quibus saepe homines obnoxii sunt) incertum de singulis saltem individuis sit aut esse queat utrum ex principio supernaturali gratiae, aut ex naturali affectione; utrum ex recto, vel pravo fine; utrum ex intenso vel remisso animo procedant, fit ut nobis certo saltem, et absque omni deceptionis formidine de interiori animi conditione eorum qui sanctitatem exterius profitentur satis constare non possit. Huc accedit quod nulla ferme sit secta, seu ut vocant, particularis communio, quae veram sanctitatem ac proinde *vitam* sibi non vindicet, atque in alia quavis ab ea separata inesse non deneget (3). Deinde et illud addendum quod nulla secta sit

(1) Cf. Tract. *De sacrament. in genere* cap. II. n. 43 seqq.

(2) Jo. XIV, 21.

(3) Saltem ita senserunt non ita pridem sectae omnes, ut suo loco expendimus, quae professae sunt intolerantiam religiosam. Etenim praeter ea quae attulimus in tract. *De vera relig.* par. II. prop. XII. n. 294. cum notis adnexis, Anglic. Palmer in op. cit. *Tractatus ecclesiae Christi* edit. 2. Lond. 1839. sect. III. quae est *De salute solum in ecclesia*, non modo ipse eandem doctrinam profitetur, sed insuper ostendit adhuc eandem profiteri independentes, quakeros et ecclesias

quae suam non jactet morum probitatem et integritatem prae reliquis quibuscumque. Quae cum ita se habeant, ne in re tanti momenti in ambiguo versaremur Deus certo testimonio ecclesiam suam communire voluit, ut tuto secerneretur ab illis sectis omnibus quae perperam ecclesiae sibi nomen usurpant, ac nomen quidem habent quod vivant, reipsa tamen mortuae sunt.

125. Consistit autem hoc testimonium potissime in jugi ac perpetua illa charismatum affluentia quam Christus pollicitus est ecclesiae suae, quamque in ea jugiter perseveraturam usque ad seculi consummationem spopondit; consistit item in mira foecunditate quam pariter jugem eidem ecclesiae suae promisit.

126. Porro charismatum affluentiam ecclesiae suae pollicitum esse Christum evincunt quae leguntur Jo. XIV. 12. ubi ait Christus: « Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado » (1), loquitur autem de miraculis; item quae leguntur Marc. XVI. 17. 18. « Signa autem eos qui crediderint haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient; linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent et bene habebunt ». Item I. Cor. XII. 6 seqq. Apostolus « Divisiones, inquit, operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae.... alii sermo scientiae.... alteri fides... alii gratia curationum.... alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum ». Quibus verbis complexus est Apostolus varia charismatum dona, quibus juxta Christi pollicitationes sua aetate abundabat ecclesia. Jam vero Christi verba dicta sunt iis quibus se affuturum Christus promisit usque ad consummationem seculi, seu societati a se institutae, et indefinita sunt, scilicet ad nullum determinatum tempus coarctantur. Imo cum ex Apostolo signa data sint infidelibus non autem fidelibus (2), pronum est inferre tamdiu perseveratura esse extraordinaria haec Dei dona, quamdiu infideles fuerint ad Christum per ecclesiam convertendi. Cum vero pleni-

britannicas, quae in synodo Londinensi an. 1592. art. 18. anathema dixerunt contrariae sententiae et confirmat testimoniis Pearsonii, Beveridge, Wilsonii etc. Verum juverit verba afferre recentioris protestantis, nempe D. Pilet-Joly ministri genevensis, qui in opusculo cui tit. *Facilité, certitude, raison en matière de foi* 1839. adhortatur catholicos, *ut ingrediantur viam salutis*, quae juxta ipsum alia non est praeter eam quam praebet protestantismus. Cum enim in eo opusc. hanc proposuisset quaestionem: « Que faut-il que je fasse pour être sauvé? » Contendit neminem posse tuto acquiescere donec invenerit idoneam ejus solutionem; tandem concludit p. 75. « O vous, mon cher frère catholique romain, qui lisez ces lignes, *venez et voyez*... Vous le voyez, sous peine d'être plus ou moins *hypocrite*, il faut que vous soyez plus ou moins protestant. Mais trouverez-vous la paix dans cet état ambigu? Votre ame est-elle tranquille? Pensez-vous que le Seigneur admettra un compromis entre le mensonge et la verité?... Le salut d'un tel homme serait une prime de félicité en faveur de *l'hypocrisie etc.* ». Sed cf. quae adversus hoc opusculum praeclare scripsit D. Baudry in op. *Gémissemens d'un coeur catholique sur les préjugés d'un ministre de Genève*. Lyon 1840.

(1) Cf. in hunc loc. Cornel. a Lapide.

(2) I. Cor. XIV, 22. Quamvis hic Apostolus non agat in specie nisi de dono linguarum, attamen, ut patet, eadem ratio viget pro ceteris donis extraordinariis.

tudo gentium, ut idem loquitur Apostolus (1), nonnisi sub mundi finem ingressura sit in ecclesiam, patet usque ad mundi finem illa debere in ecclesia perdurare.

127. Atque hic jam attingimus alterum vitae testimonium quod Christus ecclesiae suae praebere voluit, nempe miram foecunditatem. Evidens enim est quod si ecclesia novos semper gignit Christo filios, imo populos ac gentes, eas revocando de infidelitatis et errorum tenebris in admirabile evangelii lumen; vita ac vigore praedita sit necesse est. Porro Christum ejusmodi tribuisse sponsae suae foecunditatem numquam defuturam aperte ostendunt ejus verba, quibus apostolis mandavit praedicare evangelium omni creaturae, ac docere et baptizare omnes gentes (2). Quamdiu propterea remanent gentes convertendae, aut revocandae ad Christum, tamdiu permanet et objectum missionis et foecunditatis in ecclesia. Gentes vero omnes tandem aliquando fore ad Christum convertendas clarissima et veterum prophetarum et Christi ipsius repetita vaticinia praenunciant. Omissis enim quae passim in psalmis leguntur de futura gentium omnium conversione, Isaias cap. LIV. sic alloquitur ecclesiam « Lauda sterilis quae non paris: decanta laudem et hinni quae non pariebas, quoniam multi filii desertae, magis quam ejus quae habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad laevam penetrabis: et semen tuum gentes haereditabit ». Quae verba de ecclesia Christi ex gentibus colligenda exponit Apostolus Galat. IV. 27. Sic alibi passim celebrat idem propheta ecclesiae triumphos (3). Christus autem Matth. VIII. 11. praenunciat quod « Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno caelorum » et quod suum evangelium praedicandum esset in universo mundo (4). Demum Apostolus loquitur de plenitudine gentium ad Christum convertenda (5).

128. Si igitur charismatum affluentia quibus ecclesiam suam cumulare Christus promisit, si foecunditas perennis in gentibus Christo procreandis qua divinitus ecclesia praedita est, argumento ineluctabili sunt eandem vivere vita supernaturali atque divina per intimam ejusdem cum Christo unionem, patet inter animam et corpus ecclesiae illud intercedere mutuum quod enunciavimus commercium, quo jugiter eam vivere supernaturali modo et agere certissime deprehenditur.

129. Ex hac sic constituta thesi non solum sensum intelligimus Christi verborum quibus haec vita ecclesiae declaratur, verum etiam germanum sensum assequimur loquendi usus, quem interdum patres adhibuerunt. Sane Christus ita apostolos suos alloquitur: « Vos autem videtis me, quia ego vivo et *vos vivetis,* in illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et *vos in me et ego in vobis*.... Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus (6) »; quo sensu scribebat Apostolus: « Spiritus vivit propter justificationem .... si

(1) Rom. XI, 25.

(2) Ps. II, 8. XXI, 28. LXX, 11. LXXXV, 9. CXVI, 1. etc.

(3) Cap. LXV, 1 seqq. cap. XLIX. cap. XI seq. etc.

(4) Matth. XXVI, 13. Marc. XIV, 9.

(5) Rom. loc. cit.

(6) Jo. XIV, 20-23.

secundum carnem vixeritis *moriemini*: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, *vivetis*. Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei (1) ». Qui propterea de se ipso loquens ait: « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (2) ». Ut alia pene innumera praetereams quibus plena sunt sacra eloquia. Huc pariter referuntur quae patres unanimiter scribunt, praesertim vero s. Augustinus, quod ii qui sunt extra corpus Christi non vivificantur a spiritu Christi: « Vis ergo, inquit, et tu vivere de spiritu Christi? In corpore esto Christi... Non potest vivere corpus Christi, nisi de spiritu Christi (3) ».

DIFFICULTATES

130. I. Obj. 1. Argumentum, quod ex mutua animae et corporis ecclesiae communicatione ducitur, vagum est et nullius frugis; 2. Nulla siquidem secta est, quae membra virtutibus praestantia non jactet, seque propterea vita frui supernaturali, quae exurgat ex intima cum Christo communicatione. 3. Si vero de fide in specie sit sermo, unaquaeque se veram fidem, ceteris communionibus exclusis, profiteri contendit. 4. Ceterum virtutes ac sanctitas res sunt relativae de quibus unusquisque judicat, prout affectus est, seu animo comparatus, hinc opera poenalia, virginitas, coelibatus, quae in summo pretio habentur penes catholicos, abominabiles sunt penes protestantes; idem dic de pluribus aliis. Ergo.

131. R. Ad 1. *N.* Ex intima siquidem rei natura illud argumentum petitur; quodlibet enim individuum ex anima et corpore constans, vi illius commercii vivat necesse est. Quod autem de individuo physico dicitur, per analogiam individuo morali aptari potest ac debet. Sane cum ecclesia per modum corporis viventis a Christo instituta sit, cujus sanctitas ingeneratur per gratiam quam Christus in eam tamquam caput in membra, et vitis in palmites jugiter influit, melius cognosci nequit utrum eam vitam habeat, seu jugem hunc influxum, quam ex ejus externis operationibus. Si istae tales sint, ut nonnisi gratiae sanctificanti tribui possint, necessario constat de ejusmodi vita.

132. Ad 2. *D.* Nulla secta est quae membra non jactet praestantia virtutibus politicis et appellativis, *C.* virtutibus divinis, profluentibus nempe ex consortio divinae naturae *N.* Nulla profecto secta reperietur, quae aliquot saltem ex suis membris virtute praestantia non jactet; at aliud est loqui de virtute naturali, externa, polytica, quam non inficiamur in singulis communionibus reperiri posse, aliud vero de virtute ex gratia sanctificante, et charitate profecta, quae in membris tantum per Christum sanctificatis inesse potest. Haec autem reperiri

(1) Rom. VIII, 11-14.

(2) Galat. II, 20.

(3) Tract. XXXVI. in Jo. n. 13. ex his clarius intelliguntur, quae superius explanavimus s. Doctoris dicta, quibus affirmat peccatores esse quidem in corpore ecclesiae, non autem de ejus corpore; illos non pertinere ad unicam columbam castam, simplicem, pudicam etc. Quia peccatores sunt in ecclesia visibili, sed non sunt de ecclesiae corpore, quatenus non sunt membra viva, seu vivificata a Christo, ex quibus componitur corpus vivum ejusdem ecclesiae, sed solum membra mortua corporis vivi; non autem significat peccatores absolute non esse in corpore Christi, ut patet etiam ex verbis, quae immediate subdit post ea quae adduximus ex tract. in Jo. « Non abhorreat a compage membrorum, non sit *putre membrum quod resecari mereatur* ... sit pulchrum, sit sanum etc. ».

nequit nisi in eo corpore seu societate, cum qua Christus in intima sit communione. Talem autem esse illam societatem cum qua idem Christus se esse per extraordinaria dona manifestat, nemo sanus inficias iverit. Excipiendi tamen illi sunt, qui, ut ajunt, bona fide in aliqua secta versantur, quos spiritu saltem ad ecclesiam pertinere ostendimus.

133. Ad 3. *D.* Quaelibet secta veram se fidem profiteri contendit absque ullo fundamento, ac propriae persuasioni tantum innixa, *C.* reipsa profitetur *N.* Nam hoc ipso quod sectae inter se perpetuo discrepantes sibi persuadeant se unice veram tenere fidem, quae nonnisi una esse potest, aperte ostendunt fallacem necessario esse hanc earum persuasionem. Nulla secta prae alia sibi de hac possessione blandiri potest. Omnes siquidem, rejecta legitima auctoritate, privatum sensum illi suffecerunt ad veram fidem a falsa secernendam; privatus autem sensus in sectis omnibus nullius ponderis est. Exinde enim fluctuatio illa opinionum profluxit, exinde item feracissimum germen illud tolerantiae, ut vocant, religiosae, sponte sua pullulavit (1) cum quo vera fides consistere nequit.

134. Ad 4. *N.* Soli enim epicurei et increduli affirmare possunt virtutem et sanctitatem relativas esse. Quod si protestantibus non sapiunt opera poenalia, virginitas, ac coelibatus a quibus propterea abhorrent, id fit, quia dum ipsi ut fucum faciant incautis profitentur se tantummodo inhaerere sacris litteris, quas unicum controversiarum judicem proclamant, non evangelio, sed sibi solis credunt (2). Quoties propterea evangelium aliquid commendat, quod ipsis non arrideat, evangelium eludunt ac mire detorquent, ne quid ex eo incommodi capiant.

135. II. Obj. 1. Plane ridendos se praebent, qui in tanta in qua versamur scientiarum luce, adhuc comminiscuntur extraordinaria dona, prophetias, miracula, ac si superis placet, exstases, raptus, ut nobis suadeant imo et persuadeant penes Christi ecclesiam adhuc vigere supernaturalia charismata, quibus manifesta fiat mutua communicatio inter divinum humanumque elementum. 2. Ut enim omittamus donorum illorum affluentiam coarctari a patribus, nominatim vero a ss. Augustino (3), et Gregorio M. ad ecclesiae initia, quando fides erat miraculis nutrienda (4); 3. exploratum est nunc passim recipi a sapientibus viris systema mythicae expositionis quoad omnia illa veteris ac novi testamenti loca, quae immediatam Dei actionem praeseferre videntur. 4. Sane praeeunte Heyne, Eichhornius, Paulusius, aliique non pauci protestantes utriusque foederis *lectiunculas* (5), in

(1) Haec *tolerantia*, scribit Wegscheider § 186., quae dicitur recentioris aevi progenies nobilis; atque in nota (d) ad id confirmandum profert verba Rousseau in ejus epistolis de tolerantia « La religion protestante est tolérante par principe, elle est tolérante essentiellement: elle l'est autant qu'il est possible de l'être; puisque le seul dogme qu'elle ne tolère pas, est celui de l'intolérance ». Verum haec intelligi debent de tolerantia speculativa; siquidem in praxi nulli fere sunt intolerabiliores protestantibus praesertim erga catholicos.

(2) Quid enim clarius in Scripturis traditur, quam consilium coelibatus, ac paupertatis voluntariae, necessitas item bonorum operum ad salutem, necessitas poenitentiae? Sed quia haec protestantibus non arrident, ea in Scripturis non inveniunt.

(3) In lib. *De vera religione* cap. XXV, n. 47.

(4) Hom. XXIX. in Evangelia.

(5) *Legendas* vocant.

quibus referuntur Dei manifestationes, miracula, aliaque ejusmodi mira et extraordinaria eventa, exegerunt ad ethnicorum mythos ut sic fundum historicum veste seu apparatu mythico expoliarent, aperirentque quod sub illo symbolico velo tegebatur (1). 5. Deinde, quem latet et a vetustioribus haereticis et ab ipsis protestantibus miracula, imo et vaticinia, visiones praetendi, ac proferri ut argumentum ineluctabile divini in propriam sectam favoris? Celebres inter ceteras sunt visiones lutherani Swendenborgii. 6. Denique et illud exploratum est apud ipsos catholicos, miracula ac dona extraordinaria argumentum minime esse interioris sanctitatis, cum et ab impiis patrari possint. Ergo.

136. R. Ad 1. *D.* Si illi qui haec proferunt firmissimis documentis non innilerentur, *C.* Si validis ac firmis documentis innitantur *N.* Rident profecto increduli ac haeretici dum talia audiunt, et cachinnis etiam excipiunt; ast rident ut insani ridere solent ea quae non percipiunt. Aliud porro est contemnere, ut passim faciunt adversarii nostri, aliud vero ad rigidum examen revocare, quae proferuntur, quod tamen ipsi constanter negligunt. Excaecati ut sunt, ac propria scientia quam buccinant inflati dedignantur illa expendere: quod si facerent, nullus dubito quin ab ejusmodi risu se reciperent, praesertim si, ut decet, in negotio adeo gravi veritatis amore id praestarent ac animo anticipatis judiciis vacuo.

137. Ad 2. *D.* Patres donorum illorum affluentiam coarctant ad ecclesiae primordia *relative*, *C. absolute N.* Nempe s. Augustinus, s. Gregorius M. ac patres reliqui quoad universalitatem, et multitudinem fidelium affirmant cessasse illa charismata, quae olim communia erant in ecclesia (2). Hoc enim commune donum non erat amplius necessarium post sufficientem evangelii promulgationem. Numquam vero affirmarunt cessasse omnino in ecclesia charismata illa, quae ipsimet in sanctis celebrarunt, atque spectarunt ut peculium solius verae Christi ecclesiae proprium (3), ejusque praecipuum ornamentum.

138. Ad 3. *D.* Id est penes incre-

(1) Apud Strauss *Vie de Jésus-Christ.* tom. I. prem. part. *Introduction* §. V seqq.

(2) Sane s. Augustinus quae in objecto loco ex lib. *De vera relig.* scripserat, nempe: « Cum ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quaereret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum quorum novitate flagravit » haec, inquam sic temperat lib. I. *Retract.* cap. XIII. n. 7. « Sed non sic accipiendum est quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando istum ipsum librum scripsi, ad mediolanensium corpora martyrum in eadem civitate caecum illuminatum fuisse jam noveram, et alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea quae cognoscimus enumerare possimus ». Sic etiam s. Greg. M. ea quae scripserat in hom. XXIX. in Evang., exponit lib. XXVII. *in Job.* cap. XVIII, n. 36. ed. Maur. « Tunc quippe sancta ecclesia miraculorum adjutoriis indiguit, cum contribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, sed sola merita operum requirit, *quamvis et illa per multos, cum opportunitas exigit, ostendat* », et n. 37. « Quid est ergo mirum, inquit, si propagata fide, *crebro* miracula non fiunt? » Hinc videmus utrumque plura miracula sua aetate patrata referre.

(3) Patres reipsa passim affirmant ab haereticis, seu penes haereticos nulla fieri miracula; unius vel alterius verba afferre sat erit. S. Irenaeus lib. II. cap. XXXI. ed. Mass. n. 3. loquens de haereticis ait: « Nec enim caecis possunt donare visum, neque surdis auditum...

dulos sub larvato christianorum nomine, *C.* penes vere christianos *N.* Diffiteri non possumus ejusmodi systema perinde ac rationalismum quibus funditus christiana religio evertitur, esse fructum naturalem protestantismi (1). Exurgit enim tam systema mythicum, quam rationalismus ex posito fundamento protestantismi, quod est libertas examinis et interpretationis individualis bibliorum. Hic erat rerum exitus expectandus, cum et causa suos effectus et arbor fructus suos emittere debeat. Ceterum ejusmodi systema mythicae interpretationis et in se absurdum est, et incredulitatem prodit eorum, qui illud invexerunt, ut ex mox dicendis clarius patebit.

159. Ad 4. *D.* Falso principio ducti, *C.* jure ac merito *N.* Ideo enim Heyne, Eichhornius, Paulusius aliique ejusmodi homines in hanc sententiam venerunt, quod assumerent 1. Verum esse fundamentum historicum scriptorum ethnicorum, quum tamen constet illos mythicas narrationes referre post plura secula a tempore quo illa gesta supponuntur, dum quae historici hebraei et christiani supernaturalia referunt, eadem aetate qua illi scripserunt magna saltem ex parte contigerint, et eorum plerique testes oculati et pars gestorum fuerint (2). Quod assumerent 2. eandem esse rationem mythorum apud profanos scriptores et factorum supernaturalium apud scri-

neque debiles aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos . . . Tantum autem absunt, ut mortuum excitent ». Sic s. Augustinus lib. XIII. cont. Faustum manich. cap. V. « Miracula, inquit, non facitis ». Alia plura ejusmodi testimonia tibi exhibebit Jodocus Coecius *in Thesauro catholico* lib. VIII. *De signis ecclesiae* art. XIV.

(1) En verba Straussii op. cit. *Introduction* § V. pag. 21 seqq. « Lorsque l'empire romain ayant été christianisé, et les grandes hérésies ayant été connues, le principe chrétien acquit une domination de plus en plus exclusive; lorsque les écoles de la sagesse païenne se fermèrent, et que des peuplades incultes de la Germanie se soumirent à l'instruction de l'eglise; alors le monde, durant les longs siècles du moyen âge, vécut satisfait du christianisme tant pour la forme que pour le fond; et toute trace disparut de ces conceptions interprétatives qui supposent une rupture entre la civilisation du peuple et du monde, et de la religion. *La reforme porta le premier coup à la prospérité de la croyance de l'église;* elle fut le premier signe d'existence d'une culture qui, comme cela s'était vu jadis dans le paganisme, et le judaïsme, avait désormais pris, au sein même du christianisme, assez de force et de consistence pour réagir contre le sol, qui l'avait portée, c'est-à-dire contre la religion reçue. Cette réaction, tournée d'abord seulement contre l'église dominante, *forma le drame noble mais rapidement terminé de la rèforme;* plus tard elle se dirigea vers les documens bibliques, et, se manifestant au débat par les arides tentatives révolutionnaires du déisme, elle est arrivée jusqu'aux temps les plus modernes par des transformations variées ». En opus protestantismi.

(2) Certe Moyses eorum quae refert in libris Exodi et Numerorum testis extitit ocularis, imo et pars magna fuit; refert enim prodigia ingentia, quae patrata sunt sive in Aegypto sive in deserto coram universo populo aegyptiaco et israelitico. Id ipsum dicatur, ut alios praetermittam de apostolis Matthaeo et Joanne, qui iis interfuerunt quae litteris consignarunt, iisque pariter tradiderunt qui eorundem gestorum spectatores fuerant. Jam vero quid commune est in his narrationibus cum iis quae ediderunt Sanchuniaton aegyptius, Berosus chaldaeus, Diodorus siculus, aliique ejusmodi, qui res referunt pluribus ante seculis gestas, quaeque vere ad partem mythologicam historiarum suarum spectant?

ptores sacros, cum tamen infinito, ut ita dicam, intervallo haec ab invicem distent; mythus enim cujus origo probabilius ab aegyptiis sacerdotibus coepit ac deinde ad alias gentes propagatus est (1), non fuit nisi involucrum ad tegendas res notissimas sub mysterii velo; contra vero facta illa, quae referuntur a scriptoribus sacris, ordinata sunt ad revelandas ignotas veritates. Quod assumerent 3. aliquam intercedere necessitudinem et convenientiam inter mythos ethnicorum et facta supernaturalia, quae a scriptoribus utriusque foederis perhibentur; cum tamen mythi ex imaginationis aestu, quem constanter redolent, conficti, sub turpibus plerumque figuris et imaginibus, absque scopo et nexu congesti fuerint, populosque ad pravos mores induxerint; contra vero facta supernaturalia absque apparatu et verborum ambage cum omnibus ingenuitatis ac veritatis characteribus referuntur ac veluti gesta sub illorum oculis a quibus haec commentaria sunt scripta exhibentur; omnia simul arcte consociata sunt, atque caste sancteque ad unum conspirant, scilicet ut et Dei providentiam maximo in lumine ponant, et veri numinis cultum, virtutis amorem, horroremque vitii ubique penes populos commendent persuadeantque. 4. Demum, aliis praetermissis, quod assumerent gentes omnes suam habere epocham mythologicam, non exceptis hebraeis atque christianis, cum tamen ex dictis et ex facto ipso certissime constet neque hebraeos neque christianos unquam ejusmodi epocham habuisse; illud enim inter origines ethnicas et sacras perpetuo interponitur discrimen, quod inter opus Dei et hominum inventa intercedit (2).

140. Ad 5. *D.* Idest supposuerunt interdum etiam haeretici miracula, *C.* vere habuerunt *N.* Invidentes haeretici huic ecclesiae decori quod negare ipsi non potuerunt, nisi sunt miracula obtrudere; at cum consilium in irritum ceci-

(1) Opus non est longa discussione ad hoc evincendum, cum habeamus testem non suspectum, qui id non solum affirmat, sed contendit. Talis est Salvador in op. cit. *Jésus-Christ et sa doctrine* tom. I. ch. II. *état des esprits et des croyances dans l'Orient et dans la Grèce* cum notis respectivis. Cf. etiam *Réone des états du Nord*. Paris 1835. tom. II. art. I. pag. 70 seqq. *Philosophie de la mythologie par M. Schelling*.

(2) Diversa, ut notum est, existunt systemata eruditorum circa rationem explicandi antiquam mythologiam. Sunt qui adoptant explicationem Evehemeri juxta quam mythologia non praesefert nisi eventus historicos quorum homines auctores fuerint, dii autem non fuerint nisi duces, nautae, viri bellicosi. Haec explicatio historica mythologiae ab ejus auctore et defensore *Evehemeritica* dicta est. Hanc expositionem avide arripuerunt epicurei utpote quae magis congrueret ipsorum systemati, quod nulla detur providentia, et omnia casu ac fortuito eveniant. Hanc pariter magna saltem ex parte adsciverunt mythici recentiores eamque applicant sacrae Scripturae. Alii adoptant explicationem symbolicam, alii mixtam, eamque evolvit Kreuzer cum suis modificationibus in sua *symbolica;* alii censent aut physicam aut ethicen sub mythis contineri. Alii alia ratione rem exponunt. cf. art. cit. necnon Natalis Comitis *Mythologiae sive explicationum fabularum* lib. X. Venet. 1581. Montfaucon *L'antiquité expliquée*. Paris 1719. tom. I. *Discours preliminaire sur l'origine de l'idolatrie, et sur les idées que les paiens avaient de leurs divinités* § IV. Banier *La mythologie et les fables expliquées par l'histoire*. Paris 1738. Quidquid porro sit, ex hac ipsa varietate opinionum et sententiarum patet quam labile sit fundamentum mythicum, ut conferri possit cum narrationibus biblicis.

derit, aliam viam iniverunt contemnendo ecclesiae a qua discesserunt miracula, aliaque charismata quibus in sanctis suis quovis tempore, ut postea ostendemus, vera Christi ecclesia abundavit. Ad protestantes praecipue quod spectat, si penes ipsos miracula ederentur, numquam devenissent ad systema mythicum excogitandum; cum vero nihil unquam supernaturalis apud illos eveniat, in eam plures ex illis proruere opinionem qua omnia eliminarent miracula ex populo hebraico, atque ex evangelio. Illi vero penes quos talia facta non semel contingunt, longe absunt ab absurda ac impia ejusmodi sententia. Quod si visiones lutherani Swendenborgii aliquam celebritatem nactae sunt, potissime repeti id debet ab illa visione in qua ipse exhibet parentem suum Lutherum detrusum ad inferos (1). Ceterum fanaticus hic vir qui denuo stupidum excitavit anthropomorphismum negligendus omnino est (2).

141. Ad 6. *D.* Miracula aliaque extraordinaria dona non semper ineluctabile argumentum suppeditant sanctitatis in nonnullis casibus peculiaribus, Tr. vel *C.* cum haec ordinaria sunt et permanentia *N.* Alioquin nullam pariter vim haberent ad divinam missionem Christi et apostolorum evincendam, quod profecto adversarii non admittunt (3).

142. III. Obj. Saltem nullum colligi

(1) Schwendenborg enim natus est ex episcopo Sveco lutherano, et in ea secta enutritus; obiit autem an. 1772. Porro in op. cui tit. *Vera christiana religio, continens universam theologiam novae ecclesiae ab Emmanuele Schwerdenborg, Domini Jesu Christi servo*. Amstelod. 1771. pag. 481. hanc inter ceteras visionem refert. Vidit in quadam regione Lutherum audacem et superbia tumentem, qui congregabat discipulos suos, et collocabat juxta se eos qui majori zelo suam defenderant doctrinam. Lutherus modo dogmatico incessanter haec verba ingeminabat: *sola fides justificat*. Sed heu! astitit Angelus qui ei declarat, ejusmodi doctrinam falsam esse, nec eum pervenire posse ad gloriae regionem, quin illam deserat. Quibus verbis reformator velut a fulmine perculsus est; diu recusat se subjicere, ast tandem incipit dubitare in corde suo. In alio vero itinere Schwendenborg invenit Lutherum in tertia regione, quae species est purgatorii, in qua datur opera conversioni impiorum, eorum scilicet, qui aliquo crimine aut errore inquinati sunt. Tunc Angelus dicit Schwendenborgio Lutherum videri sua commenta agnoscere, spemque effulgere eum revocandi in viam rectam. « Quapropter, dicebat Lutherus, non miror quod ego erraverim, *sed miror quod unus delirans tot deliros potuerit producere* ». Cf. etiam Moehler *Symbolique* tom. II. p. 310 seq.

(2) Ita in op. *Les merveilles du ciel et de l' enfer* par Emmanuel de Schwendenborg. Trad. du latin par A. J. P. Berlin. 1782. tom. I. n. 78 seqq. ubi inter cetera scribit: « La divinité fait le ciel, le ciel a la forme humaine, d'où l'on doit conclure que la divinité a aussi la forme humaine; car l'humanité de Dieu est divinisée »; et n. 81. 82. « L'idée que chaque homme a d' un Dieu sous forme humaine lui est influée du ciel, où l' on ne connaît Dieu que sous cette forme ». Demum, aliis omissis, n. 86. « Les célicoles ne peuvent revenir de leur étonnement quand' ils pensent et voyent que des gens de ce monde, qui se croyent plus éclairés que les autres, pensent que Dieu est invisible et incompréhensible, et regardent comme des sots et des imbecilles ceux qui n' en ont pas la même idée qu' eux ». Attamen hujus visionarii opera in plures linguas vertuntur, et plures sectatores inter protestantes acquirunt et defensores. Talis est indoles humani ingenii, cum semel viam veritatis deseruit!

(3) Cf. Maldonatum in cap. VII. s. Matth. v. 22. ubi copiose ostendit discrimen quod intercedit inter donum miraculorum extraordina-

potest argumentum pro ecclesiae vita ex ejus foecunditate; 1. Alioquin enim peccatores, qui certe vivi non sunt nullum fructum edere possent ex suis missionibus; 2. Nullae sectae possent aliquo felici successo evangelium infidelibus annunciare, cum tamen experientia contrarium evincat. 3. Notum est illud Augustini effatum, quod Christus seu ecclesia etiam per uterum ancillarum procreet sibi filios. Ergo.

143. Resp. N. A. Ad 1. prob. *Neg.* Siquidem Christus non individuis sed societati ipsi donum foecunditatis pollicitus est: cum vero peccatores, licet sint mortui in se ipsis, sint tamen membra corporis vivi quod per ea praedicat et operatur, fit ut vi legitimae missionis uberes interdum ex laboribus suis colligant fructus. Hac autem missione destituti sunt sectarii, utpote ab ecclesia separati.

144. Ad 2. *N.* Experientia enim potius contrarium luculentissime ostendit. Quamvis enim media omnia adhibuerint, ac etiam adhibeant sectae ad infideles Christo adducendos, ut suo loco probavimus (1), nullo tamen felici exitu id praestiterunt, et in irritum omnes earum conatus cesserunt. Non enim hic agitur de uno vel altero individuo, sed agitur de conversione populorum, qualem reipsa vera Christi ecclesia operata est; ita ut nulla prorsus gens sit ad Christum adducta, quae conversionem suam non referat illi acceptam (2). Haec est illa mira foecunditas quae ineluctabile prorsus perhibet argumentum vitae qua a Christo praedita est unica ejus sponsa.

145. Ad 3. *D.* In ordine ad valorem baptismi ab haereticis collati, *C.* in ordine ad haereticorum foecunditatem in gignendis Christo filiis *N.* Augustinus enim illud protulit effatum ad dissolvendam difficultatem rebaptizantium, qui contendebant nullum esse baptisma ab haereticis administratum eo quod solius sponsae Christi proprium sit filios ei procreare (3). Numquam vero aut s. Augustinus aut patres reliqui in sectis agnoverunt illam foecunditatem de qua loquimur, imo iis aperte eandem denegarunt (4).

CAPUT III.

De ecclesiae notis

146. Si ecclesia Christi vivens est vi mutui illius commercii quod ei vin-

rium in casibus singularibus, et donum istud, quum frequens et permanens est, concluditque: « Nam etsi non necessario sequitur, eum qui miracula faciat veram habere fidem (et in casu nostro *veram sanctitatem*); tamen necessario sequitur, eam, in qua frequentia et quasi ordinaria miracula fiant, veram esse ecclesiam . . . Nulli generaliter hominum societati, nisi ecclesiae suae ordinariam faciendi miracula concessit (Deus) facultatem. Magis etiam necessarium est, quod altera ex parte per negationem ducitur, in qua miracula nulla fiant, eam veram ecclesiam esse non posse, quia scimus Christum ecclesiae suae potestatem ad facienda miracula dedisse ».

(1) In Tract. *De vera religione* prop. x.

(2) Cf. ibid.

(3) Cf. in lib. I. *De baptismo* cap. x. n. 14.

(4) Nota sunt verba Tertulliani quibus graphice haereticos depingit in lib. *De Praescript.* cap. XLII. « De verbi administratione quid dicam, cum hoc sit negotium illis (haereticis), non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur . . . Nostra suffodiunt ut sua aedificent ». Cf. in hunc textum notas P. La-Cerda n. 244 seq.

dicavimus inter animam et corpus quibus constat, debet necessario distingui ab iis nothis ac spuriis societatibus, quae sibi ecclesiae gloriam vindicant, ac nomen quidem habent quod vivant at reipsa mortuae sunt. Deprehendi autem debet vera Christi ecclesia per signa, quae in omnium oculos facile incurrant, ac illius ita sint propria ut nulli alii societati quae Christi non sit, convenire possint. Haec porro signa, characteres, seu indicia ea sunt quae vulgo *notas* nuncupamus (1).

147. Hae notae quae praestant ut cognitio nobis verae ecclesiae affulgeat, non debent ad arbitrium confingi; alioquin unaquaeque secta prius notas quae magis sibi arriserint reperiet, easque sibi deinceps adjudicabit, ut se unice veram esse Christi ecclesiam inferat; nullusque erit controversiae exitus, uti reipsa ab haereticis semper factum est (2). Debent proinde notae ex intima ac essentiali ipsius ecclesiae a Christo institutae constitutione sua sponte enasci.

148. Cum vero ex hactenus vindicatis ecclesia a Christo fundata constet, ad modum viventis humani individui, anima, corpore et vita quae vi utriusque conjunctionis et commercii exurgit, sequitur non alias notas verae Christi ecclesiae assignari posse quam quae ex ejusmodi constitutione ac natura profluunt. Eae autem sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, quae nempe jam a IV. rei christianae seculo recensuerat concilium Constantinopolitanum in fidei symbolo illis verbis: « Credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam (3) ».

149. Has igitur et non alias esse verae Christi ecclesiae notas, nec ulli prorsus societati, praeterquam soli ecclesiae Romanae convenire seu competere posse ostendendum nobis est. Quod quidem praestare insequentibus propositionibus aggredimur.

(1) Bellarminus lib. IV. *De ecclesia militante* cap. II. tres conditiones assignat, quae concurrere debent ad veras notas constituendas, ac 1. quod debeant esse *propriae* et non communes; 2. debeant esse *notiores* ea re cujus sunt notae; 3. debeant esse *inseparabiles* a vera ecclesia cujus notae sunt: quas quidem conditiones ibidem fuse evolvit.

(2) Cf. Bellarm. loc. cit. ubi recenset notas ab haereticis excogitatas, ostenditque eas insufficientes ac ineptas esse ad propositam inquisitionem; sunt autem 1. vera et incorrupta praedicatio evangelii; 2. legitima administratio baptismi; 3. legitimus usus eucharistiae; 4. legitimus usus clavium; 5. legitima electio ministrorum; 6. oratio publica, psalmodia et catechismus lingua vulgari; 7. mysterium crucis, id est, tribulationes intus et extra; aliaeque ejusmodi postea invectae.

Etiam Guillelmus Palmer in op. cit. *De ecclesia Christi* par. I. cap. II. excludit has diversas notas, praesertim eam quae statuitur in *veritate doctrinae*, cum maxima hominum pars idonea non sit ad examen istud instituendum, et tamen quaelibet secta contendat se tenere veram et orthodoxam Christi doctrinam. Ea tamen hic interserit, quae nobis non probantur, et suo loco excutiemus.

(3) Hae autem non sunt nisi explicita expositio notarum, quae in symbolo apostolico continentur illis verbis: « Credo sanctam ecclesiam catholicam ». Nam *ecclesia* in singulari numero ponitur, ac propterea *una* significatur, quae dicitur *sancta et catholica;* quod si ecclesia catholica est, debet necessario pariter esse *apostolica*, ut ex dicendis perspicuum fiet. Quod vero spectat ad alias sive plures sive pauciores notas assignatas a nonnullis patribus, et theologis, illae vel reducuntur ad quatuor recensitas, vel eas implicite continent.

PROPOSITIO I.

Verae Christi ecclesiae notae sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas

150. Quamvis nonnulla dixerimus in tractatu *De vera religione* (1) de ecclesiae unitate, quae tamen illic disseruimus non debent permisceri cum iis de quibus in praesentia agimus. Etenim illic de unitate disseruimus prout ecclesiae proprietas essentialis est, heic vero eam pertractamus quatenus est indicium externum, character, signum aut nota externa qua ducimur ad illam ecclesiam cognoscendam quae tali proprietate praedita est: quod et de notis reliquis est intelligendum. Proprietates enim intimae sunt et ad rei essentiam pertinent; notae autem sunt extrinsecae, atque essentiae ac proprietatum manifestationes, quae ex intrinsecis proprietatibus efflorescunt. Nonnulla tamen et de his proprietatibus ob materiae necessitudinem hic adjicere debemus.

151. Verum priusquam has notas verae ecclesiae Christi vindicemus, nonnulla praemonenda sunt tum de notis ipsis, tum de earum natura et ordine *genetico*, seu ratione qua altera ex altera gignitur, ut inde demum inferamus ita se illas habere per modum unius, ut vel omnes vel nulla competat ecclesiae.

152. Itaque inprimis deprehendimus hasce notas extrinsecas necessario originem ducere ab ipsa rei natura, seu ab essentiali ecclesiae constitutione prout a Christo instituta est, ita ut ex ipsis vera Christi ecclesia veluti a sua externa specie et physionomia internoscatur, et secernatur a quavis societate, quae Christi non sit. 2. Ab eisdem notis nec solam animam, nec solum corpus ecclesiae debere nobis patefieri, sed utrumque simul prout in mutuo commercio seu communicatione reperiuntur, scilicet prout ecclesia corpus *vivens* est, et vita quidem divina ac supernaturali.

153. Ad secundum quod spectat, observamus talem esse naturam ac indolem harum notarum, ut necessario nexu adhaerescant suo principio ex quo profluunt. Hinc ut unitas esse possit, non solum debet esse plena et formalis, sed debet praeterea secum necessario praeseferre principium ex quo haec ipsa unitas constituitur; nempe non sufficit ut habeatur eadem fidei professio, idem sacramentorum usus, communicatio mutua membrorum; sed requiritur insuper principium auctoritatis ex qua sola in omnibus eadem fidei professio oritur; principium, inquam divinitus institutum, visibile efficaxque quod in ecclesiam universam influat, illamque regat ac moderetur, ut exurgat vera ac intima connexio inter caput et membra, inter membra singula ad invicem, ac demum inter animam et corpus. Id quod et de ceteris notis suo modo intelligi debet, prout in nota sanctitatis manifestum est, quae absque gratia sanctificante et charitate ex qua gignitur, consistere non potest, atque item de notis catholicitatis et apostolicitatis, quae concipi nequeunt absque unitate a qua dependent.

154. Ad postremum quod attinet adnotamus tres posteriores notas *virtualiter* includi in priori, nempe in unitate, atque ab ea tamquam communi fonte dimanare. Etenim si unitas quae a principio auctoritatis constituitur, caput simul et membra complectitur, nec non corpus et animam, profecto sequitur, ecclesiam quae pro nota characteristica habet unitatem, debere pariter tamquam notam suam habere sanctitatem, qua

(1) P. II. prop. IV.

dignoscitur ipsam vivere, nec non catholicitatem ut ipsius ecclesiae cognoscatur semper et ubique identitas, ac demum apostolicitatem ratione ejusdem originis ac doctrinae. Unde liquet, uti jam praemonuimus, ita inter se notas istas colligari, ac mutuo nexu ab invicem dependere, ut nulla tolli possit, quin ceterae corruant, aut ulla earum reperiri quin reliquae coëxistant (1). Restat igitur, ut primum inspiciamus utrum ejusmodi notae debeant verae Christi ecclesiae competere, an vero aliae requirendae sint. Nos porro affirmamus recensitas notas et non alias verae Christi ecclesiae necessario competere (2), quod quidem ostendere arduum negotium non est.

155. Sane si notae externae alicujus rei tales natura sua esse debent, ut nos certo et absque deceptionis periculo ducant in ejus cognitionem, ita oportet eas nobis exhibere rem cujus notae sunt, ut ipsi soli conveniant ac nulli alii praeterea: atqui ejusmodi sunt quatuor quas recensuimus notae: ergo. Major per se patet; minorem vero sic evincimus. Ex superius vindicatis vera Christi ecclesia ea sola est quae per modum unius a Christo instituta est ad instar individui viventis ex anima et corpore, et quidem corpore integro quale exurgit ex capite et membris ita inter se coordinatis, ut caput praesit, membra arctissime inter se connexa eidem subsint, ab eoque regantur, motumque, ut ita dicam, ab eodem accipiant. Jam vero recensitas notas nos ducere in hujus ecclesiae cognitionem patet vel levi instituto singularum examine, quod sic per partes aggredimur.

DE NOTA UNITATIS

156. Unitas ecclesiae in scripturis constanter praedicatur. Christus enim vocat ecclesiam *regnum suum, ovile, domum, ecclesiam suam* semper in singulari numero, Apostolus vero passim Christi ecclesiam vocat *corpus Christi*, quod certe nonnisi unum esse potest. Supervacaneum autem esset congerere sanctorum patrum testimonia ad hoc confirmandum, cum et adversarii ipsi id fateantur (3).

157. Haec autem unitas exurgit ex unitate *fidei* et *charitatis*, seu *communionis*, quo fit ut ii omnes qui ad uni-

(1) Atque hic obiter animadverto a nonnullis theologis constitui *unitatem* non jam ceu notam, ut vocant, *positivam*, ita ut ex eo quod in aliqua communione unitas reperiatur inferri legitime possit, eam esse veram Christi ecclesiam, sed solum uti notam, seu signum *negativum* exhiberi, quatenus ei in aliquo coetu desit, legitime inferri possit eam non esse veram Christi ecclesiam. Quod quidem mihi videtur non satis accurate, imo nec vere ab ipsis adstrui. Impossibile enim est, ut si unitas qualis requiritur ad notam constituendam, reperiatur, colligi inde non possit societatem in qua conspicitur esse veram Christi ecclesiam.

(2) Quae quidem intelligi nequeunt de numero, ut ita dicam, materiali, sed de re, ita ut non alia nota assignari possit, quae cum recensitis componi nequeat, aut ad illas revocari, juxta ea quae paulo ante diximus.

(3) Plura testimonia Dr. Palmer op. cit. *De ecclesia* p. I. cap. IV. sect. II. congerit ex Calvino, ex anglicanis, presbyterianis, methodistis etc. qui unanimiter profitentur grave esse peccatum scindere unitatem, ac omnes teneri ad communionem cum iis qui censentur veram Christi ecclesiam constituere. Verum illud sedulo animadvertendum est cum FF. de Walemburch in controv. *De notis seu signis ecclesiae* par. post. § IX. quod licet protestantes omnes, saltem ipsorum tempore, agnoverint ecclesiam unam, nullas tamen confessiones protestantium ponere unitatem tamquam notam, vel signum verae ecclesiae.

tatem ecclesiae pertinent eandem fidem profiteri et eandem tenere communionem debeant. Si utraque aut alterutra desit, ecclesiae unitas nec est, neque concipi potest. Etenim ad unitatem fidei quod spectat, nota sunt Apostoli verba: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma (1) »; ad unitatem vero charitatis seu communionis quod attinet, praeter quod Christus mortuus perhibetur, « Ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unum (2) » id est ut in unam ecclesiam coadunaret illos, qui partim ex judaeis, partim ex gentibus in ipsum essent credituri, eam Patri suo maxime commendavit dicens Jo. XVII. « Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos », et paulo post rogat ut haec ecclesiae suae unitas in fide et charitate perpetuo duratura sit: « Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint ». Utrumque complexus pariter est Apostolus scribens ad Ephesios: « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus . . . donec occurramus omnes in unitatem fidei . . . veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum, et connexum per juncturam subministrationis secundum operationem in mensura uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate (3) »; et alibi passim.

158. Nec aliam notam unitatis ecclesiae, prout exterior ac visibilis est, agnoverunt sancti patres praeter eam quae exurgit ex duplici capite, nempe ex fide quae una in omnibus est, et ex charitate seu communione cujus vinculo omnes colligantur. S. Ambrosius ecclesiam definit « Congregationem, quae in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et charitatis assurgit (4) », et ante ipsum Tertullianus « communicamus, scribebat, ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa (5) », nempe ob ejusdem fidei unitatem. Idem docet s. Augustinus in libro de unitate ecclesiae (6), et reliqui unanimiter. Quapropter episcopi afri-

(1) Ephes. IV, 5.

(2) Jo. XI, 52. Ubi pariter animadvertendum est, cum dicimus notam unitatis exurgere, seu conflari etiam ex unitate *charitatis*, hoc nomine hic minime significari charitatem illam, qua nos mutuo diligere debemus veluti virtutem personalem et privatam, qua vel cum infidelibus ipsis conjungi debemus, qui extra ecclesiam sunt; sed significamus charitatem specialem totius christiani populi propriam, qua omnes absque divisione adhaeremus pastoribus et episcopis ad idem corpus constituendum, profitentes eandem fidem et tenentes eandem communionem. Hoc sensu patres ut notam essentialem ecclesiae constituunt charitatis unitatem; hac de causa adjecimus illam explicationem *seu communionis*. Alioquin privatus homo ex eo quod aliud odio prosequeretur, scinderet unitatem ecclesiae, et extra ecclesiam esset, quod est absurdum, ac nemo unquam ne somniavit quidem. Cf. Maldonat. in hunc loc.

(3) Loc. cit. v. 3-16.

(4) *De officiis* lib. III. cap. III. n. 19. edit. Maur.

(5) *De praescript.* cap. XXI. edit. Rig.

(6) Cap. IV. ubi scribit: « Totus Christus caput et corpus est. Caput unigenitus Dei filius, et corpus ejus ecclesia, sponsus et sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso capite ab scripturis sanctis dissentiunt (id est, non tenent veram fidem), etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus ecclesia designata est, non sunt in ecclesia. Et rursus

cani in Sardinia exules : « Membra, inquiunt, ecclesiastici corporis . . . in unitate fidei compages retinet unitatis (1) ».

159. Hinc duo sunt, quae homines ab ecclesia potissimum excludunt; haeresis, qua tollitur unitas fidei, et schisma quo adimitur charitatis seu communionis unitas. Ex alterutrius, aut utriusque defectu quovis tempore ecclesiae patres sectas ab unica vera ecclesia Christi distinxerunt, et contra eas sive simul sive seorsum sumptas pugnarunt, ut illas extra viam salutis aberrare ostenderent. Quoniam vero Christus ecclesiam suam unam esse voluit tum unitate fidei tum unitate charitatis, debuit eam instruere mediis idoneis ad utramque unitatem sartam tectamque servandam, cum finis sine mediis obtineri nequeat. Ex hoc vero infertur quod ab initio praemisimus, unitatis notam non solum complecti unitatem fidei et communionis, sed praeterea principium ex quo unitas haec profluit et conservatur, quod quidem aliud esse non potest, nisi auctoritas. Hac enim solum fit ut fidei et charitatis seu communionis unitas tum in membris singulis, tum in toto corpore haberi possit et conservari. Quapropter illa sola unitas ceu nota verae Christi ecclesiae haberi debet quae utrumque complectitur, unitatem scilicet fidei et communionis cum medio idoneo eam producendi et jugiter conservandi. Ex quo pariter legitime infertur eas societates non posse spectari ut veras Christi ecclesias, quae ejusmodi nota destitutae sunt (2).

DE NOTA SANCTITATIS

160. Sanctitatem notam esse verae ecclesiae nemo est qui ambigat. Christus enim venit in hunc mundum, et passus est, ut « illam (ecclesiam) sanctificaret (3) » et elegit nos « ut essemus sancti et immaculati (4) » seu « Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum (5) ». Hic enim est finis proximus et immediatus quem sibi Redemptor noster proposuit in sua ecclesia instituenda. Nec ulla secta est

quicumque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, et unitati ecclesiae non communicant, non sunt in ecclesia; quia de Christi corpore, quod est ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt ». Quae deinde fuse evolvit, ut ostendat quod, alterutra conditione deficiente, aut unitatis fidei, aut unitatis communionis, nemo possit censeri esse in vera Christi ecclesia, quae utramque unitatem in suo conceptu involvit, et includit.

(1) In epist. Synodica, quae creditur s. Fulgentii, data an. 521. apud Harduin. *Acta conc.* tom. II. col. 1055. Alia plura patrum in hanc rem testimonia, cf. apud Nicole in op. *Unité de l'église* lib. I. ch. VII. nec non apud Thomassinum in op. *Traité de l'unité de l'église*. Paris 1687. tom. II. part. I, et II. apud Ballerinium *De vi ac ratione primatus*. Serm. 1766. cap. X.

(2) Hoc etiam agnovit et fassus est Palmer in op. cit. part. I. cap. IV. sect. II. ubi in conclus. n. 2. scribit : « Quoniam Deus praecepit unitatem in ecclesia sua, et quoniam Christus adeo eam optavit, et oravit pro ipsa, necessario sequitur quod ipse debuerit *media* suppeditare ad hanc unitatem servandam: ideoque quod omnis societas quae media non possidet ad servandam unitatem communionis, et cujus principia fundamentalia eam adstringunt ad tolerandam, aut etiam ad fovendam divisionem *absque termino*, non possit esse ecclesia Dei ». Notanda sunt verba illa *absque termino*, quae omnino cohaerent systemati quod paulo post exponam hujus auctoris anglicani.

(3) Ephes. V, 26.

(4) Ibid. I, 4.

(5) Tit. II, 14.

quae non profiteatur ecclesiam Christi sanctam esse (1). Difficultas, si qua est, versatur circa modum quo haec nota prout visibilis est, internoscatur. Cum vero communiones omnes sive merito sive immerito sibi arrogent sanctitatem quae provenit tum ex ratione capitis et plurimorum saltem membrorum, tum ex ratione doctrinae, et sacramentorum, ne longam ac difficilem discussionem ineamus, juxta methodum quam proposuimus, dicimus hanc notam deprehendi ex interioris vitae supernaturalis manifestatione. Haec autem manifestatio non solum fit per exercitium virtutum omnium et consiliorum etiam evangelicorum, in summo gradu, seu uti vocant *heroico*, verum etiam per charismatum affluentiam, miraculorum praesertim, ac vaticiniorum, quam ecclesiae suae numquam defuturam Christus promisit, et per foecunditatem perennem, quam ei pariter juxta dicta Christus pollicitus est.

161. Si qua igitur societas ea doctrina instructa non sit quae ad sanctitatem homines informet, multo magis si eam doctrinam profiteatur, quae sanctitati adversetur, quaeque opera bona minime promoveat, aut etiam excludat, absque alio indicio evidens est eam hac nota sanctitatis esse destitutam, nec proinde veram esse Christi ecclesiam. Si praeterea non praeseferat indubia signa ac ineluctabilia Dei testimonia quibus interior supernaturalis ejus vita, quae in gratia habituali, virtutibus theologalibus ceterisque adnexis consistit, exterius aperte manifesta sit, quamvis sanctitatem jactet, numquam certo nobis constabit utrum notam verae ecclesiae habeat nec ne. Fucata enim sanctitas absque ejusmodi divino testimonio esse potest; nota autem ita certa esse debet ac indubia, ut in omnium oculos facile incurrat. Cum vero ex dictis haec nota sanctitatis certa ac ineluctabilis non sit, nisi per exteriorem vitae manifestationem se prodat, ea qua exposuimus ratione, patet illam solam societatem quae ejusmodi nota sanctitatis sit insignita, veram posse dici et esse Christi ecclesiam.

DE NOTA CATHOLICITATIS

162. *Catholicitatem* seu *universalitatem* pariter notam esse verae ecclesiae Scripturarum oracula ac patrum omnium consensus luculenter ostendunt. Etenim Deus Genes. XII. 3. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. collat. Act. Apost. III. 25. et Gal. III. 9. promisit Abraham, Isaac et Jacob quod gentes omnes in eorum semine, scilicet in Christo, benedicendae essent; Psalmo autem II. 8. Deus item sic alloquitur filium suum: « Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae ». Quae quidem aliaque ejusmodi pene innumera divinorum eloquiorum oracula nullus christianus dubitat ad Christi ecclesiam pertinere. Huc etiam spectant Christi ipsius promissiones et vaticinia, siquidem Matth. XXVI. 13. et Marc. XIV. 9. Christus praedicit evangelium suum praedicatum iri *in universo mundo;* misit apostolos suos Matth. XXVIII. 19. ad docendas et baptizandas *omnes gentes*, seu ut legitur Marc. XVI. 15. eos misit « in mundum universum

(1) Id reipsa profitentur confess. Helvet. poster. cap. XVII. prior art. XIV. Belgica art. XXVIII. Basileensis art. V. Bohemica art. VIII. August. art. VII. Saxonica art. XII. Catech. gall. *Dom.* 15. catech. Heidelberg. q. 23. Ursinus *Dom.* 21. *quaest.* 54. § 4. Nihilominus, prout iidem Walenburchici observant loc. cit. § XXVI. nullae protestantium confessiones ponunt sanctitatem, tamquam notam vel signum verae ecclesiae.

praedicare evangelium omni creaturae »; et reipsa idem evangelista Marcus ib. v. 20. eosdem exhibet praedicantes *ubique;* et Apostolus Rom. X. 18. « et quidem, inquit, in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum »; in epistola vero ad Coloss. I. 6. loquens de evangelio testatur, quod « in universo mundo est, et fructificat et crescit sicut et in vobis ». Patres autem non solum catholicitatem ut notam verae ecclesiae propugnant unanimiter, sed praeterea exinde validissimum desumunt argumentum ut evincant, acatholicos, seu schismaticos et haereticos non constituere veram Christi ecclesiam, imo et in ea non esse, eo quod hac nota destituti sint (1).

163. Verum quod magis mireris est, quod omnes acatholici, seu sectae recentiores idipsum profiteantur; nam et ipsi admittunt catholicitatem esse verae ecclesiae proprietatem, recitant et ipsi articulum symboli apostolici « Credo sanctam ecclesiam catholicam (2) ».

164. Ne igitur in ambiguo versemur,

(1) Horum testimonia profert Lud. Thomassinus in op. cit. *Traité de l' unité de l' église*, ubi p. I. exhibet auctoritatem patrum graecorum; in p. autem II. auctoritatem patrum latinorum, qui unanimes sunt in universitate verae Christi ecclesiae adstruenda. Ne longior sim unum aut alterum testimonium ex iis describam. S. Justinus in dial. cum Tryphone contendit ad Christum ejusque ecclesiam pertinere prophetarum oracula, quibus gentium ubique terrarum ad Deum conversio praedicitur, et reipsa in Christi ecclesia sortita esse suum effectum. Sic inter cetera scribit n. 100. Καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ ἐκφοβῶν καὶ δουλαγωγων ἡμᾶς τοὺς ἐπὶ τὸν Ιησοῦν πεπιστευκότας κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν, φανερόν ἐστι. id est « Neminem autem esse, qui nos in Jesum per totum orbem terrarum credentes exterreat, et in servitutem redigat, in promptu est ». Quod quidem ibidem saepius inculcat, negatque hanc notam sive judaeis sive idololatris competere posse. Sic etiam s. Irenaeus lib. I. cap. 10. n. I. ed. Mass. scribit: Ἡ μεν γὰρ ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν αποστολων, καὶ τῶν ἐκείνων μαθητων παραλαβουσα τὴν εἰς ενα θεὸν κ. τ. λ. « Etenim ecclesia tametsi per universum orbem usque ad extremos terrae fines dispersa, fidem eam ab apostolis eorumque discipulis acceptam, quae est in unum Deum etc. ». Plura alia cf. ejusdem s. Martyris in hanc rem testimonia apud Massuetum in Diss. III. Iren. art. IV, n. 40. Sic etiam inter latinos Tertullianus lib. V. cont. Marc. c. XIX. ed. Rig. in medium allato Apostoli testimonio de evangelio « Quod pervenit usque ad vos, sicut et in totum mundum » prosequitur: « Nam si jam tunc traditio evangelica ubique manavit, magis quam omnis haeretica, nedum Antoniani Marcionis, nostra erit apostolica . . . Eam enim et sic constabit esse, quae prior mundum replevit, illius scilicet Dei evangelio, qui et haec cecinit de praedicationibus ejus; in omnem terram exivit sonus eorum, et in terminos orbis verba eorum ». Sic etiam s. Cyprianus, sic reliqui omnes.

(2) Alias monui passim protestantes ex hoc symboli articulo expunxisse vocem *catholicam;* alii tamen quodam pudore suffusi eam retinuerunt. Summa enim apud eos libertas est sive abjiciendi, sive retinendi in fidei confessione quod libuerit, et prout libuerit, regula quippe carent. Ceterum Palmer op. cit. p. I. c. VII. ostendit testimoniis adductis ex Calvino, et ex confessionibus Augustana, et Helvetica, catechismo genevensi, confessione Bohemica, catechesi Heidelburgensi, declaratione Thoruniensi, ex Presbyterianis, e Barclejo, ex Owenio, ex Anglicanis etc. omnes sectas admittere catholicitatem veluti notam verae ecclesiae. Inter Anglicanos hoc refert episcopi Pearsonii testimonium: « Magis obvia, ac generalis idea hujus *catholicismi* consistit in *diffusibilitate* ecclesiae quae missioni innixa est collatae ejusdem fundatoribus *ite et do-*

cum sectae omnes catholicitatem sibi vindicent, perspicue exponendum est in quo praecise haec nota universalitatis consistat. Duo porro in sua notione complectitur, quorum si alterutrum desit, multo vero magis si desit utrumque, ejusmodi nota haberi nequit: alterum igitur est ecclesiae per universum orbem diffusio juxta veteris testamenti vaticinia et Christi promissiones, alterum autem est ipsius ecclesiae identitas tum quoad fidem, tum quoad communionem quovis loco. Prius non inepte partem *materialem* catholicitatis vocaveris, posterius partem *formalem*. Hac identitate fit ut ecclesia eadem prorsus sit ratione doctrinae et communionis, ratione loci et ratione temporis.

165. Notionem hanc novam non esse, ceteris omissis, aperte patet ex antiquorum patrum doctrina. Sane s. Irenaeus ita describit hanc ecclesiae universalitatem, ut non solum asserat esse veram Christi ecclesiam « per universum orbem usque ad fines terrae seminatam (1) » apud « multas gentes barbarorum et per universum mundum » constitutam, circumeuntem mundum universum (2); sed praeterea insistit in eo potissimum quod *una fides sit, doctrina et traditio, una anima, unum cor, unum os, una et eadem praedicatio ac regiminis ecclesiastici forma* (3). Tertullianus vero Marcionem perstringens, et in eo haereticos ceteros, postquam ostendit ecclesiam ubique esse diffusam, subdit: « Marcionis autem quum totum impleverit mundum, ne tunc quidem se defendere poterit de apostolica. Eam enim et sic constabit esse, quae *prior* mundum replevit, illius scilicet Dei evangelio, qui et haec cecinit de praedicationibus ejus: in omnem terram exiit sonus eorum, et in terminos orbis verba eorum (4) ». Negat scilicet catholicam esse posse Marcionis sectam, etiamsi per universum orbem diffusa fuerit, quia semper erit destituta catholicitate formali ex defectu identitatis doctrinae, quovis loco et quovis tempore.

166. Quapropter illa sola ecclesia hanc notam possidebit, adeoque erit vere catholica et vera ecclesia Christi, quae non modo materiali verum etiam formali catholicitate gaudet ex sua institutione et natura; quaevis autem societas utcumque diffusa, si hac destituta sit, neque Christi ecclesia erit, sed secta et synagoga Satanae (5).

cete etc. Ecclesia Christi in primaeva sua constitutione effecta est natura sua *diffusiva*... Rationem hanc attulerunt veteres patres quare ecclesia fuerit *catholica* nuncupata, et ecclesiae natura ita describitur in scripturis. Ego video (prosequitur idem auctor) hanc ecclesiam, non jam ut judaeorum ecclesiam circumscriptam uno populo, uniusque gentis limitibus coarctatam, sed ob ordinationem, et mandatum Christi, et ob efficaciam potentiae suae disseminari inter omnes gentes, ac propagari in omnem locum, extendi ad omnes aetates ». Hinc merito concludit Palmer; « Fieri ne potest ut habeatur validior probatio de essentiali universalitate ecclesiae isto omnium aetatum, ecclesiarum et sectarum consensu? » Verumtamen et hic pariter animadvertendum est, nullas confessiones protestantium admittere ejusmodi ecclesiae diffusionem, ut *notam* aut *signum* verae ecclesiae. Cf. FF. de Walemburch loc. cit. § XLV. Hallucinatur proinde Palmer permiscens catholicitatem in se spectatam quam praefatae confessiones quidem agnoscunt, cum nota ad discernendam veram ecclesiam, quam *nullae* admittunt.

(1) Loc. cit.

(2) Lib. III. cap. IV. n. 2. et cap. XII. num. 7. circa finem; lib. IV. c. XXXVI.

(3) Lib. I. cap. X. n. 2. seqq. Cf. etiam Massuetum diss. et loc. cit.

(4) Loc. cit.

(5) Pulchre Augustinus in lib. *De pa-*

DE NOTA APOSTOLICITATIS

167. Circa necessitatem hujus notae ad cognoscendam veram Christi ecclesiam nulla est controversia ; omnes fatentur veram ecclesiam debere esse apostolicam . Christus enim missionem dedit apostolis instituendi seu fundandi ecclesias per universum mundum illis verbis : « Sicut misit me Pater et ego mitto vos (1) . Euntes docete baptizantes (2) »; et Apostolus admonebat fideles superaedificatos esse « super fundamentum apostolorum et prophetarum (3) » . Joannes vero refert se vidisse civitatem Hierusalem , nempe ecclesiam , cujus murus habebat « fundamenta duodecim , et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni (4) » .

168. At enim : in quonam ejusmodi apostolicitatis nota consistit ; quidnam in suo conceptu involvit ? Praeter apostolorum doctrinam exposcit illa publicam , perennem , seu numquam interruptam ab apostolis ad nos usque successionem. Diximus autem *publicam successionem* , qua nempe , solemni et externa inauguratione ministrorum per ritum a Christo institutum et ab apostolis adscitum, propagatus fuerit coetus eorum qui in magisterio et regimine apostolis successerunt ad opus continuandum ab apostolis incoeptum , ad conversionem scilicet infidelium et fidelium sanctificationem . Diximus insuper *perennem seu numquam interruptam successionem* ad significandam *formalem* ejusmodi successionem ; nec enim satis est ad apostolicitatis notam constituendam , *materialis* , ut ita loquar , ab apostolis successio ; sed requiritur praeterea successio *formalis* , ita ut debeat , qui succedere apostolis dicitur in publico magisterio et ecclesiae regimine , conservare unitatem fidei et communionis cum ecclesiae universae capite et centro . Id quod inferius data opera ostendemus . Alioquin si quis ecclesiae cujusdam apostolicae seu ab aliquo apostolo aut apostolorum discipulo institutae episcopus in haeresim aut schisma incideret , uti e. g. Dioscorus episcopus Alexandrinus , dicendus esset apostolorum successor ; quod absurdum quidem est .

169. Sane haec est tessera qua antiqui ecclesiae patres veram apostolicitatis notam a spuria distinxerunt . Sic inter ceteros loquitur Tertullianus adversus haereticos : « Edant ergo origines ecclesiarum suarum : evolvant ordinem episcoporum suorum , ita per successiones ab initio decurrentem , ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis , vel apostolicis viris, *qui tamen cum apostolis perseveraverit* , habuerit auctorem et antecessorem . Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt . . . Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis ecclesiis , quae licet nullum ex Apostolis , vel apostolicis auctorem suum proferant , ut multo posteriores , quae denique quotidie instituuntur ; tamen in eadem fide conspirantes , non minus apo-

storib. cap. VIII. docet ecclesiam esse ubique , et haeresim ubique . Sed ecclesiam esse *unam et eandem* ubique , haereses autem non easdem sed diversissimas , quae se invicem non noverunt , et proinde nullam earum esse catholicam . Origenes vero apud card. Hosium in *Confessione cathol. fidei* cap. XXI. « Catholici dicimur , scribebat, quia sentimus *idem* quod universus mundus » . Idipsum docet s. Cyrillus Hierosolym. catech. XVIII. n. 23. ed. Touttei .

(1) Jo. XX , 21.

(2) Matth. ult.

(3) Ephes. II , 20.

(4) Apoc. XXI , 14.

stolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae. Ita omnes haereses ad utramque formam a nostris ecclesiis provocatae, probent se quaqua putant apostolicas. Sed adeo nec sunt: nec probare possunt quod non sunt: nec recipiuntur in pacem et communicationem ab ecclesiis quoquo modo apostolicis, scilicet ob diversitatem sacramenti nullo modo apostolicae (1) ». Eodem modo loquuntur Irenaeus (2), Cyprianus (3), Ambrosius (4), Hilarius (5), Augustinus (6), quorum testimonia paulo post exhibebimus.

170. Interim ex postremis Tertulliani verbis patet ad constituendam apostolicitatem non absolute requiri ut aliqua ecclesia ab apostolis immediate aut viris apostolicis instituta sit; sed sufficere ut ab apostolica ecclesia originem habuerit, et cum ea communicet in fide et charitate. Sic enim innumerae pene ecclesiae hac nota fruuntur quia in apostolica ecclesia inoculatae sunt (7).

171. Illa igitur omnis et sola societas apostolicitatis nota frui dicenda est adeoque vera ecclesia Christi censenda, quae utraque, materiali scilicet et formali successione, in publico et perenni magisterio et regimine ecclesiastico ab apostolis pollet; contra vero illae omnes societates a censu Christi ecclesiae sunt expungendae, quae sive alterutra, sive utraque successione ex quibus pendet catholicitatis nota, sunt destitutae (8).

172. Ex his quae de ecclesiae notis singillatim disseruimus constat quod ab initio hujus propositionis animadvertimus, ita inter se ejusmodi notas esse connexas ut una in altera includatur, aut certe ab altera pendeat, ut nulla divelli possit quin altera pereat; imo constat ita omnes posteriores tres in unitate contineri, ut earum quaelibet vim suam ab illa mutuetur; constat demum eas nos ducere in cognitionem certam illius societatis quae ad instar individui jugiter viventis a Christo instituta est, anima scilicet corpore, utriusque nexu seu commercio ac proinde vita pollentis. Ita

(1) *De praescript.* cap. XXXII. Quid hic significet Tertullianus *sacramenti* nomine, critici inter se non conveniunt. Nonnulli jusjurandum intelligunt; alii sacramentum baptismi ut La-Cerda, alii verisimilius cum Albaspinaeo accipiunt eam vocem de religione ipsa, seu religionis professione. Cf. Pamelium in hunc loc.

(2) Lib. V. cap. XX. n. I. seqq.

(3) Epist. LXXIII. et in lib. *De unit. ecclesiae* edit. Maur. p. 195. et alibi passim.

(4) Lib. *De incarnat. dominicae sacramento* cap. V. n. 34. et lib. *De poenit.* cap. VII. n. 33.

(5) Comment. in Matth. cap. X. n. 9, 10. ed. Maur. et alibi.

(6) Lib. II. cont. epist. Petil. cap. XXXVIII. lib. *De unit. eccl.* cap. II. *Brevic. collat. cum donatistis* cap. III. seqq. etc.

(7) Ecclesiae tractu seculorum fundatae ideo apostolicae vocantur, quod ab ecclesia apostolica missi fuerint ad annunciandum evangelium et fundandas ecclesias viri ad hoc delecti, et hi ecclesias a se fundatas in communione fidei et charitatis cum ecclesia apostolica instituerint. Hoc igitur interest discrimen inter ecclesias immediate ab apostolis fundatas et eas quae insequentibus temporibus institutae sunt, quod illae vere et proprie apostolicae vocentur et sint, istae autem per participationem, ut postea uberius exponemus.

(8) « Esse ecclesiam apostolicam scribunt Walemburgici (loc. cit. § XLIX.) agnoscunt protestantes. Conf. Helvet. poster. cap. XVIII. et omnes illi, qui continuatum evangelicae praedicationis ministerium admittunt. Imo et successionem personarum ac doctrinae pro nota ecclesiae habet Zanchius, tom. VII. de eccles. c. VIII. col. 84. Verum nullae confessiones protestantium ponunt continuatam doctorum successionem, tamquam notam vel signum verae ecclesiae, licet Scriptura citata sit expressa ».

vero singulae hae notae in sua formali ratione inter se comparatae sunt, ut unitas *divisioni*, sanctitas *vitae defectui*, catholicitas *differentiae*, apostolicitas *interruptioni* in successione opponatur.

DIFFICULTATES

Adversus ecclesiae notas in genere

173. I. Obj. Inutilis plane est de verae ecclesiae notis disceptatio; 1. Quia nisi prius cognoscatur quae sit vera ecclesia non possunt notae verae ecclesiae constitui, ipsius naturam et essentiales proprietates patefacientes; 2. quia ut aliquid pro nota habeatur debet esse notius re notata; jam vero quidquid pro nota verae ecclesiae assignetur, minus profecto notum erit ipsa ecclesia; 3. in hypothesi praesertim catholicorum, qui ecclesiae definitionem suo modo praestituunt, eamque visibilem esse contendunt, imo manifestam ad instar solis qui luce sua se prodit; 4. denique quia nec prodest ejusmodi inquisitio infidelibus neque catholicis neque haereticis; non prodest infidelibus, qui cum in Christum non credant, nequeunt solliciti esse de vera ejus ecclesia; non catholicis, qui cum fide jam teneant se esse in vera ecclesia notis non indigent ad eam internoscendam; non demum haereticis, qui numquam cum catholicis convenient in notis assignandis, adeoque supervacanea prorsus evadit haec de notis verae ecclesiae controversia. Ergo.

174. R. N. A. Summi enim momenti est tum nosse utrum via certa ac tuta pateat qua ad verae ecclesiae cognitionem deveniamus, hanc secernentes a sectis, illius appellationem et rem inique sibi usurpantibus (1), tum determinare quaenam signa sint ex quibus absque ambage illa deprehendatur, et a falsis secernatur, uti permagni interest secernere ovem a lupo, qui se illius pelle contexerit (2).

175. Ad 1. prob. *D.* Idest, nisi prius *theoretice* cognoscatur quae vera debeat esse Christi ecclesia, *C.* nisi prius cognoscatur *in concreto N.* Profecto cum notae esse debeant totidem signa certa, quae nos ducant in cognitionem verae ecclesiae, nisi prius theoretice noscamus quaenam debeat esse natura, quaenam proprietates essentiales verae ecclesiae, numquam poterimus dignoscere notas constitutiva illa nobis manifestantes. Adstructis propterea origine, natura ac essentialibus ecclesiae proprietatibus, deprehendimus quae debeant esse notae ad discernendam in concreto ex tot societatibus vulgo christianis veram ecclesiam a Christo Jesu institutam (3). Sic

(1) Apposite pius et doctus card. Hosius in opp. cit. *De confessione fidei catholicae* cap. xx. « Quoniam vero, inquit, fieri videmus, quod sicut scripturas et earum verum intellectum sibi falso arrogant haeretici, ita et ecclesiae nomen, cujus auctoritate se premi videant, sibi temere et impudenter usurpant: ac sicut scripturarum professione, in qua pridem praescriptum est a catholicis, a quibus eas habere se negare non possunt: ita e piorum coetu homines impii pios omnes et in christiana fide, religioneque fixos et immobiles permanentes excludunt: illud nobis dicendum restat, quibus notis ecclesia, quae domus est Dei vivi, ab ea quam odivit Deus, ecclesia malignantium, discerni recte possit » opp. edit. Colon. 1584. tom. I. pag. 17.

(2) Id demum fassus est Colovius, qui in *Synops. controv.* disp. 23. thes. 14. pag. 145. scripsit: « Quaestio de notis ecclesiae, et quaenam sit vera ecclesia, non est inutilis, sed *maxime necessaria*, *atque utilissima* ».

(3) Juverit et hic exscribere, quae laudatus cardinalis ibid. subdit post recitata verba: « Neque vero novum hoc est, quod qui ho-

prius definiendus homo, quam determinemus notas quibus a brutis animantibus secerni debeat aliquod individuum humanum, cum in hoc non agatur nisi de applicatione.

176. Ad 2. *D.* min. Quidquid pro nota assignetur, minus notum erit ipsa ecclesia generice spectata, *C.* specifice et in concreto *N.* Etenim veram aliquam Christi ecclesiam existere notius est quibusvis notis; at non ita se res habet cum agitur de determinando in specie quaenam ea sit, ut patet ex controversiis diversarum, ut vocant, communionum, quae omnes pro certo sumunt veram dari ecclesiam, at deinceps unaquaeque se talem esse contendit. Sic notius est quid sit vita quam motus aut actio; attamen in dubio utrum aliquod peculiare individuum vita sit praeditum, id non agnoscimus nisi per motum aut actionem tamquam per illius signa, indicia, seu notas, quia in particulari magis nota est actio aut motus quam vita.

177. Ad 3. *D.* Praestituunt catholici definitionem ecclesiae Christi, ejusque proprietatum, *C.* ecclesiae propriae seu catholicae *N.* Nempe talis est methodus quam catholici in suo sectantur examine, ut prius, quod logica postulat, definiatur res de qua agitur, deinde proprietates declarentur quibus Christus instructam eam esse voluit, et quomodo constituta ab eo sit; ex his notas eruunt quibus res haec, seu vera Christi ecclesia juxta praemissa ab iis societatibus quae perperam sibi ecclesiae nomen adsciscunt, tuto secernatur et dignoscatur; tandem inquirunt cuinam societati notae illae in concreto conveniant, atque hanc inferunt et non aliam veram esse Christi ecclesiam. Nec aliorsum iter ingrediuntur haeretici ipsi quando ad hanc inquisitionem adiguntur (1).

stes ecclesiae sunt, ipsi dici et videri volunt ecclesia: et Irenaei et Tertulliani temporibus factitatum hoc legimus. Sic enim de sui temporis haereticis scribit Tertullianus: *Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et Marcionitae* (lib. cont. Valent.); Lactantius quoque scribit, quod singuli quique coetus haereticorum se potissimum christianos, et suam esse catholicam ecclesiam putant (lib. IV. cap. 30. divin. instit.). Et ante eum Cyprianus de Novatiano memoriae prodidit, quod more simiarum, quae cum homines non sint, homines imitantur, cum ipse in ecclesia non esset, imo adhuc insuper contra ecclesiam rebellis extitisset, hoc sibi vindicabat, ut apud se ecclesiam esse diceret, ac nos haereticos faceret (In lib. ad Jubajan.); et qui sequutus utrumque videtur, Hilarius narrat de Anti-Christi synagoga, quod se Christi ecclesiam mentiebatur (lib. ad Constant.). Idem faciebant Augustini temporibus Donatistae (De unit. eccl.). Suo quoque seculo fuisse scribit Bernardus quosdam, qui se vocabant *apostolicos*, qui se ecclesiam esse dicebant, sed contradicebant ei, qui dixit: *Non potest abscondi civitas supra montem posita*. Quorum temeritatem imitati sunt proximis superioribus seculis pauperes de Lugduno, sive Picardi, Wicleffitae, et alii id genus haeretici: qui et ipsi sibi sicut sanam doctrinam, ita ecclesiae auctoritatem arrogant ».

(1) In Apolog. confessionis August. art. IV. § 144. legitur: « Ecclesia non est tantum societas externarum rerum, sicut aliae politiae, sed principaliter est societas fidei, spei et Spiritus Sancti in cordibus, quae tamen habet *externas notas*, ut cognosci possit, videlicet puram evangelii doctrinam, et administrationem sacramentorum consentaneam evangelio Christi ». Bellarminus lib. IV. *De eccl. milit.* cap. II. § I. refert septem notas a Luthero assignatas ad veram ecclesiam secernendam: deinde §§ inseqq. refert sententias hac de re aliorum haereticorum. Ex his patet constantem hanc fuisse haereticis protestantibus agendi rationem. Quod tamen ipsi faciunt ca-

178. Ad 4. *N*. Sed omnibus aut reipsa maxime prodest ejusmodi controversia aut saltem prodesse potest, sub diverso tamen respectu.

179. Ac primo prodest infidelibus, quibus cum annunciatum fuerit evangelium ac velint, Dei gratia adspirante, in Christum credere ejusque religionem profiteri, si perspectas habeant notas quibus vera ecclesia a Christo instituta tuto a falsis secernatur, minime animo haerebunt cui societati nomen suum dare debeant ex tot quae sibi verae ecclesiae gloriam vindicant.

180. Prodest praeterea catholicis tum ut se tueantur ab haereticorum et schismaticorum incursibus; tum ut magis ac magis in sua fide confirmentur.

181. Prodest denique haereticis, ut si velint ex animo veram ecclesiam investigare, eam e vestigio deprehendant; quod si nolint, habeant unde ipsorum culpae isthaec perfidia vertenda sit. Nec enim satis est ad se coram Deo purgandos de propria defectione technas movere; alioquin pharisaei qui tot machinas instruxerunt adversus Christi miraculum quo visum dedit caeco nato, de sua incredulitate excusarentur. Etenim, ut saepius admonuimus, notae verae ecclesiae non ex uniuscujusque arbitrio assignandae sunt, verum ex ipsa rei natura depromendae.

182. II. Obj. Dato etiam quod utile possit esse hoc examen, non aliae tamen notae assignari possunt praeter eas quas Christus ipse expressit. Porro Christus 1. alias omnino diversas assignavit ab eis quas obtrudunt catholici; nam 2. ut notam ecclesiae suae Christus dedit sinceram verbi Dei praedicationem, et verae fidei confessionem dicens Jo. X. 27. « Oves meae vocem meam audiunt »; ibi igitur est vera ecclesia, ubi praedicatur et auditur verbum Dei; et iterum ibid. v. 35. « Illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est »; rursum vero ib. XV. 3. « Vos mundi estis, inquit Christus, propter sermonem quem locutus sum vobis »; cum autem nemo inficiari possit illam esse veram ecclesiam, quae est munda coram Deo, quandoquidem decore cohonestatur, quae sincere praedicat Dei verbum et quae illud excipit, patet hanc esse verae Christi ecclesiae notam. 3. Quo sensu recte s. Jo. Chrysostomus scribebat: « Qui ergo vult cognoscere quae sit vera ecclesia Christi, unde cognoscet, nisi tantummodo per scripturas (1)? » Cui 4. consonat Augustinus dicens: « In scripturis discimus Christum, in scripturis discimus ecclesiam (2) ». et clarius adhuc: « Quaestio, inquit, inter nos versatur, ubi sit ecclesia: quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quaesituri, an in verbis capitis sui D. N. J. C.? Puto quod in illius potius verbis eam quaerere debemus, qui veritas est, et optime novit corpus suum (3) ». 5. Sane scriptura, seu verbum Dei notius est ecclesia, quae per scripturam probatur. 6. Ut notam praeterea ecclesiae suae proposuit Christus legitimum sacramentorum usum, praesertim baptismi, asserens: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (4) »; negari autem non potest ad veram Christi ecclesiam pertinere, qui salvantur. Non est igitur cur alias notas ab hominibus excogitatas quaeramus.

183. Resp. Ad 1. *N*. Hoc ipso enim

tholicis adscribunt, qui non alias notas assignant quam eas quae ipsi haereditario jure a symbolo Nicaeno-Constantinopolitano acceperunt.

(1) Hom. XLIX. in Matth.

(2) Epist. CV. al. CLXVI. n. 14.

(3) Lib. *De unit. eccles.* cap. II.

(4) Marc. ult.

quod Christus ecclesiam suam velut ovile, domum, ac regnum, imo ut regnum caelorum exhibeat, illudque duraturum usque ad saeculi consummationem, exhibet ecclesiam suam unam, sanctam, catholicam et apostolicam, ex quibus essentialibus proprietatibus, ut vidimus, notae totidem germinant exteriores, quibus ut talis ecclesia sua ab omnibus deprehendatur. Cetera quae de ecclesia sua Christus enunciavit aut in iis continentur aut eas supponunt. Vidimus insuper non abnuere plerosque protestantes quas recensuimus notas, verae saltem esse ecclesiae proprietates.

184. Ad 2. In sensu adversariorum *N.* Alioquin nulla esset ratio discernendi veram ecclesiam a Satanae synagogis; nullum siquidem est conventiculum quod sibi non arroget sinceram verbi Dei praedicationem. Si enim cuilibet societati fixum ratumque non foret se sinceram verbi Dei praedicationem habere, non constitueret coetum particularem ab alio quovis divisum (1). Quare cum Christus affirmat oves suas vocem suam audire; aut deos dici ad quos sermo Dei factus est; aut demum mundos eos esse quos ipse allocutus est, nihil aliud significat, quam eos, qui inveniuntur in vera ecclesia, illa praestare, ac ejusmodi donis frui, minime vero ex his veram ecclesiam agnosci. Haec enim omnia incerta sunt ac subjectiva, et plerumque etiam incerta vel ipsi subjecto, nec possunt propterea notam constituere.

185. Ad 3. *N.* Adducta enim verba non sunt s. Jo. Chrysostomi, sed incerti auctoris, ac referuntur ad Antichristi tempora (2).

186. Ad 4. *D.* Mediate, *C.* immediate *N.* Ideo enim ex s. Augustino in Scripturis discimus ecclesiam, quia Scripturae patefaciunt quaenam sint notae ex quibus cognoscimus ecclesiam (3); nec

(1) Quare in confess. August. art. II. et in apolog. IV, 156. dicitur: « Certissimum est, quod promissio salutis pertinet etiam ad parvulos. Neque vero pertinet ad illos, qui sunt extra ecclesiam Christi, ubi nec verbum nec sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum verbo et sacramentis existit: » et in catech. maj. § 503. « Quicumque extra christianitatem sunt, sive gentiles, sive turcae, sive judaei, aut falsi etiam christiani et hypocritae, quamquam unum tantum et verum Deum esse credant et invocent; neque tamen certum habent, quo erga eos animatus sit animo, neque quidquam favoris aut gratiae de Deo sibi polliceri audent aut possunt: quamobrem in perpetua manent ira et damnatione. Neque enim habent Christum Dominum, neque ullius Spiritus Sancti donis et dotibus illustrati et donati sunt ». Calvinus *Instit.* lib. IV. cap. I. § 4. « Extra ejus (ecclesiae) gremium, inquit, nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus ». Apud Wegsch. § 183. not. (h). Ubi notandum est *ecclesiae* nomine proprium coetum adversarios significare; quo factum est, ut postea videbimus, ut sectae diversae invicem se anathematizarent.

(2) Objecta verba ex Hom. XLIX. deprompta, inveniuntur in edit. opp. s. Jo. Chrysostomi Parisiensi Sebast. Nivellii an. 1581 tom. II. col. 992. ubi larvatus hic Chrysostomus aperte loquitur de aetate Anti-Christi cui dabitur plura signa facere; nititurque ostendere in tanta rerum omnium perturbatione nullam aliam viam superesse ad agnoscendam veram ecclesiam catholicam, quam sacram Scripturam, cum in ea tunc defuturum sit donum miraculorum, et haeretici cuncta quae verae ecclesiae sunt, sibi sint vindicaturi. Sed eum cf. l. c.

(3) Sane s. Augustinus in lib. *De utilitate credendi* cap. XIV. n. 31. 32. totus in eo est, ut evincat adversus haereticos, nos Christum et Scripturas cognoscere, et in illum et has credere ob auctoritatem ecclesiae catholicae. Ejus verba suo loco proferam.

alius est sensus alterius loci qui ex Augustino objicitur (1).

187. Ad 5. *N.* Nam non novimus Scripturam nisi per ecclesiam, quae Scripturis Novi Testamenti anterior est, uti ostendimus. Itaque prius nobis innotescere debet ecclesia quae veras Scripturas tamquam divinitus inspiratas tradit, nobisque patefacit verum earum sensum, quem ipsa immediate a Christo assecuta est; in his deinde veluti in publicis tabulis relatos deprehendimus titulos, ac privilegia quibus a Christo aucta est atque insignita. Sane nisi prius ecclesia ethnicis fidem praedicasset, et ipsi credidissent, numquam eos libros habuissent perspectos quos divinos, seu inspiratos divinitus nominamus. Quamobrem non solum in se, verum etiam quoad nos notior est ecclesia quam Scriptura (2).

188. Ad 6. *N.* Tum quia utrum legitima an vero illegitima sit sacramentorum administratio nobis exterius constare nequit, cum legitimitas afficiat jus, non autem solum actum materialem; tum quia privatorum defectu fieri potest, ut in nonnullis particularibus ecclesiis rectus non habeatur sacramentorum usus, quamvis propterea haud cessent illae esse vera Christi ecclesia (3); tum demum quia semper controversia moveri potest quaenam habenda sit legitima sacramentorum administratio, num ea e. g. quae in ecclesia Romana viget, an vero illa quae apud haereticos obtinet (4). Porro notae debent esse ita propriae verae ecclesiae, ut alii coetui convenire nullatenus possint. Exinde responsio patet ad objectum textum de baptismo: ecquis enim judicare poterit, an aliquis baptismate tinctus recte crediderit necne?

DIFFICULTATES

Adversus notam unitatis

189. I. Obj. 1. Unitas eo saltem sensu quo exposita hactenus est nequit constituere notam verae ecclesiae, et certe adeo perfecta in nullo coetu haberi potest. 2. Etenim si sermo in primis sit de unitate fidei posse hanc conservari quamvis plures aut pauciores doctrinae articulos christiani profiteantur, imo haereticos etiam aut erroneos, explo-

(1) Satis est seriem ejus orationis expendere, quae ita se habet: « Quaestio certe inter nos versatur, ubi sit ecclesia, utrum apud nos, an apud illos (donatistas). Quae utique una est, quam majores nostri catholicam nominarunt, ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundum totum enim, καθ' ὅλον graece dicitur. Haec autem ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit, *pro corpore ejus quod est ecclesia*. Unde utique manifestum est, eum qui non est in membris Christi, christianam salutem habere non posse. Membra vero Christi per unitatis charitatem sibi copulantur, et per eandem capiti suo cohaerent, quod est Christus Jesus ». Deinde ostendit ex Scripturis donatistas in ecclesia esse non posse, eo quod non sint in hac unitate. En in quo versaretur quaestio ad quam solvendam s. Augustinus provocat ad Scripturas.

(2) Quare Bellarminus *De eccles.* lib. IV. cap. II. § 283. ad propositam difficultatem haec habet: « Respondeo *simpliciter ecclesiam esse priorem et notiorem*, quam sit Scriptura. Nam ecclesia fuit ante Scripturam, et ipsi data est Scriptura a Deo, et ipsa eam aliis tradit et explicat ».

(3) Cf. Bellarm. ibid. § 24. ubi id nonnullis exemplis confirmat.

(4) Sic ex. gr. lutherani et calvinistae divisi inter se sunt eo quod unaquaeque secta putet se solam habere legitimam sacramenti eucharistici administrationem. Idem dic de socinianis, methodistis aliisque haereticis.

ratum est ex facto s. Cypriani cum Stephano; etsi enim hic doctrinam Cypriani condemnaverit, unitas tamen semper conservata est; 3. sic quamvis concilium aliquod oecumenicum quidpiam de fide definiverit aut damnaverit ut haereticum, qui sunt errore facti decepti, quin scindant unitatem, possunt contrarium profiteri ab eo quod in concilio definitum fuerit, ut patet ex ecclesiis occidentalibus in quaestione trium capitulorum definita a conc. oecumenico V. Idem dic de concilio Nicaeno II. rejecto ab occidentalibus, aut de concilii Florentini auctoritate relate ad Gallos, et conciliorum Constantiensis et Basileensis relate ad Italos, qui quamvis doctrinam profiteantur contrariam illi quae in hisce conciliis definita est, neque Galli propterea neque Itali haeretici censentur. 4. Fieri etiam potest, ut nonnullae ecclesiae particulares solidis innixae rationibus putent aliquam doctrinam definitam esse, quae reapse definita non sit, imo erronea sit aut etiam haeretica; hoc tamen errore facti deceptae in crimen haeresis non impingunt, nec solvunt unitatem. 5. Accedit nullam inveniri in sacris litteris promissionem quod quovis tempore unanimis ecclesia esse debeat in omnibus fidei articulis. 6. Quapropter *actualis* unitas circa omnes fidei articulos non potest esse nota aut signum ecclesiae; quia differentia apparens circa doctrinas in societatibus christianis non suppeditat *sola* ullam probationem de differentiae realis existentia, prout unitas apparens non est argumentum unitatis realis; 7. eo vel magis quod apparens ejusmodi unitas potest esse unitas erroris, ut patet ex. gr. in sectis nestoriana atque eutychiana, quae non minus inter se apparenter conjunctae sunt, ac sint ecclesiae orientales seu graecae, et ecclesiae romanae. 8. Cum vero ad internoscendum utrum differentia aut unitas sit apparens tantum an realis, opus sit longa ac difficili discussione et examine, sequitur non posse unitatem esse notam aut signum verae ecclesiae (1). 9. Adde unitatem ecclesiae *moralem* tantum seu *externam* esse de-

(1) Hactenus fere Palmer in op. cit. *A treaitise of the church of Christ*, seu *Tractatus de ecclesia Christi* ed. sec. Lond. 1839. part. I. cap. V. sect. III et IV. cujus difficultates in compendium redegimus. Atque hic juverit tum hujus tum ceterorum recentiorum Oxoniensis universitatis doctorum systema paucis exponere ut istorum mens in allatis et afferendis difficultatibus penitius dignoscatur. Hi igitur viam mediam ineunt inter illum quem ipsi vocant *ultra protestantismum et Romanismum*. Admittunt idcirco praeter scripturas etiam traditionem, non illo tamen sensu quo eam amplectuntur catholici, sed solum quatenus inservit ad scripturae dogmaticam interpretationem; rejiciunt propterea interpretationem privatam, seu sensu privato factam, quam acriter tuentur protestantes: venerantur etiam sanctorum patrum auctoritatem. Contendunt porro se esse catholicos seu pertinere ad ecclesiam catholicam, quae juxta ipsorum placita coalescit ex diversis sectis et communionibus dummodo servent hierarchiam et profiteantur principium auctoritatis in rebus fidei. Ecclesiam Romanam veluti partem agnoscunt ecclesiae catholicae, sed non in sensu exclusivo prout *Romanenses*, ut ipsi vocant, profitentur. Ut autem ita a se confictam catholicam ecclesiam adstruant, admittunt quidem et ipsi quatuor notas verae ecclesiae nobiscum: attamen rentur posse existere unitatem fidei etiamsi non omnes in eadem doctrina profitenda conveniant, ac etiam posse haberi unitatem communionis quamvis externa non habeatur inter partes omnes societatis christianae communicatio, quae in istorum systemate quandoque salva unitate penitus interrumpi potest, ac longo etiam temporis intervallo. Admittunt auctorita-

bere quae coalescere quidem potest ex iis omnibus qui in Christum credunt, quamvis proprias formas quilibet coetus habeat; quo sensu omnibus prorsus sectis non modo seorsum, sed simul etiam sumptis unitas conveniret (1). Ergo.

190. Resp. Ad 1. *N.* Cum enim ex dictis unitas non solum *materialem*, ut ita dicam, communionem seu professionem fidei in sua notione includat, verum etiam *formalem* quae exsurgit ex principio auctoritatis veluti medio unice idoneo ad eam gignendam et conservandam, liquet in sola illa societate hanc reperiri, quae legitimae auctoritati a Christo institutae in hunc finem subjicitur. Hac autem destitutae sunt omnes sectae.

191. Ad 2. *D.* Ante horum articulorum definitionem, *Tr.* post editam ab ecclesia definitionem *N.* Sic negamus s. Stephanum damnasse sententiam s. Cypriani; tantum enim edidit decretum de servanda recepta in ecclesia traditione ita ut in praxi nihil deberet innovari. Imo addo neque expressam hac de re datam esse definitionem in ipso concilio Nicaeno, ut suo loco ostendimus (2).

192. Ad 3. *D.* Errore facti invincibili decepti et quin peculiares coetus faciant divisos ab ecclesia universali, *C.* errore vincibili et per coetus peculiares segregantes se ab ecclesia universali *N.* Et exinde responsio patet ad exemplum adductum ex occidentalium obluctatione in admittenda damnatione trium

tem conciliorum oecumenicorum, ea tamen conditione, quod haec ab universa ecclesia catholica, ea nimirum quam ipsi sibi percommode excogitarunt, probata fuerint, quo fit ut nulla alia concilia pro oecumenicis habeant praeter sex priora. Non agnoscunt absolute infallibilitatem ecclesiae, quamvis plurimum ejus auctoritati deferant; et ita porro. Quod enim attinet ad ceteras hujus novi systematis partes, eas oblata opportunitate evolvemus. Hic satis erit animadvertere recentiorem hanc Oxoniensem scholam huc pervenisse, ut ecclesiam quam vocant anglicanam ab universali protestantismi naufragio incolumem servaret. Eminent in hac schola Jo. Henricus Newman, E. B. Pusey, Guillelmus Palmer, Keble etc. Inter eos Palmer doctrina ac moderatione caeteris praestare nobis visus est; siquidem ex reliquis plures sive quod nondum reipsa odium exuerint quo adversus ecclesiam catholicam, nempe Romanam, ferebantur, sive quod affectent se liberare ab illo, quod ipsis objectum est, adagio: *tendimus in Latium*, nullum persaepe modum servant in ecclesia romana calumniis et conviciis proscindenda. Prout vero contingere solet iis qui viam mediam insistere volunt et certa regula carent, nova haec schola plures in ipsa Anglicana ecclesia nacta est adversarios, atque praeterea secum ipsa divisa est, ut suis locis expendemus. Quapropter diu in praesenti statu consistere non poterit, aut enim, quod summopere optamus, ad verum catholicismum perveniet, aut certo in pristinum protestantismum ac ultraprotestantismum relabetur. Cum interim haud pauci ab hoc quem sibi tribuunt larvato catholicismo detineantur in propria secta, nec veram catholicam fidem profiteantur, ideo cogimur istorum doctorum placita refellere.

(1) Ita Wegscheider, qui § 186. haec scribit: « Neque tamen impedit ista ecclesiarum pluralitas atque diversitas, quo minus inter se conveniant, ut omnes unum eundemque profiteantur atque colant religionis auctorem Jesum Christum . . . Quapropter summopere optandum est, ut non tam de adunandis vel confundendis ecclesiis, quae doctrinae formulas defendunt plane sibi oppositas, quam *de morali quadam consensione* inter singulos harum ecclesiarum sodales efficienda, et confirmanda sedulo jam cogitetur, ut, quicumque Christo nomen dederint, quamtumvis ceteroquin diversi, concordiae tamen mutuae studiosissimi sint et maneant ». Pro qua doctrina allegat Steudel, Koppen, et Böhr.

(2) In tract. *De sacram. in genere* cap. III. prop. I. num. 119 et seqq.

capitulorum emissa a concilio oecumenico V. Plures siquidem ab initio errore invincibili decepti varias ob causas quas hic non vacat recensere, recusabant sese subjicere illi definitioni, nec tamen separarunt se ab ecclesia; postea vero cum res satis eliquata esset, pervicaces in sensu suo veluti schismatici habiti sunt, nec nisi post aliquot seculorum tractum reconciliati sunt cum ecclesia atque in communione recepti, ejurata nempe prius propria sententia, et admisso illius concilii decreto (1). Idem contigit circa concilium Nicaenum II. cujus genuina mente detecta ab omnibus occidentalibus Germanis et Gallis veluti oecumenicum habitum est (2). Quoad concilium Florentinum licet a nonnullis gallicanis ad tempus eandem ob causam subdubitatum fuerit utrum esset inter oecumenica accensendum, re demum melius discussa, omne dubium depositum fuit et communi calculo inter vere oecumenica recensetur a gallicanis ipsis (3). Contra vero concilia Constantiense et Basileense, quoad illas sessiones in quibus actum est de superioritate concilii supra Pontificem, apertissime constat numquam ab ecclesia universali ut oecumenica agnita fuisse plures ob causas quas suo loco expendemus.

193. Ad 4. Eadem esto distinctio, si tamen id aliquando saltem ad longum tempus contingere potest. Addo in utroque casu nullam unquam divisionem propterea locum habuisse.

194. Ad 5. Vel *N.* vel *D.* In articulis nondum solemniter ab ecclesia definitis, Tr. in definitis *N.* Tot enim extant in sacris litteris hac de re pro-

(1) Cf. de hoc argumento Christ. Lupum dissert. *De Quinta synodo generali* opp. edit. Venet. 1724. tom. II. pag. 165 seqq. Sirmundum in *Propemptici* lib. II. cap. VII. opp. edit. Paris. 1696. tom. IV. col. 216. praecipue vero card. Norisium qui in *Dissertatione historica de synodo quinta* cap. IX. § 1. seqq. erudite rem universe tractat. opp. edit. Veron. 1729. tom. I. col. 675 seqq. ubi ostendit episcopos Istriae, ac in genere *autocephalos* nuncupatos vere schismaticos fuisse atque ab ecclesia universa divisos extraque viam salutis constitutos, nec admissos ad unitatem esse nisi praemissa formula eis a s. Gregorio M. proposita.

(2) Cf. Ch. Lupum in diss. *De septima synodo generali* cap. XV. seqq. opp. edit. cit. tom. III. nec non Nat. Alexand. diss. III. in sec. VIII. atque diss. VI. ib. § VII seqq. adversus Dallaeum.

(3) Sane non modo concilium Florentinum inter oecumenica recensetur a gallis conciliorum editoribus, Labbeo et Cossartio, Harduino, Cabassutio etc., sed peculiaris card. Lotharingiae aliorumque paucorum gallicanorum sententia rejicitur ac refellitur a Natali Alexandro, qui in dissert. X. ad sec. XV. et XVI. quae est *De synodo Florentina* art. 1. aperte ostendit vere oecumenicam esse hanc synodum ac ab universa ecclesia receptam. Praeterea difficultates petitas adversus hujus concilii oecumenicitatem ex decretis conc. Basileensis, et ex absentia episcoporum gallorum nervose solvit, concluditque: « Verum postquam attenta magis consideratione innotuit, Florentinum concilium synodorum Constantiensis et Basileensis sacrosanctis decretis de suprema conciliorum generalium auctoritate non repugnare (prout hic auctor rigidus gallicanus autumat) ipsum et galli plerique omnes theologi, excusso scrupulo, oecumenicum absque haesitatione appellarunt ». Eidem assentiuntur Tournely edit. Paris. seu potius Venetae tom. V. p. II. p. 158. De Marca, Bossuet, Facultas theologica Parisiensis et clerus gallicanus apud Berthier *Histoire de l'église gallicane* tom. XVI. liv. 48. Ad haec accedit quod nihil definitum fuerit in hoc concilio, quod definitum jamdiu non fuerit in superioribus conciliis, quodque ut dogmaticum professi non fuerint gallicani universi.

missiones quot ecclesiae infallibilitatem adstruunt, quas pariter paulo post afferemus.

195. Ad 6. *N.* Dummodo ratio habeatur notionis quam dedimus unitatis prout nota seu signum verae ecclesiae est, patebit aut negandum unitatem esse Christi ecclesiae proprietatem, aut unitatem *actualem* verae esse ecclesiae notam. Sic inficiamur apparentem dumtaxat quandoque esse posse ejusmodi unitatem, post editam praesertim aliquorum articulorum definitionem, aut apparentem tantum differentiam; quotquot enim ad veram Christi ecclesiam pertinere satagunt, intellectum in obsequium Christi seu fidei ab ecclesia propositae captivare tenentur (1).

196. Ad 7. *D.* Sed sine principio ex quo profluit ejusmodi unitas, ac sine medio eam conservandi, Tr. cum ejusmodi principio ac medio *N.* Porro fatente ipso adversario, quem impugnamus, non est censenda, veram habere unitatem nec propterea veram constituere Christi ecclesiam, illa societas quae hoc medio destituitur. Cum vero societates seu sectae quae ab adversario commemorantur se separaverint ab ecclesia universa, et excusserint a se auctoritatem per quam solum in unitate detinebantur, patet eodem jure quempiam ex his sectariis posse innovare prouti libet. Hinc sectae vere apparentem habere possunt unitatem seu potius *unionem*, numquam autem realem unitatem. Etenim ut scite observat Tertullianus: « Idem licuit valentinianis quod Valentino, idem marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare (2) ». Quod vero dicitur de valentinianis et marcionitis idem dici debet de lutheranis, calvinistis, anglicanis ceterisque sectis, cum eadem ratio militet pro istis ac pro illis.

197. Ad 8. *D.* In hypothesi adversarii, *C.* juxta regulam constantem ecclesiae *N.* Haec enim regula est auctoritas infallibilis, ut postea ostendemus, qua posita jam consequitur absque ulla discussione aut examine, satis esse attendere quid ecclesia definierit aut damnaverit, ut illico innotescat utrum unitas aut differentia sit realis vel apparens (3).

(1) Permiscet adversarius controversias quae oriuntur interdum in ecclesia antequam ulla ab ea data sit definitio, cum iis quae perseverant ex parte pervicacium post emissum solemne ab ecclesia judicium. Id clarius constat ex eo quod ipse loc. cit. pag. 112. seq. commemoret controversias Jansenismi, item jesuitarum et dominicanorum et augustinianensium, nec non thomistarum et scotistarum. Jam vero ecquis est qui nesciat domesticas illas concertationes non spectare ad fidem, nec proinde per illas divisionem induci? Praesertim cum partes omnes disceptantes eo animo sint comparatae, ut illico se subjicerent ecclesiae judicio, si quod ab ipsa circa eas ferretur? Contra vero, nemo pariter est qui dubitet inter catholicos eos habendos ut ethnicos et publicanos, qui ecclesiae definienti auscultare detrectent. In horum censu jansenistae sunt qui latae a Pontifice romano ex cathedra condemnationi quinque Jansenii propositionum, cui accessit universae ecclesiae consensus, restiterunt. Magna perpetuo viget in hoc auctore quem impugnamus, idearum confusio: attamen huic soli innititur eum cohonestare studet schisma anglicanum, ut ex dicendis magis semper ac magis patebit.

(2) *De praescript.* cap. XLII.

(3) Exinde etiam patet supervacaneas prorsus esse discussiones quas idem Palmer ibid. faciendas contendit ad hoc ut aequum judicium feramus circa articulum aliquem, utrum nempe spectet ad veritates certo revelatas an vero ad opiniones tantum. Vult enim ut prius determinetur utrum differentia quae invenitur in puncto controverso sit tolerabilis nec ne; deinde ut dispiciatur an hae differentiae *apparentes*

198. Ad 9. *N.* Alioquin ecclesia Christi foret ad instar turris Babel cum confusione linguarum. Coalesceret enim non solum ex diversis verum etiam ex heterogeneis et plane contradictoriis veritatibus, quod est absurdum. Ecclesia tempore apostolorum coaluisset ex apostolis et ex nicolaitis, simonianis, cerinthianis, ebionitis, quos tamen ab ecclesia apostoli repulerunt.

199. II. Obj. et inst. 1. Exterior communio in ecclesia interrumpi potest salva ejus unitate. 2. Nec enim spectata humana individuorum infirmitate aliter fieri potest absque speciali imo singulari divinae omnipotentiae auxilio; 3. porro neque ex Scriptura, neque ex traditione ostendi potest dari divinas pollicitationes quod ecclesia semper ita perfecte una esse debeat, ut numquam exterius divisa sit. 4. Scripturae enim affirmant quidem ecclesiam unum ovile esse unumque pastorem, unum regnum aliaque ejusmodi; verum hoc completum est in unione utriusque populi judaici et gentilis sub uno Christo; ceterum nuspiam in Scripturis expresse promittitur externam communionem aliquando interrumpi non posse. 5. Patres, si unum vel alterum excipias, Cyprianum e. g. aut Augustinum, nec ipsi contrarium docent. 6. Historia vero ecclesiastica innumeris prope referta est factis apertissimis in quibus salva unitate exterior communio interrupta est; sic e. g. licet s. Victor excommunicaverit ecclesias asiaticas, ac s. Stephanus se separaverit a s. Cypriano et episcopis africanis, s. Leo M. excommunicaverit s. Hilarium Arelatensem; attamen una semper et identica ecclesia catholica perseveravit quamvis diversae illius partes separatae ab invicem essent in communione externa. Idem contigit aetate s. Joannis Chrysostomi ac diu post ejus obitum; ecclesiae siquidem orientales et occidentales licet unam eandemque ecclesiam catholicam efficerent, minime exterius inter se communicabant. Idem contigit ex occasione schismatis Acaciani quod annos XXXV. perduravit, et *una* nihilominus ecclesia permansit. Quod a fortiori dici debet, ceteris praetermissis, de magno illo schismate occidentali quo ad quadraginta plus minus annos scissa ecclesia est primum inter duas, deinde inter tres, quas vocant, obedientias, salva tamen ecclesiae catholicae unitate. 7. Patet igitur unitatem non postulare communionis exterioris numquam interruptam continuationem, ac satis proinde esse quo aliquis in ecclesiae communione censeri possit, ut spiritu cum Christo ejus capite conjungatur; 8. patet *actualem* unitatem non esse ecclesiae essentialem, prout fatentur non pauci catholici theologi, atque inter ipsos Nicolius, qui admittit « actualem unitatem non consistere in *unione effectiva* totius ecclesiae, cum haec unio turbari possit a divisionibus et concertationibus quas Deus permittit », quibus in casibus dummodo partes sincere tendant ad unitatem, et agnoscant judicem communem ad quem referant suas

in fide potius verbales sint quam reales; insuper utrum oriantur nec ne ex eo quod contrariae partes mutuo se male intellexerint; demum utrum controversi articuli habiti fuerint veluti res *probabiles* absque animo determinato, aut veluti res *certae*, si sint doctrinae individuorum intra ecclesias, aut ecclesiarum ipsarum. Etenim ejusmodi disquisitiones supponunt a spiritu singulorum privato esse de his judicandum, quod tamen est systema protestantium ab adversario nostro rejectum; nec unquam ad ullam dirimendam controversiam inserviunt, ut experientia etiam docet. Catholicis via tuta et compendiosa, est ecclesiae definitio, qua sola omnis contentio cessat.

controversias, cujusmodi est concilium oecumenicum, semper ad unitatem ecclesiae pertinebunt. 9. Qui igitur contendunt regularem se habere successionem ab apostolis, damnari non debent ab aliis ecclesiis formae et successionis apostolicae, quin prius audiantur, praesertim ab iis qui spectant ad Romanam communionem; sed quaestio actualis schismatis, seu separationis ab ecclesia catholica candide est examinanda (1). Ergo.

200. Resp. Ad 1. *N.* Christus enim perfectam unitatem tamquam proprietatem essentialem ac tesseram voluit esse ecclesiae suae, ut constat ex allatis probationibus, quae proinde numquam *formaliter* interrumpi potest, quin pereat ecclesia ipsa, ac deficiat nota qua a sectis quovis tempore unica vera ecclesia discerni possit.

201. Ad 2. seu ad 1. prob. *D.* Id est, necesse est, spectata humana infirmitate, *ut veniant scandala* ex parte individuorum, et *oporteat haereses* seu schismata *esse*, quae tamen idoneo medio divinitus instituto compescantur, *C.* quae inducant divisionem formalem in ipsa unitate ecclesiae *N.* Hoc enim posterius repugnat et est aperte contradictorium; esset enim ecclesia una et non esset, esset unita et divisa, identica et diversa. Si itaque spectata humana individuorum aut etiam multitudinis infirmitate, suapte natura oriantur scandala, contentiones et divisiones, istae non separant ab ecclesia donec formali judicio de his pronunciatum fuerit. Hoc autem edito, qui se eidem subjiciunt pertinent ad unitatem; qui ei resistunt, schismatici efficiuntur atque ab ecclesia extorres, ac propterea ab unica salutis via. Ita divina omnipotentia prospicit ecclesiae unitati.

202. Ad 3. *N.* Tot enim habentur in scripturis hujus perpetuae unitatis promissiones, quot ecclesiam exhibent duraturam prout eam Christus instituit; instituit autem unam et individuam; promisit igitur unam et individuam eam perpetuo fore. Sane nisi velimus in partes scindi posse corpus Christi mysticum, quod est ecclesia cum qua praeterea Christus juxta Apostolum se copulavit indissolubili conjugio (2), concludamus

(1) Ita rursum Dr. Palmer qui op. cit. p. I. cap. IV. sect. III. pag. 71 seqq. prolixam hac de re instituit disputationem quam nos in compendium redegimus, ut nobis persuadeat ecclesiam catholicam coalescere etiam ex societatibus quas nos uti schismaticas damnamus, ac propterea inferat societatem anglicanam ad ecclesiam catholicam pertinere quamvis nullam cum catholica ecclesia, id est romana, communionem habeat. Ut hoc paradoxum adstruat nullum non movet lapidem, atque ex statu accidentali, ac temporario in quo juxta ipsum viguit in ecclesia aliqua divisio, quae, pacatis rebus, sublata est, ipse concludit ad statum divisionis permanentis et vere schismaticae, quae a tribus ferme seculis obtinet inter *ecclesiam* quam vocat britannicam seu anglicanam, et ecclesiam romanam seu catholicam. Ast nec vera sunt facta, quae Palmer objicit ex historia ecclesiastica, ad sensum et scopum quem intendit, ut patet ex responsionibus quas subjecimus. Ceterum hoc paradoxum jamdiu excogitaverat Jacobus I. Angliae Rex qui apud card. du Perron in *Réplique à la reponse du Roy* ch. LX. edit. Paris 1633. pag. 474. aiebat; « L'église Romaine dont, la Grecque, l'Antiochienne, l'Egyptienne, l'Abyssine, la Moscovitique et plusieurs autres sont membres plus excellents à la verité en doctrine et en sincerité de foy les uns que les autres: mais toute fois membres de l'église catholique, de la quelle la masse et la contexture, quant à la forme externe, est jà long-temps dissoute et dessemblée ».

(2) Ephes. v. 32. in quem locum Cf. Bernard. a Piconio.

oportet numquam interrumpi posse, juxta Christi promissa atque ipsius ecclesiae constitutionem, ejus unitatem. Nec alius unquam fuit sensus traditionalis, ut mox ostendemus.

203. Ad 4. *D.* Id est in ecclesia, quae utpote coalescens ex judaeis et gentibus conversis sub Christo una est, *C.* alio sensu *N.* Utique ecclesia coaluit ex gentibus et judaeis ad Christum conversis; sed coaluit ad unum et individuum ovile efficiendum, ad unum et individuum regnum Christi constituendum, ad unum ejus corpus efformandum quod Christus gratia sua informat ut vivum sit, regitur ab ejus spiritu, atque ad instar humani individui, ut superius exposuimus et ostendimus, vivit ac perseverat. Qui igitur culpabiliter ab hoc corpore divisus est, membrum hujus corporis esse desinit, nec vivificatur a spiritu Christi (1).

204. Ad 5. *N.* Nec enim solus est Cyprianus qui vocet Christi ecclesiam *vestem inconsutilem* (2), aut solus Augustinus qui scribat: « Huic ecclesiae, quae per totam terram diffunditur, quisquis non communicat, cui non communicet vides, si cujus (Christi) ista verba sint audis (3) », sed Patres reliqui unanimiter. Etenim ad unum omnes ut tesseram verae ecclesiae Christi statuunt ejus *unitatem* et *universalitatem*, seu unitatem in eo positam quod ubique terrarum eadem sit; ita Justinus (4), Tertullianus (5),

(1) Huc referuntur innumera prope s. Augustini testimonia, quibus ostendit donatistas, ac proinde schismaticos reliquos, qui divisi sunt ab ecclesia catholica, seu romana, non vivificari a spiritu Christi, quia non sunt de corpore Christi. Cum haec notissima sint, ac paulo ante nonnulla attulerimus, non est quare heic ea denuo afferamus. Cf. integrum ejus tractatum XXVI. in Joan.

(2) In lib. *De unitate eccl.* ed. Maur. p. 196. Hic Palmer contendit hunc typum adhibitum potius esse ut argumentum theologicum, quam veluti ex apostolica traditione provenientem; atque admonet argumenta ejusmodi non sine examine esse admittenda, eo plane modo quo fit quoad motiva rationesque quae ab oecumenicis conciliis in suis decretis afferuntur, prouti ipsi docent catholici theologi. Verum praeterquam quod hi ipsi theologi docent secernendam in patribus thesim a probationibus, quia in thesi patres se gerunt ut testes fidei quae obtinebat sua aetate in ecclesia, et traditionis, in probationibus vero se exhibent ut theologos, evidens est hanc indivisibilem unitatem a s. Cypriano adstrui ut dogma inconcussum, quod passim ibidem inculcat, pluribusque rationibus confirmat. Describerem libenter integrum textum nisi nimis prolixus esset. Afferam tantummodo verba quibus s. Martyr thesim suam evincit ex ipsis Christi verbis: « Quis ergo, inquit, sic est sceleratus et perfidus, quis sic discordiae furore vesanus ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, ecclesiam Christi? Monet ipse in evangelio suo, et docet dicens: *Et erit unus grex et unus pastor*. Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores aut plures greges? » Ex his postremis verbis Palmer occasionem sumit exponendi mentem s. Cypriani perinde ac si solum contenderit adversus novatianos haud posse in uno eodemque loco plures esse episcopos, minime vero quod unitas scindi non possit inter diversas ecclesias. Ast perperam; etenim ibid. p. 195. de ecclesia universali se loqui ostendit scribens: « Sic et ecclesia Domini luce perfusa per *orbem totum* radios suos porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, *nec unitas* corporis separatur etc. », quae clara sunt adeo, ut non possint eludi.

(3) Lib. II. contr. litter. Petil. cap. LV.

(4) In dialog. cum Tryph. n. 116. ed. Maran. p. 209. ubi affirmat Christianos omnes esse *ad instar unius hominis* ὡς εἷς ἄνθρωπος παντες; seu ut alii legunt πιστεύσαντες. Eadem passim inculcat.

(5) Lib. V. cont. Marcion. cap. XVIII. et XIX.

Irenaeus (1), Clemens Alex. (2), Dionysius Alex. (3), Epiphanius (4), Optatus (5), Hilarius (6), Ambrosius (7) ceterique subsequentes. In eo omnes conveniunt necessariam esse communicationem cum centro unitatis ut ecclesiae catholicae membra haberi queant, quorum patrum effata suo loco afferemus; in eo conveniunt iterum omnes ut affirment ecclesiam scindi nullo modo posse (8). Mirum est post adeo luculenta et vulgata testimonia adversarium affirmare potuisse ex patribus non constare unitatem esse debere actualem, perfectam ac sine interruptione.

205. Ad 6. *N.* vel *D.* Constat ex historia ecclesiastica interdum salva unitate communionem interruptam fuisse schismate materiali, aut interruptione imperfecta, *C.* schismate formali ac interruptione perfecta qua vere in partes discissa sit ecclesia *N.* Res plana fiet ex singulorum quae objiciuntur factorum discussione.

206. In primis seponenda sunt tria priora facta, siquidem exploratum nunc penes eruditos est neque s. Victorem excommunicationis sententiam tulisse in asiaticos, neque s. Stephanum adversus s. Cyprianum et africanos episcopos (9). Nescio porro unde adversarius didicerit s. Leonem excommunicasse s. Hilarium Arelatensem, de qua excommunicatione nuspiam in fastis ecclesiasticae historiae vestigium occurrit (10).

207. Aetate autem s. Jo. Chrysosto-

(1) Cujus superius verba retulimus quibus de tota ecclesia per universum orbem disseminata affirmat *unam inhabitare domum, unam animam habere, unum cor, unum os* etc.

(2) Lib. VII. *Strom.* n. XVII. ubi praeclare indivisibilem ecclesiae catholicae unitatem commendat, vocatque ejus excellentiam. Cf. edit. Pitteri Venet. 1757. tom. II. p. 898. seq.

(3) Epist. III. ad Novatian. opp. edit. De Magistris. Romae 1796. p. 123. in quam cf. not. edit. item ep. IX. ad Dionysium, quae est IV. de Baptismo ibid. p. 160.

(4) Haeres. LXXX. n. 10. 11. ed. Petav. item in *Expositione fidei* cap. VI. ubi ad rem nostram praeclare adnotat s. Epiphanius hoc intercedere discrimen inter ecclesiam sanctam catholicam et sectas, quod illa virgo semper sit, intemerata, ac *una* semper, sectae vero sive haereses in plures partes scindantur: en ejus verba: Ἀλλὰ καὶ ἐκεῖνο παρατηρητέον, ὅτι πολλάκις καθ' ἑαυτὴν πάλιν ἑκάστη αἵρεσις σχίσασα εἰς πολλὰ μερη, καὶ ὀνόματα διέστη κ. τ. λ. « Quin et illud observatione dignum est, saepe numero quamlibet per sese haeresim scissam, ac divisam varias in partes, et vocabula distrahi etc. ».

(5) Lib. II. ed. Albaspin. Paris. 1631. pag. 48.

(6) De Trinit. lib. VII. num. 4.

(7) Loc. cit. collato cum lib. I. *de fide* cap. I. n. II. ubi exponit quo sensu dixerit ecclesiam *unum* corpus etc. scribens: « Non enim dividitur unitas, nec scinditur, et ideo nec corruptelae subditur, nec aetati ». ed. Maur. Juxta Palmer vero unitas ecclesiae posset interrumpi et scindi, per diuturnum quoque imo indefinitum tempus.

(8) Praeter textum hic adductum ex s. Ambrosio, s. Jo. Chrysostomus Hom. XI. in ep. ad Ephes. totus in eo est ut ostendat ecclesiae unitatem scindi nullo modo posse, aut interrumpi, cf. n. 3. 4. 5. 6.: quoad reliqua testimonia cf. Thomassin tract. cit. *De l'unité de l'église;* item opusc. ex gallico idiomate conversum cui tit. *Trattato dello scisma*. 1718.

(9) Quoad Asianos cf. Natal. Alex. diss. V in sec. II. art. V. et Eusebium H. Ec. lib. V. cap. XXIV. cum not. Valesii. Quod vero spectat ad factum s. Cypriani ejusque assecclarum cf. eumdem Nat. Alex. diss. XII. in sec. III. art. I. prop. I.

(10) Cf. eruditas dissertationes fratrum Balleriniorum in dissertationem V. Quesnelli, quae

mi numquam fuerunt in universum divisae ecclesiae orientales ab occidentalibus, cum numquam anathema latum fuerit ab Innocentio, aut concilio occidentalium adversus orientales (1): sed post Chrysostomi obitum Innocentius excommunicavit *homines* illos qui iniquam tulerant adversus eumdem Chrysostomum sententiam aut eos qui cum ipsis communicabant; nec omnino aliter voluit in communionem recipere reos episcopos quam prius sacris diptycis nomen Joannis restituerent, quod paulo post ab omnibus factum est. Hinc nulla hic habetur ecclesiae divisio, sed mulctatio tantum eorum qui se gravissimo crimine commaculaverant (2).

208. Schisma Acacianum pariter personale fuit, ac si ipsum Acacium excipias qui in schismate defunctus est, ejus successores Euphemius et Macedonius schismaticis minime sunt accensendi, quamvis peculiares ob causas nomen Acacii minime e diptycis expunxerint: jamdiu praeterea nomen rom. Pontificis Felicis iisdem sacris diptycis, a quibus per incredibilem audaciam Acacius abstulerat, fuerat restitutum. Cum tamen Acacius plures habuerit fautores, s. Hormisdas antequam plenam pacem restitueret orientalibus sub Justino iis celebrem formulam subscribendam proposuit (3).

209. Magnum vero schisma occidentale materiale omnino fuit, non autem *formale*; singulae enim obedientiae in tanta rerum perturbatione probabilibus

apologiam pro s. Hilario Arelatensi, et pro antiquis Arelatensis ecclesiae juribus praefert, opp. s. Leonis tom. II. Venet. 1756. a pag. 899. ad pag. 1068. Ubi quamvis particulatim gesta omnia quae ad celebrem hanc causam spectant, expendantur, nec syllaba nec vocula occurrit de excommunicationis sententia lata a s. Leone adversus s. Hilarium; sed solum ex iis discimus s. Hilarium privatum fuisse juribus metropoliticis, cui sententiae s. Hilarius humillime se subjecit.

(1) Cf. s. Jo. Chrysostomi vitam a Montfauconio adornatam tom. XIII. edit. opp. ejusdem sancti pag. 153. ubi auctoritate Palladii innixus scribit: « Secundum haec Innocentius papa utrique parti Joanni simul et Theophilo literas misit, *utriusque communionem* se admittere quidem dicens, *ne ecclesiam scinderet*, judicium tamen a Theophilo latum improbans etc. ».

(2) Cf. Baronium ad ann. 407. n. XXI. seqq. et Theodoretum Hist. Eccl. lib. V. cap. XXXIV. edit. Cantabrig. pag. 234. ubi inter cetera refert: Τῶν δὲ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα πόλεων οἱ πλεῖστοι ἔφυγον μὲν τῆς ἀδικίας τὴν κοινωνίαν· τὸ δὲ τῆς ἐκκλησίας οὐκ ἐμέρισαν σωμα. « Orientalium vero urbium quamplurimi, communionem quidem sceleris refugerunt: *corpus tamen ecclesiae haudquaquam disciderunt* ».

(3) Cf. Nat. Alex. Hist. Eccl. saec. V. art. XVI. de schismate Acacii, tum dissert. XIX, et XX. in sec. V. cf. praeterea Bollandianos in *Act. sanct.* ad diem IV. Jul. tom. II. ejusd. mens. p. 22 seqq. in vita ss. Flaviani et Eliae, nec non Petrum Ballerinium in Appendice ad § I. cap. XI. *De vi et ratione primatus*, ubi agit de sanctis viris, qui floruerunt in schismatibus Meletii Antiocheni et Acacii Constantinopolitani: *Num et quatenus caruerint communione sedis Apostolicae*. Observat porro tantum abfuisse ut Euphemius et Macedonius schisma foverint, ut potius omni nisu conati sint apostolicae sedis communionem jamdiu vivente Acacio interruptam revocare. Quod si nomen Acacii a diptycis non expunxerunt, non ea ratio fuit quod nutarent in fide, pro qua ambo fortiter dimicarunt, sed aliae fuerunt causae particulares, quae pro ejus temporis et loci circumstantiis satis aequae iisdem videbantur. Interim vero nomen rom. Pontificis jamdiu fuerat diptycis restitutum. Porro quid fecit ecclesia anglicana, ut in communionem ab ecclesia Romana reciperetur?

rationum momentis innixae putabant sincera fide legitimo Pontifici subjici. Omnes porro in eo conveniebant, centro unitatis oportere conjungi, ut ad veram Christi ecclesiam possent pertinere: error si quis erat, versabatur circa personam. Una propterea ecclesia absque interruptione permansit. Verum de hoc schismate inferius iterum.

210. Ad 7. *Neg.* illationem, alioquin ecclesia fieret invisibilis, quod neque adversarius admittit.

211. Ad 8. *D.* Unitas actualis *materialis* non pertinet ad ecclesiae essentiam, Tr. *formalis N.* Neque alio sensu catholici theologi id fatentur. Materialem porro divisionem illam voco quae enascitur ex concertationibus, tumultibusque qui identidem excitari ad tempus possunt peculiares inter ecclesias aut praelatos aut privata etiam individua ad invicem, donec per solemne judicium quaestio dirempta fuerit, dum tamen ista pergunt communicare cum universa ecclesia; formalem vero divisionem appello qua aliqua individua, sive ecclesiae singulares volentes scientesque ab ecclesiae catholicae aut a romani Pontificis communione se subtrahunt ut in coetus coëant eidem contrarios; aut solemni judicio ab ecclesia sunt separata. Isti porro cum extra ecclesiae unitatem sint constituti, non ecclesiam scindunt, sed ipsi ab ecclesia scissi sunt (1). Quod vero speciatim ad Nicolium attinet, ejus auctoritate non movemur, quamvis enim illius opus de unitate ecclesiae magni faciendum sit, ea tamen identidem in illo interserit, quae factionis jansenisticae, seu appellantium placitis faveant, de quorum grege ipse erat (2).

212. Ad 9. *D.* Contendunt se regularem ab apostolis successionem habere, sed non habent, *C.* reipsa habent *N.* Causa enim anglicana a tribus fere seculis jam judicata est; unica ratio anglicani schismatis extinguendi est reditus ad communionem cum romano Pontifice, et per hanc cum ecclesia vere catholica: alioquin, velint nolint anglicani in eadem sunt conditione in qua fuerunt novatiani, donatistae, aliaeque schismaticae societates, prout paulo post plenius ostendemus (3).

(1) Bene huc quadrant quae de Marcione scripsit s. Epiphanius haeres. XLII. edit. Petav. tom. I. p. 303. Ζηλώσας λοιπὸν, καὶ εἰς μέγαν . . . καὶ εἰπών· ὅτι ἐγώ σχίσω τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ βαλῶ σχίσμα ἐν αὐτῇ εἰς τὸν αἰῶνα· ὡς τἀληθῆ μὲν σχίσμα ἔβαλεν οὐ μικρὸν, οὐ τὴν ἐκκλησίαν σχίσας ἀλλ᾽ ἑαυτὸν καὶ τοὺς αὐτῷ πεισθέντας. « Ille (Marcion) vehementius excandescens ... et ecclesiam, ait, vestram ego dissociabo, in eamque schisma sempiternum immittam. Quod ille revera nec mediocre quidem injecit: non ita tamen ut ecclesiam, sed ut se potius ac suos discinderet ».

(2) Id patet ex ipsius verbis ex cit. Tract. lib. II. ch. X. « Secondement il est nécessaire de reconnaître un juge commun auquel on se rapporte de ce différend qui est le concile général, ce qui empêche, que la division ne soit entière; puisque ceux qui, étant en division sur quelque point, convenant néammoins d'un juge commun, sont unis réellement par l'obéissance et la soumission à ce juge ». Quod quidem principium in sensu auctoris verum omnino non est; peccat praeterea Nicolius in applicatione, dum censuit adhuc pertinere potuisse jansenistas ad ecclesiae unitatem, quamvis a rom. Pontifice proscripta fuerit eorum doctrina accedente totius ecclesiae consensu, idque sub obtentu appellationis ad futurum concilium. Vapulat etiam Nicolius a Petro Ballerinio in cit. Appendice n. 14. in eo quod affirmat sententiam in Acacium et communicatores latam non fuisse ab ecclesiae corpore probatam. Cohaeret nempe Nicolius suae factionis principiis.

(3) Cf. De hoc argumento card. du Perron op. cit. *Replique à la réponse du Roy de la grande Bretagne* ch. LXXV. quae saepe

DIFFICULTATES

Adversus notam sanctitatis

213. Obj. Sanctitas prout nota exterior est, seu signum verae ecclesiae semper dubia erit: 1. etenim unica ratio qua certo nobis de ea constare posset, esset ejusdem manifestatio per aliquod divinum testimonium, seu per miracula, aliaque charismata: jam vero quaestio de miraculis proprie ingredi nequit in notas verae ecclesiae; 2. Ipsa involvit nimis longas disquisitiones circa idem jus quod variae sibi communiones tribuunt; 3. quod si vero signorum operatio ostenderetur, haec haud necessario statueret sanctitatem eorum, qui illa patrarint, cum sanctitas absque ejusmodi signis consistere possit. 4. Deus certe uti peccatoribus potest ad magna quaevis opera perficienda (ut patet ex Balaam) aut permittere daemoni ut homines malos eorum ope decipiat. 5. Quamvis negari nequeat vera miracula post aetatem apostolicam patrata fuisse sive ad confirmandos fideles, sive ad infideles potissimum convertendos, cum vera adsit probabilitas, imo *certitudo* quod ejusmodi signa patrata fuerint; vehementer tamen negandum est ea a nobis expendi debere eum in finem ut vera dignoscatur ecclesia: 6. Eo vel magis quod non appareat aliquod ex illis miraculis, quae sibi quandam fidem conciliari possint, patratum fuisse ad fidei vel disciplinae controversias dirimendas inter existentes communiones, quae christianismum profitentur (1). Ergo.

214. Resp. N. A. Ad 1. prob. *D.* Id est una esset ex praecipuis, *C.* unica *N.* Nec enim coarctare cogimur divinum testimonium ad manifestationem sanctitatis vigentis in ecclesia sua per sola miracula et reliqua charismata, cum plures ipsi viae suppetant ad hoc praestandum; ultro tamen fatemur miracula unum esse ex praecipuis, quando praesertim donum ejusmodi ordinarium est ac perenne, ut paulo ante declaravimus. Hoc porro sensu, quaestio de miraculis, ut loquitur adversarius, non solum ingredi potest, sed vera ingreditur in notas verae ecclesiae, cum juxta dicta Christus donum hoc in perpetuum ecclesiae suae pollicitus fuerit, et nulla societas quae Christi non sit, tali dono fruatur.

215. Ad 2. *N.* Longa siquidem disquisitione opus non est, cum nulla secta contendat penes se donum miraculorum ordinarium ac juge perseverare. Quod si aliquae sint, quae sibi tribuant nonnulla miracula, haec ad summum, facta essent singularia, et quod caput, est, omni historico fundamento destituta, et quorum futilitas brevi detecta est, uti opportuniore loco expendemus.

216. Ad 3. *D.* Solitarie spectata, Tr. una cum adjunctis quae miraculorum operationem comitantur *N.* Haud inficiamur absolute loquendo miracula minime necessaria esse ad sanctitatem, quandoquidem haec cum illis et sine illis consistere valeat, neque de hoc ulla

utemur, cum in eo pleraque argumenta a Palmer reproducta reperiantur jamdiu disjecta.

(1) Ita fere Palmer op. cit. part. I. cap. VI. pag. 141 seq. ubi plura congerit ad infirmandum argumentum quod deducitur ex miraculis quibus adstruitur ecclesiae sanctitas. Quoniam vero quae heic objiciuntur partim superius disjecerimus cum ageremus de commercio inter animam et corpus, partim expendi commodius possint cum agemus de applicatione notarum ad ecclesiam Romanam, hic ea tantum attulimus quae presse magis ad praesentem generalem quaestionem spectabant.

movetur controversia. Verum contendimus non posse Deum cohonestare coetum aliquem, qui divinam sibi perperam arroget originem atque institutionem, multiplici et continuata miraculorum serie ceterorumque charismatum per longum seculorum tractum, nempe ab ortu illius usque in praesens, prouti contigisse in ecclesia catholica paulo post ostendemus. Sub hoc respectu debet nota haec impugnari: qui aliam init viam, diverticula quaerit et elabi conatur.

217. Ad 4. *D.* Potest, *C.* solet *N.* Alioquin dubitare possemus utrum Moyses, prophetae, apostoli, ceterique sanctissimi viri quibus Deus usus est ad magna molienda, fuerint mali homines ac peccatores, atque adeo nos decipere etiam potuerint utpote daemonis instrumenta. Haec absona omnino sunt; atque ex eo quod Deus interdum, et extraordinaria prorsus ratione, malis hominibus usus fuerit, aut etiam permiserit justo judicio suo, ut peccatores a daemone deciperentur, concludere ad ordinarium et consuetum suae providentiae ordinem paralogismus est; quem profecto intorquere in divinae revelationis notas increduli facile possent (1).

218. Ad 5. *D.* Directe, Tr. indirecte, *N.* Quamvis daremus, quod tamen haud concedimus, miracula quae Deus post aetatem apostolicam per homines pios in ecclesia operari dignatus est, directe ordinata esse ad confirmationem fidelium (2) atque ad infidelium conversionem, nemo tamen negaverit, indirecte saltem ea conferre ad patefaciendum gratum acceptumque Deo esse coetum illum in quo solo ordinarie fiunt. Quaeri insuper jure posset ab adversariis, qui fiat, ut ejusmodi prodigia constanter ab hominibus tantum ad illum peculiarem coetum seu societatem spectantibus patrentur, minime vero ab aliis, nisi quia

(1) Apposite FF. de Walemburch in controv. III. *De notis seu signis verae ecclesiae* art. *Usus controversiae de notis* etc. § XVIII. ad similem difficultatem quae desumitur ex praedictione falsorum miraculorum, respondent: » Sicut per praedictionem falsorum miraculorum in veteri Testamento non tollitur vis et veritas miraculorum Christi, quae etiam a prophetis erant praedicta: ita per praedictionem falsorum miraculorum in novo Testamento, non tollitur vis et veritas miraculorum, quae contingunt in ecclesia Christi, juxta prophetiam Christi. Assignent nobis protestantes ecclesiam, in qua successivis temporibus contigerunt, et contingunt miracula. Hoc si non possunt; jam illorum cavillationes non tam erunt contra miracula ecclesiae catholicae, quam contra prophetiam Christi, ut illum destruant ». Hactenus illi. Nos vero addimus haec ipsa objici ab incredulis adversus veritatem divinae revelationis, ut patet ex iis quae in tract. *De vera relig.* disseruimus p. I. cap. III. ab adversariis proinde etiam solvi deberent. Accedit rarissima esse exempla in N. T. quod Deus vel per homines impios ediderit miracula, aut permiserit daemoni ut per praestigias homines deciperet malos: et si in N. T. excipias quod legitur de Caipha qui prophetavit, nullum prorsus exemplum occurrit de ejusmodi deceptione a Deo permissa. Licet vero Caiphas fuerit pessimus homo, disposuit tamen Deus, ut in eo quod ille pessima intentione protulerat, prophetia contineretur. Cf. Maldonatum in cap. XI. Jo. v. 51.

(2) Nescio quomodo sibi cohaereat adversarius dum contendit miracula fieri ad confirmationem fidelium, et nihilominus negat haec veram ecclesiam patefacere seu manifestare. In qua enim fide confirmarentur christiani? Num in falsa? At hoc absque impietate dici nequit, perinde ac si Deus ederet miracula ad confirmandos christianos in fide falsa. Num in vera? Sed si ita est, ergo hoc ipso per miracula Deus veram illam ecclesiam esse ostendit, in qua ejusmodi miracula eduntur.

Deus aperte vult hominibus exhibere signum quo dignoscatur illam et non aliam esse societatem a se institutam?

219. Ad 6. Resp. I. *Neg.* Eadem nempe ratione qua olim Deus peringentia patravit miracula ad controversiam dirimendam de vera religione inter israelitas et judaeos (1), sic in novo foedere non destitit, cum opus fuit, eadem signa edere ad veram ecclesiam suam a falsis quibusque sectis secernendam (2).

220. Resp. II. *D.* Quia ad controversiam sive fidei sive disciplinae dirimendam opus miraculis non est, *C.* secus *N.* Deus enim satis providit hominibus in ejusmodi controversiis per infallibile ecclesiae magisterium, cui si fidem adhibere sectarii noluerint, neque prodigiis acquiescent, uti Christus ipse testatus est (3), et experientia identidem ostendit. Deinde cum ex dictis miracula, quae in vera ecclesia fieri consueverunt, saltem indirecte eam patefaciant, non est cur in eum finem alia edi miracula debeant.

DIFFICULTATES

Adversus notas catholicitatis et apostolicitatis

221. I. Obj. Nequit catholicitas ut verae ecclesiae nota assignari 1. quia nota talis esse debet in ejus ope vera ecclesia quovis tempore agnosci queat; porro in ecclesiae primordiis nota haec Christi societati nondum aptari poterat; 2. quia interdum adeo coarctari ecclesia potest, ut intra unicam provinciam, aut regnum contineatur; 3. quare nonnulli theologi catholici, quos inter Bellarminus, receperunt se ad adstruendam catholicitatem *successivam*, non autem permanentem, cui sententiae imprudenter aliqui protestantes subscripsere eo quod sibi favere ipsis videretur; sed si ita esset in quoniam differret christianismus a judaismo? 4. Numquam promisit Christus ejusmodi ecclesiae suae per universum orbem diffusionem fore perpetuam. 5. Nondum verificaretur haec nota in ulla societate christiana, siquidem innumerae adhuc gentes sunt inter quas ecclesia necdum diffusa est, cum illis evangelium nondum sit annunciatum. 6. Nulla denique peculiaris communio christiana seorsum sumpta ubique terrarum propagata est, adeoque nulli competeret haec nota. Ergo.

222. Resp. N. A. Ad 1. prob. *D.* Nondum ecclesia in suis primordiis materiali, ut ita dicam, diffusione fruebatur, ita ut sub hoc respectu aptari non posset haec nota, Tr. vel *C.* nondum natura sua erat catholica et ad illam diffusionem ordinata *N.* Catholicitas, uti ostendimus, natura sua profluit ex unitate ecclesiae, adeoque proprietas ipsi intrinseca est; propterea et nota haec ipsi perpetuo adhaerere debet. Quod si

(1) Cf. III. Reg. XVIII. 21 seqq.

(2) Plura identidem miracula edidit Deus sive antiquis sive recentioribus temporibus ad ecclesiae suae veritatem confirmandam atque a sectis sive haereticis sive schismaticis secernendam. Cf. quae in confirmationem disciplinae ecclesiae catholicae adversus sectam novatianorum refert ex Dionysio Alex. Eusebius H. E. lib. VI. c. XLIV. item quae per s. Basilium M. adversus sectam arianorum refert Garnerius in ejus vita, opp. tom. III. p. CIII. seq.; et quae in vita s. Joannis Damasceni adversus sectam iconomachorum referuntur apud P. Le-Quien tom. I. pag. XI seqq. ut alia pene innumera praeteream adversus alias sectas, quae studiosos historiae ecclesiasticae minime latent: haec speciminis gratia nobis attulisse sufficiat ad falsitatis arguendam adversarii assertionem.

(3) Luc. XVI. 19.

ab initio rei christianae nondum ecclesia ubique erat diffusa, cum ex Christi institutione ordinata esset ad hanc universalem diffusionem quam etiam ipse futuram praedixit, jure merito dici poterat, et natura sua erat catholica. Addo neque necessariam tunc temporis fuisse hanc notam, prout signum externum est ad veram discernendam ecclesiam, cum nullae adhuc sectae prodiissent cum quibus comparari posset. Cito vero ubique locorum diffusa est, ut vidimus ex apostolo Paulo, et tunc exortis sectis illico ex hac nota deprehendebatur vera ecclesia.

223. Ad 2. Vel *N.* vel *D.* Ita ut per communicationem cum eadem ecclesia, quae ubique locorum olim disseminata fuit, semper catholica maneat, Tr. secus *N.* Responsio ex mox dicendis patebit.

224. Ad 3. *D.* Id est, nonnulli theologi catholici docuerunt non semper necessariam esse diffusionem universalem simultaneam, *C.* docuerunt in sensu exclusivo posse esse successivam *N.* Etenim Bellarminus unice contendit cum Driedone, aliisque paucis, necesse non esse ad ecclesiam catholicam constituendam, ut uno eodemque tempore *innotescat in omnibus provinciis et in omnibus fructificet,* prout statuerat cum s. Augustino (1), sed sufficere si successive fiat, ita tamen, ut in hypothesi quod ecclesia ad unam coarctaretur provinciam, manifeste constet eam communicare cum eadem ecclesia, quae alia aetate per universum terrarum orbem fuerit diffusa. Quidquid porro sit de singulari hac sententia, quam non cogimur amplecti aut adstruere, quaeque hypothetica potius est quam absoluta, patet eam nullo modo favere sectis quibuscumque, quae ostendere numquam poterunt communicationem cum ecclesia quae totum aliquando orbem occupaverit, multo vero minus confundi ecclesiam cum synagoga, quae ad unum tempus et ad unum locum ordinata erat secus ac postulet institutio et natura ecclesiae Christi, ut in objecto loco accurate expendit Bellarminus (2).

(1) Epist. XCIX. ad Hesychium *De fine mundi* al. LXXX. cap. XII. n. 46 seqq.

(2) Lib. IV. *De notis ecclesiae* cap. VII. ubi quatuor circa notam catholicitatis observat, ac I. ut ecclesia sit catholica requiri, *ut non excludat ulla tempora, loca, vel hominum genera*, in quo distinguitur a synagoga, quae erat ecclesia particularis, non catholica, utpote alligata tempori, nempe usque ad adventum Christi, item uni loco, et uni familiae, seu filiis Jacob; 2. non requiri ut sit in omnibus locis totius mundi, sed tantum *ut innotescat omnibus provinciis et in omnibus fructificet*, ita ut in omnibus provinciis aliqui sint de ecclesia: 3. non requiri ut hoc fiat simul, ita ut uno tempore in omnibus provinciis necessario esse oporteat aliquos fideles. Satis enim est, si fiat *successive*. Ex quo id sequitur, inquit, quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere et proprie diceretur ecclesia catholica, dummodo clare ostenderetur, eam esse unam et eandem cum illa, quae fuit aliquo tempore, vel diversis in toto mundo, quemadmodum nunc quaelibet dioecesis dicitur catholica, quae est continuata cum aliis, quae faciunt ecclesiam catholicam; denique, quod etsi ecclesia non necessario debuit simul esse in omnibus locis, tamen hoc tempore debet necessario vel esse, vel fuisse in majori parte orbis terrae. Hac ratione exposita mens Bellarmini nihil habet quod repugnet. Attamen Palmer perstringit tertiam observationem Bellarmini, quasi vero ex ea sequeretur universalitatem debere esse successivam, ita ut ex una in alteram provinciam migrare deberet ecclesia semper coarctata ad unam provinciam ad instar judaismi. Hanc porro non esse Bellarmini mentem ex iis quae

225. Ad 4. *D.* Expresse, Tr. aequivalenter *N.* Huc pariter aptari potest responsio, quam simili difficultati superius dedimus cum objiceretur nuspiam Christum promisisse nullam unquam fore in ecclesia sua divisionem aut interruptionem in unitate. Nam hoc ipso quod Christus pollicitus fuerit ecclesiam suam fore perpetuam, pollicitus est talem futuram cum proprietatibus suis omnibus essentialibus, unitatis nempe, sanctitatis, catholicitatis, et apostolicitatis, ac propterea cum notis quae exinde profluunt et efflorescunt. Sane de ejus regno, quod est ecclesia, scriptum est: « Regnum ejus regnum omnium seculorum (1) » et « Regni ejus non erit finis (2) ».

226. Ad 5. *N.* Etenim jam a tempore apostolorum verificata fuerat, testante Paulo, et adhuc verificatur, et verificabitur usque ad consummationem seculi juxta Christi vaticinium: « Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in *testimonium gentibus*, et tunc veniet consummatio (3) ». Igitur donec consummatio veniat, praedicatio evangelii in universo terrarum orbe perpetuum erit testimonium, seu signum aut nota verae ecclesiae. Quod vero jam inde ab aetate apostolica haec nota verificata fuerit testatur Paulus dicens: « Praedicatum est (evangelium) in universa creatura, quae sub coelo est ». Hoc porro praedicationis opus incoeptum ab apostolis jugiter per ecclesiam continuatum est ad haec usque tempora, et continuabitur usque ad secundum Christi adventum (4).

227. Ad 6. *D.* Physice ac mathematice, *C.* moraliter *N.* Nemo autem est qui contenderit ecclesiae diffusionem debere physicam esse, quod plane adversaretur Pauli expositioni, innumerisque aliis Scripturarum locis (5). Moraliter vero ecclesiam catholicam ubique terrarum semper fuisse et esse diffusam ad discrimen sectarum, paulo post ostendemus.

228. II. Obj. 1. Cum apostolicitas in successione doctrinae non autem in successione personarum proprie consistat, jure infertur nihil ex illa extundi posse quod uni potius quam alteri societati christianae faveat. 2. Nulla est secta quae non jactet se habere doctrinam apostolicam; 3. imo nulla est quae ideo exorta non sit ut corruptionem hominum vitio, tractu temporis inductam in doctrina apostolica convelleret, ac propterea ut doctrinam ad primaevam puritatem, ad verbum scilicet Dei sincere ab apostolis praedicatum revocaret. 4. Quod si quis contendat etiam in successione personarum apostolicitatis notam sitam esse, meminisse is debet haud paucas societates hanc praeseferre successionem in episcopis suis, cujusmodi sunt praeter romanam, nestoriana, eutychiana, graeca, russica etc. quas tamen omnes veram esse Christi ecclesiam nemo certo affirmabit. Ergo.

adduximus, manifestum est. Nec alia mens Driedoni fuit, cujus sententiam Bellarminus suam fecit, aut Cano, ut patet ex iis quae eleganter disputat lib. IV. cap. VI. in solutione decimi tertii argumenti. Quorum omnium ratio petitur ex identitate ecclesiae quovis tempore et quovis loco.

(1) Ps. CXLIV, 13. Dan. VII, 18.

(2) Luc. I, 33.

(3) Matth. XXIV, 14.

(4) Cf. FF. de Walemburch tom. II. de eccles. part. III. controv. III. par. post. § XXVIII, seqq.

(5) Rom. X, 18. Coloss. I, 5. I. Tim. III., 15. ps. LXXI, 8. etc. Cf. s. Augustinum epist. cit. CXIX. ad Hesychium cap. XII. n. 46, seqq.

229. Resp. Ad 1. D. Apostolicitas consistit in successione doctrinae per successionem personarum, *C.* in sola successione doctrinae *N.* Hoc ipso enim quod juxta adversarios apostolicitas consistit in successione doctrinae, seu potius in doctrinae identitate, consistere eandem constat in successione personarum. Intelligi quippe nequit quomodo eadem propagari possit doctrina quin eodem tempore sibi invicem succedant qui eandem doctrinam propagent: nam « Fides ex auditu .... quomodo autem audient sine praedicante (1) »? Unica igitur et vera ratio cognoscendi utrum eadem vigeat doctrina quae semel ab apostolis tradita est, successio est eorum qui sine interruptione ab apostolis ad nos usque perseverant; cum vero ejusmodi successio nonnisi in vera Christi ecclesia reperiatur, patet hanc notam nulli prorsus societati quae Christi non sit favere posse.

230. Ad 2. D. Nulla est secta quae eam se habere non jactet, *C.* quae vere habeat quod jactat se habere, *N.* Nam cum ex modo dictis ostendi nequeat absque personarum legitima successione identitas doctrinae cum ea quam apostoli praedicarunt, hac vero careant sectae prorsus omnes sive haereticae sive schismaticae, jure infertur numquam illas ostendere posse eam possidere doctrinam quae apostolica sit.

231. Ad 3. *D.* Id est nulla est secta quae hoc pallio contegere nisa non sit propriam perduellionem adversus legitimum verae ecclesiae magisterium, *C.* quae reipsa id fecerit *N.* Eodem pallio usi sunt antiqui docetae, cerinthiani ac gnostici quo suam tegerent perduellionem adversus magisterium apostolorum, ut scilicet eorum doctrinam revocarent ad puriorem Christi doctrinam perperam ab apostolis rudibus intellectam (2). Cum praeterea sectae contradictoria doceant, licet ad unam omnes eodem praetextu usae fuerint, argumento est ineluctabili, eas non revocasse ecclesiam ad primaevam apostolorum doctrinam, sed incredibili audacia sibi munus arrogasse docendi matrem suam, perinde ac si ab ipsa cui soli docendi munus Christus demandavit, perverse instituti essent (3).

232. Ad 4. *D.* Haud paucae societates christianae hanc praeseferunt successionem materialem, Tr. vel *C.* formalem *N.* Jam superius declaravimus quidnam intersit inter utramque successionem; quamvis propterea nonnullae societates, quae hierarchicum regimen servaverunt, materialem episcoporum successionem aliqua ratione praeseferant, cum tamen nulla habeat successionem formalem, praeter romanam, ut inferius ostendemus, patet eas non potiori jure dici posse apostolicas, quo se potuerint vocare ecclesiam judaicam schismaticae

(1) Rom. x, 14.

(2) Ita testatur s. Irenaeus lib. III. n. 12, scribens de haereticis: « Putaverunt semetipsos plus invenisse, quam apostoli, . . . et apostolos quidem adhuc quae sunt judaeorum sentientes, annuntiasse evangelium, se autem sinceriores, et prudentiores apostolis esse ». Eandem impietatem renovasse ex protestantibus rationalistas ostendimus in tract. *De vera religione* p. II.

(3) Optime idem s. Martyr lib. I. ex contradictoriis haereticorum doctrinis, atque ex ecclesiae catholicae, in eadem tradenda, firmitate et constantia colligebat eos agi spiritibus erroris, hanc autem a Deo esse edoctam: sic enim disserit cap. IX. n. 5. « Bene habere putavimus ostendere primo, in quibus ipsi patres hujus fabulae (haereticorum) discrepant adversus se invicem, quasi qui sint ex variis spiritibus erroris. Et ex hoc enim diligenter cognoscere est, et ex ostensione, eam firmam, quae ab ecclesia praedicatur, veritatem, et ab iis, quod fingitur, falsiloquium ». Quod deinde prosequitur ibid. cap. X.

tribus israeliticae, eo quod sacerdotes a Jeroboam vitulis aureis praefecti originem traxerint ex levitico genere (1).

PROPOSITIO II.

Recensitae verae ecclesiae notae soli Romanae ecclesiae et competunt et competere possunt, quae proinde ex eisdem sola vera esse ecclesia Christi dignoscitur

233. Propositio, ut patet ex ejus enunciatione, duas complectitur partes, alteram positivam, qua ecclesiae romanae adscribuntur et vindicantur quatuor recensitae notae; alteram negativam qua communionibus omnibus seu societatibus quibuscumque ab ecclesia romana divisis ac separatis, quaeque christiano nomine censentur eaedem notae prorsus ablegantur. Seorsum proinde unaquaeque pars assertae thesis evincenda est.

234. Ad technas autem omnes praeoccupandas adnotamus 1. hic nomine *ecclesiae Romanae* minime nos significare particularem ecclesiam quam romanus Pontifex immediate ac per se regit atque administrat (2), sed ecclesias universas quae cum romana communicant; 2. Ideo nos eas vocasse ecclesiam *Romanam*, non autem catholicam, tum ne assumere videremur quod est in quaestione; tum ne relinqueremus effugium adversariis, qui quamvis abhorreant ab ecclesia catholica, eamque oppugnent, affectant nihilominus coetus suos peculiares *ecclesiam catholicam* denominare (3); tum denique ut excluderemus ecclesiae catholicae notionem, quam non ita pridem nonnulli invexerunt, perinde ac si ipsa esset collectio plurium sectarum, quae sibi invicem adversantur, dummodo regimen hierarchicum servent (4).

Quibus ita compositis sic incoeptum iter insistimus.

Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas ecclesiae romanae

235. Ac primo quidem unitatem romanae ecclesiae competere evincitur ex notione quam hujus notae exhibuimus, quaeque nimirum exurgit ex unitate fidei et communionis una cum medio ad

(1) Cf. Massuetum adversus Grabium diss. III. Irenaica art. IV. n. 41. nec non card. Du Perron. loc. cit.

(2) Hunc sensum interdum adversarii affingunt ecclesiae romanae; sic confessio Helvetica post art. 17. pag. 51. in qua legitur. « Nec romanensem approbamus clerum, qui solam prope romanam ecclesiam venditant pro catholica ». Qui talia effutiunt, andabatarum more pugnant, et aërem verberant.

(3) Ita passim se vocat ecclesia anglicana; multo vero magis ecclesia russica aliaeque non paucae.

(4) Tale est systema doctorum Oxoniensium, praesertim vero Palmer, qui ex praejacto principio, quod paulo ante discussimus, dari posse unitatem ecclesiae, quamvis haec patiatur interruptionem in exteriori communione, infert. part. I. cap. IX seqq. ecclesias orientales, nempe graeco-schismaticas, et ecclesias britannicas concurrere una cum *ecclesiis obedientiae romanae*, ut ipse loquitur, ad constituendam ecclesiam catholicam, cujus romana veluti pars collateralis sit. Quoad ecclesias luteranas et reformatas, *generali saltem quodam sensu*, etiam ad ecclesiam pertinere contendit, eo quod voluntarie minime se ab ecclesia catholica separaverint, sed ab ecclesia romana expulsae sint. Haec omnia inferius expendemus. Interim patet quaenam vigeat penes adversarios idearum, ut ita dicam, confusio, et quanto in pretio habeatur ecclesia catholica a qua licet divisae sint eorum sectae et damnentur veluti haereticae aut schismaticae, nomen tamen et communionem cum ipsa affectent. Tanta est vis veritatis!

utramque producendam et conservandam, idoneo, quod aliud neque est neque esse potest nisi principium auctoritatis. Porro ecclesiae romanae constitutio principio auctoritatis et quidem infallibilis in docendo, et supremae in regendo (quas dotes paulo post ei vindicabimus), innititur. Quo fit ut omnia et singula membra ejusdem ecclesiae teneantur ejus solemnibus definitionibus non solum corde, sed et mente se subjicere, si velint in eadem permanere; fit ut membra ejus singula ita debeant et cum capite ejus visibili, romano Pontifice, et secum invicem communicare, ac pastoribus suis sub romano Pontifice obtemperare et subjici, ut tanquam ethnici et publicani habeantur quicumque sub quovis praetextu superioribus suis respectivis romano praesertim Pontifici ejusmodi subjectionem detrectant. Omnimoda proinde ex ipsa ecclesiae romanae constitutione profluit unitas, seu unum ovile, unus grex, unum regnum, una domus, unus spiritus, unum corpus, una fides, unus pastor, unum caput, unum fundamentum, cujusmodi nempe vidimus a Christo suam fuisse ecclesiam institutam. Vi propterea hujus constitutionis ecclesia romana hanc omnimodam unitatem servavit sive fidei, expellendo quovis tempore novatores in sensu suo pervicaces, sive communionis rejiciendo veluti schismaticos quoscumque, qui debitam ei subjectionem denegant. Tota historia ecclesiastica hujusce ecclesiae romanae agendi rationis testis est locupletissima.

236. Quum vero ex dictis in nota unitatis ceterae includantur aut ex ea suapte natura dimanent, pronum est inferre una cum illa posteriores notas ecclesiae romanae pariter competere. Sane cum nota sanctitatis prout exterior et visibilis est, uti ejus natura postulat, patefiat non modo exercitio omnium virtutum etiam in summo gradu, quatenus complectitur, etiam consilia evangelica (1), verum etiam affluentia charismatum, praesertim miraculorum, quam Christus in perpetuum ecclesiae suae promisit, atque mira foecunditate in gentium conversione qua idem Christus eam praeditam voluit, si haec omnia in ecclesia romana semper reperta sunt ac reperiuntur, jure concluditur eam hac nota fulgere. Jam vero quovis tempore homines sanctitate eximia conspicuos eosdemque pene innumeros in illa floruisse, ille solus ignorat qui ejus fastos mini-

(1) Merito s. Franciscus Salesius postquam pluribus ostendit Christum evangelica consilia dedisse ecclesiae suae, concludit, illam esse veram ecclesiam, quae quovis tempore ea executioni mandavit; sed lubet ejus verba juxta versionem italicam hic describere: « Egli, (*Christus*), *inquit*, li ha praticati, e li ha fatti praticare alla primitiva sua chiesa; tutti sono scritti, e registrati; e la vita istessa del Salvatore altro non è che un' instruzione per i suoi fedeli; dunque la chiesa ne debbe fare il proprio profitto, ed uno degli esercizj della cristiana religione è di praticare questa povertà, quest' ubbidienza, e questo annegamento di sè medesimo. E di fatto; la chiesa ha sempre frequentati tali esercizj in ogni suo stato, dunque son tutti proprj di lei: altrimenti a che utile tante esortazioni, se non dovessero essere praticate? D' onde ne segue, che nella vera chiesa, debba risplendere la vera perfezione della vita cristiana ». *Collezione completa di tutte le opere di s. Francesco di Sales*. Brescia 1830. tom. VIII. disc. XIV. pag. 191. cf. etiam disc. VIII seqq. in quibus sanctus et doctus praesul qui tot tum voce tum scriptis de protestantium erroribus triumphos reportavit, evolvit singillatim argumenta, quae nos vix innuimus brevitatis gratia.

me perlustraverit (1): item consilia evangelica viguisse et adhuc vigere in eadem ecclesia innumerae prope religiosorum familiae quae tum propriae perfectioni student tum proximorum utilitati, ineluctabile sunt documentum. Insuper prophetiae ac miraculorum dono, ceterorumque charismatum per aetates singulas quamplurimos in eadem ecclesia claruisse monumenta indubia testantur, quae nonnisi ab incredulis despici possunt (2), nec pauci adversarii fatentur: rigidum praeterea examen quod de iis institui solet quamvis rationabilem dubitationem de illorum veritate excludit (3). Mira demum foecunditate in gentibus convertendis praeditam eandem ecclesiam esse, fidem faciunt populi omnes qui ab aetate

(1) Satis est ad hoc sibi persuadendum ut quis immensam evolvat Bollandianorum collectionem. cf. etiam Coccium in *Thesauro catholico* Colon. 1600. tom. I. lib. VIII. *De signis ecclesiae* art. XI. *Vitae morumque sanctimoniam esse certum ecclesiae signum*, ubi exhibet catalogum illustrium ecclesiae sanctorum ab origine mundi usque ad an. 1580. Christi; pag. 1099 seqq. Hic autem catalogus facile produci posset usque ad aetatem nostram; siquidem nullum effluit seculum in quo passim solemnes servorum Dei *beatificationes*, ac Beatorum *canonizationes* in quarum singulis quinque aut septem in sanctorum album referri solent post longum, et accuratum de virtutum omnium in summo gradu exercitio examen, de quo mox dicemus, non fiant. Sane a Pio VII. an. 1807. quinque, et a Gregorio XVI. totidem die 26. Maji 1839. Sanctis adscripti sunt. Sic ecclesia romana quae vera Christi ecclesia est, producit fructus suos.

(2) Cf. Jodocum Coccium op. et loc. cit. *De signis ecclesiae* art. XIII. *Perpetuis miraculis veram ecclesiam a falsa internosci*, ubi exhibet catalogum illustrium ecclesiae miraculorum ante et post Christum natum ad haec usque tempora; nempe 1580. Quamvis non omnia, quae hic auctor recenset miracula ad critices severioris leges exigi possint; plura tamen sunt, quae in dubium absque levitate ac temeritate revocari nequeunt. Vid. etiam Segneri *L' incredulo senza scusa* p. II. cap. V-IX. Card. Gotti *La vera chiesa di Cristo* Bologna 1719. tom. I. cap. II. Bollandianos mens. septemb. tom. VI. edit. Antwerp. ad diem XIX. pag. 852. § XXIX. « Ostenditur luculentissimis testimoniis gratiam miraculorum perseverasse in ecclesia: inauditae calumniae Joannis Clerici id impudenter negantis ».

(3) Confecto examine, ac per decretum Pontificis dubio de virtutibus resoluto; aliud proponitur a sac. rituum congregatione: *An et de quibus miraculis constet* ad effectum *de quo agitur?* Hic jam supponitur confectus juridicus processus de *facti veritate*, et inquiritur in ejus valorem ac naturam, et gradum miraculorum, quae patrata ad invocationem alicujus servi Dei perhibentur. Ut porro felix hujus resolutionis exitus contingat, requiritur 1. Ut constet per testes de visu, aut etiam de auditu a testibus de visu, aut praeterea a testibus auditus de auditu, de utroque ut vocant, miraculi extremo, mortis e. g. et excitationis, morbi et sanationis. 2. Cum de hoc posteriori miraculorum genere sermo est, constare praeterea debet de septem concurrentibus ad vere et proprie dictum miraculum constituendum; quod scilicet morbus sit gravis, vel impossibilis vel curatu difficilis; quod morbus, qui depellitur non sit in ultima parte status, ita ut haud multo post declinare debeat; quod nulla adhibita fuerint medicamenta, vel, si fuerint adhibita, certum sit ea minime profuisse; quod sanatio subita sit atque instantanea; quod sanatio sit perfecta, non manca vel concisa; quod nulla notatu digna crisis praecedat temporibus debitis, et cum causa; postremo quod sublatus morbus non redeat. 3. Ut vero tuto de iis constare possit praeter testes de quibus diximus, adsciscuntur a causae postulatoribus medici, pharmacopolae, chirurgi etc. ii nimirum omnes qui curam ae-

apostolica in Christum crediderunt (1). Cum igitur ex fructibus cognoscatur arbor, et ex actionibus vita, patet romanam ecclesiam esse plantationem illam quam plantavit Pater caelestis; esse corpus vivum, corpus Christi mysticum vita ac vigore pollens, anima seu gratia sanctificante informatum cum virtutibus reliquis, quae ex ipsa et cum ipsa subsistunt.

237. Catholicam pariter esse romanam ecclesiam, seu ad eam spectare catholicitatis notam duo illa criteria, quibus haec nota juxta dicta distinguitur, apertissime conficiunt. Etenim ecclesia romana inprimis ubique semper diffusa est, ac ubique diffunditur, et ita diffunditur ut eadem plane sit sive unitate fidei, sive unitate communionis, tum ratione temporis, tum ratione loci. Sane ad diffusionem quod attinet, universas provincias sive orientales sive occidentales ecclesiam romanam occupasse constat ex disputationibus patrum adversus haereticos, potissimum vero adversus schismaticos novatianos, donatistas, luciferianos etc. (2); post detectas indicas regiones illico ecclesiam romanam ad eas appulisse sat notum est; nulla est regio, nulla est mundi cogniti plaga, quamvis in eis aut infideles, aut haeretici et schismatici dominentur, quae ecclesiae romanae plura aut pauciora membra non contineat. Imo etsi ubique fere gentium haec ecclesia persecutionem patiatur, potissime ab haereticis, tamen numerosior omnibus sectis est, etiam simul sumptis (3), et quotidie crescit et fru-

groti susceperunt; deinde his adjiciuntur ab iisdem postulatoribus alii ad minus duo medici doctrina praestantes, ut circa morbi naturam et sanitatem suffragium ferant; praeter quos duo alii a sacra congregatione deputantur, uti pro rei veritate iterum rem expendant, et suffragium in scriptis emittant, qui omnes et singuli, nonnisi interposito jurisjurandi sacramento suam possunt aperire sententiam. 4. Ut constet de invocatione sive expressa sive tacita per applicationem imaginis aut reliquiarum servi Dei, vel ab infirmo, vel ab alio aliquo. 5. Haec omnia ad trutinam ter revocantur, appositis semper novis Promotoris fidei seu oppugnantis animadversionibus, et donec cujusvis dubitationis vel levissima haud fuerit depulsa nubecula, non pronunciat s. Sedes veritatem miraculi, scilicet de illo constare. Si vero vel unus supersit in recensitis defectus, qui tolli non possit, miraculum plane rejicitur. Cf. Benedict. XIV. *De beatificat. et canonizat. sanctorum* lib. IV. p. I. cap. VIII. n. 2 seqq. Nunc provocamus acatholicos omnes, ut inveniant alicubi tribunal in quo severo adeo examini subjiciantur quaecumque causae. Attamen ipsi sunt qui rident miracula ecclesiae romanae!

(1) Nulla prorsus gens est, quae ad Christum conversa sit, nisi ecclesiae romanae seu catholicae ministerio. Cf. quae scripsimus in tract. *De vera religione* p. II. prop. X.

(2) Cf. apud Thomassinium op. et loc. cit. et apud FF. de Walemburch. controv. III. part. II, 4. prob. ex patrib.

(3) Sane graeci schismatici quibus accensemus russos, quamvis isti patriarcham Cpnum minime agnoscant, numerantur 30,000,000. quibus alii adjicientes nestorianos, jacobitas, armenos, coptos, abyssinos etc. summam ex istis omnibus conficiunt 41,000,000 protestantes cum innumeris divisionibus suis numerantur in Europa 46,000,000. et in foederatis provinciis cum pluribus sectis 11,000,000. qui tamen numerus nimis auctus dicitur. Itaque ex his omnibus simul sumptis summa conficitur 98,000,000. Contra vero catholici per universum orbem numerantur 180,000,000. De parva anglicanorum fractione postea dicam. Cf. Franc. Patricium Kenrick coadjutorem episcopi Philadelphiae in provinciis foederatis Americae in *Theologia dogmatica* tom. I. Philadelphiae an. 1839. tract. II. de ecclesia pag. 117. Quod si ipsam Adriani Balbi computationem sequaris *Abrégé de Géographie pag. 75. Pa-*

ctificat (1). Quod vero spectat ad identitatem, ea liquet vel ex ipsius constitutione, quae necessario ab omnibus et singulis membris suis exposcit unitatem fidei et communionis, prout exposuimus. Haec confirmantur 1. ex eo quod facta sit ejus propria *ecclesiae catholicae* denominatio, quamvis, ut diximus, aliqui coetus ab ea divisi eam sibi frustra usurpare tentaverint (2). 2. Ex eo quod adversus illam solam haereses omnes, schismata, factiones, sectae, increduli omnes quovis tempore conspiraverint et adhuc conspirent, et cum illis vires contra eam conjunxerint judaica perfidia, et pagana superstitio: 3. ex ipsa haud paucorum adversariorum agendi ratione, qui quamvis aperte ab ea divisi sunt, adhuc se tamen ad illam pertinere contendunt, ne schismatici aut haeretici audiant (3).

238. Nota denique apostolicitatis romanam frui ecclesiam compertum fit ex numquam interrupta romanorum Pontificum successione a s. Petro ad nos usque, et episcoporum omnium per orbem ecclesiarum, quae cum ipso communicarunt et communicant in unitate fidei et communionis ad haec usque tempora. Adeo haec successio explorata est, ut neque ab adversariis in dubium revocetur sive quoad partem ejus materialem, sive quoad formalem. Extorquet ipsorum admirationem ejusmodi successio, qua fit ut apostolica sedes decem et octo seculorum tractu adhuc perseverat inter tot vicissitudines sive religiosas, sive politicas quas Europa universa subiit, et

ris 1834, qui schismaticis sive graecis, sive russis, sive orientalibus 62,000,000. protestantibus autem cujusque generis 59,000,000 ecclesiae vero catholicae 139,000,000 tribuit (cui tamen computationi haud ita facile subscribimus), patet magnum semper intercedere discrimen inter numerum catholicorum, ac numerum heterodoxorum.

(1) Cf. *Annali della propagazione della fede*. Lione 1820 seqq.

(2) De ecclesia romana scripsit s. Irenaeus lib. III. cap. III. « In qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae est ab apostolis traditio ». S. Cyprianus semper eam quae cum romano episcopo communicavit catholicam significavit; scribens enim ad Antonianum, ep. LII. ut eum certiorem faceret quod communicaret cum ecclesia catholica his verbis utitur: « Scripsisti etiam ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, ut deposita omni sollicitudine jam sciret te *secum*, hoc est, cum *catholica ecclesia* communicare »; S. Augustinus contra *Epistol. Fundamenti* cap. IV. « In catholica enim ecclesia, inquit, ... tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum catholicae nomen ». Sic patres ceteri quibus perinde erat romanam ac catholicam ecclesiam nominare. Quod uberius ex dicendis opportuno loco constabit.

(3) Hoc novum non est; siquidem habemus ex remotissima antiquitate quod etiam veteres haeretici et schismatici, perinde ac haeretici et schismatici nostri temporis, affectaverint pro suis coetibus *ecclesiae catholicae* denominationem. At frustra tum isti tum illi. Sic enim s. Augustinus illos refellebat. « Una est catholica, cui haereses aliae diversa nomina imponunt, cum ipsae singulae propriis nominibus, quae negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur, judicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit catholicum nomen, ad quod *omnes ambiunt*, tribuendum » (lib. de Util. Cred. c. VII.); et alibi: « Tenenda est nobis christiana religio, et ejus ecclesiae communicatio, quae catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim, ipsi quoque haeretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil

ita perseverat ut in pleno vigore subsistat (1). Adeo firma est illa petra quam numquam vicerunt superbae inferorum portae! Quot tamen impetus ea sustinere non debuit? Ille solum ignorat qui hospes plane sit in christianae religionis historia; attamen insani conatus, splendidiores effecerunt ejusmodi triumphos, siquidem incassum omnes illi impetus cesserunt, et « mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium (2) ».

239. Quae cum ita se habeant, merito concludimus romanam ecclesiam illis fulgere notis quibus vera Christi ecclesia a falsis internosci debet, eamque propterea veram esse ecclesiam a Christo Domino Salvatore nostro institutam.

Praedictarum notarum defectus in omnibus societatibus quae non communicant cum ecclesia romana

240. Ut compendio utamur, ad ostendendum nullis prorsus societatibus ab ecclesia romana divisis competere, aut competere posse recensitas notas, ea urgebimus argumenta quae iis omnibus communia sint.

241. Ac 1. communis est omnibus his coetibus defectus unitatis. Etenim omnes acephalae sunt, et proinde legitima illa auctoritate sunt destitutae, quae principium est unitatis tum fidei tum communionis. Hac porro sublata auctoritate, non solum omne dissolvitur unitatis vinculum, sed necessario oritur principium divisionum sive fidei, sive communionis, cum nemo sit, qui cogi possit ad eandem fidem profitendam, et ad eandem servandam communionem. Hinc eodem jure, quo quilibet *sacrorum emendatores* ab aevo apostolico usque ad nos, id est a nicolaitis et simonianis, usque ad quakeros, methodistas seu weslejanos, whitefieldistas, kilhamitas, jumperos, irvingitas etc. insurrexerunt adversus apostolos, et ecclesiam catholicam seu romanam, insurgere possunt adversus communionem seu coetum in quo instituta sunt individua singula, ac novos coetus condere. Sic eodem jure quo novatiani, donatistae, graeci, russi, anglicani, *parva* in Galliis *ecclesia* a centro unitatis, romano scilicet Pontifice recesserunt, eodem poterunt jure recedere a proprio patriarcha, primate, episcopo, aut sacerdote eorum subditi, et in novas societates coire (3). Sane

aliud quam catholicam vocant; non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur (De vera relig. c. VII.) ».

(1) Iuverit hic describere verba protestantis Frid. Hurter juxta versionem gallicam Ab. Saint-Chéron Paris. 1838. in vita Innocentii III. lib. I. pag. 76. « En portant nos regards en arrière, *scribit*, et en avant sur la suite des siècles, en voyant comment l'institution de la papauté a survécu à toutes les institutions de l'Europe, comment elle a vu naître et périr tous les états, comment, dans la métamorphose infinie des choses humaines, elle a seule conservé invariablement le même esprit, devons-nous nous étonner si beaucoup d'hommes la regardent comme le rocher dont la tête immobile s'élève au dessus des vagues mugissantes du cours des siècles? »

(2) Cantic. IV, 4.

(3) Sane eodem jure quo ex. g. Photius aut Michael Caerularius se subtraxerunt ab auctoritate romani Pontificis, eodem poterunt singuli episcopi se subtrahere ab auctoritate patriarchae Constantinopolitani, imo a fortiori, cum hujus patriarchatus institutio ecclesiastica sit, auctoritas autem supremi capitis in universa ecclesia sit juris divini, ut postea ostendemus. Idem dic per analogiam de ceteris coetibus schismaticis. Idem de haereticis: si enim licuit innovare haeresiarchis adversus Chri-

experientia ostendit ita semper factum esse: quod si plena dissolutio integri coetus cujuslibet non contigit, ideo est aut quia homines non semper sibi cohaerent, aut quia causae exteriores et politicae plerumque obstiterunt (1). Quod si sermo sit de ultra-protestantismo, ut vocant, qui systema profitetur liberi examinis, res adhuc evidentior fit: exinde enim ortae sunt fluctuationes, mutationes, phases quibus sectae illius omnes obnoxiae fuerunt et sunt (2); exinde cuilibet fas est impune quodvis doctrinae caput, prout lubet, aut admittere aut rejicere aut immutare pro subjectiva persuasione; exinde rationalismus et mythicismus prodierunt, qui sub christiani nominis larva atheismum aut certe nudum theismum invexerunt. Haec est ultima periodus ultra quam protestantismus progredi non potest (3).

242. Cum vero notae reliquae juxta

sti ecclesiam, quare non licebit innovare contra peculiaria uniuscujusque haeresiarchae dogmata, eo magis quod nemo possit sibi tribuere infallibilitatem quam ecclesiae unde discessit, denegavit? Et hoc adversus anglicanos quoque objiciunt dissidentes ipso referente Palmer qui perperam ut ab illorum ictibus suam tueatur ecclesiam ad speciosum sed gratuito confictum Oxoniensium modernorum systema confugit.

(1) Exinde oritur systema persecutionis quae in omnibus sectis acatholicis, apud quas obtinet principatus politicus, plus minus viguit ac viget. Satis est ad hoc sibi persuadendum lustrare publicas ephemerides, et publica documenta. Nimirum hisce armis ac praesidiis sectae, quae omni carent vita, stabilitatem sibi quaerere conantur!

(2) Cf. quae scripsimus in tract. *De vera religione* p. II. prop. IX.

(3) Omnium sectarum et schismatum, nec non rationalismi et mythicismi fontem perbelle detegit et exponit cit. Hurter lib. XIV. vitae Innocentii III. pag. 4, 5. Cujus philosophicas, ut ita dicam, hac de re meditationes hic placet referre. « L' esprit humain, inquit, dans le pressentiment d' une dignité supérieure, dans la conscience de sa vaste activité, dans la joie de parvenir à s' élancer dans les hautes régions d' où découle toute existence, et de pénétrer les profondeurs immenses, qui voilent le mystère de la vie, se roidit quand on veut lui imposer du dehors ce qu' il se croit capable de découvrir en lui-même. Souvent il regarde comme une barrière indigne de lui la prétention de lui assigner une source suprême de toutes connaissances, parce que dans son orgueilleuse suffisance, il croit porter en lui la vie et la force, pouvoir séparer à sa volonté la lumière des ténèbres, et fonder sur l' indépendance de son jugement la différence entre le bien et le mal. C' est ainsi que dans tous les temps, l' ancienne défection s' est renouvelée sous mille formes, mais toujours la même dans sa nature. Il est vrai, l' Eternel, dans sa miséricorde, a envoyé Celui qui est le chemin de la vérité et de la vie, et par lequel les enfans égarés doivent retourner auprès de leur Père: mais pour les uns, le chemin n' était qu' une de ces innombrables voies qui, dans tous les temps, pouvaient être tracées par les hommes les plus distingués; ils ne regardaient cette vérité que comme une de celles qui avaient été découvertes en grand nombre par des génies supérieurs, et cette vie uniquement comme un phénomène particulier de l' existence universelle dont le problême ne peut jamais être résolu dans sa mystérieuse obscurité. Les autres, au contraire, reconnaissaient et acceptaient ce *chemin*, cette *vérité* et cette *vie*, comme un fait, mais soumettaient, soit le mode de connaissance, soit la mesure de l' acceptation, au jugement ou à la volonté des hommes. L' erreur des uns et des autres ne diffère que par la forme; la première appartient exclusivement à un système *qui ne veut pas connaître le Christianisme*, et la seconde à celui, qui n' admet *la vérité et la divinité du Christia-*

dicta in unitate, virtute saltem contineantur, et ex ea progignantur, jam patet, quod si nulli societati ab ecclesia romana sejunctae competere potest unitas, competere pariter ceteras notas non posse. Profecto sanctitas, qua corpus Christi mysticum, quod est ecclesia, vivit, nequit haberi ubi non est unitas; nam si membra nullo sint inter se nexu conjuncta, si careant capite, impossibile omnino est ut corpus constituant quale describit Apostolus (1), ac propterea a spiritu informetur ac vivat: tales porro sunt ex modo dictis societates omnes ab ecclesia romana sejunctae: omnes igitur vita supernaturali de qua loquimur, seu sanctitate plane sunt destitutae. Quod si sanctitate omnes ejusmodi coetus orbati sunt, impossibile pariter ipsis est ut exterius per notam visibilem manifestent eam sanctitatem quam non habent, non per professionem fidei quam juxta excusum systema libertatis examinis habere nequeunt, aut saltem non possunt integram conservare defectu auctoritatis (2); non per donum miraculorum ceterorumque charismatum quibus Deus ecclesiam suam praeditam voluit, cum ejusmodi dono coetus isti prorsus omnes destituantur (3); non per vitae sanctimoniam quae complectatur ipsa evangelica consilia, quaeque propria est verae ecclesiae Christi, siquidem societates istae, praesertim recentiores, ab iis summopere abhorrent (4); non per foecunditatem in gentium conversione

nisme qu' autant que la faculté de connaître donnée à l' homme *peut les admettre*. La première erreur procède avec plus d' indépendance et de loyauté; l'autre avec plus de partialité et de séduction: l' une et l' autre sont la racine de *cette inimitié contre l'Eglise*, inimitié qui attaque principalement la doctrine sur laquelle elle repose, ou qui la dénature.

Une autre propriété de l' esprit humain, c' est que plus les développemens d' une institution sont brillans, plus il met d' activité à rechercher un côté faible; plus cette institution s' efforce de perfectionner son organisation intérieure par une hiérarchie fortement constituée, plus il s' applique à en épier les imperfections; et plus un édifice s' élève audacieusement, plus aussi il s'occupe d'en sonder les fondemens, dans l' espoir de découvrir des défauts à ce monument qui étale à ses yeux l' ordre, la gloire et la puissance: par là il se croit autorisé à miner l'édifice, à séparer violemment ce qui a été réuni, à paralyser l' action de ce qui est fort ». Integer hic liber XIV. dignissimus est qui legatur in quo protestantismus graphice describitur in sectis quae medio eruperunt aevo, quaeque reformationi saeculi XVI. facem praetulerunt.

(1) Ephes. IV, 16.

(2) Hujus rei luculentissimum exemplum habemus in ecclesia anglicana, quae defectu hujus auctoritatis impedire non potuit quominus asseclae sui in protestantismum dilaberentur: qui vero nunc ad pristinum statum eam revocare satagunt, *romanenses* audiunt ac *papistae*; idem dic de innumeris particulis in quas ecclesia illa dissecta est.

(3) Hinc Erasmus in *Diatribe de lib. arbitr.* loquens de Lutheranis: « Nullus, inquit, illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit », cui Lutherus in lib. *De servo arbitrio* respondebat: « A nobis, qui negamus liberum arbitrium miracula exigi non debent »; et Calvinus praef. *Instit.* « Improbe faciunt, ait, quod miracula a nobis poscunt ». Attamen nemo ignorat fraudes ad quas identidem recurrerunt ut saltem miracula confingerent: ast, Deo obnitente, et hac incassum reciderunt. Cf. quae retulimus in tract. *De vera relig.* p. I. cap. III. num. 164. not. (e).

(4) Consulantur controversistae, praesertim vero Bellarminus in lib. II. *De monachis*. Profecto novissime E. B. Pusey regius professor in universitate Oxoniensi in opusc. cui tit. *Letter to the Right Rev. Lord*

utpote sterilitate mulctatae. Et haec quidem in universum: si enim ad protestantismum et ad sectas ab eo progenitas singillatim oculos convertamus, praeter ignobilitatem originis quae accepta referenda est hominibus nequissimis et in omnem libidinem effusis, superbis, invidis, elatis omnique vitiorum colluvie inquinatis (1), tales in eo doctrinae vigent aut saltem viguerunt, ut sanctitas omnis eliminetur; e. g. Deum plures condidisse homines in eum tantum finem ut perpetuo damnarentur (2); in omnibus Adae posteris extinctum penitus esse liberum arbitrium, adeoque ferrea illos necessitate sive ad bona sive ad prava opera impelli (3); inutilia esse opera bona ad salutem, imo prava ad sancti-

Bishop of Oxford on the tendences to romanism etc. seu *Epistola ad episcopum Oxoniensem circa tendentiam versus romanismum adscriptam doctrinis antiquitus propugnatis* etc. ed. 2. Lond. 1839, amare conqueritur de tyrannide quam exercet ecclesia anglicana dum omnes ministros suos cogit ad ineundum conjugium, ac eos impedit quominus *excellentiorem viam*, ut vocat Apostolus consilium virginitatis seu coelibatus, sequantur. Id Christi et Pauli verbis palam adversari profitetur qui virginitatem non commendarunt modo, sed etiam aperte consuluerunt. Id christianae perfectionis nervos in sacris ministris elidere dolet. Quin etiam sacras virgines in anglicana ecclesia sicut in romana vitae castimonia florere vellet! Egregia sane ac merito laudanda animi vota. Quae tamen quid aliud produnt nisi ecclesiam illam, quae hac vitae christianae perfectione omnino caret Christi ecclesiam esse non posse? Cf. pag. 209 seqq. Integrum ejus textum referremus nisi esset nimis prolixus.

(1) Cf. Lessium in op. *Quae fides et religio sit capessenda consultatio*. Inter *opuscula* edit. Antwerp. 1626. pag. 709 seq. Consid. IX. *Ratio quinta*. *Ex vitae et morum conditione*. Item in ejusd. appendice: *utrum Calvinus convictus fuerit sodomiae et ob eam causam stigmate inustus*. Cf. etiam *Le ministre protestant aux prises avec lui même* par M. A. F. Lyon 1836. in app. pag. 167 seqq. *Les apôtres du protestantisme peints les uns par les autres*. Plura pariter in hanc rem suppeditat documenta Dr. August. Theiner in op. *La Svezia e le relazioni di essa colla santa Sede* etc. Roma 1838. p. I. c. V. p. 186 seq.

(2) Cf. Lessium in cit. *consultat.* et in cit. append. cap. III. *Utrum Calvinus docuerit Deum esse auctorem omnium scelerum*. Sed praestat ejusdem Calvini verba describere; sic porro loquitur *Instit.* lib. III. cap. XXVII. § 7. « Iterum quaero: unde factum est, ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus aeternae morti involveret lapsus Adae absque remedio, nisi quia Deo ita visum est? Hic obmutescere oportet tam dicaces alioqui linguas. Decretum quidem horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit quin praesciverit Deus quem exitum esset habiturus homo antequam ipsum conderet; *et ideo praesciverit quia decreto suo sic ordinarat* ». Ed. Amstelod. 1667.

(3) En textum Lutheri quem excerpsi ex ejus libro *De servo arbitrio*: « Sic humana voluntas in medio posita est, ceu jumentum, si insiderit Deus, vult et vadit quo vult Deus . . . si insiderit Satan vult et vadit quo vult Satan, nec est in ejus arbitrio ad utrum sessorem currere, aut eum quaerere, sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum et possidendum « opp. Luth. edit. Jenae 1557. tom. III. fol. 177. *tergo*. Ne plura alia testimonia referam, ea cf. apud Coccium op. cit. pag. 1038. qui congessit pene innumera ex Luthero, Calvino, Melanctone etc. Cf. etiam Bossuet *Deux Avertissemens aux protestans* edit. Versailles 1816. tom. XXI. § XIX. p. 117 seqq. nec non Th. Moore *Voyages d'un jeune irlandais à la recherche d'une religion*. Trad. de l'angl. Paris 1836. chap. XL. *Doctrine de Luther-esclavage de la volonté* pag. 244 seqq.

tatem conferre (1), aliaque sexcenta id genus errorum monstra, quae protestantismus docuit ac docet, quorumque vel ipsos ethnicos suppuderet.

243. Deest autem hoc ipso societatibus his omnibus catholicitas ejusque nota; si enim illis deest unitas, quomodo poterit penes eas identitas fidei et communionis inveniri? Historia variationum locupletissimum est argumentum ejusmodi defectus. Possemus hos omnes provocare coetus ad edendam fidei professionem quae communis vel uni illorum sit, et quae semper apud eum obtinuerit, si forsan excipias partem negativam et aversionem a communi ipsorum matre, ecclesia nempe romana seu catholica; nihil dicemus de particulis in quas unaquaeque societas dissecatur, quae vix numerari possunt, cum haec notissima sint (2). Quod dictum est de identitate fidei patet dici pariter debere de identitate communionis, quae ex defectu capitis subsistere nequit: unaquaeque enim in propria regione ubi reperitur suum *consistorium*, ut vocant, suum praesidem, suos ministros habet, qui nulla ratione consistorio, praesidi, aut ministris alterius regionis subjiciuntur. Quapropter, quod consequens est, nulla universalis reperitur apud eos diffusio, sed quilibet coetus, et uniuscujusque coetus portio divisi sunt ab invicem et independentes juxta regimen cui sub-

(1) Alias hujus assertionis attulimus documenta. Cf. praeterea Moore op. cit. chap. LX. p. 335 seqq. ubi ostendit Amsdorfium et Agrippam Lutheri discipulos rejecisse obligationem legis Dei utpote judaicam et antichristianam; plures item sectas adhuc idipsum in Anglia docere; Fletcherum Wesleyi discipulum docentem methodistas accusare *legalitatem* bonorum operum, excusare adulteria, homicidia etc. Neque reponi potest hos homines aut sectas excessisse: siquidem haec necessario profluunt ex intima protestantismi doctrina, ut patet per se, et clarissimo in lumine collocavit Moehler in celebri sua *Symbolica*, et patet praeterea ex ipsis Lutheri principiis. Nam in lib. *De captiv. Babylon.* cap. *de baptismo:* « Vides, inquit, quam dives est homo christianus, sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla peccata eum damnare possunt, nisi sola incredulitas », et in serm. *De piscatura Petri:* « Erga Deum non operibus, sed nuda fide indigemus. Debemus enim cum solo Isaac venire, hoc est, cum fide: servos et asinas, hoc est, opera deorsum demittere oportet. *Quanto sceleratior es*, tanto citius Deus suam gratiam infundit », haec aliaque ejusmodi Lutheri principia cf. apud Coccium op. cit. p. 1115. Ex his collegerunt Antinomiani *in confess. Mansfeldensi:* « Lex non est digna ut vocetur verbum Dei: si meretrix es, si scortator, si adulter, vel quicumque alius, tantum crede, et es in via salutis, cum in medio peccati haeres. Decalogus ad curiam pertinet, non ad suggestum: quibuscumque cum Mose res est, recta via tendunt ad diabolum, imo ad malam rem cum Mose. Dictum Petri: *certam facite vocationem vestram per bona opera*, est inutile. Quandocumque tibi talis incedit cogitatio, hoc vel illo modo in ecclesia rem geri debere, ut sint homines boni, honesti, sancti et casti, jam aberrasti ab evangelio etc. ». Ibid. Jam vero, ubinam pagani ipsi talia docuerunt? O praeclaros *sacrorum emendatores!* O egregios romanae ecclesiae *reformatores!*

(2) Cf. ex antiquis s. Irenaeum adv. haereses lib. V, I. Epiphanium lib. III. s. Augustinum *de haeresibus* lib. I. Theodoretum *haereticarum fabular.* lib. V. Philastrium Brixiens. *haereseologia* in biblioth. patrum de la Bigne ed. II. Paris 1689. tom. IV. ex recentioribus Bernini *Istoria di tutte le eresie*. Paletta *Storia ragionata delle eresie*. Veron. 1797. Pluquet, *Dictionnaire des hérésies*. Grégoire, *Histoire des sectes*. Paris 1829.

sunt; hinc quaelibet secta seorsum sumpta nonnisi angustum terrae angulum occupat. Carent proinde istiusmodi societates omnes catholicitate, et catholicitatis nota quoad utramque sui partem; materialem scilicet atque formalem.

244. Denique nullis ejusmodi coetibus competere, aut competere posse apostolicitatem ejusque notam, evidenter constat ex singulorum origine; unusquisque enim eorum erupit determinata epocha, quae ab historia assignatur e. gr. ante Lutherum nulli erant lutherani; nisi Henricus VIII. in Annae Bolenae oculis novum evangelium legisset, adhuc ignorarentur anglicani, et ita porro. Nulla omnino secta ascendit usque ad apostolos, aut perseveravit in communione fidei et charitatis cum legitimis successoribus apostolorum seu cum ecclesiis per legitimam ordinationem numquam interruptam apostolicis. Utrumque enim ad apostolicitatem et ad ejus notam constituendam requiri ostendimus. Jam vero nullus est coetus a romana ecclesia separatus qui hunc characterem praeseferat. Si qui autem aetate apostolorum exorti sunt, praeterquam quod fuere ab apostolis damnati et ab ecclesia rescissi, cito evanuerunt, adeo ut ex tot sectis tunc temporis aut paulo post exortis, sec. III. exeunte nulla superfuerit, si aliquot misere huc illuc palantes fortasse excipias.

245. Atque ut jam fructum aliquem capiamus ex his quae fusiori calamo pro rei gravitate de qua agitur disseruimus, tum de ecclesia romana cui omnes et singulas notas verae Christi ecclesiae competere ostendimus, tum de societatibus ab ea sejunctis quarum nulli pariter luculenter demonstravimus nec unam competere aut competere posse, ut illuc redeat oratio unde discessit, concludimus.

246. 1. Ergo ecclesia romana est sola vera Christi ecclesia; est unicum corpus Christi mysticum individuum ac jugiter vivens, quod a Christo ejusque apostolis semper et ubique perseverat ac manet, unica ejus sponsa ac dilecta, una ejus columba sancta et immaculata.

247. 2. Ergo societates omnes quae identidem ab ea divisae sunt aut expulsae ob ipsarum pervicaciam, totidem sunt sectae antichristianae, Deo odibiles, jamdiu a Christo ejusque apostolis in earum antesignanis proscriptae et reprobatae, aut totidem humanae superbiae monumenta, « arbores autumnales infructuosae bis mortuae, eradicatae, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in aeternum (1) ». Loquimur autem, ut patet de sectis; nam quod spectat ad individua quae ad eas pertinent, quid sentiendum de iis sit, exposuimus in tractatu de Vera religione (2).

DIFFICULTATES

Petitae ex ecclesia romana adversus notam unitatis

248. Obj. Romanae ecclesiae unitas nominis dumtaxat est, non autem rei. 1. Deest enim illi in primis unitas fidei cujus regula adhuc nutat; alii siquidem in ea ecclesia contendunt hanc regulam constitui a rom. Pontifice cujus inerrantiam propugnant, alii vero mordicus pugnant pro infallibilitate, ut vocant, conciliorum oecumenicorum, neutri proinde eam competere concludendum est. 2. Sed quod magis mireris illud est, quod nondum convenerint Pontificii in recensione conciliorum oecumenicorum; Gallis enim oecumenica concilia sunt Constantiense et Basileense, Italis vero Lateranense

(1) Epist. Judae vv. 12, 13.

(2) P. II. prop. XI.

V. et Tridentinum. 3. Verum non est cur haec fusius persequamur cum ex facto luculentissime constet nuspiam in ecclesia romana reperiri fidei unitatem. Etenim omissis acerrimis disceptationibus quae in scholis catholicis circa praedestinationem et gratiam, circa probabilismum ac singula fere ethices capita exardescunt, quo fit ut in plures factiones scindatur (1), his, inquam, omissis, nemo negaverit ecclesiam romanam refertam *haereticis* esse: fatentibus quippe romanensibus omnibus, doctrina Jansenii haeretica est; porro longe lateque per ecclesiam universam janseniani diffusi sunt et a ducentis annis adhuc perseverant eidem ecclesiae mordicus adhaerentes. Nemo inficias iverit, refertam *incredulis* esse, et *indifferentistis* tam magno numero, ut eam obruere videantur ac fidem subjicere ejusdem membrorum. Constat praeterea eandem ecclesiam refertam esse *schismaticis*, ut liquet ex *episcopis constitutionalibus* eorumque asseclis qui in Galliis non communicant cum episcopis a Pio VII. constitutis; deest igitur etiam unio charitatis seu communionis. 4. Quae cum ita se habeant quo abit illa romanensium jactantia, quod in sua ecclesia omnimoda, plena ac perfecta vigeat unitas ad discrimen sectarum quae in frusta scinduntur? Ubi illa auctoritas infallibilis sive ecclesiae sive Pontificis quam tantopere commendant veluti principium seu medium efficax unitati conservandae quam neque agnoscunt filii ejus? 5. Ne vero haec amplificata videantur juverit ea confirmare auctoritate Gregorii XVI. qui in encyclica an. 1832 edita inter cetera haec habet: « Vere dixerimus horam nunc esse potestatis tenebrarum ad cribrandum sicut triticum, filios electionis. Vere luxit et defluxit terra infecta ab habitatoribus suis, qui transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissiparunt foedus sempiternum . . . Loquimur, ven. Fratres, quae vestris ipsi oculis conspicitis, quae communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despicitur sanctitas sacrorum, et quae magnam vim, magnamque necessitatem possidet, divini cultus majestas ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio . . . vexatur acerrime romana haec nostra B. Petri sedes . . . et *vincula unitatis* in dies *magis labefactantur, abrumpuntur;* divina ecclesiae auctoritas oppugnatur, ipsiusque juribus convulsis substernitur ipsa terrenis rationibus, ac per summam injuriam odio populorum subjicitur, *in turpem redacta servitutem* . . . Personant horrendum in modum academiae et gymnasia novis opinionum monstris etc. Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in praesens comprobamus ecclesiam, *indifferentismum* scilicet, seu pravam illam opinionem, quae improborum fraude ex omni parte percrebuit etc. ». Vividioribus sane coloribus pingi ecclesia romanensis non poterat (2). 6. Quod si post

(1) Ita passim protestantes recentiores, inter quos Gablerus in orat. *De tenuibus initiis, vera natura et indole doctrinae evangelicae*. Jenae 1818. pag. 18. Scribere non veretur: « Quantae lites, quanta dissidia, quanta odia, inprimis inter ordines monachorum, Dominicanorum, Franciscanorum, Jesuitarum, hucusque ecclesiam catholicam misere turbarunt! Non modo antiquiores doctores ecclesiastici, *patres* vocant, in quocumque fere doctrinae ecclesiasticae capite admodum inter se dissident, verum et recentiores romano-catholici, ipsique praesules romani, quorum decreta haud raro inter se pugnant. Atque etiamnum acres agitantur lites inter Pontificis romani asseclas et episcopales, ultramontanos et mere catholicos ».

(2) Ita Palmer, cujus difficultates quas

haec aliqua unitatis umbra deprehenditur in ea ecclesia, coactiva potius dicenda est quam voluntaria, aut ex ejus natura progenita; etenim « historia luce clarius docet, ecclesiam catholicam per tot tantaque facinorum monstra nefanda, quibus crudelissime usa est ad haereticos extirpandos, impedire non potuisse, quo minus in ipso ejus coetu partium studiis dilacerato innumeri fere essent christiani, qui puriore imbuti cognitione a decretorum et cultus ecclesiae catholicae commentis longissime abhorrerent, nec, nisi clericorum astuta crudelique dominatione revincti, aut commodi sui perverso studio ducti, in sinu ecclesiae suae continerentur (1) ». Ergo.

249. Resp. N. A. Ad 1. prob. *N.* Omnes enim catholici unanimiter profitentur romanum Pontificem cum ecclesia seu corpore pastorum sive in concilio sive extra concilium esse prorsus infallibilem. Haec regula numquam nutavit aut nutat, quod in praesentia nobis satis est. Si qua praeterea controversia circa potiorem partem hujus regulae excitatur, eadem non attingit regulam ipsam, ac tota domestica est, cujus momenta ab unaquaque contendentium parte proferri solita, postea expendemus. Absurdum porro est ex eo quod non satis constet inter catholicos, utra auctoritas potiorem sibi vindicet partem, an scilicet Pontifex seorsum spectatus, an vero ecclesia seu concilium, concludere neque in Pontifice cum ecclesia seu concilio eam residere, perinde esset ac inferre, quod cum disputent physiologi utrum in cerebro an in corde, seu in systemate nerveo, aut vasculari proprie vita resideat, eam neque in toto homine residere (2).

250. Ad 2. *D.* In iis quae in praefatis conciliis adversus haereticos definita sunt et a rom. Pontificibus confirmata, *N.* in iis quae probata a rom. Pontifice non sunt, aut in disciplinaribus decretis Tr. Jam vero omnes pariter catholici in eo conveniunt definita in conciliis Constantiensi et Basileensi adversus wicleffitas, hussitas, bohemos et a Martino V. et Eugenio IV. confirmata sunt, plenam obtinere auctoritatem, et in hoc nulla est disceptatio. Ad reliqua vero quod attinet quae dogma non attingunt, neque perhibentur a rom. Pontifice probata, ad criticam devolvuntur, et nos pro opportunitate expendemus. Concilium Lateranense V. ob exiguum episcoporum numerum a nonnullis de ejus oecumenicitate dubitatum est. Ceterum nunc ab omnibus uti vere oecumenicum habetur etiam ab ipsis Gallis (3); Concilium Tridentinum in fidei decretis ab omnibus

ipse in quatuor prolixis appendicibus tom. I. a pag. 318. ad pag. 360. fuse persequitur, contraximus. Quae porro ipse tanto apparatu exponit si ad logicam methodum exigerentur, vix locum darent, uti dicitur, *subsumptae* in scholasticis concertationibus.

(1) Sic Wegscheider § 30.

(2) Attamen hic est paralogismus quo utitur Palmer op. cit. tom. II. p. IV. cap. VII. sect. I. p. 152 seqq. ubi nititur evincere infallibilitatem synodi oecumenicae celebratae et confirmatae a solo rom. Pontifice, esse in ecclesia romana *meram opinionem*. Ejus hac in parte systema peculiare postea discutiemus.

(3) Numquam enim in hoc concilio episcoporum numerus ad centesimum et vigesimum pervenit. Cf. Cabassutium: *Notitia conciliorum* sec. XVI. Praeter Cabassutium, Labbeus, Harduinus, aliique conciliorum galli collectores. Actum in eo potissimum est de extirpatione schismatis, rescissa sunt acta conciliabuli Pisani, proscripta pragmatica sanctio gallicana, definitum est animam rationalem esse immortalem, nec unam in pluribus hominibus, sed uniuscujusque propriam secus ac docuerint Averroes, Pomponatius aliique per id tempo-

omnino catholicis ut oecumenicum et infallibile habetur, et patet ex fidei professione, quae jussu Pii IV. ab omnibus elicitur in universa ecclesia (1).

251. Ad 3. *N.* Neque contrarium evincunt disceptationes theologorum, cum omnes in dogmatibus conveniant; controversiae versantur dumtaxat circa *modum* ea conciliandi quae difficultatem praeseferunt, qui modus ut plurimum cum impervius sit, nil mirum si inter se non conveniant, et salva charitate uniuscujusque scholae theologi illi systemati adhaereant quod magis ad optatum finem conducere videatur, parati semper ad illud judicium amplectendum quod forte tulerit s. Sedes. Idem dic de institutoribus ethices christianae, qui sibi munus sumpserunt eam ad singulos casus practicos applicare, cum vero hi pro innumeris prope adjunctis varient, mirum esse non debet, si identidem ab invicem discedant. Si interdum in hoc perdifficili munere obeundo aliqui lapsi sunt, statim revocati fuerunt ex censura lata a s. Sede in erroneas aut falsas eorum theses (2).

252. Neque id evincunt plures pau-

ris delirantes philosophi. Si tamen audias Leopoldum Rauke in sua *Histoire de la papauté*, doctrina haec communibus suffragiis in oecumenico concilio proscripta, mentes italorum invaserat.

(1) Hoc fatetur Palmer, qui proinde hac de causa animum despondit circa unionem sectarum cum ecclesia romana.

(2) Huc spectant propositiones a rom. Pontificibus condemnatae, de quibus cf. Viva in *Trutina thesium damnatarum*. Exinde patet in ecclesia romana semper praesto esse remedium, cum aliqua irrepserit ex parte individuorum prava doctrina. Vix enim aliqua propositio damnata fuit, ut nemo theologorum catholicorum eam amplius defenderit. Proferant simile exemplum coetus quicumque ab ecclesia catholica sejuncti. Nunc vero ut ad Gableri aliorumque ejus symmistarum, qui exprobrant catholicis nullius frugis concertationes, quarum vix supersunt vestigia, sermonem convertamus, si urgeremus adversus illos controversias omnes easque gravissimas, dissidia, simultates acerrimas quae exortae sunt et passim adhuc novae penes ipsos exoriuntur, quaeque juxta systema fundamentale protestantismi de libertate examinis et independentia individuali numquam componi poterunt, vix integrum volumen iis complectendis sufficeret. Satis hic sit speciminis ergo vel praecipua nomina recensere sectarum quae ex solo lutheranismo suum habuerunt ortum: vix enim ille lucem aspexit, illico prodierunt anabaptistae, antinomiani, osiandriani, stancariani, majoristae, ansdorfiani, synergistae, flacciani, adiaphoristae, substantiarii, accidentarii, musculani, ubiquistae etc. quae rursum sectae subdivisae sunt, et iterum divisae, ut ita dicam, in infinitum, ac se invicem maledictis, anathematibus, conviciis omnigenis proscindebant. Cf. Jod. Coccium op. cit. *De signis ecclesiae* art. VII. ubi prolatis documentis ostendit Lutherum a Luthero, Melanchthonem a Melanchthone, Calvinum a Calvino, lutheranos a lutheranis, sacramentarios a sacramentariis, anabaptistas ab anabaptistis, antitrinitarios ab antitrinitariis mirifice dissidere; item art. VIII., IX. et X. in quibus idem argumentum fuse persequitur ostendendo quomodo lutherani a calvinistis ac reliqui sectarii ab invicem dissentiant ac mutuo se damnent: ibidem invenies singularia encomia quibus se mutuo commendant, quae talia sunt, ut nihil unquam adversus illos a catholicis simile prolatum fuerit. Et isti nunc exprobrant nobis domestica dissidia! Si Gablerus adiret Hollandiam ibi posset comperire quaenam pax inter ministros illos vigeat. Ceterum ab omnis erroris nota thomistas vindicat Bossuet: *Deuxième avertissement aux protestans* § X. molinistas vero ibid. § XVIII. Itaque inter hos theologos aliosque catholicae ecclesiae doctores non agitur nisi de opinionibus liberis, in quibus profecto tuendis non laeditur charitas: quod si nonnulli privati interdum excesserunt

cioresve pervicaces doctrinae jansenianae asseclae sive occulti sive manifesti qui tanto temporis lapsu ubique fere ecclesiam a qua damnati sunt, infestarunt, quin eam maculaverint, eadem ratione qua olim manichaei, ac pelagiani haeretici qui numquam se ab ecclesia separarunt, illam haeresi sua non infecerunt (1). Quando doctrina aliqua ut haeretica solemniter ab ecclesia proscripta est, regula ac norma est constituta; quod si peculiaria individua pervicaciter eidem obsistunt, sibi ipsis nocent, non autem ecclesiae quae eos extra fidei ac propterea salutis viam esse pronunciat. Ejusmodi perduelles possunt quidem esse in ecclesia, quamdiu peculiari sententia extorres ab ea facti non fuerint, non autem de ecclesia, ut loquitur s. Augustinus. Quod si illi notorietate juris aut facti manifesti sint, quin resipiscant, in articulo mortis sacramentis privantur, ac deinde ecclesiastica sepultura (2). Idem ferri judicium debet de ejusmodi schismaticis, incredulis et *indifferentistis*, de quibus loquitur adversarius, cum eadem plane sit ratio. Omnes isti operarii iniquitatis sunt; illud pravum semen quod inimicus homo, seu diabolus in agro dominico superseminat ex Dei permissione ad bonorum exercitium, et exitium malorum; sunt paleae ad comburendum destinatae (3).

253. Ad 4. Resp. tamdiu permansuram sartam tectamque in ecclesia omnimodam ac perfectam unitatem, quamdiu subsistet regula, seu medium utriusque unitatis, fidei nempe et communionis. Subsistet autem haec in seculorum finem juxta Christi filii Dei immutabiles pollicitationes. Contra vero tamdiu subsistet in sectis quibuscumque sive haereticis sive schismaticis confusio et insitum ipsis omnibus principium divisionis, quamdiu ad unicam Christi ecclesiam non se recipient, quae sola est columna et firmamentum veritatis. Quid porro interest, si aliqui filii nequam inter catholicos ipsos, qui sunt moestitia matris suae, quacumque possunt vafritie, enitantur sive romani Pontificis sive totius ecclesiae extenuare, ac etiam si possent, omnem eliminare infallibilem auctoritatem? Ecclesiae profecto non nocebunt, quae Dei virtute ac omnipotentia regitur; irriti erunt omnes eorum conatus, ac sibi solis damnationem consciscent ac confusionem. Tot seculorum experientiam vadem habemus. Quamvis enim plures quovis tempore *a veritate exciderint*, ac bellum atrox intulerint domestici hi hostes colligati cum hostibus

in disputandi aestu, eos coërcuerunt rom. Pontifices sapientissimis decretis et ad pacem cohortati sunt. Nonnulla decreta huc spectantia retulimus in tract. *De gratia* p. I. cap. IV. n. 330 quibus alia adjici possent.

(1) Notum est quibus artibus se tegerent manichaei ne agnoscerentur in ecclesia catholica: huc spectant decreta s. Leonis M. et Gelasii de sumenda eucharistia sub utraque specie, ut hac ratione illi haeretici detegerentur. Quod vero attinet ad pelagianos, de ipsis scribit s. Augustinus lib. *De peccato orig.* cap. XVII. n. 18. « Eos propterea sectabantur, quia catholicae communionis videbant esse sociatos ». Eadem refert Marius Mercator apud *praedest. haeres.* 88.

(2) Plura documenta hujus agendi rationis exhibet historia eccles. in Galliis; recens est exemplum episcopi constitutionalis et jansenistae Grégoire, de quo alias scripsimus.

(3) Quo igitur abeunt omnia anecdota congesta a Palmer de jansenistis in Gallia, de pistoriensibus et tamburinianis in Italia, de clericis petentibus dispensationem aut etiam abrogationem legis coelibatus in Germania, aliaque ejusmodi? Omnes in eodem censu habendi sunt, nisi resipiscant.

externis ecclesiae Dei, « firmum fundamentum Dei stat (1) », ac aeternum stabit.

254. Ad 5. *D.* Et in objecta encyclica exponit ac deflet Gregorius XVI. mala totius christianismi, *C.* solius ecclesiae romanae *N.* Romanus enim Pontifex utpote totius ecclesiae caput excitat vigilantiam episcoporum ut suos greges tueantur tum ab insidiis sive occultis sive manifestis luporum qui intra gregem ipsum versantur, tum a machinationibus et aperta vi luporum qui extra gregem sunt et eum undique circumstant, ut oves Christi mactent et perdant. Alias enim ostendimus ecclesiae semper dimicandum fuisse adversus duplicem hostium phalangem internam et externam, et ex ejus perpetuis triumphis divinam ejusdem intulimus veritatem (2). Itaque istorum hostium omnium nisus, molimina, conatus sive ad cultus majestatem labefactandam, sive ad unitatis vincula dissolvenda, sive ad auctoritatem divinam ecclesiae oppugnandam, sive ad sedis apostolicae jura convellenda, eamque in turpem servitutem redigendam, aliaque ejusmodi machinanda refert; at nuspiam affirmat impios hos homines praestitutum sibi finem obtinuisse, aut obtenturos unquam fore (3). His enim non obstantibus, « firmum Dei fundamentum

(1) II. Timoth. II, 18, 19.

(2) Tract. *De vera relig.* p. I. cap. IV. prop. IV.

(3) Exempla recentia sunt eorum qui fortiter restiterunt seculi principibus, qui in servitutem redigere voluerunt ecclesiasticam libertatem. Ecclesia catholica quovis tempore obstitit ejusmodi conatibus; pluresque martyres veneratur qui hac de causa vitam amiserunt. Contra vero anglicana communio ideo discessit ab ecclesia romana, ut se subtraheret a romani Pontificis auctoritate, ac se subjiceret regum suorum dominationi in negotiis ecclesiasticis, ut patet ex juramenti formula quod emittere subditi anglicani cogebantur, quae hujus tenoris est: « Ego N. N. palam testor et ex conscientia mea declaro, quod majestas regia unicus est supremus gubernator hujus regni, omniumque aliorum suae majestatis Dominiorum, ac territoriorum, *tam in omnibus spiritualibus, sive ecclesiasticis rebus, aut causis*, quam in temporalibus, et quod nullus extraneus princeps, persona, praelatus, status aut potentia habet, aut habere debet ullam jurisdictionem, superioritatem, praeeminentiam, *vel auctoritatem ecclesiasticam*, sive *spiritualem* infra (forte *intra*) hoc regnum etc. ». Cf. apud Bellarm. *Responsio ad apologiam pro juramento fidelitatis*. Opp. edit. Venet. 1721. tom. V. pag. 158. Quanam autem ratione supremum hunc spiritualem primatum exerceret inter ceteras regina *immaculata* Elisabetha specimen sume ex epistola ad quemdam praesulem, quamque tibi ex anglica lingua conversam hic subjicio. « Audax praesul! Certior effecta sum te segniorem esse in munere tuo exequendo; Sed scias velim, *quod ego, quae te feci id quod es, te possum etiam infectum facere;* ac nisi munus tuum statim adimpleas, per Deum, te veste protinus exuam. Tua prout te gesseris-ELISABETHA ». Haec epistola ex actis, dioeceseos Eliensis extracta publicis typis edita est in *London Magazine* Jun. 1761. Quorsum vero haec? Scilicet ut pateat quam inepte Palmer qui ut anglicani coetus dependentiam a regimine civili in negotiis spiritualibus cohonestet, nobis saepe adeo objicit verba Pontificis Gregorii XVI. ut evincat non melioris conditionis esse ecclesiam catholicam, ob violentias quas interdum in eam nonnulli principes exercere nituntur. Potuisset pari ratione urgere vim quam in religionem christianam ethnici imperatores exercuerunt, aut in religionem catholicam principes a catholici. Quid evincit vis contra omne jus extrinsecus illata? Contra vero primatus quem exercet politicum regimen in ecclesiam anglicanam pendet ex ipsius ecclesiae constitutione et natura.

stat » ac Dei promissiones non evacuabuntur. Accedit romanum Pontificem in hac encyclica dum ecclesiae, si placet, mala gravissima exponit, sacrorum eloquiorum phrasibus uti quibus veteres prophetae populi Dei mala reprehendebant, quin exinde concludi possit ex delinquentium numero et improbitate, ecclesiam illam veterem aliquod in se detrimentum passam esse. Et haec quidem adversam ecclesiae faciem inspiciendo, quo sensu Psalmista dicebat: « Omnes declinaverunt », et Apostolus: « Omnes quaerunt quae sua sunt »: quod si voluisset faciem alteram delineare, potuisset profecto cum iisdem scriptoribus sacris eam vocare Dei peculium, gentem sanctam, genus electum, ut in Scripturis moris est, sive cum laudant, sive cum vituperant.

255. Ad 6. *N.* Etenim si coactiva esset catholicae ecclesiae unitas, haec non coepisset nisi insequentibus seculis post instituta Inquisitionis tribunalia ad quae adversarius alludit; non vigeret in Galliis aliisque regionibus penes quas homines plena fruuntur libertate conscientiae in profitenda quam malunt religione; non vigeret a fortiori in provinciis in quibus dominantur protestantes: attamen catholicae ecclesiae unitas viguit sub paganorum persecutionibus, viguit postea pari prorsus ratione; immo catholici arctiori vinculo inter se constringuntur et ferventiores esse solent sub protestantibus, praesertim cum ab ipsis opprimuntur. Ergo non coactiva, sed omnino libera est ac voluntaria illa ecclesiae catholicae unitas. De tribunalibus Inquisitionis alias disseruimus, ubi ostendimus in his quae ad poenas infligendas haereticis pervicacibus spectant, esse potius civilia quam ecclesiastica; item exaggerata esse evicimus quae ab adversariis obtruduntur circa punitorum numerum, qui tamen reipublicae erant exitio (1); ac demum evanescere hunc numerum si conferatur cum numero catholicorum, qui ab anglicanis, calvinianis, lutheranis aliisque sectariis perempti sunt (2); quamquam longe diversa esset causa utrorumque (3).

(1) Cf. *Tableau historique et pittoresque de Paris* par M. B. de Saint-Victor. tom. III. prem. partie, Paris 1823. pag. 51 seqq.

(2) Cf. quae scripsimus in tract. *De vera relig.* p. 2. cap. IV. prop. II. n. 364 seqq. cum notis appositis.

(3) Nam catholici cum sint in possessione fidei suae jus habent eam retinendi; contra vero novatores, haeretici et schismatici dum novitates suas obtrudunt, aut legitimae auctoritatis jugum excutiunt, pugnant contra antiquam et receptam religionem, et contra legitimam auctoritatem, rei propterea constituuntur gravissimi sceleris coram Deo et societate, lites ac divisiones serunt, cunctaque perturbant. Experientia jugi compertum est numquam praevaluisse haereticam aut schismaticam sectam, quin bella, et seditiones gravissimas excitarit. Mirum proinde non est, si principes politici novatoribus obstiterint ex quibus omnia sibi mala impendere merito pertimescebant. Haec ipsa ratio est quam urget Gibbon in sua historia *De casu imperii romani*, dum satagit excusare romanos imperatores in dirissimis persecutionibus et cladibus quas intulerunt religioni christianae, cum nullam crearent molestiam judaeis, quamvis hi religionem profiterentur diversam a religione imperii romani. Deinde priusquam aliqua honestatis specie possent haeretici aut schismatici exprobrare catholicis poenas quibus interdum mulctarunt haereticos, deberent, inquam, prius ex suis fastis expungere doctrinam Calvini, qui *in Exposit. errorum Serveti* edixit *jure gladii coërcendos esse haereticos*; librum quem scripsit Beza an. 1554. *De haereticis a magistratu civili puniendis*; item doctrinam et facta Lutheri ac Melanctonis circa exterminationem et peremptionem anabaptistarum; delere deberent vestigia illius sanguinis qui in Anglia per tria

Adversus notam sanctitatis

256. I. Obj. 1. Deest in ecclesia romana sanctitas doctrinae, cum foveat scelera ex absolutionis facilitate, quam in vitae exitu nec scelestissimis denegat; cum nullam fidem servandam haereticis doceat, cum juramenta, aliaque obligationum vincula sacerdotum arbitrio relaxare permittat; cum innumeras corruptelas nutriat in sinu suo. 2. Nec magis illius ecclesiae sanctitas elucet in membris suis: monasteria enim, fatente episcopo Riccio, plerumque non sunt nisi vitiorum sentina. 3. Plures Pontifices omni flagitiorum genere obstricti sunt; plerique episcopi sceleribus sunt coinquinati; sacerdotes innumeri scandalo sunt plebi christianae; laici ebrietate, jurgiis, facinoribus omnibus ea in ecclesia sordescunt. 4. Quod si plures in ecclesia romana sancti numerantur, nemo est qui nesciat plures ex incerta fama in sanctorum album fuisse relatos, cum non coeperit sanctorum, ut dicitur, *canonizatio* nisi sec. XII. invehi; medio praesertim aevo plerosque qui cucullum monasticum induissent sanctos habitos esse; nam superiore tantum seculo, certa lege in eorum sanctitatem quaesitum fuit, nec absque partium studii, aut turpis etiam lucri suspicione; antea vero res tota ab unius alteriusve ut plurimum judicio omnino pendebat (1). Ergo.

257. Resp. *N.* A. Ad 1. autem prob. *D.* Facilitas absolutionis scelera fovet nisi juxta praescriptas a jure divino et ecclesiastico regulas impertiatur, *C.* si juxta eas regulas quas quilibet sub gravi servare tenetur ne se implicet peccatis alienis *N.* Nemo porro ex doctrina ecclesiae catholicae exposita in concilio Tridentino rite absolvi potest qui sincere non doleat de peccatis praeteritis, et firmiter non proponat non peccandi de caetero (2). Si casus propterea contingat in quo haec regula non servetur, non ecclesiae doctrinae, sed aut confessariorum aut poenitentium vitio verti debet. Quod vero adjicitur de absolutione quam in vitae exitu non denegat ecclesia etiam scelestissimis, alias diluimus: alluditur enim hac difficultate ad errorem praeconceptum haereticorum (3).

258. Negamus porro unquam docuisse ecclesiam catholicam haereticis fidem non esse servandam: perpetua haec est calumnia quam licet saepe adeo repulerint scriptores catholici, nonnulli haeretici et rationalistae sec. XIX. renovare non desinunt, quamvis eam ipsi doctrinam non semel adversus catholicos in praxim deduxerint (4).

fere continentia secula effusus est, tum in Germania, tum in Galliis; deberent a modernis legislationibus Sveciae, Russiae etc. abradere tot articulos, quibus qui redire volunt ad avitam matrem ecclesiam catholicam direptioni bonorum, exilio aliisque gravissimis poenis subjiciuntur. Vere dum haec conspicio mihi videre videor sordidam effrontemque illam adulteram, quae prov. XXX, 20. « comedit, et tergens os suum dicit: non sum operata malum ».

(1) Ita passim recentiores protestantes apud Kenrik op. cit. tom. I. p. 190 seqq.

(2) Sess. XIV. cap. IV.

(3) In tract. *De poenitent.* cap. III. prop. I. n. 125 seqq. ubi plura alia disjecimus, quae hic denuo objici solent; et prop. III. n. 156. not. (a).

(4) Haec nobis protestantes et rationalistae ad haec usque tempora obtrudunt, licet nullum unquam documentum quo hanc accusationem evincant adeo atrocem proferant. Contra vero nos ex publicis factis quae vel hac ipsa aetate nostra contigerunt facile eis ostendere possemus passim ab ipsis violatam fuisse fidem publice ac solemniter catholicis datam, et ju-

259. Falsum praeterea est sacerdotum arbitrio permitti relaxationem juramenti aliarumve obligationum, si praesertim agatur de jure tertii. Quoad eas vero obligationes quae nullius jus violant, et Deo tantum fideles adstringunt, justa intercedente causa rom. Pontifex, aut praesules etiam, declarant, eas non obligare in peculiaribus adjunctis, in quibus cederent in perniciem animarum, cum saepe contingat nonnullos temere aut jurejurando aut voto se obstringere.

260. Corruptelae vero quas memorant adversarii, ex praeconceptis eorum opinionibus solum oriuntur: alludunt enim ad externum cultus apparatum, ad scapularis, aut rosarii, aliorumque ejusmodi usum ad quem diobolarii disputatores semper confugiunt (1): caecus porro non judicat de coloribus.

261. Ad 2. *N.* Haec enim atrox calumnia unice innititur auctoritati irreligiosi nulliusque fidei scriptoris (2), et testimonio infelicis praesulis decepti a jansenianis quorum factionem fovit, quique ad saniora consilia Dei gratia revocatus palynodiam cecinit eorum omnium, quae falso et incaute antea protulerat (3). Ceterum monasteria sub vigilantia pastorum constituta sunt; si qua ibidem mala herba, ut fieri potest, germinaverit, illico eradicatur. Innumera vero commoda quae ex sanctimonialium pietate et charitate vel ipsa societas politica derivat, notissima sunt, ac non semel acatholicorum invidiam excitarunt (4).

ramenti religione firmatam. Verum cum de re nimis odiosa agatur, malo ea silentio praeterire; interea Cf. quae scripsi in tract. *De matrim.* ubi agitur *De matrimoniis mixtis*.

(1) Vix legas plebejos ejusmodi disputatores, aut provocatores, in gravissimis controversiis de ecclesiae veritate, infallibilitate, unitate etc. exagitatos, ut eos statim declinare non videas, ac elabi in reliquias, amuleta, rosaria, scapularia, aquam benedictam etc. Hic enim est locus ipsorum communis, qua ratione a substantialibus quaestionibus ad adiaphora se recipiunt, ut sic declamationibus vanis sibi ac ceteris illudant. Tanta est istorum caecitas et praesumptio.

(2) Haec enim innituntur auctoritate D. de Potter, qui in op. *Vie de Scipion de Ricci évêque de Pistoie et Prato, et réformateur du catholicisme, en Toscane sous le règne de Léopold*. Bruxelles 1825. totus in eo est ut extollat hujus illusi praesulis temeraria gesta. Porro cum episcopus Ricci meditaretur subtrahere a regularibus sacerdotibus spiritualem monasteriorum administrationem et directionem, magnificavit nonnullos abusus sive reales sive fictitios qui in ea irrepserant, ut patet ex op. cit. tom. I. cap. XII et XV. et alibi passim, ubi hic auctor hanc crambem saepe repetit.

(3) Ut testatus est sa. me. Pius VII. in allocutione habita die 26. Junii 1805. in consistorio secreto: inter cetera vero haec in praefata allocutione leguntur: « Filiali fiducia nobis significavit (Scipio Riccius Pistoriensis olim et Pratensis episcopus), se formulae, quam ipsi proponere nobis placuisset, sincero corde subscripturum. Nec fidei, quam nobis dederat, defuit. Formulam enim per ven. fratrem nostrum archiepiscopum Philippensem ei missam, legit, admisit, suaque manu signavit. Hac ergo formula, quam reparando scandalo publicam in cognitionem deduci concupivit, declaravit se pure, et simpliciter, omninoque ex animo accipere et venerari constitutiones a sede apostolica factas, quibus errores Baji, Jansenii, Quesnellii, et illorum, qui eos sectati sunt, proscribuntur, praesertim vero bullam dogmaticam *Auctorem fidei etc.* ». Hanc retractationem confirmavit Riccius litteris ad eundem ss. Pontificem datis. Jam vero eam De Potter frustra cavillationibus obscurare aut eludere nititur.

(4) Ecquis summis laudibus non celebravit *sorores* quas vocant, *de charitate*, religio-

262. Ad 3. *D.* Nonnulli Pontifices, aut etiam episcopi degeneres fuerunt, *C.* quot amplificant protestantes *N.* Haud dissimulamus nonnullos extitisse Pontifices qui pro temporum calamitate humanae infirmitati succubuerint; ex iis praesertim qui factionum vi in Petri cathedram obtrudebantur. Verum praeterquam quod « Petri dignitas in indigno haerede non deficit », juxta praeclarum s. Leonis effatum (1), paucissimi hi sunt si cum serie tot Pontificum comparentur qui et virtutis et doctrinae laude eam quovis seculo illustrarunt (2). Quod vero dictum est de rom. Pontificibus, debita proportione etiam de episcopis, ratione nempe habita ad illorum multitudinem, affirmari debet. Sanctissimi praesules numquam non floruerunt in ecclesia Dei (3). Idem dicendum de sacerdotibus, quin pluribus hoc argumentum persequamur.

263. Nunc in universum, ut omnes coetus complectamur, dicimus doctrinam ecclesiae filiis ejus ad omnigenam sanctitatem informandos idoneam prorsus esse, ut patet ex innumeris qui gloriae et decori eidem fuerunt et sunt. De iis vero qui vitam suam non componunt ad hujus doctrinae regulam, imo ab ea turpiter deflectunt, id non regulae defectui, sed perversae ipsorum voluntati imputari debet; pollent quippe libero arbitrio, neque ex istorum pluribus aut paucioribus transgressionibus quidpiam logice concludi potest. Cum veteres manichaei eadem objicerent catholicis, sic ipsis respondebat s. Augustinus: « Vestrum oculum malevolus error in solam paleam nostrae segetis ducit: nam et triticum ibi cito videretis, si et esse velletis (4) ». « Fruges in agro, frumenta in area quaerite: apparebunt facile, seseque offerent ipsa quaerentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? Quid ab opimi horti ubertate im-

sas *a s. Ursula* nuncupatas, *boni pastoris*, ut eximia alia instituta quibus referta est ecclesia catholica, silentio praeteream? Quot in Africam, in Americam, inter sylvestres et barbaras gentes se ex his contulerunt, ut partim nosocomiis se manciparent, et omnibus, quoquomodo possent, suppetias ferrent, puellae ut plurimum divites, nobiles, delicatae ex sola charitate in Deum et proximum? Talia exempla proferant protestantes et acatholici universim, si possunt; nos plura millia enumeramus.

(1) Serm. III. De Natali ipsius III. cap. IV. edit. Ballerin.

(2) Divina profecto providentia factum est ut vix inter 258. Pontifices, quot a s. Petro ad Gregorium XVI. sedem apostolicam ingenti XVIII. seculorum lapsu occuparunt, vix decem plus minus numerentur quorum vita maculata fuerit, quique ut plurimum factionum ingruentium opera ad Petri cathedram evecti sunt, sub quibus tamen nullum unquam fides passa est detrimentum. Si quis aliorum principum successiones, praesertim haereticorum, expenderet, eaque severitate in singulorum gesta inquireret, qua inquisitum est in gesta rom. Pontificum, certe longe aliud spectaculum illi sese offerret intra paucorum seculorum tractum. Verum haec omnia levissimi quidam auctores dissimulant, ut nobis perpetuo nonnullorum romanorum praesulum scandala obtrudant. Odium excaecavit cor eorum.

(3) Ut sistamus in praesulibus qui post reformationem in ecclesia floruerunt, quis non suspiciat s. Carolum Borrhomaeum, s. Franciscum Salesium, b. Barbaricum, b. Alexandrum Sauli, ut de innumeris pene aliis taceam qui doctrinae et sanctitatis laude Dei ecclesiam illustrarunt? Recens adhuc memoria est s. Alphonsi de Ligorio. Utinam ejusmodi homines protestantismus et anglicanismus protulit aliquando? Cf. etiam de hoc argumento com. de Maistre in op. *Du Pape* liv. III. ch. III. Lyon 1821. tom. 2. pag. 80 seqq.

(4) Cont. Faustum lib. VI et XI.

peritos homines sepium asperitate terretis? . . . Sunt in ecclesia catholica innumerabiles fideles, *qui hoc mundo non utantur*, sunt *qui utantur tamquam non utentes* ut ab Apostolo dicitur (1) » ac demum, ceteris omissis, « Quam enim multos episcopos optimos viros, sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos, et cujuscemodi ministros divinorum sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior et majore praedicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, et in ista vita turbulentiore servare. Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus praesunt (2) ». Eadem porro et nos respondemus nostrae aetatis haereticis qui illas ipsas criminationes nobis obtrudunt.

264. Ad 4. *D.* Ex iis quorum cultus in universali ecclesia receptus non est, Tr. ex iis quorum cultus receptus est in universa ecclesia *N.* Esto quandoque nimis se faciles praebuisse veteres nonnullos in decernendis sacris honoribus alicui qui sanctitatis fama percrebuerit: ut plurimum tamen istorum cultus intra particularis dioeceseos aut provinciae limites se continuit: martyrologium romanum non semel ad trutinam revocatum est, et non pauca exinde nomina expuncta. Ceterum numquam non invigilavit ecclesia ne cultus indignis decerneretur (3), donec romani Pontifices ut cuicumque abusui aditum praecluderent ad se exclusive has causas revocarunt, et plura sapientia ac prudentia referta decreta in eum finem ediderunt; severissimas regulas sanxerunt; congregationem sacrorum rituum instituerunt quae doctis theologis qui consultorum munere funguntur utitur ad res singulas apte expendendas; a fidei promotore, aliisque idoneis viris juridici processus construuntur, nec nisi demum difficultatibus omnibus saepius discussis atque explanatis, quidquam Pontifex decernit super virtutibus in gradu eminenti, quibus fulsisse, ille de quo agitur, perhibetur (4).

(1) Lib. I. *De morib. eccles. cathol.* cap. XXXV. n. 77.

(2) Ibid. cap. XXXII. n. 69.

(3) Cf. Bened. XIV. *De beatif. et canoniz. Sanctorum*, lib. I. cap. II seqq. praesertim cap. VI. et VII.

(4) Equidem tanta severitate, tot adminiculis, tanto testium apparatu juridicum istud de virtutibus examen ab apostolica sede instituitur, ut sit omnino asserendum nullum existere in universa Europa tribunal in quo eo rigore causae discutiantur, imo quod cum eo vel conferri possit. Ut autem aliquod ejus specimen praebeam, prout praebui de miraculis, hic est in causis sanctorum dijudicandis tenor. 1. Praecedere debet processus famae sanctitatis, et miraculorum in genere, qui conficitur ab ordinario illius de quo agitur, apud civitatem aut provinciam in qua conversatus et mortuus est; et alter processus de non cultu juxta decreta Urbani VIII. 2. Debet constare juridice, utrum ille processus juxta regulas praescriptas confectus fuerit; 3. Misso utroque processu ad s. Sedem sigillis munito et obsignato, atque debitis, ut vocant, formalitatibus aperto et probato: 4. postulatores causae instare debent pro *litteris remissorialibus*, ut conficiatur processus apostolicus super fama sanctitatis et miraculorum in genere; hae autem *litterae remissoriales* a sac. congregatione rituum tribus episcopis inscribuntur cum clausula, ut duo ad minimum procedant ad processum apostolica auctoritate construendum, quo confecto et approbato, 5. fit nova instantia pro expeditione aliarum *litterarum dimissorialium* ad processum conficiendum auctoritate apostolica super virtutibus et miraculis in specie. 6. Confecto pariter hoc novo processu et ad Urbem transmisso, eadem ratione ac prior aperitur; 7. Discussa hujus novi processus validitate ac probata a sac. congregatione, 8. demum post an. 50. ab obitu

Cum vero ad hos processus conficiendos, atque eliminanda quae occurrunt dubia, pluribus impensis opus sit, exinde haeretici qui ultra corticem non intuentur, ansam sumpserunt suspicionem de turpis lucri amore ex parte romanorum Pontificum ingerendi.

265. II. Obj. 1. Miracula quae congerunt romanenses historico destituuntur fundamento atque ad critices regulas exacta plane evanescunt. 2. Sane longe distant testimonia quibus evangelica miracula probantur ab iis quae posteriora miracula commendant. Scriptores coaevi, oculati plurimorum testes, res gestas referunt in ipsa qua dicuntur contigisse regione inter hostes Christi ad novam inducendam religionem: 3. Contra vero alia miracula plerumque post saeculorum lapsum narrantur ex vulgi fama: 4. ipsa enim quae maxime probanda videntur, utpote pontificii tribunalis examini subjecta, vix ante seculum ab obitu possunt in curia allegari: quo fit, ut progrediente tempore quaedam sancto alicui mira tribuantur, de quibus ne cogitavit quidem coaevus aliquis scriptor, siculi de Ignatio a Lojola contigit. Procul etiam a loco res gestae saepius narrantur, miracula quippe Francisci Xaverii in Europa ex missionariorum litteris, hac ratione suae causae patrocinantium, claruerunt. 5. Plerumque etiam in papistarum provinciis abundant miracula, de quibus nullum in regionibus protestanticis occurrit vestigium. Tentando fiunt, seu periculum rei faciendo, infelici saepius successu, potius quam certa quadam virtute et Dei potentia. Quaecumque igitur allegantur, uti incerta habenda sunt, vel saltem quorum lateat causa, utrum nempe Deo auctore patrata dicenda sint (1). 6. Hinc nec inter romanenses videntur miracula sola censeri probationem sufficientem perfectae sanctitatis. Christianus Lupus scribit: « Non quaevis, licet miraculis illustrata, justitia ad canonizationem sufficit: esse debet eminens et ab omni etiam famae naevo immaculata (2) »; atque ad hujus assertionis confirmationem exemplum adducit Roberti Lincolniensis episcopi, qui sese opposuit romano Pontifici, de quo scribit Henricus Chryghtonus: *hac de causa, quamvis Robertus perspicuis effulgeret*

servi Dei, qui tunc primum *venerabilis* appellatur, excutitur dubium de virtutibus in specie, de tribus nempe theologalibus, fide, spe et charitate, ac de quatuor cardinalibus prudentia, justitia, fortitudine et temperantia celerisque virtutibus adnexis. In singulis processibus tum ab officialibus tum a singulis testibus praemittitur juramentum de secreto servando, ac de veritate dicenda, subjiciuntur vero testes interrogationibus seorsum a reliquis. His praemissis agitatur dubium: *utrum constet de virtutibus ad effectum de quo agitur*. Discutitur porro hoc dubium in tribus congregationibus, *antipraeparatoria* scilicet, *praeparatoria*, ac demum *generali* coram Pontifice omni severitate, ita ut nisi omnibus difficultatibus seu animadversionibus *fidei promotoris* plene satisfactum fuerit, felix causae exitus minime sit expectandus. Romanus autem Pontifex decretum in favorem causae non emittit, nisi duae ad minimum ex tribus partibus consultorum suffragium tulerint constare *De heroicitate* ut vocant, in virtutibus singulis. Ego vero in praxi comperi severius adhuc institui examen et discussionem praedicti dubii. Cf. Bened. XIV. op. cit. tom lib. I. cap. XXII. tum lib. II. a cap. XXXV. ad LIV.

(1) Ita Paley, *Evidences of christianity* prop. II. ch. I. apud Kenrik op. cit. pag. 200.

(2) Tom. III. *Schol. in can.* p. 571. edit. Bruxell. 1673.

miraculis, non est permissus canonizari (1). 7. Baillet animadvertit viros miraculis et sanctitate claros interdum in sanctorum romanorum catalogum minime referri, eo quod turbaverint curiam romanam, aut aliqua ratione scandalum praebuisse censeantur (2). 8. Fatetur jesuita Salmeron posse miracula a falsa patrari ecclesia. 9. Espencaeus, alter theologus romanus, affirmat, miracula Deo ac daemoni, Christo et antichristo esse communia (3). 10. Admissum est a patribus Irenaeo, Origene, Cypriano et Augustino haereticos signa ac prodigia patrasse, quod nec inficiantur romanenses (4). 11. Patrata sunt in magna quantitate a jansenistis (5); 12. Sibi miracula adscribunt non solum ecclesiae romanae, verum etiam orientales, auctore Nectario; nestoriani, eutychiani, prophetae hugonotti, irvingitae, aliaeque sectae quam plurimae. 13. Frustra porro romanenses contendunt miracula sua sola authentica esse, ac sola mereri examinis investigationem: haec enim vana est praesumptio nullo modo veritate suffulta. 14. Plures vel ipsos inter romanenses, Vives, Canus, Lindanus, Milner aliique fatentur plura falsa miracula venditari. 15. Hinc factum est ut miracula romanensia jam in proverbium transierint veluti sycophantiae; satis est ea commemorare, ut risus incredulitatis excitetur. 16. Ergo merito D. Bouvier cum card. La-Luzerne inficiatur miracula constituere notam ecclesiae *positivam* (6).

266. Resp. Ad 1. *D.* Nonnulla, aut etiam plura quae vulgo circumferuntur miracula non satis firmo innituntur historico fundamento, Tr. vel *C.* omnia, praesertim ea quae a romana ecclesia solemni judicio comprobantur *N.* Nec enim catholici hebetes adeo aut plumbei sunt, ut non possint accurate secernere miracula quae in nonnullis *legendis* aut chronicis circumferuntur absque solido fundamento, ab iis, quae a scriptoribus fide dignis, coaevis, aut certis documentis innixis narrantur. Priora etiam catholici despiciunt, posteriora vero prout critica docet, amplectuntur; et haec sunt quae ipsi urgent veluti juge Dei testimonium quo sanctitas verae ecclesiae Christi commendatur, ac eam re-ipsa vivere patefit.

267. Ad 2. *D.* Id est, miracula evangelica specialem venerationem merentur utpote litteris consignata a scriptoribus divinitus inspiratis ad divinam Christi missionem ostendendam, *C.* miracula posteriora nullam vim habent ad evincendam divinitatem Christi ecclesiae si referantur ab auctoribus qui omnibus veritatis notis instructi sint *N.* Etenim ex praecellentia qua gaudent miracula evangelica nullum potest inferri praejudicium illis miraculis *quae ex Christi promissis fiant* in vera ejus ecclesia ad ipsius sanctitatem commendandam. Res proinde ad criticam devolvitur; quod si semel constiterit de posteriorum miraculorum veritate juxta severae critices regulas, haec omnem vim suam habent ad finem in quem patrantur.

268. Ad 3. *D.* Aliqua, *C.* omnia *N.* Responsio patet ex dictis in solutione pri-

(1) Ibid.

(2) *Discours sur l'hist. de la vie des saints* § xc. tom. i. Paris 1704. pag. 95.

(3) Espencaeus in 2. ad Tim.

(4) Tournely de eccl. tom. i. p. 153.

(5) Alluditur ad miracula potissimum quae facta perhibentur ad sepulchrum diaconi *Paris*, pro quibus adducuntur Mosheim hist. eccl. vol. v. p. 211. nec non P. Lambertus dominicanus in op. *Exposition des prédictions* etc.

(6) Ita Palmer op. cit. p. i. ch. vi. et chap. xi. sec. iii.

mae difficultatis. Ceterum s. Irenaeus (1), Tertullianus (2), Cyprianus (3), Dionysius Alex. (4), Eusebius (5), Athanasius (6), Hieronymus (7), Paulinus (8), Sulpicius Severus (9), Augustinus (10), Gregorius M. (11), Bernardus (12), ut alios praeteream, ea referunt miracula vel quorum sese exhibent oculatos testes, vel quae a testibus coaevis et fide dignis acceperunt. Accedit nonnulla miracula fuisse publica et in omnium conspectu posita, cujusmodi fuit quod in Typacensi civitate persecutione vandalica saeviente factum est (13); alia permanentia ut miraculum quod singulis annis Neapoli contingit de liquefactione et ebullitione sanguinis sancti Januarii dum sistitur in conspectu capitis s. martyris (14). Haec talia sunt ut a nulla severiori critica concutiantur.

(1) Lib. II. *Cont. haeres.* cap. XXXII. ed. Mass. ubi ostendit, commune adhuc sua aetate fuisse miraculorum et charismatum donum in ecclesia catholica.

(2) Lib. *De anima* cap. LI. edit. Rig. in quem locum cf. notas P. La-Cerda, et Gretzeri in *animadv. junianis*.

(3) Lib. *De lapsis* edit. Maur. p. 189.

(4) Epist. VIII. ad Philemon. Rom. eccl. presbyt. opp. ed. de Magistris Rom. 1796. pag. 156. et ibid. epist. XI. advers. German. presbyt. pag. 165. ubi etiam refert visiones sibi a Deo factas.

(5) Hist. eccl. lib. VI. cap. IX. ed. Vales. et lib. IX. *De martyribus Palestinae*.

(6) *In vita s. Antonii* n. 54. et 57. ed. Maur. opp. tom. I. par. II. pag. 836, et pag. 389 seqq.

(7) *In vita s. Hilarionis* n. 39 seqq. opp. ed. Vallars. tom. II. p. 36 seqq. et in lib. cont. Vigilant. n. 11. ib. p. 397.

(8) *In poëmate* XXIX. ed. Muratorii Veron. 1736. et in append. col. 932.

(9) *De vita s. Martini* et de eadem *dialogi tres* ed. Hieronymi de Prato veronens. Veronae 1741. cf. etiam eruditi editoris dissertat. in eundem.

(10) *De civitate Dei* lib. XXII. cap. VIII.

(11) In quatuor libris *Dialogorum* in quos cf. praef. edit. Maur. opp. tom. II. p. 113 seqq.

(12) In lib. *De vita et rebus gestis s. Malachiae* cap. XVII. seqq. praesertim cap. XXIX. ed. Maur. vol. I. p. 680 seqq.

(13) De quo cf. Victorem Vitensem in hist. *Persecution. Vandalicae* lib. V. cap. VI. Miraculum istud vere magnum ita hic auctor describit: « Praecepit (rex Hunnericus) comiti cuidam ut in medio foro, congregata illuc omni provincia, linguas eis et manus dexteras radicitus abscidisset. Quod cum factum fuisset, Spiritu Sancto praestante, ita locuti sunt, et loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis, subdiaconum *REPARATUM* sermones politos sine ulla offensione loquentem ». Eadem referunt Procopius lib. I. *De bello vandalico*, Aeneas Gazensis in dialogo qui inscribitur *Theophrastus*, Marcellinus comes in chronico, qui se testes de visu exhibent hujus miraculi. Istorum testimonia exhibet Ruinartius in *Commentario historico persecutionis vandalicae* par. II. cap. VII. ubi adjecit auctoritatem s. Gregorii M. et imperat. Justiniani, qui hujus miraculi meminit in constit. *De officio praefecti Praetorio* lib. I. cod. Justin. tit. XV. qui et ipse testatur se vidisse « hos venerabiles fratres, qui abscissis radicitus linguis poenas suas miserabiliter loquebantur ». Cf. *Historia persecutionis vandalicae* opera et studio Domni Theodorici Ruinart. Paris 1694. Quid porro ad haec Paley?

(14) Nihil intentatum reliquum fecerunt heterodoxi et increduli, ut, si celebre hoc factum negare nequeunt, saltem miraculi vim aut inficientur aut extenuent. Sed frustra; siquidem non rudes aut plebeji homines tantum, sed viri apprime docti tum incolae tum advenae ex omnibus orbis partibus qui illuc confluunt, et spectatores sunt, et critico illud

269. Ad 4. *D*. Ita tamen ut eorum processus juridicus statim conficiatur, *C*. hoc constructo Tr. Vix enim aliquis fama sanctitatis insignis vita functus est, impetrata a s. Sede facultate, construitur ab episcopo loci processus *ordinarius* de miraculis quae ad servi Dei intercessionem patrata dicuntur: quo confecto, processus construitur *apostolicus*, qui sigillis munitus in archivio sac. congregationis asservatur donec perveniatur in causa ad horum examen. Transmisimus porro alterum distinctionis membrum, cum saepe contingat longe maturius expendi ejusmodi miracula, cujus rei exemplum recens habemus sive in causa s. Francisci de Hieronymo, sive potissimum in causa s. Alphonsi de Ligorio (1).

270. Atque hinc responsio liquet ad id quod subditur de miraculis quae sancto alicui tribuuntur post longum temporis lapsum ab ejus obitu de quibus, ut autumat adversarius, alte silent scriptores coaevi, aut de miraculis quae ex longinqua regione innotuerunt. Praeterquam enim quod haec falsa sunt sive quod attinet ad biographum s. Ignatii (2), sive quoad miracula s. Francisci Xaverii de quibus vix IV. post obitum anno, jussu Joannis III. Lusitaniae regis processus constructus est in Indiis (3), nisi sac. congregationi rituum de illis miraculis constiterit a testibus oculatis, aut testibus auditus a videntibus, ab ea rejiciuntur, adeo ut plures causae horum defectu testium suspensae manserint, aut penitus exciderint (4).

examini subjiciunt, probant confirmantque miraculum. Legi ex antiquioribus meretur de hoc argumento dissertatio Bollandianorum tom. VI. mens. Septembr. die XIX. praesertim § XXIX. Ubi Bollandiani luculentissime multiplicis hujus miraculi veritatem evincunt, et proterunt penitus stultas ne dicam impias difficultates Molinaei, Clerici aliorumque heterodoxorum. Ex recentioribus cf. cl. Ruffini in op. *Riflessioni critiche sopra il saggio filosofico intorno alle probabilità del signor conte La-Place*. Modena 1821. *memoria* IV. p. II. § 31 seqq. ubi egregie vindicat hoc miraculum ab impugnationibus La-Croix. Cf. item Fergola in *Discorso apologetico sul miracolo di s. Gennaro*, qui est ad calcem op. *Teorica de' miracoli*. Napoli 1839. ubi cum doctus auctor celebris physicus ac mathematicus ejus veritatem adstruxisset ac propugnasset adversus incredulos, qui difficultates petunt ex physica et chemia, apposite § 29. concludit: « Gli atei nell' eludere la verità de' miracoli di nostra religione, e nel volerne smentire la certezza, sono costretti a dare in mille follie. Ed in questi ridicoli loro sbalordimenti e pertinacia la verità della cattolica credenza vie più traluce ». His adjicere possem me ipsum spectatorem hujus miraculi fuisse, qui oculis meis conspexi in ampulla sanguinem penitus coagulatum ac concretum, deinde post paucas preces eundem vividum ac plane liquidum, absque ullo apparatu chemico aut physico.

(1) Nam saepius ex Pontificis dispensatione ante tempus constitutum causae agitantur.

(2) Alludit adversarius ad vitam s. Ignatii a p. Ribadeneira conscriptam, qui, ne videretur Tridentino decreto contradicere de non vulgandis miraculis absque sedis apostolicae approbatione, miracula s. fundatoris silentio praeteriit; protestatur tamen his verbis miracula eidem non defuisse: « Mihi tantum abest, ut ad vitam Ignatii illustrandam miracula deesse videantur, ut *multa eaque praestantissima judicem in media luce versari* » edit. Neapol. 1572. eadem repetit in edit. Antwerp. 1587. et Matrit. 1586. Cum vero postea ab apostolica sede ea fuerint recognita, a subsequentibus s. Ignatii biographis vulgata sunt, praesertim a P. Daniele Bartoli, authenticis documentis firmata.

(3) Cf. Bartoli *Dell' istoria della compagnia di Gesù*. *L' Asia* par. I. lib. I. edit. Rom. 1667. pag. 59.

(4) Exemplo sit causa nostri V. Andreae Bobolae S. J. in cujus vita septem supra

271. Ad 5. *N.* Ubique enim tum intra catholicarum provinciarum fines, tum in regionibus infidelium, et protestantium plura patrata perhibentur miracula. In Germania, in Americae provinciis foederatis, in Galliis edita exhibentur, ita ut ipsi protestantes illorum testes fuerint (1). Quod vero subditur, tentando potius quam certa quadam virtute et Dei potentia miracula fieri, quid significat? Nempe cum catholici de se non praesumant, Deum invocant ut ad intercessionem alicujus viri sancti, vel ejus qui ut sanctus habetur, si quidem ei visum fuerit, et velit glorificari in tali sancto, hoc vel illud facere, aut praestare dignetur. Deus vero qui dominus est donorum suorum id interdum concedit, interdum vero non concedit. Quid inde contra miracula? Addo non semel viros sanctos, interius eos Deo movente, imperasse ex certa virtute Dei sibique naturam obsequentem expertos fuisse (2). Cum falsae porro sint adversarii praemissae, patet evanescere ejus conclusionem, quin diutius in hisce immoremur.

272. Ad 6. *D.* Miracula sola, Tr. Miracula quae in testimonium sanctitatis patrantur. *N.* Jam vero Christianus Lupus nil aliud significare intendit quam quod in praxi fit in ecclesia romana, quippe quae non movetur ad decernendos alicui sacros honores, quin prius per rigidissimum examen tum de orthodoxa ejus doctrina, tum de virtute in gradu eminenti plane constiterit. Si quid propterea *obstativum*, ut vocant, in doctrinae ac virtutum processu sese offerat, ulterius, congregatio sac. rituum non progreditur, quaecumque demum miraculorum percrebuerit fama prouti non solum in Roberto Licolniensi sed in pluribus aliis usuvenit (3).

273. Ad 7. *N.* Non solum enim in loco ab adversario objecto Baillet nil ejusmodi dicit, verum etiam contrarium plane scribit (4).

274. Ad 8. *D.* Fatetur Salmeron fal-

centum ab eo miracula patrata perhibentur; cum tamen ventum est ad ejus causam discutiendam juxta decretum Bened. XIV. die 27. Maj. 1749. *Non constare de martyrio et causa martyrii per directas probationes videlicet per testes de visu, contestes idoneos et aptos;* qui tamen indulsit ut denuo proponeretur idem dubium, ita tamen ut non posset resolvi, nisi praevio examine IV. miraculorum; cum inquam ad hanc causam denuo expendendam ventum esset sub Gregorio XVI. ex septem quae examinanda miracula proposita sunt, nonnisi de *uno* constare pronunciatum est ab eodem Pontifice decreto VIII. kal. Febr. 1835. Atque id quidem ex defectu testium.

(1) Percrebuerunt non ita pridem non pauca miracula edita nostra hac aetate tum in Germania, tum in provinciis Americae foederatis. Ego ipse vidi relationem ex America de instantaneis sanationibus quae ibidem annis proxime superioribus contigerunt, et quarum testes fuerunt ipsi medici protestantes, qui tamen ex anticipatis sectae suae judiciis, rogati noluerunt testimonium dare. De apparitione Crucis cuncto inspectante populo in Galliis apud *Migné* in dioecesi Pictaviensi alias disseruimus, cui etiam interfuerunt protestantes, qui miraculum testati sunt.

(2) Ut alia omittam cf. vitam s. Vincentii Ferrerii apud Bollandianos ad diem V. April. pag. 504 seqq.

(3) Sane Christianus Lupus loc. cit. praeter exemplum Roberti plura alia adducit quae nihil habent commune cum oppositione ad rom. Pontifices; quae tamen adversarius dissimulat, quia non conferebant ad scopum suum.

(4) Agit enim in objecto loco de sanctis qui schismati materiali adhaeserunt. Verum illud magis mirari subest, quod Palmer pag. 143. not. (1) adducat auctoritatem Baillet ex testimonio Van-Espenii *in Jure canon.* p. I. tit. XXII. c. VII. sect. 7. attamen non solum

sa miracula posse patrari in falsa ecclesia, *C.* vera *N.* Nam hoc constanter denegat Salmeron (1), ac pro certo assumit nonnisi in vera ecclesia vera edi miracula posse (2); eaque commendare sanctitatem eorum qui illa operantur expresse propugnat adversus Fabrum haereticum (3).

275. Ad 9. *D.* Vera aut apparentia, *C.* vera *N.* Etenim Espencaeus cum accurate expendisset quid daemones possint vel non possint ex Dei permissione, cumque ostendisset illos, Deo permittente, quandoque praestigias aut apparentia miracula seu signa facere posse, inquirit in characteres quibus tuto possimus falsa et apparentia magorum et praestigiatorum opera a Dei et sanctorum operibus internoscere (4).

276. Ad 10. *D.* Eodem sensu quo id contendunt romani theologi, Tr. in sensu adversarii *N.* Sane s. Irenaeus aperte docet haereticos seducere « per magicas illusiones, et universa fraude (5) », negatque vera miracula ab ipsis fieri (6). Idipsum docet Origenes (7); s. Cypria-

in cit. sect. sed neque in toto capite ullam Van-Espen mentionem facit Bailleti, saltem in editione qua utor, quae est Lovan. 1700. Multo vero minus ibid. reperiuntur quae Palmer adscribit Bailleto.

(1) Cf. ejus *Comment. in evangelicam hist.* Colon. Agripp. an. 1602. tom. IV. par. II. tract. II. p. 262. col. 2. Ubi agens de haereticis qui relicto vero Christo, novum sibi effinxerunt, subdit: « Nam iste eorum novus Christus sicut nullum testimonium habet a doctrina prophetica et apostolica (nam illi repugnat et contradicit), *nullum miraculum* potuit apud eos edere ».

(2) Tom. IX. tr. LI. pag. 406. scribit, miracula de quibus loquitur Christus Matth. XXIV. et Apostolus II. Thess. II. fore *falsa miracula*, edenda nempe ab Antichristo ejusque asseclis. Quippe *verum signum a solo Deo fieri potest.*

(3) Ibid. p. 408. scribit: « Adverte etiam miracula ad commendationem propriae sanctitatis *tantum a Sanctis* fieri » et pag. 409. sibi opponit ex *Comment.* Jac. Fabri Stapulensis: « Non enim sancti sunt, qui faciunt vera miracula, sed ille qui facit mirabilia magna solus: non ergo sanctis cultus propter signa haberi debet, sed auctori miraculorum, qui solus Deus est »; haec, inquam, cum sibi objecisset Salmeron duplici ratione solvit, ac 1. vera esse miracula sanctorum quia Deus in eis, et per eos faciebat; 2. quia Deus sanctos signis honestavit, ideo sancti colendi sunt.

(4) Espencaeus: *In posteriorem epistolam D. Pauli apostoli ad Timoth. commentarius, cum digressionibus XXXIII.* edit. Lutet. Paris. 1619. digress. XIV. pag. 384. jam praemiserat: *Specie tenus* quae a vero Deo sunt creata (daemones) mutant, ut *videantur esse quod non sunt* » et pag. 382. agens *de magicis imposturis et praestigiis* solum affirmat posse Deum permittere ut homines mali praestigias faciant, et quidem *interdum*, ita tamen ut vincantur; passim etiam Deum illos prohibere occultis modis. Quando propterea idem auctor pag. 384. scribit: « Illud nostrae magis farraginis, cum miracula Deo et diabolo, Christo et Antichristo, Angelis et hominibus, bonis atque malis communia sint, haec ad falsitatem persuadendam, illa ad fidei veritatem confirmandam, quo ex lydio lapide internoscamus? » Evidens est, non loqui nisi de miraculis falsis et apparentibus, quae, Deo permittente, interdum a daemone per malos homines fiunt juxta praemissa, non autem de veris; hinc subdit regulas ex Augustino, et Origene, quas nos ipsi alias attulimus, quibus vera miracula a falsis internoscamus.

(5) Lib. II. cap. XXXI. n. 2. ed. cit.

(6) Ibid. subdens: « Nec enim caecis possunt (haeretici) donare visum, neque surdis auditum etc. ».

(7) Lib. II. *cont. Celsum* n. 51. et 52. edit. Maur. tom. I. pag. 425. integrum ejus textum adducerem, nisi esset nimis prolixus.

nus loquitur hypothetice, ut inferat, quod etiamsi haeretici prophetarent, ac daemonia ejicerent, et virtutes magnas facerent in nomine Christi, tamen haec nihil ipsis proficere ad salutem (1); s. Augustinus haereticorum signa contemnit velut « figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum (2) »; comparat eorum prodigia cum prodigiis paganorum et judaeorum (3). Itaque falsum est, hos patres affirmasse haereticos signa ac prodigia patrasse. Nuspiam hoc absolute affirmant. Sic neque romanenses, ut loquitur adversarius, id fatentur, atque inter hos Tournelyus numquam concessit vera miracula ab haereticis fieri posse, imo expresse negavit. Hypothetice autem et ipse loquitur dum ait, quod etsi admitteretur vera fuisse miracula quae a novatianis patrata perhibentur, haec tamen non in haereseos, sed in fidei confirmationem facta essent (4).

277. Ad 11. *D.* Quae tamen juridice falsa ostensa sunt, *C.* vera *N.* De his alibi scripsimus (5).

278. Ad 12. *D.* Immerito, Tr. vel *C.* jure merito *N.* Ut vero insistamus in miraculis quae ecclesiis orientalibus, id est, ecclesiae graecae schismaticae tribuit Nectarius hierosolymitanus patriarcha, animadvertimus eum plura recensere ex sola incerta fama; nonnulla quae naturali prorsus ratione explicari possunt; illud vero quod tamquam *nobilissimum* urget et tam *christianorum quam infidelium* testimonio probatum, utpote quod singulis annis in omnium conspectu renovatur, de lumine scilicet, emicante ad crepusculum seu hora ante solis occasum sabbati sancti in vivifico Christi sepulchro, cujus et sese testem exhibet, paucis ab hinc annis detectum plane fuit veluti fraus graeculorum simoniacorum qui phosphori ope lumen illud accendebant; adeoque juge illud ac perinsigne miraculum prorsus evanuit (6). Crimine porro ab uno disce omnes. Quae

(1) Lib. *De unit. eccles.* edit. Maur. pag. 199.

(2) Lib. *De unit. eccles.* cap. XIX. n. 49.

(3) Ibid. Imo lib. XIII. contra Faustum cap. V. loquens de manichaeis: « Miracula, inquit, non facitis ».

(4) Cf. in tract. de eccles. p. I. quaest. II. art. III. concl. I. in solut. difficult. § IV. edit. Paris. seu Venet. 1765. pag. 77.

(5) In tract. *De vera relig.* p. I. cap. III. n. 167. Mirum proinde est Palmer vim facere in ejusmodi fictitiis jansenistarum prodigiis, et quod pejus est inniti auctoritati Lamberti effrontis jansenistae de quo ita legitur in *Mémoires pour servir à l' hist. eccles. pendant le dix-huitième siècle*. Tom. IV. pag. 670. « Mais le plus ridicule et le plus condamnable de ces ouvrages est *l' exposition des prédictions et des promesses*. Le P. Lamberty embrasse le millénarisme, et soutient, comme les protestans, que le Pape est l' antechrist. Il n'a pas honte de préconiser les convulsions comme une oeuvre surnaturelle et divine, et, dans un morceau fort long, *il veut faire admirer comme des prodiges un mélange honteux de fables, de tours de forces et d' impiétés*. Aussi ce passage fut-il blamé dans le parti même de l' auteur, et on y a mis des cartons. On ne peut assez s' étonner qu' au XIX. siècle, un homme, qui ne passait pas pour fou, un réligieux, un théologien, ait imaginé d' exalter encore des scènes révoltantes, des impostures manifestes, des blasphèmes monstrueux ». Talis porro est auctor quem nobis opponit Palmer.

(6) Hoc equidem accepi ex ore illius ipsius qui fraudem Hierosolymis detexit universo spectante populo in quo plures europaei galli, angli, itali inveniebantur an. 1833., quique nunc Romae degit. Vix ipse effugit necem quam ipsi hac de causa schismatici inferre volebant: a turcis et a catholicis qui triumphum

de ceteris haereticis urget adversarius non moramur; quia cum nullum documentum proferat, non potuimus expendere. Sed responsio ex dictis in promptu est.

279. Ad 13. *D.* Si absque solido fundamento id romanenses contenderent, *C.* si tali innixi fundamento, ut neque ab adversariis rejiciatur *N.* Porro vel ipse Paley acerrimus romanae ecclesiae hostis fatetur probatissima inter omnia esse miracula, quae in causis canonizationis ab ecclesia romana admittuntur (1). Quod et alii fassi sunt (2). Non est igitur falsa praesumptio haec catholicorum, sed veritas extra omnem dubitationis aleam constituta.

280. Ad 14. Resp. et nos idipsum fassos esse. Quid inde? Num ex eo quod plura falsa miracula evulgantur, ideo quae vera esse certissime constat, rejicere debemus? Quis unquam sobrius ita ratiocinatus est? Et en tamen scopulum in quem haeretici navem illidunt suam. Plura miracula sunt aut suspecta aut falsa, ergo nulli miraculo est credendum. Vere: *judicia Dei abyssus multa!*

281. Ad 15. *D.* Ab iis qui omnia spernunt, nec dignantur processus expendere, *C.* ab iis qui prudenter se gerunt *N.* Increduli certe sunt ad risum proclives; ast libenter rident etiam stulti. Cavendum ipsis est ne aliquando risus eorum non convertatur in luctum. Rident ejusmodi homines *sola* miracula *romanensia*, quia praeter haec nulla vera miracula eduntur de quibus ridere possint, quod ipsi bene norunt.

282. Ad 16. *D.* Qui tamen arguit adversus coetus protestantium ex defectu miraculorum, *C.* Secus Tr. Doctus hic auctor quoad substantiam nobiscum convenit pro certo statuens: « Sanctitatem signis divinis exterius manifestatam, veram indicare ecclesiam, ac proinde ipsius esse *notam positivam*, repugnat enim Deum talibus signis homines in errorem inducere (3) »; ac paulo post: « Et vero, inquit, sanctitas alicujus societatis *praecipue* per miracula demonstratur: atqui protestantes nulla in sui gratiam

cecinerunt, ex illorum manibus ereptus est. De detectione istius fraudis publicae ephemerides Smyrnenses et Constantinopolitanae verba fecerunt an. 1834. quo anno patriarcha schismaticus armenus encyclicam ad suos dedit, qua eis prohibuit, ne se conferrent ad ignem sacrum s. Sepulcri cujus fraus comperta plane erat. Nectarius porro furiosus schismaticus plura refert sine critica, quae nunc ab omnibus eruditis risui habentur: nuspiam affirmat confectum aliquando alicujus miraculi processum fuisse. Ejus opus: *Confutatio imperii Papae in ecclesiam* a schismaticis anglicanis primum translatum ac vulgatum fuit Londini apud Jo. Taylor an. 1702. ut odium in ecclesiam romanam apud suos confoverent. Sed adeo incomptum et inconditum est ejusmodi opus, ut paucis fucum certe facere potuerit.

(1) Op. cit. *Evidences*, etc. prop. II. ch. I. § I. cujus verba in linguam nostram conversa haec sunt: « Quorum (miraculorum) *probatissimum* extrahitur a documentis quae in medium afferuntur, dum conficitur processus eorum (sanctorum) canonizationis ritus, qui raro locum habet ante seculum ab ipsorum obitu etc. ».

(2) Cf. Milner: *Excellence de la religion catholique*. Trad. de l'anglais Paris 1823. tom. I. *Lettre* XXIII. XXIV. ubi energice solvit difficultates propositas adversus miracula ecclesiae catholicae a Middletorio, Gibbonio, Douglas, quae ferme eaedem sunt ac illae quas denuo nobis objicit Palmer.

(3) Tract. *de vera ecclesia* cap. II. prop. V. § 2. edit. secunda. Paris 1834 tom. I. pag. 272.

afferunt miracula apud ipsos patrata (1) ». Quod vero spectat ad distinctionem inter notas *positivas* et *negativas* (secus ac nobis videatur qui contrariam viam inivimus quam ipse cum card. de La Luzerne ingressus est) poterit abundare in sensu suo. Nec enim nobis cum catholicis, sed cum acatholicis res est.

Adversus notas catholicitatis et apostolicitatis

283. Obj. 1. Si ecclesia est *romana*, non est igitur catholica, sed *romanensis* vocanda; 2. Ecclesia enim vere catholica constare debet universis Christifidelibus qui saltem in articulis fundamentalibus profitendis consentiant; cum vero communiones omnes, quas sectas vocat, ecclesia illa repudiet veluti antichristianas, numquam eam catholicam seu universalem, sed particularem vocaveris, utut diffusam, ut ipsa autumat. 3. Ad summum dici potest eam constituere partem ecclesiae catholicae, cujusmodi partes sunt ecclesia graeca, multo vero magis russica, ecclesiaeque britannicae cum quibus conjuncta ecclesia romana veram efficiet ecclesiam catholicam. 4. Reipsa, subdit Palmer, hoc attributum universalitatis, ecclesiae *permanens* attributum est, quae quovis tempore debet esse *universalis*. Porro sec. XV. obedientia romana ferme intra solam Europam coarctabatur, cum ea aetate nondum fundatae essent ecclesiae in altero hemisphaerio; ecclesia orientalis independens erat; quod si identidem pax cum graecis et eutychianis redintegrata est, haec non fuit nisi momentanea, apparens, numquam vero generalis. 5. Ecclesiae proinde latinae non erant per id tempus universales; quod si tunc non erant, frustra insistitur in subsequente ipsarum incremento atque in praesenti earum amplitudine, quoniam juxta dicta *universalitas* debet esse attributum *permanens*. Cum igitur non fuerint universales a sec. XI. ad sec. XVI. sequitur, ipsas *partem* tantum constituere ecclesiae catholicae; seu, quod idem est, titulus catholicarum non est exclusive proprius ecclesiarum romanarum, sed ex aequo eodem fruuntur ecclesiae britannicae, et orientales, 6. quae numquam catholicorum titulum tribuunt aut concedunt cuivis schismati, quod rom. Pontifex excitaverit intra earumdem *jurisdictionem* (2). Ergo.

284. Resp. Ad 1. *D.* Si romanae

(1) Ibid. prop. II. p. 285. Consulto omisi quae Palmer objicit ex Benedicto Labré addicto juxta ipsum jansenismo, quia numquam in paroecia pascha suscepit, aliaque ejusmodi, attamen miraculis claruit, ita ut his permotus Thayer ad ecclesiam catholicam fuerit conversus. Haec enim omnia Romae non ignorantur: causa Benedicti Labré adhuc agitatur in sac. congregatione Rituum, nisi proinde omnia fuerint discussa, et plane disjecta quae contra ipsam facere videntur, certe ulterius res non procedet. Inutile proinde est de his in praesentia litem serere. Quod attinet ad conversionem Thayer, quae Romae contigit, verissimum est, et merito de ea gloriantur catholici, cum is ferventissimus evaserit in America missionarius.

(2) Op. cit. p. I. cap. XI. sect. III. pag. 296 seqq.

Ut autem postrema haec difficultas intelligatur, exponendum est systema auctoris ejusque asseclarum hac in parte. Hic igitur pro certo sumens ecclesias *anglicanas*, quas nobiliori magisque antiquitatem redolente nomine *Britannicas* appellare mavult, partem ecclesiae catholicae nihilo minus ac romana ecclesia constituere, schismaticos omnino esse declarat illos omnes Britannici imperii subditos qui catholicae romanae ecclesiae ibidem adhaerent sive ex anglicanismo ad ejus sese recipiunt commu-

nomen coarctaretur ad significandam peculiarem romanae ecclesiae dioecesim, *C.* si usurpetur ad significandas ecclesias omnes in toto orbe diffusas quae romano subsunt Pontifici, ac servant cum eo communionem fidei et charitatis *N.* Responsio patet ex dictis; sublata enim aequivocatione vocis ruit difficultas (1).

285. Ad 2. *N.* Ecclesia enim catholica constare omnibus illis et solis Christi fidelibus debet, qui unitatem omnimodam fidei et charitatis servant cum ejusdem ecclesiae visibili capite, quod postea ostendemus alium non esse nisi rom. Pontificem. Quicumque propterea ab alterutra, multo vero magis ab utraque abscedunt sive in paucis, sive in multis, sive in fundamentalibus articulis sive in non fundamentalibus, aut haeretici aut schismatici, ut plurimum vero et haeretici et schismatici sunt. Ita se gesserunt apostoli respectu sui temporis novatorum; ita se primitiva gessit ecclesia, quae numquam novatianos, donatistas ac luciferianos ut catholicos habuit; ita semper denique constanterque se gessit ecclesia universa insequentibus seculis ad nos usque, his omnibus perpetuo illud ingeminans: *Nescio vos;* tum illud: *Qui non est mecum, contra me est*. Ridiculum porro est, ex eo quod nonnulli factiosi superbiae filii identidem vexillum perduellionis erexerint contra unice veram ecclesiam Christi, pluresque

nionem, quippe qui ecclesiae anglicanae unitatem scindant, ejusque episcoporum jurisdictioni reluctentur. Eadem plane ratione episcopos ac vicarios apostolicos quos sancta sedes in illis regionibus in quibus anglicana dominatur religio, constituit, theologi isti oxonienses veluti intrusos, schismaticosque traducunt. Quapropter catholico-romani ab illis in eodem prorsus censu habentur ac methodistae, quacqueri caeterique ab anglicana ecclesia dissidentes. Sic porro qui sinceram atque avitam catholicae ecclesiae fidem, omnium seculorum testimonio firmatam profitentur, qui communionem cum romano Pontifice, per tot ante saecula in britannicis illis ecclesiis agnitam tuentur, atque infaustum novae anglicanae ecclesiae schisma ab ecclesia universali repudiant ac detestantur, schismatis inuruntur nota, iisque adnumerantur sectis, quae ex anglicano ipso schismate eruperunt et rem catholicam magis magisque pessumdederunt. Ita ne vero? Illud autem sciscitari lubet, si ecclesia romana ab istis auctoribus, saltem ut pars ecclesiae catholicae omnino habeatur, eccur *episcopales* ipsi in iis regionibus in quibus eadem pacifice dominatur schismata excitare non verentur? Id certe Palmerio, juxta sua principia probari nequit, atque adeo fateri ipse visus est. Sed facta publica, quae facile afferre possem, rem ita se habere evincunt.

(1) Jure quoad hanc denominationem *ecclesiae romanae* qua designatur *ecclesia catholica*, aptare debemus responsionem quam dedit s. Pacianus difficultati ex denominatione *ecclesiae catholicae* objectae a schismaticis novatianis. Itaque s. Pacianus in ep. I. ad Sympronianum, cum sibi ex persona novatianorum objecisset: « Sed sub apostolis, inquies, nemo catholicus vocabatur: esto, respondet, sic fuerit, vel illud indulge. Cum post apostolos haereses extitissent; diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur; nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signare? » Igitur ad eum modum quo prius ecclesia, quae christiana dicebatur, ob vafritiem haereticorum et schismaticorum qui sibi hanc appellationem communem fecerunt, debuit vocari *catholica* ut a sectis distingueretur, sic cum postea iidem haeretici et schismatici factiones suas coeperint vocare ecclesiam *orthodoxam* et *catholicam*, debuit praeterea denominari *romana* ab ejus capite romano Pontifice, ut internosceretur a factionibus illud sibi nomen usurpantibus.

ad eandem traxerint seditionem, illa cesset esse catholica quia istorum restitit pervicaciae, inobedientiae et perduellioni.

286. Ad 3. *N.* Ecclesia siquidem catholica non indiget ejusmodi copiis auxiliaribus ad inamissibilem suam hanc proprietatem et notam catholicitatis constituendam aut conservandam. Ipsa se sola ex Christi institutione fortis est. Ignorat proinde quid sint ecclesia graeca, russica aut anglicana: scit se unicam esse veram ecclesiam, nec plures dari posse cum Christus unicam instituerit: illas proinde quae se ecclesias jactant rejicit ut schismaticas atque haereticas eodemque in censu habet, ac habuit arianos, macedonianos, nunc vero temporis lutheranos, calvinistas, dissidentesque reliquos, quos rejiciunt et ipsae communiones graeca, russica et anglicana velut haereticos. Parum autem, imo nihil refert, quod ejusmodi sectae sese catholicas vocent, interdum etiam romanas (1); nam usurpationis facile arguuntur in hac denominatione, prouti patres arguebant veteres sectas, quae eandem sibi denominationem per summam impudentiam tribuebant (2). Nec enim de nomine, sed de re controversia est.

287. Ad 4. Neg. min. Nam licet ecclesia romana in sola Europa dominaretur sec. XV. ubique tamen gentium filios

(1) Sane societas quae se vocat graeco-russam, quamquam nihil habeat cum graecis commune praeter schisma et errores, non solum plenis buccis se appellat *orthodoxam*, *universalem* seu *catholicam*, sed sub finem anni elapsi coepit se appellare etiam *romanam*, ut facilius illudat rudibus et imperitis illosque sic ad antiquam et avitam fidem et ecclesiam relinquendam atque ad amplectendum schisma adducat. Adnotat enim auctor supplementi ad ephemeridem augustanam 17. decembris 1839., n. 351. in ephemeride Petropolitana quae *Apis septentrionalis* nuncupatur, quaeque, ut ajunt, *officialis* est, inscribi synagogam russicam, *veram*, *universalem unitatem orientalis* ROMANAE *ecclesiae*. Ex his deprehendimus, 1. non obstantibus omnibus conviciis quibus ad haec usque tempora schismatici romanam ecclesiam insecuti sunt, ut odiosam redderent, eos tamen nunc se honestare hac ipsa appellatione ad venerationem sibi conciliandam. Tanta est vis veritatis! Deprehendimus 2. quantum invaluerit impudentia apud illos atque praesumptio, ut non vereantur se *romanos* dicere; ex quo fit, si eos audiamus, ut *romani* facti fuerint *russi*, *russi* autem *romani*. Quis haec risu non excipiat? Mirabilis profecto haec esset rerum conversio.

(2) En quomodo circa hanc denominationem ecclesiae catholicae sua aetate patres ecclesiae scripserint. Cum Fortunius donatista suam sectam ubique terrarum reperiri affirmaret, s. Augustinus petiit ab eo litteras communicatorias, adjiciens: « Hoc modo facillime illam terminari posse quaestionem » ep. XLIV. ad Elaeusium n. 3. Paulo ante duo alia exhibuimus ejusdem s. Doctoris testimonia, alterum ex lib. *De util. credendi* cap. VII., alterum vero ex lib. *de vera relig.* cap. VII. S. Cyrillus Hierosolym. catech. XVIII. monet iter agentem: « Neque id tantum quaeras simpliciter, ubi sit ecclesia, sed ubi *catholica* ecclesia. Hoc enim proprium nomen est sanctae hujus, et matris omnium nostrum, quae est sponsa D. N. J. C. Unigeniti Filii Dei ». Cui consonans s. Pacianus ep. I. ad Sympronian. « Ego forte, scribit, ingressus populosam urbem hodie cum marcionitas, cum apollinariacos, cataphrygas, novatianos, et caeteros ejusmodi comperissem, qui se christianos vocarent; quo cognomine congregationem meae plebis agnoscerem, nisi catholica diceretur? » Haec applicentur anglicanis, russis, graecis schismaticis, protestantibus, et normam tutam habebimus ad veros catholicos a fictitiis internoscendos.

sibi obsequentes semper habuit et habet. Inter nestorianos in Chaldaea, inter eutychianos seu monophysitas in Aegypto et Armenia; ubique inter islamitas, in indicis plagis, ut taceam de aliis regionibus occidentalibus et septentrionalibus, plures quovis tempore Christi in terris Vicario obsecuti sunt et obsequuntur, eandemque cum ipso fidem et communionem professi sunt et profitentur. Fatente ipso Palmerio, non est necessaria ad universalitatem constituendam diffusio *physica* et *absoluta*, sed sufficit plane *moralis* (1), ut scilicet ubique aliqui sint qui ad veram Christi ecclesiam pertineant; idque merito, alioquin tribus prioribus seculis ecclesia catholica minime extitisset.

288. Nec refert, quod eo seculo nondum ecclesia romana fines suos in alterum hemisphaerium, seu continentalem terram protulerit, cum haec nondum detecta fuisset; nam idem adversarius pariter fatetur ad *moralem* universalitatem satis esse si in omnibus mundi *cogniti* regionibus inveniantur *adhaerentes*, ut ipse loquitur, verae ecclesiae, et haec fines suos protendat cum debita proportione in illas regiones, quae successive deteguntur (2).

289. Sic etiam nihil interest quod orientalis ecclesia independens fuerit, nec nisi precaria extiterit pax cum illa inita. Uti enim animadvertimus, catholicitas ecclesiae romanae nulla ratione pendet a schismate graeco, aut ab haeresi eutychiana; alioquin cessasset esse catholica quando tot orientales ecclesiae adhaeserunt Nestorio et Eutycheti, aut quando donatistae se ab ecclesia romana separarunt; quod nemo dicet.

290. Ad 5. *Neg.* omnes ejusmodi sequelas quae ex falsis praemissis deducuntur. Et nos pariter contendimus attributum, ac propterea notam catholicitatis permanentem esse oportere, jam vero cum ostenderimus catholicam semper permansisse ecclesiam romanam non obstantibus illis peculiaribus defectionibus, inferri nequit eandem ecclesiam *partem* quidem esse ecclesiae catholicae, minime vero absolute atque in sensu exclusivo catholicam esse. Velint itaque nolint sectae orientales et anglicanae, numquam ipsae in censum venient catholicae ecclesiae, nisi erroribus et schismate ejuratis se recipiant in sinum ecclesiae romanae, cum eaque communicent in unitate fidei et regiminis cum debita subjectione ac dependentia a rom. Pontifice.

291. Ad 6. Resp. Ecclesiam romanam sollicitam non esse quid de catholicis commorantibus intra ditionem schismaticorum graecorum aut anglicanorum hi ipsi sentiant aut dicant. Etiam veteres ariani vocabant catholicos *homousianos*, pelagiani *traducianos*, et ita porro; tamen catholici, semper fuerunt catholici, et illi haeretici aut schismatici. *Episcopalium* porro fundamentum, dum catholicos Britannicae ditioni subjectos *schismaticis* accensere non verentur, in falso supposito situm est, se nempe partem catholicae ecclesiae efficere cum tamen ab ea divisi plane sint, cum nullam cum ipsa nec externam nec internam habeant communionem, atque a catholicae unitatis centro prorsus abhorreant. Qui igitur schismatici sunt? An illi qui communioni catholicae ecclesiae, ejusque capiti fideliter adhaerent contra peculiarem schismaticam ecclesiam; aut potius episcopi hujus peculiaris ecclesiae nulla pollentes jurisdictione caeterique ad eam pertinentes, qui ab ecclesiae universalis unitate recedunt, et schisma fovere pergunt? Praeclare Augustinus de Ticonio donatista loquens: « Non vidit, inquit, quod

(1) Op. cit. p. 7. cap. VII. pag. 148.

(2) Ibid.

consequenter videndum fuit, illos videlicet in Africa christianos pertinere ad ecclesiam toto orbe diffusam, qui utique non *istis ab ejusdem ecclesiae communione atque unitate sejunctis*, sed ipsi orbi terrarum per communionem connecterentur (1) ». Id ipsum nos reponimus anglicanis.

292. II. Objic. 1. Suis tenebris obsita est apostolica romanorum Pontificum successio; dissentiunt antiqui scriptores circa immediatum Petri successorem quem alii Linum, alii Clementem fuisse scribunt; idem dic de Cleto et Anacleto quos alii quidem distinguunt, alii vero identificant; 2. incerti praeterea sunt nonnulli qui in serie Romanorum praesulum recensentur, adeo ut mira sit in illorum catalogo contexendo varietas; 3. Per annos plus minus septuaginta Pontificum sedes non Romae sed Avenione fuit; 4. Identidem Pontifices dubii eandem sedem occuparunt; pluribus ipsa annis saepe vacavit; haud pauci simoniaci fuerunt et intrusi qui sedem illam omni vitiorum coeno faedarunt. Quis porro ejusmodi successioni inniti potest ad apostolicitatem ecclesiae adstruendam (2)? Ergo.

293. Resp. ad 1. *D.* In nonnullis illius successionis individuis et adjunctis, *C.* successio ipsa *N.* Successio certissima est, omnium documentorum testimoniis confirmata, quam nonnisi scepticus in dubium revocare queat. Si qua autem in hac Pontificum continuata serie discrepantia est, haec non afficit nisi primorum Petri successorum mediatam aut immediatam post illius obitum successionem (3), atque Cleti et Anacleti ob nominis similitudinem, identitatem aut

(1) Contr. epist. Parmen. lib. I. c. I. Caeterum in publicis actis imperii britannici *romani* vocantur *catholici*. Quando in supremo illius consessu *(parlamento)* actum est de *emancipatione*, quam vocant, catholicis in britannica ditione degentibus conferenda, constanter *catholici-romani* vocati sunt: data autem est die 25. jan. 1829.

(2) Ita passim recentiores protestantes. Porro Palmer cum suis anglicanis nobis dat ecclesiam *particularem* romanam extitisse a s. Petro, ac plures alias ecclesias illius obedientiae, quae ab illa pacifice originem traxerunt, aut ab aliis ecclesiis apostolicis, jure posse uti *apostolicas* spectari. Verum contendit idem dici posse de orientalibus et britannicis sive anglicanis; quod quidem paulo post expendemus; interim ejus concessionem amplectimur una cum ejusdem ecclesiae romanae quam texuit, apologia a criminatione idololatriae, saltem in genere. Ibid. Sed num inter hujusmodi scriptores, errori propugnando addictos, doctrinae consensio expectanda est? Dum ita ab uno romana purgatur ecclesia, dum ea saltem est pars catholicae ecclesiae adeoque ut catholica agnoscitur et declaratur, plures ex oxoniensibus eandem ecclesiam in haeresim atque apostasiam tempore *Tridentini* concilii prolapsam esse contendunt, in eoque statu perseverare. Vide *Tracts for the times*, seu opuscula oxoniensia v. p. 10. Londin. 1833-38., idipsum Pusey, ac Newman, in ecclesiam romanam vehementiori stilo iterare haud desinunt.

(3) Etenim s. Irenaeus lib. III. cap. III. n. 3. refert Linum consecratum in episcopum fuisse ab apostolo Petro, cui deinde postea successit, qui successorem habuit Anacletum quem excepit Clemens. Juxta Tertullianum b. Petro successit Clemens ab eo ordinatus. Hi porro facile inter se conciliantur, si dicamus s. Irenaeum locutum esse de Lino et Anacleto veluti de immediatis Petri successoribus, Tertullianum vero de Clemente tamquam de successore Petri mediato. Imo Godefridus Vendelinus censet Linum rexisse ecclesiam romanam adhuc vivente Petro per aliquot annos velut ejus vicarium, cum ipse Petrus Urbe abesset. Certe nihil prohibet quominus dicamus plures per id temporis, vigente persecutione et postulantibus ecclesiae adjunctis, consecratos in episcopos fuisse, qui dein-

distinctionem: argumenta pro utraque sententia pugnant (1). Nos criticis ejusmodi controversiam dimittentes, in quacumque demum hypothesi dicimus eam nullius frugis esse ad infirmandam certitudinem successionis de qua agimus.

294. Ad 2. Resp. Esto; etiamsi de unius aut alterius pontificatu eoque brevissimo dubitaretur in adeo tot seculorum longa nedum varia rerum vicissitudine, inter tot persecutiones, barbarorum incursiones, civilesque factiones, nihil profecto eidem successioni detraheretur. Quaenam est historia sive sacra sive profana quae decem et octo seculorum periodum complectatur, quae nodos interdum haud offerat extricatu difficillimos, et de quibus probabilius inter eruditos numquam cessabit disceptatio? Nemo tamen sanus hac de causa suspectam historiam habebit. Idem dic de catalogi varietate in Pontificibus romanis recensendis.

295. Ad 3. *D.* Translata est residentia romanorum Pontificum Avenionem, *C.* romana sedes *N.* Hoc enim, ut postea ostendemus, fieri nequit. Porro Pontifices Avenione residentes universam per se regebant ecclesiam, per suos vero in Urbe vicarios episcopatum romanum administrabant.

296. Ad 4. Tr. Ant. Neg. Cons. Dato enim quod unus vel alter Pontifex dubius extiterit, ac si placet, etiam intrusus aut simoniacus, imo qui se vitiis polluerit, nihil exinde sequitur adversus continuatam Pontificum successionem; quemadmodum non censetur interrupta successio Pontificum judaeorum, quamvis regum graecorum, ac postea romanorum imperatorum potentia ac vi plures summum pontificatum adepti fuerint malis artibus, simoniace, atque adeo pessime illum administraverint (2). Accedente universalis ecclesiae consensu, si quod vitium irrepsit in electione, sanatum est. Ex his potius inhaerentibus humanae infirmitati defectibus admirabilem Dei in hanc sanctam sedem deprehendimus providentiam, quae numquam passa est ut illa tot inter personales, ut ita dicam, defectus, ullum caperet detrimentum sive in iis quae ad fidem, sive in iis quae ad morum doctrinam pertinent. Exinde praeterea discimus non humana prudentia et industria, sed divina prorsus potentia regi illam ac sustentari (3).

de sibi invicem successerunt. Cf. opusc. inscript. *De Clementis et ejus epistolarum tempore divinatio* apud Cotelerium *PP. apostolic.* vol. I. pag. 138. seqq. In hujus sententiam convenit etiam Isaacus Vossius in epist. II. seu *Responsione ad Blondellum* ibid. vol. II. p. 443.

(1) Qui alterum ab altero distinguunt innituntur diversis utriusque Pontificis nominibus, patria, die festo, vitae gestis, catalogis, iconibus etc.; qui vero unum esse contendunt urgent nominis similitudinem, antiquos scriptores, qui si memorant Cletum, silent de Anacleto et vicissim. Schelestrate in op. *Antiquitas ecclesiae dissertationibus, monimentis ac notis illustrata*. Romae 1693. tom. I. diss. II. cap. II. expensis utriusque sententiae momentis concludit n. 14. « In tanta antiquorum discrepantia credimus, locum habere praeclaram Baronii regulam, quod in his, quae sunt romanae ecclesiae, major adhibenda sit fides ejus alumnis, quam ceteris ». Vossius l. c. pariter distinguit Cletum ab Anacleto.

(2) Cf. Joseph. Flavium *Antiquit. Judaic.* lib. XX. cap. X. ed. Havercampii, ubi enumerat omnes qui ab Aaron usque ad Phanusum, qui tempore belli a seditiosis constitutus est summus sacerdos, pontificatum gesserunt, ac refert summatim quomodo plures ad hunc honoris apicem pervenerint.

(3) Quam diversam opinionem de summis Pontificibus, qui XI. prioribus seculis ecclesiam rexerunt, habuerit Hurter patet ex iis

DIFFICULTATES

Ex variis sectis

297. I. Objic. Penes protestantes unitas fidei viget et charitatis; viget praeterea medium utriusque conservandae. Etenim 1. in fide profitenda conveniunt quae complectitur praecipuos articulos: si qua apud eos reperitur libertas, haec non afficit fidei dogmata sed quaestiones adiaphoras, prout fieri consuevit inter theologos catholicos: 2. Charitas vero inter eos efficit ut unum Christi corpus constituant, ac se veluti fratres complectantur, non obstante in nonnullis diversa sentiendi ratione. Quod vero ad media utriusque unitatis conservandae spectat; 3. notum est omnes agnoscere Scripturam sacram veluti supremum controversiarum tribunal, omnes pari consensu retinere symbolum Apostolicum, imo et symbolum Nicaeno-Cpnum, ac symbolum Athanasianum. 4. Quod si haec non sufficiant, non desunt generalia comitia, quibus omnes se subjicere debent; publicas habent et communes fidei confessiones, seu ut vocant, libros symbolicos; nihil igitur apud ipsos desideratur ad veram unitatem constituendam et conservandam.

298. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* conveniunt in profitenda fide, quae complectatur praecipuos articulos juxta uniuscujusque arbitrium determinandos, Tr. quae reipsa praecipuos complectatur et creditu necessarios *N.* Transmisimus primum distinctionis membrum etiam in adversariorum hypothesi, cum notum sit 1. nullam sectam cum altera convenire in eadem fidei professione; 2. plures non solum diversa, sed plane contraria sentire et credere, ut patet ex articulo de reali Christi praesentia in eucharistia deque aliis non paucis; 3. plerosque protestantes omnem *symbolismum* plane rejicere, quem vocant per contemptum *fidem formulariam;* 4. plures item ad christianismi essentiam constituendam,

quae scribit in vita Innocentii III. lib. XIII. ed. cit. tom. II. pag. 346. ubi describens antiquam s. Petri basilicam inter cetera haec habet: « Ici, les mausolées de presque tous les papes, depuis saint Clément, publiaient par leurs inscriptions ou par des symboles, leurs actions, leurs qualités, leur piété: l'âme du chrétien était extraordinairement émue de voir réunie dans ce sanctuaire des plus profonds mystères l'enveloppe terrestre de tant de grands esprits qui avaient réglé, dirigé et représenté depuis dix siècles l'élément suprême de la vie des générations passées, et qui s'étaient distingués, comme autant de colonnes de la vérité par leurs sentimens et leurs actions, par leur savoir et leurs moeurs ».

Apposite etiam Bellarminus praef. in libros de summo Pontifice n. 7. et 8. scripsit: « Ac ne forte putaremus ob vitam incorruptam, et mores integerrimos summorum Pontificum tamdiu stetisse hanc sedem: permisit ad extremum Deus, ut etiam quidam parum probi Pontifices aliquando hanc sedem tenerent et regerent . . . . Itaque nihil est, quod haeretici tantum laborent in quorumdam Pontificum vitiis conquirendis. Nos enim agnoscimus et fatemur ea fuisse non pauca: sed tantum abest, ut iis gloria hujus sedis obscuretur, vel minuatur; ut iisdem potius vehementer crescat et amplificetur. Hinc enim intelligimus, non humano consilio, prudentia, viribus, romanum Pontificatum tamdiu consistere, sed quia haec petra ita a Domino roborata, divinitus fundata, angelorum custodiis septa, singulari Dei providentia et protectione munita est, ut adversus eam portae inferorum nullo modo praevalere possint, sive illis portis persecutio tyrannorum, sive rabies haereticorum, sive schismaticorum furor, sive scelera et flagitia designentur. »

omnem fidei necessitatem rejicere (1), cum juxta ipsos christianismi essentia consistat in cordis affectu, in affectu sentimentali, in charitate, cetera vero efficiant solam illam quam dicunt *formam* extrinsecam, supervenientem (2). Verum, hoc omisso, ecquis ignorat articulos *praecipuos* esse relativos? Alii enim sunt praecipui lutheranis, alii zwinglianis, alii calvinianis, alii denique, ut ceteros praetermittamus, genevensibus quibus articuli de Trinitate, de divinitate Christi, de propagatione peccati originalis aliique ejusmodi non solum non sunt praecipui, sed nulli prorsus sunt. Ex his patet utrum libertas quae apud protestantes viget, afficiat fidei dogmata an vero adiaphoras tantum quaestiones, quae conferri possint cum controversiis in scholis catholicis sine ullo fidei dispendio agitari solitis. Si his omnibus addatur principium fundamentale protestantismi, quod hic consistat in plena examinis libertate (3), omnibus perspectum erit quaenam apud eos communis dari queat fidei confessio, quae praecipuos articulos complectatur; cum illo semel constituto, actum sit de quolibet articulo.

299. Ad 2. *D.* Charitas malignantium quae efficiat unum Christi corpus ad instar musivi cujusdam operis, *C.* proprie dicta, qualis nempe requiritur ad unitatem ecclesiae constituendam *N.* Non alia inter sectas protestantes *charitas* (utimur scilicet hoc nomine ex adversariorum ore, qui veras rerum notiones pervertunt) obtinet, quam ea qua exterius colligantur ad oppugnandam catholicam ecclesiam, quae propterea non charitas sed *odium* rectius nuncuparetur; hac dempta, nullo jam inter se foedere consociantur. Non solum enim in diversas abeunt sententias, uti saepius animadvertimus, sed intestinis et publicis discordiis mutuo se proscindunt et anathematizant (4). Unitas charitatis in eadem communione consistit cum

(1) Cf. quae scripsimus in tract. *De vera religione*, p. II. prop. IV. n. 76. seqq. cum notis adnexis.

(2) Ibid. n. 85.

(3) Praeter documenta quae in tract. cit. adduximus alia pene innumera praesto sunt: sic protestans minister genevensis Paschoud in opusc. *Qu'est-ce qu'un Protestant?* inculcat protestantismum consistere « dans la liberté de croyance, et dans la liberté de culte pour tous et pour chacun » et in alio op. quod ministri protestantes tradunt legendum suis adeptis cui tit. *Recueil de passages de l'écriture sainte*; ed. Genèv. 1743. pag. 155. affirmatur quod vi ejusdem principii: « Chaque particulier a le droit de choisir la religion qui lui paraît la meilleure ». Demum pastor ac professor genevensis Chenevière in op. *De l'autorité dans l'église réformée* p. 38. 66. seqq. scribit: « La loi de l'examen est constituée dans la réforme .... Tous les membres de l'église ont le droit, et font bien d'examiner d'après leur raison et l'évangile, si les doctrines qu'on leur propose sont conformes à la parole de Dieu, sans que personne au monde soit fondé à les inquiéter, à les blâmer, à les punir. Sans cela nos devanciers auraient très-mal agi en se séparant de l'église de Rome, et les récriminations de cette église contre nous seraient fondées ». Cf. *Le Guide du catéchumène Vaudois* par M. A. Charvaz évêque de Pignerol. Paris 1840. tom. I. liv. I. p. 15. suiv.

(4) Recolantur quae paulo ante attulimus de hoc argumento. Dissensionum quae inter presbyterianos Americae septentrionalis exardescunt, recens exemplum refert cl. Kenrik coadjutor episcopi Philadelphiae in op. cit. *Theologiae Dogmaticae*. Philadelph. 1839. tract. II. *De Ecclesia* cap. VIII. *De unitatis defectu* in sectis p. 184. ubi refert in calvinianorum comitiis generalibus, singulis fere an-

ecclesiae capite ac singulis ejusdem membris.

300. Ad 3. *D.* Sensu uniuscujusque privato exposita, *C.* a legitima auctoritate *N.* Mirum est protestantes post tot seculorum experimentum adhuc jactare Scripturam veluti supremum controversiarum judicem, ac tribunal inappellabile, cum ipsa ex privatorum interpretatione quovis seculo omnium discordiarum imo et haereseon parens extiterit. Cum enim Scriptura liber sit mortuus, ejusque littera occidat, ut loquitur Apostolus, evidens est illius sensum inter protestantes a subjectiva uniuscujusque persuasione pendere. Spiritus ejus tunc solum vivificat, cum Scripturae adjicitur legitimus atque infallibilis interpres. Verum de hoc argumento postea. Idem dic de symbolis (in hypothesi quod ea admittantur; siquidem plerique ea nunc rejiciunt) quae cum nonnisi implicite plures articulos contineant, de aliis vero plane sileant (1), fit ut controversiis innumeris campus semper latissime pateat.

301. Ad 4. *D.* Quae tamen comitia, nulla intrinseca auctoritate pollent, sed solum extrinseca et *directiva*, Tr. quae vim habeant cogendi ad internum fidei assensum *N.* Plura utique per summam incohaerentiam penes protestantes celebrata ejusmodi comitia sunt, atque adeo interdum celebrantur; verum enimvero cum ipsi fateantur hujusmodi comitia errare posse, nec infallibilitate pollere, evidens est minime ipsis tribui posse judiciariam potestatem, sed solum declaratoriam, prout presbyteriani aperte confessi sunt (2). Dixi vero *per summam incohaerentiam* illa comitia ad fidei controversias dirimendas celebrari, quia repugnant essentiali protestantismi principio de libertate examinis ac omnimoda independentia a qualibet auctoritate. Idem intrinsecum vitium arbitrariis illis inhaeret fidei confessionibus, seu libris symbolicis quos adversarii quidem jactant, sed reipsa contemnunt (3). Ast de his hactenus, cum dicta sufficiant.

302. Inst. Quidquid demum sit de

nis sententias obtinuisse et obtinere, quae alterna vice illius *scholae novae*, quae a confessionis vel principiis longissime abscedit, vel *scholae veteri* calvinianae favent. Quum autem commentationes in epistolam ad Romanos a quodam Barnesio Philadelphiae ante paucos annos editae, haereseos fuissent insimulatae, ipseque ex synodi auctoritate a munere praedicandi suspensus, comitia generalia Pittsburgi an. 1836 eum absolverunt: anno vero insequenti comitia generalia Philadelphiae habita, omnes *novae* scholae fautores et ecclesias in quibus eae circumferebantur opiniones a consortio suo absciderunt, qua ratione sexcenti fere *evangelici* praecones simul abscissi dicuntur. Talis est pax et concordia quae inter sectarios efflorescit.

(1) Nihil sane in symbolis expresse dicitur de justificatione, de sacramentis, de reali Christi praesentia in eucharistia aliisque ejusmodi permultis, de quibus acris inter catholicos et sectarios, atque inter sectarios ad invicem, controversia est. Sociniani abutuntur symbolo apostolico ad sua perversa dogmata vindicanda.

(2) In *Form of Governement of the Presbyterian Church in America, as amended in* 1821. ch. 1. § 7.

(3) Hujus rei vadem libentissime damus auctorem haud suspectum. Etenim Palmer op. cit. P. 1. cap. XII. pag. 388. et 389 aperte declarat lutheranismum et calvinismum vix non evanuisse ita ut sint potius argumentum historiae: » Quoniam, ut ait ipse, debiles reliquiae sine vita quas ipsi post se reliquerunt, quaeque adhuc illorum nomine designantur, non sunt nisi luctuosa monumenta systematum quorum imperfectiones et defectus, quicumque demum illi fuerint, nobilitata fuerunt sancto ardore ac zelo erga Deum ejusque revelatio-

lutheranis, reformatis, dissidentibusque reliquis (1), nemo jure inficiari poterit tum ecclesiam orientalem sive graecam, et graeco-russam, tum ecclesias britannicas fidei et communionis unitatem praeseferre, imo partem constituere ecclesiae catholicae. Etenim 1. ecclesia graeca, ac propterea graeco-russa quae est ab illa progenita, anterior est quacumque ecclesia, quandoquidem ex oriente progressa est ubi religio christiana coepit et exinde in alias mundi plagas est disseminata. 2. Eadem ecclesia suam hierarchiam per continuatam episcoporum successionem perpetuo conservavit, idemque dicendum de ecclesia graeco-russa ex quo per evangelicam praedicationem instituta est. 3. Utraque ecclesia centrum habet unitatis; ecclesia quidem graeca in patriarcha suo oecumenico, nempe constantinopolitano; graeco-russa vero in sancta synodo petropolitana permanente. 4. Quo factum est, ut hoc auctoritatis principio non solum unitas

nem (ut ipse *pie* autumat) ». Sed mira est ipsius auctoris conclusio: « Quum nunc confessiones fidei ob quas Lutherus, Zwinglius et Calvinus suum sanguinem profudissent, sepositae fere sint veluti antiquatae, aut subscribantur sub iis clausulis et declarationibus quae actum subscriptionis ad puram scenam ludicram revocant, quanam ratione possumus nos existentiam illorum fidei agnoscere? Oppressi ab audaci impietate neologismi, atque adeo ab incredulitate quae se pallio christiani nominis obtegit, quo possint fidei deteriora vulnera inferri, aut in praeceps dejecti mortalis lethargiae, apostasiae nimirum arianae et socinianae, lutheranismus et calvinismus, uti systemata religiosa, in regionibus in quibus ortum habuerunt plane videntur periisse! »

(1) Dissidentium nomine significant anglicani illos omnes quos vocant etiam *separatistas* aut *non conformistas*, qui scilicet dissident ab ecclesia legali ac dominante, cujusmodi sunt *methodistae*, *baptistae*, *jumperi*, *unitariani*, *universalistae* . . . *socialistae* seu *oscenitae*; nam et haec secta novissime prodiit in Anglia. Addicti eidem sunt homines impudentissimi, qui Dei existentiam ut *probabilem* defendunt; daemonum, inferni, coeli, legis naturalis existentiam negant atque irrident, omnibusque cupiditatibus indulgent. In dies turpissima haec secta ibidem augescit magno etiam civilis reipublicae detrimento. Quod autem spectat ad professores ipsos oxonienses ut magis magisque pateat, quod nuper attigimus, quam parum inter se conveniant vel in rebus gravissimis luculentum afferam exemplum in argumento de quo agimus. Palmer methodistas dissidentes extra ecclesiam catholicam, adeoque et anglicanam in ejus hypothesi esse pronunciat; Pusey e contra weslejanos seu methodistas in cit. epist. vocat *sectionem* seu *portionem ecclesiae nostrae*; eosque commendat, opponitque eorum doctrinam doctrinae romanistarum. Palmer item, ut vidimus, ecclesiam rom. spectat uti partem ecclesiae catholicae, cum qua adhuc esse *conjunctas* ecclesias anglicanas contendit; attamen Newman ejus collega in op. *Lectures on the prophetical office of the church* ec. . . . seu *Lectiones de munere prophetico ecclesiae, spectato in relatione ad romanismum et protestantismum popularem*. Lond. 1837. l. III. p. 101. seqq. ut postea videbimus; eam comparat *daemoniaco*, rom. Pontificem vocat *diabolum* etc. His vero subscribit Pusey in ep. cit. In tractatibus vero editis a doctoribus ejusdem universitatis Oxoniensis et inscriptis *pro tempore praesenti*, v. VI. n. 20. p. 3. admirata ecclesiae catholicae seu romanae antiquitate, universalitate ac unitate, nec non pulchritudine ejus systematis concludunt: « Nos nequimus non fundere suspiria cogitando quod simus ab hac ecclesia *separati* ». En quomodo hae anglicanae ecclesiae columnae in ipsa catholicae ecclesiae notione inter se cohaereant: et quibus solidissimis fundamentis aedificium, quod ipsi tanta animi securitate extollunt, innitatur!

regiminis, verum etiam unitas fidei sarta tectaque in utraque ecclesia conservata fuerit; 5. quod enim attinet ad articulum de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, praeterquam quod mera est opinio quae per duo ad minus secula ante Michaelem Cerularium tolerata est, quippe differentia graecos inter et latinos *verbalis* potius fuerit quam realis ut praestantiores latini theologi fassi sunt (1), si qua novitas in eo est, haec ex latinorum potius parte se tenet quam ex parte graecorum atque idcirco etiam russorum. 6. Neutra praeterea ecclesia se separavit ab ecclesia romana, sed haec utramque a sua repulit communione, cum haec tamen separatio probata non fuerit a majori ecclesiae catholicae parte; 7. dici propterea potest particulares ecclesias, romanam scilicet et constantinopolitanam ab invicem fuisse divisas, salva ecclesiae catholicae unitate. 8. Accedit, ecclesiam graecam, ac proinde russicam, nihil innovasse circa *primatum*, cum non inficietur posse romanum Pontificem, veluti primum episcopum juxta consuetudines ac synodos ecclesiae spectari, sed solum numquam admisit hunc primatum *de jure divino*. 9. Quae cum ita se habeant merito episcopi graeco-uniti in ditione russica sub finem anni elapsi (1839), libellum supplicem dederunt autocrati, quo humillime eum rogarunt ut dignaretur illos in unitatem admittere sanctae apostolicae orthodoxae, et universalis ecclesiae a qua per vim majores sui fuerant divulsi; imperator vero benigne annuit (2). Eaedem porro

(1) Ita Palmer op. et loc. cit. cap. IX. qui pro hac sententia adducit Magistrum sententiarum, s. Thomam, Bandinum, s. Bonaventuram, Scotum inter scholasticos, inter recentiores vero Bellarminum, Toletum, Azorium, etc.

(2) Ne haec pereant documenta, juverit hic ea transferre ex ephemeride officiali petropolitana *Apis septentrionalis* nuncupata mens. novembr. 1839. En igitur cujusmodi sit actus apostasiae episcoporum graeco-unitorum: « In nomine Patris et Filii et Spiritus s. . . . Nostra ecclesia a suo initio eadem erat quae et sancta, apostolica, orthodoxa catholica ecclesia, quae ab ipso Domino et Salvatore nostro Jesu Christo in Oriente instituta est, inde ex Oriente totum mundum illuminavit, et hucusque divinas institutiones christianae religionis, quin aliquid adjecerit ex spiritu adinventionis humanae, integras et haud immutatas asservavit. In illo benedicto omnino exoptato universali foedere, ecclesia nostra pars erat indivisibilis graecae-russicae ecclesiae, quemadmodum et majores nostri, sermone non minus quam genere, pars erant indivisibilis russicae gentis. Verum lugubris distractio provinciarum nostrarum a Russia vera earum patria, divellit quoque majores nostros a vera catholica unitate, subjecitque eos vis extraneae dominationis sub nomine *unitorum* arbitrio romanae ecclesiae. Quamquam vero haec ipsis, per publica quidem instrumenta, et orientalem liturgiam in nostra domestica russica lingua, et omnes sacras caeremonias . . . tutata fuerit, quinimmo ipsum transitum ad romanum ritum prohibuerit (manifestum argumentum quam purae et immutabiles crederentur antiquae nostrae orientales institutiones!), nihilo tamen minus astuta πολιτικὴ Polonae quondam reipublicae, ipsique consona ratio latini cleri, qui ferre non poterat russicum spiritum patrium (*nationalitatis*), et ab antiquo ductam liturgiam orientalis ecclesiae, eo omnibus nervis tendebat, ut, si fieri posset, vestigia ipsa primaevae originis gentis nostrae, nostraeque ecclesiae eradicaret. Duplex hic conatus in causa fuit quod majores nostri post initam unionem miserrimam sortem experti sint. Nobiles post jura sua male habita, transierunt ad romanum ritum, cives vero et coloni, qui moribus majorum in unione etiam asservatis renuntiare nolebant, perpessi sunt gravissimam persecutionem. Sed statim et ritus nostri, sacraeque ecclesiasticae caeremoniae, institutiones etiam et

rationes militant pro ecclesiis britannicis, quarum origo, ut visibiles ecclesiae, antiquissima est, et per XV. continentia secula permanserunt in communione cum omnibus Christi ecclesiis; quod si postea a romana ecclesia divisae sunt; 10. hujusmodi separatio non fuit voluntaria; ecclesia romana est quae illas excommunicavit; ceterum ipsae semper cum ecclesia catholica conjunctae perstiterunt; 11. Quod si potestas civilis edictis vetuit communicationem cum ecclesia romana, id factum est ad praecavendos abusus romanorum Pontificum qui nihil unquam moliti non sunt ad ecclesias britannicas et dominationem temporalem sibi subigendas. 12. Itaque ecclesiae britannicae nullo modo schismaticae censeri possunt tum quia pergunt in unitate fidei sive respectu sui, sive respectu ecclesiae catholicae, cujus necessitatem veluti fundamentale principium inculcant; tum quia se non separarunt ab ecclesia catholica; tum quia

liturgiae graviter immutatae fuerunt . . . Maxima pars unitorum (cum eorum provinciam Russia occupavit), jam tunc statim rediit ad unitatem cum orthodoxa orientali catholica ecclesia, jamque pars ipsi erant indivisibilis *universalis russicae* ecclesiae. Ceteri vero apud *beneficum* russicum regimen, quoad ejus fieri poterat, invenerunt *tutamen* contra praepotentem clerum romanum ». Post haec aliaque ejusmodi putida ac manifesta mendacia quae referre non vacat, proditores isti episcopi has emiserunt conclusiones:

« I. Statuimus denuo agnoscere unitatem nostrae ecclesiae cum orthodoxa catholica orientali ecclesia, ideoque ex hoc permanere una cum commissis nobis gregibus in unitate cum beatissimis patriarchis, atque in obedientia erga sanctissimam, regentem *universalem* russicam synodum.

II. Piissimum vero dominum et imperatorem *perquam humillime rogare*, ut nostram hanc decisionem sub suum almum suscipiat praesidium, *promoveatque executionem* excelsa sua ordinatione, suaque *imperatoria voluntate* ad pacem et *salutem animarum*, eo consilio, ut sub ejus *liberali* sceptro nos una cum tota russica gente, juxta antiquum apostolicum officium, juxta praescripta sanctorum universalium conciliorum, juxta traditiones episcoporum doctorumque orthodoxae catholicae ecclesiae, uno eodemque ore, consono item corde laudare possimus Deum unum et trinum ».

Ad haec *Sanctissima Synodus* « gratias egit caelesti Pastori pro hoc novo incremento sui veri gregis, statuitque juxta regulas et exempla Sanctorum Patrum, episcopos, clerum et gregem universum ecclesiae usque adhuc graecae-unitae, in plenam recipere et illimitatam communionem sanctae, orthodoxae catholicae orientalis ecclesiae . . . . Imperator *dignatus est* manu propria his verbis rem decidere: *gratias rependo Deo et suscipio* ». Ita consummatum est hoc mysterium iniquitatis quod prius secreto, deinde publicum factum est; ac optime quidem, si Deus humanis fraudulentiis decipi posset!

Ut autem ad posteros istorum apostatarum praesulum infamia perveniat, heic eorum nomina subjiciam; sunt autem tres: primus Josephus Siemaszko, qui cum in scholis ordinis s. Basilii institueretur, ob praemium non adeptum se de ordine illo ulturum spopondit: promissis porro suis stetit; primus quippe ejus actus cum ad potestatis culmen in ecclesia sua (graeco-unita) evectus est, impetiit ordinem suum, cui primum novitios recipere sine gubernii venia prohibuit; tum vero eo quod novitios non haberet, illum omnino abolevit. Homo superbiae et malarum artium plenus, totiusque doli ex parte catholicorum primarius artifex (tales enim semper sunt apostatae nostri). Nunc ab imperatore archiepiscopus Wilnensis renuntiatus, quae sedes schismatica nunc primum erecta est. Reliqui duo minorum gentium sunt, Basilius Luzynski et Antonius Zubko.

fides ecclesiarum britannicarum non innititur privatae interpretationi scripturarum tantum, sed interpretationi traditionali, quae est regula totius ecclesiae catholicae, prout aperte habetur in XII. articulo « Ecclesia habet...auctoritatem in controversiis fidei (1) ». Nihil igitur impedit quominus has ecclesias unitatem conservare affirmemus.

303. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. Resp. I. Neg. suppositum, quod plures scilicet distingui possint ecclesiae a Christo institutae, ita ut una possit dici altera anterior aut posterior. Ecclesia a Christo instituta unica et individua est, quae in partes scindi non potest; eaque est ecclesia catholica cujus centrum et caput a Christo institutus est Petrus ejusque legitimi successores, ut postea ostendemus. Potuit autem aliquis populus prius alio in hanc unicam ecclesiam cooptari, quae incunabula sua Hierosolymis habuit ubi passus est Christus, et Petrus primum commoratus est. Cum vero Petrus ad arcem romani venerit imperii, hoc unicae ecclesiae centrum Romae constitutum est, ubi Petrus suam sedem fixit, ac mortuus est, eamque suis in primatu successoribus regendam reliquit.

304. Resp. II. *D.* Ecclesia graeca anterior est quacumque ecclesia *tempore*, Tr. *auctoritate N.* Hoc est sophisma quo ut observat Maistrius (2), utuntur adhuc graeci et graeco-russi ut sibi aliisque persuadeant ecclesiam orientalem, non obstante suo schismate ab ecclesia romana, veram esse ecclesiam. Verum si semel constiterit, uti inferius ostendemus, romanam ecclesiam seu romanum Pontificem esse centrum unitatis jure divino constitutum, esse omnium ecclesiarum matrem et magistram, quid refert quod aliqua societas anterior sit tempore ipsa imperii civitate principe ac metropoli, ut exinde super illam auctoritatem jactare possit? Si praeterea constiterit, ut pariter luculentissime evincemus, graecam seu orientalem ecclesiam per X. secula agnovisse primatum romani Pontificis, jure divino, eique fuisse subjectam, major profecto antiquitas eam a crimine perduellionis in schismate quo se maculavit haudquaquam absolvet. Nunc addo parem non esse cum ecclesia graeca conditionem ecclesiae russicae quae duplicis imo triplicis schismatis nota sese foedavit. Ac 1. quidem schismatis quod commune habet cum graecis in ordine ad rom. Pontificem. 2. Schismatis quo se a patriarcha constantinopolitano sejunxit, quo fit ut nullam communionem servet cum ecclesia graeca, prout haec ipsa haud ita pridem publice declaravit (3). 3. Schismatis a patriarcha moscovita, qui a Petro I. abolitus est, ut sufficeret in ejus locum eam quam ipse appellavit *sanctam synodum permanentem petropolitanam* cujus caput ipse imperator pro tempore est, ejusque membra omnia ab imperatore deliguntur; quaeque sua omnia decreta, ut mitius loquar, sub

(1) Ita Palmer op. cit. p. I. cap. X. cujus praecipuas difficultates in compendium redegimus.

(2) In op. *du Pape* lib. IV. ch. X. ubi egregie ejusmodi sophisma dissolvit ac plane conterit.

(3) Cf. Septimii Costanzi opuscula, tom. III. in schemate appendicis tertiae ad Ruthenos ab ecclesia catholica romana dissidentes § 3. Romae 1807.; nec non *Dissertationem de origine christianae religionis in Russia*. Romae 1826. cap. II. Cf. etiam eruditum opus cl. Barth. Kopitar cui tit. *Hesychii Glossographi discipulus* etc. Vindobonae 1839. in append. XV. pag. 56. seqq. ubi egregie confutat W. A. Maciejowski commentaria edita Petropoli et Lipsiae 1839.

influxu imperatoris emittit. Hanc certe synodum non constituit Christus.

305. Ad 2. *D.* Schismaticam, quaeque habet successionem materialem, *C.* successionem formalem per adhaesionem capiti in unitate fidei et regiminis *N.* Nempe non magis utrique ecclesiae haec materialis favet successio, ac faveat nestorianis, atque eutychianis sua, quamvis antiquior sit. Circa peculiarem ecclesiam russicam praeterea animadverto ipsam in unitate ecclesiae romanae fuisse fundatam (1), tum a graecis catholicis tum a latinis, adeoque temporis tractu descivisse ab ejus communione et schismaticam evasisse: inaudita proinde arrogantia est hujus schismatici coetus nationalis, velle sibi *ecclesiae catholicae* atque *orthodoxae* nomen adsciscere.

306. Ad 3. *D.* Utraque ecclesia centrum habet unitatis *fictitium, C.* formale quale Christus instituit *N.* Nam etiamsi ecclesia graeca subsit patriarchae constantinopolitano, cum hic se separaverit, ac subduxerit ab auctoritate romani Pontificis ut se centrum et patriarcham oecumenicum constitueret, quare eodem jure, non poterunt se ab eo separare ad se constituendos auto-cephalos episcopi singuli? Par enim omnino ratio est. Ac reipsa ita factum esse paucis ab hinc annis, saltem ex parte videmus (2). Quod vero attinet ad synodum permanentem petropolitanam, tamdiu hujus durabit auctoritas quamdiu steterit russicum civile imperium. Quod si semel hoc dissolveretur, actum plane erit de fictitio hujusmodi centro. Itaque illud solum vere centrum est quod est divinitus institutum: cetera quae centra non sunt nisi in illorum opinione, qui haec sibi confingunt, utpote schismatica et haeretica in perpetua oscillatione versantur.

307. Ad 4. *D.* Tribus saltem haeresibus demptis, Tr. Secus *N.* Tales haereses sunt negatio processionis Spiritus Sancti etiam a Filio, existentiae purgatorii, et primatus jure divino romani Pontificis, qui articuli solemniter definiti sunt in oecumenicis conciliis Lugdunensi II. et Florentino, ut suo loco ostendemus, subscribentibus graecis ipsis, imo et russicis episcopis (3). Dixi *saltem;* exploratum enim est longe lateque errores Gregorii Palamae ac thaboritarum in ecclesia graeca diffusos esse (4); quod vero ad errores attinet ecclesiae

(1) Cf. *Considerationes historicas* etc. germanice editas a H. J. Smith quarum compendium exhibetur in *Annali delle scienze religiose* vol. III. n. 8. et 9. *settembre e ottobre*, *novembre e decembre* 1836. In posteriori igitur hoc fasciculo p. 419. seqq. narratur quomodo cum die 27. julii 1833. ageretur de instituenda *Synodo permanente* ad instar *ecclesiae russae* restiterint omnes archiepiscopi et episcopi graeci huic clausulae; imo Synodum graecam tanta animi aversione actam fuisse contra ecclesiam russicam, ut plures episcopi, qui prius pileum russicum deferebant, in signum detestationis eum deseruerint ut Synodo interessent pileo graeco. Interim per hanc Synodum ecclesia graeca se subduxit a jurisdictione patriarchae constantinopolitani, sicut annis anteactis ecclesia russica se pariter separavit ac subduxit ab eodem constantinopolitano patriarcha; atque hinc factum est ut diversae istae ecclesiae divisae fuerint ab invicem, et effectae nationales, atque constantinopolitani patriarchae auctoritas ad nihilum redacta fuerit. Ita Deus punivit patriarcharum constantinopolitanorum superbiam, qui ab ecclesia romana, ut supremam auctoritatem obtinerent, turpiter defecerunt.

(2) Ibid.

(3) *Acta Conciliorum* Harduini tom. IX. col. 990.

(4) Satis est inter ceteros legere quae de Gregorio Palama scripsit Nectarius in op. cit. *Confutatio imperii Papae*.

russicae satis est prae oculis habere quae scripsit p. Possevinus (1); ut omittam principium, ut ita dicam, dissolvens protestantismi plura jam illius sic dictae ecclesiae membra infecisse (2). Ita pura conservata est in utraque ecclesia fides.

308. Ad 5. *D.* In sensu adversarii, *C.* in sensu ecclesiae catholicae quae ipsum ut fidei dogma definivit *N.* Jam vero non privato uniuscujusque individui sensui in his standum est, sed auctoritati ecclesiae infallibili controversiarum judici. Quod autem adjicitur de intervallo quod effluxit inter Photium et Michaëlem Cerularium quo tempore *tolerata* dicitur contraria sententia, non aliud significat, nisi quod sublato schismate, ecclesia graeca nullam hac in parte ecclesiae latinae molestiam crearit: quum vero postea graeci crimini latinae ecclesiae vertissent quod profiteretur fidem de processione Spiritus Sancti etiam a Filio, tunc controversia excussa est et definita, uti constanter se gessit ecclesia (3). Falsum porro est latinos theologos veluti *verbalem* potius quam realem hanc controversiam spectasse, quum omnes unanimiter graecos impugnaverint et haereseos accusaverint, tractatusque ediderint adversus illos. Haec sunt plane somnia (4). Utrum vero novitas se tenuerit ex parte graecorum an ex parte latinorum, ex iis quae suo loco disputavimus abunde liquet (5).

309. Ad 6. *D.* Id est expresse ab initio et aperte, Tr. aequivalenter, et aperte etiam temporis lapsu *N. Numquam* ecclesia romana nisi provocata, atque omnibus prius conciliationis ac pacis viis pertentatis quempiam repulit e sinu suo. Provocamus adversarios nostros ut ex tota ecclesiastica antiquitate hanc usque in diem contrarium ostendant. Quum igitur Photius primum, se-

(1) In opere cui titulus: *Moscovia* typis Birckmanicis 1587. in scripto: *Capita, quibus Graeci et Rutheni a Latinis in rebus fidei dissenserunt*. Item: *Errores alii Ruthenorum qui orientale schisma sequuti sunt, postquam Graeci ab ecclesia sese praeciderunt*. Pag. 38.-46.

(2) Cf. P. Rozaven in opere, quod opposuit Alexandro Stourdza, et inscripsit: *L' église catholique justifiée contre les attaques d' un ècrivain qui se dit orthodoxe:* Lyon 1822. Cf. etiam Grégoire *Histoire des sectes réligieuses*. Paris 1829. tom. IV. ch. XIV. *Sectes derivées du Raskolnisme*, etc.

(3) Numquam enim, ut saepius alias animadvertimus, ecclesia consuevit definire nisi articulos in controversiam adductos, aut impugnatos a novatoribus. Licet vero Photius aliorum haereticorum graecorum exemplo et ipse attigerit quaestionem de processione Spiritus sancti, cum tamen ecclesia tunc temporis praecipue adlaboraret in flammis erumpentis schismatis extinguendis, vix de illa actum est; cum vero schisma cito sublatum fuerit, paxque quiesque in utraque ecclesia restituta, altum fuit de ea controversia silentium, donec opera nefarii Michaëlis Cerularii recruduit schisma, quod ut ille consolidaret inter cetera quae objiciebat ecclesiae romanae, et hunc articulum in medium adduxit; quapropter ecclesia in concilio Barensi illum discussit et asseruit; quod iterum factum est in conc. Lugdunensi et Florentino graecis itidem et latinis praesulibus assentientibus.

(4) Vere dolendum quod haec reprehendere debeamus in viro docto et moderato, cujusmodi se praebet Palmer. Illud ad quod alludit auctor quem impugnamus afficit phrases adhibitas passim a patribus graecis, cum loquerentur de processione Spiritus s. a Patre *per* (διὰ) Filium, quam locutionem aequivalere alias ostendimus alteri, nempe a Patre et *ex* Filio, qua pariter graeci Patres usi sunt. In hoc porro solum citati doctores dixerunt illam esse quaestionem potius *verbalem* quam realem, non autem circa substantiam dogmatis.

(5) In tract. *de Trinit.* cap. V. prop. I.

culo IX mediante, patriarcha intrusus classicum rebellionis cecinerit, carpserit ecclesiam latinam quod plures doceret errores, atque ipsum excommunicaverit Pontificem, quid mirum si hic separaverit se ab illius communione (1)? Idipsum contigit in schismatis instauratore sec. XI. Michaele Cerulario homine nempe audaci ac facinoroso, qui pariter insectatus est ecclesiam latinam, e sacris dypticis nomen Pontificis sustulit, atque indebita sibi jura arrogavit (2). Numquid ecclesia romana in culpa est? Ecclesia autem moscovitica et russica discessit ab ecclesia romana opera potissimum Phoziey missi a Cyrillo II. patriarcha constantinopolitano an. 1408. ad regendam ecclesiam kioviensem a qua ob errores suos expulsus receptusque a Basilio Basilide Moscoviae principe constitutus est patriarcha Moscoviae (3). Haec proinde natio quae hactenus magna saltem ex parte catholica fuerat, arte illius pessimi hominis seducta a communione romanae sedis sponte recessit, ac graecorum errores professa est (4). Ecclesia romana nihil interim unquam omisit quo illam ad unitatem revocaret. Restitit illa tamen. Ergo ne ecclesia romana in culpa est? Judicet adversarius ipse.

310. Ad 7. *N.* Agitur enim de schismate formali ex parte constantinopolitanae ecclesiae ab ecclesia catholica; romanae siquidem ecclesiae adhaerent « omnes qui sunt undique fideles » ut loquitur s. Irenaeus, exceptis haereticis et schismaticis, qui fideles non sunt. Quod vero dicitur, *salva unitate ecclesiae catholicae*, non sapit nisi monstrosum systema ab adversario excogitatum. Systema, plane contrarium sacris litteris ex quibus novimus a Christo universum gregem suum Petro, ac proinde legitimis ejus in hoc primatu successoribus fuisse commissum, ut postea ostendemus; systema contrarium toti antiquitati quae illud prorsus ignoravit (5).

(1) Cf. Constanzi op. cit. tom. II. in prooemio § 13. seqq.

(2) Ibid.

(3) Cf. Eundem tom. III. in append. I. § V. seqq.

(4) Ibid. § VII. nec non cit. *Dissertat.* cap. VII.

(5) Verum quod magis mireris illud est, quod Palmer qui tot paginas insumpsit ad persuadendum lectoribus suis posse conservari unitatem in et cum ecclesia catholica, non obstante actuali separatione, ipsemet postea paucis verbis destruat quod tanto molimine aedificare nisus est. Etenim agens op. cit. P. I. cap. XIII. adversus *separatistas* seu dissidentes ab ecclesia anglicana, hanc sibi ex eorum ore opponit difficultatem: « Potest dari separatio absque schismate, quoniam christiani possunt esse inter se conjuncti in corde et in spiritu quamvis officia religionis expleantur in diversis cultus locis ». Respondet: « Christus jussit apostolos suos esse *perfecte unitos*, ut mundus cognoscere posset quod Pater eum miserit (Jo. XVII. 20. 23.). Ergo *quodcumque schisma intra ecclesiam adversatur voluntati suae:* et aperta separatio ab ipsa, est manifesta *inobedientia* a Deo. Quumque separata conciliabula seu congressus constituti sunt, et aemuli ministri satagunt proselytos facere ex ecclesia declarantes ejus cultum, regimen, regulas ita *antiscripturales* esse et erroneas, ut christiani teneantur ab illa exire ac se separare; quinam praetextus potest magis inanis excogitari quam ille quo praetenditur interior communio affectionum, quae a quovis facto falsitatis arguitur? » Quomodo hic auctor sibi cohaereat ipse viderit; satis est enim haec applicare ecclesiis quas ipse vocat britannicas respectu ecclesiae romanae, a qua scissae sunt, ut tota ejus labefactetur theoria. Tanta est vis veritatis!

311. Ad 8. *N.* Etenim hoc ipso innovarunt, quod contenderint Christum instituisse ecclesiam acephalam negantes Petri ac proinde rom. Pontificum primatum de jure divino. Verum de hoc argumento idoneo loco.

312. Ad 9. *D.* Idest nonnulli episcopi per summam ignaviam et assentationem tum honoribus illecti, tum minis territi proditores facti sunt causae catholicae, *C.* ex vera persuasione *N.* Notoriae sunt artes, machinationesque omnes quibus gubernium russicum usum est ad graecos-unitos convellendos ab unitate catholicae ecclesiae atque ad schisma pertrahendos. Publicae item sunt persecutiones atrocissimae, violentiae apertae et crudeles, bonorum expoliationes, exilia quibus nobiles confessores obnoxii fuerunt ne causam Christi proderent (1). Quin hos imitarentur, maluerunt ignavi illi episcopi avitam deserere fidem et occidere animas suas suorumque subditorum quam adeptis honoribus et commodis nuncium remittere, qui olim animarum nostrarum episcopo, Christo scilicet, rationem proditionis suae sunt reddituri. Motiva quae isti homines ad propriam apostasiam cohonestandam in medium protulerunt, non sunt nisi integumenta, quae neque Deum neque homines fallere possunt. Idem dici debet de fictitio illo supplici libello una cum *benigno* rescripto. Isti certe numquam legerunt in Evangelio: « Nihil est opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur (2) »; aut illud: « Attendite a fermento pharisaeorum, quod est hypocrisis (3) ». Mendacia porro sunt quae dicuntur de vi qua majores eorum ab schismate divulsi sunt. Historica documenta contrarium ostendunt (4).

313. Licet vero origo ecclesiarum britannicarum antiquissima sit, origo tamen anglicanismi, seu schismatis recens est. Nam eo ipso quod adversarius fatetur per XV. continentia secula ecclesias britannicas permansisse in communione cum omnibus Christi ecclesiis, se suasque ecclesias condemnat quod postea ab ecclesia romana ac proinde a reliquis quae in universo terrarum orbe cum ea communicant se separaverint.

(1) Cf. quae scripsimus de saevitiis omnimodis quas exercuit et exercet regimen russicum adversus catholicos ut eos abducat ab unitate et pertrahat ad schisma, necnon exempla christianae fortitudinis quae praebuerunt plures ex ipsis in Tract. de matrimonio cap. IV. ubi agebamus de *matrimoniis mixtis*.

(2) Matth. X. 26.

(3) Luc. XII. 1. In quae Salvatoris verba notus est commentarius ven. Bedae: « Duo autem sunt genera persecutorum: unum palam saevientium, alterum ficte fraudulenterque blandientium. Contra utrumque nos munire atque instituere volens Salvator, et supra ab hypocrisi pharisaeorum, et hic a carnificum caede praecipit non timere, quia videlicet post mortem nec horum crudelitas, nec illorum valeat simulatio durare ». Utroque persecutionum genere utitur regimen russicum; neutrum porro sustinere valuerunt ignavi illi defectores episcopi. Verum quod in immensum auget istorum crimen est supplex illa rogatio qua petunt ab imperatore, ut velit se suosque greges in communionem recipere *ad pacem et salutem animarum*; perinde ac si in sola russica ecclesia quis possit obtinere salutem; quicumque igitur extra ditionem russicam, ultra quam non extenditur illa synagoga, salvari non posset. Vae illis qui incipiunt in praeceps ruere; non est ubi consistant!

(4) Cf. Bollandianos *Acta Ss.* tom. II. septembr. Dissertat. *de conversione et fide Russorum*, § X. nec non card. Baronium in appendice *de Ruthenis ad communionem Sedis Apostolicae receptis* sub Clemente VIII. *in Annalib.* ed. Lucensis tom. IX. pag. 658 seqq. Spondanum ad an. 1595. n. 14., etc.

Ex illo tempore schismaticae factae sunt, nihilque amplius commune habent cum antiquis britannicis ecclesiis quae intemeratam servarunt cum ecclesia romana, id est catholica unitatem. Possemus urgere *dubium saltem* sive ex parte *juris* sive ex parte *facti* de valore ordinationum anglicanarum, ac propterea episcoporum successione (1). Verum opus non est ut nos in hanc disputationem

(1) Praeter ea quae circa valorem ordinationum anglicanarum scripsi in tract. de *Ordine* n. 137. not. (a), specialem considerationem meretur quod novissime scripsit claris. ipse d. Lingard. in opusc. relato in *Dublin Review* mens. maj. 1840. inscripto: *Ecclesia anglicana reformavit ne seipsam?* Ibi ostendit quam incerta, aut saltem quam problematica sit praetensio ecclesiae anglicanae habendi successionem apostolicam in episcopatu. Praescindendo enim ab authenticitate actorum lambethanorum, certum est, uti ipse animadvertit, valde dubitatum etiam ab initio fuisse de valore consecrationis archiepiscopi Parkeri (a quo solo proveniunt actuales episcopi anglicani omnes), nec solum a catholicis, verum etiam a gubernio ipso Elisabethae, sic ut necessarium prorsus duxerit recurrere ad omnipotentiam reginae ad eam ordinationem ab omni defectu sanandam. Haec porro *mandatum* edixit quo *ex plenitudine regiae suae auctoritatis supplebat cuilibet defectui in qualitate aut modo procedendi commissariorum* (id est episcoporum qui consecrarunt Parkerum) *ita id exigente tempore et necessitate*. Igitur sola ratio qua justificata est illa consecratio, fuit *exigentia casus*, secus quippe nova ecclesia recta fuisset ab episcopis non consecratis. *Radicalis* autem hic defectus magis manifestus fit ex eo quod sex insequentibus annis ad unamquamque consecrationem et confirmationem novi episcopi, insereretur in *commissione* metropolitani eadem clausula sanatoria proveniens ex plenitudine regiae potestatis, his nimirum verbis concepta: « Supplentes ex auctoritate suprema regia . . . nobis delegata quidquid in hac electione fuerit defectum, tum in his quae juxta mandatum nobis creditum, a nobis factum et processum est, aut in nobis, aut aliquorum nostrorum conditione, statu, facultate ad haec perficienda deest aut deerit, tum etiam eorum quae per statuta hujus regni Angliae, aut per leges ecclesiasticas hac in parte requisita sunt aut necessaria prout temporis ratio, et rerum praesentium necessitas id postulant ». Talis est clausula qua usi sunt quatuor episcopi qui consecrarunt Parkerum die 17. decemb. 1559. in sacello Lambethano. Parker vero die 20. januarii vices reddidit suis consecratoribus Barlowio et Scoreyo eos confirmando eadem *clausula sanatoria*. Jam vero opportune interrogat Lingard, nonne in hoc negotio aliquid circuli vitiosi intercessit?

Tandem an. 1566. actu *Parlamenti* definitum est, quod cum regina in possessione sit totius jurisdictionis, omnium privilegiorum, superioritatum ac praeeminentiarum spiritualium et ecclesiasticarum quibus fruiti sunt ejus praedecessores, cumque *suprema potestate et auctoritate sua dispensaverit ab omnibus causis ac dubiis cujusvis imperfectionis aut incapacitatis in confirmatione et consecratione episcoporum* per suas litteras patentes, ideo omnes actus et gesta in ejusmodi occasionibus, essent atque haberi ac judicari deberent bona, et perfecta (firma et rata) sub omni respectu et fine, non obstantibus quibuscumque in contrarium (*Statuta Regni* IV. 485.): ex tunc ac deinceps quodvis dubium habitum est tamquam prorsus sublatum, et clausula sanatoria omissa fuit. Judicet lector de ecclesiastica reginae Elisabethae, regumque anglicanorum potestate, nec non de ludicro hoc dramate, et conferat cum iis quae nobis obtrudit Guill. Palmer.

Nihil dicam de altero capite quo ordinationum anglicanarum validitas laborat, de forma scilicet adhibita consecrationis. Certe episcopi consecrati juxta formam Ritualis Odoardi VI. sub regno Mariae depositi sunt ob *nullitatem consecrationis*, eaque forma inserta in mo-

conjiciamus, cum ex dictis satis sit urgere schisma, ut abruptam prorsus esse successionem illam liquido elucescat.

314. Ad 10. *D.* Ad eum modum quo non fuit voluntaria separatio Nestorii, Eutychetis, graecorum aliorumque ejusmodi, *C.* alio sensu *N.* Nullus haereticus ac schismaticus voluisset se separare ab ecclesia romana seu catholica, dummodo haec passa fuisset ut errores suos et perversam agendi sentiendique rationem impune retinerent. Cum vero hanc nequeat conditionem admittere ecclesia romana seu catholica custos et vindex fidei atque unitatis, data ipsis semper optio est aut ejurandi prava dogmata, aut excommunicationem subeundi. Ita se gessit etiam Lutherus, fatente ipso adversario: ita reliqui. Non est ecclesia romana ad instar arundinis quae ad omnem sese flectat ventum, sed est aedificium fundatum supra firmam petram, quod nec venti, nec pluviae vel turbines dimovere possunt. Quotquot proinde nolunt se subjicere, impingunt in hanc petram atque franguntur. Veritas enim Domini manet in aeternum. Certe si Henricus VIII. auctor schismatis potuisset, vivente legitima uxore, aliam ducere; si potuisset primatum sibi vindicare ecclesiasticum, omnia susque deque in ecclesiastica disciplina innovare impune, numquam se ab ecclesia romana, id est catholica sejunxisset. Verum cum haec componi inter se minime possent, post plures comminationes frustra a rom. Pontifice factas, demum ventum est ad extremum illud excommunicationis remedium (1). Quod de continuata subditur conjunctione cum ecclesia catholica, ut saepe adnotavimus, intelligi debet de opere, ut ita dicam, musivo ab adversariis invecto; nam nulla alia datur ecclesia catholica praeter ecclesiam romanam cum qua identificatur (2).

315. Ad 11. *D.* Ad praecavendos abusus fictitios, *C.* reales *N.* Quando in abusuum censum adnumerantur legitima jura romanorum Pontificum, certe plures recenseri possunt; sed si exercitium legitimae auctoritatis a Christo acceptae nulla ratione abusus dici potest, frustra obnitentes et perduelles, ut motivum schismatis abusus obtendunt. Quod porro dictum est de juribus rom. Pontificis idem dici debet de innumeris aliis quae juxta patrum doctrinam et praxim antiquissimam ecclesiae catholici tenent, adversarii vero juxta sua anticipata judicia tamquam totidem abusus insectantur (3). Calumnia vero apertissima est

numentis ac regestis illius temporis invenitur. Ab his tamen episcopis, eademque adamussim forma consecratus fuisset Parker. Nunc vero episcopi anglicani gloriantur de *successione apostolica!*

(1) Cf. Card. Pallavicini *Storia del Concilio di Trento*, lib. II. cap. XV. XVII. et lib. III. cap. XV. Tum Nicolaum Sanderum: *De origine ac progressu schismatis anglicani lib. tres aucti per Eduardum Risthonum*. Romae 1586. et cum appendice Petri Ribadeneirae Coloniae Agrippinae 1590. nec non Lingard op. cit.

(2) Apposite s. Hieronymus sic urgebat Ruffinum in Apolog. I. n. 4. edit. Vallars. « Fidem suam quam vocat? Eamne qua romana pollet ecclesia? An illam, quae in Origenis voluminibus continetur? Si romanam responderit, *ergo catholici sumus* ».

(3) Sic prout quisque affectus est hunc censum exhibet; protestantes omnes inter abusus ecclesiae romanae referunt indulgentias, invocationem sanctorum, venerationem imaginum, etc. Sacramentarii adorationem eucharistiae, oblationem sacrificii, etc. Anabaptistae collationem baptismi infantibus, et ita porro: quae agendi ratio est vera *petitio principii*, ut loquuntur logici, dum pro certo assumitur quod adhuc in quaestione est.

quod adjicitur de dominatione temporali quam sibi assumere romani Pontifices nisi fuerint. Proferant adversarii vel unicum casum in quo ipsi aliena jura invaserint aliquando. Quod si justis de causis Pontifices lata excommunicatione subditos quandoque solvebant a jurejurando quo isti suos erga principes obstringebantur, ideo fuit, quia sic ferebat quondam jus publicum ab omnibus per id temporis admissum (1).

316. Ad 12. Resp. Imo vere schismaticae sunt, quia resectae sunt ac divisae ab ecclesiae capite, et a communione ecclesiae unicae catholicae; quia praeterea nullam habent fidei unitatem quum destitutae sint auctoritate certa atque infallibili quae unicum medium est unitatis fidei servandae. Quod patet quidem ex perpetua harum ecclesiarum fluctuatione, qua factum est, ut modo profiterentur purum protestantismum, modo partem errorum tantum, modo ad ecclesiam romanam accedere videantur, modo toto coelo ab ea abhorreant, adeo ut in ipsa universitate oxoniensi divisiones et schismata invalescant (2); itaque nec secum ipsi neque cum aliis ecclesiis fidei unitatem habent. Quod si necessitatem fidei veluti fundamentale principium inculcant, hoc nullius frugis est cum fidei regula apud illos non subsistat, ea nempe regula proxima, quae ad ejusmodi unitatem omnino requiritur.

317. Paradoxum vero est, quod affirmat adversarius, ecclesias anglicanas non separasse se ab ecclesia catholica, prout toties ipse inculcat, nos autem toties retudimus. Quaenam vero erit ejusmodi ecclesia catholica? Non romana quae cum ipsis non communicat; non orientalis, quae praeterquamquod nec ipsa catholica est, nec ullam pariter communionem cum ecclesiis anglicanis habet (3). Restant igitur ecclesiae lutheranae, reformatae, dissidentes, quas ipse adversarius pernegat esse ecclesias Christi (4). Velint igitur nolint, ecclesia anglicana est ecclesia *natio-*

(1) Cf. Comte de Maistre *Du Pape* liv. II. chap. IX.: potissimum vero commendatissimum opus cui titulus: *Pouvoir du Pape sur les Souvrains au moyen age*. Paris 1839. in quo res de qua hic agitur docte eruditeque discutitur ac pleno in lumine collocatur.

(2) Difficile est in ea universitate (quod saepe a nobis animadverti opus est) duos scriptores invenire qui plene inter se consentiant etiam in articulis magni momenti. Satis hic sit commemorare Schuthleworth rectorem cujusdam collegii Oxoniensis, qui novae scholae se se acriter opposuit in gravissimo articulo de traditionibus ut suo loco videbimus. Universa academia in duas partes scissa est, aliis pugnantibus pro veteri schola, aliis vero pro nova; ecquis poterit has partes inter se et cum ceteris universitatibus conciliare? In catholica ecclesia hoc remedium semper in promptu est. Si qui vero sint qui rom. Pontificibus obedire detrectent, statim ab omnibus notantur, quod quidem recenti cunctisque comperto exemplo viri magnam prius adepti nominis celebritatem probare possem, qui veluti frondosa arbor fulmine icta illico exaruit!

(3) Praeclare card. Du Perron in *Réplique à la réponse du Roy de la grande Bretagne*, ch. LX. animadvertit adversus regem Angliae, qui contendebat ecclesiae catholicae nomine significari unionem plurium societatum christianarum, romanae, graecae, russicae, etc., animadvertit, inquam, anglicanos profiteri in symbolo Athanasiano processionem Spiritus s. a Patre et Filio, ita ut qui eam non admiserit haereticus sit, et extra salutis viam, tamen contendere unam simul efficere ecclesiam catholicam. Hoc enim perinde est ac contendere ecclesiam catholicam ex omnibus sectis et haeresibus coalescere.

(4) Sic Palmer op. cit. P. I. cap. XII. sect. IV. Post plura quae observavit circa lutheranos, reformatos et zwinglianos concludit,

nalis, quae non protendit suam auctoritatem ultra civilem britannicam ditionem, imo super pauca membra ejusdem ditionis vel in Anglia ipsa dominatur (1). Itaque sunt hodie ecclesiae anglicanae quod olim ecclesiae donatistarum extiterunt, quae divisae erant ab unitatis centro ac proinde ab universa ecclesia catholica; quare omnia possumus adversus illas argumenta intorquere, quibus olim patres profligabant donatistas (2). Quod vero diximus de ecclesiis

societates lutheranorum et calvinistarum quandoquidem omni hierarchia ac legitimo ministerio carent, non potuisse nec posse spectari *ut ecclesias Christi proprie dictas*; sed solum latiori quodam ac populari sensu utpote interius ecclesiae conjunctas. Quam quidem loquendi rationem fateor me non assequi. Etenim si non sunt proprie ecclesiae Christi societates illae, quomodo possunt interius conjungi cum ecclesia Christi? In hac hypothesi deberemus admittere ecclesiam quandam invisibilem. Vidimus quomodo ipse separatistis idem obtendentibus occurrere studuerit.

(1) Talis est status religionis in Anglia prout per epistolam accepi hoc ipso anno (1840.) ex illis regionibus: « Catholici, qui paucis ab hinc annis pauci et risui haereticorum expositi erant, nunc et numero et auctoritate pollent. In Anglia et Wallia universim numerantur catholic. 2,000,000. in Hibernia 6,427,712. in Scotia 250,000. Universim 8,377,712. Unde quum tota multitudo Magnae Britanniae et Hiberniae non excedat 27,250,000. patet quod nos tertia ferme pars sumus totius istius incolarum frequentiae. Protestantium omnis generis et sectae adnumerantur in Anglia et Wallia 14,539,318. in Hibernia 1,556,227. in Scotia 2,115,000. Universim 18,170,545. (quo in numero continentur etiam anglicani). Ceteri, id est differentia inter 27,250,000. totam nempe multitudinem, et 26,848,257. complementum omnium catholicorum et protestantium omnis ordinis et nominis, scilicet 401,743. vel judaei sunt vel infideles. Nostri in dies crescunt, et protestantes minuuntur, etc. ». Attamen Palmer cum suis nobis persuadere satagit ecclesiam anglicanam esse veram ecclesiam catholicam.

(2) Inter recentiores qui in Anglia adversus novam Oxoniensem scholam rem catholicam scriptis propugnarunt, merito commendandus est cl. Nic. Wiseman, nuper episcopus mellipotom. institutus. Cf. varios articulos, quos ipse in Dubliniensi revisione *(Dublin's Rewiew)* edendos curavit, praesertim vero n. x. octob. 1838. et n. xiii. august. 1839., in quibus ecclesiam anglicanam funditus atque essentialiter schismaticam esse, nullumque ipsi jus ad apostolicam successionem, in quo oxonienses tantopere gloriantur atque confidunt, competere (independenter etiam a validitate ordinationum anglicanarum, quam tamen cl. auctor omnino denegat) totius ecclesiasticae antiquitatis testimonio evidenter demonstrat. Nil autem verius luculentiusque perpetua illa comparatione quam in secundo ex cit. articulis instituit inter schisma donatistarum, et anglicanum, sic ut ambo eandem pene originem, easdem vicissitudines, ac progressus habuisse agnoscas oportet; ac proinde quod jamdiu ecclesiae patres judicium in schisma donatistarum protulerunt, idem nunc ecclesiam anglicanam frustra ab oxoniensibus lotam ac perpolitam, percellere et condemnare. Illud Optati Milevitani de schismatis donatistarum origine, quod hoc nempe « Confusae mulieris (Lucillae) iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit *(De schism. donat.* lib. i. c. xiv. ed. Dupinii, p. 18.) » nonne historiam Annae Boleuae, ambitionem Henrici viii. sese in caput ecclesiae erigentis, ipsius demum ejusque asseclarum in bonis ecclesiae diripiendis rapacitatem nobis adamussim repraesentat? Nonne illud Augustini « Eadem pars Donati in multa minutissima frusta conscissa est *(De Bapt. cont. Donat.* lib. i. c. xii.) », intestinas anglicanae ecclesiae divisiones innumerasque sectas, quae velint nolint oxonienses, ex ejus sinu velut ex equo trojano prodierunt, nobis ob oculos ponit? Ipsum oxoniensium principium, anglicanam ec-

clesia anglicana; dici pariter debet de ecclesia graeca in novo regno constituta, de ecclesia russica, evangelica seu borussica aliisque ejusmodi; quae scilicet omnes ecclesiae nationales ac politicae sunt, quae ultra ditionis temporalis fines uniuscujusque status minime protenduntur (1).

318. Sic etiam falsum est quod universim asseritur de ecclesiarum anglicanarum fide, eam scilicet non privatae interpretationi scripturarum sed sensui traditionali et ecclesiae auctoritati inniti. Etenim non pauca ejusdem ecclesiae anglicanae membra rejiciunt auctoritatem traditionis, vel si quam admittunt, ex ea tantum parte et juxta eum sensum admittunt qui cum sectae propriae erroribus componi queat (2). Triginta ipsi novem articuli qui ad arbitrium conficti sunt ut normam constituerent fidei ecclesiae anglicanae, diversimode intelliguntur, sic ut mira sit inter episcopos et doctores anglicanos etiam quoad substantiam, illorum diversa interpretandi ratio (3), neque ulla apud ipsos conciliationis via defectu auctoritatis existat. Quare in perpetua fluctuatione versantur, ut patet ex historia diversarum phaseon quas subierunt atque adeo subeunt anglicanae ecclesiae (4). Concludamus igitur et nos, ecclesias hasce non

clesiam partem esse verae et catholicae ecclesiae Christi, quamvis ea nullo unitatis ac exterioris communionis vinculo cum caeteris catholicae ecclesiae partibus copuletur, jam a Cresconio donatista adhibitum, atque ab Augustino explosum fuit (Cont. Crescon. lib. III c. LXII. LXVI.). Sed haec nonnisi pauca sunt ex iis quae cl. Auctor docte atque ingeniose congessit ad suum propositum omni ex parte evincendum.

(1) Atque hic sedulo animadvertendum est omnes ferme societates quae se ab ecclesia catholica separarunt effectas esse nationales, uti ecclesia graeca in novo regno, ecclesia russica, ecclesia britannica, seu potius anglicana, ecclesia evangelica, etc. Quo fit ut societates istae factae fuerint veluti totidem formae religiosae regiminis civilis; sicque in illis omnibus politica et religio unum quid simul efficiunt. Ea tamen semper est conditio status religiosi ut e civili regimine omnino pendeat. Ex hac sola animadversione patet totam humanam esse, seu opus hominum illam modificationem quam subiit in illis regionibus christiana religio, secus ac eveniat in regiminibus catholicis. Ratio hujus discriminis est, quia religio catholica a Deo est et homini imponitur; acatholica vero est opus hominis, et *homo colit idolum suum*.

(2) Id liquet ex pluribus articulis qui saltem a plerisque anglicanis protestantibus rejiciuntur, et de quibus certissime constat ex traditione; cujusmodi ex. gr. est primatus jure divino rom. Pontificis, ut paulo post ostendemus, sacrificium quod in missa offertur, invocatio sanctorum, suffragium pro defunctis, etc. ut suo loco evicimus.

(3) Apposite Paley in op. *Philosophy* lib. III. P. I. cap. 2., qui tamen et ipse fuit protestans anglicanus, de triginta novem articulis sancitis a *Parlamento* scribit: « Qui contendunt nihil aliud posse justificare subscriptionem XXXIX. articulorum, praeter actualem fidem uniuscujusque illorum, ac singularum propositionum quae in illis continentur, supponere debent, auctoritatem legislativam sibi adblanditam fuisse de consensu decem mille virorum, idque in successione perpetua, nec dicam circa vel unicam propositionem, sed circa plures earumdem centenas. Difficile porro est sibi persuadere, quomodo id expectari a quoquam potuerit, qui ad *insanabilem diversitatem* humanarum opinionum in iis omnibus rebus quae incapaces sunt demonstrationis, animum intendisset ». Et sane magna viget inter anglicanos sententiarum diversitas etiam in substantialibus circa germanam intelligentiam plurium horum triginta novem articulorum.

(4) Profecto ecclesiae britannicae fuerunt catholicae primis annis regni Henrici VIII.,

obstante magno illo verborum apparatu et lenocinio quo adversarii nostri tenebras veritati ac luci offundere conantur, neque unquam habuisse, nec habere, aut habere posse unitatem propriam ecclesiae Christi, nisi revertantur ad communionem cum ecclesia romana cum qua per XV. secula in unione fuerunt, prout summopere et ex corde optamus amore ducti tam illustris nationis in qua sensus religiosus adeo excellit (1).

319. II. Obj. 1. Sanctitas non deest sectis, quae omnes eo tendunt ut homines a vitiis retrahant et ad virtutem seu sanctitatem informent. 2. Quamvis vero opera bona non requirantur ad formalem justificationem, non excluduntur tamen ut fidei ac justificationis fructus et indices. 3. Nemo porro negaverit sanctas esse ecclesias graecam, russicam et anglicanam quae plures inter sua membra sanctos enumerant. 4. Idipsum dicatur de catholicitate, cum protestantes ubique diffusi sint, et missionarios in omnes terrae plagas habeant, quod pariter praestant anglicani, et russi. 5. Quamquam nec dissimulandum est actualem diffusionem minime requiri ad ecclesiam catholicam constituendam; alioquin dicendus fuisset *catholicus* arianismus qui seculis IV. et V. utrumque imperium orientale et occidentale occupavit. 6. Multo vero magis dicendae sunt omnes ecclesiae istae apostolicae; haec enim proprietas ac proinde nota non a longa successorum serie, sed ab apostolica doctrina desumi debet; apostolica porro doctrina ex scriptis apostolicis ediscenda est, potius quam ex hodiernorum pastorum dictis; nec aliter dici potest post tantum temporis intervallum ab apostolorum aetate. Cum vero apostolorum scripta omnibus pateant, illae societates dicendae erunt apostolicae, de quibus, ex collatione doctrinae cum doctrina apostolorum, constiterit integrum purumque Dei verbum conservare, prout de protestantibus, ceterisque ecclesiis quae inductam a romana ecclesia corruptionem sustulerunt, dubitari nequit. 7. Ecquis enim sanus dicat unius ecclesiae romanae testimonio standum esse circa conservationem apostolicae doctrinae, cum exploratum sit plerasque ecclesias apostolicas ab apostolorum doctrina defecisse? Ergo.

320. Resp. ad 1. *D.* Eo tendunt sectae ut homines retrahant a vitiis et

deinde fuerunt partim *catholicae* partim *anglicanae* sub finem illius regni; fuerunt plene anglicanae sub Eduardo VI. ac rursum sub Elisabetha; presbyterianae sub Cromwel, etc. Cf. quae scripsimus Tract. *De vera relig.* P. II. n. 303. n. (a).

(1) In postremo fasciculo an. 1840. op. periodici inscripti *British critic*, quodque a protestantibus anglicanis conficitur, asseritur necessitas alterius cujusdam religionis, quum religio ecclesiae anglicanae non sit religio populi: « Quaenam autem, inquit, est religio apud nos introducenda? Est illa quae est *una*, *sancta*, *catholica et apostolica* ». Utinam isti homines larvam deponerent, et vel fidem ecclesiae vere catholicae, nempe ecclesiae romanae, amplecterentur, vel sibi ab his flebilibus modis frustra adhibendis temperarent; quum ejusmodi agendi ratio aliud nihil efficere queat, quam populum in indifferentismum dejicere, vel in suis erroribus confirmare! Ast mihi similes videntur illis mulieribus, quae venerunt usque ad partum, nec tamen defectu virium parere potuerunt, de quibus loquitur propheta. Ex una quippe parte sentiunt necessitatem se conjungendi cum ecclesia quae sola una, sancta, catholica et apostolica est, quaeque est sola ecclesia romana, ex altera vero perterrefiunt ex vano *papismi* aut *romanismi*, ut ita dicam, magico terriculo. Vincat Dei gratia in istorum cordibus. Hoc enim bonorum omnium desiderium ac votum est.

informent ad sanctitatem, qualem sibi fingunt ac per media quae illam destruunt, *C.* vere et proprie *N.* In primis observamus hoc ipsum professas esse omnes antiquas sectas quarum nulla extitit unquam, quae sibi apparenter saltem non proposuerit homines ad virtutem et sanctitatem informare atque a vitiis abducere (1), quas tamen hodiernae sectae uti haereticas et impias execrantur. Deinde animadvertimus unamquamque sectam concipere sanctitatem prout libet, quaeque consistere possit cum propriis cupiditatibus, ut patet ex iis, quae superius allata sunt, protestantium principiis, adeo ut satis ipsis sit Christum apprehendere per fidem, ut magni statim sancti efficiantur, quamvis sint omnibus sceleribus inquinati. Commoda profecto sanctitas. Demum dicimus omnem sanctitatem everti per ferream quam inducunt necessitatem, pleraeque saltem protestantium familiae, sive in ordine ad bonum sive in ordine ad peccatum. Neque illud omittendum est neminem ex catholicis protestantem seu sectarium fieri ut melior evadat, sed semper ut liberius vivat, ita ut quo pejores sunt catholici, magis ad sectas sint propensi; quo autem honestiores sunt sectarii, magis ad catholicismum inclinentur (2). Experientia docet sectas esse veluti cloacam maximam catholicismi in quam pessimi quique demum tamquam faeces delabuntur (3).

321. Ad 2. Neg. suppositum de ejusmodi justificatione per solam fidem obtinenda, ut suo loco ostendimus: praeterea ut ex modo dictis constat, impossibile est quodvis bonum opus in adversariorum doctrina ut fructus justificationis, cum per eam destruatur omnis verae libertatis notio (4). Quod si hanc admittant, non habetur nisi opus moraliter honestum.

322. Ad 3. *D.* Ecclesiae illae plures

(1) Ita manichaei, donatistae, novatiani primis ecclesiae saeculis; cathari, albigenses, waldenses aliaeque innumerae prope sectae medio aevo exortae, quae omnes exprobrarunt catholicis malam vivendi rationem, seque puros et perfectos jactabant, adeo ut patres ac theologi debuerint ejusmodi diluere difficultatem. Ceterum quinam fuerint incorrupti mores istorum qui se perfectos jactabant, ex historia compertum est.

(2) Cf. Duas epistolas quas hoc de argumento scripsit cl. Maistrius ad quamdam matronam protestantem an. 1809. quae prius ineditae, typis deinde vulgatae sunt in *Mémorial catholique* juin 1834., atque hae quidem prolixo illustrium virorum catalogo qui ex diversis sectis ad ecclesiam catholicam se receperunt, confirmari possunt. Vid. *Demonstratio catholica ex celebr. conversion.* cujus articulus ex *Revisione catholica* exhibent ephemerides *Voce della verità*, Modena 7. jul. n. 1395. seqq.

(3) Ut plurimum apostatae nostri, quod saepius notavimus, non sunt nisi sacerdotes ac religiosi pessimi, qui caelibatus sacri pertaesi uxorem ducere malunt. Acer tamen conscientiae stimulus eos perpetuo exagitat, nec pauci sunt qui sub vitae exitum palam id fatentur, ac denuo se reconciliant cum ecclesia quam turpiter deseruerunt ut propriis cupiditatibus morem gererent. Novissimum hujus rei exemplum his diebus praebuit Barnabas Rodriguez sacerdos hispanus qui in Angliam se receperat; morbo siquidem afflictus et Dei gratia praeventus palinodiam magno doloris sensu cecinit. Cf. *Annali delle scienze religiose* vol. XI. num. 32.

(4) Hac de causa Pusey in epist. cit. accusat ecclesiam romanam quod tendat ad *pelagianismum*, quia agnoscit opera quae ope gratiae fiunt etiam ut *nostra*, seu ut ipse loquitur, opera *propria* tamquam *propria*. Attamen concilium Tridentinum vocat ea *dona Dei*.

sanctos recensent ex iis qui floruerunt ante ipsarum schisma ab ecclesia catholica, *C.* post schisma *N.* Sane ecclesia graeca inter sanctos suos numerat eos omnes qui floruerunt in ecclesia catholica ac propterea rom. Pontifici subjecti erant in ejusque communione; eadem ratione se gerit ecclesia russica quae colit ss. Methodium et Cyrillum apostolos suos, aliosque ejusmodi qui adhaeserunt rom. Pontifici, quique proinde etiam in ecclesia romana seu catholica coluntur (1). Demum anglicana ecclesia gloriatur de sanctis qui olim in ecclesiis britannicis floruere (2). Verum quis non videat nihil habere commune hos sanctos cum praesenti istarum ecclesiarum apostasia a qua sancti illi maxime abhorruerunt? Alioquin etiam nestoriani et donatistae de suis potuissent sanctis gloriari.

323. Ad 4. *N.* Quaelibet enim secta seorsum sumpta angustis limitibus circumscripta est. Si excipias partem Germaniae, Statusque foederatos Americae, vix invenies lutheranos. Idem dic de zwinglianis extra Helvetiae tractus, de hugonottis extra Gallias. Anglicanos et russos schismaticos extra proprii imperii fines frustra quaesieris. Quod vero speciatim attinet ad anglicanos, idcirco ipsi in provinciis foederatis Americae reperiuntur quod his angli dominati fuerint, neque supersunt nisi reliquiae quae in dies dilabuntur, atque deficiunt. Missionarii harum sectarum sunt viatores et mercatores qui in longinquas regiones cum uxore filiisque se conferunt ut negotientur ac interea distribuant biblia ut copiosis fruantur proventibus quos percipiunt a societate; id quod suo loco satis ostendimus (3).

324. Ad 5. *N.* Requiritur enim juxta dicta ad catholicitatem constituendam diffusio tum successiva tum actualis una cum identitate doctrinae et communionis. Hanc nobis notionem praebent divina oracula quae ejusmodi diffusionem passim enunciant. Quare s. Augustinus « Ipsa est enim, inquit, ecclesia catholica; unde καθολική graece appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur (4) », et rursum: « Totum possidet, scribit, quod a viro suo accepit in dotem. Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite haeretici quid scriptum sit: *Oportet Christum pati et resurgere a mortuis et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes*. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet quod a viro suo accepit in dotem. Quaecumque congregatio cujuslibet haeresis in angulis sedet: concubina est, non matrona ... Cognoscatur una sancta et vera regina catholica, cui regnum Christus tale dedit, quod eam per totum mundum diffundens, ab omni macula et ruga mundans, totam pulchram suo adventu praeparavit (5) ». De identitate vero doctrinae testis est Vincentius Lirinensis dum praeclare scribit: « In ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim vere pro-

(1) Cf. Constanzi in *Schemate appendicis primae* § 2. pag. 3.

(2) Sane ut Palmer evincat ecclesiam anglicanam esse sanctam, provocat ad Sanctos qui in catalogis nostris habentur, quique *tempora* Angliae *catholica* illustrarunt.

(3) In Tract. *De vera relig.* P. II. Prop. x.

(4) Epist. LII. n. 1.

(5) Serm. IV. *De symbolo ad catechumenos* n. 13. Si tamen hic sermo genuinus est s. Augustini foetus. Cf. admonitionem Maurin. edit. in Sermones de symbolo ad catechumenos. Antiquissimi saltem auctoris est.

prieque catholicum: quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit (1) ».

325. Licet vero ariani imperatorum potentia freti longe lateque diffusi ad tempus extiterint, haec, uti ostendit cl. Maran, fuit potius vafrities episcoporum qui catholicorum sedes usurpabant; dum populi interea semper alieni fuerunt ab illa controversia (2). Divisi praeterea erant in plures sectas sibi invicem adversantes. Denique numquam ita diffusi sunt, ut catholicae ecclesiae praevaluerint. En quid s. Athanasius testis ocularis scribat ad imperatorem Jovianum: « Scito, religiosissime Auguste, haec ab omni aevo esse praedicata, hancque ipsam fidem patres, qui Nicaeae convenerunt, confessos fuisse, eamque suffragio suo comprobare universas totius orbis ecclesias, nempe Hispaniae, Britanniae, Galliae, totius Italiae, Dalmatiae, Daciae, Mysiae, Macedoniae, Graeciaeque et Africae universae, necnon Sardiniae, Cypri, Cretae, Pamphyliae, Lyciae, Isauriae, Aegypti, Lybiae, Ponti, Cappadociae, vicinas quoque nobis necnon Orientis ecclesias, paucis exceptis, qui Arii haeresim sequuntur (3) ».

326. Ad 6. *D.* Proprietas et nota catholicitatis ab apostolica doctrina desumi debet per seriem testium conservata, *C.* ab apostolica doctrina in se solum spectata *N.* Alioquin quaelibet secta sibi tribuet doctrinam apostolicam; cum vero saepe contrariae inter se sint, nullus unquam controversiae exitus haberetur. Methodistae contendunt se puram retinere apostolicam doctrinam, idem contendunt quackeri, idem baptistae, idem reliqui omnes. Sequamur igitur necesse est tesseram quam nobis antiquissimi ecclesiae patres tradiderunt ad internoscendam veram apostolicam doctrinam a spuria; porro tesseram hanc in legitima successione ecclesiarum apostolicarum patres constituerunt. Nam 1. Irenaeus ita haereticos sui temporis perstringebat: « Habemus annumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesia, et successiones eorum usque ad nos (4) »; qui deinde rom. Pontificum qui a Petro ad suam aetatem floruerunt censum exhibet, atque concludit: « Eis qui in ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt: reliquos vero qui obsistunt a principali successione,

(1) Commonit. cap. II. apud Galland. Biblioth. PP. tom. X.

(2) *Divinitas D. N. J. C. manifesta in scripturis et traditione*, lib. II. cap. VI. § IV. ubi « Tota, inquit, res videtur inter sacerdotes transacta, populis interim ab hac peste integris et intactis. Nam plebem occulta et dissimulata impietas nil laedebat, apertior et audacior ad iracundiam concitabat »; quod deinde adductis veterum testimoniis lucidissime ostendit.

(3) Γίνωσκε, θεοφιλέστατε Αὔγουστε, ὅτι ταῦτα μὲν ἐξ αἰῶνός ἐστί κηρυττόμενα, ταύτην δὲ οἱ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες ὡμολόγησαν πατέρες, καὶ ταύτῃ συμψήφοι τύγχάνουσί πᾶσαι αἱ πανταχοῦ κατὰ τόπον ἐκκλησίαι, αἵ τε κατὰ τὴν Σπανίαν, καὶ Βρετανίαν, καὶ Γαλλίας, καὶ τῆς Ιταλίας πάσης, καὶ Δαλματίας, Δακίας τε καὶ Μυσίας, Μακεδονίας, καὶ πάσης τῆς Ελλάδος, καὶ κατὰ τὴν Αφρίκην πᾶσαν καὶ Σαρδανίαν, καὶ Κύπρον, καὶ Κρήτην, Παμφυλίαν τε καὶ Λυκίαν, καὶ Ισαυρίαν, καὶ αἱ κατ' Αἴγυπτον, καὶ τὰς Λιβύας καὶ Πόντον καὶ Καππαδοκίαν, καὶ αἱ πλησίον ἡμῶν, καὶ αἱ κατὰ ἀνατολὰς ἐκκλησίαι, πάρεξ ὀλίγων τῶν τὰ Αρείου φρονούντων. Epist. ad Jovian. n. 2. ed. Maur. tom. I. P. II. p. 781.

(4) Lib. III. *Cont. Haeres.* cap. III.

et quocumque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi haereticos, et malae sententiae, vel quasi scindentes et elatos, et sibi placentes (1) ». Tertullianus pariter eadem ratione haereticos insectatur: « Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt: sicut smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert: sicut romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem: perinde utique et caeterae exhibent, quos ab apostolis in episcopatum continuatos, apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid haeretici (2) ». Ita s. Optatus (3), s. Augustinus (4) aliique passim.

527. Quo principio semel constituto jam sponte sua concidunt quae subjiciuntur de doctrina apostolica colligenda ex apostolorum scriptis, de collatione doctrinae cum doctrina apostolorum, aliaque ejusmodi quibus relabimur in controversiam de Scripturarum interpretatione, de sensu earum traditionali, ac jugi magisterio ecclesiae, quae appositis locis expendemus. Si verum esset quod de ecclesiis protestantium asseritur ac de corruptione inducta a romana ecclesia, verum pariter fuisset quod gnostici, manichaei, donatistae aliaeque ejusmodi pestes effutiebant, cum et ipsi clamarent se unice veram doctrinam intemeratam servasse quae corrupta fuerat ab ecclesia romana. Nulla vero ratio apparet quare protestantes, russi, anglicani gnosticis, manichaeis ac donatistis sub hoc respectu se praeferant.

528. Ad 7. Resp. cum s. Irenaeo ecclesiae romanae testimonio standum esse, « quia semper in ea conservata est ea quae est ab Apostolis traditio (5) »; quod quidem dignoscitur per numquam interruptam rom. Pontificum a Petro ad nos usque successionem, ut idem s. pater argumentabatur. Deinde dicimus quia sola fundata est super firmam petram quam numquam vicerunt aut vincent superbae inferorum portae, ut loquitur s. Augustinus; quae quidem est ratio quare, ceteris apostolicis ecclesiis ab apostolica doctrina deficientibus, sola steterit ecclesia romana « Ad quam necesse est omnem convenire ecclesiam, id est, omnes qui sunt undique fideles » ut prosequitur s. Irenaeus (6).

CAPUT IV.

De ecclesiae dotibus

529. Ecclesiae origine, institutione et constitutione expensis ac vindicatis una cum notis ex quibus ipsa a quavis adulterina societate quae sibi christianae ecclesiae nomen arrogat, tuto internosci possit, superest ut inquiramus quibus dotibus seu praerogativis divinus conditor Christus eandem instruxerit. Hae autem dotes in eo a proprietatibus essentialibus differunt, quod istae a rei natura, uti exposuimus, profluant, illae quodammodo eidem supervenire concipiantur.

(1) Lib. IV. *Cont. Haeres.* cap. XXVI. n. 2. ed. Mass.

(2) Lib. *De praescript.* cap. XXXII. edit. Rigalt.

(3) Lib. II. *Contra Parmen.* pag. 48. edit. Albaspinaei. Paris. 1631.

(4) Contra epist. *Fundam.* cap. IV.

(5) Loc. cit. ex lib. III. cap. III. n. 2.

(6) Ibid.

330. Praecipuae vero ecclesiae dotes sunt *indefectibilitas* in existendo, *infallibilitas* in docendo, *auctoritas* in regendo. Ejusmodi porro indefectibilitatem in existentia, infallibilitatem in doctrina, auctoritatem in regimine Christum ecclesiae suae concessisse aut negant prorsus omnes acatholicae sectae, aut ita exponunt, ut extenuent eas atque comminuant. Cum enim se illis destitui probe norint, nihil non moliuntur, ut verae saltem ecclesiae easdem eripiant.

331. Ne autem, cum res adeo gravis agitur, quidpiam in ancipiti relinquatur, et ut lucido, prouti par est, ordine singula disponantur totum hoc caput in tres articulos partiemur, ut distincte de unaquaque dote disseramus.

Articulus I.

De ecclesiae indefectibilitate

332. Haec afficit, ut innuimus, existentiam ecclesiae a Christo institutae, ita ut illius vi ea perseveret usque in seculi finem in illa ipsa constitutione seu natura et proprietatibus suis tum internis tum externis in qua primitus existere coepit. Quare cum ex ortu suo ecclesia et anima et corpore, atque utriusque nexu ex quo pendet mutuum commercium, constiterit, ac propterea una individua, sancta, catholica et apostolica, eadem semper perseveret, necesse est ut et eisdem notis semper cognosci possit, et eadem quovis tempore ab omnibus deprehendatur.

333. Ex hac indefectibilitatis notione inferimus primo: eam distingui tum a visibilitate, tum ab infallibilitate, tum denique a perpetuitate: visibilitas enim exteriorem tantum ecclesiae partem attingit; infallibilitas autem docendi munus; perpetuitas demum nil aliud importat in sui notione nisi nudam durationem praescindendo ab ejus modo seu statu. Contra vero indefectibilitas dicit identitatem perpetuae permanentiae in sua natura.

334. Inferimus praeterea perperam ab acatholicis aut coarctari hanc indefectibilitatem ad visibilitatem; aut in eo constitui, quod numquam aliqui desituri sint, qui veram fidem profiteantur; aut in eo quod fidei essentialia, ut vocant, numquam ab ecclesia sint penitus defutura; aut denique haec omnia simul ab eis permisceri (1); ex dictis siquidem haec inter se nequeunt perturbari aut immisceri. His praemissis sit:

PROPOSITIO

Ecclesia Christi est indefectibilis

335. Etenim ex vindicatis ita a Christo instituta ecclesia est, ut quovis tempore omnibus hominibus per eam suppeterent media idonea ad salutem sibi comparandam; talis igitur quovis tempore perseverare debet, ut ab omnibus cognoscatur, et a qualibet secta jugiter secernatur. Jam vero talis non esset ecclesia, si aliquando posset aliqua ex parte deficere; nam identica amplius non esset; cessaret una esse, sancta, catholica et apostolica prout ejus natura juxta Christi institutionem postulat, nec amplius exterius praeseferret notas quibus ut vera ecclesia internosci posset: homines proinde possent decipi dum pu-

(1) Sic inter ceteros novissime se gessit J. Newman ex Oxoniensibus in op. *Lectures on the prophetical office of the Church*, etc., seu *Lectiones circa munus propheticum ecclesiae spectatum relate ad romanismum et protestantismum popularem*. Lond. 1837. ut patebit ex iis, quae mox ex eo proferemus.

tarent veram ecclesiam esse societatem illam, quae reipsa non est nisi secta seu Satanae synagoga. Destituerentur eapropter mediis certis ac idoneis quibus in negotio omnium maximo sibi possent tuto prospicere. Quae omnia absona sunt et contra finem quem Christus in ecclesia condenda sibi praestituit.

336. Hinc cernimus Christum promissiones suas non ad certum tempus coarctasse, sed extendisse usque ad mundi exitum. Sane Matth. XVI. indefinite de ecclesia sua pronunciat: « Et portae inferi non praevalebunt adversus eam »; et ibid. XXVIII. « Ecce ego vobiscum sum *omnibus diebus* usque ad consummationem seculi », ut alia loca praeteream non minus aperta et decretoria (1): Haec porro omnia falsa essent si ex aliqua sua parte posset ecclesia aliquando deficere, et aliter se habere ab eo statu ac natura in qua semel instituta est.

337. Quod magis adhuc elucet ex duplici analogia juxta quam vidimus Christum voluisse instituere ecclesiam suam, ad modum scilicet individui jugiter viventis, seu personae moralis; et ad modum, ut nonnullis placet, divinae incarnationis per quam Christus ipse jugiter vivere pergat et operari in ecclesia sua, ac per eam se hominibus manifestare. Haec autem includunt ideam indefectibilitatis.

338. Demum factum ipsum perpetuae permanentiae Christi ecclesiae, scilicet ecclesiae catholicae cujusmodi perhibent omnia antiquitatis ecclesiasticae documenta, nec non praesens ejusdem status post tot secula perseverans, ineluctabili prorsus ratione confirmat indefectibilitatis a nobis assertae praerogativa Christi ecclesiam instructam esse (2).

DIFFICULTATES

339. Obj. Quae a catholicis proferuntur ad indefectibilitatem ecclesiae adstruendam nihili prorsus pendenda sunt. Etenim 1. quamvis vera ecclesia deficeret vel ex toto vel ex aliqua sua parte, non propterea sequeretur homines omni destitui salutis medio; posset enim Deus supplere mediis internis, possent homines spiritu saltem conjungi cum vera Christi ecclesia: praesertim cum error est omnino involuntarius et ineluctabilis; tunc enim nocere non potest, ut constat ex haereticis *materialibus* nuncupatis. 2. Nec quidpiam magis evincunt Christi promissiones; quamvis enim saepius promiserit Deus in V. T. populum hebraicum fore aeternum, seu in perpetuum duraturum, defecit tamen. 3. Ratio est quia licet promissiones a Deo ecclesiae factae sint perpetuae, possunt nostrae inobedientiae vitio limitari; nec desunt 4. exempla divinae voluntatis *arcane* frustratae, quia Dei promissa quoad illarum in specie executionem poscunt hominis cooperationem, Deus autem non tenetur miraculis efficere, ut illa numquam desit. 5. Neque *factum* pro catholicis rem confirmat; quamvis enim Christus et apostoli saepe inculcaverint unitatem, eamque perfectam, quamvis etiam in unitate Christus ecclesiam suam constituerit, certum tamen est in unitate

(1) Cf. Matth. XII. 25. Ephes. IV. 18., etc.

(2) Cf. quae scripsimus in tract. *De vera religione* P. I. cap. IV. Prop. IV. de perpetua christianae religionis conservatione juxta Christi vaticinia et promissiones: quam nonnisi in ecclesia catholica seu romana ostendimus sortitam esse plenum exitum suum non obstantibus innumeris pene internis atque externis difficultatibus, ac jugi conspiratione tot ejus adversariorum ad eam, si fieri potuisset, penitus abolendam.

ecclesiam non perstitisse, neque amplius hanc post tot divisiones unitatem subsistere (1). 6. Notum praeterea est Basilium, Hilarium, Hieronymum, Bernardum ecclesiae defectionem aetate sua deflevisse (2). 7. Notum pariter est concilium Basileense deposuisse Eugenium IV. eique suffecisse Felicem V. Eugenius tamen pontificatum gessit, ac reliquos, qui eum secuti sunt rom. Pontifices, habuit successores; magna profecto defectio ecclesiae habenda haec est (3). 8. Quis denique ignorat Christi verba Luc. XVIII. 8. « Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? » Ea item Pauli II. Thess. II. 3. « Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit filius peccati? » Quibus aperte praedicitur defectus ecclesiae totalis futurus, saltem tempore Antichristi. Ergo.

340. *Resp. N. A.* Ad 1. prob. *D.* Non sequeretur homines omni destitui salutis medio extraordinario, Tr. vel *C.* Ordinario. *N.* Jam vero quando Christus condidit ecclesiam suam intendit praebere hominibus medium ordinarium, seu potius collectionem mediorum, quibus omnes indiscriminatim uti quovis tempore possent ad salutem sibi comparandam. Si Deus voluisset ope interiorum mediorum nostram operari salutem, nulla fuisset ecclesiae instituendae ratio (4). Mediis internis, tum extraordinaria ratione nobis prospicit Deus, quando nulla alia suppetit via, neque nostra culpa factum est, ut media nobis ordinaria defuerint. Deus etiam posset hoc universum regere absque causis secundis, quod tamen non praestat, si excipias casus extraordinarios, cum nempe prodigia operatur. Quod vero adjiciunt adversarii de conjunctione per spiritum cum vera ecclesia, de errore ineluctabili, aut de haereticis materialibus, locum pariter habere tantum posset in hypothesi, quod Deus nullum aliud medium suppeditaret: cum vero constet Deum alia ratione voluisse hominum saluti consulere, per institutionem videlicet ecclesiae visibilis atque externae, quaeque ab omni secta facile semper discerni possit, patet inutile prorsus esse ejusmodi effugium ab acatholicis excogitatum qui nolunt veram ecclesiam agnoscere. Haec enim aliaque id genus tunc solum valerent, si omnis via interclusa esset ad veritatem inveniendam, sed si error voluntarius est, et ex sola pertinacia nolunt sectarii eam agnoscere, ipsi viderint si perniciem sibi consciscunt; Deus profecto in istorum gratiam aliam non inibit viam ad ejusmodi homines ab exitio revocandos.

341. Ad 2. *N.* Quo autem sensu Deus promiserit aeternum fore populum hebraicum non uno in loco ipse patefecit, sive cum Deut. XXIV. praedixit eum dispersum iri per universas mundi plagas; sive cum Dan. IX. ejus praenunciavit rejectionem, et alibi passim. Lex ipsa mosaica utpote typica futuram ejusdem

(1) Ita Newman op. cit. in Lect. VIII. quae est *De indefectibilitate ecclesiae catholicae* pag. 230 seqq. ubi omnia permiscet atque confundit.

(2) Apud Bellarmin. *De ecclesia milit.* lib. III. cap. XVI.

(3) Ita Calvinus in praefat. *Institut.* ubi prolato hoc argumento, subdit triumphum canens: « Hic deprehensi (catholici) haereant necesse est . . . Aut igitur ecclesiae formam aliter definiant, aut quotquot sunt, habebuntur a nobis (haereticis) schismatici, qui scientes volentes ab haereticis ordinati sunt ».

(4) Hoc argumentum praeclare evolvit Frid. Lucas non ita pridem ex quakeris ad religionem catholicam conversus in op. *Reasons for becoming a roman catholic*, seu *Motiva ad religionem catholicam romanam amplectendam*. London 1839. sect. 15. pag. 81. seqq.

foederis ac proinde populi cessationem non obscure indicabat. Nihil porro tale occurrit in Christi promissionibus respectu ecclesiae suae perpetuo mansurae; imo omnis conditio ab illis promissionibus aperte excluditur.

342. Ad 3. et 4. *D.* Si promissiones sint conditionatae, *C.* si sint absolutae *N.* Si enim Dei promissiones absolutae fuerint, numquam fieri potest ut effectum suum non sortiantur: siquidem ipsi Dei fidelitati et veracitati innituntur. Inobedientia proinde ac defectus cooperationis provenire quidem possunt ex parte individuorum, uti reipsa in acatholicis contigit, numquam vero ex parte ipsius ecclesiae, quia tunc Deus suis promissis plane deesset. Neque tamen ad hoc miraculis opus est, cum Deus subsidio et providentia sua omnia possit fortiter suaviterque sic attingere atque disponere ut finem suum cumulatissime obtineat.

343. Ad 5. *N.* Aliud porro est inculcare unitatem perfectam quae in mutua charitate inter singula ecclesiae membra et amore consistit, eamque commendare, aliud autem in ejusmodi unitate ecclesiae indefectibilitatem constituere. Prius verissimum est, posterius vero omnino falsum. Cujusmodi sit unitas quatenus proprietas ecclesiae est ac proinde nota, in superiori capite exposuimus. Itaque unitas cordium quae ex charitate profluit a singulis individuis pendet, qui possunt ab ea desciscere juxta Christi praedictionem: « Necesse est ut veniant scandala, verumtamen *vae homini illi* per quem scandalum venit (1) ». Cui consonat Apostolus dicens: « Oportet haereses esse (2) » id est divisiones et scissuras quae ex infirma hominum natura dimanant. Si enim Christus in ejusmodi perfecta animorum conjunctione constituisset ecclesiae suae unitatem, non hominum sed Angelorum ecclesiam condidisset. Ceterum si agatur de ecclesia universa, seu de toto corpore, ab illo neque ejusmodi charitas abesse potest; potest autem abesse ex parte singulorum membrorum, salva essentiali ecclesiae ipsius unitate (3). Ex falsa

(1) Matth. XVIII. 7.

(2) I. Cor. XI. 19.

(3) Optime Maldonatus in illa Christi verba Jo. XIII. 35. « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem », optime, inquam, scribit: « Caveat lector ne existimet eos, qui fidem habent, caritatem autem non habent, Christi non esse discipulos. Nam et illi non solum nomine, sed re etiam ipsa discipuli sunt, cum ab eo discant, atque illi tamquam vero praeceptori credant; ceterum imitatione morum ejus discipuli non sunt, quia quod Christus diligit, ipsi non diligunt. Et quia hoc etiam modo vult Christus omnes homines discipulos suos esse, et qui hoc faciunt, non solum veri, sed etiam perfecti discipuli ejus sunt, indicat alios, qui fidem habent, dilectionem autem non habent, suos non esse discipulos; sic plane, ut si quis pater neget eos suos esse filios, qui sibi moribus dissimiles sunt, non quod vere non sint filii, sed quod non quales esse oportebat. *Frustra appellamur christiani* (scribit Leo serm. 6. De Nativit.) *si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio magistri forma esset discipuli, et illam humilitatem eligeret servus, quem sectatus est Dominus* ».

Ex hac observatione corruit quod ex falso principio infert Newman op. cit pag. 241. « Sequitur solam antiquam, seu primitivam ecclesiam nobis posse praebere exemplum fidei suae, quamdiu in se unitatem exhibuit ». De qua porro loquitur ecclesia? Si de ipsis ejus incunabulis disserit, quando « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una », sequeretur ecclesiam paucorum dierum unice nobis posse praebere exemplum fidei, quod puto ipsum non admittere; quod si loquitur de ec-

porro adversariorum hypothesi provenit quod adjicitur de tot divisionibus post quas ecclesiae unitas subsistere nequit; ipsi enim pro certo assumunt ecclesiam catholicam constare ex pluribus societatibus christianis, ut superius vidimus, quae tamen hypothesis est gratuita et falsa. Si enim ecclesia est individua, atque, ut loquuntur patres, vestis Christi inconsutilis, dividi in partes non potest quin destruatur; qui enim ecclesiam scindere ac lacerare nituntur, non ecclesiam reipsa scindunt, sed se ipsos scindunt ab ecclesia (1): fiunt siquidem sectarii, haeretici atque schismatici.

344. Ad. 6. *N.* Si enim unum Hieronymum excipiar, ceteri patres non de ecclesia, sed de haereticis factionibus

clesia insequentium seculorum, satis ei erit oculos conjicere in documenta historica, ut in eis inveniat quovis seculo exempla humanae infirmitatis. Ceteris omissis, sat erit verba describere Eusebii hist. eccl. lib. VIII. c. I. quibus statum ecclesiae nobis ob oculos ponit instante persecutione Diocletiani, nempe sub finem sec. III. et initium sec. IV. « Cum ex nimia libertate, inquit, in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus; cum alter alteri invidere, atque obtrectare coepisset; cum inter nos quasi bella intestina gereremus, verbis tamquam armis quibusdam hastisque nos mutuo vulnerantes; cum antistites adversus antistites, populi in populos collisi, jurgia ac tumultus agitarent; denique cum fraus et simulatio ad summum malitiae culmen adolevisset . . . Cum vero sensu omni destituti, de placando Dei numine ne cogitaremus quidem; quin potius instar impiorum quorumdam res humanas nulla sollicitudine ac providentia gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjiceremus: cum pastores nostri, spreta religionis regula, mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud quam jurgia, minas, aemulationem, odia ac mutuas inimicitias amplificare studentes; principatum quasi tyrannidem quandam contentiose sibi vindicantes: tunc demum juxta dictum Jeremiae obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion, etc. ». Quod si demum Newman loquitur de illa ecclesiae aetate in qua nullae adhuc prodierint haereses aut schismata, cum haec ab ipsa aetate apostolica coeperint, patet numquam nos invenire posse beatos illos dies in quibus ecclesia antiqua et primitiva praebuerit, juxta adversarium, fidei suae exemplum. Utique ipse alludere videtur ad schisma quod erupit ex parte graecorum: verum nulla est ratio cur in illo schismate sistamus, potius quam in schismate novatianorum, ac donatistarum aut anglicanorum.

(1) Hoc est quod perpetuo inculcat s. Cyprianus, praesertim vero in aureo suo libro *De unitate ecclesiae* ubi inter cetera pag. 198. edit. Maur. scribit: « Non enim nos ab illis (haereticis et schismaticis), sed illi a nobis recesserunt. Et cum haereses et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt ». Eadem docet s. Augustinus passim. Attamen si adversarios audias, praesertim vero Palmerium, non lutherani, non calviniani aut zwingliani, non anglicani se separarunt ab ecclesia catholica seu romana, sed ecclesia romana seu catholica separavit se ab illis. Nempe non rami ab arbore divisi sunt, aut rivus a fonte, aut radius a sole, sed arbor divisit se a ramis, fons a rivo, sol a radio, quae quidem a sano et communi hominum sensu abhorrent, et pugnant cum ipsa rei natura. Interim advertant arborem sine ramis illis excisis virescere posse et fructus dare, item fontem sine rivo illo aquas emittere, solemque nova semper luce micare; arefieri vero ramos excisos ab arbore, putrefieri rivi aquas et denique evaporare sine fonte, evanescere radium sine sole. Haec sibi applicent sectarii ab ecclesia romana seu catholica separati: haec enim sors citius serius eos manet.

loquuntur (1); quo autem sensu asseruerit Hieronymus mundum miratum se esse arianum, alias exposuimus (2).

345. Ad 7. *D.* Quando jam defecerat in conciliabulum et latrocinium, *C.* cum adhuc legitimum esset *N.* Etenim norunt eruditi omnes, nemine penitus dissentiente, concilium Basileense in conciliabulum et schismaticam factionem defecisse, cum Eugenio IV. legitimo Pontifici opposuit antipapam Felicem V. qui paulo post infulam deposuit. Nullus intererat schismaticae illi sessioni s. Sedis legatus, eaque majori parte ex presbyteris componebatur, qui denique se subjecerunt Nicolao V. Eugenii successori (3).

346. Ad 8. *D.* In adductis Christi et Pauli testimoniis praenunciatur defectio plurimorum, praesertim vero malorum ab ecclesia, *C.* defectio ipsius ecclesiae *N.* Alioquin cum post Antichristi cladem gentes omnes et judaei ipsi convertendi ad Christum sint, veram ecclesiam nulla ratione internoscere amplius possent (4). Accedit, longe verisimilius verba Christi *de fidei perfectione* in pluribus, non autem de fide ipsa absolute debere intelligi (5).

ARTICULUS II.

De ecclesiae infallibilitate

347. Dum ecclesia docendi munere fungitur, triplex officium exequitur, *testis* scilicet, *judicis* et *magistrae*. Testis quidem in proponendis fidei veritatibus quas a Christo accepit; judicis in dirimendis controversiis quae vel fidem attingunt, vel ad eam referuntur; magistrae denique in ministerio quotidiano, quo viva voce et praxi fideles iis omnibus instruit, quae ipsis intemerata doctrina et moribus informandis conferunt, eosque veluti manu ducit ad aeternae salutis iter capessendum.

348. Ad singula haec praestanda Christum ecclesiam suam infallibilitate instruxisse contendunt catholici, inficiantur acatholici omnes, ut ei substituant systemata vel spiritus privati, vel interioris nescio cujus afflatus Spiritus Sancti, vel privatae Scripturarum interpre-

(1) Sane Hilarius dum in lib. cont. Auxentium n. 12. scribit: « Male vos parietum amor cepit, male ecclesiam Dei in tectis, aedificiisque veneramini, male sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in his antichristum esse sessurum? Montes mihi, et silvae, et lacus et carceres et voragines sunt tutiores », loquitur de sola ecclesia mediolanensi in qua Auxentius fretus imperatoris favore occupabat illius ecclesiae templa, eo quod dissimulasset verae fidei professionem, quam postea rebus immutatis deseruit. Cf. praefat. Maur. editor. opp. tom. II. pag. 587. seqq. impress. Veronae 1730. S. Basilius ep. XIII. ed. Maur. al. 69. item epist. CCXLIII. al. 70. deplorat calamitates ecclesiarum orientalium, quae vexabantur ab haereticis *tolerantibus* illius aetatis, describit vaferrimam agendi rationem episcoporum arianorum, et auxilium implorat episcoporum occidentalium italorum et gallorum, qui tunc pace fruebantur. Homiliam XLIX. in Matth. sub s. Jo. Chrysostomi nomine objectam, jam monuimus spuriam esse.

(2) Tract. *De vera relig.* P. II. Prop. IV. n. 93.

(3) Cf. Bellarm. loc. cit. Harduin. *Acta concil.* tom. VIII. col. 1229 seqq. Nat. Alex. diss. VIII. in sec. XV. et XVI. art. V. qui quamvis acerrimus sit concilii Basileensis propugnator, attamen fatetur, saltem ex defectu consensus ecclesiae, irritam fuisse et depositionem Eugenii et electionem Felicis. Verum omnino legendae sunt animadversiones in concilium Basileense quas cit. dissertationi apposuit Roncaglia. De hoc concilio iterum redibit sermo.

(4) Cf. Rom. XI. 25.

(5) Cf. Bellarm. loc. cit.

tationis aut alterius cujusvis inventi, postremis praesertim temporibus excogitati ad excludendam ab ecclesia infallibilitatis dotem, qua semel admissa, sectarii se penitus contritum iri persentiunt.

349. Jamvero necessaria hac praerogativa sub triplici quem diximus respectu, ecclesiam a Christo instructam esse ostendere aggredimur. Ne autem quae sumus expositiuri simul collecta legenti tenebras offundant, constituimus integram hanc gravissimam quaestionem in duas partiri propositiones in quarum altera generatim vindicemus infallibilitatem ecclesiae in proponendis docendisque iis quae ad fidem et mores pertinent, atque in dirimendis controversiis quae circa eadem objecta exoriri possunt, sive prout testis, sive prout judex, sive demum prout magistra est. Cum vero inter controversias quae ad fidem referri innuimus, potissima ea sit, quae afficit librorum sensum, seu, ut vocant, *facta dogmatica*, ejusdem ecclesiae infallibilitatem etiam in his dirimendis propugnabimus in altera propositione. Sit igitur exorsus a prima.

Propositio I.

Ecclesia Christi est infallibilis in iis omnibus quae ad fidem et mores pertinent

350. Christus ex dictis ecclesiae auctor ideo eam fundavit, ut per hanc homines doceret tutam salutis viam. Ergo eam infallibilitate instruxit sive ut testis est apud homines ejus doctrinae quam ab eo accepit, sive ut judex est in controversiis dirimendis quae oriuntur aut oriri possunt circa verum ejusdem doctrinae sensum, sive demum prout magistra est in ministerio suo exhibendo ad homines rite informandos.

351. Antecedens nec ab adversariis ipsis in dubium revocatur; ita porro evincimus consequens. Christus sibimetipsi seu in sui locum ecclesiam suffecit ad omnes homines in fide ac moribus docendos, eidemque missionem hanc difficillimam obeundam commisit ad omnes homines et in omnes aetates usque ad mundi finem; sigillum praeterea divinae hujus missionis eam praeseferre voluit in signis et portentis, ceterisque extraordinariis donis, ut per ipsa fidem penes populos sibi conciliaret in hoc munere exequendo; interius insuper gratiae suae subsidio ipse omnium corda illustrat ac permovet, ut doctrinae sibi Dei nomine ab ecclesia propositae pronas admoveant aures eique obsequantur; aeternas denique poenas et supplicia comminatur obedientiam detrectantibus atque ecclesiae praedicationem respuentibus (1).

352. Jamvero haec omnia absque infallibilitatis dote ecclesiae concessa non modo concipi nequeunt, sed plane absurda essent, et a pietate divina prorsus aliena. Absurdum enim inprimis est posse

(1) Praeclare Möehler in cit. *Symbolica* cap. v. § xxxvi. scribit: « Une fois consommée, l'alliance avec les enfans de Dieu doit durer jusqu'au trépas. Le baptême est la porte de l'église, l'admission dans la société des fidèles: il confère le droit, bien plus, il impose l'obligation de prendre part à toutes leurs joies, à toutes leurs douleurs. D'un autre côté, l'administration des sacremens, aussi bien que celle de la parole, a été identifiée par le Seigneur à l'apostolat: et encore à cet égard, ils sont à jamais attachés à la communauté, unis à elle d'une manière indissoluble. Ainsi donc l'union avec Jésus-Christ implique union avec son église. Les liens qui rattachent à Jésus-Christ, enchaînent à l'église: tous deux sont inséparables; il est en elle, et elle est en lui (Ephes. v. 29.-33.). Par

ecclesiam falli, ac proinde homines decipere; quandoquidem Dei nomine, imo et in ejus locum suffecta munus illud implere debet, quod ipse prius inchoavit ac prosequendum eidem commisit apud omnes gentes per ejus ministerium illuminandas quibus tutam salutis viam constituit patefacere. Absurdum praeterea est potuisse aut voluisse Christum divinam ecclesiae missionem miraculorum suorum sigillo communire quo homines invincibiliter ad errorem aut falsam doctrinam profitendam inducerentur. Quamvis enim daremus (quod falsum esse ostendimus), post sufficientem evangelii promulgationem ejusmodi extraordinaria dona in ecclesia cessasse, cum tamen illorum ope primi fideles in Christum crediderint, ac se in ecclesiam receperint, et propterea ad seram usque posteritatem illis, tamquam credibilitatis motivis, ecclesia auctoritatem sibi conciliaverit, ad scopum nostrum perinde est. Semper enim verum foret, Deum prodigiis concurrisse ad obsignandam uti divinam illius ecclesiae missionem, quae posset quovis tempore homines in erroneam aut falsam doctrinam inducere, et quae Dei nomine et auctoritate proponeretur. Absurdum pariter est Deum seu Christum gratiae suae subsidio homines inclinare, allicere ac flectere per pium credulitatis affectum ad obsequium et obedientiam praestandam ecclesiae a se institutae, si haec posset pro veritate errorem, pro vero cultu superstitionem, pro sanctis moribus perniciosos propinare. Multo vero minus posset Deus aeterna comminari supplicia incredulis et obedientiam detrectantibus, si possent ab ecclesia absolute decipi.

353. Diximus insuper hoc docendi munus Christum ecclesiae suae demandasse explendum apud omnes homines et in omnes aetates, nimirum apud omnes homines tum praesentes tum futuros usque ad seculi finem, quia ipse « vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (1) . . . et pro omnibus mortuus est (2) . . . et aequaliter cura est illi de omnibus (3) ». Porro infallibilitatis praerogativam ad id munus rite obeundum ex quo pendet aeterna hominum salus, necessariam in primis esse quoad omnes homines praesentes ostendere operosum non est. Homines enim in duas distinguuntur classes, in eos scilicet qui jam intra septa ecclesiae sunt, et in eos qui sunt extra ecclesiam: rursum qui extra ecclesiam

ces raisons mêmes, l'église ne peut manquer à la partie de sa tâche, qui est de conserver la parole de Dieu; elle n'est point sujette à l'erreur. Comme chaque adorateur du Christ est incorporé à l'église par des liens indissolubles: comme c'est elle qui le conduit au Sauveur, et qu'il ne reste en Jésus-Christ qu'autant qu'il demeure en elle, c'est l'église aussi qui forme son coeur et son intelligence. Il ne peut donc lui réfuser sa confiance. Dès lors il faut que cette confiance soit méritée. Il ne faut point que le fidèle, qui s'abandonne à l'église puisse être induit en erreur; l'église par conséquent ne peut défaillir de la vraie doctrine ».

Ceterum quod spectat ad comminationes quas Christus interminat incredulis, refertae iis sunt sacrae litterae. Sic ex. gr. Matth. x. 14. mittens apostolos ad annunciandum regnum Dei: « Quicumque, ait ipsis, non receperit vos, neque audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris; Amen dico vobis: tolerabilius erit terrae Sodomorum, et Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati ». Marci. xvi. « Qui non crediderit condemnabitur » Jo. iii. 18. « Qui non credit, jam judicatus est ». Et alibi passim.

(1) I. Timoth. ii. 4. seqq.

(2) II. Cor. v. 15.

(3) Sapient. vi. 8.

versantur, sunt aut infideles, aut haeretici, aut schismatici. Jamvero quoad ambas classes aeque necessaria est ecclesiae infallibilitas. Ac primo quidem necessaria est quoad eos qui jam in ecclesia inveniuntur ut recte instrui ac doceri queant, ne in errores sanae doctrinae adversantes proruant, tum etiam ut in unitate conserventur et contineantur. Si nullum enim esset infallibile tribunal quod absque erroris formidine dirimere controversias posset, quae quotidie exoriuntur sive circa germanum scripturarum sensum, sive circa quaelibet doctrinae capita, nulla esset catholicis ratio se ecclesiae decisionibus subjiciendi, et captivandi proprium intellectum ejusdem definitionibus. Unusquisque posset pro lubitu sentire et credere, turbaeque necessario nascerentur ac disputationes nullo unquam tempore absolvendae in articulis maximi momenti, et perpetua inde confusio. Sola siquidem auctoritas infallibilitate destituta ad compescendas controversias religionis minime valet, nec nisi tyrannidem saperet velle sola auctoritate homines ratione praeditos ad hoc potius quam illud fide credendum impellere (1).

354. Nec minus necessaria est ejus-

(1) Cum libertas examinis, prout ostendimus, sit principium fundamentale protestantismi, hoc ipso est fons uberrimus dissensionum ac divisionum, ita ut biscentum sectae ex eo pullulaverint, et novae quotidie oriantur. Non alia ratione potuerunt lutherani, quos vocant orthodoxos (nam sicut habentur graeci *orthodoxi*, russi schismatici *orthodoxi*, anglicani *orthodoxi*, sic etiam sunt lutherani *orthodoxi*, calviniani seu reformati *orthodoxi*), et reformati impedire plenam propriae sectae dissolutionem, quam adoptando practice viam auctoritatis quam theoretice rejiciunt. Exinde tot apud ipsos coactae synodi, tot editae fidei professiones, ut possent aliquo modo in unam coire societatem et fidei professionem. Cum tamen nullo jure id praestare potuerint utpote infallibili auctoritate destituti, juxta principium illud Lutheri quod vir unus spiritualis ac pius melius possit cognoscere veritatem quam universa ecclesia, nulla ratione valuissent illam dissolutionem impedire, quae suapte natura emergit ex principio essentiali et constitutivo protestantismi. Quapropter per principum sanctiones, per edicta politica, aut etiam per decreta consistorialia sub gravissimis poenis cogi membra singula debuerunt ad fidei professiones communi calculo profitendas; adigi ad id debent interposita juramenti religione, sive animi persuasionem habeant, sive non; nihil refert. Quis porro non videt ejusmodi agendi rationem absonam omnino esse, eversivam ipsius protestantismi principii, ac tyrannidem sapere, uti copiose ac luculenter ostendit D. De Baudry in op. cit. *La réligion du coeur*. Paris 1840. Trois. Part. chap. III. art. 3. Quod quidem fassus est vel ipse advocatus Jayet, unum ex praecipuis membris magni consilii protestantici in Helvetia in suo *Compte-rendu* pag. 322. his verbis: « *Je ne conçois pas une confession de foi sans l' infallibilité*. La parole divine même, si elle présente quelque obscurité, ne peut être interprétée par des voix humaines. On nous a dit à la vérité que Dieu a employé des moyens humains pour se révéler à nous; mais n'oublions pas que ces voix humaines, qui nous ont transmis la parole de Dieu avaient le don du Saint-Esprit. Je ne conçois pas que le langage inspiré puisse être interprété par des voix qui ne le sont pas ». Sed videsis ipsum auctorem art. cit. *De la tyrannie qu'on exerce sur les consciences en établissant, pour règle d'enseignement une confession de foi, qui n' est pas infallible:* pag. 331. seqq.

Atque hic obiter notetur singulare phaenomenon quod apparet in protestantismo: sine libertate examinis protestantismus natus non esset; cum practica hac libertate examinis penitus protestantismus extingueretur. En inter quas angustias coarctentur protestantes; neces-

modi ecclesiae infallibilitas quoad illos qui extra eandem ecclesiam versantur: nullum enim infallibilitate destituta ecclesia ad eos convertendos jus haberet; frustra missionarios ad illos mitteret, ut ipsos aut ab infidelitate, aut ab haeresi, aut a schismate abducerent; possent quippe reponere, se in pari conditione esse, atque ita fere ratiocinari: Possumus quidem nos errare ac decipi, at errare pariter ac decipi ecclesia vestra potest dum testem se exhibet illius doctrinae quam se a Deo accepisse contendit; errare potest in controversiis quae agitantur; itaque in pari statu nulla est ratio quare ad eam accedamus, vel subjiciamus nos judicio ac magisterio illius fallibili perinde ac nostro. Major autem minorve probabilitas haud excludit errandi formidinem, nec haberetur in eo nisi transitus ab opinione in opinionem. Cum tamen ecclesia mandatum a Christo acceperit praedicandi, ac docendi omnes gentes, cumque Christus poenas interminaverit obedientiam detrectantibus, necessario inferendum est divinam hanc missionem includere infallibilitatem, eique plane inhaerentem esse.

355. Porrigi autem debere hanc eandem infallibilitatem in omnes aetates usque ad mundi finem, non minus luculenter elucet. Etenim si Christus ecclesiam in locum sui suffecit ut id conficeret quod ipse in Judaea inchoaverat circa conversionem gentium; si eam dare constituit ut medium tutum quo homines ad veritatis a se praedicatae cognitionem pervenirent; si donis extraordinariis eam communivit quibus ipsa divinam missionem suam comprobaret; si denique ingressum in ecclesiam atque in ea perseverantiam voluit viam unicam esse omnibus hominibus salutem assequendi, evidens est coarctari non posse ecclesiae infallibilitatem ad tria aut quatuor secula ita ut ulterius non protrahatur. Nam quae motiva illam exigunt et exposcunt pro aliquo seculo, eadem militant pro omni seculo. Alioquin in longe deteriori conditione versarentur homines qui post ea secula orti sunt ab ea, in qua extiterint qui vitam degerunt tribus quatuorve prioribus illis beatis seculis; idque absque ullo eorum merito quibus priori illa aetate vivere contigit, et absque culpa eorum qui postea nati sunt. Quod quam absonum sit et a divina pietate alienum nemo est qui non videat. Primi enim certi omnino fuissent se tenere veritatem divinitus traditam; certi fuissent se in vera esse et unica salutis via quamdiu cum ecclesia crederent; non potuissent omni doctrinae vento jactari, aut naufragium facere circa fidem; contra vero reliqui incerti in his omnibus haerere deberent cum aeterni exitii formidine. Igitur aut numquam ecclesia infallibilis fuit, aut talis semper est (1).

saria est haec libertas ut vivant; necessario auferenda est ne moriantur! Ita Deus excaecat humanam sapientiam extollentem se adversus ecclesiam.

(1) Ex his patet quam absurda sit illorum novatorum sententia, qua statuunt ecclesiam immaculatam ac proinde infallibilem perstitisse usque ad tertium aut quartum seculum, ita ut omnes controversiae sint ad illam beatam epocham revocandae. Dum haec oggerunt novatores, profecto non attendunt ad solemnem ac indefinitam illam promissionem quam Christus fecit ecclesiae in apostolis suis dicens: « Ecce ego vobiscum sum (docentibus et baptizantibus) usque ad consummationem saeculi »; neque attendunt ad parem exceptionem, quam facere eodem jure potuissent singulae sectae, cum ab ecclesia damnatae sunt. Ariani enim excipere potuissent, ecclesiam infallibilem perstitisse usque ad sec. III.; manichaei usque ad sec. II.; gnostici usque ad sec. I.; docetae ejusmodi infallibilitatem periisse cum apostolis,

356. Sane divinae promissiones quibus praeclara haec ecclesiae dos innititur, absolutae sunt, Christus enim aperte edicit: « Et portae inferi non praevalebunt adversus eam (1) », ac discessurus ex hoc mundo ad Patrem ait discipulis suis: « Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis (2) », qui deinceps exponit cujusmodi sit officium divini hujusce Spiritus in aeternum nobiscum mansuri dicens: « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (3) ». Christus praeterea exhibetur absolute ut ecclesiae caput ac sponsus qui se illi copulaverit indissolubili conjugio; sic enim loquitur Apostolus: « Ipsum dedit (Deus) caput super omnem ecclesiam, quae est corpus ejus (4) », et iterum « Unum corpus et unus spiritus (5) ». Vir caput est mulieris, sicut Christus ecclesiae, ipse salvator corporis ejus (6) »: loquens demum de Adae et Hevae conjugio ut typo conjunctionis Christi cum ecclesia « Sacramentum hoc, inquit,

imo cum Christo, prout reipsa vidimus gnosticos, testibus Irenaeo ac Tertulliano, ita sensisse, dum se apostolis praeferebant. Quod si semel admittatur, ad tempus ecclesiam infallibilitate instructam esse, nulla ratio assignari potest quare non sit perpetua, et possit aut debeat coarctari ad unum potius quam ad aliud seculum. Cum Newman op. et loc. cit. pag. 241. sibi hanc proposuisset difficultatem, quod nequeat scilicet assignari tempus quo coeperit ecclesia a veritate aberrare, respondet, hoc argumentum *nihil valere*, quia etiamnum sunt in ecclesia (suo modo concepta) tot scissiones, quin earum exordium cognoscatur, ac propterea id accidisse paulatim ac sensim sine sensu. Adjicit hoc esse *factum historicum*; satis esse ut *omnes* (haeretici protestantes) conveniant in admittendis quatuor prioribus seculis, uti seculis unionis et pacis; quod pluribus confirmare nititur pag. 244.-246. Juxta ipsum pag. 247. divisio coepit *aut* in concilio Sardicensi an. 347. *aut* non serius conc. Nicaeno II. an. 782. (in his duobus *aut*, fit saltus a sec. IV. ad sec. VIII. *Parva res!*). Nam in hoc inveniuntur plures errores, inter quos eminet decretum de cultu imaginum, quem ipse spectat ut corruptionem. Jam vero quid haec sibi volunt? Contendit ne Newman, Christum non stetisse promissis suis post elapsum sec. IV. *aut* seculum VIII. ac aliud ipso agente et incogitante, aut dormiente inimicum hominem superseminasse zizania in ejus agro? Quis dici ferat, Christum debuisse a distractione aut somno suo excuti a Luthero, Calvino, Zwinglio, Henrico VIII. aliisque ejusmodi libidinosis monstris ut prospiceret ecclesiae suae? Deinde, quo jure sui protestantes assignant IV. seculum? Praeterquam quod nos, adductis suo loco documentis, contrarium evicimus (vid. tract. *De vera relig.* P. II. prop. V. n. 97.), haec sentiendi ratio totum evertit christianae religionis systema, atque ea semel posita, nulla amplius suppeteret via revocandi ad bonam frugem incredulos, socinianos et rationalistas. Factum porro quod Newman vocat *historicum* unice innititur in anticipatis protestantium judiciis, ut liquet ex imaginum cultu sancito a conc. Nicaeno II. quem ipse vocat *corruptionem*, sed alii protestantes et anglicani probant, et nos ab omni labe vindicavimus in apposito tractatu *De cultu sanctorum*. Eadem ratione eodemque jure quo protestantes et anglicani vocant corruptionem cultum sanctorum, sociniani corruptionem et idololatriam cultum Christo Deo exhibitum appellant. Verum de hoc argumento paulo post iterum recurret sermo in solutione hujus difficultatis.

(1) Matth. XVI.
(2) Jo. XIV. 16.
(3) Ibid. XVI. 13.
(4) Ephes. I. 22.
(5) Ibid. IV. 4.
(6) Ibid. V. 23.

magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia (1) ». Porro si spiritus velut interior ecclesiae doctor, ac veluti ecclesiae anima cum ipsa mansurus est ad docendam omnem veritatem in aeternum; si Christus in perpetuum est ecclesiae caput ut eam dirigat, et fidelis sponsus indissolubili nexu cum ea consociatus ut eam tutetur ac foveat, quî fieri potest, ut post pauca secula ecclesia deseratur sic ut ex veritate in errorem misere prolabatur, et filios suos ad prava dogmata credenda inducat, aut inducere possit? Haec plane repugnant. Quapropter Apostolus absolute vocat ecclesiam Dei vivi « columnam et firmamentum veritatis (2) » ejusmodi nempe, quae numquam possit a veritate excidere, ita ut si ipsa corrueret totum labefactaretur religionis christianae aedificium.

357. Nec alium fuisse totius piae antiquitatis sensum testes in primis sunt antiquissimi patres graeci atque latini, inter quos s. Irenaeus: « Non oportet adhuc quaerere, scribit, apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere; cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sint veritatis: uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae (3) »; s. Alexander episcopus alexandr. « Unam ac solam, inquit, catholicam et apostolicam ecclesiam (confitemur); quae semper quidem inexpugnabilis est, licet universus orbis eam oppugnet: victrix autem et omnis impiae factionis haereticorum, qui adversus ipsam consurgunt (4) »; s. Athanasius: « Sufficit his dumtaxat verbis ad illa (paradoxa haereticorum) respondere: Haec catholicae ecclesiae non sunt; neque ea est patrum sententia (5) »; Eusebius affirmat Christum praenunciasse « Ecclesiam nullis unquam viribus expugnandam, ac ne ab ipsa quidem morte superandam: at penitus inconcussum illius robur mansurum esse praenuntiavit, utpote quae vi ejus ac potestate, sic tamquam immoto ac nullis omnino machinis perrumpendo scopulo, altis defixa radicibus niteretur (6) »; s. Jo. Chrysostomus: « Nihil, inquit, ecclesia potentius; o homo, bellum solve, ne robur dissolvas tuum. Ne inferas caelo bellum... Si ecclesiam oppugnes, vincere nequis: omnibus quippe fortior est Deus (7) »; s. Isidorus Pelusiota: « Per inferi portas divinus sermo impio-

(1) Ibid. v. 12.

(2) I. Timoth. III. 15.

(3) Lib. III. Cont. Haeres. c. IV. n. I. edit. Mass.

(4) In epist. de Ariana haeresi, ad Alexand. Constantinopolitanum n. XII. Μίαν καὶ μόνην, καθολικὴν, τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν· ἀκαθαίρετον μὲν ἀεὶ, κἂν πᾶς ὁ κόσμος αὐτῇ πολεμεῖν βουλεύηται· νικηφόρον δὲ πάσης τῆς τῶν ἑτεροδόξων ἀσεβεστάτης ἐπαναστάσεως. In Biblioth. Patr. Galland. tom. IV. pag. 450.

(5) Epist. ad Epictet. Corinth. episc. n. 3. Ἢ τοῦτο μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα, καὶ ἐιπεῖν ἀρκεῖ· ὅτι οὐκ ἔστι ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, οὐδὲ ταῦτα οἱ πατέρες ἐφρόνησαν. Edit. Maur. tom. I. P. II. p. 903.

(6) ***Praepar. Evang.*** lib. I. cap. III.... Ἐκκλησίαν ... οὐδὲ συνεστῶσαν πω, ἐνθέῳ προγνώσει ἀήττητον καὶ ἀκαταμαχητον ἔσεσθαι, καὶ μηδεπώποτε ὑπὸ θανάτου νικηθήσεσθαι· ἑστάναι δὲ καὶ μένειν ἄσειστον, ὡς ἂν ἐπ' ασείστῳ καὶ ἀῤῥαγει πετρᾳ τῇ αὐτοῦ δυνάμει βεβηκυῖάν τε καὶ ἐῤῥιζωμένην ἀποφηναμένου. Ed. Vigeri; Paris. 1628. pag. 7. 8.

(7) Hom. ante exilium num. I. Οὐδὲν ἐκκλησίας δυνατότερον, ἄνθρωπε, λῦσον τὸν πόλεμον, ἵνα μὴ καταλύσῃ σου τὴν δύναμιν· μὴ ἔισαγε πόλεμον εἰς οὐρανόν ... ἐκκλήσιαν δὲ ἐὰν πολεμῇς, νικῆσαι σε ἀμηχανον· ὁ θεος γάρ ἐστιν ὁ παντων ἰσχυρότερος. Ed. Maur. tom. III. pag. 415.

rum hominum coetus, atque haeresum blasphemias intelligit, quibus omnibus obsistens Dei ecclesia eas quidem frangit et expugnat, ab iis autem vinci non potest (1) ». Nec aliter senserunt aut scripserunt patres latini; s. Cyprianus juxta Apostoli mentem comparans ecclesiam virgini intemeratae: « Adulterari, inquit, non potest Sponsa Christi: incorrupta est et pudica: unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit (2) ». S. Hieronymus: « Poteram, scribit, diem istiusmodi eloquio ducere: et omnes propositionum rivulos uno ecclesiae sole siccare (3) », et rursum: « Ex quo intelligimus ecclesiam usque ad finem mundi, concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti: tentari, non superari: et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus ejus, idest, ecclesiae, se facturum esse pollicitus est: cujus promissio lex naturae est (4) », et alibi: « Cui (ecclesiae) dicitur: *Surge, illuminare*, ut quae cecidit in incredulis (judaeis), surgat in fidelibus: et postquam surrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeant erroris tenebras (5) ». S. Augustinus: « Ipsa est ecclesia sancta, ecclesia una, ecclesia vera, ecclesia catholica, contra omnes haereses pugnans: pugnare potest, expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa: ipsa autem manet in radice sua, in charitate sua. Portae inferorum non vincent eam (6) ». Et haec speciminis gratia, quibus quae superius attulimus mirifice confirmantur (7).

358. Testis deinde hujus dotis est ipsa possessio quam ecclesia ostendit perpetua sua agendi ratione ab aetate apostolica et seculis insequentibus usque ad nos, ut constat ex omnis aetatis documentis. Huic enim infallibilitati sibi a Christo donatae innixa ecclesia omnes exorientes errores absque ullo discrimine proscripsit, veritatem asseruit, contumaces sectarios anathemati subjecit incipiendo a nicolaitis, simonianis, docetis, cerinthianis usque ad lutheranos, reformatos, protestantes cum omnibus surculis suis.

359. Quae cum ita se habeant patet quod ab initio probandum assumpsimus, ecclesiam scilicet infallibilem prorsus esse in iis quae ad fidem moresque pertinent, sive ut testis est, sive ut judex, sive ut magistra, prout constat tum ex Christi institutione, tum ex repetitis solemnibus ejus promissionibus, luculentisque divinorum eloquiorum oraculis, tum ex sensu antiquitatis, tum denique ex perpetua ipsius ecclesiae possessione. Qui propterea neglecto immenso hoc divinae bonitatis beneficio hominibus collato, ut tuto pervenire valeant ad caelestem beatitudinem, ex se sibi prospicere posse praesumunt, comparari cum illis queunt, quibus in deserto columna ignea

(1) Lib. I. ep. CCXXXVIII. Πύλας ᾅδου ὁ θεῖος λόγος ἐκάλεσε τὰς τῶν ἀθέων τιμωρίας, τὰς τῶν αἱρέσεων βλασφημίας, αἷστίσι πάσαις ἀνθεστῶσα ἡ τοῦ θεοῦ ἐκκλησία, τὰς μὲν καταγωνίζεται, ὑπό δὲ τῶν οὐ κατακυριευεται. Edit. Paris. pag. 67.

(2) Lib. *De unit. eccles.* ed. Maur. p. 195.

(3) *In Dial. adv. Lucifer.* n. 27. ed. Vallars. tom. II. pag. 201.

(4) *Comment. in Amos* lib. III. cap. IX. Ibid. tom. VI. pag. 358.

(5) *Comm. in Isai.* lib. XVII. cap. LX. ib. tom. IV. pag. 719.

(6) Serm. I. de Symb. ad Catech. cap. VI. n. 15.

(7) Qui plura cupit consulat Walenburgicos in Tract. *De perpetua probat. fidei per testes* cap. XXVII. seqq.

dux data est ad iter commonstrandum in terram promissionis. Si enim inter densissimas noctis tenebras audax quispiam beneficae illi viam collustranti igneae columnae ac populum dirigenti terga vertisset, reputans sibi posse sufficere, nec illo adjumento indigere, certo se exitio commisisset per obscurissimos deserti anfractus, ferarumque huc illuc discurrentium incursum, nec unquam terminum attingere potuisset. Ita plane qui in hac vita peregrinantes destinata malitia infallibilem ecclesiae auctoritatem posthabent, ut privato sensui indulgeant, certo se committunt aeternae mortis exitio, nec unquam pervenient ad promissam humilibus beatitatem quae in caelis est (1).

DIFFICULTATES

360. I. Obj. Commentum infallibilitatis ecclesiae adversatur ideae religionis christianae; perniciosum est; auctoritatem denique humanam substituit auctoritati divinae. Sane 1. Neque Christus neque apostoli unquam discipulis certam quandam praescripserunt fidei profitendae formulam unice tenendam, sed potius liberum Dei cultum moralem praeceperunt (Jo. IV. 23. 24. VIII. 32. II. Cor. III. 17. Gal. V. I.), et doctrinam proposuerunt ita comparatam, ut perfici et possit et debeat (2). 2. Christus praeterea numquam alligavit religionis suae essentiam alicui formae, sed eam unice constituit in amore et charitate, quae dummodo sarta tecta teneatur, quaecumque demum sit verborum forma qua enuncientur fidei dogmata, perinde est ad religionis substantiam (3). 3. Quod si exoriantur controversiae, transactione veluti quadam sopiri possunt communi consilio ad pacem in societate fovendam et ad hoc adigi dissentientes possunt, quamvis in propria interius sententia permaneant (4). 4. Contra vero perniciosum est hoc infallibilitatis systema sive

(1) Alias diximus, quod numquam satis ingeminare juvabit, orationem et humilitatem duas illas conditiones esse sine quibus ad veram ecclesiam adeoque veram fidem perveniri non potest. Qui proinde sincero corde veritatem inquirunt illis se communiant, et certissime ad eam pervenient; qui eas negligunt aut parvipendunt, utut magnas inquisitiones faciant, numquam illam assequentur.

(2) Ita Wegscheider § 30.

(3) Tale est systema quod penes plures protestantes modo grassatur. Purus amor erga Deum, ajunt ipsi, in operatione activa, est unica religio. Eadem ratione, qua non est nisi unus Deus in immenso hoc universo, ita religio eadem ubique esse debet: quoniam vero Deus est purus substantialis amor, religio pariter amor esse debet non solum in terra sed et in caelo. In mundo actuali amor purus erga Deum officia omnia producit pietatis, tam in divina voluntate facienda, quam in animi conformatione ad ipsam; item purus amor erga res creatas cujusvis ordinis et gradus officia vitae respectiva ac socialia gignit. Haec est basis ac fundamentum ethices evangelicae in mira ac varia pulchritudine et excellentia sua. Semel ac peramabile hoc principium in animo radices egerit, habitudines nostras, opera ac verba ducit ac regit; si vero defecerit non superest nisi unum nomen, pura puta forma et exterior professio: qui quidem status est tenebrarum, peccati ac mortis. Forma assimilari potest corpori humano pulchritudine praedito; sed amor in Deum est anima quae totum informat. Dolor, fides et oratio totidem media sunt a Deo electa ad perducendam animam in statum religiosum: ast amor est finis quem nobis proponere debemus in exercitio istorum aliorumque ejusmodi officiorum. Ille sapiens est, qui numquam a fine in usu mediorum necessariorum aberrat, etc.

(4) Ita Boehmerus ex sententia protestantium in *Jure ecclesiastico protestant.* Halae 1714. tom. I. lib. I. tit. I. *De Summa Trinitate et fide catholica* § XVI.

quia fovet fanatismum ac intolerantiam, quae non aliunde nata est, quam ex supposita ejusmodi praerogativa; 5. Sive quia fovet inertiam et extinguit omne proficiendi in scientiis colendis, exegesi praesertim biblica promovenda, studium. 6. Porro studium veritatis altius indagandae et rectius cognoscendae, quod Scriptura sacra valde commendat (Jo. v. 39. VIII. 22. I. Jo. IV. 1. I. Cor. X. 15. I. Thess. V. 21.), a Deo ipso menti humanae, quamvis errori obnoxiae, insitum est, et quidquid, Deo hoc studium moderante, de vera religione temporis successu ab hominibus melius exploratum et cognitum fuerit, tamquam ab ipso Deo profectum vi humana opprimi nec debet nec potest (Act. V. 38.). 7. Hinc nostra aetate jam eo perducta res est, ut religio christiana, nisi bene distinctis ac separatis quae ad formam ejus mythicam, atque symbolicam pertinent ab iis quae vera atque aeterna ejusdem habenda sunt fundamenta, nova quadam luce collustrari et hominibus cultioribus subtiliorique artium et litterarum cognitione imbutis denuo commendari non posset. 8. Tantum autem abest, ut ecclesiae institutum sola quadam formula certa et immutabili conservari atque contineri possit, quod temere nonnulli finxerunt, ut haec sententia ecclesiae antiquioris non minus, quam universae christianismi indoli repugnet (1). 9. Demum per infallibilitatis commentum substitui auctoritatem humanam auctoritati divinae aperte patet; nec enim amplius Scriptura seu verbum Dei regula esset fidei nostrae, sed auctoritas ecclesiae, sive hominum privilegio donatorum, qui sibi solis arrogant inspirationem divinam perpetuo cum ipsis permanentem; 10. Scripturae valor ab ecclesiae auctoritate penderet; 11. Id enim Scriptura diceret, seu illum sensum Scriptura praeseferret non quem reipsa habet, sed quem illi ecclesia tribuit. Ergo.

361. Resp. *N. A.* ad 1. prob. *D.* Neque Christus neque apostoli certam aliquam discipulis fidei profitendae formulam praescripserunt, nulla ad id cogente necessitate, Tr. necessitate aliqua postulante *N.* Christus enim et apostoli rem ipsam credendam proponebant captui discipulorum sese accommodantes quin solliciti essent de hac potius quam illa verborum formula, qua res credendae enunciarentur. Verum praesto erant ope vivi magisterii ad res ipsas enucleandas, si qua id ferret occasio. Si qui autem protervi obsisterent, ac pravis interpretationibus traditam sibi doctrinam temerarent, determinatis formulis ita eam proponebant, ut qui non acquiesceret, ab ecclesia illico expelleretur. Hinc factum est, ut quod in nucleo aut semine generalibus verbis continebatur, data occasione ex conflictu, magis ac magis evolveretur, et definitis formulis enunciaretur. Sic cerinthiani et docetae occasionem Joanni praebuerunt utramque in Christo naturam, divinam et humanam, altius inculcandi; hebraizantes in causa fuerunt cur Paulus virtutem evangelii supra legem clariori in lumine collocaret; Corinthiorum dissidia excitarunt Apostolum ad illa promenda oracula quibus ecclesiae auctoritatem commendat; idem dic de futura corporum nostrorum excitatione; de necessitate bonorum operum ad salutem, aliisque non paucis articulis, qui ab apostolis conceptis verbis propositi sunt, postquam de his mota quaestio aut dubitatio est (2). Quod vero contigit apostolorum aetate, inse-

(1) Ita Wegsch. loc. cit.

(2) Cf. Möehler: *Symbolique* tom. II. ch. V. § XL. *Différence de forme entre la doctrine de l'écriture et la doctrine de l'église*, ubi hoc argumentum egregie evolvit.

quentibus seculis eadem ratione per jugiter vivum ecclesiae magisterium factum est, novis semper exorientibus haeresibus aut controversiis.

362. Ceterum falsum absolute est, neque Christum neque apostolos discipulis certam quamdam fidei profitendae formulam numquam injunxisse. Etenim Jo. IX. 35. sciscitatus est Christus a caeco nato: « Tu credis in Filium Dei? » et ibid. XIV. 12. omnibus apostolis suis dixit: « Non creditis, quia Pater in me est et ego in Patre? » Matth. ult. « Euntes docete.... baptizantes in nomine Patris, etc. ». Quapropter Philippus Act. VIII. 37. ab eunucho sub determinata forma fidei professionem exegit, priusquam illum ad lavacrum admitteret (1). Hinc Apostolus ad Timotheum scribebat: « Formam habe sanorum verborum (2) ». Falsum praeterea est quod subdit adversarius, Christum et apostolos liberum Dei cultum moralem praecepisse. Testimonia indicata ex Scripturis non evincunt nisi divinorum eloquiorum abusum, ut vel ex levi singulorum inspectione quilibet deprehendere potest (3). Idem judicium ferendum est de eo quod postremo loco adjicitur, Christum nempe et apostolos doctrinam ita comparatam proposuisse, ut perfici posset ac deberet, a gnosticis scilicet, ab arianis, a nestorianis, lutheranis, protestantibus, rationalistis, mythicis qui ita eam reipsa perfecerunt, ut in auras evangelium prorsus abierit.

363. Ad 2. *N.* Ut patet ex modo dictis; nam Christus jussit apostolos praedicare evangelium omnibus gentibus docentes eos servare *omnia quaecumque* ipsis mandaverat (4). Non mandavit autem solam charitatem servare; aliis porro verbis Marcus in loco parallelo Christum loquentem inducit, quibus illud *omnia quaecumque* magis declaratur; ait enim inibi Christus: « Qui crediderit salvus erit, qui non crediderit (subintellige *omnia quaecumque* tradidi vobis) condemnabitur (5) ».

364. Ad 3. *N.* Transactio enim fit de bonis propriis, non autem de re aliena; jamvero depositum fidei non est res cujus proprietas ad ecclesiam pertineat, sed tota Christi est; ideoque numquam fieri potest ut ab ecclesia transigatur vel de minimo fidei articulo cum haereticis, eo quod ipsis non arrideat: alioquin deberet etiam transigere cum libertinis circa praecepta quae illis molesta accidunt. Ejusmodi commentum acceptum referre debemus protestantibus, quibus, rejecta ecclesiae infallibilitate, nullum aliud praesto erat effugium ad controversias sopiendas praeter absurdum hujusmodi transactionis systema. Diximus ad *sopiendas* controversias, non autem *ad*

(1) Sane cum eunuchus baptismum efflagitasset, interrogavit eum Philippus, an ex toto corde crederet? Cui respondit eunuchus: « Credo Filium Dei esse Jesum Christum », quibus paucis verbis velut in compendio complexus est eunuchus quaecumque dum irent per viam ab evangelizante Philippo acceperat.

(2) II. Tim. I. 13.

(3) Etenim Jo. IV. 23. 24. ait Christus: « Deus spiritus est, etc. » II. Cor. III. 17. scribit Apostolus: « Dominus autem spiritus est: ubi autem Spiritus Domini ibi libertas; » Gal. V. 1. « State, inquit, et nolite iterum jugo servitutis contineri ». Judicet nunc lector, utrum haec testimonia liberum Dei cultum praecipiant. Primus enim textus est de ratione qua coli Deus in posterum debeat absque apparatu sacrificiorum leviticorum quae templo Hierosolymitano addicta erant; alii vero sunt de libertate a lege Mosaica rituali. Cf. Bernard. a Piconio, et Estium ad haec loca.

(4) Matth. ult. 19.

(5) Marc. XVI. 16.

dirimendas, cum hoc ab ipsis praestari nullatenus possit (1).

365. Ad 4. *N.* Nam principium infallibilitatis nec fanatismum fovet, neque intolerantiam prout hic ab adversariis accipitur. Ac primo non fovet fanatismum; alioquin Scriptura, quae juxta adversarios ipsos est infallibilis, foveret fanatismum; fovissent itidem fanatismum Christus et apostoli utpote infallibilitate praediti, in doctrina evangelica tradenda. Itaque infallibilitas nullimode fanatismum nutrit; si qui vero exinde fanatismum conciperent, hoc illorum vitio esset vertendum, non autem infallibilitati. Idipsum pariter dicendum de intolerantia, politica nempe et civili, prout eam hic sumunt adversarii, quae certe ex infallibilitate ecclesiae non oritur. Siquidem exploratum est longe magis intolerantes esse acatholicos qui infallibilitatem respuunt, quam catholicos (2). Quod vero spectat ad intolerantiam religiosam sive theologicam,

(1) Cf. grave et elegans commentarium *De fidei controversiis per amicabiles transactiones dirimendis adversus Boehmerum*; inter *Opuscula ad hierarchicam ecclesiae constitutionem spectantia*. Parmae 1789. vol. unic. in 4. Contendit enim Boehmerus loc. cit. *Fidem*, ut vocat, *formulariam* neque ab apostolis adscitam esse, neque tribus prioribus ecclesiae seculis, sed primum in conc. Nicaeno. Verum praeter symbolum apostolicum nuncupatum, quod certe vel ab apostolis est, vel ab ecclesiis apostolicis, in quo fidei formula continetur, exploratum est plures fidei professiones longe ante concilium Nicaenum in ecclesia obtinuisse. Fidei formulam exhibent constitutiones dictae *apostolicae*; exhibet s. Gregorius Thaumaturgus, ut plures alias omittam; de quo argumento legi omnino debet docta Petri Lazeri Soc. Jesu *De antiquis formulis fidei earumque usu exercitatio*. Certe ad symbolum fidei receptum in universa ecclesia jam provocabat Tertullianus illud *Regulam* appellans, ut suo loco ostendimus. Verum quod magis interest, illud est, quod Boehmerus dum et ipse fatetur, amicabiles transactiones nullum unquam felicem exitum habuisse easque ut ineptas prorsus traducit, transferat in imperatores ac principes jus *approbationis publicae*, quae fiat per *confessiones fidei et symbola*, etsi concedat contingere posse ut hae *fidei confessiones et haec symbola ab imperatoribus probata*, a vera fide et recto Scripturae sacrae tramite sint aliena. Cf. Tit. cit. § XXXI. seqq. Ex his patet, quod abjecto infallibili ecclesiae magisterio, via omnis adempta fuerit protestantibus controversias circa fidei dogmata exortas dirimendi; quum vero acres diuturnaeque contentiones inter pullulantes diversas sectas de fidei, religionisque constituendae ratione continuo exarserint, defatigati frustra sunt earum duces ac magistri eo quod finem nullum habituras eas viderent, donec omni spe veri inveniendi amissa, coacti primum sunt de simulata quadam religionis concordia transactionum ope concilianda cogitare; quasi nempe divina veritas a Christo ecclesiae tradita res ejusmodi sit, quae dividi, distrahi, aut in quamcumque libuerit partem flecti, aut torqueri possit. Cum vero neque ejusmodi transactio ullos fructus protulerit, demum ut finis aliquis controversiis utcumque imponeretur, confugerunt ad sententiam judicialem imperantium, ut civili auctoritate lites saltem sopirentur, ac tranquillitas publica non turbaretur, relicta interim unicuique de singulis articulis sentiendi libertate. Nihil tamen inde profecerunt uti ex hodierno progressu abunde liquet.

(2) Equidem fateor catholicos in pluribus regionibus penes quas praevalent acatholici pace frui, ut in Anglia post datam catholicis emancipationem, et in provinciis foederatis Americae septentrionalis, atque alibi. Imo notum est haud paucos protestantes probos et honestos reperiri, qui benevolos se erga catholicos praebeant, quique interdum neque detrectent opibus ac largitionibus ad templa catholicorum

quae necessario ex infallibilitate profluit, haec resolvitur in hanc propositionem: Idem non potest verum esse ac falsum: aut: veritas cum errore simul consistere nequit.

366. Ad 5. *D.* Si infallibilitas ad modum inspirationis ecclesiae tribueretur, *C.* si ad modum peculiaris subsidii, sive, ut ajunt, adsistentiae *N.* Numquam porro catholici docuerunt donum infallibilitatis a Deo ecclesiae tribui ad modum inspirationis. Jam vero divina adsistentia non excludit, imo supponit humana media, ac proinde studium in veritate investiganda antequam judicium proferatur. Hinc patet haud removeri doctos ab exegesi biblica excolenda, a linguarum antiquarum exercitio, a monumentorum inquisitione persequenda, ceterisque adminiculis comparandis quae ad rectum judicium proferendum consueta via requiruntur. Deinde praeter dogmata alia plura sunt in quibus viri docti proprium exerceant ingenium. Demum omnibus semper ingenii cultu opus est ad ea propugnanda quae ab ecclesia definita sunt, uti ex experientia constat. Sane non minus viris vere doctis abundavit et abundat ecclesia catholica quam sectae acatholicae. Igitur infallibilitas solum tollit animi haesitationem, et certum eum facit de veritate circa quam anceps esse posset.

367. Ad 6. *D.* Insitum menti humanae a Deo est studium veritatis altius indagandae et rectius cognoscendae per media idonea et in ordine suo, *C.* quacumque ratione. *N.* Veritates ordinis naturalis a mente humana investigari utique possunt ac debent, atque ulterius in ea investigatione et cognitione perfici ipsa semper potest. Ast non ita se res habet in veritatibus ordinis supernaturalis seu revelatis quae progressus in se incapaces omnino sunt, utpote a Deo datis. Potest autem homo harum sibi perfectiorem cognitionem comparare, sed sub magisterio ecclesiae, ejusque directione; potest praeterea inquirere in earum fundamenta, nexum, consecutiones, aliaque ejusmodi, minime vero easdem veritates cudere, ac intrinsecus perficere, quod absonum est. Dum voluerunt protestantes proprio marte in fidei veritates inquirere, easque determinare, reficere, eo non pauci progressi sunt ut alias post alias amiserint, neque retinuerint nisi christianismi nomen et larvam. Hoc porro est quod ab adversario, quem impugnamus, dicitur de *vera religione temporis successu ab hominibus melius exploratum et cognitum, Deo hoc studium moderante,* quibus verbis ipse impietatem cum blasphemia consociavit. Si quis autem conferat quae ex Scripturis adducuntur ad ejusmodi impietatem cohonestandam, eundem deprehendet quem superius adnotavimus Scripturarum abusum.

368. Ad 7. *D.* Apud protestantes, *C.* apud catholicos *N.* Novam enim ejusmodi lucem rationalistis, symbolistis, mythicis libenter ac ultro relinquimus. Nobis enim fidei avitae simplicitas sat est. Cultiores autem homines quos adversarius designat, subtiliori sua artium ac literarum cognitione prius a supernaturalismo in naturalismum dilapsi sunt, deinde ex naturalismo in symbolismum, ex symbolismo in mythicismum quem

erigenda concurrere. Ast neque illud dissimulare licet in nonnullis regionibus adhuc vigere despotismum religiosum, et persecutionis systema ita ut omnigena vexatione catholici torqueantur. Certum est non omnes protestantes aut schismaticos ejusmodi saevitiem probare, utpote quae adversetur civili omnium nationum europaearum cultui, qui nunc tantopere magni fit: attamen ejusmodi exempla recentia sunt et pervulgata.

distinxerunt praeterea in historicum et poëticum, ita ut scriptura universa effecta sit magnum poëma, ut Ilias homerica, vel Aeneis virgiliana (1).

369. Ad 8. Neg. agendi rationem quam tenet ecclesia in proponendis fidei dogmatibus per aliquam determinatam formam adversari antiquioris ecclesiae indoli; hoc enim falsum est. Vidimus siquidem plures haereses in vivis adhuc agentibus apostolis proscriptas fuisse, et determinatis formulis contradictorias erroribus illis veritates assertas. Ante concilium Nicaenum jam octoginta plus minus haereses profligatae sunt, et veritas catholica eadem ratione in tuto posita: voces *trinitatis*, *personae*, *naturae* aliaeque ejusmodi inductae sunt contra catholicae veritatis hostes, ut tesserae orthodoxae fidei (2). Quod si factiosi aliqui tunc temporis pariter restiterunt ecclesiae definitionibus, uti nunc eisdem resistunt protestantes, cuncti ab ecclesiae sinu ejecti sunt, et ipsa incolumis semper perstitit ac ita perseverat, quin ex perduellium defectione quidquam detrimenti capiat (3).

370. Ad 9. *N.* Ut enim constat ex probationibus, ecclesiae auctoritas spectari non debet ut auctoritas humana, sed velut organum divinitatis, ac perpetua seu jugis manifestatio Christi ipsius, qui eam sibi suffecit ut testem, judicem, ac magistram earum veritatum quas eidem ipse commisit, ac propterea infallibilitate instruxit. Scriptura est pars istius depositi perinde ac traditio; utriusque autem custos et interpres ecclesia est; illa vero nequit sola esse regula fidei nostrae, ut patet ex aberrationibus acatholicorum omnium, qui eam unicam ducem sequi voluerunt, rejecto ecclesiae testimonio ac magisterio, prout suo loco uberius evolvemus. Quod adjicitur de inspiratione paulo ante exposuimus.

371. Ad 10. *D.* Scripturae valor *extrinsecus* seu *relate ad nos*, *C.* *intrinsecus* et *in se N.* Certe, ut postea

(1) Huic principio totum innititur systema rationalistarum, ac mythicorum, praecipue vero Straussii. Verum et hoc systema pendet a natura ipsius protestantismi, quae tota *subjectiva* est, seu a spiritu uniuscujusque privato tamquam a proprio fundo fides ac religio erui debet. Hinc pervulgata in Germania antithesis illa qua distinguitur in sua natura catholicismus a protestantismo quod ille nimirum sit *objectivus* quatenus fidem seu fidei objectum ab ecclesia recipit, iste sit *subjectivus* quatenus fidem seu fidei objectum de suo cudit sibique efformat.

(2) Harum formularum exemplum aliud occurrit in voce ὁμοούσιον *consubstantiale* quae jam sec. III. tesseram constituebat orthodoxae fidei circa Filii divinitatem, adeout Dionysius Alex. accusatus fuerit apud cognominem rom. Pontificem, quod eam vocem omisisset in ecclesia a patribus frequentatam. Cf. quae adversus Basnagium de hac voce erudite scripsit doctus De Magistris in praefactione ad opera s. Dionysii Alexandrini pag. XXXIV. seqq. Romae 1796.

(3) Ex his constat quam ineptum sit quod Boehmerus loc. cit. adstruit, dum affirmat quod *fidei* definitio alienam a religionis natura coactionem inferat. Jam vero, num religionis naturam ignorabat Apostolus, cum formam doctrinae praescriberet ab omnibus servandam? Aut cum verbi administris potentiam datam testabatur II. Cor. x. 5. ut omnem intellectum redigerent in obsequium Christi? Ludit profecto Boehmerus dum haec oggerit. An forte hic agitur de coactione, quae libertati vim inferat, quam nec ipsa natura patitur? Agitur enim vero de necessitate officii, quam secum infert legitimum quodvis praeceptum, qua nempe intelligitur praescriptum officium ita necessarium esse, ut qui parere detrectet, et culpam contrahat, et subeundae poenae obnoxium se reddat. Cf. cit. *Comment.* pag. 81.

ostendemus, nonnisi per ecclesiam nobis constare tuto potest de inspiratione, numero et canone librorum divinorum.

372. Ad 11. *D.* Id est Scriptura per ecclesiae interpretationem illum verum ac germanum sensum praeseferret quem reipsa habet, *C.* sensum adscititium pro lubito ei tributum *N.* Nec enim ad arbitrium ecclesia Scripturae sensum affingit; sed duntaxat verum ejus sensum declarat juxta analogiam fidei, juxta sensum traditionalem, ac juxta illum sensum quem ipsa a Christo et scriptoribus ipsis divinis accepit. Soli acatholici qui hanc deserunt viam, reipsa Scripturae eum sensum tribuunt quem ipsa nec habet nec patitur, quando adnituntur aliquid ex Scripturis evincere quod rectae fidei adversatur; nec enim ipsi legitimi sunt Scripturarum interpretes, cum numquam Christus ejusmodi munus ipsis demandaverit. Exinde omnes haereses ortae sunt inter se pugnantes (1).

373. II. Obj. 1. Saltem ecclesiae infallibilitatem non adstruunt illa Scripturarum oracula quae ad eam evincendam catholici afferre solent. Etenim 1. quod Matth. XVI. dicitur de *portis inferi,* de morte intelligi debet, ut liquet ex verbis Ezechiae, qui periculum ex quo evasit commemorans ait: « Ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi (2) », quas vocat David *portas mortis* dicens: « Qui exaltas me de portis mortis (3) »; sane שְׁאוֹל ἀδης *infernus* mortem, vel mortis regionem, sepulcrum significat. Christus igitur pollicetur mortem contra ecclesiam non praevalituram, quia fideles resurgent gloriose (4). 2. Quod si catholici pugnaciter contendant illis vocibus vere significari infernum, ideo Christus promisit numquam infernum praevaliturum adversus ecclesiam, quia semper Christus fidos ac devotos habebit, quos ipse novit; aut quia 3. non praevaliturus est infernus adversus ecclesiam Christum filium Dei ad instar Petri profitentem, non autem quoad reliquas veritates circa quas errores irrepere possunt. 4. Deinde Christus pollicitus est hanc firmitatem

(1) Optime cl. Möehler *Symbol.* ch. v. § XL. in hanc rem scribit: « Lorsque l'erreur a semé le doute et la division dans les esprits, quel moyen de discerner la vraie doctrine, de revenir à l'unité, sans un tribunal vivant et infaillible? Hors de là, nous serions jetés d'opinions en opinions, et bientôt toute vérité nous échapperaît. Aussi pour le dire en passant, partout où l'écriture a été proclamée la seule règle de foi, on n'a point compris les développemens du dogme, on les a même rejetés formellement. Souvent aussi les sectaires se sont précipités dans un autre abîme. Après avoir roulé d'erreur en erreur, enveloppé d'épaisses ténèbres, ne rencontrant partout que le chaos, l'hérétique désespère de sortir jamais du labyrinthe des opinions. Alors dans son abattement, il rapporte à l'Ecriture tous les rêves, toutes les visions de l'époque, puis il proclame tout cela dogme de l'Evangile. Mais si l'on reconnaît comme dogmes toutes les opinions, quelles qu'elles soient, qui se sont rattachées à l'Ecriture, à quoi dès lors aboutira l'histoire chrétienne? À montrer que l'Ecriture, par cela même, qu'elle admet tous les sens, ne renferme aucun sens. Voici donc à quoi se réduisent toutes les objections contre l'église catholique: toutes vos définitions dogmatiques, nous crie-t-on, supposent que la lettre des Ecritures récèle un sens unique, à jamais immuable, et pourtant elle n'en a aucun, puisqu'elle les a tous. L'esprit humain, dans l'église chrétienne, n'a d'autre but que de mettre en lumière cette vérité, et dix-huit siècles n'ont pu la montrer à vos yeux ».

(2) Isai. XXXVIII. 10.

(3) Ps. IX. 15.

(4) Apud Bloomfield in hunc loc.

ecclesiae *catholicae* non autem ecclesiae romanae aut alii particulari ecclesiae. 5. Sane infernus non minus praevalere potest adversus ecclesiam erroribus practicis seu vitiis et peccatis, quam theoreticis; quantum vero praevaleat vitiis in ecclesia romana nemo est qui nesciat. 6. Quod vero attinet ad textum paulinum quo ecclesia dicitur columna et firmamentum veritatis, non majoris ponderis est; ecclesia enim de qua loquitur Apostolus est ecclesia ephesina, quae profecto utpote particularis, non est censenda infallibilis; 7. sensus itaque illius effati est, ecclesiam eatenus dici columnam veritatis, quatenus conservat Scripturas, quin ulla ei tributa sit auctoritas quae a solo Deo promanat (1). 8. Quid praeterea vetat quominus conditionatas dicamus Christi pollicitationes cujusmodi fuerunt quae antiquae synagogae factae sunt? Exploratum enim est ecclesiam judaicam non semel errasse praesertim vero in judicio Christi, dum manus hominum Spiritu Dei illustrata habuit illi fidem (2). 9. Sic pariter constat ecclesiam catholicam in pluribus errasse, sive cum praeter Scripturam adscivit traditionem ut fidei regulam; sive cum imaginum cultum probavit quem ante an. triginta a celebratione concilii Nicaeni II. reprobaverat concilium Constantinopolitanum, ac post annos septem iterum rejecit concilium Francofordiense et graeci adhuc reprobant; sive demum, cum tot alios articulos symbolis apostolico, nicaeno, et athanasiano adjecit (3). Denique 10. nemo est qui ignoret plures identidem veritates in ecclesia fuisse obscuratas praesertim circa gratiam, contritionem et sacramenta. Ergo.

374. *R. N.* Ant. ad 1. prob. Neg. verba Christi hic de morte usurpari in

(1) Ita Muc-knight: *Préface*, tom. I. *Timothy*, sect. v. apud Kenrick, op. cit. pag. 241.

(2) Celebre hoc argumentum est quod minister Claudius objecit Bossuetio in collatione inter ipsos habita. Cf. *Conférence avec M. Claude sur la matière de l'église*. Opp. edit. cit. tom. XXIII. pag. 291.

(3) Ita Newman oxoniens. in op. cit. lect. VIII. pag. 247. seq. ubi agit *De indefectibilitate*. In lect. autem III. ubi tractat *De doctrina infallibilitatis* excandescit contra ecclesiam catholicam seu romanam. Quoniam vero protestantes conqueruntur de catholicis quod nimis duros interdum se praebeant in controversiis quas cum ipsis agitant, juverit heic specimen exhibere moderationis quam servat Newman agens de ecclesia romana, id est, catholica. Hic igitur pag. 101. fatetur, ipsam esse ecclesiam per se nobilibus donis abundantem, justisque titulis; sed adjicit ineptam esse ad iis religiose utendum, utpote quae sit *astuta*, *obstinata*, *vilis*, *malitiosa*, *crudelis*, *inhumana* quemadmodum sunt *furiosi*. Eam comparat *daemoniaco*, affirmans quod donec Deus eam non sanaverit, tractari debeat, perinde ac si ipsamet esset *diabolus ille qui eam regit*. Pergit deinde ac profitetur non propterea inficiari in *romanismo* res bonas inveniri, hominesque bonos, quia *Satanas* semper consuevit bonum cum malo immiscere (pag. 102.). Opinio principalis hujus *diabolici* systematis, juxta ipsum, est infallibilitas ecclesiae. Quibus praemissis sibi ostendere assumit 1. quod *romanismus* spectet certitudinem clarissimam veluti necessariam ad fidem et spem christianam; 2. spectet dubium veluti pugnans cum assensu veritatis; 3. tendat ad efformandam completam et consistentem theologiam (haec possumus illi facile concedere); 4. in hoc vero efficiendo negligat auctoritatem et innitatur argumentis abstractis; 5. judicet ac disponat de systemate christiano ex praeconceptis fundamentis; 6. substituat spiritui amoris technicam et formalem obedientiam. Tria porro haec posteriora capita totidem calumniae sunt.

sensu adversariorum, cum huic interpretationi sensus traditionalis totius antiquitatis opponatur. Quamvis enim demus in objectis locis vocem inferorum aut mortem aut sepulcrum significare, quod non abnuimus, perperam exinde infertur in eadem significatione Christum Matth. XVI. eam usurpasse, ut aperte liquet ex Christi scopo et serie orationis. Etenim Christus hic vult rationem reddere quare firma futura sit ecclesia sua, et exponere cujusmodi sit firmitas quam eidem pollicetur: porro rationem firmitatis ducit a petra supra quam eam aedificaturus sit; firmitatis autem naturam exponit talem fore ut etiamsi infernae omnes potestates in eam conspirent, numquam sint adversus eamdem praevaliturae. Quapropter vel ipsi acerrimi ecclesiae catholicae hostes hanc probant interpretationem. Rosenmüller sic enarrat Christi verba: « Quam (meam ecclesiam) nulla, ne potentissimorum quidem hostium vis destruet... Πύλαι ᾅδου, tartareae potestates, consultationes et molimina diabolorum, tyrannorum, et hostium ecclesiae. Nam שַׁעַר cui πύλη respondet, notat ejusmodi portam, ubi habetur judicium, vel imperium, aulam principis, dominandi potestatem, unde regia imperatoris Turcarum *Porta* nuncupatur: ᾅδης autem, שְׁאוֹל, *inferi* est *orcus, tartara,* tota umbrarum respublica (1) »: nec aliter exponit hunc locum Kuinoel (2), atque Calvinus ipse (3).

375. Ad 2. *N.* Christus enim loquitur de ecclesia sua visibili aedificanda supra petram, seu supra Petrum, qua de causa ei confert potestatem ligandi atque solvendi.

376. Ad 3. *D.* Una cum reliquis fidei articulis, *C.* solam Christi divinitatem *N.* Ecclesia enim debet profiteri integram fidem, seu omnes et singulos fidei articulos quos a Christo accepit, ut patet ex superius dictis: quapropter si vel in uno articulo ecclesia a veritate descisceret, jam eam vincerent inferorum portae. Accedit professionem Petri in Christi divinitatem non fuisse nisi causam ob quam Christus potius super Petrum quam super reliquos apostolos peculiariter fundaverit ecclesiam suam, ut suo loco ostendemus.

377. Ad 4. *D.* Si ecclesia catholica distingui posset ab ecclesia romana, *C.* si una eademque sit ecclesia catholica et ecclesia romana *N.* Jam paulo ante ostendimus ecclesiae romanae nomine ecclesiam catholicam significari et vicissim.

378. Ad 5. *D.* Si infernus inducere posset ecclesiam ad labefactandam morum regulam, *C.* si non obstantibus individuorum peccatis, integra ac intemerata ipsa regula permaneat *N.* Dummodo ecclesia intemeratam ac integram servet morum regulam, individuorum vitia nul-

(1) In *Schol. in Nov. Test.* ad hunc loc.

(2) Sic enim in suo *Comment.* in *libros Novi Testam. historicos* scribit in hunc loc. « Itaque sensus verborum Christi est: nulla hostium vis, ne potentissima quidem et maxima, evertere, destruere ecclesiam meam poterit ».

(3) *Comment. in harmoniam ex tribus Evangelistis* in hunc loc. ita exponit: « . . . Surgeret nova ecclesia, quae victrix staret contra omnes inferorum machinas. Tametsi enim vel ad fidem vel ad ecclesiam pronomen *eam* referri potest, posterior tamen sensus melius convenit, quod contra omnem Satanae potentiam invicta stabit ecclesiae firmitas: nempe quia inconcussa perpetuo manebit Dei veritas, cui innititur ejus fides ». Opp. edit. Amstelod. 1667. tom. VI. pag. 195.

lum ei nocumentum afferunt, sed qui peccant sibi nocent. Jam vero ecclesia non minus infallibilis a Deo constituta est quoad regulam morum, quam quoad regulam fidei. Eadem porro ratione qua errores privatorum non nocent ecclesiae fidei, sic ejus non nocent sanctitati illorum vitia. Ceterum futuros in ecclesia peccatores Christus praevidit ac propterea eidem contulit potestatem remittendi peccata; apud haereticas vel schismaticas sectas eadem saltem peccata vigent, at illarum ministri ejusmodi potestate minime fruuntur.

379. Ad 6. *D.* Si ecclesia in partes dividi posset, *C.* si individua sit *N.* Porro, ut paulo ante adnotavimus, ecclesia una ac individua est nec potest in partes scindi: quando propterea Apostolus scripsit ad Timotheum: « Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis », loquitur de ecclesia Dei universa cujus portio in urbe ephesina Timotheo illius urbis episcopo pastorali curae commissa erat (1).

380. Ad 7. *D.* Si columna ac firmamentum alicujus aedificii destinata essent ad usum arcae vel archivii, *C.* si ad sustentandum ac fulciendum aedificium ipsum *N.* Nescio porro utrum Vitruvius vel aliquis alius artis architectonicae magister unquam ordinaverint columnas ac firmamentum alicujus domus ad usum archivii, et non potius ad domum sustentandam. Quod quidem si ita esset non solum ecclesia Dei, sed cujusvis civis domus posset pariter vocari columna et firmamentum veritatis, cum in ea servari eadem ratione potuerint ac possint Scripturae sacrae. Tales sunt protestantium nugae dum veritatem impugnant (2).

381. Ad 8. Resp. Vetant omnia, quae in probationibus attulimus, quaeque omnem excludunt conditionem. Quod si synagoga erravit in judicio Christi Domini, in primis animadvertimus eam non habuisse promissiones quas Christus fecit ecclesiae suae; illa ut alibi adnotavimus, peculiari ordine providentiali a Deo regebatur per seriem prophetarum aliaque adminicula extraordinaria, ideoque Deus nullas ei fecit pollicitationes (3). Contra vero diversa omnino ratione voluit Christus instituere ac regere ecclesiam a se institutam, id est per hierarchiam sub capite quod ei praefecit. Verum etiamsi admitteremus nonnullas promissiones veteri sinagogae factas a Deo esse, hae non protendebantur nisi ad Christum usque, ad quem veluti paedagogus populum perducere debebat, prout reipsa Deo opitulante perfecit. Cum igitur Christus advenit, ipsa jam perfuncta erat munere suo: qua de causa Servator noster divinam missionem suam miraculis ac vaticiniis comprobavit. Qui gratiae divinae obsecuti sunt, in eum crediderunt, ceteri in incredulitate permanserunt; sic populus ille tot scelerum quibus se contaminave-

(1) Huc referuntur quae scribit s. Cyprian. in lib. *De unit. eccles.* « Ecclesia una est, cujus a singulis in solidum pars tenetur ». Exinde liquet quam ridicula sit illorum objectio, qui ex eo quod in Apocalypsi jussus fuerit Apostolus scribere *Septem ecclesiis*, concludunt plures ecclesias in Scripturis distingui. Perinde enim hoc esset ac si quis contenderet unicum non esse regnum vel imperium quod distributum est in plures provincias, quae tamen ad eundem principem pertinent ac regnum ipsum constituunt.

(2) Cf. Bellarmin. *De eccl. milit.* lib. III. cap. XIV. § 5. seqq. ubi hanc ipsam propositam jamdiu a Calvino expositionem confutat.

(3) Cf. Tract. *De vera relig.* P. II. Prop. I. n. 8. seqq.

rat, idololatriae praesertim atque frequentis apostasiae, poenas luit. Atque hac ratione adimpleta veterum prophetarum oracula sunt, qui hanc defectionem ac poenam eidem populo comminati fuerant, totiesque praedixerant (1).

382. Ad 9. *N.* Suppositi enim qui hic ab adversariis recensentur errores ecclesiae catholicae, totidem veritates sunt quas partim vindicavimus, partim paulo post adstruemus. Alioquin sabelliani pari jure potuissent ecclesiae crimini vertere professionem trium divinarum personarum in Deo; ariani professionem consubstantialitatis Verbi cum Patre; et ita porro haeretici reliqui. Concilium Constantinopolitanum VIII. quod nobis objicitur fuit conciliabulum schismaticorum (2). De concilio Francofordiensi alias scripsimus (3); sic etiam paulo ante excussimus quod de adjectione articulorum fidei heic rursum objicitur, et quo sensu intelligi id debeat, nempe de magis explicita expositione, seu de *modo* expositionis, non de fidei *substantia*, quae semper eadem est (4).

(1) Cf. Bossuet in *Conféren.* cit. pag. 293. seqq., nec non quae scripsimus in Tract. *De incarn.* P. I. cap. III. Prop. I.

(2) De hoc conciliabulo Cf. Baronium cum critica Pagii ad an. 814. n. XXXIII. seqq. Exinde enim patebit illud non fuisse nisi concilium malignantium et furentium schismaticorum.

(3) In Tract. *De cultu sanct.* cap. V. n. 140. seqq. Cf. Bossuet *Du culte des images*. Opp. ed. cit. tom. XVIII. pag. 259. seqq. nec non Petav. *De incarnat.* cap. XIII. seqq.

(4) Quoniam protestantes numquam cessant ab objectione, quod ecclesia suis definitionibus novos articulos adjecerit symbolo apostolico, aut symbolo nicaeno et athanasiano, inter quos eminet Newman, qui loc. cit. exprobrat catholicis quod suffecerint illis symbolis quibus constanter adhaerent anglicani *credo* (ut ipse vocat fidei professionem) Pii IV., juverit ad os adversariis obstruendum hic subjicere profundam theoriam cl. Möehler, qui in *Symbol.* loc. cit. haec praeclare habet: « Dès que la divine parole fut devenue foi humaine, de ce moment elle fut perçue, conservée, transmise par l'homme. Tout, jusqu'au récit évangélique, met en lumière la loi que nous constatons: dans le choix et la disposition du sujet, se retrouve le génie propre de chacun des historiens sacrés. Mais que sera-ce quand les apôtres traverseront les mers, lorsqu'ils porteront l'évangile aux extrémités du monde? Alors on voit s'élever du milieu de ceux, à qui ils prêchent, une foule de difficultés qu'ils sont obligés de résoudre, et pour cela il leur faut discuter, raisonner, comparer; opérations, qui mettent en jeu toutes les facultés de l'entendement. Ainsi la doctrine du Sauveur fut soumise à l'exercice de l'intelligence humaine. D'une part la divine parole fut analysée, et reçut des divisions logiques; d'autre part elle fut coordonnée, comparée avec elle-même; on ramena toutes les parties à certains points fondamentaux, on mît en rélief la base sur laquelle répose tout l'édifice. Dès-lors un point de vue plus clair et mieux circonscrit fut ouvert à l'esprit humain; car toutes les idées qui lui viennent du dehors, il faut qu'il se les assimile comme par une seconde création, s'il veut en avoir pleinement conscience. Ainsi élaborée en quelque sorte par le concours de l'intelligence humaine; la doctrine primitive se montra sous plusieurs faces différentes; mais resta-t-elle toujours la doctrine primitive? Nous pouvons répondre, oui et non: *oui* car elle est immuable quant à *son essence; non*, puisqu'elle changea quant à l'*expression*. Assurément, du temps des apôtres, l'esprit divin présida à tous ces développemens; mais il n'est pas moins certain qu'ils ne s'opérèrent pas sans l'homme, sans l'activité, sans l'intelligence de l'homme. Comme dans les oeuvres chrétiennes la liberté et la grâce, le divin et l'humain se pénètrent réciproquement, ainsi en est-il dans le point dont il s'agit. Jamais il ne peut arriver au-

Falsum pariter est, quod de graecis affirmant adversarii, eos nempe respuere imaginum cultum. Mirum est eos talia in facto adeo pervulgato comminisci.

583. Ad 10. *N.* Hoc enim est commentum jansenistarum invectum, ut sua obtrudant apud imperitos, adeoque jure merito nota haereticali confixum est in constit. dogmatica *Auctorem fidei* (1). Ecclesiae magisterium jugiter vivum est, ac propterea impossibile est aliquam fidei veritatem ita obscurari, ut error ecclesiam universam invadat ac populetur. Sane juxta ipsos ideo scholastici fuerunt pelagianismo infecti, quia non docuerunt gratiam humanas cogere voluntates, infidelium et peccatorum opera totidem esse peccata, et sic de ceteris dicatur. Itaque eorum est mens obnubilata, non autem obscuratae sunt in ecclesia catholica veritates.

Propositio II.

Ecclesia est pariter infallibilis in factis dogmaticis decernendis

384. Ut lux affulgeat implexae huic quaestioni, constituendum in primis est quid veniat nomine *facti dogmatici;* deinde accurate determinandum infallibilitatis, quam adstruimus, objectum.

385. *Facti* igitur *dogmatici* nomine, prout heic sumitur, significatur factum cum jure connexum, quod nempe determinat sensum alicujus scripti in ordine

trement. Après la mort des apôtres, quand les évangiles, les épîtres et toutes les écritures furent entre les mains des fidèles, nous voyons encore la parole de Dieu assujettie, pour ainsi dire, à l' activité de l' homme. Lorsque l' église définit la doctrine primitive contre les hérésies, il faut de nécessité qu'elle change l'expression apostolique contre une autre plus propre à repousser l' erreur qu'elle veut condamner. Montrant la vérité divine sous tous les points de vue, les apôtres ne purent en conserver la forme première; l'église par conséquent ne le peut davantage. Puisque l' hérésie se reproduit sous mille faces différentes; puisqu'elle revêt toutes les apparences, emprunte toutes les couleurs, l' église aussi doit prendre diverses positions; elle doit se mettre en face de l' erreur, et opposer à ses nouvautés d'expressions une nouvelle terminologie. Qu'on examine le symbole de Nicée, par exemple, et l'on reconnaîtra ce que nous avançons. Ainsi la tradition transmet aux siècles futurs la vérité chrétienne sous une forme différente . . . Au surplus, si l'homme fidéle pénètre toujours plus avant dans la révélation évangélique, il semble le devoir aux attaques de l' erreur contre la vérité . . . Enfin la chûte des protestans imprima un mouvement d'ascension au catholicisme. Que l'on compare les auteurs des derniers temps avec les ouvrages antérieurs au concile de Trente, et l'on verra clairement que, dans la connaissance du christianisme, nous sommes à un dégré plus haut qu' avant la réforme. Tous les dogmes remis en question ont été commentés, discutés, placés dans un plus grand jour, assis sur des bases mieux reconnues, et plus affermies ». Si proinde ecclesia anglicana, ut ait Newman, contenta semper extitit solis symbolis apostolico, nicaeno et athanasiano, ideo est, quia illa ecclesia utpote infallibilitate et auctoritate destituta nullam potuit haeresim, nullum errorem damnare, atque ei contradictoriam veritatem opponere. Ita est de omnibus sectis. *Credo Pianum* damnat inter caeteros etiam errores anglicanorum circa primatum rom. Pontificis. Hinc illae lacrymae!

(1) Talis est synodi Pistoriensis I. « Propositio quae asserit: *postremis hisce seculis sparsam esse generalem quandam obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad religionem et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae Jesu Christi* » quae quidem proscripta est uti HAERETICA.

ad ejus orthodoxiam, vel heterodoxiam ab auctore intentum: ac totum proinde situm est in aliqua doctrina prout haec ab auctore textu, propositione aut sententia sua traditur ac docetur. Quo fit, ut si paucis illud complecti libeat, haud incommode dici queat: *factum a quo determinatur jus;* vel etiam: *jus in facto fundatum*. Doctrina quippe auctoris cujusque cum bifariam spectari possit, nempe tum in se, tum in tota orationis serie atque auctoris scopo, qui ex eadem orationis serie exurgit, factum dogmaticum respicit doctrinam in suo complexu, ex quo determinatur sensus et mens quae in auctoris libro seu scriptione elucescit. Objectum proinde definitionis ac propterea infallibilitatis ecclesiae, saltem directum, est *jus*, scilicet orthodoxia aut heterodoxia alicujus doctrinae, quae continetur in textu aut propositione cujusdam libri, prout ex totius orationis serie, seu ut vulgo dicitur, ex contextu et scopo ipsius auctoris eruitur.

386. Ex hac facti dogmatici notione colligitur 1. illud minime constitui ex textu, aut propositione *in se* ac solitarie, seu sine relatione ad sensum sive mentem auctoris spectata; fieri enim potest, ut propositio aliqua in se spectata sit orthodoxa, sit vero erronea aut haeretica in sensu auctoris qui eam tradit; ex. gr. in scriptore catholico haec propositio: *Fides justificat*, est orthodoxa, cum ea ex analogia fidei intelligi debeat: *Fides dispositive justificat una cum reliquis quae ad justificationem concurrunt;* at in scriptore lutherano eadem propositio est haeretica, cum juxta lutheranum systema intelligatur de *sola fide formaliter justificante*.

387. Colligitur 2. Mentem et sensum auctoris qui ad factum dogmaticum constituendum requiritur, haud esse mentem aut sensum *subjectivum* et personalem de quo solus Deus judicat, sed illum esse sensum *objectivum*, qui exurgit ex libro ipso, serie orationis, parallelismo, et aliis quae hunc determinant sensum, ut ita loquar, externum.

388. Colligitur 3. Objectum definitionis ac proinde infallibilitatis ecclesiae nec esse solum factum prout a jure distincte spectatur, neque solum jus sed jus cum facto inseparabiliter conjunctum. Nam *factum*, quod ex. gr. Lutherus aut Calvinus hoc vel illud scripserit non est objectum definitionis, sed praesupponitur ex historia, critica, etc. Sic etiam *factum* prout dicit mentem aut sensum objectivum auctoris, uti exposuimus, non est saltem directe objectum definitionis, cum pariter hic sensus ex contextu, et locorum parallelismo, ex collatione, ex complexu, scopo aliisque regulis critices colligatur, ac pariter praesupponitur tamquam, ut ita dicam, praeambulum certum. Itaque definitio infallibilis ecclesiae directe cadit in jus quod in facto fundatur (1), seu in orthodoxiam aut heterodoxiam alicujus doctrinae quae in tali textu aut propositione continetur in ordine ac relatione ad mentem sive sensum objectivum auctoris qui per eam exprimitur. Cum vero talis doctrina non possit infallibili judicio pronunciari decernique catholica aut haeretica nisi per relationem ad objectivam auctoris mentem, fit, ut non possit in concreto ecclesia infallibiliter decernere directe jus, quin simul indirecte decernat factum quod est basis, fundamentum et radix ex quo in concreto jus seu veritas aut falsitas, orthodoxia aut heterodoxia alicujus doctrinae exurgit, et cum quo, uti dixi-

(1) Hac de causa in nostra facti dogmatici definitione etiam posuimus *jus* in recto, et *factum* in obliquo.

mus, est necessario et inseparabiliter connexum atque ab eo dependens.

389. Janseniani ut eluderent damnationem quinque propositionum quae decerptae erant ex *Augustino* Jansenii, Arnaldo duce, coeperunt distinguere inter *jus* et *factum*. Propositiones illas in se spectatas professi sunt merito proscriptas, easque se ex corde ut haereticas quoque damnare; verum tum eas contineri in Jansenii *Augustino*, ac in mente et sensu Jansenii haereticas esse, protestati sunt nulla se ratione adduci posse ut crederent, ac profiterentur. Nam, ut ipsi ajebant, hoc factum est mere humanum; circa factum autem humanum, ecclesiam infallibilitate minime pollere, penes omnes in confesso est. Ex quo inferebant se nec debere, nec posse obsequi, obluctante propria eorum conscientia, damnationi et censurae quinque propositionum in sensu auctoris (1). Hac ratione janseniani adnitebantur effugere promeritam damnationem, in quo pariter iterum iterumque fuerunt proscripti (2).

390. Ex nuper invecta distinctione janseniana inter jus et factum, coepit agitari haec controversia de infallibilitate ecclesiae in factis dogmaticis dijudicandis. Janseniani communi suffragio ejusmodi praerogativam ecclesiae denegant, catholici unanimi consensu illam eidem vindicant. Nos propterea cum istis sic assertam propositionem evincimus.

391. Christi ecclesia, ex dictis, non solum testis est infallibilis depositi revelationis, quod a Christo et apostolis custodiendum accepit, sed est praeterea infallibilis judex in controversiis dirimendis, ac magistra infallibilis in ministerio quotidiano. Atqui neque judex infallibilis nec infallibilis magistra esset in docendo populum sanam doctrinam, nisi pariter infallibilis esset in factis dogmaticis.

392. Nam juxta praemissa ita jus est cum facto connexum et ab eo dependens, ut nisi saltem indirecte posset ecclesia infallibili judicio pronunciare de facto, nulla posset ratione decernere de jure, seu de orthodoxia aut heterodoxia alicujus propositionis. Cum vero ad sartam tectamque servandam Christi doctrinam penès fideles, atque ad eos retrahendos a pascuis venenatis, eosque sa-

(1) Totam originem ac progressum hujus distinctionis copiose refert Tournely in Tract. *De Gratia* P. I. quaest. III. epocha tertia jansenismi. Cf. etiam *Oeuvres de Fénélon*. Versailles 1821. tom. X. *Avvertissement de l'éditeur*. Prem. Partie: *Précis dogmatique . . . des erreurs du jansénisme pour servir d'introduction aux écrits de Fénélon sur cette matière*. Art. I. § XVII. *Deuxième subterfuge; le silence respectueux sur le fait de Jansénius*, pag. XXI. seqq.

(2) Huc spectat celebris *casus conscientiae*, quo fingitur clericus cui absolutio sacramentalis denegata fuit, eo quod declarasset, « se revera quinque propositiones simpliciter et absolute damnare, ac formulae fidei Alexandri VII. subscripsisse quidem; nihilominus quantum ad quaestionem *facti* seu attributionem illarum quinque propositionum libro Jansenii, existimare se religiosum sufficere silentium ». Quem casum quadraginta doctores parisienses his verbis resolverunt: « Doctores infrascripti, visa casus expositione, hujus ecclesiastici viri sententiam, nec novam esse, nec singularem, nec ab ecclesia damnatam, neque talem, ut confessarius possit ipsi sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam retractaverit. Deliberatum in Sorbona die 20. julii an. 1701. ». Ast hanc responsionem Clemens XI. damnavit ac reprobavit apposito decreto dato die 13. febr. an. 1703. Cf. cit. AA.

na doctrina instituendos omnino opus sit tum infallibili judicio, tum infallibili magisterio, plane consequitur non minus quoad jus, quam quoad factum ex quo illud pendet, debere ecclesiam infallibilitate pollere. Alioquin cum ecclesia ne fideles pravis dogmatibus imbuantur aliquot propositiones, seu doctrinam in aliquo libro contentam damnat, eosque lectione talium librorum interdicit, isti obsequi ac obtemperare minime tenerentur; possent quippe reponere, ecclesiam in hoc suo judicio falli potuisse, ac reipsa deceptam esse, dum existimavit hunc esse auctoris sensum, et ex falsa hac suppositione damnasse tamquam haereticas aut erroneas propositiones veras atque orthodoxas. Non posset praeterea ecclesia lupos a grege arcere; cum enim istorum doctrinam ecclesia proscriberet, semper possent auctores excipere, ecclesiam mentem suam non esse assecutam, ideoque perperam doctrinam illam damnasse. Quae quidem omnia, ut patet, inane ac supervacaneum redderent commissum ecclesiae a Christo magisterium, et judicium in controversiis fidei ac morum dirimendis. Via lata pateret erroribus omnibus tum theoreticis tum practicis ingenti fidei morumque jactura.

393. Rursum: Christus instituendo ecclesiam, sibi ut finem proposuit suppeditare per eam hominibus medium tutum ad salutem, adeoque, uti ostendimus, eam infallibilitate instruxit: jam vero non minus necessaria est ad hunc finem obtinendum infallibilitas in factis dogmaticis, quam sit infallibilitas in genere; ergo nisi absurde affirmare velimus, Christum idoneis mediis ad finem obtinendum ecclesiam suam minime communivisse, fateamur necesse est et hanc infallibilitatem in factis dogmaticis decernendis eidem contulisse. Etenim ejusmodi infallibilitas, ut vidimus, non minus quam generalis illa, necessaria est ad secernendam veram a falsa doctrina, sive ad impediendum quominus falsi doctores incautos decipiant, sive demum ad fideles rite sana doctrina informandos. Cum enim universim receptum sit, ut auctores in scriptis seu libris propria sensa exponant, si ecclesia praedita a Christo non esset infallibilitate in judicanda orthodoxia aut heterodoxia doctrinae, prout ex contextu eruitur, seu prout jus facto innititur, jam non posset ullo modo fungi munere sibi commisso.

394. Attamen Christus Jo. XXI. dixit Petro: « Pasce oves meas ... pasce agnos meos ». Petrus adhortatur episcopos scribens: « Pascite qui in vobis est gregem Dei (1) », et Paulus sic alloquitur majores natu quos ex Epheso congregaverat: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei », rationem vero reddens hujusmodi admonitionis subdit: « Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate (2) ». At inutilis prorsus fuisset haec vigilantia episcoporum, si certo et infallibiliter non potuissent judicare utrum quae locuturi aut scripturi essent illi novatores vera an falsa, catholica an haeretica fuerint. Demum frustra mandasset idem Apostolus Tito curare ut senes sint « sani in fide (3) », si neque Titus neque episcopi reliqui etiam simul sumpti cum ecclesiae capite de doctrina orthodoxa, aut haeretica, prout ab auctoribus asseritur, judicare ac decernere absque erroris ac deceptionis suspicione possent, prout nec

(1) I. Petr. v. 2.
(2) Act. xx. 28-30
(3) Cap. II. 2.

possent rite pascere gregem sibi commissum. Quae quidem omnia absona sunt et absurda.

395. Quare ecclesia hac potestate continenti seculorum omnium serie usa est, quin ullus unquam, si haereticos forsan excipias, reclamaverit, imo qui ratum et infallibile non habuerit ejus hac in re judicium. Sane ecclesia in concilio Nicaeno damnavit Arii *Thaliam* utpote erroribus, haeresibusque refertam (1). Damnavit scripta Nestorii in concilio Ephesino et Chalcedonensi eadem de causa; contra vero probavit scripta Cyrilli adversus eundem exarata, utpote orthodoxa (2), et ita porro se gessit insequentibus seculis, cujus illustre exemplum prae caeteris suppeditat concilium v. oecumenicum in damnatione trium capitulorum (3), ut reliqua missa faciam.

396. Sive igitur spectes munia quae Christus ecclesiae imposuit, sive ejus finem in ecclesia instituenda, sive praxim constantem quam perpetuo ecclesia tenuit, liquet, eam in factis dogmaticis decernendis aeque infallibilem esse, prout ostendendum assumpsimus (4).

DIFFICULTATES

397. I. Obj. 1. Ecclesia non est infallibilis nisi quoad ea, quae in divina revelatione continentur; jam vero factum dogmaticum ex. gr. Jansenii, seu sensus et mens Jansenii in damnatis quinque propositionibus, prout in ejus *Augustino* continetur, aut ex eo eruitur, neque directe neque indirecte in revelatione continetur; fatendum proinde est ejusmodi infallibilitatem ecclesiae minime competere. 2. Sane sensus alicujus propositionis, aut textus aut etiam libri ex solis critices et hermeneuticae subsidiis colligi potest, ex lectione, collatione, phrasibus, loquendi usu aliisque ejusmodi adminiculis, quae sunt pars logicae, non autem objectum infallibilitatis. 3. Ecquis enim unquam dicet ecclesiam infallibilitate instructam esse in interpretatione, et vero sensu determinando Tullii, ex. gr. Taciti, Virgilii? Quare igitur censenda erit infallibilis in intelligendo opere Jansenii? 4. Repugnat praeterea, ecclesiam posse novos fidei articulos credendos proponere de quibus nihil aut in verbo Dei scripto, aut in verbo Dei tradito continetur; ita porro se gereret ecclesia, si fide tenendum esset talem esse Jansenii sensum in suo *Augustino*. 5. Cum igitur nonnisi humana deprehendi possit industria verus sensus alicujus auctoris, restat ut dica-

(1) In epist. synodica apud Socratem H. Ec. lib. I. cap. IX. circa finem; necnon apud Sozomenum lib. I. cap. XXI.

(2) Cf. *Acta concil.* Harduini tom. I. col. 1363. item tom. II. col. 115. seqq.

(3) Ibid. tom. III. col. 193. et 194.

(4) Cf. de hoc argumento Fénélon opp. ed. cit. tom. XI. *Troisième instruction pastorale contenant les preuves de la tradition concernant l'infaillibilité de l'église touchant les textes dogmatiques, ou hérétiques*. Item: *Réponse de M. l'évêque de Cambrai à un évêque* cum aliis epistolis de eodem argumento quae continentur, tom. XII. *Instruction pastorale sur le livre intitulé:* JUSTIFICATION DU SILENCE RESPECTUEUX; tom. XIV. necnon: *Lettre sur l'infaillibilité de l'église touchant les textes dogmatiques*, ibid. *Dissertatio de ecclesiae infaillibilitate circa textus dogmaticos, occasione libelli cui titulus:* VIA PACIS. Tom. XV. consulat. praeterea Tournely in Tract. *De Ecclesia*, quaest. V. art. III. *De auctoritate Summi Pontificis et ecclesiae universae in censura librorum, seu ut vocant, in factis dogmaticis*; Bolgeni: *I fatti dommatici*, vol. 2. in 8. tum in opusc. *L'economia della fede*, vol. un. Brescia 1790.

mus, non fide divina, sed fide duntaxat humana ad summum nos tenere aut credere factum dogmaticum ab ecclesia definitum, quae non excludat omnem errandi formidinem. Ergo.

398. Resp. ad 1. *D. Maj.* Ecclesia non est infallibilis nisi circa ea, quae in divina revelatione continentur, prout *testis* est, Tr. prout est *judex* et *magistra N.* Etenim ecclesia praeter officium testis eorum quae in revelatione continentur, habet officium judicis controversiarum et magisterii perpetui. Prout vero ostendimus, non posset ecclesia utroque ejusmodi munere fungi, nisi esset infallibilitate a Christo munita. Utique sensus Jansenii qui in ejus *Augustino* continetur, non reperitur sive directe, sive indirecte in revelatione, cum agatur de facto post tot secula a data revelatione secuto, neque in hoc factum solitarie atque in se spectatum cadit ecclesiae judicium ac definitio. Verum jus, seu orthodoxia aut heterodoxia propositionum Jansenii, aut alterius cujuscumque, quod facto innititur, et a quo pendet sive directe sive indirecte, in revelatione divina continetur ratione contradictoriae doctrinae, aut quoquomodo a doctrina revelata dissentientis. Quum vero definitio ecclesiae, ex dictis, afficiat directe jus ipsum quod facto innititur, et quo deficiente deficeret jus in concreto definitum, patet non posse ecclesiam directe, et infallibili ratione judicare de jure, quin indirecte et infallibili judicio decernat etiam de facto, ob intimam utriusque ac inseparabilem connexionem et dependentiam.

399. Ad 2. *D.* Si factum, id est sensus auctoris, seorsum a jure spectetur, Tr. vel *C.* Si spectetur quatenus est juris fundamentum a quo illius veritas et infallibilis certitudo pendet, uti exposuimus *N.*

400. Ad 3. Neg. paritatem, in adductis enim exemplis non viget eadem ratio, quae viget in factis dogmaticis, ut per se patet.

401. Ad 4. *D.* Et ecclesia in factis dogmaticis decernendis solum declarat infallibili judicio connexionem juris cum facto a quo illud pendet, *C.* et novos absolute condit fidei articulos *N.* Hoc enim tantummodo intercedit discrimen inter caeteras dogmaticas ecclesiae definitiones et facta dogmatica, quod in illis ecclesia decernat solum de jure absque ulla relatione ad factum, ex. gr. B. Virginem esse *Deiparam ;* in his vero decernat praeterea connexionem seu intimam relationem juris cum facto ex. gr. vocem *Christiparam* in sensu in quo eam usurpabat Nestorius esse haereticam; adeoque ut diximus ecclesiae definitio cadit directe in jus, indirecte vero in factum, in quo si ecclesia falleretur, falleretur etiam in jure decernendo (1).

(1) Cf. Simonnet: *Institutiones Theologicae*. Tract. IX. *De regulis fidei*, Disputat. IX. art. XI. ubi data opera enucleat et solvit difficultatem petitam ex natura actus quo credi debet orthodoxia aut heterodoxia textuum dogmaticorum decisa ab ecclesia. Inter cetera autem adnotat, juxta multorum doctorum catholicorum sententiam, heterodoxiam textus dogmatici ab ecclesia decisam, firmissime judicari posse per fidem, quam vocant *ecclesiasticam*. Hi enim doctores triplicem fidem distinguunt, *divinam* scilicet, quae nititur auctoritate divina; *humanam* quae nititur auctoritate humana; et intermediam, quae *ecclesiastica* nuncupatur, quia nititur auctoritate ecclesiae aliquid definientis cum speciali Spiritus Sancti assistentia, quacum in sua definitione errare non potest. Ex his *humanam* non omnino certam habent, utpote errori obnoxiam; *divinam* vero infallibilem immediate et per se; *ecclesiasticam* infallibilitate participata et accepta; adeoque gradu inferiori

402. Ad 5. Neg. Conseq. Quaecumque enim demum sint media et industriae quibus ecclesia utitur in cognoscendo sensu seu mente alicujus auctoris, objectum plenum definitionis per modum unius erit fidei objectum divina fide credendum ob rationes paulo ante adductas. Dum vero Deus ecclesiae suae assistit, non excludit humana media, prout ea in definitionibus pure dogmaticis non excludit.

403. II. Obj. 1. Pugnat adversus hanc doctrinam novitatis praejudicium; cum non coeperit propugnari nisi postremis hisce temporibus; 2. Profecto patres Leo M. (1), Pelagius II. (2), Gregorius M. (3), aliique passim communi calculo docuerunt, sola fide excepta, posse retractari quidquid in conciliis definitur; 3. Atque hinc factum est ut posteriores duo Pontifices a communione minime separaverint eos, qui abnuebant definitionem concilii oecumenici V. circa tria capitula; 4. Cujus quidem avitae fidei exemplo sunt prorsus ineluctabili inter ceteros Bellarminus et Baronius quorum prior loquens de damnatione Honorii facta in sexta synodo, pluribus allatis in ejus defensionem, demum concludit: « Quod si aliquis non possit adduci, ut credat corruptam sextam synodum, is accipiat alteram solutionem, quae est Joannis a Turrecremata lib. 2. de ecclesia cap. 93. qui docet, patres VI. synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo judicio errasse. Quamvis enim generale concilium legitimum non possit errare, ut neque erravit hoc sextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quaestionibus de facto. Itaque tuto dicere possumus, hos patres deceptos ex falsis rumoribus, et *non intellectis Honorii epistolis*, immerito cum haereticis connumerasse Honorium (4) ». Alter vero, nempe Baronius, cum et

quam sit divina, et superiore humana certitudine.

Fénélon clarius hoc ipsum exponit in secunda instructione pastorali super casum conscientiae, ubi agens de hac theologorum disceptatione circa nomen, quo haec designari fides debeat, haec scribit: « Voilà ce qu' on pourrait dire de part et d' autre, pour examiner, s'il est permis ou non, de donner le nom de *foi divine* à une telle croyance. On peut disputer à cet égard dans les écoles sur ces deux points. Le prèmier ne regarde qu' une question de mots sur le terme de *foi divine*, qui peut être pris dans un sens plus ou moins rigoureux; les uns entendant par ce terme la seule foi divine, qui est une vertu théologale; les autres y comprenant toute croyance qui est appuyée ou immédiatement, ou de moins médiatement sur le fondement de l' autorité divine. Le second point se réduit à savoir comment chacun tourne son acte de foi. Les uns voudront dire simplement: je crois l' héréticité d' un tel texte sur la seule parole de l'église, que je sais d'ailleurs être infaillible. Les autres disent: je crois l'infaillibilité de l'église en tant que révélée, sur un tel texte ». Opp. ed. cit. tom. x. pag. 468. seqq. Cf. pariter in responsione ad secundam epistolam episcopi sancti Pontii § xv. opp. tom. xii. pag. 546. seqq. cons. Muzzarelli in op. *Il buon uso della Logica* opusc. xxiv. *Se un fatto dommatico sia oggetto di fede teologica*, ubi ostendere multis connititur cum pluribus theologis factum dogmaticum ab ecclesia definitum esse reipsa objectum fidei divinae atque theologicae.

(1) Epist. cxix. ad Maximum Antioch. cap. v. ed. Ballerin.

(2) Epist. ii. ad Eliam Aquilej. et alios episcop. Istriae in *act. Concil.* Labbaei tom. v. col. 631.

(3) Epist. ii. ad Constant. Mediolan. edit. Maur. tom. ii. col. 683.

(4) Lib. iv. *De summo Pontif.* cap. xi.

ipse longam texuisset ejusdem Honorii apologiam, tandem concludit: « Idipsum dixerim in iis quae ad fidem spectant, ut plane religio sit vel latum unguem ab iis, quae in sancta synodo sunt statuta recedere; at in iis, quae ad personas pertinent, et *scripta ipsorum*, non ita rigide reperitur custodita censura. Nam patens exemplum est de V. synodo, quae tria capitula condemnavit, de quibus a sacrosancto concilio Chalcedonensi videri poterat aliter actum, nempe de Theodoro, Theodoreto, et Iba. In his enim quae facti sunt, contingere posse ut unus quisque fallatur nemini dubium est: et tunc illud Pauli ad Corinth. usurpari posset: *Non enim possumus aliquid adversus veritatem sed pro veritate* (1) ». 5. His consonat card. Pallavicinus, qui aperte fatetur controversiam de *sensu* trium capitulorum de quibus disputatum fuit in V. synodo non pertinuisse ad infallibilem auctoritatem ecclesiae, neque de fide esse (2). 6. Certum igitur exploratumque fuit omni retro aetate ecclesiae judicium in factis dogmaticis fidei regulam minime constituere.

404. Resp. ad 1. *D.* Non coepit propugnari haec doctrina nisi postremis hisce temporibus sub hac determinata formula, *C.* quoad rem ipsam *N.* Ostendimus enim hac constanter potestate ecclesiam a suis primordiis usam esse, omnesque fideles ei paruisse aeque ac in ceteris definitionibus pure dogmaticis. Cum vero janseniani eam in dubium revocaverint, imo inficiati fuerint, ut promeritam damnationem declinarent, coepit conceptis ea verbis in scholis propugnari, ac nova formula donata est, ut saepenumero evenit (3).

405. Ad 2. *D.* Adducti patres docuerunt, sola fide excepta, posse retractari quidquid definitur in conciliis non approbatis a romanis Pontificibus, *C.* in approbatis, subd. Posse retractari quidquid ad fidem nec directe nec indirecte spectat, *C.* quidquid directe solum ad eam non pertinet *N.* Quae ut intelligantur, animadvertendum est, s. Leonem M. in epist. ad Maximum antiochenum episcopum testari, se non misisse legatos suos ad concilium Chalcedonense nisi cum facultate tractandi de rebus fidei; quidquid propterea in eodem concilio, agentibus licet legatis s. Sedis,

(1) Ad an. 681. n. xxx. edit. Lucens. 1742. tom. xii. p. 32.

(2) *Hist. Conc. Trid.* lib. xi. cap. xviii. n. 9. edit. Rom. 1656. tom. i. pag. 957.

(3) Fénélon in cit. tertia *Instruct. pastorali*, (quae prostat tom. xi.) adductis et expensis singillatim patrum graecorum et latinorum testimoniis, nec non conciliorum oecumenicorum et romanorum Pontificum, atque praecipuorum scholasticorum, luculentissime ostendit traditionem universim receptam de infallibilitate ecclesiae in factis dogmaticis semper viguisse. In dissert. autem i. de ecclesiae infallibilitate circa textus dogmaticos (quae extat xv.), cap. ii. demonstrat, hac sublata infallibilitate, totam ruere infallibilitatem ecclesiae; decipi enim semper posset in intelligendis textibus patrum, in intelligendis propositionibus haereticorum, decretis conciliorum; ac proinde posset praebere ut haereticam, doctrinam quae reipsa orthodoxa est, aut e converso judicare uti orthodoxam doctrinam quae sit haeretica, et sic eludi posset quodvis ecclesiae judicium. Ex hoc praeterea fieret, ut infallibilitas ecclesiae *theoretice* semper admitteretur, *practice* semper eluderetur; omnia illius anathemata lata in doctrinam quam judicavit haereticam, e. g. Nestorii, Pelagii, Lutheri, Calvini essent inane terriculum; tunc ipsa inermis, et succiso censurae nervo, imbecillis jaceret; unde portae inferi praevalerent adversus eam. Haec autem omnia exemplis illustrat, quae ibidem videri possunt, ne prolixior sim.

praeter fidem gestum est, non habere firmitatem. En ejus verba: « Si quid sane ab his fratribus, quos ad sanctam synodum vice mea misi, praeter id quod ad causam fidei pertinebat gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab apostolica sunt sede directi, ut excisis haeresibus, catholicae essent fidei defensores (1) ». Haec ipsa porro eadem verba applicant Pelagius II. et Gregorius M. ad quintam synodum in causa trium capitulorum, ut evincant etiam in hypothesi, quod synodus Chalcedonensis tria illa capitula probasset, nihilo secius eadem damnando, synodum V. non pugnasse cum concilio Chalcedonensi, quia quae de tribus capitulis Chalcedone gesta sunt non fuerant a s. Sede probata. En iterum Pelagii verba ex epistola ad Istriae episcopos: « Aperte nobis licentia tribuitur, ut quidquid illic (in synodo Chalcedonensi) extra fidei causas de personis gestum est, retractetur. Specialis quippe synodalium conciliorum causa est fides. Quidquid ergo praeter fidem agitur, Leone docente, ostenditur, quia nihil obstat, si ad judicium revocetur (2) ». Eadem loquitur ratione s. Gregorius M. qui fuit a secretis Pelagio II.

406. Ad 3. *D.* Non separarunt praefati Pontifices a communione eos qui detrectabant recipere definitionem V. synodi, re nondum luculenter perspecta, *C.* re maturius discussa *N.* Magna enim perturbatio in ecclesiis occidentalibus orta est ex occasione damnationis trium capitulorum: rebantur quippe plerique quintam synodum Chalcedonensi fuisse contrariam hac in causa, cum tamen reipsa in concilio Chalcedonensi actum esset de solis personis, in synodo autem V. de solis scriptis. In tali autem rerum statu prudenter Pontifices existimarunt dissimulandum esse cum reluctantibus, donec temporis tractu res melius in aperto poneretur, uti factum est (3). Tenebris itaque dissipatis s. Gregorius M. neminem ad ecclesiae pacem admisit, quin prius contestatus esset se V. illam synodum admittere et venerari, damnassetque tria capitula. Imo receptum est ut cum praesul aliquis inauguraretur, debuerit profiteri se illam synodum recipere (4).

(1) Loc. cit.

(2) Loc. pariter cit.

(3) Et haec cohaerenter ad praeclara hac de re edita a s. Augustino monita, qui lib. III. cont. Parmenian. cap. II. n. 13. statuit, tunc quemque percellendum anathemate. « Ubi periculum schismatis nullum est, » aut » quando ita cuique crimen actum est, et omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere ». Et iterum epist. XXII. n. 5. « Non aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso istae tolluntur: magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine: severitas autem exercenda est in peccata paucorum ».

Hic autem obiter animadverto hanc difficultatem, quae ab adversariis urgetur ex agendi ratione eorum qui restiterunt definitioni concilii V. eo quod contrarium ipsum censuerint definitionibus editis in concilio Chalcedonensi, rem nostram magis probare. Nisi enim pro certo illi habuissent, oecumenica concilia infallibilia esse in factis dogmaticis, nulla causa fuisset quare restiterint decretis concilii posterioris, seu synodi V. perinde ac si haec adversaretur decreto infallibili concilii Chalcedonensis, quod ab omnibus ut oecumenicum habebatur, dubitabatur autem ab istis utrum talis pariter censenda esset quinta synodus.

(4) Cf. apud Jo. Garnerium S. J. *Liber diurnus Romanorum Pontificum*. Paris. 1680. in *Secunda fidei professione*. pag. 35. et pag. 38. seq.

407. Ad 4. *D.* Bellarminus et Baronius de Honorii persona adeoque de facto mere personali loculi sunt, *C.* de facto dogmatico *N.* Id liquet 1. ex utriusque scriptoris verbis. Etenim Bellarminus disserit de eo in quo patres VI. synodi decipi potuerunt, nimirum *ex falsis rumoribus et non intellectis Honorii epistolis*, nempe quoad consilium Honorii in sopienda controversia per quandam oeconomiam. Jam vero nonnisi facta particularia atque personalia a falsis rumoribus pendent, perinde ac a mente personali scriptoris consilium circa agendi rationem (1). Baronius pariter aperte scribit « In iis quae *ad personas pertinent et scripta ipsorum*, in ordine videlicet ad consilium aut mentem subjectivam. Utriusque enim scopus est defendere personam Honorii, quem in haeresim neutiquam lapsum merito affirmant, etiamsi patres VI. synodi ipsum inter haereticos, id est, haereticorum fautores connumeraverint (2). Liquet 2. ex eo quod in decreto dogmatico concilium VI. ne verbum quidem habeat de epistolis Honorii; in hoc porro solo infallibilia concilia sunt (3) ». Quod si Baronius ac Bellarminus aperte non distinxerunt inter mera facta et facta dogmatica, ideo est, quia illorum aetate nondum illa formula inducta fuerat; hinc merito illis aptari possunt Augustini verba de pelagianis nonnullorum pro se veterum auctoritatem obtrudentibus: « Vobis nondum litigantibus, securius loquebantur (4) ».

408. Ad 5. *Neg.* Pallavicinum fassum esse *sensum* trium capitulorum a V. synodo damnatum non pertinuisse ad infallibilem auctoritatem ecclesiae; sic enim scribit: « Observat (s. Greg. M. in epist. ad Constantium mediolanensem antistitem) dissidium non in dogmatibus verti, sed in *hominibus de quibus* actum fuerat in concilio Chalcedonensi post firmatam integre doctrinam, ac proinde controversiam non esse de articulo fidei, et qui ad ecclesiae auctoritatem nulli obnoxiam errori spectaret (5) ».

(1) Cf. eruditam *Relationem Card. Caroli Alberti Cavalchini ponentis in causa ven. servi Dei Bellarmini.* Romae 1753. n. 267. seqq. pag. 208. seqq. ubi apertissime ostenditur in objecto loco Bellarminum, non de facto dogmatico, sed de facto personali Honorii egisse.

(2) De quo argumento ex professo paulo post agemus.

(3) In posterioribus enim actionis XVI. verbis, profitetur synodus, se in posterum edituram fidei professionem: « Sancta synodus dixit: sufficienter quidem habent quaeque usque nunc gesta sunt, ac decertata, et ad praesentem dogmaticam inquisitionem intendunt. *In sequenti vero inspiratione sancti et vivifici Spiritus definitionem rectae fidei convenientem synodaliter statuemus* ». Subsequens porro definitio fidei, quae redacta et edita est art. XVII, et XVIII. titulum habens: « Definitio orthodoxae fidei facta in regia urbe etc. » nihil prorsus habet de damnatione epistolarum Honorii.

(4) Lib. 1. cont. Julian. cap. VI. n. 22. Verum de mente cardd. Bellarmini, Baronii, Turrecrematae aliorumque, quorum auctoritate abutuntur janseniani cf. Fenelon ed. cit. tom. XI. *Troisième instruction pastorale* chap. XXXIV—XXXVII. ubi copiose rem totam ita evolvit, ut nullum dubium supersit.

(5) En ipsa ejus verba l. c. « Ma perciò nacque scisma poi fra' cristiani: opponendo gli eutichiani, e gli altri condannati nel Calcedonese, che la chiesa romana erasi ritirata da questo con approvare il Constantinopolitano secondo *(quintam synodum)*. Or s. Gregorio in più luoghi va dissipando questa apparente ripugnanza, e dimostrando che quanto alla dottrina accordavansi que' due concilii in rifiutar l'eresie de' tre nominati *(Theodori, Theodoreti et Ibae)*. E ciò meglio che altrove dichiara egli scrivendo a Costanzo vescovo di

409. Inst. Saltem Zosimus rom. Pontifex probavit libellum sibi a Caelestio oblatum, tamquam catholicum, cum tamen pluribus erroribus refertus esset. Ergo.

410. R. D. cum s. Augustino, probata est a Zosimo voluntas emendationis, *C.* falsitas dogmatis *N.* Cum enim, eodem referente Augustino, Caelestius professus esset, se in hoc libello ea posuisse de quibus adhuc dubitaret, et de quibus vellet a Pontifice instrui; cum praeterea viva voce adjecisset se consentire iis, quae ab Innocentio in quaestione pelagiana scripta fuerant, ideo rom. Pontifex libellum Caelestii catholicum dixit, quia « et hoc catholicae mentis est, ut idem loquitur s. Augustinus, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit . . . detecta ac demonstrata respuere (1) ».

ARTICULUS III.

De auctoritate ecclesiae

411. Hic *auctoritatis* vocem usurpamus in ordine ad regimen ecclesiasticum juxta ea quae hujus capitis initio praemisimus. Auctoritas proinde sic accepta pro objecto habet potestatem ecclesiae *legislativam* et *coactivam*. Potestas legislativa est potestas ferendi leges illas quae Dei populum seu fideles regunt ac dirigunt in iis omnibus, quae ad exteriorem disciplinam, seu politiam ecclesiae spectant. Haec porro disciplina complectitur exteriorem Dei cultum, liturgiam, sacros ritus, psalmodiam, sacramentorum administrationem salva eorum substantia, formam sacrarum electionum canonicam, atque ministrorum institutionem, jejunia, vota, festos dies ac similia (2). Ecclesiastica igitur disciplina est regula practica et externa praescripta ab ecclesia ad retinendos in sua fide Christifideles, eosque ad aeternam felicitatem facilius perducendos. Ex quo patet quam incaute nonnulli dictitent, disciplinam parum interesse fidei, ac satis esse ut dogmata intacta consistant (3).

412. Recentiores protestantes post Pfaffium et Boehmerum contendunt ad

Milano, dove osserva (ciò che dicemmo) la diversità consistere non intorno a' dogmi, ma intorno alle persone, delle quali s'era trattato nel concilio Calcedonese dopo avere interamente stabilita la dottrina: onde *non era quello un articolo di fede, e che appartenesse alla infallibilità della chiesa* ».

(1) Lib. II. *cont. duas epistol. Pelagianor.* cap. IV. n. 5.

(2) Cf. Muzzarelli: *Il buon uso della logica*. Opusc. V. *Disciplina ecclesiastica*. Edit. Rom. 1807. tom. II. pag. 5, seq. ubi ad quinque capita revocat objectum disciplinae ecclesiasticae; nempe 1. ad cultum divinum, qui consistit in administratione sacramentorum, in sacris ritibus, ecclesiasticis caeremoniis; 2. ad politiam et correctionem cleri; 3. ad divisionem particularium dioeceseon; 4. ad rectam dispensationem bonorum ecclesiasticorum; 5. ad regulam morum in ordine ad Deum, ad proximum, et ad nosmetipsos.

(3) Cf. Zaccaria in op. cui tit. *Comandi chi può, ubbidisca chi deve, o sia dissertaz. III. della forza obbligatoria dell' ecclesiastica disciplina*. Faenza 1788. pag. 41. plures recenset catholicos neotericos ita sentientes post protestantes. Ab hac dissertatione duae aliae de hoc ipso argumento ejusdem cl. auctoris sejungi nequeunt, altera nempe cui titulum fecit: *Lasciamo star le cose come stanno*, o sia *Dissertaz. I. sulla mutabilità poco intesa da' più della disciplina ecclesiastica*. Faenza 1787. altera vero quam inscripsit: *Rendete a Cesare ciò che è di Cesare; ma sì a Dio rendete quel che è di Dio*, o sia *Dissert. II. sulla podestà regolatrice della disciplina*. Faenza 1788.

quemlibet christianum coetum ex ecclesiasticis et laicis conflatum spectare potestatem sanciendi leges disciplinares. Eadem haeret anglicanis sententia, qui ut aliquo modo cohonestent titulum supremi ecclesiae anglicanae capitis quem sibi Henricus VIII. Eduardus VI. Elisabetha, aliique deinceps sibi usurparunt una cum suprema potestate in res sacras et ecclesiasticas ad exclusionem auctoritatis rom. Pontificis, nihil non moliuntur ut evincant hanc principibus competere potestatem saltem in res disciplinares. Quodque magis mireris, adnituntur ostendere regiam hanc supremam potestatem, si fieri posset, ex principiis et praxi catholicorum (1). Quod si catholicorum nomine intelligant eos qui veram

(1) Ita nova schola Oxoniensis in qua eminet Palmer qui in op. cit. vol. I. part. II. cap. III. ubi agit de ecclesiastico primatu, ac de actis civilis potestatis sub regnis Henrici VIII. et Eduardi VI; deinde vero cap. V. ubi disserit de regno Elisabethae, totus in eo est, ut evincat non aliud ecclesiam anglicanam tribuisse regibus suis quam quod suis catholici principibus tribuunt. Quod paradoxum lectoribus ut suadeat imo et persuadeat, historiam reformationis anglicanae, ut vocant, veluti a *priori* conscribit, id est, non juxta documenta, quae aut nulla profert aut mutila ac detruncata, sed prout sibi eam evenisse mente concepit. Si ipsum audiamus non politica et civilis potestas suam ecclesiae imposuit politicam ac tyrannicam reformationem, sed clerus ipse ultro seipsum et ecclesiam mire foedatam reformavit in quo potestas civilis nihil aliud fecit quam suppetias ferre, ut negotium feliciter optatam ad metam perduceretur. Quod si Henricus adegit clerum ad ipsum declarandum *supremum ecclesiae Anglicanae caput* (tunc enim primum coepit ab Henrico VIII. *Anglicanae* denominatio invehi), id nonnisi sub expressa clausula: *Salva lege Christi*, clerus effecit. Si praeterea Henricus ejusque successores Eduardus et Elisabetha sese ingesserunt in negotiis omnibus ecclesiasticis, omniaque sus deque verterunt adeout ex catholica quae prius erat ecclesia per novam metamorphosin facta fuerit protestans, haeretica, et schismatica; haec omnia si auctori nostro fidem adjungas, non afficiunt nisi res exteriores disciplinae, vel ad summum violentae usurpationes fuerunt contra ipsius ecclesiae constitutionem, quae de cetero post ejusmodi reformationem identica omnino permansit, nimirum qualis prius erat; ad eum plane modum (ut quidam ex Oxoniensibus, D. Hooke, nuper ajebat, an lepide aut serio nescirem), quo qui mane surgens lavit faciem suam, eadem certe persona quae erat ante lotionem, habetur et est. Optime haec quidem *a priori* excogitata sunt, ast si historica documenta consulamus non item. Constat enim 1. Henricum ob denegatum sibi conjugium a Clemente VII. se rebellasse ecclesiae romanae quae hactenus, ut in universo mundo, sic etiam in Anglia habuit semper atque exercuit primatum; 2. *Reformationem* anglicanam invito ac obluctante clero factam fuisse a potestate laica, rege nempe ejusque SERVI (quem dicunt) PARLAMENTI lege; 3. Henricum vere sibi et rem et titulum supremi capitis ecclesiastici in ecclesia anglicana usurpasse, et clausulam illam quae testis est reluctantiae cleri ejusque perseverantiae in avita fide circa primatum juris divini in rom. Pontifice, paulo post sublatam fuisse ac penitus abolitam, ita ut clerus ipse non aliam habuerit optionem nisi aut emittendi juramenti de absoluto primatu regis, aut vitam amittendi. 4. Hunc primatum regium non solum sese extendisse ad res disciplinares, quod etiam nefas fuisset, sed ad jurisdictionem ipsam episcopis in cura animarum conferendam, ita ut hi effecti fuerint ejus vicesgerentes, et ad fidem ipsam, quae non obligabat quin prius singuli articuli probati ac *confirmati* essent a rege; 5. tantum distare ecclesiam anglicanam ab ecclesia catholica, quae prius in Anglia obtinuit, quantum etiamnum ecclesia protestans anglicana differt ab ecclesia catholico-romana. Dixi ecclesiam *protestantem*; cum statuto legis de-

ecclesiae doctrinam sequuntur, nihil magis a veritate abhorret quam ista anglicanorum assertio, uti mox ostendemus: sin vero intelligunt aulicos regalistas, qui uti in aliis, sic et in hoc articulo a doctrina ecclesiae catholicae recesserunt, facile id ipsis dabimus. Siquidem non defuerunt haud pauci neoterici inter ipsos etiam catholicos qui, magno ecclesiae totius scandalo, protestantium vestigia premere minime veriti sunt docentes nullam proprie dictam auctoritatem legislativam competere ecclesiasticae potestati in res pertinentes ad exteriorem disciplinam, quae afficiat homines prout cives sunt, et quae cum ordine politico reipublicae sunt connexae. Hujus enim exterioris disciplinae san-

cretum sit non alium posse esse regem Angliae, adeoque ecclesiae anglicanae caput, quam *protestantem*. Si caput porro est protestans, corpus poteritne esse catholicum? Cf. opusculum cui tit. *ecclesia anglicana reformavitne se ipsam?* Quod est celebris D. Lingardi et insertum in *Dublin Review seu revisione dubliniensi* mens Maij 1840. ubi omnia documenta invenies quae huc spectant. Adesis quoque auctoris ipsius *Historiam Angliae* (vol. VI. et VII.) adeo commendatam et gallice atque italice redditam.

Ad auctores vero catholicos ad quos provocat Palmer, quod attinet, notandum est istos alios non esse nisi eos qui continentur in *Report from select committee* etc. seu *relatione comitatus selecti* etc. quae jussu *camerae quam vocant communium* edita est 25. Jun. 1815. Lond. vol. I. fol. constans pag. 544. Haec porro relatio continet responsa officialia data a ministris diversorum Europae statuum circa modum quo illi se habent in ordine ad catholicos et ad s. Sedem: quae quidem provocata fuerunt an. 1812. a D. (Lord) Castelreagh, deinde vero a D. Bathurst an. 1815. ad negotium emancipationis catholicorum in Anglia maturandum. Jam vero ejusmodi responsa data ut plurimum ab iis qui erant a secretis ministeriorum, nec sine suspicione corruptionis ope pellucidi auri britannici, nullo modo spectari possunt ut germana guberniorum responsa, multo vero minus ut talia quae verum statum relationis potestatis civilis cum ecclesia catholica illis in regionibus prae se ferant. Exhibent siquidem doctrinam Rechberger, et Caraccioli ex parte Austriae; quisquilias Giannoni contra ecclesiam et s. Sedem ex parte Neapoli; excerpta Pithoei et Dupinii, acta declarationis 1682. *pragmaticam sanctionem* schismatici concilii Basileensis an. 1438; nec non varia decreta conventionis nationalis an. 1791. ac duas conventiones Napoleonis ex parte Galliae. Referunt quoad Hispanias documenta ministeriorum Aranda, Montiana y Luyando et sociorum, atque declamationes constitutionales regentiae 1814. contra s. Sedem ejusque repraesentantes Matriti. Exhibent quoad Lusitaniam Theses academicas propugnatas Conimbricae an. 1783. 1785. 1786. 1796. 1798, 1799. opera Jo. Joachimi Pereira, Jos. Mourao, Ant. Pereira, Jos. de Lemosmello etc. qui omnes notorii fuerunt jansenistae; nec non leges Pombalii ejusque consilii ministerialis etc. Cf. op. cui tit. *Sammlung* etc. seu *Collectio nonnullorum documentorum officialium magni momenti ad inserviendum historiae emancipationis catholicorum in Anglia* edita a cl. Aug. Theiner. Mogunt. 1835. et opusculum Lingardi: *Observations on the laws* etc. seu *Observationes circa leges et ordinationes quae subsistunt in statibus externis*, *relativas ad negotia religiosa subditorum romano-catholicorum* 1817. quod postea insertum est in alio ejusdem op. *A collection of tracts*, seu *Collectio opusculorum de variis argumentis connexis cum principiis civilibus et religiosis catholicorum*. Lond. 1826. in 8. p. 447-479. Ex hisce palam fit qui nam sint auctores catholici ad quos confugit Palmer et in quibus tutissime conquiescit veluti monumentis indubiae fidei atque ineluctabilis auctoritatis.

ciendae potestatem principibus tribuunt: potestatis autem legislativae ecclesiasticae objectum illud solum esse contendunt, quod pertinet ad doctrinam evangelicam fidei et morum atque sacramentorum administrandorum.

413. Horum doctrinam suam fecit synodus Pistoriensis prop. IV. affirmans: « Abusum fore auctoritatis ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores et per eam exigendo id, quod pendet a persuasione et corde, tum etiam multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis ». Haec porro propositio a Pio VI. in constit. *Auctorem fidei*: « Quatenus indeterminate illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis ecclesiae usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsi apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda; *haeretica* » declaratur atque ut talis proscribitur. « Qua parte vero insinuat, *ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione*; quatenus intendat ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios, contumacesque exteriore judicio, ac salubribus poenis coërcendi, atque cogendi » ab eodem Pontifice damnatur ex Bened. XIV. in Brevi *Ad assiduas* anni 1755. primati, archiepiscopis, et episcopis regni Polon. ut *inducens in systema alias damnatum ut haereticum* (1).

414. Ex qua censura intelligimus duo juxta doctrinam catholicam asserta esse a Pio VI. circa ecclesiae auctoritatem, scilicet potestatem leges disciplinares condendi, et potestatem coactivam circa devios et contumaces quarum ambae a Deo eidem collatae sunt. Priusquam vero utramque potestatem ecclesiae vindicemus, praemittimus nos hic loqui de *jure*, non autem de *praxi* utriusque potestatis. Ad praxim enim quod spectat, novimus plures factas esse a s. Sede conventiones cum diversis seculi principibus ad quaevis in earum exercitio jurgia tollenda. Cum praeterea potestas coactiva non modo complectatur poenas spirituales sed afflictivas etiam et corporales, perinde est sive ecclesia eam exerceat immediate per se, sive per principes laicos; imo addimus ecclesiam quoad earum irrogationem diversa ratione et gradu pro tem-

(1) Cum enim P. La Borde oratorianus librum edidisset cui tit. *Principes sur l'essence, la distinction, et les limites des deux puissances spirituelle et temporelle*, proscriptus iste fuit decr. v. Aug. 1753. *a congreg. ss. Inquisitionis*. Nihilominus jansenianorum zelo et industria hic liber non solum saepe in Galliis recusus est, sed praeterea in linguam polonicam conversus, magno illius regionis detrimento diffundebatur. Quapropter Benedictus XIV. litteris suis sub diem 4. Mart. 1755. excitat vigilantiam praesulum illius regni « adversus vaniloquos et seductores, ut ipse loquitur, docentes quae non oportet, qui constitutos a Deo civilis potestatis fines amplificare et transire moliuntur, ecclesiae vero jura coarctare, imminuere, atque convellere student; et divinis humana miscentes imperium et sacerdotium seditiose committunt ». Ita quidem Pontifex § 3.: in § *autem* 1. loquens de libro ipso eum traducit uti « pravum ac perniciosum systema jampridem ab apostolica sede, praesertim vero a Joanne XXII. praedecess. nostro, constit. incip. *Licet juxta doctrinam*, reprobatum, ac pro *haeretico* expresse damnatum, fallacibus ratiunculis, fucatis et ad religionem compositis verbis, contortisque scripturarum et patrum testimoniis, impudens scriptor obtrudit, quo simplicibus et minus cautis facilius imponat ».

porum, locorum ac rerum adjunctis sese gessisse (1). His praemissis sit

PROPOSITIO

Ecclesia divinitus accepit potestatem independentem atque supremam sanciendi per leges exteriorem disciplinam, cogendique fideles ad earum observationem, et coërcendi salutaribus poenis devios et contumaces

415. Tres partes habet propositio, nimirum 1. ecclesiam a Deo accepisse *potestatem sanciendi per leges exteriorem disciplinam*; 2. hanc potestatem in ordine suo *independentem* esse atque *supremam*; 3. eandem esse *coactivam*. Cum vero arctissimo nexu sint ejusmodi partes inter se consociatae, ideo per modum unius sic illas evincimus.

416. Ecclesia divinitus instructa est potestate independente atque suprema condendi leges disciplinares, eaque coactiva, si id exigat ipsa ecclesiae constitutionis natura prout a Christo instituta est; et praeterea ex Christi ordinatione ejusmodi potestatem jugiter exercuerint apostoli eorumque successores. Atqui.

417. Sane juxta hactenus vindicata, Christus ecclesiam suam veluti societatem in ordine suo perfectam, proprie dictam et externam constituit, in qua alii praeessent, subessent alii; hanc suam societatem *regni* nomine passim insignivit; instruxit demum eos quos huic suae societati seu regno praefecit illa omni auctoritate quae ad eam recte regendam et gubernandam necessario requiritur, subditis vero seu membris ejusdem societatis mandatum dedit se subjiciendi superioribus ac praepositis suis, eosque audiendi perinde ac si semetipsum audirent. Jam vero perfectae ac visibilis societatis natura postulat, ut qui praesunt ea decernant quae ad bonum ejusdem regimen necessaria sunt pro variis temporum, locorum, rerumque adjunctis; quaeque pro adjunctorum varietate augeri, mutari, atque etiam abrogari debent ut faciliorem efficiant principiorum essentialium ipsius societatis observationem, eorumque veluti sepem, custodiam ac munimentum, ut ita loquar, constituunt. Hoc sane cernimus in omni rite instituta civili societate, in qua praeter regni aut status leges fundamentales, aliae plures adjiciuntur quas praesens opportunitas exigit. Porro sine potestate legislativa eaque obligatoria et coactiva, quae propria sit praesidum ipsius societatis, haec nec esse nec intelligi possunt. Auctoritas enim et subjectio duae sunt ideae relativae, uti pariter relativae sunt lex et sanctio, adeoque et coactio. Lex siquidem sine sanctione, sanctio sine vi coactiva subsistere nequeunt in praesenti rerum ordine. Quorsum vero Christus hujus societatis institutor et auctor eidem superiores et praesides sine auctoritate praefecisset? quorsum subditis obedientiam et subjectionem erga superiores suos commendasset ac praecepisset, si praepositi nihil ad

(1) Hic porro detegenda est illorum fraus, qui ut odiosam ecclesiae coactivam potestatem efficiant, eam ita referunt perinde ac si illa semper prae manibus ferrum et ignem gereret. Quae agendi et loquendi ratio quam calumniosa sit et injuriosa ecclesiae, nemo est qui non videat. Attamen immunem a putida hac calumnia se non servavit pseudo-synodus pistoriensis, quae cum in rerum indice posuisset: « La chiesa non ha forza coattiva », remittit lectorem ad pag. 81. ubi legitur: « La mente non si persuade colla sferza, ed il cuore non si riforma colle prigionie e col fuoco ». Quasi nempe ecclesia hisce mediis in exercitio potestatis suae coactivae uteretur.

subditorum, imo et ad ipsius societatis bonum constituere possent, nec illos cogere ad ea quae sancita sunt custodienda, aut illos salutaribus poenis mulctare qui sese contumaces exhibuerint? Haec omnia ab ipsa societatis notione, ac multo magis ab idea societatis perfecte adeo constitutae, cujusmodi est Christi ecclesia (1), prorsus abhorrent.

418. Reipsa Christus Matth. ult. sic apostolos suos affatur: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, euntes *ergo* docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis (2) ». Divinitus igitur tenent apostoli auctoritatem de iis quae et credenda erant a fidelibus atque servanda. Hanc potestatem sibi a Christo tributam Apostolus vindicat dicens: « Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, *quam dedit nobis Dominus* in aedificationem, et non in destructionem, non erubescam (3) »: coactivam autem esse quam sibi vindicat potestatem, liquet ex iis verbis quae paulo post subdit: « Praedixi et praedico, ut praesens, et nunc absens iis qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus (4) »? Hinc Act. XX. idem Paulus praesulibus ajebat: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos *regere* ecclesiam Dei ». Ecclesia igitur praedita est potestate gubernandi gregem sibi commissum: atqui recti regiminis ratio postulat potestatem imperandi, ordinate disponendi, exteriorem disciplinam constituendi, eamque legibus sanciendi: notum quippe est, inquit Gerdilius, Christum ecclesiam visibilem fundasse visibilibus officiis administrandam, cujus proinde potestatis ministerium spirituale dicitur, non quod externam actionem excludat, sed quod ad finem spiritualem dirigat (5).

419. Apostoli autem ejusmodi *autonomia*, seu potestate legislativa tanquam *propria* juxta Christi institutionem usos esse patet ex eo quod ipsi non pauca praescripserint circa exteriorem disciplinam. In concilio Hierosolymitano collecti statuerunt politiam externam quoad legales ceremonias, et legem abstinendi a sanguine et suffocato. Paulus I. Cor. VII. indixit modum quo ineunda essent fidelium conjugia cum infidelibus, et ibid. XI. quomodo decenter cogendi essent publici fidelium conventus, aliaque

(1) Cum propterea M. Ant. De Dominis hanc propositionem emisisset. « Qui de republica ecclesiastica sicut de puris humanis philosophantur, mihi videntur non parum a recto tramite aberrare: non modo quia in ea requirunt veram jurisdictionem externam, ubi tamen omnis gloria ejus ab intus etc. ». Facultas theologica Parisiensis an. 1617. eam hac censura notavit: « Haec propositio, qua parte veram jurisdictionem, id est, vim coactivam et subjectionem externam ecclesiae denegat, est haeretica, et totius ordinis hierarchici perturbativa, atque confusionem babylonicam in ecclesia generans ».

(2) Matth. ult.

(3) II. Cor. X. 8.

(4) Ibid. XIII. 2. 3.

(5) Cf. in *Saggio d' instruzione teologica*. *De locis theologicis* art. *Connessione de' tre primi luoghi teologici, scrittura, tradizione e chiesa*. Opp. ed. rom. tom. X. nec non in op. *Esame de' motivi della opposizione fatta da monsignor vescovo di Noli alla pubblicazione della bolla AUCTOREM FIDEI*. Part. II. art. XVI. opp. cit. ed. tom. XIV. et in opusc. *Catholici dogmatis de immuni ecclesiae auctoritate in sanciendis disciplinae legibus*. *Documenta ab oecumenica synodo Tridentina petita*. Opp. tom. XV.

exterioris disciplinae capita oretenus stabilienda, subdens: « Caetera autem, cum venero, disponam (1) ». Instruxit praeterea Timotheum ac Titum in epistolis ad eos datis qua ratione gerere se deberent circa episcoporum, diaconorum et viduarum electionem, arcetque neophytos ac bigamos ab ordinationibus sacris. Absurdum autem et absonum est vel suspicari, apostolos disciplinares has leges constituisse ex principum seculi auctoritate, venia, aut dependentia (2).

420. Quod si haec legislativa potestas a Christo collata fuit apostolis in ecclesiae suae utilitatem, patet ad eorum successores transfundi debuisse. Profecto, si viventibus adhuc apostolis pro multiplicata fidelium copia, et aucta et mutata fuit disciplina, quanto magis post tot discrimina rerum usque ad seculi consummationem augeri, variarique debuit, atque debebit?

421. Hinc factum est, ut post apostolorum mortem tum a rom. Pontificibus, tum a conciliis editae semper fuerint constitutiones disciplinares, quas a sola auctoritate ecclesiae tanquam a legitimo fonte et originario jure promanare affirmat s. Augustinus (3). Quo namque tendit ecclesiae disciplina, nisi vel ad exteriorem religionis cultum, vel ad morum sanctitatem? Atqui utrumque objectum cum suis subdivisionibus paulo ante expositis immediate et natura sua ad finem spiritualem dirigitur; ergo pertinet ad solum ecclesiae forum. Quapropter sic s. Ambrosius alloquebatur Valentinianum imperatorem: « Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quae divina sunt, imperiale aliquod jus habere . . . ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiae (4) »: atque magnus Hosius cordubensis ita ad imperatorem Constantium scribebat: « Ne te rebus misceas ecclesiasticis: neu nobis his de rebus praecepta mandes; sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias: ***Reddite,*** scriptum est, ***quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.*** Neque nobis igitur terrae imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem (5) »; sic reliqui patres passim. Omnium autem manibus teruntur constitutiones Pontificum, et acta conciliorum ejusmodi legibus disciplinaribus referta

(1) I. Cor. XI. 34.

(2) Hinc merito s. Thomas 3. P. q. 83. art. 3. agens de ritibus ab ecclesia praescriptis in divinorum mysteriorum celebratione scribit: « Quod ea quae per ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur » et art. 5. « Sed in contrarium est ecclesiae consuetudo, quae errare non potest, utpote a Spiritu S. instructa ».

(3) In duabus epist. ad Januarium quae in edit. Maur. sunt LIV. et LV. quae ambae sunt de eodem argumento, nempe de disciplina et ritibus ab ecclesia institutis.

(4) Epist. XX. n. 16. ed. Maur.

(5) In Epist. Hosii ad Constantium imp. apud s. Athanas. in *Historia Arianorum* n. 44. Μὴ τίθει σεαυτὸν εἰς τὰ ἐκκλησιαστικά, μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παρακέλευσον· ἀλλὰ μᾶλλον παρ' ἡμῶν σὺ μάνθανε ταῦτα. σοὶ βασιλείαν ὁ θεὸς ἐνεχείρισεν, ἡμῖν τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπίστευσε· καὶ ὥσπερ ὁ τὴν σὴν ἀρχὴν ὑποκλέπτων ἀντιλέγει τῷ διαταξαμένῳ θεῷ· οὕτω φοβήθητι μὴ καὶ σὺ τὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς ἑαυτὸν ἕλκων, ὑπεύθυνος ἂν γένοιο ἐγκλήματι μεγάλῳ· ἀπόδοτε, γέγραπται, τὰ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ· οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν, οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾷν ἐξουσίαν ἔχεις. Edit. Maur. opp. tom. I. P. I. pag. 371.

cum poenae comminationibus in transgressores propria auctoritate datis, quin eas heic exscribere debeamus (1).

422. Constat igitur quod probandum assumpsimus tum ex ipsa ecclesiae constitutionis natura, tum ex apostolorum eorumque successorum jugi ac continenti praxi, seu perpetuo usu et exercitio, ecclesiam divinitus accepisse potestatem independentem atque supremam sanciendi per leges exteriorem disciplinam, cogendique fideles ad earum observantiam, necnon coërcendi salutaribus poenis devios et contumaces.

423. Nunc vero coronidis gratia adjicimus non aliunde originem traxisse contrariam doctrinam quam ex praepostero protestantium systemate de identitate status et ecclesiae, ita ut ille ipse qui moderaretur res civiles moderaretur res ecclesiasticas, essetque simul summus pontifex et imperator. Hoc principium quod servos fecit ac territoriales coetus protestantes primum coepit in Germania, propagatum deinde est in Angliam, ac Russicum imperium ubi ad principis nutum ac voluntatem omnia pendent quae ad negotia religiosa spectant (2). Exinde regalistae catholici et aulici ministri non pauci sua dictamina hauserunt quibus subjiceretur civili potestati ecclesiastica libertas, frustra reclamantibus adversus ejusmodi impietatem, qua hoc fidei dogma evertitur, romanis Pontificibus una cum ecclesiae universae praesulibus ob ingentia mala, quae ex hac agendi ratione profluunt in ejusdem ecclesiae detrimentum (3).

(1) Cf. Gerdil. opp. citt. praesertim in *Esame, etc.* et *Catholici dogmatis, etc.* In priori siquidem opere l. c. id ostendit ex *Canonibus Apostolicis*, et *Constitutionib. Apostol.* in quibus collecta sunt tribus prioribus ecclesiae saeculis sancita; idque pariter demonstrat ex institutione poenitentiae canonicae, ex occasione novatiani schismatis, etc. In posteriori autem id ipsum evincit ex undecim canonibus conc. Tridentini, necnon ex statutis ejusdem concilii circa reformationem; ex quibus omnibus luce ipsa meridiana clarius constat, ecclesiam quovis tempore agnovisse et exercuisse potestatem sibi a Christo collatam supremam, independentem et coactivam in legibus disciplinaribus sanciendis.

(2) Optime in hanc rem ajebat non ita pridem D. Saint-Marc Gerardin; unionem, seu potius identitatem ecclesiae ac status civilis constituere principium protestans. Separatio potestatis temporalis a potestate spirituali videtur protestantibus paradoxum, ac malum periculo plenum. Unitas status est ipsorum pulchrum ideale in politica. Hac ratione instituta est reformatio quae divisit se ac subtraxit a potestate ecclesiae romanae. Verum hoc ab ipsis effectum est, ut se subjicerent potestati temporali. Contra vero principium catholicismi est omnino diversum ac plane contrarium; neque admittit ejusmodi status unitatem quam adeo suspiciunt ac deperiunt nonnulli juris publici scriptores protestantes. Juxta catholicos duae sunt potestates, duae supremae auctoritates; potestas scilicet spiritualis ac potestas temporalis; corpus et anima, actio et cogitatio. Independentia ecclesiae catholicae *personificatur* in Pontifice, principe independenti ac supremo, qui ex sede romana ubi residet imperat omnibus conscientiis catholicis. Gubernia protestantia nequeunt se accommodare ideae, quod non possint ex proprio arbitratu disciplinam ecclesiae mutare, ac reperiatur in ipsorum statu lex quae ab ipsis non pendeat, potestas a sua distincta. Principium catholicum pro nobis est verum fundamentum civilis culturae *(civilizationis)*, quoniam ipsum est defensio ac tutela dignitatis humanae. Ita in *Journal des Débats* 22. Juil. 1838.

(3) Tendunt enim haec omnia a protestantibus invecta ad ecclesiae catholicae destructionem, et ad hoc ab ipsis fuerunt ordinata. Semel enim ac tollitur ab ecclesia libertas qua divinitus gaudet, fit ut rom. Pontifex nullam amplius in catholicos in illorum regionibus con-

DIFFICULTATES

424. I. Obj. 1. Apostolorum et synodorum decreta ante Constantinum promulgata ad eam disciplinae partem spectant, quae ecclesiae constitutioni est essentialis et fidei christianae ita est adnexa, ut inde separari nequeat. 2. Idque ex ipsa institutione Christi, qui professus est se non venisse legem solvere, sed adimplere, porro exploratum

stitutos exercere possit auctoritatem, nec abusus corrigere, nec devios ad sanam frugem revocare, nec observationem canonum ac disciplinae urgere, ac pessimi homines, qui numquam desunt, hac immunitate freti omnia pervertunt. Episcopi ad miseram servitutem redacti nedum quidpiam in bonum animarum statuere possint, impediuntur quominus vel ipsas pastorales instructiones absque politiae praevia revisione ac placito aut recitare aut publicis typis vulgare queant. Nequeunt ordines cuipiam conferre absque praevio gubernorum placito, ut innumera pene ejusmodi alia mala silentio praeteream, quae notissima sunt ex publicis documentis.

Ne vero haec nimis exaggerata videantur afferam quae leguntur in art. *Etat du catholicisme dans le royaume de Wurtemberg extrait de la Revue européenne*, juin. 1833. « En 1818., plusieurs députés et conseillers de princes protestans de l'Allemagne, entr' autres de Wurtemberg, de Bade, de l'électorat et du grand duché de Hesse, de Nassau, du Mecklembourg, de Weimar, des duchés de Saxe, d'Oldembourg, de Waldek, et des villes libres de Lubeck, Brême, et Francfort-sur-le-Mein, se réunirent dans cette dernière ville, sous la présidence du ministre Wurtembergeois Wangenheim assisté de M. le doyen Jaumann, pour délibérer sur les affaires de l'église catholique en Allemagne et fixer les bases de son organisation. Voici les points principaux sur lesquels on tomba d'accord : 1. L'église catholique sera réduite aux droits qui découlent de ses principes *essentiels*. Or, dans l'esprit de la conférence, les principes *essentiels* devaient être tirés, non du droit canonique, mais des droits *rationels*, naturels et publics de l'état et de l'eglise, tels qu'ils sont imaginés par les protestans, le tout d'après son système territorial et épiscopal et conformément aux doctrines de Febronius. 2. Les conclusions du concile de Bâle et les ordonnances du droit ecclesiastique autrichien, celles surtout de l'empereur Joseph II. 3. La libre communication avec Rome sera tout-à-fait supprimée. 4. L'évêque n'aura qu'une influence extrêmement générale et indéterminée sur les écoles inférieures et supérieures confiées exclusivement à l'état. Même, dans les établissemens d'instruction théologique, on ne laissera à l'évêque qu'une très faible part d'action : et, pour ce qui regarde les séminaires, ses mains seront complètement liées. 5. Le patronage des cures et des bénéfices, conformément au système territorial protestant et en conséquence du principe : *Cujus est regio, illius est religio*, sera dévolu au seigneur du pays. 6. Il est accordé au prince, en cette qualité, une si grande influence sur la nomination des évêques, des curés et de chanoines, et sur la composition essentielle du chapître, que la véritable liberté de l'église ne peut réellement se concilier avec cet état de choses. 7. Pour ce qui est des mariages mixtes, de la rupture du lieu et de l'éducation des enfans issus de ces mariages, on a fait prévaloir des principes diamétralement opposés à la doctrine et la discipline générale de l'eglise. Bref, ce qui ressort de cette conférence, c'est un esprit de mesquine police ecclesiastique et d'empiètement sans fin de la part du gouvernement, c'est l'*incorporation* de l'église à l'état avec des garanties d'une souvraine indignitè au profit de celui-ci, particulièrement la *liberté du mariage* pour les ecclesiastiques avec laquelle on se flatte d'asservir complètement le clergé ». Quomodo vero adnisi sint protestantes haec

est in veteri lege utramque potestatem civilem et sacram fuisse conjunctam. 3. Hinc Apostolus, Rom. XII, 1. commendat obedientiam sublimioribus potestatibus, id est principibus, qui ideo appellantur *sublimiores* potestates, quia eorum auctoritas aliam quamcumque praetergreditur; 4. quare idem Paulus ad Caesarem appellavit. Ergo.

425. Resp. ad 1. *N.* Quid enim commune habent apostolorum leges de abstinentia a sanguine et suffocato, de non admittendis ad sacram ordinationem neophytis et bigamis, de silentio mulierum in ecclesia, de velando earumdem capite, aliaeque ejusmodi, cum essentiali ecclesiae constitutione, aut fide christiana? Id ipsum dicatur de poenitentiis canonicis sec. ecclesiae secundo labente, aut initio seculi III. ab ecclesia praescriptis. Quae leges si ecclesiae constitutioni essentialiter connecterentur et fidei catholicae, nulla unquam data fuisset ab ecclesia dispensatio, multo vero minus abrogatae fuissent (1).

426. Ad 2. *N.* Componi enim nequit ejusmodi doctrina aut cum allatis Christi et Pauli verbis, aut cum apostolorum praxi a quibus solis ordinata est disciplina, nullo prorsus adhibito principum subsidio, immo repugnantibus immaniter seculi potestatibus. Componi praeterea nequit cum adductis patrum testimoniis, quibus adjicimus s. Athanasium sic interrogantem Constantinum imperatorem: « Quandonam ecclesiae decretum ab imperatore accepit auctoritatem (2)? »; s. Jo. Damascenum, qui ita alloquitur Leonem Isauricum: « Tibi parebimus, o imperator, in his quae ad hujus seculi negotia pertinent... Verum ad res ecclesiae statuendas pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque instituta ecclesiastica tradiderunt (3) »; componi denique nequit cum iis, quae in oecumenico concilio Chalcedonensi ad patres dixit Marcianus imperator: « Decorum est a vobis haec regulariter (disciplinae negotia) potius formari per synodum, quam lege nostra sanciri (4) ».

executioni mandare cf. ibid. His basibus innixae prodierunt constitutiones variae illis in regionibus. Attamen non pauci qui se dicunt catholicos illis se conjungunt ad perniciem animarum et destructionem ecclesiae catholicae. Vere hic libet illud regii Psaltis ingeminare « *Filii matris meae pugnaverunt contra me* ». Notandum tamen hic est novum Borussiae regem ingenti bonorum omnium laetitia non parum ab his principiis recessisse.

(1) Ut quisque certior eorum fiat quae hic asserimus, satis ei erit oculos conjicere in indicem capitum octo librorum *Const. Apostolicar.* apud Cotelerium tom. I. In illis deprehendet innumera prope sancita fuisse quae ad essentialem ecclesiae constitutionem pertinere, aut a fide christiana inseparabilia esse nemo nisi amens affirmaverit. Exemplo sunto ex lib. I. cap. III. VI. X. ex lib. II. cap. XX. XXI. XXV. XXVIII. XXXV., etc. quorum pleraque tractu temporis abolita sunt.

(2) Πότε γὰρ κρίσις ἐκκλησίας παρὰ βασιλέως ἔσχε τὸ κύρος; In cit. Hist. Arian. n. 52. pag. 376.

(3) Orat. II. *De imagin.* n. XII. Ὑπεικομέν σοι, ὦ βασιλεῦ, ἐν τοῖς κατὰ τὸν βίον πράγμασι. ἐν δὲ τῇ ἐκκλησιαστικῇ καταστάσει, ἔχομεν τοὺς ποιμένας, τοὺς λαλήσαντας ἡμῖν τὸν λόγον, καὶ τυπωσαντας τὴν ἐκκλησιαστικὴν θεσμοθεσιαν. Opp. ed. Le-Quien, tom. I. pag. 336. Plures alias ejusmodi s. Jo. Damasceni in hanc rem sententias in hoc eodem paragrapho videsis.

(4) Apud Harduinum *Acta conc.* tom. II. col. 487. cf. ibid. tom. V. col. 920.-921. celebrem allocutionem quam habuit imperator Basilius in VIII. concil. oecum. Constantinopolit. ubi inter cetera haec protulit: « Quamquam datum non sit istis (laicis) secundum canonem dicendi quidpiam de ecclesiasticis causis: opus enim hoc pontificum et sacerdotum est, etc. ».

427. Quamvis igitur verum esset, quod tamen falsum est (1), in veteri synagoga obtinuisse ut reges jus haberent in sacra; in lege evangelica iis standum est quae a Christo Domino sunt praescripta. Dum autem Christus professus est se non venisse legem solvere, loquitur de praeceptis moralibus, ut constat ex tota orationis serie.

428. Ad 3. *D.* Imperavit Apostolus obedientiam principibus in negotiis civilibus, *C.* in negotiis ecclesiasticis *N.* De his enim ne verbum quidem edicit in adducto textu. Nemo porro qui insanire nolit civilem ac politicam potestatem ecclesiastica nobiliorem esse, affirmare potest. Si enim utriusque objectum et finis perpendatur, liquet manifeste ecclesiasticam civili longe praestare. Vox autem illa comparativa *sublimioribus* haud significat comparationem referendam esse ad ecclesiasticam potestatem de qua, ut diximus, nulla ibi mentio fit, sed ad potestates, seu potius ad homines potestate civili praeditos inter se. Accedit quod graecus textus ὑπερεχούσαις non praeseferat sensum comparativum, sed positivum *sublimibus*, vel ad summum *valde sublimibus*, in excelsiori statu constitutis (2).

429. Ad 4. *D.* Apostolus appellavit ad Caesarem, quia falso accusatus erat de delicto civili et politico, nempe de seditione, *C.* ob negotium ecclesiasticum *N.*

430. II. Obj. Disciplina exterior pertinet ad politicum reipublicae ordinem, ad hominum scilicet actiones, quatenus cives sunt, atque ad res temporales et sensibiles, propterea a reipublicae magistratibus et imperatoribus moderandas. 2. Quare videmus concilia quamplura in antiquitate etiam generalia ad imperatores propria acta transmisisse, ut ab iis confirmarentur. 3. Quid? quod codices Theodosianus et Justinianeus, nec non statuta Francorum regum plura constituant ad res disciplinares pertinentia, et ea confirment quae in conciliis edita prius fuerant decreta, episcopis non solum probantibus, verum etiam expostulantibus? 4. Notum denique est et pervulgatum imperatorem Constantinum se ipsum dixisse *episcopum externum*, ac nonnullos imperatores aut reges vel a rom. Pontificibus vel a conciliis vocatos fuisse *sacerdotes*, *ecclesiae rectores*, *pontifices* etiam; qui propterea 5. teste Thomassinio aliisque scriptoribus catholicis regiam potestatem exercuerunt *superintendentiae* in negotiis et decretis ecclesiasticis, in condendis legibus disci-

(1) Cf. Salvador: *Hist. des institut.* de Moïse. Paris 1828. tom. I. liv. II. ch. 1. *Magistrature sacerdotale* pag. 129. seqq.

(2) Cf. Estium in hunc loc. Hic me cohibere non possum ab afferendis quae praeclare in hanc rem scribit Hurter protestans in vita Innocentii III. lib. XIV. ed. cit. tom. III. pag. 3. « Dans tous les temps où les persécutions ont été les plus cruelles, elle (l'église) a trouvé des hommes, qui ne tremblaient pas de braver la rage des vagues et les dangers les plus menaçans pour la gloire du Seigneur et l'utilité de la chrétienté; elle compte tant de personnages sublimes qui ont été plus distingués par la dignité de leurs sentimens, que par l'éclat extérieur qu'ils recevaient de leurs fonctions pastorales! La liberté intérieure de la conscience s'arme de ces paroles de l'Apôtre : *Il faut plutôt obéir à Dieu, qu'aux hommes* : ce sont *de lâches serviteurs* qui se servent comme d'un bouclier commode, de l'extension qu'ils savent donner dans toutes les circonstances à ces autres paroles : *Que tout le monde soit soumis à l'autorité* »; prout se gesserunt episcopi praevaricatores Angliae, cum Henricus VIII. his verbis abuteretur, atque semper aulici se gerunt, quoties se tulerit occasio.

plinaribus, corrigendis abusibus, decernendis ritibus sacris, etc. (1). Quae omnia aperte ostendunt negotia disciplinaria subjici natura sua principium auctoritati, aut saltem ecclesiae in his potestatem absolutam non esse atque supremam, sed omnino dependentem a civili regimine. Ergo.

431. Resp. ad 1. *N.* Ut enim imbecillitas propositi argumenti patefiat, satis est animadvertere, quod si ideo exterior disciplina ad principes pertinet, quia in politicum regimen nimis influit, et in status utilitatem, nullus ergo erit in religione, inquit card. Gerdilius (2), ritus tam sacer, nulla tam religiosa functio, nullum sacerdotale munus et officium, de quo eam ob causam, quod externam actionem, atque veluti materiam requirant, nequeat seculi potestas decernere, suoque examini ac judicio vindicare. Res omnes spirituales, ipsa fidei et morum doctrina in potestatis civilis arbitrium rejiceretur, quia potestas ecclesiastica nequit agere quoad haec objecta, nisi ope externi et sensibilis ministerii, suaque decreta et judicia exteriores et sensibiles civium operationes respiciunt. Haec obtendentes magistratus civiles jure evertere possent omnia Deo dicata templa, quia ex lignis construuntur atque lapidibus, omnes interdicere religiosos conventus, dies festos, totumque divini cultus exercitium, quoniam et animo et corpore exhibentur actus religiosi. Omnia denique juris erunt civilis magistratus, cum in hac adspectabili rerum universitate, quod sit mere spirituale, nihil omnino existat. Si civilis potestas totam disponere potest exteriorem disciplinam, quae mutabilis est, salva substantiali religionis integritate, principes ergo possent se eximere ab observatione praeceptorum ecclesiasticorum, praescripti jejunii, abstinentiae ab esu carnium, annuae confessionis, sacrae synaxis in paschate recipiendae, aliorumque ejusmodi; possent in ditione sua novum condere disciplinae codicem, conjugium permittere clericis majoribus, indicere communionem sub utraque specie, mutare liturgiam prout reges anglicani, qui sibi primatum in ecclesia usurparunt, per summum nefas praestiterunt; qua in hypothesi totidem fierent ecclesiae territoriales qualis evasit reipsa sic dicta ecclesia anglicana. Quae omnia et singula absurda esse nemo est qui non videat, nec ab ipsis denegatur adversariis; imo neque a protestantibus ac projectis rationalistis, parum tamen sibi suisque principiis cohaerentibus (3).

(1) Ita Palmer op. cit. pag. 461. seqq.

(2) Cf. op. cit.

(3) Sane Melanchthon in *Exam. ordinandorum:* » Non condant, inquit, magistratus dogmata in ecclesia, nec instituant cultus ». Magdeburgenses Centuriatores apud Duwalium pag. 357. scribunt: » Sint sane magistratus membra ecclesiae, flagrent magno zelo pietatis, sed non sint capita ecclesiae, quia ipsis non competit iste primatus ». Et clarius adhuc Musculus in *Luc. communib.* cap. de *Magistrat.* sect. ult. « Haec, inquit, constitutio disciplinae ecclesiasticae per principes nihil aliud esset, quam versionem facere, et arbitrariam religionis constituendae potestatem Pontificum magisterio ereptam magistratibus adsignare ». Demum, ceteris omissis, Wegscheider ipse § 183. scribit, quod « Reformatores . . . . ecclesiae ipsi facultatem tribuerunt, minime vero cum civili potestate, quae ad justitiam externam spectat, commiscendam, tum ministros . . . vocandi, eligendi, et ordinandi, tum caeremonias atque ritus, sicut omnem disciplinam ecclesiasticam ad Evangelii praecepta temporumque rationes immutandi », et in not. (*L*) refert artic. Smacald. » Evangelium tribuit his, qui praesunt ecclesiis, mandatum docendi evangelii,

432. Ad 2. *D.* Quamplura concilia acta sua miserunt ad imperatores ut confirmarentur in ordine ad eorum custodiam et executionem, *C.* in ordine ad intrinsecum robur ac firmitatem iis tribuendam *N.* Ideo enim interdum potestas civilis canonicis sanctionibus adjecta est, non ut istis vim conferret obligandi fideles, qua ex semetipsis carerent, verum ut canonum custodiam confirmaret transgressores puniendo, uti declaratur in capitulari Childeberti regis: « Ut plebs, quae sacerdotis praecepta non ita ut oportet custodit, nostro etiam corrigatur imperio (1) ». Quod pariter liquet ex celebri Valentiniani III. Novella in qua legitur: « Erat quidem ipsa sententia per Gallias, etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis (Leonis M.) auctoritati non liceret? Sed nostram quoque praeceptionem haec ratio probavit ... nec usquam alteri ecclesiasticis rebus arma miscere aut praeceptis romani Antistitis liceat obviare (2) ». Atque hac de causa principes pro synodalium constitutionum confirmatione concilia et episcopi nonnumquam rogarunt. Sane conciliis oecumenicis pene omnibus efflagitantibus, principes ad tuenda dogmatica decreta, atque ad haereticorum compescendam audaciam edicta promulgarunt; num igitur ipsorum pariter erit dogmaticas sancire definitiones? Quapropter eadem ratione qua nonnisi principum tutelae fuerunt dogmatica decreta subjecta, sic eorumdem tantum tutelae ac patrocinio commendatae sanctiones disciplinares fuerunt (3).

433. Ad 3. *D.* Ita tamen ut codices illi atque statuta omnem obligandi vim a canonicis sanctionibus derivaverint, *C.* per se *N.* Ut enim observat vel idem Nat. Alexander, eatenus constitutiones illae imperiales valuerunt, quatenus sacris canonibus consentiebant (4); quare ab

remittendi peccata, administrandi sacramenta, praeterea jurisdictionem, videlicet mandatum excommunicandi eos, quorum nota sunt crimina, et resipiscentes rursum absolvendi. Ac liquet hanc potestatem jure divino communem esse omnibus qui praesunt, sive vocentur pastores, sive presbyteri, sive episcopi ». Quam male isti sibi cohaereant patet ex iis quae de protestantium systemate scripsimus cum ageremus de *ecclesiastica hierarchia*.

(1) Tom. I. *Capitul.* pag. 6.

(2) Inter epist. s. Leonis edit. Ballerinior. ep. XI. pag. 643.

(3) Cf. Zaccaria in op. cit. *Comandi chi può*, ec. pag. 156. seq. ubi quamplurima exhibet ejusmodi documenta. Alia pariter cf. apud Gerdilium in *Trattato del matrimonio*. Opp. ed. rom. tom. XV. pag. 190. seqq.

(4) *Hist. eccles.* sec. VI. cap. VII. art. II. *De Justiniano*, ubi in primis observat, in hunc imperatorem injurios se praebere, qui assererent ipsum ecclesiae auctoritatem sibi usurpasse. Veteres enim canones renovavit dumtaxat, aut legibus suis velut quibusdam supplementis interpretatus est, novas ecclesiae regulas non praescripsit. Id unum quippe fuit ejus consilium, ut vetustatis vindicem, atque ecclesiasticae disciplinae assertorem se praestaret, ut ipse profitetur in rescripto ad Dacianum africanum episcopum, concilii Byzaceni caput. « Semper, inquit, nostrae serenitati cura fuit servandae vetustatis, maxime disciplinae, quam numquam contempsimus, nisi et in melius augeremus . . . . quia constat esse caelitus constitutum quidquid apostolica decernit auctoritas . . . Nos tutores sumus vetustatis, et vindices ». Quae igitur de causis ecclesiasticis instituit Justinianus, vel e canonibus, vel e moribus in ecclesia receptis hausta sunt, ut testatur ipsemet pluribus in locis, praesertim in Novella LXXXIII. ubi: « Si vero, inquit, ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione ecclesiastica et mulcta, Deo amabilis episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciae judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles

iisdem imperatoribus, praesertim vero Theodosio, nonnullae leges retractatae sunt tamquam et sacris canonibus et clericali dignitati detrahentes; quod si aliae vim obtinuerunt, id factum est postquam ecclesia eas adoptavit ac suas fecit. Quod vero spectat ad leges ecclesiasticas, quae in regum Francorum capitularibus occurrunt, et sub Caroli M. nomine circumferuntur, non a laica, sed *ab episcoporum auctoritate* latae fuerunt, testante eodem Carolo M. ubi ait: « Aliqua capitula quae magis vobis (episcopis) necessaria videbantur subjunximus ». Loquens autem de quibusdam disciplinae legibus haec habet: « Ista vero omnia, quae vires nostras excedunt, in judicio episcoporum juxta canonicam sanctionem definienda reliquimus »; « Nec enim, subdit Nat. Alexander, auctoritatem leges mere ecclesiasticas ferendi sibi arrogavit rex maximus, sed earum executionem imperavit (1) ».

434. Ad 4. *D.* In ordine ad defensionem externam ecclesiae, *C.* in ordine ad potestatem in ecclesiam exercendam *N.* Mirum est quam abusi fuerint aulici scriptores festivo ejusmodi dicto, quod Constantinus inter epulas per jocum protulit! Non aliud effato illo piissimus imperator significare voluit, quam quod episcopi ad bonum ecclesiae constituissent, ipse velut ecclesiae defensor adniteretur executioni mandare (2); aut

judices secundum sacras et divinas regulas, *quas etiam nostrae sequi non dedignantur leges* »: pergit deinde ostendere, quod, si quas novas imperator leges tulit de ecclesiastica disciplina, vim illae nullam habuerint, nisi quia ab ecclesia receptae et approbatae fuerunt. Quod porro dictum est de Justiniano idem dici debet de imperatoribus qui eum praecesserunt aut subsecuti sunt, aeque ac de legibus francorum, longobardorum, aliorumque, prout fuse ostendunt Gerdilius et Zaccaria. Opp. et ll. citt.

(1) *Hist. eccl.* sec. VIII. cap. VII. art. VIII. *De Carolo M.*

(2) En quomodo rem totam referat Eusebius lib. IV. *De vita Constantini*. Cum praemisisset cap. XXIII. legem eum dedisse ad praesides provinciarum, ut diem dominicam etiam ipsi venerarentur, et dies festos martyrum cum reliquis solemnitatibus, subdit cap. XXIV. « Quocirca non absurde, cum episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque episcopum esse dixit, his fere verbis usus nobis praesentibus; vos quidem, inquit, in iis quae intra ecclesiam sunt, episcopi estis. Ego vero in iis quae extra geruntur, episcopus sum a Deo constitutus. Itaque consilia capiens dictis congruentia, omnes imperio suo subjectos episcopali sollicitudine gubernabat; et quibuscumque modis poterat, ut veram pietatem consectarentur, incitabat ». Quis porro in his non videat piissimum imperatorem nil aliud adductis verbis significare voluisse, quam se effecturum, ut pietas vigeret, et ecclesiae leges servarentur, ac ethnici ipsi ad christianam religionem amplectendam adducerentur? Optime Petrus de Marca in *Concordia sacerdotii et imperii* lib. II. cap. X. n. VII. « Solet, scribit, ad asserendam principibus tuendae ecclesiae auctoritatem proferri celebris illa Constantini ad episcopos oratio, qua illos intra ecclesiam, se autem extra ecclesiam constitutum episcopum dixit apud Eusebium. Sed si haec probatio in tetricum lectorem incideret, reponere posset verbis graecis aliam inesse sententiam, quae ad personas, non ad res ipsas sit referenda; ita ut significetur episcopos eorum curam gerere, qui ecclesiae adscripti fidem christianam profiterentur, se vero gentilium, qui essent extra ecclesiam, saluti consulere, sacrificiis paganorum vetitis, dominicae diei cultu et feriatione praecepta etiam ipsis gentilibus, quemadmodum superioribus et sequentibus capitibus explicuit Eusebius. Quare satius est ab eo argumento abstinere ». Sane graeca verba ita se habent: Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. Cf. etiam Al-

etiam, quod forent episcopi in ecclesiae regimine, idipsum esset ipse quoad politicam et externam auctoritatem. Cetera autem nomina *sacerdotum*, *pontificum*, *ecclesiae rectorum* improprie iisdem interdum tributa fuisse nemo ignorat; atque ita fuerunt principes nuncupati, ob rationem quam s. Leo M. qui ejusmodi titulis Leonem Augustum insignivit, exponit, ad eum adducit, scribens: « Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad ecclesiae praesidium esse collatam: ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas (1) ».

435. Ad 5. *D.* Talem exercuerunt potestatem principes ex jure sibi proprio, teste Thomassino, *N.* testibus aliis scriptoribus catholicis, subd. aulicis et regalistis ecclesiae proditoribus, qui catholici non retinuerunt nisi nomen et larvam, *C.* qui sinceri catholici sint *N.* Etenim ad Thomassinum in primis quod attinet falsum est ipsum tribuere saltem jure proprio principibus ejusmodi potestatem, quae non esset nisi mera usurpatio. Contrarium enim hic auctor affirmat in ipso qui nobis objicitur loco (2); imo animadvertit episcopos in concilio collectos, ne quidpiam detrimenti auctoritas ecclesiastica pateretur sive ex nonnullis non satis accuratis formulis quibus interdum usi sunt Carolus M. et Ludovicus Pius, aliique, sive ex earum abusu, sollicitos fuisse in limitibus civilis potestatis circa res ecclesiasticas stabiliendis. Imo observat patribus minime excidisse illud Isidori Hispalensis episcopi, potestates temporales ecclesiae minus necessarias fuisse si non reperirentur praefractae quidam homines mentis, qui nisi regia potestate frangerentur ad obsequium, numquam animum adducerent episcopis morem gerere. « Ceterum, inquit Isidorus, intra ecclesiam potestates necessariae non essent, nisi ut quod non praevalet sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc imperet per disciplinae terrorem (3) ».

436. Ad reliquos vero auctores quos adversarius catholicos dicit, reponimus ipsos in hac doctrina refragari fidei dogmati de auctoritate divinitus ecclesiae tradita sanciendi leges disciplinares (4),

latium. *De consensu utriusque ecclesiae*, pag. 230. seqq. et Mamachium *Origin. et antiquit. Christ.* tom. IV. pag. 113.

(1) Epist. CLVI. ed. Ballerin. cap. III. Quo sensu pariter conc. Chalcedonense (tom. II. *Act. concil.* Harduini col. 490.) vocavit Marcianum *Sacerdotem et Regem*; et Gregorius II. exhortabatur Leonem Isauricum (apud eund. Harduin. tom. IV. col. 18.), ut esset *Rex et Pontifex*; a concilio vero Moguntino an. 813. apud Hartzeim *Concil. German.* tom. I. pag. 405. vocatur Carolus M. *Rector ecclesiae*, *Rector verae religionis*. Quae quidem aliaque ejusmodi quibus abutuntur adversarii ad eum modum intelligi debent quo interdum fideles vocantur *reges* eo quod scriptum sit: *Fecit nos regnum*; sic reges sunt sacerdotes juxta illud: *Regale sacerdotium*. Porro eadem ratione qua fideles nonnisi improprie dicuntur *reges*, ita nonnisi improprie principes dicuntur *sacerdotes*.

(2) Satis est legere quae scribit Thomassinus loc. cit. § XII. et § XIV. ut quisque sibi persuadeat, numquam in animo habuisse hunc auctorem tribuere principibus spiritualem aliquam jurisdictionem in ecclesiam. « Nec episcopos fefellit, scribit, quo tandem evadere posset haec grandiloquentia Principum alioqui religiosissimorum, et quam distortum in sensum eam verborum gloriam malitiosus, aut imperitus interpres, ubi liberet, deflecteret ».

(3) Ibid. n. XIV.

(4) Cf. Gerdilium opusc. citat. *Catholici dogmatis de immuni ecclesiae auctoritate*, etc.

dum satagunt hanc potestatem ecclesiae eripere eamque in principes seculi transferre. Istorum opera ab ecclesia proscripta sunt: tantum abest ut isti catholici sinceri dici possint, aut ecclesiae catholicae doctrinam et sensum eos proferre (1).

437. III. Obj. 1. Juxta s. Optatum Milevitanum. « Non respublica est in ecclesia, sed ecclesia in republica est (2) »; reipublicae igitur caput disciplinae est moderator. 2. Rom. Pontifex extranea est potestas quoad ditionem non suam, nequit propterea ibi regere disciplinam. 3. Ecclesia saepe abusa est auctoritate sua in legibus disciplinaribus ferendis; possunt igitur imo et debent principes in suis provinciis impedire quominus saltem absque *placito regio* decreta disciplinaria promulgentur, atque vim obligandi habeant; 4. praesertim cum fieri possit, ut spectatis ditionis suae adjunctis, noxia publico bono evadant, ac sint, ut vulgo dicitur, in collisione cum legibus civilibus. Ergo.

438. *R.* ad 1. *N.* conseq. Sensus enim hujus effati quod tantopere extollunt neoterici ac suum effecerunt, apud s. Optatum longe diversus est ab eo quem sibi fingunt. Optatus siquidem, ut verbis utar doctissimi Albaspinaei, voluit dicere, imperatoribus romanis non esse maledicendum, sed pro eis orandum secundum Apostolum, quia quietam magis vitam christiani cum eis agerent, quam cum aliis nationibus, apud quas, quod essent barbarae, non licebat christianos tam quiete vivere. Igitur ***respublica non est in ecclesia:*** est, ecclesiam non facere bella, non leges figere, non populos sub legibus coërcere, non res civiles exercere, et similia: ***ecclesiam*** autem ***esse in republica,*** christianos sub legibus imperatorum vivere, protegi, quietam vitam sub eis, et ex eorum protectione ducere, et similia (3). Sane Optatus explicans semetipsum post recitata verba immediate subdit: « Id est, in imperio romano ». Quod vero spectat ad sensum hujus effati, prout suum effecerunt neoterici, reponimus falsum esse principium quod ab iis assumitur, ecclesiam scilicet supervenisse statui jam constituto, ab eoque ita receptam ut illi dominari possit; siquidem vera religio anterior est omni republica, seu statu ac societate; adeoque ipsa statum in sinum suum recepit, non autem status religionem seu ecclesiam. Ecclesia Christi recepit in se rempublicam quatenus respublica conversa est ex superstitionibus suis ad veram fidem, ac propterea cives ingressi sunt in ecclesiae gremium. Ecclesia et respublica minime spectari debent ut duo status, sed ut anima et corpus ejusdem status et societatis (4); quemadmodum vero corpus non debet dominari in animam, sed potius eidem

(1) Talis est Rechberger in *Enchiridio juris Canonici Austriaci*, quo saepe abutitur Palmer, quod opus ab utraque potestate damnatum est; siquidem a s. Sede in *indicem* librorum prohibitorum est relatum, atque ab Imperatore Austriae eliminatum ab omnibus imperii scholis. Quod vero addit Palmer ex Petro de Marca de Molinaeo, Fouchetio, Pithoeo, Pasquierio, Hormanno, Servino, infideli prorsus ratione ab ipso affertur; nec praeterea animadvertit Petrum de Marca adversus hos opus suum conscripsisse.

(2) Lib. III. pag. 64. edit. Paris. 1631.

(3) In notis ad lib. III. cit. edit. pag. 145.

(4) Sic praeclare scribit s. Isidorus Pelusiota ep. CCXLIV. lib. III. opp. edit. Paris. 1638. « Ex sacerdotio et regno, rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim veluti anima est, hoc velut corpus), ad unum tamen et eundem finem tendunt, hoc est ad hominum salutem ».

subesse in iis, quae ad animam pertinent, sic nec potest nec debet civilis respublica dominari in ecclesiam. Finis immediatus ecclesiae est interior et spiritualis felicitas, finis immediatus reipublicae est felicitas exterior et temporalis; finis ultimus utriusque est felicitas aeterna subditorum (1). Quamobrem praeclare Gelasius rom. Pontifex scribebat ad Anastasium imperatorem: « Duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem (2) ».

439. Ad 2. *N.* Haec enim assertio schismatica est et haeretica, ut pronunciavit congregatio s. Inquisitionis sub Innocentio X.; et recte quidem, quia rom. Pontifex primatum jurisdictionis tenet in universam ecclesiam, prout definivit concilium Florentinum (3).

440. Ad 3. Resp. dicterium ejusmodi esse ecclesiae injuriosum, quod nulla ratione ab adversariis poterit honestari. Verum etsi daretur, hoc exurgeret argumentum: ecclesia interdum abusa est potestate legislativa, ergo hanc non habet, neque habere debet. Quae quidem si valeret argumentandi ratio, hoc pariter institui posset argumentum: potestas civilis interdum abusa est auctoritate legislativa, ergo eam non habet neque habere debet. Nescio porro utrum hoc politicis arrideat.

441. Quod vero attinet ad *placitum regium* novissime invectum aulicorum hortatu (4), dico illud plane injustum esse, quia princeps fieret ex ecclesiae filio ac subdito ejusdem judex ac dominus, arbiterque ecclesiasticae disciplinae, ideoque limites potestatis suae transgrederetur. Quid dicerent aulici, si ecclesia aut romanus Pontifex nollet principum decreta vim habere, nisi prius ipse probasset sub obtentu, quod possent esse juribus ecclesiasticis noxia? Non clamarent, ecclesiam hac ratione invadere jura principum? Experientia satis ostendit quinam injiciantur compedes ecclesiasticae potestati ex ejusmodi

(1) Cf. Zaccaria cit. Dissert. III. pag. 180. Hinc Ivo Carnotensis in ep. LI. ad Henricum Angliae regem scribebat: « Sicut sensus animalis subditus esse debet rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini, et quantum valet corpus, nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas, nisi informetur, et regatur ab ecclesiastica disciplina ». Ed. Paris. 1585. fol. 52. *tergo*.

(2) Epist. IV. apud Harduin. *Acta conc.* tom. II. col. 893.

(3) Cf. Zaccaria opusc. cit. pag. 183. nec non celeberrimum opus Jo. Antonii Bianchi ord. min. de observantia: *Della potestà e della politica della chiesa*. Roma 1745. tom. III. lib. I. cap. I. § VI.

(4) Nullum in tota antiquitate ab aetate Constantini M. usque ad sec. XV. exemplum offenditur, ex tot imperatoribus ac principibus christianis in universo mundo, alicujus qui contenderit, nedum circa materiam tantum disciplinarem, subjiciendum aliquod concilii decretum, aut constitutionem pontificiam placito regio. Cf. Zaccaria op. cit. pag. 216. et Bianchi op. pariter cit. tom. IV. p. 346. seqq. Verum juverit de novissimo hoc regii placiti invento judicium afferre quod tulit D. Pek membrum consilii Flandrici his verbis: « Quam consuetudinem (*placiti regii*) et multas alias ejusdem farinae non posse jure satis defendi puto, ut quae libertati ecclesiae plurimum adversantur, ac proinde non valent apud justos et catholicos judices, qui timorem Dei habent, licet forte valeant apud eos apud quos quidquid lubet licet, et qui ecclesiam oderunt, eamque principibus secularibus libenter in omnibus subjicerent: confusionem passuri in magno illo die, cum ad judicandum eos veniet, cujus sponsam hic contempserunt, et injuria affecerunt ». Cf. *Mémor. cathol.* Févr. 1826.

placitis regiis. Principes acatholici jus placiti regii sibi pariter vindicarunt (1); notum porro est quid catholicis in ditione principum protestantium hac de causa evenerit, quot vexationibus subjiciantur, quot oriantur dissidia. Hac ratione istorum principum patrocinium non semel vertitur in apertum super ecclesiam dominatum, alicubi vero in vigentem persecutionem.

442. Ad 4. *D.* Ita ut possit alia legitima ratione reipublicae bono prospici, *C.* ita ut alia via non suppetat *N.* Si enim casus hic contingeret, in negotiis praesertim mixtis, possent principes ejusmodi incommoda rom. Pontifici patefacere, qui pro sua in bonum universale sollicitudine, si rem ita esse compererit, procul dubio sanctiones ecclesiasticas, ubi id poscerent rerum adjuncta, aut tollet, aut mitigabit, prout semper praestitit s. Sedes, quin opus sit indebitam sibi arrogare auctoritatem, ut aulici contendunt.

443. Juverit gravissimum hoc argumentum absolvere verbis, quibus utebatur s. Hilarius Pictaviensis in lib. contra Auxentium: « Miserari licet nostrae aetatis laborem, et praesentium temporum stultas opiniones ingemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, et ad tuendam Christi ecclesiam ambitione saeculari laboratur (2) ».

SECTIO POSTERIOR

DE ROMANO PONTIFICE

444. Licet ea, quae hactenus pertractavimus, ecclesiam integram atque perfectam afficiant, seu societatem universam a Christo ad instar individui viventis constitutam, ac propterea capite ac membris constantem; attamen juxta praemissa agere speciatim de ecclesiae capite nobis proposuimus sive ob argumenti praestantiam, sive ob adversariorum qui illud quoquomodo aggressi sunt multitudinem. Cum enim agitur de ecclesiae capite, agitur de summa rei a qua ipsius ecclesiae existentia et salus omnino pendet (3). Adversarii autem qui ipsum impugnarunt sunt acatholici omnes, qui vires omnes suas ad illud labefactandum nullo non tempore exercuerunt.

(1) Ut fere omnes principes acatholici Germaniae, cujus rei praesto haberem documenta quae possem hic exhibere, nisi ageretur de re notissima; quo fit ut catholica ecclesia sub principibus protestantibus hac de causa ut plurimum vexetur, vexentur episcopi, ac in universum religionis ministri, ut constat ex publicis ephemeridibus, praesertim vero ex *l'Ami de la réligion*.

(2) N. 3. opp. ed. Maur. tom. II. col. 594. Veron. 1730.

(3) Verissime card. Bellarminus in praefat. in libros de summo Pontifice n. 2. scripsit: « De qua re agitur, cum de primatu Pontificis agitur? Brevissime dicam, *De summa rei christianae* ». Quod ex recentioribus pariter agnovit et professus est inter anglicanos Guill. Palmer Oxoniensis, dum in op. saepius citato par. VII. de rom. Pontifice cap. I. vol. II. p. 477. asserere non dubitat: « Doctrinam de primatu episcopi romani in ecclesiam universalem cardinem esse circa quem reliquae omnes volvuntur controversiae quae inter ecclesiam romanam et ecclesias ceteras incalescunt; quoniam si Christus Dominus primatum ex officio, proprium alicujus episcopi instituit in ecclesia catholica, qui semper perdurare debeat; et hunc primatum haereditaverit episcopus romanus, illico consequitur ecclesiam catholicam coarctari ad solam ecclesiam obedientiae romanae; et concilia, doctrinam ac traditiones illius ecclesiae obsignatas esse auctoritate totius mundi christiani ». Id ipsum patet ex immani omnium haereticorum et schismaticorum furore adversus ejusmodi primatum a quo contriti sunt.

445. Quaecumque de hoc capite dicturi sumus revocari facile possunt ad primatum quem Christus ecclesiae institutor et auctor contulit super hanc ecclesiam suam Petro; ad successionem in hoc primatu; ad hujus primatus naturam; ad illas denique dotes ac praerogativas quibus eum Christus instructum ac insignitum voluit. De his propterea singillatim, ea qua per nos fieri poterit diligentia, pertractandum erit, non modo contra acatholicos, verum etiam adversus catholicos non paucos, qui quamvis primatum divino jure admittant in ecclesia, ipsius tamen vim extenuare, quoad ejus fieri potuit, sategerunt, ut vix illum ad purum nomen non redegerint.

CAPUT I.

De Petri primatu

446. Capitis nomine in subjecta de qua agimus materia significatur primatus honoris seu praeeminentiae et jurisdictionis. Qui contendunt Christum instituisse ecclesiam acephalam seu sine capite, inficiantur Servatorem nostrum alicui peculiari individuo primatum illum contulisse; ex quo inferunt nullum a Christo caput ecclesiae fuisse praefectum. Alii vero existimant hunc saltem primatum immediate alicui individuo non fuisse a Christo collatum, sed universae ecclesiae, quae proinde potest illum per quemlibet exercere, eum ex uno in alium transferendo (1). Nos vero catholici asserimus Christum tum praeeminentiae ac jurisdictionis primatum instituisse in ecclesia seu caput ei praefecisse et quidem in peculiari individuo, nempe Petro; tum hunc ipsum primatum haud immediate ecclesiae sed immediati Petri personae contulisse. Quae ut ex ordine evincamus sit:

PROPOSITIO I.

Christus contulit Petro primatum honoris et jurisdictionis in universam ecclesiam, cui propterea eum caput praefecit

447. Christus Petro primatum contulit non solum ordinis seu honoris ac praeeminentiae, sed verae jurisdictionis in universam ecclesiam suam, adeoque ecclesiae suae caput illum constituit, si super ipsum suam se promisit aedificaturum ecclesiam, et claves regni caelorum se ei daturum pollicitus est, ac reipsa utrique promisso stetit, eidem soli credens pascendum seu regendum universum gregem suum. Jam vero duo priora constant ex Matth. XVI. Quum enim interrogasset Christus discipulos suos: « Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis »: Postremum vero, seu promissi solutionem exhibet s. Joannes cap. XXI. illis verbis, quibus Christus redivivus eundem Petrum affatus est: « Pasce agnos meos . . . pasce oves meas ».

448. Porro in priori testimonio Chri-

(1) Tale est systema Richerianum, Jansenianum, Febronianum etc. ut paulo post videbimus.

stus Petro sub gemina fundamenti et clavium metaphora aperte significat se eidem supremam potestatem collaturum, eumque suum constituturum vicarium in ecclesia visibili a se paulo post aedificanda. Quod enim est fundamentum in caementitio aedificio erit Petrus in aedificio spirituali, nempe ecclesia. Ast vero fundamentum illud est quod universum aedificium sustentat ac regit, ergo et Petrus ille erit ex Christi institutione cui omnis in ecclesia potestas, omnis legum vis tanquam firmo fundamento inniti debebunt. Quod non minus aperte patet ex altera clavium metaphora, qua in eodem testimonio usus est Christus. Etenim penes omnes gentes, praesertim vero hebraeam receptum est, ut claves alicui conferantur tanquam insigne aut symbolum potestatis in domum aut civitatem cujus claves traduntur, ut non pauca loca Scripturarum parallela confirmant (1). Cum itaque Christus ecclesiae suae claves Petro se daturum promiserit, consequens est promisisse hoc ipso Christum, se eum constituturum principem supremum totius ecclesiae cum potestatis plenitudine quodcumque solvendi ac ligandi, seu constituendi leges, subditos obligandi ad ipsas observandas, puniendi transgressores, efficiendique quidquid ad ecclesiae ipsius bonum et utilitatem pro locorum, temporum, personarum ac rerum adjunctis ipse conferre judicaverit (2).

449. Nec minus luculenter patere promissae potestatis collationem apud Joannem loc. cit., verba ipsa significant quibus Christus non unam aut alteram gregis sui partem, sed gregem suum

(1) Cf. Jahn: *Archaeologia biblica*. Vien. 1814. § 37. ubi scribit: « Claves ex metallo confectae, non erant nisi potentioribus et nonnumquam ansa eburnea ornatae. Clavis hujus generis aevo monarchiae hebraicae a dispensatore domus regiae tamquam insigne muneris, in humero gestabatur ». Sane Isa. XXII. 22. legimus de Eliacim filio summi sacerdotis Heliae: « Et dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet et non erit qui aperiat ». Quin et suprema Christi potestas Apoc. III. 7. eodem clavium symbolo designatur. « Haec dicit sanctus et verus qui habet clavem David » cf. Calmet in loc. cit. Isaiae.

(2) Juverit ad confirmandum quod diximus de suprema potestate Petro a Christo promissa sub gemina *petrae* et *clavium* metaphora expositionem in medium afferre hominis profecto minime suspecti, judaeo-increduli Salvador, qui in op. cit. *Jésus-Christ et sa doctrine* tom. I. lib. II. ch. I. p. 325. haec in rem nostram habet: « D'abord, au sujet du nom et des clefs de Pierre, a qui les trois listes des apôtres rapportées par les evangiles accordent toujours le premier rang . . . L'attribution qui lui fut faite par Jésus du mot syriaque *Kephas*, signifiant *pierre*, répondait à une double métaphore: à la fermeté de son ame, que le langage poétique de nos jours aurait comparée, dans le même esprit, à un rocher, et à cette circonstance, qu'en se présentant au maître de Nazareth comme son premier défenseur, puis en confessant le premier sa qualité de Christ, il avait mérité de passer pour la pierre fondamentale de l'édifice de Jésus et d'être chargé des clefs symboliques. Dans le nouvel ordre d'idées, la signification ajoutée à ces clefs comportait non-seulement le droit d'approuver et de désapprouver ce qu'il fallait faire ou ne pas faire, mais le droit d'ouvrir ou de fermer du même coup aux prosélytes et aux disciples, selon l'exigence des cas, les portes actuelles de l'association et le passage aux félicités de la résurrection prochaine. Loin de chercher leur origine dans les coutumes des romains, on chez toute autre nation, on doit le demander à la patrie des fondateurs de l'institut chrétien ». Deinde refert textum cit. Isaiae.

plane universum eidem pascendum commisit, seu universam ecclesiam, quae ex agnorum et ovium collectione coalescit. Ne quis vero arbitraretur officium dumtaxat ministeriale praebendi cibum agnis et ovibus Christum Petro conferre voluisse, praeter vocem βόσκε, quae proprie significat *pasce seu ciba*, aliam vocem addidit v. 16. dicens: ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, quod est *pascere cum imperio, pascere praesidendo*, prout etiam ex usu loquendi Scripturarum, ac locis parallelis aperte conficitur (1).

450. Id autem vel ex proposito ipso Christi confirmatur quod fuit ecclesiam condere ad normam veteris synagogae, utpote typicae, insertis tamen nonnullis variationibus ad novam suam societatem magis idoneis. Jam vero synagoga vetus constituebatur ex summo sacerdote, seu pontifice supremo, deinde vero ex sacerdotibus atque levitis, ac demum ex laicis. Atque hujus quidem rei vadem damus hominem, qui studio partium abripi non poterat, ac si quibusdam favet, favet potius protestantibus quam catholicis, quibus, uti par est, infensum ubique se prodit. Hic est judaeo-incredulus Salvador libere edicens summum pontificatum una cum aliis subditis distinctionibus ad christianismi essentiam pertinere; ex quo infert, immerito protestantes ambitioni atque usurpationi romanorum praesulum pontificium apicem et auctoritatem qua pollent tribuisse. In hoc vero ipsos plane ignaros se patefecisse consilii Christi, atque essentialis ecclesiae constitutionis contendit (2).

(1) Sane ps. II. 9. ubi vulgata habet: *Reges eos*; graeca versio habet ποιμανεῖς αὐτοὺς *pasces eos* prouti pariter vertunt interpretes syrus et arabicus apud Waltonum. Sic quod legitur Matth. II. 6. *Regat populum meum* graece habetur: ποιμανεῖ τὸν λαόν μου, nempe: *pascat populum meum*. Verum his aliisque ejusmodi omissis, lubet ad dictorum confirmationem verba afferre Jahnii, qui in sua Archaeologia biblica ad calcem § 42. scribit: « Itaque in biblicis reges dicuntur *pastores*; רֹעֶה רֹעִים nuncupatio nequaquam est subjecta, sed sublimis et honorifica; quare hoc nomen persaepe Deo tribuitur, qui erat rex hebraeorum; proprie haec compellatio dicit *rectorem* et *curatorem*, conf. Ps. 23, 1-4. 8, 2. Jes. 40, 10. 63, 11. Jer. 10, 21. 22, 22. 23, 1. 31, 11. 36, 40. 50, 6. 51, 23. Mich. 5, 5. Nahum 3, 18. Ezech. 10, 24. 34, 2-23. 37, 24. Zachar. 10, 3. 8, 26. 11, 5. In antiquo quidem foedere haec tropica pastorum notio perpetuo indicat regem, aetate vero Christi nomine pastorum פַּרְנָסִים, condecorabantur praeceptores judaeorum, quod primum ex schola stoicorum descendit, qui solos sapientes statuerunt esse vere reges. Hoc modestius saltem, quam a stoicis dictum fuit, a judaeis adoptatum est, et deinceps in ecclesiam christianam transiit, ut qui doctrina regerent, et curarent fideles, pastores dicerentur, Ephes. 4, 21. Matth. 9, 36. Joh. 10. 11-14. Hebr. 13, 10. I. Petr. 2, 25. 5, 4. I. Cor. 4. 8. » Hactenus quidem Jahn; adnoto tamen nonnulla ex cit. testimoniis ex N. T. non esse ad rem; alia vero exhibere pastorem qui non solum *doctrina*, sed etiam *auctoritate* regat, ut Joh. x, 12-14. I. Pet. II. 25. v. 4.

(2) En iterum ejus verba ex op. cit. tom. II. p. 296 seqq. « J' ai déjà fait remarquer, *ait ipse*, qu' un temps moral très-long était nécessaire pour que les formes extérieures de la societé de Jésus se missent en rapport avec sa propre nature. C' est même à cause de cette vérité si simple qu'on est forcè de reconnaître *l' imperfection* de la plus part des argumens tirés de l'état de l' église des apôtres, par les *sectes chrétiennes dissidentes*. Leur conclusion qui arrivait à dire, qu' il n' existe aucune solidarité entre l' organisation primitive, et les modifications amenées par le développement catholique de la doctrine, re-

451. Atque hinc factum est ut Scripturae nobis Petrum exhibeant veluti ceterorum apostolorum principem, a Christo singulari prorsus ratione prae ceteris distinctum et honestatum, ac munia sui primatus exercentem. Etenim in eis reperimus Petrum in apostolorum censu constanter primo loco commemorari (1), quamvis ipse prior non fuerit ad apostolatum vocatus (2); primum item apostolorum qui Christum redivivum intuitus sit (3); primum qui edixerit alium Judae proditoris loco sufficiendum (4); primum qui judaeis Christum praedicaverit (5), ac tum ipsos tum gentiles in ecclesiam admiserit (6); qui sententiam in concilio tulerit (7); qui ecclesias universas inviserit (8); qui scripta Pauli probaverit (9); cum quo idem Paulus evangelium suum contulerit, « ne forte, ut ipse loquitur, in vacuum curreret, aut cucurrisset (10) ». Exhibent praeterea eaedem Scripturae Petrum solum cui fratres suos (apostolos) Christus mandavit confirmandos, eaque-propter precem peculiarem pro eo fuderit (11). Quid porro haec omnia sibi

pose *sur une confusion flagrante des faits*. J' en apporterai quelques preuves : par exemple, est-il permis de se ranger chrétiennement de l' avis des communions réformées, quand elles récusent la légitimité originaire d' une *assemblée centrale et régulatrice, et la majesté d' un Pontife supérieur?*... A plus forte raison, la convenance d' une église centrale dût leur *(discipulis Christi)* apparaître, lorsque la société nouvelle toute séparée d' avec les Juifs eut expressément déclaré qu' elle était à elle seule le corps du vrai peuple, ou l' Israël général. A plus forte raison, ils durent céder à cette convenance lorsque la croyance qui avait prédominé sans réserve dans l' ame des prèmières générations des chrétiens, au sujet de la proximité extrême assignée par le fils de Marie à la fin du monde actuel et à la résurrection primitive des morts, ne se fut pas réalisée *(juxta auctoris systema)*. On se vît obligé à chercher tous les moyens capables de prévenir l' esprit de séparation et de ruine, qui menaçait déjà l'existence de l' église. Le sacerdoce de la loi avait été destiné à lier entr'eux et à maintenir tous les élémens de l' ancien peuple; la nécessité des circonstances, jointe à la volonté perpétuelle chez les disciples de Jésus d' accomplir les textes anciens, leur imposa d' y substituer un sacerdoce correspondant . . . . Lorsqu' elle *(ecclesia)* fut venue à faire passer ses magistrats de leur état originaire d' anciens à l' état de prêtres, de leur état originaire de surveillans à celui d' évêques, ou de princes des prêtres, cette église ne songea nullement et ne dut pas songer à scinder le caractère nouveau que ses fonctionnaires recevaient; elle n' en détacha point les pouvoirs qui étaient dévolus dans la mère patrie à leur titre précédent. Bien loin de là, elle fût conduite à concentrer *dans un Pontife supérieur*, imité, selon l' ordre de ses idées, du grand Pontife de la loi, tous les droits qui appartenaient à des magistratures très-distinctes dans l' organisation intérieure d' Israël; et avec le temps, elle fut conduite à concentrer sur ce même Pontife et sur ses émanations, tous les droits et tous les priviléges des castes sacerdotales tant de l' orient, que de l' occident dont l' église chrétienne se regarda de plus en plus comme l' héritière naturelle ». Et alibi passim eadem inculcat adversus protestantes.

(1) Matth. x. 2. Marc. III. 16. Luc. VI. 14. apud Matthaeum expresse dicitur *primus*.

(2) Jo. I. 33-41.

(3) Luc. XXIV. 34.

(4) Act. I. 15. seqq.

(5) Ibid. II. 14. seqq.

(6) Ibid. X. 34. XV. 7.

(7) Ibid. XV. 7.

(8) Ibid. IX. 32.

(9) II. Petr. III. 15. 16.

(10) Gal. II. 2.

(11) Luc. XXII. 32. Cf. Bossuet *Sermon sur l' unité de l' église*. Premier point: ubi

volunt, nisi Christum reipsa constituisse Petrum fundamentum, caput, principem ecclesiae suae?

452. Sane si Christus, ut ex demonstratis abunde liquet, ecclesiam suam ad instar humani individui condere constituit anima et corpore praediti, adeoque ut personam moralem, ac societatem visibilem; quin velimus ipsum voluisse hanc societatem, prout visibilis est atque adspectabilis, sine visibili moderatore ac principe, hoc corpus acephalum nimirum sine capite constituere, fateamur necesse est eidem caput praefecisse quod universum corpus regeret, principem qui societatem moderaretur suam, ac sui ipsius in caelum abeuntis personam in his terris gereret; quem ex Scripturis non alium nisi Petrum esse deprehendimus.

453. Sive igitur verba spectemus quibus Christus Petro promissiones amplissimas fecit in praemium confessionis divinitatis suae apud Matthaeum; sive verba quibus in praemium peculiaris amoris quem Petrus post resurrectionem eidem Christo professus est, solvit quod promisit apud Joannem; sive Christi spectemus propositum in condenda ecclesia sua, atque ejusdem ecclesiae constitutionem ac naturam; sive demum quae de eodem Petro nobis Scripturae referunt, constat quod proposuimus, nempe Christum contulisse Petro primatum honoris et jurisdictionis in universam ecclesiam, eumque propterea illi caput praefecisse.

DIFFICULTATES

454. I. Obj. 1. Prolata ex Scripturis testimonia non evincunt nisi quandam personalem b. Petri praeeminentiam meri ordinis, non autem verum ac proprie dictum primatum potestatis ac jurisdictionis super apostolos reliquos. 2. Quae quidem personalis praeeminentia Petro obtigit aut ob ejus zelum, et dilectionem erga Christum, ob exantlatos pro Christo labores uti existimarunt s. Augustinus, et s. Cyrillus (1); aut quia ceteris erat apostolis natu major ut placuit Hieronymo, Chrysostomo et Cassiano (2); aut quia *primus* inter ceteros vocatus fuit Petrus ad apostolatum, uti sentiunt Epiphanius, Cyprianus, Hilarius, Basilius, Gregorius M. et Chrysostomus (3); aut denique ob ejus publicam confessionem Christi, uti rati sunt Gregorius M., Basilius, Epiphanius, Optatus, et Ambrosius (4). 3. Sane Scriptura apostolos omnes exhibet pares et suprema potestate praeditos dum ipsis Christus sive collective sive distributive dixit: « Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros etc. (Matth. X. 14.). Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum spiritum veritatis (Jo. XIV. 16.) »; et post resurrectionem suam omnibus eadem ratione dixit: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos . . . . accipite Spiritum S. (Jo. XX. 21. 22.) »; tum « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo etc. (Matth. XXVIII. 19.) ». Nemo porro negaverit ejusmodi potestatem apostolis absque ullo discrimine a Christo collatam esse *supremam;* ergo non potuit Petrus ceteris antecellere potestate aut dignitate *officii*, sed solum *personalibus* respecti-

eloquentissime et energice quae nos hic vix indicavimus explanat et evolvit. *Oeuvres de Bossuet* ed. Versailles 1816. tom. xv. pag. 495. seqq. nec non com. J. De-Maistre in op. *Du Pape* tom. I. liv. I. ch. VI.

(1) Apud Du-Pin, *De antiq. eccles. disciplina* ed. 1686. p. 312.

(2) Ibid. Tournely, *De eccles.* tom. II. p. II.

(3) Du-Pin, Tournely ibid.

(4) Tournely ib. p. 12.

bus. 4. Quapropter invenimus Petrum ceteros quidem zelo et *activitate* superasse, ast nullum reperimus exemplum auctoritatis ab eo supra illos exercitae. 5. Sane aperte Scriptura docet Deum quosdam posuisse in ecclesia: « *primum* apostolos, secundo prophetas etc. (I Cor. XII. 28.) ». Duodecim igitur apostoli fuerunt *primi* in ecclesia, non autem solus Petrus. 6. Haec eadem conclusio traditione fulcitur; Tertullianus siquidem scribit: « Apostolos habemus auctores (1) »; Cyprianus: « Quamvis apostoli omnibus post resurrectionem suam *parem* potestatem tribuat et dicat: *Accipite Spiritum S.* . . . tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc *erant utique apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis*: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur (2) »; Ambrosius: « Hic Petrus, ubi audivit: *vos autem quid me dicitis?* Statim loci non immemor sui primatum egit: primatum confessionis utique non honoris; primatum fidei, non ordinis (3) » et iterum: « Denique audi dicentem: tibi dabo claves . . . quod Petro dicitur, ceteris apostolis dicitur (4) ». Hieronymus: « Joannes et Jacobus quia plus ceteris petierunt, non impetraverunt, et tamen non est dignitas eorum imminuta, quia reliquis apostolis *aequales* fuerunt (5) »; Chrysostomus vocat apostolatum non solum « fastigium dignitatum, sed etiam radicem ceterarum et fundamentum, affirmatque apostolorum fidei gentium omnium ac totius orbis terrarum curam fuisse commissam (6) »; Cyrillus Alex. vocat apostolos *judices universales, rectores totius mundi*, et in ep. ad Nestorium dicit *Petrum et Joannem fuisse pares in honore ac dignitate* (7); Victor Carthag. « Ad quam (ecclesiam), scribit, omnes beatissimi Apostoli, pari honoris et potestatis consortio praediti populorum agmina convertentes perduxerunt (8) »; Isidorus Hispal. « Ceteri, inquit, apostoli cum Petro par consortium honoris et potestatis acceperunt (9) »; Conc. V. oecumenicum declarat: « Licet enim Sancti Spiritus gratia et circa singulos apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quae agenda erant (10) ». Tandem Nicolaus Cusanus: « Scimus quod Petrus nihil plus potestatis a Christo recepit aliis apostolis. Nihil enim dictum est ad Petrum quod aliis etiam dictum non sit . . . Ideo recte dicimus omnes apostolos esse aequales cum Petro in potestate (11) ». Ergo.

455. Resp. Ad 1. *N.* Haec enim meri ordinis seu personalis praeeminentiae praerogativa, absque vera potestatis jurisdictione, inepta prorsus fuisset scopo seu fini quem sibi proposuit Christus in condenda ecclesia sua ad instar individui viventis. Instituisset enim corpus sine capite, societatem sine supremo rectore, quae non una sed multiplex fuisset, quot scilicet ab apostolis singulis fundatae essent ecclesiae, quotque deinceps post ipsos instituerentur,

(1) *De haeres.*

(2) *De unit. eccles.*

(3) Lib. *De Incarn.* c. IV, tom. II. p. 710.

(4) In ps. XXXVIII.

(5) Adv. Jovin.

(6) Homil. *De util. lect. script.* tom. III. p. 75. 77.

(7) *Act. conc.* Hard. tom. I. col. 1287.

(8) Epist. ad Theod. Papam.

(9) De officiis lib. II. c. 5.

(10) *Acta conc.* tom. III. col. 188.

(11) De concord. cathol. lib. II. c. 13.

Hactenus Palmer op. cit. par. VIII. de rom. Pontif. cap. I. p. 477. seqq.

utpote nullo inter se vinculo ac nexu colligatae, ut patet ex coetibus protestantibus et schismaticis, qui sunt territoriales ac veluti possessiones aut proprietates soli, seu regiminis quod iis praeest (1). Christus autem in singulari semper loquitur de *ecclesia sua, de regno suo, de ovili suo*. Apostolus vero commemorat *corpus* Christi, non autem membra huc illucque dispersa, aut corpus sine capite, tunc enim *truncum* plane vocasset (2).

456. Ad 2. *D.* Idest quatuor allatae ex ss. patribus rationes eo referuntur ut motiva quare Christus primatum Petro potius contulerit quam alteri apostolo, *C.* referuntur ad rationem reddendam cur Christus primatum ipsum instituerit in ecclesia *N.* Hae nempe duae quaestiones in doctrina patrum simul permiscendae non sunt, uti adversarii faciunt. Adducti enim patres in locc. citt. ut eos legenti patet, rationes aliquas, easque conjecturales indicant, quare Christus Petro potius quam alii ex apostolis voluerit primatum conferre, quod non abnuimus. Quando vero iidem patres disserunt de primatu ipso, et rationem afferunt quare illum in ecclesia sua instituere Christus voluerit, unanimes sunt in adstruenda unitate ecclesiae veluti motivo cur Christus ad illum instituendum permotus sit. Nimirum docent unitatem ecclesiae catholicae, induxisse Christum, ut unicum supremum pastorem ei praeficeret, unum caput, unum pontificem necessaria potestate et auctoritate praeditum ad unitatem constituendam, custodiendam ac conservandam, cum voluerit ecclesiam suam unam esse, ac talem jugiter perseverare (3). Quod nec infensissimi sedis apostolicae hostes diffitentur (4); ac nos paulo post ejusmodi patrum testimonia afferentes, luculenter ostendemus.

457. Ad 3. *D.* Scriptura nobis exhibet apostolos omnes aequales in apostolatu, ac in omnibus apostolatus facultatibus, qui fuit omnibus communis, *C.* in primatu, et in facultatibus primatus propriis *N.* Hic enim cum potestate jurisdictionis uni Petro collatus a Christo

(1) Exinde receptum est ac vulgatum apud acatholicos velut axioma, principium illud: « Cujus est regio illius est religio ».

(2) Nec obest quod Christus sit ecclesiae caput; nam hic agitur de *capite visibili ecclesiae visibilis* quod certe Christus non est ex quo ascendit in caelum.

(3) Quod patres minime inter se permiscuerint duas has quaestiones argumento ineluctabili est diversa ipsorum agendi ratio in unaquaque earum. Etenim cum quaerunt quare Petro potius quam alteri apostolorum Christus contulerit primatum ancipites sunt, ac mira inter ipsos apparet sententiarum varietas; quum vero inquirunt in rationem quare Christus instituerit primatum in ecclesia sua, una eademque sententia ac doctrina est exploratae traditioni innixa, nempe hanc aliam non esse nisi unitatem ecclesiae catholicae. Cf. Petr. Ballerinium *De vi ac ratione primatus* cap. VIII.

(4) Sane Hugo Grotius in *Voto pro pace* ad art. 7. haec scribit: « Gradus praepositorum in ecclesia esse debere, et per illos gradus compaginari ecclesiam, docuit nos Paulus Ephes. IV. 11. Ordo sive in partibus, sive in toto, continetur principatu quodam, sive praepositi unitate. *Et hoc est quod in Petro nos Christus docuit.* Hoc a Christo didicit Cyprianus: idem cum Cypriano dicit Hieronymus adversus Jovinianum .... Tale caput est inter presbyteros episcopus, inter episcopos Metropolitanus, aut alio quis modo electus, ut caeteris praesit. Tale inter omnes episcopus romanus (opp. ed. Amstelod. 1679. tom. III. p. 658.) ». Plura alia heterodoxorum in hanc rem testimonia profert P. Ignatius Fiume ord. Praed. in op. *Schola veritatis orthodoxae* et ex ipso Petrus Ballerinius op. et loc. cit. quae illic recoli possunt.

est; ut liquet ex probationibus, quas nullo modo infirmant objecta Scripturarum oracula quae de communi apostolatus facultate et potestate loquuntur (1). Haec vero apostolatus potestas *suprema* quidem est in ordine suo, minime vero absolute, eo ipso quod vi primatus Petro collati, apostoli omnes ei subjecti fuerint ac subordinati a Christo ipso. Et hoc rursum ejusdem primatus acerbiores impetitores concedunt (2).

458. Ad 4. Nam hoc ipso quod jurisdictionis primatum Christus Petro contulit, is debuit, ut verbis Bossuetii utar, « super omnes sine restrictione (3) » auctoritatem habere; eamque exercere potuisset, si opus esset; et reipsa exercuit, dum scripta Pauli probavit, et alia gessit, quae in probationibus commemoravimus, quaeque ipsa rei natura postulat. Primatus enim et subjectio sunt ideae relativae, nec una sine altera concipi potest. Quod si Petrus vim coactivam in apostolos non exercuit, ideo est, quia hac vi apostoli non indigebant (4).

459. Ad 5. *D.* Deus juxta Scripturas

(1) Hoc ipsum fatetur auctor adversario nostro apprime carus, nempe Dupinius, qui in his dissertat. *De antiqua ecclesiae disciplina* docet s. Petro apostolos *potestate et auctoritate* omnino aequales fuisse *excepto primatu*. Nam in diss. IV. c. I. § 3. allatis quibusdam patrum sententiis (illis nempe eisdem quas ex hoc auctore deinde citat Palmer), quibus omnes apostoli Petro pares fuisse dicuntur: « Haec, inquit, probant, apostolos in clavium administratione fidei praedicatione, ecclesiarum fundatione, potestate, auctoritate aequales fuisse; *at eos in primatu Petro aequales fuisse* nullus dicit ». Loqui porro hunc auctorem de jurisdictionis primatu non autem de solo primatu ordinis aut praeeminentiae et honoris liquet ex iis quae in eadem diss. cap. II. § 3. « Ex hoc primatu romani pontificis fluunt multae praerogativae, quae ipsi non secus ac primati jure divino competunt », quas mox distincte refert. Quomodo vero hic auctor sibi cohaereat, ipse viderit.

(2) Id fassus est Quesnellus, qui in libello edito an. 1705. inscripto *Idée génerale du libelle : Motif du droit pour le procureur de la cour ecclesiastique de Malines accusateur et partie contre le P. Quesnel*, cum accusaretur, eo quod in alio opere s. Petrum et s. Paulum duo ecclesiae capita constituens, reproduxisse visus esset propositionem damnatam, ut accusationem dilueret pag. 92. scribit eum tantum in damnatam thesim incurrere, qui admitteret inter Petrum et Paulum *omnimodam aequalitatem sine ulla subordinatione ad s. Petrum*, ut in decreto explicatur. Profitetur autem pag. 94. se alienum ab hac sententia, cum s. Paulo numquam tribuerit primatum universalem, qualem uni s. Petro asserendum non dubitat. Eadem fatetur M. Antonius de Dominis lib. VI. n. 2. scribens: « Hic jam nos romani sistere solemus, et dicere, Petrum a Domino designari pro fundamento totius ecclesiae, quae debet eidem inniti, quemadmodum aedificium innititur fundamento »; qui tamen paulo post obvium hunc sensum eludere conatur, uti videbimus.

(3) In serm. ad Comitia cleri Gallic. Parisiis habito an. 1681.

(4) Apposite card. du Perron in *Réplique au Roi de la grande Bretagne* ch. LVI. pag. 458. seq. « Pour maintenir l'unité, *inquit*, il était besoin encore outre l'autorité interne et essentielle à l'apostolat, d'une autre autorité externe et accessoire à l'apostolat, qui eût la superintendance sur le soin de la conservation de l'unité. Et comme l'office de la cause est de régler son effet, il fallait que celui qui était le principe et l'origine de cette unité eut aussi la superintendance sur les autres, pour ce qui regardait la conservation de l'unité, et par conséquence la jurisdiction superéminente sur les choses nécessaires à la manutention de l'unité . . . Non que les apôtres eussent besoin pour se maintenir en unité, que les effets de cette auto-

posuit *primum* apostolos inter eos qui charismatum donis praecelluerunt ad munia ecclesiastica obeunda, *C.* absolute *N.* Scopus Apostoli in objecto loco minime est gradus hierarchicos recensere, alioquin recensuisset episcopos, presbyteros et diaconos; sed fuit commemorare varia charismatum dona et officia quae Spiritus S. distribuit in ecclesiae utilitatem, his autem praecellere affirmat primo loco apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Ex hoc vero sequitur apostolos quidem primos esse, uti jam diximus, in ordine suo, nempe in apostolatu, non autem in ordine ad Petrum universo collegio apostolico praelatum cum vera jurisdictionis potestate a Christo ipso (1).

460. Ad 6. *N.* Omissis porro testimoniis Tertulliani, Hieronymi, et Chrysostomi, quae ad praesentem controversiam non pertinent, utpote quae commendant dignitatem apostolatus omnibus communem, ac si placet, etiam supremam in ordine suo, juxta dicta, expendemus ne longiores simus reliqua quae objecta sunt, et propius ad rem praesentem referuntur. Itaque:

461. S. Cyprianus affirmat apostolos pari fuisse consortio praeditos honoris et potestatis cum Petro, *D.* In apostolatu, seu in potestate apostolica ac muniis ei adnexis, *C.* Sub omni respectu *N.* Etenim contrarium eruitur ex ipsis adductis s. Martyris verbis: « Tamen ut unitatem manifestaret (Christus) unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit . . . Exordium ab unitate proficiscitur ut ecclesia una monstretur »; perinde ac si diceret: licet omnes aequales seu pares essent apostolica potestate et honore, ut tamen in unitatem omnes convenirent et coalescerent, praefecit omnibus Petrum veluti unitatis exordium, fontem ac originem; seu quod idem est, contulit Petro super omnes primatum potestatis et jurisdictionis cum sine ipso unitas numquam emersisset. Germanam hanc esse s. Cypriani mentem patet tum ex verbis ipsis, tum ex iis quae scribit in ep. LV. in qua vocat Petri cathedram *ecclesiam principalem* ex qua *unitas sacerdotalis exorta est*, quae ejus unitatis formandae vim, *principalitatis* ipsius cathedrae propriam atque praecipuam, significant (2).

462. S. Ambrosius in primo textu scribit, Petrum egisse primatum confes-

rité se pratiquassent si évidemment sur eux, comme sur leurs successeurs à cause de l'assistance, qu'ils avaient chacun en particulier de l'esprit de Dieu: mais afin de proposer à l'église une forme et un modelle de l'ordre qu'elle devait suivre après leur décès ». Quod etiam Petrus de Marca in opusc. cit. *De discrim. clericorum et laicorum* fassus est scribens cap. III. n. 13. « Tenebantur apostoli fundare ecclesias in unitate, cujus caput cum esset Petrus, illius communioni eas subjicere tenebantur » et num. 21. « Porro (docet Optatus) unitatem ab omnibus apostolis servandam in illa una cathedra (Petri), ne si ab ejus unitate recedentes in ecclesiis aedificandis aliam cathedram constituerent, schismatici et peccatores haberentur. Nullum erat periculum, ne scissa unitate ecclesiae, apostoli proprias sibi ecclesias defenderent sejunctas a communione Petri. Sed regiminis semel constituti forma exposcebat, ut sciremus apostolos quoque ipsos huic regulae a Christo praescriptae subditos fuisse ».

(1) Cf. Estium tum hic, tum in cap. IV. epist. ad Ephes. v. II.

(2) Idque magis liquet ex idea quam constanter ingerit ecclesiae s. martyr, praesertim vero ep. LXIX. ubi ecclesiam unam definiens, ejusque unitatem describens, ait: « Plebs sacerdoti coadunata, et pastori suo grex adhaerens ». Quoniam vero in particularibus ecclesiis quilibet *sacerdos* et *pastor*, nempe

sionis, non honoris; fidei, non ordinis *D.* Cum nondum assecutus esset hunc primatum honoris et ordinis, *C.* postquam hunc assecutus est *N.* Significat itaque his verbis s. doctor Petrum ceteris praeivisse apostolis in edenda fidei confessione.

463. In altero autem textu juxta s. Ambrosium, quod Petro dicitur omnibus dicitur, *D.* quoad potestatem remittendi peccata, *C.* quoad primatum *N.* Contendit quippe s. Ambrosius adversus Novatianos, potestatem quam ecclesia exercet in remittendis peccatis non esse usurpatam, sed ei a Christo collatam tum in Petro tum in reliquis apostolis.

464. S. Cyrillus affirmat *Petrum et Joannem aequalis esse dignitatis*, *D.* In apostolatu, *C.* in primatu *N.* Talem porro esse sensum verborum Cyrilli patet ex immediate sequentibus: « Propter quod et *apostoli* et sancti discipuli esse monstrantur (1) ».

465. Victor Carthag. scribit, *omnes beatissimos apostolos pari honoris et potestatis consortio praeditos*, *D.* In apostolico munere ac dignitate, *C.* in primatu *N.* Loquitur enim Victor de orthodoxa doctrina qua ecclesia ab apostolis eadem ratione informata est (2).

466. Nec alia est mens s. Isidori Hispalensis, qui adducta verba, perinde ac Victor Carthagin. mutuatus est a s. Cypriano in eodemque propterea sensu. Sane id liquet ex verbis immediate praecedentibus; praemiserat quippe Isidorus: « In novo testamento post Christum sacerdotalis ordo a Petro coepit. Ipsi enim primum datus est pontificatus in ecclesia Christi: sic enim loquitur ad eum Dominus: *Tu es Petrus* etc. (3) ».

467. Concilii V. auctoritas extra praesentem controversiam urgetur, siquidem concilium non loquitur de aequalitate potestatis inter apostolos, sed de aequalitate donorum, praesertim vero infallibilitatis, ad instruendam Christi ecclesiam; quod nemo inficiatur (4).

episcopus unitatis suae cujusque particularis ecclesiae origo est, eandemque unitatem eatenus format atque conservat, quatenus ipsi, qui radix et centrum est unitatis, tota ipsius ecclesiae *plebs* coadunari, et totus *grex* adhaerere in unum debet, ut ex plebis ac gregis unione cum suo sacerdote ac pastore ecclesia una fiat; ita juxta s. Cyprianum in universali ecclesia unus summus sacerdos ac pastor s. Petrus, et propterea romanus Pontifex, qui, uti postea ostendemus, Petro succedit, catholicae unitatis origo est, unitatemque totius ecclesiae catholicae format et continet, quatenus ipsi ut radici et centro ejusdem unitatis, coadunari atque adhaerere debent omnes et fideles et episcopi, ut ex pluribus particularibus plebibus gregibusque ei supremo sacerdoti atque pastori adhaerentibus, unus grex, et ecclesia una universalis coalescat. Quo reipsa fit, ut ecclesia catholica, pluribus licet in locis dispersa « sit utique connexa, ut ibidem subdit, et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata ». Hoc vero minime verificaretur si Petrus auctoritate primatus etiam inter apostolos ac super apostolos minime praeditus a Christo fuisset. Cf. Ballerin. op. cit. cap. XIII. n. 10.

(1) Apud Harduin. *Acta concil.* tom. I. col. 1287.

(2) Cf. apud Baron. tom. XI. an. 646. n. XV. ed. cit. Lucens. p. 378.

(3) Cf. quae in hunc locum adnotat eruditus Arevalus in nova s. Isidori opp. edit. Romae 1802. tom. VI. pag. 418.

(4) Scopus concilii erat inducere Virgilium rom. pontificem in urbe Costantinopolitana degentem ut una cum patribus disceptaret ad judicandam causam trium capitulorum, non autem judicaret per se solum seorsum a concilio, prout ipse facere constituerat. Quod ut obtinerent afferunt hujus concilii patres exemplum apostolorum, qui quamvis etiam singulatim gratia Spiritus Sancti abundarent, non temen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, prius-

468. Ad Nicolaum Cusanum denique quod spectat, miramur adversarii facilitatem in illius afferenda auctoritate, qui palinodiam cecinit senior factus eorum, quae juvenili aetate in opere cit. incaute scripserat (1). Tunc enim Basileensis concilii fama captus totus erat in extollenda concilii oecumenici auctoritate, ac pontificia dignitate deprimenda et coarctanda. Cum vero comperisset illud in schisma deflectere, consilium mutavit, atque ad schisma compescendum totus incubuit, ut patet ex ejus epist. ad Rodericum, in qua Petri primatum egregie defendit (2). Imo et in ipso, quod objicitur, opere primatum Petri omnino non respuit, sed solum intra angustos fines illius auctoritatem redigere sategit (3), idque argumentis plane tanto homine indignis nec sine pugna cum semetipso (4).

469. II. Obj. Saltem nihil evincunt pro Petri primatu quae ex Matth. XVI. et Jo. XXI. a catholicis proferuntur, utpote *incertae* interpretationis, ineptae propterea ad fidei articulum adstruendum, praesertim cum interpretatio diversa sit *probabiliter* justa. Facile porro est utrumque ostendere. Sane ut incipiamus a textu Matthaei 1. Ecclesia non convenit hic *petram* significare *Petrum;* nonnulli enim patres apud Dupinium et Natalem Alex. exponunt de *apostolis in genere;* alii ut Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Beda, Paulinus, Rabanus, Anselmus, Petrus Lombardus, Innocentius III. intelligunt *petram* de Christo ipso; plerique, ut Hilarius, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Hilarius diaconus, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alex., Juvenalis, Leo, Petrus Chrysologus, Theodoretus, Eucherius, Felix III., Gregorius III., Beda, Jo. Damascenus, Hadrianus I., Nicolaus I., Joannes VIII., Stephanus VI., Innocentius II., Hadrianus IV., Urbanus III., Thomas Aquinas, Tostatus, Ekius etc. intelligunt *petram de*

quam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverint. Cf. apud Hard. tom. III. col. 188. seq.

(1) Cf. Bellarm. *De scriptoribus ecclesiast.* opp. edit. Venet. 1728. tom. VII. pag. 528.

(2) Cf. in edit. Basileensi an. 1565. pag. 825. seqq. quae profecto lectu digna est; evertit porro cardinalis de Cusa in hac epistola quidquid in objecto opere *Concordantia catholica* constituerat.

(3) Sane lib. II. edit. Paris. 1514. fol. XXIII. inter cetera scribit: « Petrus primo pontificatum super apostolos accepit . . . Cum autem episcopatus sit principatus super sacerdotium, ut praehabitum est, quare dicere habemus principatum ecclesiasticum successione quadam a primo principe scilicet Petro dependere, et sicut principatus Petri a legatione Christi dependebat ita et omnium episcoporum », et paulo post: « Nam et inter apostolos *quaedam fuit discretio*: et licet omnes essent apostoli, Petro tamen concessum est a Domino: et ipsi inter se idipsum voluerunt ut reliquis omnibus praeesset apostolis, et Cephas id est caput et principium teneret apostolatus, qui et eandem formam successoribus suis et reliquis episcopis tenendam tradiderunt ».

(4) Quis enim admittat quod ibid. contendit Cusanus, auctoritatem in ecclesia pendere ex contractu sociali? Imo et Christum, volentibus apostolis, constituisse Petrum principem ecclesiae suae, ut exinde concludat hos potuisse exercere auctoritatem super ipsum? Episcopos omnes, et forte etiam presbyteros, ut ipse loquitur, aequalis potestatis esse quoad jurisdictionem, licet non executionis? Aliaque ejusmodi quae in disputationis aestu eidem exciderunt, quaeque nec probarentur a Palmerio ipso?

vera fide (1). Verum quidem est plures patres accepisse *petram de Petro* inter quos Tertullianus, Origenes, Cyprianus aliique quos idem Natalis Alex. recenset; ast ex hoc recte infertur ecclesiam nullam traditionem apostolicam accepisse circa sensum prioris partis hujus textus; Constat praeterea non modo diversos patres diversam hujus loci dedisse interpretationem, sed eosdem patres, diversis temporibus eum diversimode interpretatos esse, ut patet ex Augustino, qui *liberum* relinquit unicuique intelligere *petram* aut de *Petro*, *aut de ipso Christo* (*Retract.* lib. I. cap. XXVII.). Nulla igitur interpretatio *de fide* est, aut sufficere potest ad fidei articulum adstruendum, quod nobis in praesentia satis est. Et haec de prima textus parte; ad alteram enim quod spectat de *potestate clavium*, eam minime evincere quod romanenses contendunt 2. aperte liquet ex facto admisso a Dupinio, omnes scilicet antiquos patres *unanimi consensu* docere, claves *universae ecclesiae datas esse in persona Petri*. Haec est doctrina Tertulliani, Cypriani, Hieronymi, Optati, Gaudentii, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Theophylacti, Eucherii, Bedae, Rabani, Lyrani, Hincmari, Odonis, Petri Blesensis, aliorumque pene innumerorum (2). Ergo apposite concludit Dupinius: claves hoc in loco significare nequeunt potestatem principalem super totam ecclesiam, ut contendit Bellarminus; neque inferri potest ex eo, Petrum aliquid accepisse quod collatum non sit apostolis reliquis. Ergo multo minus poterit romanensium circa hunc textum recepta interpretatio fulciri consensu universali ecclesiae, neque fidei articulo fundamentum praebere. 3. Insuper diversa interpretatio hujus loci probabilior est. Cum enim *fundamentum* significet id ex quo incipit aedificium ipsumque sustentat; cumque *claves* cum potestate ligandi atque solvendi exprimant privilegium aperiendi quod hactenus clausum fuit, hinc Petrus debebat incipere et sustentare ecclesiam, ejusque januam credentibus aperire. 4. Haec interpretatio antiqui auctoris est, qui sub Ambrosii nomine circumfertur: « Petra enim dicitur, scribit, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit (3) », eamque tuetur Tertullianus (4). Ex quo merito infert Dupinius, quod si haec verba de persona Petri dicta fuerunt, non significare supremam potestatem Petro collatam, ut perperam contendit Bellarminus, sed primas partes ac magnos labores quos Petrus in conversione infidelium, et ecclesiarum administratione exantlare debebat (5). Ergo.

470. Resp. *N. A.* ad 1. prob. *D.* Idest ecclesiae patres praeter expositionem *litteralem*, ac *primariam* de primatu Petri alias *secundarias* ac *improprias* per quandam extensionem interpretationes illius textus adjecerunt, quae primariam confirment, *C.* ad exclusionem expositionis litteralis et primariae *N.* Certum enim est 1. Patres quatuor priorum seculorum constanter ac unanimi consensione intellexisse in sensu litterali proprio ac primitivo verba Christi de Petri persona, ac de primatus dignitate illi soli collata (6): certum est 2. ipsam

(1) Nat. Alex. diss. IV. in sec. XV. et XVI. n. XI.

(2) Dupinius *De antiq. eccles. discipl.* p. 309.

(3) Serm. II. *De sanctis*.

(4) *De pudicitia* p. 574. edit. Rigalt.

(5) Ita rursum Palmer op. et loc. cit.

(6) Cf. Card. Du Perron op. cit. cap. LVI. pag. 448. ubi scribit: « La différénce de ces deux expositions est, que l' une est immédiate, et l' autre médiate: l' une directe et l' autre collatérale; l' une littérale, et l' au-

ecclesiam universalem orientalem et occidentalem eundem sensum horum verborum professam esse in formula ab Hormisda rom. Pontifice subscribenda proposita orientalibus (1): certum est proinde 3. reliquas tres interpretationes postea adjectas, non esse nisi secundarias, adventitias, temporarias ex peculiari occasione datas, et per quandam, ut ajunt, extensionem applicatas aliis praeter quam personae Petri, et genuinum sensum minime excludere, sed eidem inniti eumque supponere (2).

471. Et sane ut a prima interpretatione quae objicitur incipiamus: nonnulli patres verba Christi exponunt de apostolis in genere, *D.* Ratione apostolatus, *C.* ratione fundamenti, subd. exponunt de apostolis uti fundamento secundario, *C.* uti primario *N.* Quae ut magis patefiant animadvertendum est cum card. Du Perron, duplicem distingui in apostolis potestatem, alteram *intrinsecam* et *essentialem;* alteram vero *accidentalem* et *extrinsecam*, seu clarius aliis verbis, potestatem *ordinis* ac potestatem *jurisdictionis*. Illa erat potestas evulgandi evangelium, conficiendi sacramenta, episcopos et presbyteros consecrandi, ecclesias fundandi et similia; isthaec erat potestas praesidendi fidelibus, eosque regendi, errantes revocandi et corrigendi, in unitate conservandi, aliaque hujusmodi praestandi. In priori potestate aequales Petro fuerunt apostoli omnes et hoc sensu vocantur fundamenta ecclesiae una cum Petro; in posteriori dispares fuerunt ceteri apostoli a Petro, quia a Christo, ut vidimus, ipse constitutus fuit fons, radix, et fundamentum ecclesiasticae unitatis (3).

472. Quod vero spectat ad secundam interpretationem: alii patres *Petrae* nomine intelligunt Christum ipsum, *D.* ut petram principalem et meritoriam firmitatis petrae secundariae, *C.* ad exclusionem petrae secundariae, Petri nempe, quae a petra principali firmetur *N.* Voluerunt scilicet patres per ejusmodi interpretationem significare Christum solum esse petram principalem ecclesiae, juxta illud Pauli 1. Cor. III. 11. « Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus ». At non inficiantur Petrum esse petram secundariam et in Christo fundatam, prout postulat orationis series ac verborum constructio. Etenim, si Petro semoto, super se tantum Christus aedificatam ecclesiam adductis voluisset verbis, significare uti adnotat p. Scheffmacher, sic deberet eorum syntaxis constitui: « Tu es Petrus, tu Simon quem alloquor, et ego qui tecum loquor, sum ista petra, et super hanc petram, id est super me,

tre morale: l'une originale et perpétuelle, et l'autre accessoire et temporelle; l'une conseignée des le commencement, et l'autre introduite par occasion ».

(1) In hac enim formula dicitur: « Prima salus est rectae fidei regulam custodire, et a patrum traditione nullatenus deviare; quia non potest D. N. J. Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio ». Jam vero Bossueto adnotante: « Haec professio ab Hormisda papa dictata ab omnibus episcopis orientalibus eorumque antesignanis Constantinopolitanis patriarchis est recepta . . . ut certum sit hanc formulam a tota ecclesia catholica comprobatam ». *Defensio declarat. cleri Gall.* lib. XX. al. XV. cap. VII.

(2) Cf. Ballerin. op. cit. cap. XII.

(3) Op. cit. *Réplique au Roi de la grande Bretagne* cap. cit. pag. 450. 458.

aedificabo ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni coelorum (1) ». Quis porro affirmabit Christum adeo inconcinniter, immo insipienter esse locutum? Itaque non Christus, sed Petrus per illud *petrae* vocabulum apud Matthaeum significatur, prout reipsa versiones omnes, si vulgatam excipias quae sequitur textum graecum (2), habent constanter: Tu es *petra* et super hanc *petram*: ita

(1) *Lettres d' un docteur catholique à un grand homme protestant*. Strasb. 1730. tom. 1. *Trois. lettr.* pag. 171.

Huc pariter spectat pulcherrima laudati cardinalis observatio circa nomen *Petri* in loco de quo agimus. Voluit Christus his verbis: *Tu es Petrus etc.* allusionem facere ad nomen s. Petri. Jam vero omnes allusiones ad nomina vel allusiones sunt *confirmationis*, vel *reprehensionis*. Allusiones confirmationis illae dicuntur quibus probatur aut confirmatur nominis impositio quod alicui primum datum est, uti cum Vopiscus vocat imperatorem Probum *vere probum*; et imperatorem Carum *vere carum*; ac sanctus Athanasius dicit Hosium vere *hosium* id est vere *sanctum*; conc. Constantinopolitanum sub Menna celebratum appellat pontificem Agapetum vere *agapetum* id est *dilectum* seu *amatum*. Allusiones correctionis illae sunt, quae fiunt ad corrigendum ac reprehendendum eo quod aliquem immerito nomen gerat ei impositum: haec autem correctio duplici ratione fit; aut scilicet per negationem ac per antithesim, ut cum Noëmi dixit: *Ne vocetis me Noëmi* id est *pulchram*, sed vocate me *Mara* id est *Amaram*; aut per translationem quatenus significatur alteri potius, quam illi nomen aptari, cui impositum est; veluti cum s. Augustinus loquens de Absalom cujus nomen significat *patrem pacis*, asserit verum Absalom esse Christum Jesum. Porro si cum Christus dixit: » *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, petrae voce significavit Petri personam, facere voluit allusionem approbationis; quod si intellexisset seipsum, fecisset allusionem translationis, ac proinde correctionis. At omnia adjuncta clamant Christum hic nullomodo intendisse ejusmodi correctionem aut improbationem Petro facere perinde ac si apostolus indigne Petri, seu petrae nomen illi impositum gessisset, tum quia ipsemet Christus illi hoc nomen imposuerat, tum quia voluit Christus remunerari ejus fidei confessionem, tum denique quia hunc sensum excludit illud exordium: *Beatus es Simon Bar-Jona*. Restat igitur ut Christus voluerit facere allusionem approbationis, ac proinde hoc nomine Petri personam designaverit, non autem seipsum. Cf. op. cit. pag. 465. seq.

(2) Ratio hujus mutationis in textu graeco *Petri et petrae* desumitur ex proprietate linguae grecae in quo voces Πέτρος et πέτρα in masculino ac faeminino genere promiscue usurpantur ad idem significandum. Cum igitur Christus dixerit syriace: Tu es cepha (petra) et super hanc cepha (petram) aedificabo ecclesiam meam graecus interpres, quoniam id lingua ferebat, masculinum genus Petri personae, foemineum rei quae significabatur, accommodavit. Vulgatus latinus sequutus est interpretem graecum. Grotius penitiorem rationem exhibet quare Matthaei interpres mutaverit genus, quia nimirum πέτρος *usitate* id non significabat, quod Christus indicatum volebat, videlicet *saxum* tale, super quo aliquid aedificari soleat; hinc positum esse πέτρα. Ceterum nunc etiam recentiores protestantes interpretationem petitam ex vocibus πέτρος, et πέτρα explodunt. Satis sit hic exscribere verba Kuinoëlii in hunc loc. « Male, inquit, plures interpretes per πέτραν intellexerunt vel Christum ipsum, vel professionem Petri ante v. 16. editam. Vid. Sviceri thes. eccles. hac voc. Wolfius in Curis, Koecherus anal. ad h. l. Neque vero ad has contortas interpretationes confugissent interpretes, si non pontificii e verbis καὶ ἐπὶ ταυτῃ, τῃ πέτρᾳ ad Petrum relatis, male ac perperam vindicare voluissent Petri successoribus, hoc est, pontificibus rom. auctoritatem et praerogativam singularem ac divinam (est enim protestans rationalista qui ita scribit) ». Eadem fere habet Rosenmüller.

syriaca, arabica, persica, aethiopica (1), nec non armena, coptica, et ruthena (2).

473. Nec quidquam evincit quod legitur apud Apostolum: ***Petra autem erat Christus***; nam ex eo quod inibi Christus ***petrae*** nomine intelligatur, non fluit ipsummet hoc nomine intelligi Matth. XVI. aut in quovis alio Scripturarum loco ubicumque vox ***petrae*** occurrit, quod esset absurdum.

474. Augustinus utique aliique recensiti patres per ***petram*** apud Matthaeum intellexerunt Christum, non ad excludendum collatum Petro primatum, sed ad indicandam originem firmitatis quam consecutus est Petrus. Deinde vero quia s. Doctor in mutatione ***petrae*** et ***Petri*** ex ignoratione linguae syriacae, suspicatus est aliquod latere mysterium; tum etiam, quia cum ipse pugnaret adversus donatistas, qui sacramentorum vim ex ministrorum sanctitate derivabant, veritus est ne si in ***Petro fundata*** diceretur ecclesia, praesidium in eo sui erroris invenirent, maluit ad eripiendum illis quodcumque effugium fundamenti seu petrae rationem ad Christum revocare. Non ita tamen huic interpretationi haesit Augustinus, ut litteralem et obviam excluderet; siquidem enarr. in Ps. LXIX. ita scribit: « Petrus, qui paulo ante eum confessus erat filium Dei, et in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur ecclesia (3) », et alibi passim. Ceterum s. Doctor primatum Petri constanter agnovit, sive cum scripsit: « Ecce ubi commemorat Cyprianus quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus apostolum Petrum, in quo ***primatus apostolorum*** tam excellenti gratia praeeminet; . . . a posteriore Paulo esse correctum (4) », sive cum ait: « Cujus ecclesiae Petrus apostolus, propter apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam (5) », ut alia loca praeteream (6). Porro si excipias b. Hieronymum, et Theodoretum quorum expositio quin adversetur obviae ac litterali, eam potius aperte confirmat (7), reliqui Au-

(1) Cf. Walton in *Polyglotta* tom. v. ad hunc loc. Sine animadversione peculiari dimitti non debet versio persica, quae sic energice reddit verba Christi: « Et ego tibi dico: Tu es *petra religionis meae*, (id est lapis) et *fundamentum ecclesiae meae*, *super te extructum erit*, et portae inferi illam non destruent ».

(2) Cf. Card. Du-Perron op. et loc. cit. pag. 469. Placet haec omnia confirmare confessione ipsius Bezae, qui textum s. Matthaei ita commentatus est: « Dominus syriace loquens, nulla usus est agnominatione; sed utrobique dixit *Cepha*: quemadmodum et vernaculum nomen, *Pierre*, tam de proprio, quam de appellativo dicitur. In graeco quoque sermone πέτρος et πέτρα non re, sed terminatione tantum differunt ».

(3) n. 4.

(4) Lib. II. *de Baptismo* cap. I. num. 2.

(5) Tract. CXXIV. in Jo. n. 5.

(6) Alia cf. apud P. Scheffmacher loc. cit.

(7) Etenim s. Hieronymus in cap. II. epist. ad Galat. scribit: « Non quod aliud significet Petrus, aliud cephas, sed quod quam nos latine et graece petram vocamus, hebraei et syri propter linguae inter se viciniam cephan nuncupent ». In lib. autem III. in Hierem. cap. XVI. « Non solum enim, inquit, Christus Petra, sed et apostolo Petro donavit, ut vocaretur Petra ». Textus qui objicitur ex Hieronymo desumptus est ex ejus commentario in cap. VII. s. Matth. v. 27. 28. ubi explanans s. Doctor Christi verba: *Qui aedificavit domum suam super arenam* etc. exponit mystice de Christo, qui est fundamentum principale et invisibile ecclesiae: porro in cap. XVI. nomen Petri de persona Petri interpretatur dicens: « Ita et Simoni, qui

gustinum secuti sunt in hac secundaria expositione (1).

475. Ut jam ad tertiam deveniamus interpretationem: plerique per *petram* aut *fidem Petri* aut fidei confessionem intellexerunt, *D.* in *concreto*, nempe Petrum divinitatem Christi confitentem, *C.* in *abstracto* vel *N.* vel subd. *causaliter*, ut cum scholis loquamur, *C. formaliter N.* Cum haec potior difficultas sit ob plurium patrum, V. potissimum et VI. seculi, expositionem, juverit nonnulla animadvertere ad eam enodandam. Patres enim praesertim post exortam arianam haeresim, cum cernerent firmissimum catholicae causae praesidium inesse illis Petri verbis: *Tu es Christus filius Dei vivi*: atque ob praeclaram adeo fidei confessionem a Christo super Petrum aedificatam ecclesiam esse, summis proinde laudibus eam extulerunt, et ipsammet fidei confessionem fundamentum ecclesiae nuncuparunt metonymice, id est translato nomine effectus ad causam, ut arianos divini Verbi osores liberius arguerent traducerentque veluti fundamenti ecclesiae eversores vastatoresque. Dum itaque patres nomine *petrae* intelligunt fidem et confessionem Petri non divisim a Petro, seu ut scholis loquendi mos est, in *abstracto*, sed *in concreto* spectatam, nempe prout a Petro edita est, eam intelligunt; nec Petrum excludunt sed supponunt, eadem ratione qua s. Hieronymus docet: « Super aquas ambulasse Petri fidem (2) »; id est Petrum credentem. Adde, ut recte observat s. Ambrosius (3), non super ossa, aut super carnem Petri aedificatam ecclesiam esse, sed super Petrum veram fidem confitentem.

476. Cum igitur secundariae et adjectae interpretationes patrum non modo non opponantur originariae, litterali ac nativae expositioni verborum Christi, imo huic innitantur eamque supponant, merito inferimus adversarii conatus prorsus evanescere quibus sibi aliisque persuadere nititur ex praedictarum interpretationum varietate non posse fidei articulum constitui; eo vel magis, quod iidem patres, qui alias adjecerunt expositiones, etiam originariam ac litteralem praebuerint (4). Hoc sane vel ipse ad-

credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen ». Sic etiam Theodoretus in cap. III. epist. I. ad Cor. Quod dixit apostolus: *Nemo potest aliud fundamentum ponere* etc. Affirmat Christum esse fundamentum principale seu potius fundamentum objectivum fidei nostrae, quod Petrus posuit in sua confessione, in quo nulla est difficultas.

(1) Cf. Franc. Ant. De Simeonibus *De rom. Pontificis judiciaria potestate*. Romae 1717. tom. I. cap. I. § VI. ubi adversus Launojum et Dupinium ostendit ejusmodi expositionem apprime conciliari cum litterali propria, etiam in sensu eorum patrum qui nobis objiciuntur.

(2) Apud De Simeonibus op. cit. cap. I. § V.

(3) De incarnat. cap. V. n. 34. Cf. card. Du Perron op. et loc. cit. nec non Ballerin. op. cit. cap. XII. § II. ubi apprime hanc pariter expositionem conciliat cum primaria ac litterali.

(4) Cf. card. Gerdil. *Analisi contro Launojo* opp. edit. rom. tom. XIII. pag. 10. seqq. ubi ostendit illos ipsos patres qui alias secundarias interpretationes dederunt textus evangelici: *Tu es Petrus* etc. dedisse etiam interpretationem quam vocavimus originariam, primitivam, litteralem ejusdem textus de persona Petri. Cum igitur ex tribus adjectis interpretationibus, quae de omnibus apostolis exponit, semper inter eos Petrum ut fundamentum principale esse affirmet; quae vero exponit de Christo, ita intelligat ut Christus sit *petra* quae Petrum faciat, quatenus nempe, ut loquitur s. Leo M. epist. XXVIII. ad Flavianum cap. V. Petrus « a Domino, et a principali petra soliditatem et virtutis traxit et nominis »; tertia vero quae exponit de fide Petri, de

versarius insinuat dum asserit patres eosdem diversis temporibus diversas dedisse interpretationes; quod sic intelligi debet, patres, primaria interpretatione supposita, alias deinde adjecisse quae magis scopo quem intendebant opportunae ipsis visae sunt.

477. Ad 2. *D.* Liquet ex facto admisso a Dupinio, si in sensu Dupinii ejusmodi factum reipsa subsisteret, *C.* si factum istud plane confictum sit a Sedis apostolicae infensissimis hostibus *N.* Ad ejusmodi porro figmentum quod Dupinius, Febronius aliique ejusdem farinae homines cum Richerianis factum autumant, evertendum insequentem propositionem adjecimus, quae tota est de hoc argumento. Ejusmodi vero facto, seu fundamento sublato ac everso, jam sponte sua concidunt quae eidem cum Dupinio suo superstruxit Palmer quin iis refellendis heic diutius immoremur.

478. Ad 3. *N.* Quamvis enim *fundamentum* etiam significet id ex quo incipit aedificium; quamvis *claves* exprimant etiam privilegium aperiendi quod hactenus clausum fuerat, non haec tamen sola est illis significatio. Ex communi siquidem hominum sensu, atque ex recepta praesertim in libris sacris significatione, fundamenti nomine intelligitur etiam id quod jugiter erectum semel aedificium sustentat, ac tamdiu subsistere debet quamdiu idem subsistit aedificium. Ad hanc ideam nobis ob oculos in re de qua agitur objiciendam post verba: « Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam » adjecit Christus: « Et portae inferi non praevalebunt adversus eam »: id est infernales potestates numquam evertent aut concutient aedificium super ejusmodi fundamento aedificatum. Idem dic de *clavibus*, quibus, ut vidimus, suprema significatur potestas in domum cujus claves alteri traduntur.

479. Ad 4. *D.* Etiam, *C.* solum *N.* Etenim postquam objectus nobis auctor dixit: « Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit » protinus, vix commate interposito, prosequitur: « *et tamquam saxum immobile totius operis christiani compagem, molemque contineat.* Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, et petra pro virtute Dominus nuncupatur... Recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur et operis (1) ». Ideo igitur juxta hunc auctorem Petrus dictus est « petra, eo quod primus in nationibus fundamenta posuerit », quia jam constitutus erat a Christo primas in ecclesia sua, et ad instar immobilis saxi universam debebat ecclesiam ex virtute Christi sustinere (2). Quod si Tertullianus jam montanista iis contradicit, quae catholicus scripserat, causa est ejus capitalis error, quod scilicet non transierit ad ecclesiam potestas a Christo Petro et apostolis collata ligandi et solvendi, seu remittendi peccata. Nimis propterea pro-

Petro confitente fidem accipi debeat, ut patet ex dictis; plane consequitur, eos non solum inter se cohaerere, sed omnino primam confirmare nempe originariam, eique inniti.

(1) Tom. v. opp. s. Ambros. edit. Rom. pag. 104. 105.

(2) Hic observo interpretationem, quam Palmer asserit esse probabilem, communem penes rationalistas factam esse; etenim Rosemmüller sic explanat haec Christi verba: « Efficiam te primum constantem religionis meae professorem, cujus ministerio ecclesia mea fundabitur » .... Quum ergo dicit Christus οἰκοδομήσω, tempus illud respicit, quo *Petrus* primus omnium judaeis (act. II. 14. seqq.) deinde et alienigenis (act. X. et XV. 7.) erat annuntiaturus id ipsum, quod hic profitebatur, nempe Jesum esse Christum unigenitum Dei filium ». Eamdem interpretationem sequitur Kuinoël in hunc loc. et alii passim.

baret, quam vellet adversarius (1). Ruit proinde Dupinii conclusio.

480. Inst. Perperam ex Jo. XXI. inferunt romanenses verbo *pascere* significari potestatem regendi et gubernandi, et vocibus agnorum et ovium universos designari christianos, pastores ac populum. Etenim illis verbis non contulit Christus Petro *potestatem* sed *admonitionem* dedit, perinde ac si dixisset: « Si tu, Simon, diligis me plus his, id ostende diligenter curando gregem meum ». Ita Chrysostomus (2), qui alibi saepe spectat veluti *officium* seu *jussionem* Petro datam, ostendere dilectionem suam erga Christum zelo pastorali (3). Videtur pariter Augustinus eadem ratione hunc textum intelligere (4). Clerus romanus aetate Cypriani loquens de cura pastorali, adducit haec Christi verba ad indicandum munus Petro a Christo commissum, et extendit ad apostolos et pastores reliquos (5). 2. Omnium sane patrum doctrina erat, verba haec non ad solum Petrum directa fuisse, sed ad omnes ministros Christi Jesu. Tournelyus, Dupinius, Natalis Alex. ac Launojus adducunt auctoritatem Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Basilii ut evincant non soli Petro, sed apostolis omnibus eorumque successoribus commissum fuisse gregem pascendum. Barowius illis adjecit Cyprianum, Cyrillum Alex. aliosque. 3. Animadvertit praeterea Dupinius quod si nonnulli patres cujusmodi sunt Leo M., Theophylactus et Chrysostomus totius gregis in universo mundo curam Petro demandatam fuisse docent, et exinde inferunt Petrum ceteris apostolis fuisse praepositum, debeat in mentem revocari omnes apostolos perinde ac Petrum potestate praeditos fuisse *docendi omnes gentes*. 4. Quod vero spectat ad interpretationem *ovium* et *agnorum* de *pastoribus* et *populo*, ea incerta est. Theophylactus interpretatur de *perfectis* et *imperfectis* christianis. 5. Quare concludit Dupinius primatum pontificis haud posse ex his locis adductis a Bellarmino colligi saltem ea ratione qua ipse id contendit; verum censet quendam *primatum* inferri posse quatenus Petrus *repraesentabat* ecclesiam, et Christus eum prae aliis allocutus fuerit (6). Ergo.

481. R. N. A. Ad 1. prob. *D. Admonitionem* dedit simul et *potestatem*, *C.* solam *admonitionem* *N.* Supposita siquidem potestate potuit etiam adjicere admonitionem et exhortationem qua ad bene fungendum munere suo Petrus magis permoveretur. Ceterum, uti ostendimus, ratio ipsius officii quod Christus Petro commisit, omnino poscit ac involvit auctoritatem necessariam ad pascendum cum auctoritate gregem; alioquin oves devias neque corrigere, neque revocare posset. Utrumque sane conjunxit s. Jo. Chrysostomus in eo ipso qui nobis objicitur loco. En ejus verba: « Et cur aliis praetermissis (apostolis) de his hunc alloquitur? Eximius erat inter apostolos, os discipulorum, et *coetus illius caput*. Ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit. Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, *fratrum ei praefecturam* commit-

(1) En ejus verba ex lib. cit. *De pudicit.* cap. XXI. edit. Rigalt. p. 574. « Adeo nihil ad delicta fidelium capitalia potestas solvendi et alligandi Petro emancipata . . . Quid nunc et ad ecclesiam, et quidem tuam, psychice? Secundum enim Petri personam spiritalibus potestas illa conveniet, aut apostolo, aut prophetae ».

(2) Hom. LXXXVIII. n. 8. p. 525.

(3) Apud Launoj. ep. VIII. pag. 132. ed. Colon. Allobrog.

(4) Tract. XLVII. in Jo. tom. III. pag. 607.

(5) Ep. III. ed. Pamel.

(6) Ita Palmer op. et loc. cit.

tit... Dicit autem si amas me, fratrum *praefecturam* suscipe (1) » ac paulo post docet: « Petrum non throni hujus (Hierosolymitani), sed *totius orbis doctorem* a Christo statutum fuisse (2) ». Augustinus autem id unum contendit, quod cum Christus vellet facere Petrum pastorem bonum eo quod ei pascendas commiserit oves suas, ipsi praenuntiaverit mortem subeundam pro ovibus quas ei pascendas tradidit, adeoque universo gregi dominico praepositum supponit (3). Clerus romanus tantum scribit reliquos apostolos etiam pavisse gregem Domini, ita tamen ut primatum servet ecclesiae romanae, ideoque et Petro (4). Ex his discimus quam parum fidendum sit ejusmodi hominum citationibus, qui impugnant Petri primatum.

482. Ad 2. *D.* Per quandam extensionem et participationem, salvo Petri primatu, *C.* hoc excluso *N.* Item: Natalis Alex. et Tournelyus nonnullorum patrum auctoritatem adducunt, ut ostendant non soli Petro, sed et reliquis apostolis eorumque successoribus commissum fuisse gregem pascendum *D.* in sensu exposito *C.* in sensu adversarii *N.* Quod vero attinet ad Dupinium, Launojum ac Barowium, quidquid isti sublestae fidei homines senserint, nihil nostra refert. Igitur, aliud est, Christi verba in quodam sensu ampliativo ut vocant atque extensivo applicare etiam apostolis reliquis, imo generatim omnibus curam animarum gerentibus pro uniuscujusque gradu et ordine, uti fecerunt patres et nos cum ipsis; aliud vero ita haec intelligere verba de apostolis aliisque pastoribus ut excludatur primatus Petri, quod numquam patres praestiterunt, imo contrarium ubique asserunt. Sane Natalis Alex. his Christi verbis utitur cum interpretatione patrum ad vindicandum Petro primatum jurisdictionis (5). Hunc eundem primatum colligit etiam Tournelyus ex hoc textu (6). Quod si iidem auctores adducunt etiam auctoritatem patrum,

(1) Καὶ τί δήποτε τοὺς ἄλλους παραδραμὼν τούτῳ περὶ τούτων διαλέγεται; ἔκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ· διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη τότε αὐτὸν ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους. Ἅμα δὲ καὶ δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαῤῥεῖν λοιπὸν, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξεληλαμένης ἐγχειρίζεται τὴν προστάσίαν τῶν ἀδελφῶν .... λέγει δὲ, ὅτι εἰ φιλεῖς με προΐστασο τῶν ἀδελφῶν. Hom. cit. tom. VIII. p. 525.

(2) Ἐκεῖνο ἂν εἴποιμι, ὅτι τοῦτον οὐ τοῦ θρόνου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον. Ibid. p. 527.

(3) Cf. loc. cit. sub finem n. 2.

(4) Reipsa clerus rom. in objecta epistola inter cetera scribit ad clerum Carthaginiensem: « Et cum incumbat nobis qui videmur praepositi esse, et *vice pastoris*, custodire gregem etc. » in quae verba Pamelius apposite haec adnotat: « Videtur alludere ad praerogativam sedis romanae ad quam pertinet ecclesiarum omnium sollicitudo, de qua latius infra loca Scripturae hic allegata sunt Ezech. 34. Jo. 10. et ultimo ».

(5) Dissert. IV. in sec. I. prob. IV. Cum ibi retulisset Christi verba: *pasce agnos ... pasce oves*, pergit: « Quibus verbis summa rerum in ecclesia, et sacer nedum super ceteros fideles, *sed etiam super apostolos ipsos principatus* s. Petro a Christo Salvatore collatus est. Ita hunc locum *exponunt ss. Patres et veteres auctores ecclesiastici* ». Allegat porro auctoritatem Origenis, Ambrosii, Eucherii, Gregorii M. et s. Bernardi.

(6) Etenim Tournely in objecto loco in primis statuit generalem conclusionem: « Sanctus Petrus primatum accepit a Christo super alios apostolos ». Hanc vero conclusionem evincit secundo argumento deducto ex Christi verbis apud Joannem: « Quibus verbis, inquit, primatus s. Petri supra ceteros apostolos merito colligitur .... hoc sensu quod soli

ut, juxta placita gallicana quibus ambo adhaerent, evincant concilium esse supra pontificem (1), haec privata ipsorum sententia non opponitur primatui jurisdictionis divinitus collato soli Petro; quod nobis in praesentia sufficit: istorum autem sententiam paulo post expendemus (2).

483. Ad 3. *D.* Sed immerito haec Dupinius animadvertit, *C.* jure merito *N.* Quomodo enim apostolorum missio componatur cum Petri primatu superius diximus.

484. Ad 4. *D.* Est incerta peculiaris interpretatio, quod nomine *agnorum* significentur fideles, nomine autem *ovium* significentur pastores, Tr. incerta est interpretatio qua complexive agnorum et ovium vocibus significetur universus dominicus grex *N.* Duo haec inter se permisceri nequeunt; nam prior interpretatio nonnullorum est, atque innixa analogiae agnorum et ovium (3); posterior communis omnium patrum est, ac priorem includit (4). Includit pariter interpretationem Theophylacti, qui eatenus exponit vocem agnorum de *simplicioribus* fidelibus, ovium vero de *perfectioribus*, quatenus, ut ibid. ipse scribit, Christus « commisit Petro *fidelium omnium* praefecturam (5) », universi autem fideles distinguuntur in perfectos, et imperfectos.

485. Ad 5. Resp. Falso ac temere Dupinium ita concludere, ut patet ex discussione quam fecimus ejus praemissarum (6). Quod vero attinet ad repraе-

Petro tamquam primatum gerenti, et ecclesiam universam repraesentanti, omnium ecclesiarum cura et sollicitudo concredita sit ».

(1) Natalis Alex. Dissert. IV. in sec. XV. et XVI. n. VIII. Tournely loc. cit. ubi contendunt Petrum vi primatus superiorem quidem esse *super alias ecclesias particulares*, minime vero superiorem universali ecclesiae et concilio generali, ad mentem concilii Constantiensis, de quo postea.

(2) Ex his colligitur Palmerum in magna confusione versari, dum permiscet duas quaestiones plane inter se diversas, dogma nempe fidei admissum ab omnibus catholicis de primatu jurisdictionis Petro a Christo collato, et sententiam gallicanorum, quae, salva fide, ab ipsis propugnatur circa limites ejusmodi jurisdictionis, utrum nempe auctoritati conciliorum generalium subjiciatur aut e converso.

(3) Hanc distinctionem facile omnium primus dedit s. Eucherius episc. Lugdunensis in sermone de Natali ss. apostolorum Petri et Pauli, perperam quondam Eusebio Emisseno adscripto, cujus omnium ore trita verba haec sunt: « Prius agnos, deinde oves commisit ei; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et praelatos. Omnium igitur pastor est, quia praeter agnos et oves, in ecclesia nihil est ». Hunc deinceps alii secuti sunt.

(4) Cf. Ballerinium op. cit. cap. XII. § III. item De Simeonibus op. cit. cap. III.

(5) Ἐνεχείρησε μεν τῷ Πέτρῳ τὴν πάντων τῶν πιστῶν προστασίαν, opp. edit. Venet. 1754. tom. I. pag. 771.

(6) Quoniam Palmer Dupinii ac Launoji auctoritate utitur perinde ac si quidpiam valeret penes catholicos, sciat scriptores hosce ab omnibus sinceris catholicis respui, atque utpote primatus rom. pontificis osores et hostes acerrimos refutari. Et quamquam, ut vidimus, interdum ad fucum faciendum nonnulla intermisceant, quibus videntur adhuc in Petro ac propterea in rom. pontifice aliquem primatum et quidem jurisdictionis admittere, re tamen ipsum evertunt. Cf. quae de Dupinio habet Charlas *in appendice ad tractatum de libertatibus ecclesiae gallicanae*. Romae 1720. tom. III. praefat. pag. 5. seqq. Legi praeterea merentur quae de janseniano, seu potius incredulo homine referuntur in celebri op. ex gallico in linguam italicam converso *Realtà del progetto* di Borgo-Fontana. Assisi 1787. tom. I. part. III. § V. pag. 227. Clemens XI.

sentationem, seu figuram ecclesiae quam Petrus gerebat cum Christus eum allocutus est, paulo post exponemus quo sensu intelligi debeat.

486. III. Obj. et inst. 1. Si reipsa per adductos textus evangelicos, praesertim vero Matth. XVI., promisisset Christus Petro primatum, haud orta subinde esset inter apostolos contentio, « quis eorum videretur esse major », ut legitur ibid. XVIII. Christus enim ad compescendam ejusmodi contentionem respondisset, litem jamdiu esse diremptam ex promissione principatus Petro facta; contra vero Christus respondit: « Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister (1) ». 2. Probe enim noverunt apostoli quod Christus cum omnes interrogasset « vos autem quem me esse dicitis? » respondissetque Petrus omnium nomine: « Tu es Christus filius Dei vivi », in persona Petri constituerit omnes eadem ratione fundamentum ecclesiae, promiseritque omnibus claves regni caelorum. 3. Id adhuc apertius ex Matth. XVIII. ubi omnibus ex aequo et in communi confert Christus amplissimam clavium potestatem, ligandi nempe atque solvendi. 4. Quapropter act. VII. legitur apostolos *misisse* Petrum et Joannem Samariam; quae agendi ratio ostendit luculentissime apostolorum omnium omnimodam aequalitatem. 5. Quod si aliquis vindicare sibi posset primatum inter apostolos, is esset Jacobus potius quam Petrus; Jacobus enim primo loco ante Cepham nominatur a Paulo (Gal. III. 9); ipse constitutus fuit episcopus Hierosolymitanae ecclesiae, quae est mater omnium ecclesiarum, ac propterea est successor Christi, quia Christus fuit episcopus Hierosolymae, non autem Romae (2); 6. aut saltem Paulus aequalis Petro esset dicendus cui « creditum est evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis (3) », ac propterea jurisdictio inter ipsos divisa est; 7. Paulus praeterea Petro « in faciem restitit, quia reprehensibilis erat (4) ». 8. Hoc insuper docent patres, qui Paulum vel *apostolorum ducem* vocant, ut Chrysostomus (5), vel *apostolorum maximum* et *primum omnium*, ut idem s. Doctor (6); vel *apostolorum supremum*,

Brevi dato 10. Apr. 1701. Galliarum regi, gratias ei agens eo quod Dupinium quippe qui subscripserat celebri conscientiae casui, in exilium pepulisset, eum vocat *nequioris doctrinae hominem, temerataeque saepius apostolicae sedis reum*. Protestans autem Jo. Frickius in compendio quod edidit *Bibliothecae ecclesiasticae* loquens de Dupinio ejusdem *bibliothecae* auctore « Quam probe inquit, semel iterumque vir doctus *principiis protestantium*, hoc est veritati accedit! ». Et haec de Dupinio: quod vero spectat ad Launojum alterum heroem Palmeri, protestans Ant. Reiserus in op. edito Amstelodami an. 1585. cui tit. *Joannes Launojus testis et confessor veritatis evangelico-catholicae (id est Lutheranae) in potioribus fidei capitibus controversis adversus Robertum Bellarminum* etc. in praefat. eum vocat: « Theologum parisiensem et Sorbonistam inter suos jure ac merito celeberrimum, curiae romanensis, et eorum, quae ibi adversus Scripturam et antiquitatem orthodoxam publice docentur, et absque ullo rubore aguntur, *hostem acerrimum et irreconciliabilem* ». Et ejusmodi auctores veluti catholicos nobis opponit Palmer! Cf. Zaccaria *Anti-Febbronio*. Cesena 1770. *Introduzione* cap. VI. § X.

(1) Matth. XX. 26. Ita Magdeburg. centuriatores, cent. II. cap. VII.

(2) Ita Febronius et Tamburinius quibus jam praeiverant protestantes.

(3) Galat. II. 7.

(4) Ibid. V. 11.

(5) Hom. I. *De precatione* opp. ed. Maur. tom. II. pag. 782.

(6) Hom. III. in Matth. tom. VII. pag. 42.

ut Hilarius Arelatensis (1), vel *principem* aut *proto-coryphaeum*, ut patres Florentini (2). 9. Id ipsum suadent vetera monumenta, imagines scilicet et nummi in quibus Paulus ad dexteram, Petrus ad laevam visitur; 10. suadent denique facta ipsa rom. Pontificum, qui Petri et Pauli auctoritate se suffultos asserunt dum aliquid magni decernunt. 11. Sane Papebrochius omni documentorum genere ostendit Paulum fuisse episcopum romanum (3). Ergo.

487. Ad 1. *D.* Si apostoli tunc rudes adhuc promissionem Petro factam sub duplicis metaphorae velamine probe intellexissent, Tr. vel *C.* si eam, omnimode saltem, assecuti non sint *N.* Cum ageretur de promissione in futurum adimplenda et sub figurata locutione facta, nil mirum si ejus vim rudes admodum apostoli assecuti non fuerint: cum tamen aliquid de futuro Petri primatu suspicati fuissent, ideo orta est inter illos contentio (4). Christus porro omne volens ex ipsorum corde ambitionis ulcus convellere, eos adhortatus est ad sectandam humilitatem, proposito sui ipsius exemplo. Licet enim ipse foret omnium magister et dominus, attamen ita se gessit perinde ac si esset omnium administer. Ex quo intelligimus Christum in data responsione noluisse excludere dignitatem ac principatum, sed solum ambitum et dominationis abusum. Hoc melius apparet ex Luc. XXII. 26, qui sic verba Christi refert: « Qui *major est* in vobis, fiat sicut minister, et qui praecessor est (ἡγούμενος *dux*) fiat sicut ministrator (5) ».

488. Ad 2. *Neg.* sequelam. Etenim ex eo quod Christus apostolos omnes interrogaverit, non sequitur ad omnes eadem ratione spectare verba quibus ipse remuneratus est fidem et confessionem Petri. Nam 1. ceteris haesitantibus apostolis et tacentibus, solus Petrus cui Pater revelaverat aeternam filii sui generationem respondit: « Tu es Christus filius Dei vivi »; cui propterea vicem rependens Christus reposuit: « Beatus es, Simon Bar-jona, quia caro et sanguis non revelavit *tibi, sed Pater meus* »; adeoque illum solum Christus constituit petram ecclesiae suae, quem Pater praeelegerat ad manifestandam divinitatem filii sui, hic autem *solus* fuit Petrus. Quod ostendit series sermonis ipsius Christi, qui propterea adjecit: *Et ego dico tibi* etc. (6). 2. quia Christus singulari numero alloquitur solum Petrum; 3. quod si ceteris apostolis facta est communis responsio Petri, id tantum contigit per consensionem et approbationem, non autem alia ratione, ac proinde, quod

(1) Apud Veith S. J. *De primatu et infall. rom. pont.* August. Vindel. 1781. pag. 42.

(2) Ibid.

(3) *In exhibit. error.* p. I. ar. VII. ad accusat. V.

(4) Ita Origenes, Chrysostomus, Hieronymus in cap. XVIII. Matth.

(5) Cf. card. Duperron op. cit. cap. LVI. pag. 455.

(6) Optime s. Leo M. ita Christum Petrum alloquentem inducit: « Ideo beatus es, quia te Pater meus docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio coelestis instruxit: et non caro et sanguis, sed ille me tibi, cujus sum unigenitus filius, indicavit: *Et ego*, inquit, *dico tibi:* hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam; ita ego tibi notam facio excellentiam tuam. *Quia tu es Petrus:* id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego *lapis angularis*, *qui facio utraque unum*, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia ». Serm. IV. *De natali ipsius* IV. ed. Baller. tom. I. col. 17.

consequens est ac patres adnotant, etiam per *participationem et quandam communicationem* facti et ipsi sunt *petra et fundamentum* ecclesiae per adhaesionem ad petram principalem quae fuit Petrus (1). Ex his etiam patet quo sensu dixerit Hieronymus: « Super omnes apostolos ex aequo ecclesiae fortitudo solidatur (2) », quodque nobis objici solet.

489. Ad 3. *D.* Sed diversa ratione ab ea qua soli Petro clavium potestatem promisit, *C.* eadem ratione *N.* Nam reliqui apostoli quidquid acceperunt, acceperunt in communi et una cum Petro; Petrus vero quidquid accepit, accepit seorsum a reliquis ac singulariter. Hinc omne id quod ceteri apostoli etiam simul sumpti a Domino sunt consecuti, consecutus etiam est Petrus; sed non e converso id omne quod habuit Petrus solus, ceteri pariter habuerunt apostoli. Aliquid propterea Christus contulit speciale Petro quod non contulit reliquis apostolis, id est praeeminentiam atque primatum. Quo sensu scripsit s. Cyprianus de Petro: « Super illum *unum* aedificat ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas ... ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit (3) »: et alibi « et una ecclesia, et cathedra una super petram Domini vere fundata (4) ». Atque exinde factum est, ut apposite animadvertit card. Duperron, ut soli romani pontifices dicantur in *recto* successores s. Petri et in cathedra Petri, reliqui autem episcopi in communi dicantur successores apostolorum, nemo autem singulariter dicatur successor alicujus peculiaris apostoli, et in ejus cathedra; nec nisi in *obliquo*, quatenus scilicet in communione sunt cum cathedra Petri, aliquo modo dicuntur succedere etiam in cathedra Petri cum qua sunt conjuncti mediante romano pontifice pro tempore, Petri successore (5).

490. Ad 4. *D.* Petrus et Joannes

(1) Cf. Card. Du-Perron loc. cit. atque ita corruunt objectiones Febronii et Eybel aliorumque primatus Petri osorum.

(2) Lib. I. cont. Jovinian. n. 26. ubi praeterea e vestigio subdit: « Tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio ». Ed. Vallars. tom. II. col. 279. Ceterum, cum nonnulli protestantes animadverterint perperam detorqueri in alium sensum Christi verba, quod numquam antea pertentatum fuerat, aetate hac nostra, saltem in dubium textus hujus *authentiam* revocare sategerunt, prouti fecit Schultessius in op. *Vom Abendmahle*, seu *De Coena* etc. pag. 21. seqq. Verum insulsam prorsus opinionem risit vel ipse Bretschneider. Cf. Roskovány *De primatu rom. Pont.* Augustae Windel. 1834. § 2. not. (2).

(3) *De unit. eccles.* ed. Maur. pag. 195.

(4) Epist. XL. pag. 53.

(5) Op. cit. *Replique à la reponse du Roi de la grande Bretagne* cap. LVI. pag. 454. etiam Petrus de Marca in opusc. seu Dissert. *De discrimine cleric. et laic. ex jure divino*, etc. cap. III. § II. haec in rem nostram scribit: « Christus Dominus noster Apostolis omnibus et singulis in solidum ecclesiam suam fundandam, docendam et regendam commisit, ea tamen lege adjecta, ut Petrus inter eos primatum gereret et caput esset collegii illius apostolici, eo fine scilicet, ut praeter communem cum aliis curam, unitatis conservandae in exercendo regimine sollicitudo praecipue et specialiter illi competeret. Ideoque ut consilium illud Apostolis significaret, Petrum Christus veluti petram atque fundamentum ad ecclesiam aedificandam constituit. Praeterea sermone ad illum coram ceteris specialiter directo claves ecclesiae postmodum ipsi tradendas spopondit cum potestate ligandi atque solvendi. Quae pollicitatio Petro facta ad ceteros quoque apostolos pertinebat et ad ecclesiam universam ejusque pastores in futurum praeficiendos, scilicet ut scirent omnes ponti-

missi sunt Samariam ab aliis apostolis missione consilii, suasionis ac precis, *C.* missione auctoritatis *N.* Scilicet eadem ratione missi sunt Samariam Petrus et Joannes, qua Phinees et principes tribuum missi sunt ab israelitis (Jos. XXII. 13. 14); et Antiochiae fideles miserunt Paulum et Barnabam ad consulendos apostolos (act. XV. 2.). Ad ea igitur quae maximi omnium visa sunt momenti peragenda, qui inter ceteros primores fuissent legati missi sunt, non quasi a majoribus minores aut ab aequalibus aequales, sed quoniam ad id muneris obeundum postularentur. Porro cum samaritani in summo versarentur discrimine ob Simonis magi praestigias, idcirco Samariam missi sunt praecipui inter apostolos ad detegenda Simonis incantamenta atque ad impediendam samaritanorum seductionem (1).

491. Ad 5. *N.* Siquidem hunc primatum Jacobi non evincit in primis ordo exhibitus a Paulo in epist. ad Galatas; ut enim omittam plures lectiones antiquas graecas et latinas, plures patres, Hieronymum Chrysostomum, Theodoretum, Augustinum habere *Cepham, seu Petrum, Jacobum et Joannem* (2), exploratum est s. Paulum loc. cit. non tenuisse ordinem dignitatis ac eminentiae, sed ordinem cognitionis, quatenus scilicet cum Apostolus Hierosolymam petiit, invenit omnium primum Jacobum, quia Petrus absens erat, adeoque Jacobus prius cognovit gratiam Dei quae data erat Paulo (3).

492. Neque praeterea ejusmodi principatum Jacobi evincit ejus episcopatus hierosolymitanus. Nam licet Solymorum ecclesia prima fuerit *antiquitate*, non tamen prima fuit *dignitate* et magisterio;

ficii potestatem semper cum Petri ecclesiae capitis communione et unitate retinendam, ad quod ipse praecipue cum potestate ligandi contumaces huic unitati cogere posset ».

(1) Cf. Card. Baronium ad an. Christi 35. n. x.

(2) Hieronymus, *Comment.* in ep. ad Gal. lib. I. cap. II. v. 7. 8. In Bibliotheca autem divina sequitur ordinem vulgatae, sed cf. ibi adnotationem Vallarsii. Chrysostomus *Comment.* in eandem epist. tom. x. pag. 685. Theodoretus in *Comm.* in cap. xv. epist. ad Rom. v. 26. tom. III. pag. 112. nec non in argumento praemisso, hujus epistolae commentario tom. III. pag. 263. Augustinus, *Exposit.* ep. ad Gal. tom. III. p. II. pag. 948.

Cf. etiam Card. Du-Perron op. et loc. cit. pag. 456. Inter ceteras lectiones in quibus alius ordo habetur diversus a vulgata, doctus cardinalis allegat etiam textum graecum Complutensem: at eum expendi et omnino illum comperi conformem textui communi.

(3) Estius censet primo loco Jacobum nominari hic ab Apostolo ob honorem Domini, cujus erat frater; et quia Hierosolymorum episcopus erat, ubi haec gerebantur; idemque maximi nominis apud Judaeos ob sanctitatis opinionem, ut liquet ex Josepho et Hegesippo. Cf. in Comm. in hunc loc. Ceterum vere haereticis, idest, protestantibus, aetatis nostrae aptare possumus quod de haereticis aetatis suae scribebat Anastasius Sinaita in op. cui tit. Ὁδηγὸς, seu *Dux viae - Adversus acephalos* cap. XIII. edit. Ingostad. 1606. pag. 240. Ἀλλ' οἱ αἱρετικῶν παῖδες ἐοίκασιν μονοφθάλμοις τισὶν ἀνθρώποις, τὰ μὲν τῶν πατέρων καθοροῦντες, τὰ δὲ παροροῦντες· nempe « Et haeretici quidem *similes sunt monoculis;* quaedam enim patrum (idem dic de Scripturis) dicta intelligunt; alia vero praetereunt ». Etenim, si hunc unicum locum excipias Galat. II. 9. et quidem probabilibus de causis, ubique sive in evangeliis, sive in aliis Novi Testamenti libris ubi mentio fit Petri aliorumque apostolorum; constanter Petrus primo loco recensetur: attamen quia hic primo loco ponitur Jacobus, deinde Cephas nominatur, cetera omnia testimonia praetereuntes, inferunt Jacobum superiorem fuisse Petro!

universa enim ecclesia praestantiam dignitatis in ecclesia romana semper agnovit (1). Praeclare Jo. Chrysostomus: « Quod si quis dixerit. Cur ergo Jacobus Hierosolymorum thronum accepit? Respondebo: Petrum non throni hujus, sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse (2) »; et paulo post iterum confirmat Christum Petro *orbem commisisse* (3). Ridiculum porro est quod adjicitur de successione Jesu Christi, perinde ac si Christus haberet successorem.

493. Ad 6. *N.* ad conf. *D.* Per specialem electionem Petri ad conversionem judaeorum, et Pauli ad conversionem gentium, neque id quidem exclusive, *C.* per divisionem auctoritatis *N.* Voluit scilicet Paulus objectis verbis significare specialem gratiam et vocationem datam a Deo fuisse Petro ad conversionem judaeorum, sibi vero ad conversionem gentium. Id vero in sensu exclusivo Apostolum minime protulisse patet ex facto, cum et Petrus omnium primus admiserit gentiles in ecclesiam (4), Paulus autem constanter prius praedicaret judaeis in synagogis antequam se converteret ad gentes (5).

494. Ad 7. *D.* Restitit correctione fraterna quoad modum conversandi quo utebatur Petrus, Tr. uti superior inferiori, aut uti aequalis aequali *N.* Omnes autem norunt posse subditum, dummodo debita reverentia fiat, superiorem commonefacere, ac teneri superiorem lege naturali atque divina veritati et rationi legitimae etiam ab inferiore sibi propositae consentire atque acquiescere, prouti reipsa Petrus se gessit (6). Transmisimus porro primum distinctionis membrum, cum nondum inter eruditos conveniat, num *Cephae* nomine hoc in loco veniat Petrus an alius discipulus a Petro diversus (7).

495. Ad 8. *D.* Hisce titulis Paulum

(1) Cf. Emman. Schelstrate: *Antiquitas ecclesiae*, Romae 1697. tom. II. Dissert. V. cap. V. ubi ostendit sedem hierosolymitanam solum honoris privilegium prae caeteris Palaestinae civitatibus a tempore Aelii Hadriani usque ad quarti seculi finem meruisse, post quod tempus Cyrillus dignitatem metropolitanam, Joannes vero autocephaliam praetenderunt. Sane Nicaenum concilium can. VII. haec habet: « Quia consuetudo obtinuit, et antiqua traditio, ut Aeliae episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva metropoli propria dignitate ». Quibus postremis verbis patres Nicaeni salvam volunt metropolis Caesareensis dignitatem, cujus Hierosolyma tunc erat suffraganea. Primum semper locum habuit ecclesia Romana in tota antiquitate, Alexandrina secundum, tertium vero Antiochena, idque in honorem s. Petri, qui aut in illis ecclesiis sedit, aut misit discipulum suum speciali missione ad eam instituendam, Marcum nempe Alexandriam.

(2) Loc. cit. ex Hom. LXXXVIII. in Jo.

(3) Ibid. n. 2. etiam s. Bernardus *De consid.* lib. II. ait: « Jacobus una Hierosolyma contentus, universitatem Petro cedit ». Cf. Bellarm. *De rom. Pontif.* lib. I. cap. XXVI.

(4) Act. X. XV. 7. 14.

(5) Ibid XIII. XIV., etc.

(6) Cf. Card. Du-Perron loc. cit. pag. 457. ubi ostendit ejusmodi reprehensionem non fuisse *auctoritatis* sed *charitatis* allegatis testimoniis s. Augustini et s. Jo. Chrysostomi.

(7) Cf. Harduinum in peculiari dissert. in qua *Cepham a Paulo reprehensum Petrum non esse ostenditur:* inter *opera selecta* ejusd. auctoris. Amstelod. 1709. pag. 920. seqq. Vallarsius quoque in adnotationibus ad Comment. s. Hieronymi in epist. ad Galat. lib. I. cap. II. in Harduini sententiam propendit, item Zaccaria in collectione cui tit. fecit: *Raccolta di Dissertazioni di Storia ecclesiastica*. Roma 1793. tom. III. Dissert. X. *Su Cefa ripreso da s. Paolo* pag. 202. seqq., aliique non pauci. Antiquissima haec

cumularunt ss. patres ob magnos ejus in apostolatu exantlatos labores, *C.* ob ejus cum Petro aequalitatem, aut etiam praeeminentiam *N.* Nam hi ipsi patres constanter Petrum principem apostolorum et ecclesiae caput agnoverunt et professi sunt, uti ostendimus.

496. Ad 9. *D.* Ob accidentales causas quas recensent archaeologi (1), *C.* ad Pauli praelationem significandam aut aequalitatem cum Petro *N.* Atque ut alia praetercam, in antiquis nummis imperatores christiani interdum occurrunt ad dexteram Deiparae; in nonnullis vitris ac picturis Petrus ad dexteram, Christus vero ad laevam visitur (2).

497. Ad 10. *D.* Ad implorandum utriusque patrocinium, *C.* ad parem utrique auctoritatem tribuendam *N.* Merito autem utriusque patrocinium romani pontifices implorant ad munus sibi commissum rite obeundum, cum utrique peculiares sint ecclesiae romanae patroni, quam simul laboribus ac doctrina excoluerunt, imo et sanguine irrigarunt. Quod si interdum rom. Pontifices commemorant auctoritatem Petri et Pauli, id in sensu, ut ajunt, accommodo ad ipsorum mentem intelligi debet (3).

498. Ad 11. *D.* Id est Petro adjutorem in subeundis Romae muneribus episcopalibus, *C.* aequalem Petro ac independentem *N.* Ita enim mentem suam aperit Papebrochius et mentem ss. patrum, rom. pontificum et catholicorum scriptorum in asserendo romano episcopatu apostolo Paulo ad amovendam calumniam in se conflatam a p. Sebastiano a s. Paulo (4).

quaestio est, nec pauci neque ignobiles scriptores distinguunt hunc Cepham a Petro. Haec indicavi, non quod ipse huic sententiae adstipulari velim, sed eo tantum animo, ut ostenderem non esse adeo exploratum, quod pro certo adversarii assumunt.

(1) Cf. Arringhium *Roma subterranea* tom. II. Boldetti, *Osservazioni sopra i Cimiterj de' santi Martiri*, cap. XXXIX. pag. 192. seqq. Bosio, *Roma sotterranea*, Roma 1754. tom. III. pag. 193. Buonarruoti, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro*. Firenze 1716. pag. 77. Cf. etiam eruditum Theophilum Raynaudum S. J. tum in *Heteroclitis* P. I. sect. III. punct. I. n. 5. Opp. edit. Lugd. 1665. tom. XV. tum in opusc. cui tit. *De bicipiti ecclesia sub ss. Petro et Paulo*. Punct. VII. n. 4. opp. tom. X.

(2) Cf. Veith op. cit. pag. 43. necnon Bened. Justinianum S. J. *in omnes B. Pauli epistolas explanationum* tom. I. Lugd. 1612. *Proleg. de Apostolatu*, disc. I. cap. IX. § 8. 9.

(3) Cf. Theoph. Raynaudum op. et loc. cit. n. 2. qui fuse adversus hanc jansenianorum haeresim de ecclesia bicipiti dimicat. Omnium primi illud paradoxum excogitarunt Martinus de Barcos in op. edito Paris. 1645. *De la grandeur de l' église rom. établie sur l' autorité de saint Pierre et saint Paul*; et Ant. Arnaldus in op. *De l' autorité de saint Pierre et de saint Paul, résident dans le Pape leur successeur*. Paris. eodem anno.

(4) Cf. Opusc. cui tit. *Responsio Daniel. Papebrochii ad exhibitionem errorum*, etc. Antwerp. 1696. part. I. art. II. § I. n. 14. art. V. § VII. n. 12. art. VII. n. 19. etc. ubi thesim de *ecclesia bicipiti* ab Arnaldo aliisque jansenianis introductam ut *haereticam* rejicit, statuitque rationem capitis penes unum s. Petrum, constare *catholicorum omnium consensu*.

Dum hic agerem de primatu s. Petro divinitus collato nullam mentionem injeci nonnullorum recentium ejusdem impugnatorum, Philareti e. g. metropolitae Moscoviensis, qui plura refert ad eum impugnandum, et anonymi cujusdam protestantis genevensis. Ille nimirum in opusc. cui tit. *Dialogus inter dubitantem et persuasum de orthodoxia orientalis*

PROPOSITIO II.

Eadem veritas evincitur ex traditione

499. Quoniam nonnulli primatus Petri adversarii nos provocare non abnuunt ad traditionem, quam se praeterea venerari profitentur, cujusmodi praecipue sunt qui ad novam scholam Oxoniensem pertinent, ideo libenter ad eam discutiendam accedimus, tum ut pateat arbitrariam haud esse textuum evangelicorum interpretationem quam catholici sequuntur, tum ut sensus antiquitatis magis elucescat, tum denique ut plenior evadat causae nostrae triumphus.

500. Ne tamen angustos tractationis fines intra quos nos continere debemus, praetergrediamur, cumque agatur de testimoniis quae omnibus pervia sunt ac vulgatissima; uti alias in pari casu nos gessimus, ea ad quaedam generalia principia veluti in tabulam synopticam redigemus, ut unico veluti obtutu patrum hac in re doctrina conspici atque usurpari possit. In septem propterea classes sic patrum haec testimonia distribuimus.

501. Prima complectitur eos patres qui verba Christi Matth. XVI. de Petri persona directe intellexerunt, et ita intellexerunt ut Petro praeeminentiam et auctoritatem supra reliquos apostolos a Christo collatam agnoscant: tales porro sunt XVII., ipso Launojo fatente, id est omnes patres qui quatuor prioribus seculis potissimum floruerunt, nempe Tertullianus (1), Origenes (2), Cyprianus (3),

graeco-russae ecclesiae. Petropoli 1829. pag. 129. seqq.; alter vero in Dissert. *Du pouvoir de saint Pierre dans l'église*. Genève 1833. Nihil porro isti proferunt, quod millies non fuerit contritum, atque etiam difficultatibus hic a nobis prolatis ac dissolutis praeoccupatum non sit. Ideo eos negligendos duxi cum praeter impudentiam in affirmando, ac vesanas declamationes nihil habeant de suo. Proferam speciminis gratia quae scribit furiosus iste protestans p. 19. « Eh! la conscience et le sens moral tout seul, *inquit*, ne nous disaient-ils pas d'avance que des hommes couverts d'orgueil, d'avarice, d'adultère, ne peuvent avoir reçu un privilége pareil? Ne peuvent délier, étant eux-mêmes encore dans le liens de Satan? Ne peuvent pardonner étant eux-mêmes encore sous la malédiction? » Et ita passim plebejus hic scriptor loquitur in opusculo cit., quod sub oculis habeo. Accepi autem hoc ipsum opusculum denuo recusum ampliori forma fuisse anno 1840. sub tit. *Appel à la conscience de tous les catholiques romains particulierment adréssé au Pape sur le vrai sens du passage* Tu es Pierre. Quae quidem editio furore ac impudentia priorem longe excedit, atque veri auctoris sui nomen praesefert, nempe A. Bost Evangelici ministri. Lacessit porro hic auctor in limine ipso opusculi Gregorium XVI., Archiep. Tolosanum tamquam Galliarum primatem, viros doctos, ac membra quaecumque romanae ecclesiae. Adeo insane debacchatur stultulus hic protestans!

(1) *De praescript.* cap. XXII. nec non in lib. *De monogam.* cap. VIII.

(2) Hom. V. in Exod., in cap. XVII. Matth. et lib. V. in epist. ad Rom. sitque apud Euseb. H. Ec. lib. VI. cap. XIX.

(3) Epist. LXX. ad Januar. Quoniam vero Launojus aliam lectionem secutus est, verba Cypriani afferam prout ea exhibent Pamelius, Rigaltius, Baluzius et cum ipso Maurinus editor. « Quando et baptisma unum sit, et Spiritus sanctus unus, et una ecclesia a Christo Domino super *Petrum* (Launojus habet *petram*) origine unitatis et ratione fundata ». Sic etiam epist. LXXIII. ad Jubaj. « Nam Petro, inquit, primum Dominus, super quem aedificavit ecclesiam, *et unde unitatis originem instituit et ostendit* (quae verba omisit Launojus) potestatem istam dedit, ut id solveretur in coelis, quod ille solvisset in terris ». Tum paulo post ibid. et in lib. *De unit. eccles.*

Firmilianus (1), Hilarius (2), Basilius (3), Ambrosius (4), Epiphanius (5), Gregorius Nissenus (6), Hieronymus (7), Augustinus (8), Cyrillus Alex. (9), Leo M. (10), Maximus Taurinensis (11) etc.

502. Secunda classis eos exhibet patres et scriptores ecclesiasticos, qui necessitatem adstruunt fidei Petri adhaerendi ut quis possit unitatem fidei servare, neque inter haereticos deputari; tales autem sunt ii omnes, qui exponunt eadem Christi verba: *Tu ex Petrus et super hanc petram* etc. de fidei confessione a Petro edita, et praedicanda; quatuor nempe supra quadraginta quos idem Launojus recenset (12). Etenim, ut in praecedenti prop. ostendimus, dum patres super fidei confessionem aedificatam a Christo ecclesiam docent, non confessionem Petri in abstracto significant, sed in concreto, ita ut sensus sit, Christum aedificasse ecclesiam suam supra Petrum confitentem ac praedicantem veram fidem. Quare, ut scite observat Ballerinius (13), non unicum illum fidei articulum de Christi divinitate complectuntur, sed universam fidem quam Petrus praedicare debebat, ac Petrus propterea non solum ecclesiae *petra* et *fundamentum* a patribus dicitur, sed *petra fidei* et *fidei fundamentum*. Hinc merito Cassianus sic Petrum loquentem inducit: « Illic habes personam meam, ubi confessionem meam (14) ». Porro cum Petrus neminem adigere posset ad unitatem fidei a se professae et praedicandae absque suprema auctoritate qua dissidentes cogere valeret, plane consequitur ex patrum mente illis verbis fuisse Petro primatum jurisdictionis a Christo collatum (15).

503. Tertia classis constituitur ex illis patrum testimoniis, qui rationem tra-

edit. Maur. pag. 194. « Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, etc. . . . super illum unum aedificat ecclesiam suam » plura alia occurrunt in eodem libro omissa a Launojo.

(1) In epist. ad Cyprian.

(2) In cap. XVI. Matth. atque in Psalm. CXXXI.

(3) In cap. II. Isai.

(4) Serm. XLVIII.

(5) In Ancorato.

(6) Orat. XXVI.

(7) In cap. XVI. Matth. et in epist. LVII. ad Damas. nec non in epist. ad Marcellam adver. Montan.

(8) Lib. I. *Retractat.* cap. XXI. ubi sic scribit: « Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tamquam in petra fundata sit ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipso petra ecclesiae canente culpam diluit. Sed scio me postea saepissime sic exposuisse *quod a Domino dictum est. Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam* (quae omnia verba omisit Launojus) ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus *dicens: Tu es Christus filius Dei vivi, ac si Petrus ob hoc petra appellatus, personam ecclesiae figurans, quae super hanc petram aedificatur, et accepit claves regni coelorum. Non enim dictum est illi: Tu es Petra, sed tu es Petrus. Petra enim erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota ecclesia confitetur, dictus est Petrus* (quae pariter omisit Launojus). Harum autem duarum sententiarum, quae sit probabilior eligat lector ». Cf. edit. Maur. tom. I. pag. 32.

(9) Lib. II. super Jo. cap. I.

(10) Epist. LXXV. ad Leonem Augustum.

(11) Hom. I. in *Natali Petri et Pauli*.

(12) Epist. VII. ad Voellium edit. Colon. Allobrog. tom. V. par. II. pag. 106. seqq.

(13) Oper. cit. *De vi ac ratione primatus*, cap. XII. § II. n. 47.

(14) Lib. III. *De incarn.* cap. XII. edit. Alardi Gazaei. Paris. 1642. In Missali gothico legitur: « Per hanc *fidei petram* basis ecclesiae fixus est (Petrus) ».

(15) Cf. Ballerinus loc. cit.

dunt quare Christus in Petro instituit primatum, ad constituendam videlicet conservandamque utriusque, fidei et communionis, in ecclesia unitatem. Tales sunt ii omnes, qui hanc tesseram adstruunt ad secernendos a catholicis haereticos et schismaticos, qui nempe non tenent fidem et communionem cum cathedra Petri; uti Irenaeus (1), Tertullianus (2), Cyprianus (3), Firmilianus (4), Optatus (5), Pacianus (6), Eusebius Vercellensis (7), Gregorius Nazianzenus (8), Ambrosius (9), conc. Aquilejense (10), Hieronymus (11), Augustinus (12) etc. Qui quamvis directe non semper loquantur de Petro, sed de sede Petri, cum tamen non aliam ob causam, quam ex eo quod Pontifices romani successores sunt s. Petri cui personalis ejusmodi praerogativa a Christo tributa fuerit primatus in universam ecclesiam, talia praedicaverint, liquet omnimodam vim hujusmodi patrum testimonia habere, aeque ac si directe de Petri primatu loquerentur (13).

504. Quarta classis ex illis exurgit patribus, qui verba Christi Jo. XXI. de suprema in universos apostolos, et universam ecclesiam auctoritate interpretantur. Sane praelationem Petri super

(1) Lib. III. *Cont. Haeres.* cap. III. « Maximae et antiquissimae et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae eam, quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successionem episcoporum venientem usque ad nos, indicantes *confundimus omnes eos* qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem *necesse est* omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, etc. » In quae verba Cf. quae egregie scribit D. Massuet Diss. III. art. IV.

(2) *De praescript.* cap. XXI. Cf. Chr. Lupum *Schol.* in cap. XXXVI. *De praescript.*

(3) Epist. LV. « Petri cathedra atque ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est ». Et in lib. *De unit. eccles.* passim, ac praesertim pag. 195. ubi legitur: « Qui cathedram Petri, super quem fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse confidit? » Equidem scio haec veluti glossema a nonnullis criticis respui, verum et illud novi haec ipsa verba ita referri in Pelagii II. epist. ad episcop. Istriae, et in antiquis etiam quibusdam codicibus reperiri, ac propterea retineri ab editoribus Manutio, Pamelio, Rigaltio, ac Maurino. Hic autem praeterea in praef. § III. observat, quod etiamsi verba haec dispungerentur, nihil hoc doctrinae officeret Cypriani, qui alibi passim, praesertim ep. XL., hunc primatum Petri et necessitatem huic adhaerendi primatui ut quis in ecclesia Christi censeri debeat, inculcat. Sed eum adisis loc. cit.

(4) In epist. ad Cyprian.

(5) Lib. VII. in Parmenian. edit. Albaspin. pag. 107. cujus textum inferius dabimus.

(6) Epist. III. ad Sympron. « Ipso referente Matthaeo, inquit, . . . ad Petrum locutus est Dominus, *ut unitatem formaret ex uno* ».

(7) In epist. Liberii ad eundem.

(8) In *Carmine vitae suae*.

(9) In Psalm. IV. num. 30. cujus praeclara haec sunt verba: « Ipse est Petrus, cui dixit Christus: Tu es Petrus . . . *Ubi ergo Petrus ibi ecclesia* ».

(10) Cui praefuit s. Ambrosius, tom. II. opp. s. Ambr. class. II. ep. II.

(11) Lib. I. *cont. Jovin.* n. 26. et epist. XV. ad Damas. n. 2. ed. Vallars.

(12) In ep. XLIII. n. 7. *In Psalmo cont. part. Donati*, tom. X. pag. 7.

(13) Cf. Ballerin. op. cit. cap. XIII. § I. seqq. a pag. 99. ad 220. ubi singulorum patrum testimoniorum vim fuse expendit.

apostolos reliquos exinde colligunt s. Leo M. (1), s. Jo. Chrysostomus (2), Stephanus Dorensis (3), s. Eucherius (4), quibus omnibus praeiverat s. Cyprianus (5). Super universam ecclesiam Petrum illis verbis fuisse constitutum aperte docent Hilarius Diaconus (6), s. Maximus Taurin. (7), s. Gelasius (8). Ecclesia Orientalis universa in epistola ad Symmachum Papam (9), Arator Subdiaconus (10), s. Jo. Chrysostomus (11), s. Ambrosius (12), s. Leo M. (13), s. Gregorius Magnus (14), s. Bernardus (15), Theophylactus (16), quos omnes antecessit Origenes (17).

505. Quinta classis componitur ex iis, qui absolute Petro ea tribuunt epitheta quae nonnisi suprema auctoritate praedito competere possunt, uti cum vocant Petrum *caput, apostolorum principem*, *apostolorum verticem*, *et os apostolorum*, *primum mundi praesidem*, quales inter ceteros sunt Hieronymus (18), Hilarius (19), Chrysosto-

(1) *Serm. III. de Natali ipsius*, cap. IV. edit. Ball. pag. 11. et serm. IV. cap. II. pag. 16.

(2) Hom. LXXXVIII. n. 1. ed. Maur. tom. VIII. pag. 525. et Hom. III. in *Act. Apost.* n. 1. et 3. ib. tom. IX. pag. 22-26.

(3) In *libello ad Martinum Papam* apud Hard. *Acta Conc.* tom. III. col. 714.

(4) Homil. in vigil. ss. Petri et Pauli in *Biblioth. Patrum* sub nomine Eusebii Emiseni tom. V. pag. 712. Colon. Agripp. 1618.

(5) In lib. de unit. eccles. pag. 195.

(6) In *comm. in epist. ad Gal.* cap. I. v. 18. edit. Maur. in append. ad opera s. Ambros. tom. II. pag. 213. cujus haec verba sunt: « Dignum fuit ut cuperet (Paulus) videre Petrum, quia primus erat inter apostolos, cui delegaverat Salvator *curam ecclesiarum* . . . ut sciret Petrus hanc illi (Paulo) datam licentiam, quam et ipse acceperat ».

(7) Hom. LXX. *De natali ss. Apost. Petri et Pauli*. Opp. edit. Rom. 1784. pag. 225. ubi: « Quantum igitur, inquit, meriti apud Deum suum Petrus erat, ut post naviculae parvae remigium, *totius ecclesiae gubernacula traderentur!* »

(8) Epist. V. ad *Honorium Dalmat. episc.* in act. Concil. Labbaei t. IV. col. 1172.

(9) Ibid. col. 1305. « Non enim ignoras ejus ingenium, inquiunt orientales, qui quotidie a sacro doctore tuo doceris *oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere* ».

(10) *Hist. Apost.* lib. I. in *Biblioth. Patrum*, Colon. Agripp. tomi VI. P. II. pag. 2. col. 2. F.

(11) Hom. LIV. al. LV. in Matth. ed. Maur. pag. 548. ubi scribit: « Pastorem (ecclesiae futurae) ipsum constituit . . . sed illum (Jeremiam) uni genti, hunc autem (Petrum) in universo terrarum orbe » ex quo infert Filium, qui talem contulit Petro potestatem, esse consubstantialem Patri, et alibi saepe.

(12) *Enarrat. in Psal.* XLIII. n. 40. ed. Maur. tom. I. col. 904.

(13) Serm. IV. edit. Ballerin. cap. IV. pag. 19. tum serm. III. *Assumpt. suae*, cap. IV. ib. p. 13., et ser. IV. *Assumpt. suae*, c. II. ib. pag. 16.

(14) Lib. V. epist. XX. ed. Maur. tom. II. pag. 748.

(15) *De considerat.* lib. II. cap. VIII. ed. Maur. vol. I. pag. 428.

(16) In cap. XXI. Joan. edit. Ven. 1754. tom. I. pag. 769.

(17) In cap. VI. ep. ad Rom. ed. Paris. 1572. pag. 354. col. 2. ubi haec leguntur: « Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum, velut super terram (forte *petram*) fundaretur ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitas exigitur ».

(18) Tom. II. ed. Vallars. p. 279.

(19) Edit. Veron. tom. I. col. 749. n. 7.

mus (1), Leo M. (2), aliique passim; cum eum dicunt *primatum super discipulos habuisse*, atque *apostolatus primatum* ut Augustinus (3), qui appellant *petram ecclesiae, petram infrangibilem, fundamentum, petram fidei*, ut Origenes, Chrysostomus, etc. (4), qui Petrum nuncupant *clavicularium coelorum*, vel *clavigerum, coeli janitorem, clavem ad regnum*, etc. (5).

506. Sexta classis conflatur ex illis patribus qui Petrum semper in sede sua vivere et omnes docere veritatem quaerentes; qui Petrum per Leonem, Agathonem, aliosve Pontifices locutum esse affirmant, ut s. Petrus Chrysologus (6), patres concilii Chalcedonensis (7), et patres concilii oecumenici VI. (8), quae fusius suo loco expendemus.

507. Septima demum ex iis conficitur qui extollunt romanam sedem veluti omnium maximam, ut ecclesiam principalem, ecclesiarum omnium matrem, ecclesiarum omnium matricem, principium et originem unitatis, etc. quae pariter paulo post ostendemus; quas quidem omnes hujus ecclesiae praerogativas patres ex eo colligunt, quod rom. Pontifex sit s. Petri successor, qui propterea, ut consequens est, debuerunt necessario in Petro super omnes primatum honoris ac jurisdictionis agnoscere (9).

508. Ex his porro pleno alveo fluit totius antiquitatis perpetuus et constans traditionalis sensus circa primatum verae jurisdictionis Petro super apostolos, universamque ecclesiam a Christo collatum. Si serio propterea, ut decent in re tanti momenti, profitentur adversarii quibuscum agimus, re admittere ac venerari traditionem, fateantur necesse est hanc fidei veritatem quam universa ecclesia numquam non tenuit ac docuit (10).

DIFFICULTATES

509. Obj. 1. Sanctorum patrum ef-

(1) Edit. Maur. tom. VII. p. 549.

(2) Locc. citt. His adde Cassianum ed. cit. pag. 936. Theophylactum l. c., et ante hos s. Greg. Nazianz. qui in carmine vitae suae vocat Petrum *Universi presidem*.

(3) *Enarrat.* in Ps. CVIII. n. I. et Tract. CXXIV. in Jo. n. 5. col. 822.

(4) Cf. Theophilum Raynaudum in op. cit. *Corona aurea super caput rom. Pontificis*. Opp. tom. X. pag. 90. 91. seqq., ubi innumera prope patrum et scriptorum ecclesiastic. testimonia congessit de ejusmodi titulis quibus s. Petri privilegia ratione ipsius primatus celebrantur, de quibus iterum paulo post.

(5) Ibid. pag. 23. Cf. etiam Benedict. Justinianum op. cit. Prolog. *De Apostolatu* disp. I. cap. X.

(6) In epist. ad Eutychen., inter epist. s. Leonis edit. Ballerin. XXV. cap. II. col. 779.

(7) *Act. Conc.* Hard. tom. II. col. 306.

(8) Ibid. tom. III. col. 1423.

(9) Cf. Card. Gerdil. in op. *De Pontificii primatus auctoritate in Petri cathedra adversus Marsilii Menandrini exitialem errorem* etc. Opp. edit. rom. tom. XV. ubi singulorum rom. Pontificum a Siricio usque ad Leonem X. testimonia profert pro s. Petri primatu, in volum. autem XII. et XIII. legitima monumenta profert a s. Petro usque ad Siricium.

(10) His addere potuissem de perpetua et constanti ecclesiae fide circa hunc articulum, argumentum deductum ex liturgiis omnibus orientalibus et occidentalibus, quas collegit Joseph Aloys. Assemanus in *Codice liturgico ecclesiae universae in* XV. *libros distributo*. Volumin. IX. in 4. Romae 1749. Verum de hoc iterum recurret sermo. Interim cf. Com. de Maistre in op. *Du Pape* liv. I. ch. IX. X.; necnon Mamachium *Orig.* etc. lib. IV. P. II. cap. I. § V. n. VIII.

fata queis aut *principem*, aut *verticem*, aut *petram et fundamentum ecclesiae*, aut *ceteris apostolis majorem ac potentiorem*, aliaque ejusmodi quibus illi Petrum celebrant, nihil penitus evincunt. 2. Ejusmodi enim textus meram personalem s. Petro praeeminentiam inter apostolos asserunt; quo sensu jure vocatur *primus* apostolorum, aut rhetorica etiam locutione *dux*, *caput*, *summitas*, *princeps*, etc. nuncupari potuit. 3. Cum praeterea ex Scriptura ac traditionibus jam ostensum fuerit constitui *aequalitatem* et *supremam apostolorum* omnium potestatem, liquet omnes objectos textus exponi debere cohaerenter ad illum sensum. 4. Nec refert, quod objicitur ex s. Leone Rom. (Serm. III. de *Assumpt. sua*); notum siquidem est Leonem aliosque rom. Pontifices interdum induci ad s. Petri privilegia plus quam par esset magnificanda ex desiderio extollendi suae particularis ecclesiae fundatorem. Hae autem amplificationes spectari merito possunt veluti privatae illorum episcoporum opiniones, minime vero uti catholicam traditionem praeseferentes. 5. Quae cum ita se habeant, possumus recte inferre *officialem* s. Petri primatum nulla posse ratione haberi uti articulum fidei, ac male omnino fundatum esse. 6. Quod vel ipsa Romanensium responsione conficitur: Tournelyus enim, aliique Romani ad textus Cypriani ceterorumque patrum quibus aequalitas asseritur reliquorum apostolorum cum Petro, reponunt ceteros apostolos aequales quidem Petro fuisse quoad potestatem seu auctoritatem *intrinsecam* et *essentialem Apostolatus*, quoad potestatem videlicet docendi ubique, administrandi sacramenta, pastores inaugurandi, etc.; minime vero fuisse pares quoad auctoritatem *extrinsecam* et *accidentalem*, et quoad modum ejusmodi potestatem exercendi. Jam vero ex hac responsione directe inferimus, nullum igitur primatum officii Petrum super ceteros apostolos habuisse; quoniam si praeditus Petrus a Christo fuisset *officiali jurisdictione* super apostolos sive seorsum sive collective sumptos, dum ipsi nulla potiebantur jurisdictione super illum, sive in alterutrum, *de facto* aliqua extitisset *essentialis* et *intrinseca* differentia inter auctoritatem Petri, et auctoritatem apostolorum. Ast hoc a Romanis negatur. Ergo pares in potestate sive auctoritate apostoli omnes cum Petro fuerunt (1).

510. Resp. ad 1. *N.* Nam non alia de causa illis titulis patres certatim Petrum compellant, quam quod reipsa ceteris fuerit apostolis a Christo praefectus cum vera auctoritatis praeeminentia et jurisdictionis, ut constat ex allatis probationibus. Asserunt enim Christum Petro etiam apostolos subjecisse illis verbis: *pasce agnos*, *pasce oves meas*; *totius mundi praefecturam commisisse*, totius *ecclesiae caput* constituisse, aliaque ejusmodi de Petro praedicant prae apostolis reliquis, quae in aequalem cadere non possunt; ex his porro muniis divinitus uni Petro collatis vera ac germana vis illorum titulorum deprehenditur, quibus patres celebrant Petrum uti *Apostolorum principem*, *caput*, *coryphaeum*, *verticem*, *summitatem*, *primum omnium*, *reliquis majorem*, *potentiorem*, *praesidem*, *pastorem*, etc. (2). Accedit non ex solis istiusmodi effatis

(1) Ita rursum Palmer op. et l. cit.

(2) Ecquid enim aliud quam super ceteros auctoritatem commendare in Petro voluit s. Jo. Chrysostomus illis verbis, quae habet in Hom. III. in Act. Apost. n. 3. « Primus *auctoritatem habet in negotio, ut cui omnes commissi fuissent*. Huic enim Christus dixerat: *et tu aliquando conversus con-*

nos collegisse sensum traditionalem circa Petri primatum; haec enim nonnisi ad unicam classem spectant; jam vero nos septem enumeravimus, quae si simul uniantur ineluctabile prorsus robur accipiunt, quod nullis machinis concuti potest.

511. Ad 2. *D.* Ejusmodi textus meram personalem s. Petro praeeminentiam inter apostolos asserunt, quatenus praeeminentia ex primatu proveniens unius Petri est, nec reliquis communis, *C.* quatenus praeeminentia proveniens sit ex solis personalibus Petri dotibus, indole, ingenio, zelo, etc. *N.* Itaque tota difficultas oritur ex aequivocatione vocis *personalis* seu *individualis*, qua vel significari queunt privatae ac propriae animi dotes et qualitates alicujus; vel significari potest munus, privilegium, auctoritas, quae ita alicui tributa sit ut sit aliis incommunicabilis, atque illius omnino propria. Si hoc posteriori accipiatur sensu *personalis Petri praeeminentia*, verissimum est, nosque ipsi hac usi voce sumus ad secernendam dignitatem et auctoritatem primatus a Christo uni Petro collatam ab illa ceterorum apostolorum. Quod si eadem vox in priori significatione usurpetur, assertio est falsa; quia cum Christus juxta doctrinam patrum instituerit primatum in bonum ecclesiae, nempe ad ejus unitatem constituendam et conservandam, evidens est patres illis titulis noluisse significare proprias ac individuales Petri personae dotes quae cum ipso perire debebant (1). Quapropter numquam hoc sensu ipsi potuerunt voca-

firma fratres tuos? » Ex quibus patet ipsum loqui de Apostolis qui Petro *commissi erant*, seu ut majori vi dicitur in gr. textu: Πάντας ἐγχειρισθείς· *omnes habens in manu*; seu in sua potestate. Quid etiam aliud sibi volunt verba Stephani Dorensis episcopi, dum loc. cit. scribit: « Pascere primus jussus est oves catholicae ecclesiae, quum Dominus dicit: Petre amas me? Pasce oves meas. Et iterum ipsi praecipue, et specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum, et immutabilem fidem, convertere aliquando, et confirmare exagitatos consortes suos, et spiritales meruit fratres, utpote dispensative *super omnes* ab ipso, qui propter nos incarnatus est, *potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem?* » Sic patres reliqui loquuntur in locc. citt. quae per se quisque recolere poterit.

(1) Haec est potissima ratio quare Dupinius, qui, ut vidimus, quamvis videatur agnoscere in Petro primatum jurisdictionis, reipsa tamen eum redigit ad primatum meri ordinis, seu honoris; hinc ipse subdole ad evincendum primatum Petri respuit probationes quae ex Matth. XVI. et Jo. XXI. eruuntur, et solum illum colligit ex eo quod Petrus *primus* semper sit habitus, atque a Christo decretus, et quod necesse sit, ut ait Diss. IV. cap. I. § I. « Aliquem primum inter plures esse; primus res est, quae uni tantum convenit, nec alteri potest communicari ». Eadem ratione se gessit Launojus. Cf. Gerdilium in opusc. *Analisi contra Launojo*. Opp. ed. Rom. tom. XIII. Idem senserat M. Ant. de Dominis lib. I. *De repub.* cap. IV.

Ceterum auctoritatem veri nominis, seu jurisdictionis necessariam esse ad unitatem constituendam et conservandam vel ipsi Petri primatus adversarii fassi sunt: sane Maimbourg in op. gallice inscripto: *De l' établissement et des prérogatives de l' église de Rome, et des évêques*. Paris 1685. ch. IV. pag. 57. seqq. « Je dirai seulement, *scribit*, ce dont tous les catholiques conviennent, que Jésus-Christ choisit saint Pierre entre tous ses apôtres pour lui donner non seulement la primauté d' ordre, d' honneur et de rang, en lui donnant le premier lieu, comme à celui qui est le premier entre ses égaux, et en ces dons, ces pouvoirs et ces graces, qui sont inséparables et de l' apostolat et de l'épiscopat; mais aussi la primauté de jurisdiction, de puissance et d' autorité sur tous les fidèles

re Petrum *ducem*, *caput*, *summitatem*, etc.; rhetorica licet locutione, ut adversario etiam hoc detur (1).

512. Ad 3. *D.* Videlicet, nisus est adversarius ostendere, quod nemo catholicorum negavit, *aequalitatem* et *supremam apostolorum omnium* potestatem in munere apostolico, *C.* ostendit reipsa apostolos omnes aequales fuisse Petro sub omni respectu et absolute, seu per exclusionem primatus uni Petro collati *N.* Hoc enim primatu sublato, textus illi nullum amplius sensum haberent, imo essent sibi plane contradictorii (2).

513. Ad 4. *N.* Duplici enim ratione peccat adversarii assumptio; tum in eo quod autumet rom. Pontifices cum veritatis dispendio voluisse s. Petri praerogativas ut se se extollerent magnificare, quod absque gravi tot sanctorum virorum qui ab aetate apostolica ad nos usque floruerunt, injuria nec suspicari possumus (3); tum in eo quod supponat solos esse rom. Pontifices qui Petro a Christo tributum primatum super ceteros apostolos affirment, quod alienum prorsus a veritate est, ut ex allatis probationibus elucescit. Patet proinde non posse spectari illorum summorum Pontificum locutiones ut privatam opinionem praeseferentes, sed eas vere repraesentare, ut verbis adversarii utamur, traditionem catholicam (4).

514. Ad 5. *D.* Si ecclesia Petri primatum non proponeret credendum ut articulum fidei, Tr. vel *C.* Si ecclesia tamquam fidei articulum, illum creden-

dans toute l'église, dont il le constitua le chef ». Sic Nicole *Instruct.* x. *sur le symbole* § 10. « La tradition, *inquit*, nous apprend, que Dieu pour conserver son église en unité a établi une chaire, et autorité supérieure pour veiller à la maintenir, qui est celle de l'église de Rome, etc. ». Alia inferius subjiciemus testimonia.

(1) Quando adversarii luculentissimis patrum testimoniis a catholicis premuntur, quae eludere non possunt tamquam ad communem locum confugere consueverunt ad *rhetoricas* figuras, amplificationes, locutiones, etc. Ad hoc ipsum effugium Palmer se recepit.

(2) Cf. Benedict. Justinianum op. et loc. cit. *De Apostolatu*.

(3) Apposite ad rem nostram scribit Bossuetus in *Defens. cleri gallicani* lib. x. cap. vi. « Audio quid dicant: Romanis Pontificibus, sedis suae dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa non esse credendum. Sed absit: pari enim jure dixerint, ne episcopis quidem, aut presbyteris esse adhibendam fidem, cum sacerdotii sui honorem praedicant; quod contra est. Nam quibus Deus singularem honoris dignitatisque praerogativam contulit, eisdem inspirat verum de sua potestate sensum; ut ea in Domino, cum res poposcerit, libere et confidenter utantur, fiatque illud quod ait Paulus: *Accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis*. Quod quidem hic semel dicere placuit, ut *temerariam ac pessimam responsionem confutarem*; profiteorque me de Sedis Apostolicae majestate, romanorum Pontificum doctrinae et traditioni crediturum: quamquam eorum sedem non ipsi magis, quam reliqui, ac tota ecclesia, atque orientales haud minus quam occidentales praedicant. Id sequentia declarabunt ». Ed. Versailles opp. tom. xxxiii.

(4) Verba s. Leonis M. ex Serm. iii. *De Assump. sua*, quae adversarii nostri oculos nimis perstringunt sunt haec: « Et tamen de toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et *omnibus Apostolis, cunctisque ecclesiae patribus praeponatur*: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores; omnes tamen proprie *regat Petrus* quos principaliter regit et Christus ». In ed. Baller. Serm. iv. cap. ii. col. 16. Certe haec evertunt totum Palmerii oxoniensiumque ceterorum novum systema.

dum proponit *N.* Atque hic obiter animadvertimus adversarium tum hic, tum alibi pro certo assumere juxta principia protestantismi privatorum esse colligere ac decernere aliquid credendum ut articulum fidei quod quispiam in Scriptura et traditione contineri existimet; at talis profecto regula fidei catholicae, saltem proxima, haudquaquam est. Haec non est nisi auctoritas ecclesiae, quae quidem in decernendis fidei articulis innititur Scriptura ac traditione, ut regulis inadaequatis, si seorsum spectentur, et remotis, attamen illius tantum est, utpote infallibilis, declarare verum divinae revelationis sensum, et quemlibet articulum in revelatione contineri. Verum de hoc postea. Ceterum ecclesiam tenuisse semper ac docuisse veluti articulum fidei Petri primatum liquet tum ex facto, tum ex solemni definitione edita in pluribus conciliis oecumenicis, praesertim Lateranensi IV. Lugdunensi II. et Florentino (1).

515. Ad 6. *D.* Ast perperam et antilogice id infert adversarius ex responsione catholicorum, *C.* jure ac logice *N.* En igitur adversarii argumentatio: catholicis fatentibus apostoli omnes pares fuerunt in dignitate, aut munere apostolico essentiali; quod praeterea Petro seorsum collatum est, non est nisi superadditum et accidentale. Ergo omnes apostoli pares in auctoritate fuerunt. Rigidus porro logicus ita concluderet: ergo omnes Apostoli pares quidem fuerunt in *potestate sive auctoritate apostolica intrinseca et essentiali*, minime vero quoad potestatem sive auctoritatem extrinsecam, accidentalem ac superadditam qua Petrus constituebatur superior reliquis apostolis, et qua aliquid adjiciebatur super ipsum Apostolatum, seu auctoritatem apostolicam. Quapropter Petrus uti merus apostolus nullum jus, nullum *officialem* primatum exercere potuisset super ceteros Apostolos, neque Apostoli exercere itidem potuissent super Petrum et alter in alterum; at vere Petrus potuisset super reliquos omnes exercere vi illius potestatis et auctoritatis superadditae quam nos primatum vocamus. Falsum porro est, quod si Petrus vi primatus potuisset potestatem super alios Apostolos exercere, essentialis exinde atque intrinseca differentia inter Petrum et Apostolos reliquos consequeretur; etenim hoc quidem oriretur si intrinseca haec fuisset potestas *Apostolatui speciali* Petri, quia reipsa tunc in apostolatu omnes non fuissent pares, sed Petrus vi apostolatus sui caeteris emineret. Cum vero non vi apostolatus, sed vi primatus superadditi apostolatui eidemque extrinseci Petrus ceteris praefectus fuerit, liquet exinde inferri haud posse intrinsecam et essentialem inter Petrum prout Apostolus est, et Apostolos reliquos differentiam. Insuper ex dictis colligimus quo sensu catholici vocent hanc Petri praeeminentiam extrinsecam et *accidentalem*, quatenus nempe natura sua ita non inhaeret apostolatui, multo vero minus peculiari apostolo prae alio, ut Christus, si quidem ei placuisset, non potuisset alii praeterquam apostolis primatum conferre, eumque tribuere Joanni, Jacobo, vel Matthaeo potius quam Petro. Ceterum, semel a Christo instituto primatu in ecclesia sua ad ejus unitatem constituendam et conservandam, hic primatus jam essentialis est ipsi ecclesiae consti-

(1) Conc. Later. IV. Decr. V. apud Hard. *Acta concil.* tom. VII. pag. 23-24. Concil. Lugd. II. ibid. col. 695. et 702. Conc. Florent. in *Decreto Unionis.* Ibid. tom. IX. col. 985. et seqq. In his porro conciliis convenerunt graeci et latini, illorum verba inferius exhibebimus.

tutioni, eoque sublato, unitas ac per consequens ecclesia prout a Christo instituta est plane dilaberetur. Adeo sibi illudunt impugnatores catholicae ecclesiae!

PROPOSITIO III.

Petrus jurisdictionis primatum in universam ecclesiam immediate a Christo, non autem ab ipsa ecclesia accepit

516. Haec propositio est adversus richerianos, febronianos ac pistorienses. Edmundus enim Richerius doctor sorbonicus et facultatis syndicus, protestantium vestigiis insistens omnium primus inter catholicos docuit ecclesiam, seu fidelium omnium corpus esse *subjectum* illud in quo auctoritas et jurisdictio regiminis ecclesiastici ex Christi institutione resideat. Ex hoc porro principio collegit Pontificem rom., episcopos aliosque pastores esse totius corporis fidelium ministros, qui de mandato et nomine universitatis fidelium pastoralem auctoritatem exerceant eo pacto, quo in democratica republica magistratus sunt ministri populi a quo tamquam delegati habent auctoritatem, prout in priori hujus partis sectione exposuimus cum de ecclesiastica ageremus hierarchia (1). Itaque tota ecclesia, seu universitas fidelium ea est, quae juxta hoc systema *principaliter* ac *radicaliter* obtinuit claves Petro ac reliquis apostolis, ac propterea eorumdem successoribus tradendas ac communicandas, cum ecclesia seu fidelium universitas illis uti non possit (2).

517. Perniciosum hoc ac toties proscriptum systema avide ab appellantibus arreptum fuit, praecipue vero a Quesnello cujus propositio XC. in dogmatica constit. *Unigenitus* damnata fuit his verbis concepta: « Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu, saltem praesumpto, totius corporis (3) ».

(1) Num. 94.

(2) Ita in lib. *De ecclesiastica ac politica potestate* edito an. 1611. qui statim an. insequenti 1612. a Synodo Senonensi, praeside Card. Du-Perron, proscriptus est tamquam continens propositiones, expositiones, et allegationes falsas, erroneas, scandalosas, et ut sonant, haereticas, et schismaticas. Richerium porro palinodiam cecinisse l. c. diximus; quae quidem duplex fuit, altera data est die 7. decemb. 1629. alteram vero longe pleniorem una cum refutatione suorum errorum, quos in septem propositionibus complexus erat, moriens reliquit in suo Museo, futurum etiam posteris sincerae mentis suae perpetuum indubium testimonium.

Quae autem ad praesens argumentum pertinent hae sunt. Prop. I. pag. 8. « Christus suam fundando ecclesiam, prius, immediatius, et essentialius claves seu jurisdictionem toti dedit ecclesiae, quam Petro et aliis Apostolis ». Prop. II. pag. 9. « Tota jurisdictio ecclesiastica primo proprie et essentialiter ecclesiae convenit. Romano autem Pontifici, atque aliis episcopis, instrumentaliter, et quoad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo competit ». Prop. III. pag. 10. « Christus non tam uni Petro, quam unitati infallibilem clavium potestatem detulit ». Prop. IV. pag. 12. « Status ecclesiae ab ejusdem regimine distinguitur. Status enim monarchicus est . . . Regimen vero aristocraticum . . . quia omnium optimum et naturae convenientissimum ». Prop. V. pag. 18. « Petrus claves jurisdictionis accepit a Christo Domino, non pro se, sed pro ecclesia, et nomine totius ecclesiae; non ut pastor oecumenicus et princeps, sed ut minister tantum et executor decretorum ecclesiae ».

(3) Cf. in hanc proposit. Fontana in op. cit. *Constitutio* UNIGENITUS *propugnata* tom. III. col. 1140. seqq.

Hanc eandem doctrinam, ut vidimus, adoptavit synodus Pistoriensis (1).

518. Jam vero jure merito ejusmodi doctrinam proscriptam esse ac nota haereticali inustam sic breviter ostendimus. Petrus immediate ab ecclesia, seu mediante ecclesia, jurisdictionis primatum non accepit, si Christus per se ac immediate eundem illi primatum promisit et contulit: porro Christum immediate ac per se jurisdictionis primatum in universam ecclesiam Petro promisisse et contulisse evidenter constat ex iis quae in praecedentibus propositionibus disseruimus. Ostendimus enim verba Christi: *Tu es petra:* quibus promisit primatum, ac illa quibus eumdem contulit, nempe: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* peculiari Petri personae dicta fuisse, nec nisi per quandam extensionem in sensu aliquo accommodo, ac per participationem Apostolis reliquis, multo vero minus fidelium coetui convenire posse; quatenus scilicet Apostoli et fideles petrae fundamentali ac primariae ecclesiae visibilis, Petro nempe, inhaerent et cum eo in unitatem conveniunt: quod et patres, ut vidimus, uno animo docent (2). Accedit, Petrum non potuisse ab ecclesia primatum jurisdictionis accipere cum nondum existeret, sed adhuc esset aedificanda; etenim solum post Christi in coelos ascensum, uti alias animadvertimus, proprie ecclesia esse coepit.

(1) Propp. II. et III.

(2) Juverit hic pro opportunitate nonnulla adjicere patrum testimonia, quae rem propius attingant et ex quibus pateat illorum germana doctrina. Tertullianus in *Scorpiace* cap. X. « Memento, inquit, claves ejus hic Dominum Petro, *et per eum, ecclesiae reliquisse* ». Ed. Rigal. pag. 496. S. Cyprianus epist. LXXIII. « Quo venturus est, scribit, qui sitit . . . . an ad ecclesiam, quae una est et *super unum qui et claves ejus accepit*, Domini voce fundata est? » Ed. Maur. pag. 132. Firmilianus in epist. ad Cyprian. « Hinc intelligi potest, quod *soli Petro* Christus dixerit: *qúaecumque ligaveris*, etc. » Ibid. epist. LXXV. pag. 148. Optatus lib. VII. « B. Petrus . . . claves regni coelorum *communicandas caeteris solus* accepit ». Ed. Albaspin. pag. 107. S. Augustinus lib. II. *de Bapt. contra Donatist.* cap. 1. num. 2. scribit: « Ecce ubi commemorat Cyprianus... Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet . . . a posteriore Apostolo Paulo esse correctum . . . Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum? » Et lib. I. *Contr. duas epist. Gaudentii*. cap. XXXI. n. 39. « Numquid, inquit, melior Razias, quam Petrus Apostolus, qui ubi dixit, *tu es Christus Filius Dei vivi*, tam beatus a Domino appellatus est, ut claves regni coelorum accipere mereretur? Nec tamen ideo creditur imitandus, ubi mox eodem momento reprehensus audivit: *Vade post me Satana; non enim sapis quae Dei sunt, sed quae hominum?* »; eadem habent s. Gregorius M. lib. V. ep. XX. col. 748. ed. Maur. S. Hilarius in Matth. XVI. S. Ambrosius lib. de *Isaac* cap. III. num. 10. circa finem, s. Jo. Chrysostomus in cap. XXI. Jo. s. Epiphanius in *Ancorato* n. IX. edit. Petav. tom. II. pag. 15.; verum his aliisque omissis, ne longior sim, lubet rationem afferre quare Petro claves regni caelorum potius datae sint quam alteri apostolorum, quamque exhibet Eulogius Alex. apud Photium in *Bibliotheca* cod. CCLXXX. lib. II. *contra Novatian.* « Ideo, inquit, nec Joanni nec alteri cuiquam discipulo dixit Salvator: *Tibi dabo claves regni caelorum*, sed *soli Petro*, qui eum negaturus erat, et peccatum lacrymis et poenitentia expiaturus, ut suo ipsius exemplo erga peccatores humanior esset. Alii enim non tentati forsan severius cum peccatoribus egissent ». Edit. And. Scotti S. J. Colon. 1611. col. 1599.

519. Imo et illud observandum est, tantum abesse, ut Christus primatum Petro contulerit mediante ecclesia, ac propterea Petrus ab ecclesia immediate jurisdictionem consecutus sit aliamve praerogativam, ut potius e converso Christus statuerit ecclesiam omnibus suis fulgere dotibus ac praerogativis mediante Petro, seu mediante primatu Petro collato, atque, ut mox ostendemus, suis in hoc primatu successoribus. Per Petrum enim ecclesia est una; per Petrum leges suae sanctione et omnimoda auctoritate muniuntur; per Petrum infallibilitate pollet, ut partim ex dictis, partim vero ex dicendis manifestum fiet. Tanti propterea est ex Christi dispositione primatus Petri, ut prius ipse designaverit Petrum in futurum ecclesiae suae caput, quam ecclesiam constituerit, quod liquet tum ex Jo. I. 42. ubi Christus viso primum Petro, illico dixit ad eum: *Tu vocaberis Cephas*, proludens scilicet ad futuram ejus evectionem; tum ex Matth. XVI. cum ei dixit: « Tu es Petrus et super hanc petram *aedificabo* ecclesiam meam ». Nempe ut sapiens architectus prius fundamentum statuere voluit quam aedificium erigere. Hinc Petri primatus spectari debet uti radix unitatis, uti radix ac principium auctoritatis, uti principium denique et radix unde dimanant dotes quibus ecclesia emicat, utpote quae per illam petram, Christo ita volente, firmata sit, atque constabilita. Non igitur Petrus ab ecclesia primatum jurisdictionis accepit, sed ecclesia potius, saltem quoad usum, et modum exercendae potestatis et jurisdictionis a Petro dependet (1). Ad fidelium autem coetum quod attinet, nec potestatem ipse, nec potestatis usum a Christo unquam accepit, adeoque neutrum Petro vel alii cuilibet potuit communicare, cum nemo det quod non habet.

DIFFICULTATES

520. I. Obj. 1. Christus Matth. XVIII. *discipulis suis* dixit: *quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis*. At fideles omnes discipuli Christi sunt. 2. Ibid. praeterea v. 15. legitur sic Petrum allocutum Christum esse: « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum », et postea adjecisse: « Si te non audierit, *dic ecclesiae*: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus »; ubi manifeste ecclesiam, omnium videlicet coetum fidelium, constituit Christus tanquam supremum tribunal. 3. Exinde factum est, ut semper episcopi in usu clavium se appellaverint *ministros ecclesiae;* 4. atque in sacris litteris fideles omnes vocentur *fratres* ac *sacerdotes*. 5. Verum quod omne removet dubium, est ratio quam Christus tenuit Jo. XXI., nec enim imperavit fidelibus ut obedirent Petro, sed imperavit Petro ut aleret fideles; Petrus igitur per verbum *pasce* constituitur istorum minister. 6. Hinc videmus fideles exprobrasse Petro consuetudinem cum

(1) Haec intelligi debent in sensu thesis; nec enim inficiamur apostolos extraordinaria quadam ratione claves immediate a Christo accepisse. Verum apostoli reliqui non eodem modo acceperunt quo eas accepit Petrus; siquidem potestas clavium in apostolis fuit extraordinaria ad fundandas scilicet ecclesias, ceteraque praestanda quae ad earum institutionem necessaria erant, adeoque cum ipsorum obitu cessare debebat. Cum vero in Petro ordinaria fuerit juxta primatus finem ad unitatem ecclesiae constituendam atque in perpetuum conservandam, ideo, uti postea ostendemus, in ejus successores erat transmittenda. Quapropter omnes ecclesiae praesules a Petro, nec sine mensura, claves istas accipere debuerunt. Cf. Bellarm. *De Rom. Pontifice* lib. I. cap. XII.

gentilibus, et Petrum act. XI. 3. se purgasse, seu eis rationem reddidisse ejus quod gesserat. Ergo.

521. Ad 1. *D.* Id est apostolis, *C.* fidelibus tantum *N.* Ecquis enim ignorat integro illo capite discipulorum nomine apostolos significari? Sane quod hic discipulis promisit Christus, illis contulit Jo. XX. 23. Certum porro est ex v. 24. discipulorum nomine apostolos significatos fuisse; refert enim evangelista, Thomam unum *ex duodecim* abfuisse, cum Christus illis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum* etc.

522. Ad 2. *D.* Id est *ecclesiae praelatis*, uti patres, atque inter eos s. Jo. Chrysostomus, hunc locum exponunt, *C.* fidelium coetui *N.* Hic enim sensus est absurdus; esset nempe congreganda universa fidelium multitudo, quoties peragenda esset fraterna correctio (1). Negamus praeterea Christum allocutum heic specialiter fuisse Petrum, cum dixit: *si peccaverit in te frater tuus* etc. sed Christi verba generalia sunt, atque ad eos omnes spectant, qui in ejusmodi casu versantur (2). Ceterum, cum Christus dixerit: « Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus », patet his verbis significasse excommunicationem, ac propterea *ecclesiae* nomine eos designasse qui tali potestate fruuntur, eos scilicet, qui ab eodem Christo claves acceperunt, Pe-

(1) Cf. Cornel. a Lapide in hunc loc. qui non minus copiose quam solide textum istum explanat, ostenditque nulla ratione posse *ecclesiae* nomine heic fidelium coetum intelligi, praesertim ex eo quod ibid. Christus dicat: *Si ecclesiam non audierit*, id est, si reus ecclesiae non obedierit etc. Obedire autem nemo tenetur nisi superiori, fideles autem inter se non sunt invicem superiores, nulla auctoritate fruuntur in alios sibi aequales. Quod vidit et ipse Calvinus, qui tum in *Harmonia evangel.* in hunc loc. p. 213. seqq. ed. Amstelod. 1667. tum in *Institut.* lib. IV. cap. VIII. § 15. verba: *Dic ecclesiae*, exponit de ecclesiae pastoribus qui senioribus synagogae succedere debebant, quibus jus erat excommunicationis, et ad quos Christus accommodat sermonem suum. Immerito proinde Castalio, Vatablus aliique protestantes exponunt Christi verba: *Dic reipublicae, aut coetui fidelium, communitati, multitudini* etc. Cf. Criticos sacros in hunc loc. Quamvis porro Vatablus protestans non fuerit, attamen ejus commentaria utpote a Rob. Stephano calvinista collecta et edita imo respersa sectae erroribus tamquam commentaria protestantium spectantur, quamdiu expurgata non sunt.

(2) Mirum est adversarios affirmare Christi verba: *Si peccaverit in te* etc. ad Petrum speciali ratione directa esse, cum hoc in loco nulla Petri mentio fiat. Ex quo colligimus eos voluntatis perversitate potius quam intellectus errore impugnare catholicam veritatem. Sane ipsi hic vident Petrum etiamsi nec nominetur Petrus, ut inferant ecclesiam seu coetum fidelium claves immediate habere. Contra vero Matt. XVI. Petrum non vident, etiamsi ibi Christus tot modis Petri personam designavit, ut non pluribus circumstantiis, uti apposite observat Cajetanus, describere soleant aliquem certum hominem notarii illi, qui instrumenta publica conficiunt. Etenim in primis substantiam personae singularis per pronomen *tibi*; deinde addidit nomen inditum in nativitate, cum ait *Beatus es Simon*. Adjecit nomen patris cum ait *filius Jonae*; nec omittere voluit nomen a se recens impositum: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus*; quorsum vero haec tam accurata descriptio, si nihil ipsi Petro proprie promittitur? Cf. Bellarm. lib. I. *De rom. Pontif.* cap. XII. Attamen si adversarios audias hic Christus Petri nomine significavit ecclesiam; qui tamen uno animo de Petro intelligunt quae ibid. paulo post leguntur: *Vade post me satanas*. Nonne ejusmodi agendi ratio eos ex malitia peccare apertissime ostendit?

trum nimirum et apostolos, quibus proinde immediate subdidit: « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis etc. ».

523. Ad 3. *D.* Episcopi se vocare consueverunt *ministros ecclesiae*, in bonum videlicet ecclesiae a Christo constitutos, *C.* constitutos a fidelibus seu a fidelium coetu *N.* Significant illa loquendi ratione se pro Christo legatione fungi tamquam Christi ministros, in animarum salutem, seu ministros esse ecclesiae ut fungantur officio, ob quod praepositi sunt.

524. Ad 4. *D.* Fideles vocantur *fratres* ratione ejusdem fidei, ac mutuae dilectionis, *C.* ratione aequalitatis *N.* Sacerdotes autem interdum dicuntur, ut alias ostendimus (1) mystice et improprie ob mysticum laudis ac precum sacrificium quod Deo offerre debent, aut etiam ob mysticam unctionem qua christiani sunt.

525. Ad 5. *Neg.* Suppositum, nimirum per verbum *pasce* tantum significari, *alimenta praebe*, non autem pascere cum imperio, regendo videlicet, prouti paulo ante ostendimus. Quoniam vero praeesse et subesse, regere ac regi, pascere ac pasci relationem inter se habent, ita ut alterum sine altero nec esse nec intelligi queat, patet quod cum Petro dictum sit ut praesit, regat et pascat, dictum pariter intelligatur fidelibus et injunctum, ut Petro subsint, atque ab ipso se regi sinant ac pasci.

526. Ad 6. *D.* Quia maluit Petrus rationem reddere quam uti auctoritate sua, *C.* quasi non potuerit se aliter gerere *N.* Scilicet voluit Petrus ecclesiae praesulibus mansuetudinis ac modestiae exemplum praebere potius quam auctoritate qua praeditus divinitus erat, tumultum compescere, uti observarunt s. Jo. Chrysostomus et s. Gregorius M. hoc factum expendentes (2). Hac sane potestate usus est Petrus tum adversus Simonem magum, tum adversus Ananiam et Sapphiram; potuisset propterea etiam adversus hos objurgatores, siquidem opportunum ei visum fuisset, eadem uti (3).

527. II. Obj. 1. Patres antiquissimi, Augustinus praesertim, passim docent Christum ecclesiae claves dedisse, ac Petrum ut *figuram* gestantem ecclesiae, atque ecclesiae nomine eas accepisse (4); ergo si ecclesia in persona Petri claves regni coelorum accepit, evidens est ecclesiae immediate a Christo claves collatas esse. 2. Sane Deus et natura *prius* et *immediatius* ad totum intendunt, cum

(1) In tract. *De ordine* cap. II. prop. I.

(2) S. Jo. Chrysost. Hom. XXIV. *In acta* n. 2. s. Greg. M. lib. XI. epist. XLV. edit. Maur. col. 1130. cujus verba haec sunt: « Si enim cum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sancta ecclesia acceperat, attendisset, respondere poterat ut pastorem suum oves, quae ei commissae fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset .... Si ergo pastor ecclesiae, apostolorum princeps, signa et miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suae rationem humiliter reddere; quanto magis nos peccatores etc. ».

(3) Cf. Cornel. a Lap. et Calmet in *Acta apost.*

(4) Launojus lib. II. epist. V. ad *Hadrianum Vallantium* LXX. congessit testimonia ex patribus, conciliis et scholasticis, ut evincat adversus Bellarminum claves collatas esse s. Petro in persona ecclesiae, seu gestanti ecclesiae personam. Edit. Colon. Allobrog. tom. V. p. I. pag. 213. seqq. In hoc porro censu complexus est auctores illos qui contendebant concilium esse supra pontificem; plura item attulit testimonia quae ad rem non faciunt; nonnulla quae plane evertunt ejus sententiam; nonnulla item more suo foede corrupta. Ex Augustino autem XXVI. testimonia collegit.

aliquid moliuntur, potius quam ad aliquam suppositi partem, utut nobilissimam; ita Christus in ecclesia et ecclesiastica potestate constituenda potiorem duxit totius corporis curam, id est, ecclesiae, quam unius membri licet praestantissimi, cujusmodi est Petrus aut summus Pontifex aut quilibet alius episcopus. 3. Verum, dato etiam, quod Christus Petro atque apostolis ac proinde, si placet, rom. Pontifici ac episcopis claves proprie contulerit, nihil tamen inde conficitur. Nam quamvis facultas visiva in oculo resideat, *homini* tamen data est, ut ab ipso per oculum tamquam per organum et administrum exerceatur, cum oculus *per* et *propter* hominem existat; hominis siquidem proprium est oculos dirigere, ut haec potius quam illa objecta intueantur, adhibere manus aut pedes. Itaque totius pariter ecclesiae proprium est uti Pontifice aut etiam episcopo, et hunc potius quam illum exercere ad actum quem voluerit eliciendum. Ergo sin minus potestas ipsa clavium, saltem ejus usus et exercitium ab ecclesia pendet (1).

528. Resp. Ad 1. *D.* Patres docent Christum claves ecclesiae dedisse, id est, in ejus commodum et utilitatem seu, ut schola loquitur, *finaliter*, *C.* proprie et *formaliter* *N.* Ut autem patrum veterum mens innotescat, dum illam loquendi rationem usurparunt, animadvertendus est scopus quem sibi proposuerunt. Porro patres qui nobis objiciuntur in eo toti erant, ut montanistarum et novatianorum errorem convellerent; cum enim isti haeretici negarent ecclesiam habere potestatem dimittendi graviora crimina, contendebant potestatem clavium datam Petro et apostolis fuisse *personaliter*, ut loquitur Tertullianus, ac propterea cum ipsorum obitu cessasse. En Tertulliani verba: « Si quia dixit Petro Dominus *super hanc petram* . . . . qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem *personaliter* hoc Petro conferentem (2) »? Ut igitur se illis opponerent, docuerunt potestatem clavium fuisse collatam ecclesiae in persona apostolorum, et apostolis in persona Petri; docuerunt Petrum repraesentasse collegium apostolicum, et figuram gessisse ecclesiae cum accepit claves regni coelorum. Quae quidem effata eo tendunt, ut indicent potestatem istam ad Petri atque apostolorum successores transiisse, seu Petro claves esse collatas cum *jure traducis*, ut contendebant catholici adversus Tertullianum, postquam in montanistarum haeresim dilapsus esset (3), cum ad ecclesiae bonum has claves Christus Petro et apostolis contulerit. Ex eorum proinde mente non unus Petrus, et apostoli acceperunt hasce claves, verum etiam ecclesia, id est corpus episcoporum, ut per eas filiorum suorum crimina, quaecumque demum essent, solverentur. Hoc tamen interponitur discrimen inter Petrum et apostolos, atque ecclesiam, prout hoc nomine designatur

(1) Cf. etiam apud Petavium *De ecclesiast. hierarchia* lib. III. capp. XIV. et XV. quibus totum Richerianum systema ipse evolvit.

(2) *De pudicit.* cap. XXI. ed. Rigal. p. 574.

(3) Cf. Christ. Lupum in cap. XIX. *Dictati sancti Gregorii VII.* art. IV. ubi patefacit malam Launoji fidem in referendis Tertulliani testimoniis, ostenditque numquam Tertullianum retractasse priorem sententiam de collatione clavium facta Petro immediate a Christo Domino, sed solum, postquam montanista effectus est retractasse quod antea adstruxerat collatas esse Petro claves cum jure traducis, ita ut moriente Petro transierint claves ad ejus successores. Opp. ed. Venet. tom. V. pag. 289. seqq.

coetus fidelium, quod illi claves acceperint, ut ita dicam, *active* ad eas scilicet adhibendas, ecclesia autem seu communitas fidelium acceperit *passive* quandoquidem in ejus commodum essent a Petro et ab apostolis adhibendae. Cum autem ecclesia semper duratura esset, Petrus vero et apostoli ad tempus tantum victuri, concludebant patres semper has claves esse mansuras, nempe in Petri et apostolorum successoribus, quia collatio ista non fuit *personalis*, sed perpetua (1).

529. Ejusmodi esse germanam patrum mentem evincunt ipsorum testimonia. S. Ambrosius scribit: « Tibi inquit (Christus) dabo claves regni coelorum ut et solvas et liges. Hoc Novatianus non audivit, sed ecclesia Dei audivit; ideo ille in lapsu, nos in remissione: ille in impoenitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, apostolis dicitur. Non potestatem usurpamus sed servimus imperio (2) ». Eadem habet s. Pacianus in tribus ad Sympronianum epistolis (3); sed praecipue s. Augustinus qui: « Petro, inquit, in multis locis scripturarum apparet, quod personam gestet ecclesiae; maxime illo in loco, ubi dictum est: *Tibi dabo claves regni coelorum* . . . Numquid istas claves Petrus accepit et Paulus non accepit? Petrus accepit, et Joannes et Jacobus non accepit, et caeteri apostoli? Aut non sunt *istae in ecclesia claves ubi peccata quotidie dimittuntur?* Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat ecclesiae, quod *illi uni* datum est, ecclesiae datum est (4) ».

(1) Seu ut modo animadvertimus patres eo sensu docuerunt claves non uni Petro datas esse sed in ipso universae ecclesiae, quatenus earum potestas, moriente Petro, non fuerit in ecclesia aut sublata aut suspensa, sed jugiter in ea perseveraverit, quia in ejusdem bonum atque emolumentum clavium potestatem Petro ejus primati, Christus contulit. Petrus propterea in clavibus accipiendis repraesentabat ecclesiam quomodo pater posteros, fons rivos, radix ramos.

(2) *Enarrat.* in Ps. XXXVIII. n. 37.

(3) Argumentum trium harum epistolarum est ostendere potestatem dimittendi peccata datam fuisse Petro et ceteris apostolis, ut transiret ad ipsorum successores ad ea ecclesiae membra vivificanda, quae per peccatum post baptisma patratum demortua fuissent, secus ac contenderent Novatiani, de quorum grege erat Sympronianus.

(4) Serm. CXLIX. al. XXIV. *De diversis* n. 7. Nec minus clare loquitur s. Doctor tract. ult. in Jo. n. 7. dicens: « Omnibus sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter hujus vitae procellosissimae gubernaculum, ad liganda et solvenda peccata claves regni coelorum *primus apostolorum* Petrus accepit ». Ubi notandum illud: *omnibus sanctis*, seu dativus qui a grammaticis *commodi* dicitur, ad significandum in utilitatem omnium sanctorum, scilicet fidelium, datas Petro apostolorum primo claves, adeoque in successores eas transire debuisse. Quod ibidem declarat Augustinus subdens: « Quoniam nec iste solus (Petrus), sed universa ecclesia ligat solvitque peccata ». Accedit passim ipsum inculcare eatenus Petrum gestasse figuram ecclesiae in accipiendis clavibus, quatenus habebat primatum: *Propter apostolatus sui primatum*, ut scribit Tract. ult. cit. in Jo. *Propter primatum quem in discipulis habuit*, ut ait in Enarr. in Ps. CVIII.: « Petrus a *petra cognominatus beatus, ecclesiae figuram portans apostolatus principatum tenens;* ut scribit serm. LXXVI. *De verbis Domini*. Si igitur ratione primatus sui juxta s. Augustinum Petrus personam aut figuram gestabat ecclesiae, evidens est ex ejus mente Petrum non accepisse claves ut ecclesiae legatum qui ejus nomine ageret, et quemadmodum legatus nomine principis accipit claves civitatis; sed accepisse ut ejusdem ecclesiae principem ac supremum moderatorem. Eodem nempe pacto, ut loquitur Bellarminus

Porro aperte liquet ex verbis illis: *aut non sunt istae in ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur*, scopum revera ipsius esse tueri existentiam clavium adversus Novatianos; ex aliis autem: *quod illi uni dictum est*, propugnare s. doctorem uni reipsa Petro seu Petri individuo datas claves fuisse, alioquin in sensu adversariorum dicere debuisset: *quod ecclesiae datum est, illi datum est*.

530. Ad 2. *D.* In ordine intentionis et finis, *C.* in ordine ad media *N.* Cum Deus ac proinde Christus aliquid ad bonum ac emolumentum alicujus dirigit et ordinat, profecto rationem prius habet *totius* quam partis cujuscumque etsi nobilissimae. Cum vero de electione agitur

l. c., quo dicimus regno dari, quod regi ipsi datur: praesertim si id in publicam utilitatem cedat. Nec abs re erit cum eodem eminentissimo Bellarmino praeterea animadvertere, quod quum s. Augustinus docet Petrum accepisse claves prout gerebat figuram ecclesiae non excluserit narrationem historicam, sed illa supposita, sensum parabolicum attexuisse, uti cum scribit Judam fuisse figuram judaeorum ingratorum cum Christum prodidit; s. Joannem figuram ecclesiae triumphantis et vitae contemplativae cum de eo dixit Christus: *Sic eum volo manere*; et Petrum gessisse figuram ecclesiae militantis et vitae activae cum ei dixit Salvator: *Sequere me*; Christum ipsum figuram gessisse ecclesiae quando baptizatus est; quin tamen quisquam negare voluerit reipsa historice Judam prodidisse in propria persona Christum; Joanni historice dictum esse in propria persona *Sic eum volo manere* etc. et Christum vere in propria persona fuisse baptizatum. Quo sensu etiam s. Paulus Galat. IV. docet duos Abrahae filios significasse duo testamenta; attamen hoc non impedit quominus Abraham vere duos filios genuerit. Itaque quamvis s. Petrus gesserit figuram ecclesiae cum claves accepit, negari nequit historice reipsa in persona propria claves ipsum accepisse.

Haec sedulo notanda erant cum agatur de re magni momenti ob abusum quem post Lutherum in lib. *De potestate papae*, Calvinum lib. IV. *Institut.* cap. VI. Magdeburgenses Centuria I. lib. I. et II. librum Smalcbaldicum *De primatu papae*, M. Ant. de Dominis, Launojum, Richerium etc. quesnelliani, pistorienses ac demum Palmer faciunt auctoritatis s. Augustini ut inferant nihil peculiare Petro Christum contulisse. Praeclare ad rem nostram scripsit s. Franciscus Salesius in sermone XXXII. de ecclesia, qui ineditus asservatur in bibliotheca Chigiana cujus apographum Schelestrate in *Antiquit. eccl.* tom. II. diss. II. cap. VI. ar. 2. testatur in manibus habuisse, praeclare inquam haec habet adversus illos Novatores quae pariter omnibus recentioribus eorum discipulis aptari debent: « Les ministres tâchent tant qu'ils peuvent de troubler si finement la claire fontaine de l'Evangile, que s. Pierre n'y puisse plus trouver ses clefs, et font leur possible, pour nous dégoûter d'y boire l'eau de la sainte obéissance, qu'on doit au vicaire de notre Seigneur; mais qu'ont-ils fait? Ils se sont avisés de dire, que s. Pierre avait reçu cette promesse de Notre-Seigneur au nom de toute l'église, sans qu'il eût reçu pour cela aucun privilége particulier en sa personne. Or si ceci n'est pas violer l'écriture, jamais homme ne la violera: car n'est-ce pas à s. Pierre, à qui il parlait? Et comment pouvait-il mieux exprimer son intention, qu'en disant: *Et ego dico tibi . . . dabo tibi:* car puisqu'immédiatement il venait de parler de l'église ayant dit: *portae inferi non praevalebunt adversus eam*, qui l'eût empêché d'ajouter: *et dabo illi claves regni;* s'il eût voulu donner à toute l'église immédiatement? Il ne dit pas *illi*, mais *dabo tibi:* que s'il est permis d'aller ainsi deviuant sur des paroles claires: il n'y aura plus rien en l'écriture, qui ne se puisse plier à tous sens ».

mediorum quae aptiora ac magis idonea ad praestitutum finem oblinendum sunt, tunc prius rationem habet partis quam totius, cum et pars dirigatur et aptetur ad bonum totius. Quapropter Christus omnia quae in ecclesiae commodum et ornamenta contulit, gratias, sacramenta, potestatem, jurisdictionem, regimen, praerogativas seu dotes omnes, omnia, inquam, ad totius corporis utilitatem, emolumentum et fructum retulit tamquam ad primarium atque ultimum finem quem sibi proposuit; quod et declarat apostolus scribens: « Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura; omnia enim vestra sunt, vos autem Christi: Christus autem Dei (1) ». Id ipsum in reliquis hominum coetibus accidit, qui communis boni cujusdam gratia congregantur, ut in navigatione, in exercitu etc. Verum quod spectat ad media singillatim sumpta, ac prout in se spectantur, res aliter se habet; nam architectus prius cogitat fundamentum quam fastigium; uti reipsa vidimus se gessisse Christum, qui prius caput determinavit quam ecclesiam constituerit; prius designavit petram seu fundamentum, quam aedificium erexerit; prius pastorem constituit quam agnos et oves contulerit; ac proinde huic capiti, fundamento ac pastori firmitatem, ac plenitudinem potestatis praebuit, quibus opus erat ad ecclesiam regendam et gubernandam. Imo nihil prorsus contulit sive potestatis, sive jurisdictionis, saltem quoad exercitium, et praerogativarum ecclesiae suae nisi per Petrum, seu mediante capite, quod propterea constituit in ecclesia esse perpetuum cum eadem semper plenitudine potestatis, prout paulo post ostendemus. Ergo falso Richerius cum suis asseclis affirmat jurisdictionem *primario, essentialiter*, atque *formaliter* residere in ecclesiae corpore, ex quo perveniat ad caput, cum e contra ea *primario, essentialiter* atque *formaliter* ex Christi institutione resideat in capite ex quo pervenit in ecclesiae corpus.

551. Ad 3. *N.* Ad prob. autem: *quamvis facultas visiva* etc. *D.* Si auctoritas primatus resideret in Petro ut facultas videndi, quae est in oculo, residet in homine, *C.* si diversa prorsus ratione juxta Christi voluntatem *N.* Jam vero diverso omnino modo disserere debemus de corpore physico in exercitio suarum facultatum ac de corpore morali in ordine ad facultates suas. Utique totius individui est imperare oculis, manibus ac pedibus, et sensibus utut nobilissimis, non ita vero se res habet cum de societate agitur aut communitate. De hac enim judicare opus est juxta voluntatem ejus fundatoris et institutoris. Cum autem constet Christum plenitudinem potestatis una cum pleno ac libero ejusdem exercitio Petro promisisse et contulisse illis verbis: *et tibi dabo claves, . . . quodcumque solveris, quodcumque ligaveris . . . . pasce agnos meos, pasce oves meas*, evidens est, ipsi haud opus alia fuisse delegatione, seu applicatione potentiae ad actum, aut similibus, ut iis uti posset. Haec magis confirmantur ex similitudinibus pastoris et ovilis, fundamenti et aedificii aliisque ejusmodi quibus usus est Christus ad designandam ecclesiam suam. Restat igitur ut dicamus ecclesiae constitutionem et regimen pure monarchicum esse, minime vero aut democraticum, aut aristocraticum uti cum protestantibus Richerius, Launojus, Eybel, jansenistae ac pistorienses contendunt (2).

(1) I. Cor. III. 22.

(2) Si quis uberiorem velit sibi comparare hujus argumenti cognitionem, poterit praeter auctores citt. in locis quos indicavimus, Bel-

CAPUT II.

De Petri primatus in Christi ecclesia perpetuitate

532. Tria sunt quae hoc in capite conficienda suscipimus; ac primo primatum a Christo in ecclesia institutum ac Petro collatum, debere post Petri obitum ad ejus successores transire, et usque in seculi finem in ipsis perseverare; secundo hos successores in Petri primatu alios non esse nisi rom. pontifices, qui post illius mortem ejus cathedram seu romanum pontificatum obtinuerunt, atque id quidem jure divino. Quum vero ejusmodi successio ex Petri in urbem adventu ejusque in ea episcopatu quem gesserit usque ad mortem tota pendeat, ideo ab hoc facto veluti basi ac fundamento constabiliendo auspicandum nobis est, ut illam successionem adstruamus. Sit interim

PROPOSITIO I.

Primatus Petro collatus ex Christi institutione debuit in ecclesia post illius obitum in perpetuum perdurare

533. Primatus a Christo institutus est ad ecclesiae suae unitatem constituendam et conservandam, adeoque partem essentialem ejusdem ecclesiae ex Christi institutione constituit. Tandiu ergo primatus perdurare debet quamdiu perdurat ecclesia ipsa ad cujus essentiam spectat, nempe usque ad consummationem seculi.

534. Si qua est difficultas in proposito argumento, circa veritatem antecedentis versatur. Jam vero talem fuisse Christi mentem in institutione primatus in ecclesia sua ex dictis in capite superiore facile colligitur. Etenim Christus instituit ecclesiam suam ad instar ovilis cui praefecit unum pastorem, ut ita exurgeret unum ovile et unus pastor; instituit ad instar regni et ei unum praefecit principem cui claves seu insigne supremae potestatis contulit, ne regnum esset divisum ac desolaretur; instituit ad instar aedificii cui unum primarium fundamentum seu petram fundamentalem supposuit ad illud regendum ne collaberetur (1); instituit ad instar individui jugiter viventis cui propterea caput dedit a quo membra singula dirigerentur ac motum quodammodo acciperent, et cum quo unum corpus efficerent.

535. Universa traditio unanimis est in hac reddenda ratione institutionis primatus, ut patet ex allatis patrum testi-

larminum, Petavium, Schelestrate, Chr. Lupum, Fontana, consulere Zaccaria in *Antifebronio vindicato*. Cesena 1771. par. I. dissert. II. *De forma regiminis ecclesiastici a Christo Domino constituta*; Gerdil in op. *Confutazione di due libelli diretti contro il breve* SUPER SOLIDITATE. Opp. ed. Rom. tom. XII. Duvalium *De suprema rom. pontificis in eccles. potestate* part. I. quaest. III. prostat in *Bibliotheca maxima pontificia* Thomae de Rocaberti tom. III. pag. 408. seqq. Charlas in opusc. *Primatus jurisdictionis rom. pontifici assertus*, seu responsio ad dissert. Ludovici Ellies Dupinii etc. Opp. ed. Rom. 1720. tom. III. pag. 51. seqq.

(1) Hic ad cavillationes omnes praecavendas protestantium, qui scandalizantur cum audiunt catholicos docere Petrum esse *fundamentum* ecclesiae ex quo firmitas soliditasque ejusdem pendeat cum tale fundamentum ex Apostolo. I. Cor. III. II. sit solus Christus Jesus, revocare in mentem patrum doctrinam debemus, qua haec apprime inter se conciliantur. Ex doctrina siquidem ss. patrum eatenus Petrus petra seu fundamentum solidissimum est quod regit universum aedificium, quatenus a Christo fundamento et petra angulari essentia-

moniis : ita enim docuere ss. Irenaeus, Cyprianus, Hieronymus, Optatus, Augustinus, Leo M. ceterique omnes, nemine excepto, ex quibus alii adstruunt necessitatem conveniendi in fide et communione cum Petri sede ob ejus primatum, ut Irenaeus (1); alii Christum contulisse primatum Petro, « ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio », uti Hieronymus (2); alii ut *unitatis originem* institueret, et unam ecclesiam, uti Cyprianus (3); alii *bono unitatis b. Petrum apostolis omnibus praeferri meruisse*, uti Optatus (4); alii *ut unitatem*

li firmitatem soliditatemque accepit, ita ut quod Christus est *natura*, sit Petrus *per participationem*. Hinc illud Augustini a *petra Petrus :* aliaque huc patrum ejusmodi effata referuntur ad idem significandum, quidquid Petrus est Christi virtute est. In quo profecto nihil est quo adversarii offendi possint, siquidem id efficit Deus cui omnia possibilia sunt. Talis porro est doctrina catholicorum. Quo igitur abeunt furiosae declamationes stolidi illius disputatoris genevensis cujus paulo ante mentionem injecimus, dum cit. diss. pag. 6. 7. scribit: « Sur quelle *pierre* est donc bâtie l'église, *hommes irréfléchis ou coupables* qui, pour une misérable dispute de préséance et d'ambition, venez nous parler de substituer, pour l'appui et le gouvernement de l'église, un frêle roseau au Rocher des siècles ? » En autem responsionem quam nos ei praebemus, iisdem plane verbis quae ipse immediate subjicit : « N'est-il pas évident, que si Pierre, que si les apôtres, que si les prophètes, peuvent être considérés (en un sens infiniment subordonné) comme portant l'édifice de l'eglise, à leur tour ils sont portés par celui seul, qui en forme la véritable base ? » Et hoc omnino est quod nos praecise dicimus ac tuemur.

(1) Talem vim esse vocis *principalitatem* qua utitur s. Irenaeus ostendit Ducangius in suo *Glossario*, ea enim passim ab antiquis adhibetur pro *principatu* vel *primatu*, ut liquet ex Tertulliano *De anima* cap. XIII. « Ad hoc dispicere superest *principalitas* ubi est, id est *qui cui praeest* ». Sic etiam Remigius Antissiodorensis in cantica : « Caput ergo, inquit, ecclesiae, *principalitas* mentis fidelium intelligitur ». In libello precum Marcellini et Faustini legitur : « Sed ne aliorum impietatibus et crudelitatibus sanguis effusus Christianorum diu piissimum vestrae *principalitatis* gravet imperium » cf. alia exempla apud eundem auct. edit. Venet. 1739. tom. V. ad hanc vocem.

(2) Lib. I. *Advers. Jovinian.* n. 26.

(3) Epist. LV. et epist. LXX. item in lib. *De unitate eccles.* edit. cit. pag. 195. et alibi passim.

(4) Lib. VII. *adv. Parmen.* edit. Albaspin. pag. 107. qui praeterea jam praemiserat lib. II. pag. 48. « Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam in qua sederit omnium *apostolorum caput* Petrus: unde et Cephas appellatus est : in qua una cathedra, *unitas ab omnibus servaretur*, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent : ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra una est quae est prima de dotibus etc. ». Haud ignoro nonnullos protestantes, quos inter praecipue Chillingworth, ac aetate hac nostra ejusdem vestigia premens, minister anglicanus D. Poole, ad elidendam hujus testimonii vim, contendere, quidquid eo in loco de romana *Petri cathedra* atque *unitate* scripserit Optatus, non ecclesiam universam spectare sed illud dumtaxat peculiare schisma Romae a donatistis excitatum, dum alium ibidem factionis suae episcopum, Macrobium, collocarant. Sed nimis id a veritate abhorret. Etenim Optatus 1. loquitur adversus Donatistas de notis quibus catholica ac vera Christi ecclesia discerni posset, ac primo inter illas *cathedram* recenset. De ea igitur cathedra sermo erat quae totam spectaret ecclesiam. 2. Loquitur de sede romana tamquam *unica* et *singulari* relate ad *ceteras sedes ab aliis apostolis* erectas,

fundaret ex uno, ut s. Pacianus (1); alii ut inferrent ibi esse *ecclesiam ubi est Petrus*, uti s. Ambrosius (2); alii ut in *uno Petro formaret ecclesiam*, quemadmodum s. Augustinus (3); atque uti unitatem significaret ecclesiae, universum mundum Petrum accepisse, ut idem s. Doctor affirmat (4); alii ut ex Petro *ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emergeret*, uti s. Innocentius (5): et ita porro per patres singulos discurrentes hanc constanter rationem invenimus ab ipsis assignatam quare Christus primatum instituerit quem Petro contulit super omnes apostolos, super omnes fideles, super ecclesiam universam. Cujus quidem primatus virtus est efficiendi ut omnes Christi fideles conveniant sive in *una eademque fide* profitenda, sive in *una eademque charitatis* seu *communionis compage* constituenda, ut iidem patres docent (6).

536. Nec abnuunt adversarii ipsi non pauci, qui praeterea id concludunt ex analogia quae intercedit inter episcopos seu pastores singulis ecclesiis praepositos ad earum constituendam tuendamque unitatem, ut docet Apostolus (7), et pastorem seu primatem universalem quo totius ecclesiae unitati prospiceretur. Horum testimonia partim exhibuimus, partim vero commodiori loco afferemus. Hic satis sit unum adducere protestantem Henke qui adeo hoc perspectum habuit, ut quamvis *unitatem* ecclesiae uti commentum rejiciat, ultro tamen fassus est, « ceteras causas ad primatus confirmationem haud suffecturas fuisse, nisi commentum illud *unitatis* assumptum extitisset, cujus constituendae causa Petrus ab ipso Domino curam ecclesiae cum auctoritate consecutus fuerit (8) ».

537. Cum igitur, tum ex Scripturis, tum ex constanti sensu traditionali totius antiquitatis, tum denique ex ipsa rei natura et adversariorum confessione pateat primatum ad unitatem ecclesiae suae constituendam et conservandam a Christo fuisse institutum ac Petro collatum; pronum est inferre ipsum cum Petri obitu minime cessare debuisse, sed tamdiu esse in ecclesia perduraturum quamdiu ecclesiae unitas perdurare debet ex Christi institutione, nempe usque ad mundi exitum, prout nobis ostendendum proposuimus.

nullamque licet *apostolicam* adversus illam sine schismatis nota exurgere posse affirmat. De eo igitur unitatis disserit centro in quod caeterae simul convenire deberent ecclesiae. 3. Loquitur de cathedra illa Petri *per quam unam* caeterae ecclesiae notae simul probarentur. Subdit enim: *Et per cathedram Petri quae nostra est, per ipsam et caeteras dotes, apud nos esse:* cap. IX. p. 38. ed. Dupin. Optati mentem solide vindicavit adversus Poole, egregius F. C. Husenbeth, catholicus sacerdos anglus in opere *St. Cyprian vindicated* etc. seu *S. Cyprianus vindicatus adversus quasdam doctrinae ejus perversiones factas in libro rev. G. A. Poole*. Noruich 1839. p. 64. seqq. Cf. etiam *Dublin Review* August. 1839. in praeclaro articulo adversus Oxonienses inserto, cujus auctor est episcopus Nicolaus Wiseman strenuus rei catholicae propugnator.

(1) *Epist. III. ad Sympron. in biblioth. patrum*. Colon. Agripp. 1618. tom. IV. pag. 241. col. 1.

(2) *In psalm.* XL. n. 30. col. 879.

(3) *Serm.* CXXXVII. *De verbis evang.* Joan. n. 3. tom. V. col. 664.

(4) Tract. CXVIII. in Jo. n. 4. tom. III. par. II. col. 800-801.

(5) Inter epistol. s. Augustini, epist. CLXXXI. n. 1. tom. II. col. 635.

(6) Cf. apud Ballerin. *De vi ac ratione primatus* toto cap. XIII.

(7) Epist. *ad Ephes.* cap. IV. 11. seqq.

(8) *Opusc. academ.* Lips. 1802.

DIFFICULTATES

538. Obj. Perperam romanenses adnituntur ostendere primatum Petri institutum fuisse ob aliquod *objectum permanens*, ac proinde ad alios debuisse transmitti. Si quod enim fuisset ejusmodi objectum, certe fuisset *conservatio unitatis*, jam vero 1. nulla unquam ex Scripturis adducta fuit probatio hujus *rationis theoreticae* de institutione Petri primatus, nullumque prorsus occurrit in Scripturis hac de re testimonium; 2. quod cum ita se habeat, jure infertur ex principiis Veronii, Bossueti, ceterorumque praestantiorum theologorum ecclesiae romanae, motivum institutionis primatus non posse fidei materiam esse, neque fundare articulum fidei. Numquam hoc motivum revelatum est, ac soli proinde conjecturae innititur. 3. Quod si s. Hieronymus, et forsan unus alterve praeterea pater romanensium ideae favent, id nequit istorum ideam objectum certitudinis efficere. 4. Nec obest ecclesiam in Scripturis appellari *ovile*, *regnum*, *corpus*, quod exigere videtur pastorem, principem et caput et quidem *visibile* prouti visibilis ipsa ecclesia est; siquidem ecclesia non est proprie, seu *litteraliter ovile*, sed solum figurate et improprie; idem dicatur de *regno et corpore*; ejusmodi proinde locutiones tantum significant ecclesiam esse societatem ordinatam; 5. porro essentiale societati haud esse *caput* visibile, patet ex eo quod plures status existant absque monarchia. Quamvis autem institutio capitis ac pastoris plurimum conferat ad ecclesiae unitatem et ordinem, prout vel ipsi protestantes confessi sunt, inferri exinde nequit Christum id perfecisse. Etenim uti animadvertit Bossuetus, nos minime insistere debemus meris ratiocinationibus aut desideriis, sed *promissionibus certis, et certae traditioni*. Si semel desideriis aut somniis indulgere nos delectaret, possemus quidem optare rom. Pontificem non modo immunem ab errore esse, sed insuper a peccato, ignorantia aut cupiditate. Possemus quaerere quare si Christus dixit apostolis: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, non deberent episcopi eadem promissione frui fidei indeficientis, ut apostoli? Concludamus igitur haud posse ejusmodi primatum demonstrari ut objectum permanens a Christo institutum esse; imo quamvis id probari posset, nondum *jus divinum* primatus romani constitutum foret quoniam primatus Petri potuit a Christo institui non ob ecclesiae unitatem, vel aliud objectum permanens, sed veluti praemium ejus fidei, zeli et amoris erga Christum Dominum (1).

539. Resp. N. A. ad 1. prob. *D.* Id est conceptis verbis nuspiam Scriptura affirmat *conservationem unitatis* motivum seu causam fuisse quare Christus instituerit primatum, *C.* aequivalentibus *N.* Si semel haec regula admitteretur in dignoscendo quid Scriptura contineat aut non contineat, actum plane esset de innumeris prope veritatibus fidei quas nobiscum adversarii profitentur adversus socinianos et rationalistas. Ubi enim quaeso, scriptum est conceptis verbis, Filium esse *consubstantialem* Patri, *tres* in Deo esse divinas *personas*, aequales coaeternas in unitate naturae, ut de aliis leamus (2)? Satis proinde est quo aliquid in scripturis contineri dicatur, si expres-

(1) Ita Palmer op. cit. par. VII. cap. II. vol. II. pag. 493. seqq. cujus nonnulla argumenta praetermisimus utpote quae vel nos minime feriant, vel quorum vis pendeat ex iis quae antea dissolvimus.

(2) Multiplicari ejusmodi exempla facile

sa habeatur veritas quae illud involvat ac supponat. Cum igitur ex dictis Christus ecclesiam veluti *aedificium, domum, ovile, regnum, corpus* instituerit atque illi assignaverit *fundamentum, patremfamilias, pastorem, principem, caput* ad eam sustentandam et gubernandam, seu primatum Petro contulerit ad haec praestanda, fundamentum vero suapte natura ad illud unum aedificium quod ei superstructum est sustentandum, pater familias ad unitatem domus, pastor ad unitatem ovilis, princeps ad unitatem regni, caput ad unitatem corporis constituendam et conservandam ordinata sint, pronum est inferri hac de causa, ob finem scilicet ipsi primatui insitum, primatum esse a Christo institutum; praesertim cum si quod adhuc dubium superesset ex sensu traditionali perpetuo et constanti sublatum fuerit.

540. Ad 2. *N*. Siquidem numquam aut Veronius aut Bossuetus aut quisquam alius catholicus theologus talia posuerunt principia ex quibus inferri jure queat motivum instituendi primatus non posse fidei materiam esse, neque fundare articulum fidei, uti autumat adversarius. Ut enim insistamus *Regulae fidei* Veronii, his verbis ab eo proponitur: « Illud omne et solum est de fide quod est revelatum in *verbo Dei*, et propositum omnibus ab ecclesia catholica, fide divina credendum (1) ». Animadvertit autem aliquid posse esse revelatum a Deo *etiam in verbo suo obscure*, ac ecclesia interprete egere a qua proponatur credendum uti revelatum, cum ecclesiae sit sensum *verbi Dei* seu *scripti* seu *traditi* aperire (2). Ex hac regula infert ipse Veronius de fide esse romanum Pontificem esse *successorem* b. Petri Principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, atque omnium christianorum patrem ac doctorem, ipsique in b. Petro *pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam* a Christo plenam potestatem

possent tum ex baptismo infantium, tum ex baptismo collato ab haereticis, ex suffectione diei dominicae sabbato ad Deo cultum exhibendum etc. Verum hisce opus non habemus, cum omnibus obvia sint. Dum cerno Palmerium in dubium revocare utrum Christus instituerit primatum ad unitatem ecclesiae conservandam mihi videre videor incredulos illos philosophos, qui non ita pridem ad impugnandas causas finales negarunt, aut saltem in dubium revocarunt utrum oculi nobis a natura, ut ipsi loquuntur, dati fuerint ad videndum, aures ad audiendum, pedes ad ambulandum. Qui merito insaniae insimulati, in hoc sunt, cum hic finis ex ipso horum sensuum aut membrorum officio patefiat, ipsique intrinsecus quodammodo atque essentialis sit.

(1) *Regula fidei catholicae* cap. I. §. I.

(2) Ibid. § 2. Hic vero animadvertendum est, quo melius intelligatur adversarii mens dum urget auctoritatem Veronii, ipsum alibi citare Veronium, qui affirmat *duo* requiri ad constituendum *articulum fidei*, ac 1. quod revelatum a Deo sit per prophetas, apostolos seu *authores canonicos* (alludens evidenter *ad Scripturas*); 2. quod propositum sit ab ecclesia. Jam vero Veronius in reg. cit. scribit: *quod revelatum* sit in *VERBO DEI*, quod potest esse sive *scriptum* sive *traditum*; ast hoc Palmerio non arridet. Quod si in declaratione regulae suae Veronius meminit prophetarum, apostolorum seu *authorum canonicorum*, non eo fine haec scribit, ut excludat veritates quae per solam traditionem ad nos pervenerunt, sed ut opponat revelationibus quae post tempora apostolorum quibusdam sanctis factae perhibentur, Ambrosio e. g. Cypriano seu aliis antiquis illis aut recentioribus, uti ibid. exponit § 3. in corollariis quae deducit ex suae regulae declaratione. Cum igitur ex traditione aperte constet finis ob quem Christus instituit primatum, liquet hunc articulum fidei in verbo Dei fundari.

traditam esse. Si itaque ex regula Veronii de fide est rom. Pontificem esse Petri successorem, et plenam in Petro potestatem a Christo accepisse pascendi, regendi, ac gubernandi universalem ecclesiam, nonne includitur in *verbo Dei* motivum institutionis primatus, ad constituendam scilicet et conservandam in perpetuum ecclesiae unitatem? Cum vero regula a Veronio tradita admissa sit ab omnibus catholicis theologis, non est cur in singulorum sententias ulterius inquiramus (1).

541. Ad 3. *Neg.* suppositum, videlicet solum Hieronymum, aut *forsan* unum alterumve patrem praeterea docuisse Christum instituisse primatum ut consuleret ecclesiae unitati. Hoc aperte veritati adversatur: testimonia quae hactenus ex universa antiquitate retulimus contrarium evidenter evincunt.

542. Ad 4. *Neg.* Ex eo enim quod ecclesia non sit *litteraliter ovile* etc., sed solum *figurate* id est ordinata societas, minime sequitur illi praesidem haud esse constitutum a Christo Domino; sed potius ex indole ac natura figurae ovilis, corporis, regni contrarium omnino consequitur. Quorsum enim similitudo ovilis, et pastoris illud pascentis ac regentis, similitudo corporis, similitudo regni, nisi ut significetur, ad eum modum societati christianae seu ecclesiae praeesse Petrum, quo gregi pastor, corpori caput, regno princeps praepositi sunt (2)?

(1) Quoniam vero adversarius nobis opposuit auctoritatem Bossueti ex ejus *defensione declarat. cleri gallicani*, non abs re erit Meldensis episcopi verba in medium adducere quibus thesim nostram adstruit. Haec autem habentur in illo ipso loco ex quo Palmer protulit quae nobis objicit. Sic igitur scribit Bossuetus lib. x. cap. I. « Ne quid necessariae disputationi desit, placet exponere luculentius illud immotum, quod in fide Petri *omnis ab origine agnovit antiquitas*. Id duplici modo a patribus intellectum: primum, ut ecclesia catholica in Petri fide immota consistat: tum, ut immotum aliquid et invictum in ecclesiam quoque peculiarem romanam ac sedem apostolicam, Petri fide, praedicatione, sanguine, auctoritate, *ac successione* translatum fuerit ». Deinde recitatis Christi verbis: *Tu es Petrus* etc. prosequitur: « Quibus verbis Christus, qui *suam maxime unam volebat ecclesiam, creavit magistratum amplissima prae caeteris potestate ac majestate praeditum*, *qui omnes moveret ad unitatem, maxime in fide*. Atque his duo quidem confirmavit: alterum, haud immerito Petrum omnium nomine respondisse, qui omnium princeps ab ipso magistro Christo constitutus esset: alterum, quoties *successores Petri* communem ecclesiarum fidem, ex communi traditione, pro officio promerent, eorum decretum, praedicationem, fidem, *fore ecclesiae fundamentum* ». Nescio utrum haec arrideant anglicanis. Cf. opp. ed. Versailles 1818. tom. XXXIII. p. 148. seq.

(2) Profecto non lubet in re tam gravi ludere; ast si haec voluntas nos incesseret, optimam ad id occasionem nobis praeberet Palmer dum nos serio admonet ecclesiam non esse *litteraliter ovile*, id est neque ecclesiam esse proprie ovium caulam, nec nos totidem plane pecudes et bruta animantia. Praestiterit potius ad nos recreandos Dantis Alighierii versus afferre, qui ad argumentum nostrum maxime spectant.

« Avete 'l vecchio e 'l nuovo Testamento
  E *'l pastor della Chiesa*, che vi guida:
  Questo vi basti a vostro salvamento.
Se mala cupidigia altro vi grida,
  Uomini siate, e non pecore matte,
  Sì che 'l Giudeo, tra voi, di voi non rida.
Non fate, come agnel, che lascia il latte
  Della sua madre, e semplice, e lascivo
  Seco medesmo, a suo piacer, combatte ».
(*Paradiso*. Canto V. vv. 76-85.)

543. Ad 5. Fatemur essentiale societati haud esse regimen monarchicum, ac propterea, si aliter Christo placuisset, aliam ipsum potuisse ecclesiae regiminis formam praestituere. Cum tamen voluerit, ut constat ex facto, ei regimen monarchicum, et monarchicam constitutionem dare, unique illam principi, capiti, pastori subjicere, non est quod ulterius quaeramus.

544. Exinde liquet ruere quod adversarius superstruxit, nempe minime nos posse ex convenientia *factum* institutionis inferre, perinde ac si nos catholici ita argumentaremur. Ast hoc falsum est; nec enim catholici ex convenientia, commodo aut utilitate quae ex primatu ad unitatem ecclesiae firmandam proveniunt, unquam intulere primatus ipsius existentiam atque institutionem; sed e contra certissimis biblicis ac traditionalibus documentis ostendunt primatum a Christo in ecclesia statutum ac Petro collatum, et ex iisdem documentis probant hunc primatum perpetuum institutum esse ad ecclesiae bonum, ac unitatem fidei et communionis servandam, nec propterea cum Petri obitu terminare debuisse. Nullus igitur hic datur conjecturae locus, aut arbitrariae seu gratuitae illationi, ut perperam adversarius nobis affingit.

545. Cum vero ex falso supposito applicet casui nostro principium Bossueti quod ad rem praesentem non facit, cumque ex falsis praemissis concludat adversarius non posse a nobis demonstrari collatum esse Petro a Christo Domino primatum ut *objectum permanens*, quin temporis dispendio his refellendis singillatim immoremur, satis erit haec omnia veluti *alogica* contemnere. Ista vero adversarii agendi ratio luculentius adhuc apparet in eo quod postremo subjicit loco, ex primatu Petri non posse nos deducere *jus divinum* primatus romani, quia potuit Christus illum conferre Petro in praemium fidei, zeli ac dilectionis suae, in quo manifeste adversarius, ut paulo ante animadvertimus, permiscet causam institutionis primatus cum motivo quo Christus illum Petro potius quam alteri apostolo contulerit.

PROPOSITIO II.

Petrus Romam venit, atque hujus urbis episcopatum instituit rexitque usque ad obitum suum

546. Fere sopita erat sub finem seculi elapsi controversia haec critica quae de adventu Petri in Urbem ejusque romano episcopatu ac in eadem urbe martyrio agitata diu fuit inter protestantes et catholicos ingenti animi contentione. Perciti siquidem protestantes plerique totius antiquitatis pondere, suorumque doctiorum criticorum ingenua confessione, spartam hanc deseruerant. Ast nunc denuo recruduit quaestio haec ex occasione novae biblicae exegeseos et critices, qua factum est ut *Babylonis* urbs ex qua priorem epistolam suam dedit Petrus, in propria significatione de Chaldaeae metropoli jam passim ab ipsis protestantibus accipiatur, atque exinde concludant numquam Petrum in occidentales partes venisse, multo vero minus sive Romae episcopatum gessisse sive ibidem pertulisse martyrium. Cogimur propterea contra novos hos adversarios dimicare, ac tria statuere; primo scilicet Petrum reipsa Romam venisse; episcopatum praeterea sive ecclesiam romanam fundasse; atque in hac alma urbe sanguinem suum pro Christi fide profudisse. Quoniam vero eadem documenta militant pro triplici hoc capite, ne ea sine causa repetere debeamus, tria quae proposuimus una simul conficiemus sequenti argumento.

547. In adstruendo Petri in Urbem adventu, ejusque romano episcopatu ac demum obito in eadem urbe martyrio conspirat universa prorsus antiquitas; ergo aut omnis historiae fides deneganda est, aut tria illa quae enunciavimus sunt admittenda.

548. Sane in factis illis asserendis conspirant I. auctores omnes coaevi, aut aetati illi suppares qui de Petro scripserunt: tales sunt Clemens Romanus (1), Ignatius (2), Papias (3), item Dionysius Corinthiorum episcopus (4), Irenaeus (5), Cajus (6), Clemens Alex. (7), Origenes (8), Cyprianus (9), Eusebius, Lactantius, Athanasius, Epiphanius, Julianus Apostata, Augustinus, Palladius (10), quibus non pauci alii addi possent (11), qui omnes diserte Petrum Romam venisse, ejus episcopatum gessisse, atque ibidem obiisse testantur.

549. II. Conspirant ii omnes qui catalogum exhibent romanorum Pontificum, quique pari prorsus ratione eum exordiuntur a Petro; cujusmodi sunt Irenaeus (12), Tertullianus (13), Eusebius (14), Optatus (15), aliique posteriores quotquot nempe hunc catalogum confecerunt (16).

550. III. Conspirant ad unum veteres omnes qui tradiderunt Marcum fuisse interpretem Petri, ac Romae juxta quod Petrum referentem audierat, evangelium conscripsisse. Tales porro sunt Papias (17), Clemens Alexandrin. (18), Irenaeus (19), Hieronymus (20), Tertul-

(1) Ep. I. *ad Corinth.* cap. V. et VI. apud Cotelerium, *Patrum Apostolic.*, tom. I. ed. cit. cum adnot. 39. Junii.

(2) In epist. *ad Rom.* Ibid. tom. II. cap. IV.

(3) Apud Euseb. H. Eccl. lib. II. cap. XV.

(4) Ibid. cap. XXV. in quem locum cf. adnotat. Wihelmi Lowth in edit. cit. Cantabrigiensi.

(5) Lib. III. *cont. haeres.* cap. I.

(6) Apud Euseb. lib. II. cap. XXV.

(7) Ibid. cap. XV.

(8) Ibid. lib. III. cap. I.

(9) Epist. LII. ad Antonian. edit. Maur. pag. 68. tum epist. LV. ad Cornel. pag. 86. et alibi passim.

(10) Horum singillatim testimonia collegit ac protulit ipse vir protestans, Pearsonius, in *Tract. de successione primorum Romae episcoporum*, cap. VII. pag. 32. Haec ipsa magno numero cf. apud Natalem Alex. Diss. XIII. in sec. I. cum notis Mansi adversus Basnagium. Cf. item Caveum: *Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria*. Genev. 1694. tom. I. pag. 4.; Baronium ad an. XLIV. n. 27. cum critica Pagi; Mamachium *Origin. et antiquit. Christian.* tom. I. lib. II. cap. VI. § 2. pag. 317. not. (4). Verum prae ceteris legi meretur eruditissimum opus Petri Francisci Foggini: *De romano divi Petri itinere et episcopatu*, vol. un. in 4. Florentiae 1741. in quo viginti exercitationibus quae ad hoc argumentum spectant, ita complexus est, ut illud veluti exhausisse videatur. Cf. praesertim *Exercit.* III.

(11) Apud citt. AA.

(12) Lib. III. *cont. haeres.* cap. III.

(13) *De Praescript.* cap. XXXII.

(14) *Hist. Eccl.* lib. II. cap. XIII. XIV. XV. item lib. III. cap. II. lib. IV. cap. I.

(15) Lib. II. *cont. Parmenian.* ed. cit. pag. 48.

(16) De quibus agit Schelstrate: *Antiquitas ecclesiae*. Romae 1692. tom. I. diss. tertia: *De antiquis rom. Pontificum catalogis*; necnon Franc. Blanchinius in erudita praefat. ad *Vitas Pontificum romanorum Anastasio Bibliothecario attributas*. Romae 1718.

(17) Apud Euseb. lib. III. cap. XXXIX.

(18) In deperdito Hypotyposeon opere apud Euseb. lib. II. cap. XV. et lib. VI. cap. XIV.

(19) Op. cit. lib. III. cap. I.

(20) *De Scriptor. Ecclesiast. in Marcum*.

lianus (1), Origenes (2), Epiphanius (3), Augustinus (4), quibus consonat syriaca versio (5).

551. IV. Conspirant innumera antiquissima documenta, quae Romae potissime invisuntur in picturis, nummis, parietibus, ac sepulcro quo jam a sec. III. Cajus sub Zephyrino haereticorum cataphrygarum frangebat audaciam eos provocando ad invisenda *trophaea*, ut ipse loquitur, apostolorum, videlicet Petri et Pauli sepulcra (6).

552. V. Conspirat universus christianus orbis penes quem celeberrima fuit vel a remotissima antiquitate peregrinatio ad sepulcra sanctorum apostolorum (7); nec minus celebris est ecclesiarum tum orientalium tum occidentalium traditio de Petri morte et cathedra ejusdem romana cujus dies festus anniversarius ab immemorabili solemni celebritate colitur (8); universalis demum veneratio ac subjectio erga romanam sedem, ob romanum nempe Petri episcopatum.

553. Quae cum ita se habeant, cum nullum factum historicum tanta scriptorum, monumentorumque conspiratione universali, constanti, perenni firmatum ac constitutum sit, cujusmodi est istud de Petri in Urbem adventu, episcopatu atque martyrio, jure merito concludimus aut omnem historiae fidem esse denegandam, aut certe factum istud necessario admittendum. Haec omnia confirmantur ex eo quod nemo vel infensissimus ecclesiae romanae hostis ex tot haereticis qui ab apostolica Sede damnati sunt (9), nemo ex tot schismaticis, graecis praesertim, quibus id commodum omnino accidisset sibique atque causae suae perutile; nemo unquam ex tot ambitiosis praesulibus atque ecclesiae romanae aemulis id vel in dubium revocare in tota antiquitate pertentaverit. Sane nonnisi seculo XIV. coepit omnium primus Marsilius Patavinus levissimis conjecturis ductus, ad fovendum Ludovici Bavarici schisma, rem absque ullo successu inficiari (10). Ipsi posthac haereticorum sec. XVI. parentes nonnisi

(1) *Contr. Marcionem* lib. IV. cap. V.

(2) Apud Euseb. lib. VI. cap. XXV.

(3) *Haeres.* LI. cap. VI. ed. Petav. pag. 428.

(4) *De consensu Evangelistarum* lib. I. cap. I.

(5) Haec enim in epigraphe ad calcem habet: « Finitum est Evangelium praedicationis Marci quod locutus est et praedicavit (quod hic tantumdem valet ac *scripsit*, cum talis etiam vis sit et potestas vocabuli ܣܒܪ *Sabar*, juxta usum ejusdem interpretis quoad alia evangelia) latine Romae ». Alios antiquissimos testes cf. apud Fogginium op. cit. *Exercit.* XI.

(6) Cf. Euseb. lib. II. cap. XXV. qui praeterea ibid. commemorat inscriptiones, seu ut vertit Valesius: *Petri Paulique nomine insignita monumenta, quae in urbis Romae caemeteriis etiamnum visuntur*, ad confirmationem passionis ss. Apostolorum in urbe Romae. De antiquissimis pariter Apostolorum Petri et Pauli imaginibus loquitur idem Eusebius lib. VII. cap. XVIII.

(7) De antiquissimis hisce peregrinationibus ad limina Apostolorum ex universo orbe christiano susceptis cf. Gretzerum: *De sacris peregrination.* lib. II. cap. I. et cap. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. Op. ed. Ratisb. tom. IV.

(8) Cf. de hoc festo Baronium in adnotat. ad Martyrologium Rom. die 18. Jan. et Bollandum in *Actis sanct.* tom. II. mens. Januar. ad hunc ipsum diem.

(9) Cf. Fogginium op. cit. *Exercit.* I.

(10) En quod judicium tulerit de hoc Marsilio Menandrino scriptor coaevus Joannes Villani; scribens enim in *Lib. Histor.* IX. cap. CCLXIV. de damnatione Ludovici Bavari, refert eum a Joanne XXII. ideo anathemate fuisse perculsum, quod fautor esset haereticorum, qui Mediolani degebant, necnon, ut ipse prosequitur: « Di Mastro Gian di Giandone, e

cunctanter de facto hoc scripserunt (1): tantum vero abest, ut protestantes hac in re convenerint, ut non pauci ex ipsis, iique magni apud suos nominis, illud data opera propugnaverint (2). Adeo nempe exploratum est factum quod vindicamus, ut luce sua adversarios ipsos acerrimos percellat.

DIFFICULTATES

554. I. Obj. 1. Nullis argumentis bi-

di Mastro Marsilio di Padova, grandi maestri in natura et astrologia, ma heretici in più casi ». Loquens deinde lib. x. cap. CII. de ejus morte quae contigit apud Montem Altum an. 1328. haec habet: « Che a dì dieci di settembre si partirono da Corneto, e vegnendo moriva a Monte Alto il *perfido heretico*, e maestro, e conducitore del Bavero, Maestro Marsilio da Padova; et giunse il Bavero, et l' hoste sua a Grosseto a dì 15. di settembre ». Apud Muratori *Rerum Italicar. Script.* tom. XIII. cf. etiam Raynaldi ad an. 1327. 1328. et 1331. Talis porro est qui nobis a protestantibus veluti *catholicus* objicitur.

(1) Sane Lutherus, si fides habenda Fevardentio in notis ad cap. II. lib. III. s. Irenaei, fassus est: « Omnes historias affirmare Petrum fuisse primum Papam Romae ». Theoph. Raynaudus tamen in cit. *Disputat. De bicipiti ecclesia*, tom. x. pag. 262. scribit Lutherum bene potum asseruisse incertum fore quod Romae Petrus fuerit. Sic etiam Calvinus in *Instit.* lib. IV. cap. VI. § 15. cum congessisset omnia quotquot potuit argumenta ad negandum Petri in urbem adventum, illa scilicet eadem quae deinde sec. XIX. audacter urget ministellus ille genevensis de quo scripsimus, concludit: « Et tamen propter hunc scriptorum consensum, non pugno quin illic mortuus fuerit (Petrus): sed episcopum fuisse, praesertim longo tempore, persuaderi nequeo ». In commentario autem in II. epist. Petri ad cap. I. v. 14. audacius scribit: « Quomodo autem si Babylone (ut ipse gratis supponit) oraculum accepit de propinqua morte, Romae crucifixus est? Certe nisi maria et terras momento transvolaverit, procul ab Italia mortuum esse constat ». (Opp. ed. Amstelod. tom. VII. pag. 36.). Ita semper sibi cohaerent haeretici.

(2) Tales sunt Caveus, Hammondus, Pearsonius, Grotius, Usserius, Chamier, Blondellus, Junius, Jos. Scaligerus, Jo. Pappius, Kipping, Bebelius, Ittigius, Jo. Clericus, Sam. Basnagius, Isaac Newtonus, aliique quorum singillatim loca recenset Fogginius op. cit. exercit. I. His vero alii adjiciendi sunt ex recentioribus, adversus fanaticum ac furiosum provocatorem genevensem, qui opusc. cit. pag. 26. scribit: « Il n' est point si surprenant, qu' il ait fallu aux protestans plus d' un siècle pour sortir entièrement du bourbier où ils se trouvaient enfoncés », nempe Schröck, *Christl. Kircheng.* seu *Historia ecclesiae christianae* P. II. pag. 155. ubi scribit: Nullum fortasse eventum est in veteri historia ita extra quaestionem positum subsidio testimoniorum adeo consentientium antiquorum doctorum christianorum, uti *istud* (de Petri in urbem adventu) ». Bertholdt *Historisch -kritische Einleit* etc., seu *Introductio Historico-critica* in V. et N. T. P. 5. p. 2690. « Ejus (Petri) Romae praesentia, scribit, et martyrium ibi ab eo passum, plenum est historica certitudine ». Idem scribunt Neander in *Allgem. Gesch. der Christ. relig.* seu Historia univers. religion. et ecclesiae, tom. I. sect. I. Collu *Allgem. Encycl.* etc., seu *Encyclopedia univers. scientiarum et artium*, P. 18. pag. 42. Gieseler *Lehrbuch der Kirchengesch.*, seu *Manuale Hist. Ecclesiasticae*, tom. I. edit. 2. Bonn. 1827. pag. 89. not. (e), haec habet: « Fuit polemica factionis, si nonnulli protestantes, speciatim Spanhemius, ad exemplum quorumdam adversariorum Pontificum medii aevi, inficiari voluerunt Petrum umquam Romae fuisse ». Cf. apud Roskovány op. c. p. 17. not. 45.

blicis ostendi potest Petrum Romam se contulisse aut ibi mortuum esse; 2. imo argumenta biblica utrumque evertunt, ut patet ex silentio Pauli dum ex Urbe scribit, aut scribit ad Romanos; quibus praeterea suum patefacit consilium ac vehemens desiderium eos invisendi, ut aliquid ipsis gratiae spiritualis imperti-ret, nempe gratias gratis datas, cum nondum apostolorum aliquis illuc appulisset, sed solum ab advenis romanis (quorum fit mentio Act. II. 10.) de fide christiana aliquid accepissent. Quod clarius adhuc fit ex proposito Pauli in iis tantum locis praedicandi evangelium in quibus alii apostoli nondum praedicassent « Ne, ut ipse loquitur, super alienum fundamentum aedificaret (1) ». 3. Exploratum denique est penes eruditos Petrum Babylone Assyriorum quondam metropoli priorem suam scripsisse epistolam, ut constat ex I. Petr. V. 13., ac propterea etiam posteriorem ad easdem provincias datam prout ex cap. III. 1. abunde liquet: porro cum hanc epistolam proxime ante mortem Petrus conscripserit, uti ejus verba ostendunt cap. I. 14., aperte exinde colligitur argumentis biblicis evinci neque Petrum Romam venisse, neque in ea urbe esse martyrio sublatum (2). 4. Id ipsum patet ex chronologia quam exhibent Acta apostolica ac Pauli epistolae ex quibus certissime constat an. aerae christianae 66., in quo Petrus martyrio functus perhibetur, Romae ipsum minime degere potuisse. 5. Haec autem argumenta infirmari nullatenus possunt ex antiquitatis traditione; ceteris enim omissis quae peti possent ex defectu critices, ex documentorum falsificatione aliisque ejusmodi, si rem ad suam originem revocemus, deprehendemus non alios testes hujus traditionis existere praeter Ignatium, et Papiam: ceteri enim nimis distant a facto ut eorum testimonium admittere possimus, iique jam a Papia decepti fuerant. 6. Jam vero testimonium Ignatii dubium est; nondum enim est exploratum, epistolas quae sub ejus nomine circumferuntur, genuinas esse, aut saltem non fuisse interpolatas; Papias autem utpote mediocris ingenii vir et in pluribus aliis deceptus, idoneus

(1) Rom. XV. 20. Ita Rosenmüller senior in *Schol. in epist. ad Rom.* ed. V. pag. 354.

(2) Ita Michaëlis *Introduction au Nouveau Testament.* Genève 1822, tom. IV. II. Part. ch. XXVII. p. 328. seqq. cui praeiverant praeter Calvinum l. c. Erasmus, Drusius, Capellus, Lightfootus, Bengelius, Wetstenius, Basnagius, Beausobrius aliique apud Pott in op. *Novum Testament. graece perpetua adnotatione illustratum.* Ed Koppianae vol. IX. fasc. II. Gottingae 1810. Proleg. pag. 15. seqq. ubi hic auctor Michaëlis aliorumque sententiam maxime statuere confirmareque nititur. His addendus ex recentioribus exegetis biblicis Eichhorn in *Introduct. in Novum Test.* ed. 2. Lips. 1820., cujus verba inferius dabo. Ex catholicis vero his assentiuntur, saltem quoad interpretationem vocis *Babylonis* in sensu proprio et non figurato, Hug apud Cellérier *Introduction*, etc. pag. 467. et Scholz qui in suo *Novo Testamento graece*, Lips. 1830. Proleg. pag. CLXVIII. scribere non dubitavit: « *Epistolae Petri in Mesopotamia inde ab an. 53. ad an. 70. (transcribebantur)*. Ex quibus verbis patet hunc auctorem non solum affirmare, Petrum Babylone Mesopotamiae priorem scripsisse epistolam, verum etiam *posteriorem* et quidem ab an. 53. ad an. 70. Cum vero Petrus martyrio sublatus fuerit juxta communem veterum sententiam an. circiter 66., consequens est, ex mente hujus scriptoris, Petrum nec Romae fuisse neque ibi mortem obiisse juxta argumentum Calvini. Omitto, ut patet, anachronismum, quod nempe dari potuerint a Petro an. 70. epistolae, quum ipse fuerit martyrio functus an. 66.

non est ad testandum; Irenaeus porro ac reliqui posteriores a Papia fuerunt in errorem inducti. 7. Neque res melius conficitur ex monumentis de quibus haud constat an fuerint coaeva; nec tantae esse poterant molis ut publicum testimonium exhibere valeant. 8. Omni propterea traditione destitutum est factum istud Petri, sive quoad ejus in Urbem adventum sive quoad ejus in eadem urbe martyrium, quod praeterea Scriptura impossibile ostendit (1). Ergo.

555. Resp. ad 1. Tr. *A. Neg. cons.* Inesset quidem huic argumento vis si Scripturarum silentio documentis historicis locupletissimis abunde non suppleretur: cum vero ex dictis constet universam antiquitatem eamque remotissimam nos certiores facere de Petri in Urbem adventu, deque ejus inibi episcopatu et martyrio, perperam obtruditur defectus documentorum biblicorum. Ridiculum sane prorsus esset aut negare, aut in dubium saltem revocare existentiam ac gesta sive Neronis sive Domitiani, aut Nervae eo quod argumentis biblicis de illis haudquaquam constet. Talis porro est adversariorum agendi ratio. Transmisimus porro propositi argumenti antecedens, cum adversarii assumant uti certum, quod vel falsum, aut dubium saltem est, quemadmodum ex iis patebit quae de urbe Babylonis dicemus.

556. Ad 2. *N*. Ad probationem autem quae desumitur ex Pauli silentio quod tantopere urgent adversarii, dicimus nullius plane roboris esse, cum exinde non exurgat nisi argumentum *negativum*, non autem *contrarium*; eo magis quod valde probabiles reddi possint ejusmodi silentii rationes (2).

557. Desiderium vero quod patefacit Paulus invisendi romanos, non habet pro objecto, uti adversarii putant, collationem gratiarum quas vocant gratis datas, sed, ut ipsemet declarat, mutuam dare et accipere consolationem; en quomodo ipse rem explanet: « Id est simul consolari in vobis, per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam (3) ».

558. Mirum porro est, quod subdunt de propagatione evangelii, imo de fundatione ecclesiae omnium nobilissimae per *advenas romanos*, de quibus ignoratur etiam conversio. Quod si ab illis advenis fundata est ecclesia romana, quare pa-

(1) Ita cit. provocator genevensis, detractis ejus furiosis declamationibus, in *Dissertation sur la question: si Pierre a éte à Rome*. Genève 1833, pag. 22. seqq.

(2) Cum hoc argumentum ex silentio peti solitum, desumatur sive ex Actis Apostolicis, sive ex Pauli epistolis, diversa ratione eidem occurritur. Quod spectat ad silentium Act. Apostolicorum animadvertunt catholici propositum s. Lucae non fuisse Petri gesta referre et persequi, sed acta potissimum s. Pauli cujus discipulus et peregrinationum comes fuit; quamquam nec omnia Pauli gesta narraverit, ut constat ex epist. ad Galatas, cap. I. 17. 18. Quod vero attinet ad epistolas Pauli, iidem observant Petrum potuisse esse absentem ab Urbe sive cum Apostolus scripsit epistolam ad Romanos, sive cum ab urbe Roma nonnullas scripsit epistolas. Notant praeterea quod si ex eo quod Paulus nullam salutem dixerit Petro, concludi posset Petrum Romam non venisse, concludi pariter posset non fuisse Jacobum episcopum Solymorum eo quod Paulus scribens ad Hebraeos Jacobum non salutaverit. Idem dic de episcopis Galatarum, Ephesiorum, Thessalonicensium, aliorumque populorum quos in epistolis ad eos datis expresse non memorat Paulus. Attamen hoc silentium est totus Achilles Calvini, Illyrici, Spanhemii, ac demum nostri provocatoris Genevensis. Cf. Fogginium op. cit. *Exercit.* IV. ubi istorum nugae plane dissolvuntur.

(3) Rom. I. 12.

riter aliae ecclesiae fundatae non sunt a Parthis, Medis, Aelamitis, Mesopotamiis, etc., qui omnes pariter interfuerunt miraculo quod contigit Hierosolymis die Pentecostes? Quorsum apostoli universum peragrati sunt orbem tanto labore ac vitae discrimine, si facili adeo ratione fundari poterant ecclesiae? Tales sunt nugae criticorum nostrorum biblicorum (1)!

559. Nec magis soliditatis habet quod adjiciunt de Pauli proposito praedicandi evangelium iis in locis quae alii apostoli minime perlustrassent; tum quia objecta verba ejus tantum curam significant et studium quod habuit dum antea perfungeretur apostolico ministerio in regionibus quas ibidem memorat; tum quia haec respiciunt praesertim Hispanias ad quas se conferre meditabatur, ita ut vix esset Romam pertransiturus (2); tum denique quia, ipso Apostolo teste, non constituerat sibi Romae fundare ecclesiam, quae nempe dum haec idem scriberet, adeo jam florebat ut ejus fides annunciaretur in universo mundo (3); sed hoc sibi unum proposuerat, *confirmare* romanos ea ratione quam modo exposuimus (4).

560. Ad 3. *D.* Exploratum est Petrum Babylone Assyriorum metropoli priorem suam scripsisse epistolam penes eruditos audaciores contra sensum totius antiquitatis, *C.* penes saniores criticos *N.* Nam 1. fatente ipso Michaëlis, praecipuo obsoletae jamdiu sententiae instauratore, veteres omnes patres de romana urbe intellexerunt Babylonem de qua Petrus loquitur (5); imo et rationes attulerunt quare Petrus Romam Babylonis nomine

(1) Cf. Fogginium op. cit. *Exercit.* v. in qua Basnagii ceterorumque protestantium vagas conjecturas, adductis gravissimis veterum testimoniis, depellit. Haec autem ipsa denuo refricantur. Nam: *Nil sub sole novum*.

(2) Rom. I. 8. XVI. 19.

(3) Cf. Estium in Comment. ad hunc locum, ubi observat juxta gr. textum legi v. 12. *Id autem est ad simul consolandum* τοῦτο δέ ἐστί, συμπαρακληθῆναι, ita ut sensus sit: id volo, ut communem atque una vobiscum consolationem seu recreationem capiam ex mutua communicatione fidei vestrae et meae. Siquidem ipsa confirmatio fidei romanorum futura erat Paulo, simul et illis, materia consolationis et gaudii. Adnotat praeterea vocem χάρισμα v. II. quae de iis donis accipi solet, quae dantur ad aliorum utilitatem, posse etiam ad alia extendi, perinde ac si dixerit: Causa tanti mei desiderii, non alia est, quam ut supra ea quae jam accepistis, aliquid adhuc donorum seu gratiarum spiritualium vobis per meum ministerium impertiar. Sed cum vide.

(4) Apposite Theodoretus in Comment. in ep. ad Rom. ex hac ipsa voce *confirmandi* qua utitur Paulus, colligit, a Petro romanos in fide institutos esse. En ejus verba: « Et quia primus eis magnus Petrus doctrinam evangelicam praebuit, necessario intulit, (*ad confirmandos vos* εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς). Non enim aliam, inquit, doctrinam vobis afferre, sed eam, quae jam oblata est confirmare, et arbores jam plantatas irrigare volo ». Opp. ed. Paris. 1643. tom. III. pag. 14.

(5) *Introd. au Nouveau Test.* tom. IV. II. Part. ch. XXVII. sect. V. pag. 340. Mirum porro est sagacem hunc scriptorem communi scriptorum graecorum et latinorum consensui circa interpretationem vocis *Babylonis* de urbe Roma opponere auctoritatem unius aut alterius obscuri syri scriptoris medii aevi, et provocare ad Jo. Sim. Assemanum, tom. III. Bibl. Orientalis. Jam vero Assemanus in tom. III. P. I. non refert nisi Amrum Matthaei qui in vita Maris et in lib. *Magdal.*, P. II. cap. 8. affirmat Petrum praedicasse in Oriente, hoc est in Mesopotamia, et Chaldaea, et Babylonem in altera Petri epistola memoratam nil aliud esse, quam celeberrimam illam Assyriae urbem. Cui addendus Jesujabus Nisibenus in lib. adversus sectas, P. II.

designaverit (1). 2. Idem praestitere historici antiquissimi Papias (2), Clemens Alex. (3), Eusebius (4), aliique fere omnes qui hoc de argumento scripserunt (5). 3. Idipsum adstruitur ex argumentis ipsi epistolae intrinsecis, ex qua nimirum constat Petrum commonefacere christianos asiaticos de imminenti persecutione ex parte imperatoris (6), quod quidem Romae commoranti ex indiciis facile erat cognoscere, minime vero Babylone dissita adeo urbe a centro imperii et Parthis subjecta (7); constat praeterea Petrum obedientiam et subjectionem imperatori ejusque ducibus ad exemplum Pauli (8) commendasse, quod iterum de imperii subdito pronum est intelligere; in ea praeterea fit mentio de Silvano seu Sila prius Pauli deinde Petri comite (9), notissimo in illis regionibus ad quas per Silvanum Petrus epistolam suam mittit (10), nec non de Marco, quem, ut vidimus, veteres ad unum omnes referunt Romae scripsisse evangelium probante Petro, quemque hujus ipsius epistolae, dictante Petro, sententias exarasse plures affirmant (11). Cum his porro omnibus argumentis extrinsecis et intrinsecis si leves conjecturas conferas quibus recentiores cuncta innovandi lubidine ducti eo devenerunt, ut vel Chaldaeae metropolim, vel Aegypti hujus nominis urbem, aut ipsam Hierosolymam significatam esse contenderent, comperies eas plane evanescere (12); praesertim cum non desint ex antiquitate documenta e

cap. 8. qui tamen scribit Petrum Babylone ubi epistolam priorem scripserat una cum Marco comite Romam se contulisse, apud eundem Assemanum tom. III. P. II. pag. 6. Porro hi soli sunt ex scriptoribus syris quos affert Assemanus asserentibus Babylonis nomine Petrum Metropolim Chaldaeae designasse, quos quidem ipse confutat.

(1) Cf. Baron. ad an. 45. num. XVIII.

(2) Apud Euseb. lib. II. cap. XV.

(3) Ibid. et in *Chronico*.

(4) Loc. cit.

(5) Cf. Valesium in adnot. ad loc. cit. necnon Fogginium op. cl. *Exercit.* X. Dixi *fere* omnes quia Cosmas Indicopleusta sexti sec. scriptor in *Topographia Christiana* apud Montfaucon in *Nova Collect. Patrum* Paris. 1706. tom. II. pag. 147-148. Babylonem de urbe Assyriae intellexit, scribens: « At enim in romana primum ditione apostolorum tempore christiana praedicatio diffusa est: statim vero postea in Perside per Taddaeum apostolum. Et sane in catholicis epistolis scriptum est: *Salutat vos ecclesia quae est in Babylone coëtecta* ». De hoc scriptore aegyptio cf. Montfaucon in erudita praefat. ad ejus opera.

(6) Cf. de his ipsum Michaëlis op. et l. cit. sect. I. seqq.

(7) Quod quidem argumentum urget Lardner in Supplem. tom. III. pag. 246. seqq. apud Pott prolog. l. c. pag. 19. Licet ipse Babylonis nomine Hierosolymam mystice significatam esse contendat.

(8) Cf. Michael. sect. II.

(9) Ex urbe Corinthi ubi teste Dionysio Corinthiorum episc. Petrus praedicavit, comitem sibi adscivit Silam sive Silvanum de quo fit sermo Act. XV. 27. 32. 40. Cf. Calmet et Cornelium a Lapide in I. Petr. V. 12.

(10) I. Pet. V. 12.

(11) Cf. AA. quos paulo ante allegavimus, qui uno animo testantur Marcum comitem et interpretem fuisse s. Petri, qui propterea existimant s. Marcum fuisse amanuensem Petri, quatenus ei calamum ac stylum accomodaverit in scribendo. Sane stylus prioris epistolae a stylo posterioris nonnihil discrepat utpote ab alio exaratae.

(12) Horum omnium discrepantium sententiarum auctores et argumenta quibus suam unusquisque adstruere nititur refert Pott op. et l. c. prol. pag. 12. seqq. qui praeterea et aliam adjecit in adnotationibus ad cap. V. 13. 14. Ex eo nempe quod in vulgato graeco textu desit vox Ἐκκλησία, collegerunt Wolfius et

quibus novimus Romam quandoque Babylonis nomine fuisse significatam (1). Negamus propterea nulla nobis argumenta biblica suppetere ad evincendum Petri in Urbem adventum (2).

561. Ad 4. *D.* Prout gratis confingitur, *C.* reipsa *N.* Plura enim adversarii ea in re ex mera conjectura et ex arbitrio juxta praeconceptum systema supponunt, quae si negentur, eorum machina

Millius vocem Συνεκλετὴν esse nomen foeminae cujusdam, et speciatim uxoris Petri, quam ipse secum Babylonem duxerat. Hanc sententiam amplexus est Pott, qui proinde adjecit Marcum fuisse filium naturalem Petri; eumque poenituit quod haec omiserit in prolegomenis quae tum praelo excusa erant, quando haec observavit. Ita strenue nugantur, qui non antiquitatis documenta, sed proprias sectantur conjecturas in Scripturarum intelligentia. Sed cf. Fogginium loc. cit. qui haec in antecessum docte eruditeque refellerat.

Quoniam vero de opinionibus singularibus protestantium agimus, non abs re erit adjicere eventum memorabile quod ephemerides litterariae Lipsienses (*Leipziger Litteratur-Zeitung* 1831. pag. 195. seqq.) referunt, scilicet a centurione quodam occasione expeditionis Napoleonicae in Aegyptum susceptae, prope Joppen Syriae hanc lapidis sepulcralis (cujus delineationem memoratae ephemerides exhibent) inscriptionem detectam fuisse: Simon Petrus discipulus Jesu hic jacet. Scriptor porro articuli observat, ejusmodi inscriptionem quae ponit sepulcrum Petri in diverso omnino loco ab eo quem ei assignat narratiuncula *(leggenda)* ecclesiae catholicae, reipsa probatione destitui; attamen nihil esse quod eam incredibilem efficiat. Tanti proinde faciendam esse quanti narratiuncula altera, quod Petri ossa Romae consistant. Ex historia apostolorum novimus Petrum multo tempore Joppe conversatum esse; quid ni igitur ibidem potuit mori ac sepeliri? Hactenus hic auctor, cujus patet admirabilis logica: inscriptio Joppensis omni probatione destituta est: tanti propterea est facienda quanti historia de Petri in urbe romana martyrio et sepulcro, quae totius antiquitatis testimonio et documentis omnigenis fulcitur! Verum redactor protestans ephemeridum Darmstadiensium, qui an. 1828. e relatione Augusti comitis Melin ejusmodi facti adjuncta pagellis suis inseri curaverat, addidit, fragmentum illius inscriptionis sine ulla haesitatione in numero *apocryphorum* habendum esse. (*Allgem. Kirchen-Zeitung*, 1828. n. 134.). Cf. Roskovány op. cit. pag. 15, seqq. not. 41.

(1) Etenim in Fragmentis agrariis, quae Fausto et Valerio *VV. PP.* inscribuntur pag. 307. edit. Wil. Goësii sic loquitur: *Circa urbem Babylonis Romae maritimum fiet et Gallicum*, et pag. 266. ib. *Contra (urbis Babylonis) Romam maritimi limites fient, et Gallicus impinget*, ex quibus patet antiquitus *Babylonem Romam* Urbem interdum vocatam fuisse. Cf. *Rei agrariae auctores legesque variae*, cura Wilelmi Goësii, una cum notis Nicol. Regaltii. Amst. 1674. cl. Mazochius in *Spicilegio biblico*, Neap. 1778. tom. III. p. 370. suspicatur nonnullos veteres *Babylonem Romam* dixisse ut hanc a *nova Roma*, quae fuit Constantinopolis discernerent.

(2) Huc referri pariter debet quod legitur Jo. XXI. 18. 19. dictum Petro a Domino: « Amen amen dico tibi: cum esses junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit (subdit Evangelista), significans qua morte esset clarificaturus Deum ». Cum vero haec scripserit Joannes post Petri mortem seu crucifixionem, quae juxta omnia historica documenta, Romae contigit, patet exinde novum argumentum biblicum haberi de Petri in Urbem adventu et martyrio. Cf. Maldon. in hunc loc. nec non Mazochium op. et loc. cit. p. 213. et in *Comm. ad Kalend. marm. Neapol.* ad 29. Jun.

dissolvitur (1). Docti et eruditi tum catholici tum protestantes chronologi optime cum Petri Romam adventu ejusque obitu illa omnia componunt (2). Si quae differentiae apud eos reperiuntur, accidentales sunt et plures paucioresque annos afficiunt qui ab hoc adventu ad Petri in Urbe obitum effluxerunt, in quo nihil est certi (3).

562. Ad 5. *N.* Haec enim animadversio ex solo mentis tumore provenit, quo sibi adversarii persuadent antiquos omnes fuisse totidem bardos ac stupidos, ac se solos tandem aliquando oculos aperuisse, quod intolerabilis arrogantiae est. Licet enim demus in nonnullis veteres aliquot deceptos esse, prout et recentiores labuntur, numquid exinde inferri potest respuendum esse illorum testimonium in re facti cunctisque obvia? Falsum praeterea est solos Ignatium et Papiam primos testes esse facti quod adstruimus; recensuimus enim praeterea Clementem romanum utroque antiquiorem. Papias praeterea, Irenaeus et Origenes Romam se contulerunt: potuerunt proinde rei veritatis certiores fieri ab iis qui vixerunt cum illis qui eo tempore quo Petrus est cruci affixus, floruerunt. In his quippe celeberrimis factis traditio viva conservatur. Nunc addo eadem plane ratione qua adversarii utuntur ad factum istud evertendum, posse *authentiam* sacrarum N. T. Scripturarum everti; nec enim, ut postea videbimus, potioribus illae argumentis innituntur. En quo se conjiciant imprudentes ejusmodi impugnatores?

563. Ad 6. *N.* Ignatius enim scribens ad Romanos profitetur se iis non imperare ut Petrus et Paulus (4): ecquis porro non videat apertam allusionem ad hos apostolos qui romanos instituebant, imo eum loqui de re notissima? Mirum porro est adhuc suspicionem ab adversariis ingeri de *genuinitate* epistolarum Ignatii in tanta critices luce, quum vel ipsi protestantes illarum vindicias susceperint (5); idem dic de interpolatione, postquam epistolae genuinae ab interpolatis apprime distinctae sunt, et exquisita est inter utrasque collatio usque ad

(1) Sane fanaticus hic scriptor in sua tabula Chronolog. hiatum relinquit ab an. 52. ad an. 70.: quo temporis intervallo quare Petrus Romam venire non potuit?

(2) Satis hic mihi sit quatuor ex potioribus chronologis appellare duos ex catholicis, duos vero ex protestantibus qui optime componunt chronologiam quae in Actis Apost. habetur cum historia testatissima de Petri in Urbem adventu ejusque in eadem Urbe martyrio. Ex catholicis cf. Petavium in *Doctrina temp.* lib. XI. capp. XIII. et XIV. ubi disjicit eadem ferme argumenta nunc denuo a genevensi prolata: item Ricciolium in *Chronologia reformata* tom. I. lib. IX. cap. II. n. 5.-8. Ex protestantibus cf. Joseph. Scaligerum in *Thesauro temporum*, Amstelod. 1657. ib. *Animadv. ad Euseb. Chronic.* pag. 189. et 197. et Jac. Usserium in *Annalibus V. et N. Testam.* Genevae 1722. p. 646. 647. ubi et Petro cruci affixo applicat illud Jo. XXI. *Quum senueris*, etc. Quibus summis chronologis si provocator noster comparetur, quantillus demum erit?

(3) Cf. Ricciolium loc. cit. et Scaligerum l. cit. necnon Cotelerium in not. 36. et 39. ad I. epist. s. Clementis ad Corinth.

(4) En verba s. Ignatii: Οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν · ἐκεῖνοι ἀπόστολοι κ. τ. λ. *Non ut Petrus et Paulus praecipio vobis. Illi Apostoli*, etc.

(5) S. Ignatii epistolarum vindicias ex protestantibus inter ceteros egerunt Jo. Pearsonius in prolixa disputatione adversus Dallaeum, quae prostat ad calcem vol. II. *Patrum Apostol.* Cotelerii, et Isaac. Vossius in epist. ad Andr. Rivetum datis adversus Blondellum; ibid. p. 439. seqq.

apices instituta (1). Verum quo non impellit haereticus furor?

564. Licet vero Papias fuerit angustae mentis, ac facile propterea decipi potuerit sive in nonnullis speculativis opinionibus, sive in facilitate quasdam admittendi traditiones, non inde sequitur ipsum haud potuisse testem esse facti celebratissimi ac vulgatissimi; alioquin rudes omnes inepti plane essent ad fidem faciendam in tribunalibus. Quod vero Irenaeus deceptus fuerit a Papia, gratuita assertio est, quae eadem facilitate contemnitur, qua profertur. Non satis est asserere, sed praeterea necesse est probare, quod numquam adversarii efficient.

565. Ad 7. *N.* Etenim nisi fuissent coaeva, nulla ratione ad illa monumenta potuisset Cajus initio sec. III. scilicet an. 210. provocare haereticos a quibus facile falsitatis argui potuisset; nec enim minus audaces erant haeretici sec. III. quam sint haeretici sec. XIX. Siluerunt tamen illi: argumento itaque ineluctabili est, quod nihil haberent reponendum. Ridiculum autem est quod opponitur de exiguitate illius monumenti, perinde ac si ad fidem faciendam opus esset erigere templum s. Petri. Certe si haec ratio valeret frustra Jacob lapidem erexisset in titulum, aut veteres patriarchae acervum lapidum pro monumento posuissent.

566. Ad 8. Neg. conseq. ex falsis praemissis deductam, uti ex datis responsionibus aperte liquet; prout falsum est Scripturas impossibile utrumque factum ostendere, quae quidem demonstratio unice innititur silentio Pauli in II. ad Timoth. scripta paulo ante ejus mortem (2); cujus autem ponderis sit argumentum quod ex ejusmodi silentio eruitur paulo ante vidimus.

567. II. Obj. Saltem ostendi nequit Petrum fuisse romanae urbis episcopum. Etenim 1. id non conficitur ex eo quod Sedes romana passim *Cathedrae Petri* nomine insignita fuerit, cum exploratum eruditis sit de aliarum etiam ecclesiarum episcopis dici eos Cathedram

(1) Cf. Praefatt. Usserii, Vossii et Cotelerii in Ignatium apud Cot. l. cit. p. 5. seqq. necnon ibid. erudita prolegomena Jac. Usserii in Ignatium, tom. II. Part. II. pag. 187. seqq.

(2) Ridiculum plane est quod a nonnullis urgetur argumentum ex verbis Pauli II. Tim. IV. 16. « In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed *omnes me dereliquerunt* » quae sine injuria s. Petri scribere non potuisset Apostolus, perinde ac si Petrus qui et ipse in vinculis detinebatur, potuisset Paulo suppetias ferre. Ceterum apud protestantes nondum exploratum est quo tempore haec epistola exarata sit, ut ab ipsis urgeri possit adversus nos. Cf. Michaëlis op. cit. tom. IV. ch. XXII. sect. II.

Hic demum observo quam feliciter protestantes inter se pugnent dum aggrediuntur catholicos qui Romam Petrum venisse ibique mortuum esse tuentur. Etenim juxta Calvinum Comment. cit. in I. Petr. epist. Pontificii in illam venere sententiam quod Petrus Babylonis *nomine* Romam significaverit, ex praeconcepta falsa sententia quod Petrus Romam venerit; at vero juxta Eichhornium op. cit. ideo catholici autumant Petrum venisse Romam quod Babylonis nomine mystice Romam interpretati fuerint. Sic enim scribit: « Habitatio Petri Romae juxta *majorem omnem probabilitatem*, fabula est. Innititur compilationi prioris epistolae suae Babylone I. Petr. V. 13. quod nomen *primitiva ecclesia* exponebat figurate de urbe Roma; et super hoc id omne aedificatum est quod *mundus christianus antiquus et novus* fabulatus est de illius meritis cum ecclesia rom., de ejus illic primatu, ac de suo martyrio. Ego *fidenter quaero: ubi aliunde* haberetur hujus rei probatio? Et historia critica deberet ne pati probationem adeo inopportunam? » Ita quidem isti novi gigantes.

Petri obtinuisse, imo et *Petri Successores* fuisse vocatos. 2. Certe nemo apostolorum peculiarem gessit episcopatum: 3. secum enim invicem pugnant apostoli et episcopi munera; apostoli siquidem munus exigit nulli peculiari loco addictum esse, episcopi autem certam sedem et peculiarem gregem exposcit (1). Ergo.

568. *R. N. A.* Ad 1. prob. *D.* Legitur de aliarum ecclesiarum episcopis eos obtinuisse Petri Cathedram, et vocatos Petri successores abusive et improprie, *C.* proprie *N.* Nempe quandoque etiam aliae sedes praeter romanam dicuntur Cathedra Petri, earumque praesules Petri successores plures ob causas, ac 1. quia ex Petri Cathedra sua veluti ex fonte, episcopalis jurisdictio promanat; 2. quia unitatem ipsius constituunt cum Petri cathedra, quae totius ecclesiae centrum est; 3. quia peculiares illae ecclesiae vel a Petro, vel ab aliquo ejus successore institutae fuerunt. His propterea aliisque ejusmodi de causis factum est, ut *interdum* lata quadam significatione iis nominibus sedes illae fuerint insignitae, et earum episcopi, *Petri Successores* nuncupati. Ceterum numquam in istorum episcoporum catalogis primo loco ponitur Petrus, uti constanter fit in catalogis ecclesiae romanae; numquam dicitur Petrum in illa ecclesia sedisse eamque ad mortem usque rexisse, uti semper de romana occurrit ecclesia.

569. Ad 2. *N.* Universa siquidem antiquitas docet s. Jacobum fuisse episcopum ecclesiae hierosolymitanae (2): quod si reliqui apostoli certam sibi sedem non elegerunt, ut sibi Petrus romanam delegit, ideo est quia in illis non extabat peculiaris ea ratio qua Petrus ad suam eligendam debuit permoveri. Petrus enim, praeter apostolatum omnibus collegis suis communem, habuit primatum in universam ecclesiam, quem cum alii, dum ipse in vivis ageret, tradere non posset, debuit necessario certam eligere Sedem in qua primatus hic sibi divinitus collati relinqueret haeredem, cum ex Christi institutione deberet juxta dicta esse perpetuus.

570. Ad 3. Neg. Uti constat ex episcopatu Jacobi. Accedit, optime potuisse Petrum utrumque munus conjungere, apostoli nempe atque episcopi. Constituta enim semel ecclesia romana, potuit episcopatum per vicarium administrare, ac varias interea excursiones ipse facere, prout reipsa Petrum se gessisse certissima historica documenta testantur (3).

(1) Ita Sam. Basnagius in *Annal. politico-eccles.* ad an. 51. § 31. ad an. 40. § 20. ad an. 42. § 8.

(2) Uti Hegesippus apud Euseb. lib. II. cap. XXIII. Clem. Alex. Ibid. cap. I. Eusebius ipse ib. cap. XXIV. item lib. III. cap. V. et cap. VII. item lib. VII. cap. XIX. Epiphan. Haeres. LXXVIII. edit. Petav. n. VII. Chrysost. Hom. XXXVIII. in I. Cor. n. 4. Cyrillus Hierosol. *Catech.* XIV. n. 21. et alibi passim. Hieronym. *De Viris illustr.* cap. II. ed. Vallars. et in *Comment.* in ep. ad Gal. lib. I. ed. cit. tom. VII. pag. 396. Augustinus lib. II. cont. Crescon. cap. XXXVII. et *Cont. liter. Petil.* lib. II. cap. LI.

(3) Cf. Papebrochium in op. cit. *Responsio ad exhibit. errorum*, Part. I. art. VII. § 4. ubi luculenter ostendit a b. Petro adscitos fuisse ad ecclesiae rom. administrationem adjutores Linum et Clementem quos ordinaverat episcopos, ut se absente Romae episcopalia munera obirent. Idem ostendit Isaacus Vossius in *Respons. ad Blondellum* ad calc. tom. II. *Patr. Apost.* Cotelerii p. 443. nec non Godofredus Vendelinus in Diss. *De Clementis et ejus epistolar. tempore divinatio*. Ibid. tom. I. pag. 138.

PROPOSITIO III.

Romani Pontifices Petri in episcopatu romano successores illius primatum jure divino obtinuerunt; non autem humana sive ecclesiastica sive politica dispositione

571. Uti ex ipsa propositionis enunciatione liquet, apprime secerni debet in rom. Pontificibus eorum successio in romanum Petri episcopatum, seu romanam Petri sedem et cathedram, a successione in ejus primatum. Successio enim in Petri episcopatum juris ecclesiastici est, successio vero in illius primatum est juris plane divini. Successio in Petri sedem uti conditio solum se tenet ad successionem in ejus primatum, qui cum ex Christi institutione, quod ostendimus, perpetuus in ecclesia sit et alligatus personae Petri, fit, ut qui Petro in episcopatu succedit, hoc ipso in ejus primatum, ex Christi dispositione succedat (1). Hanc porro diversam rationem qua rom. Pontifices succedunt in Petri episcopatum, atque in ejus primatum permiscendo, nonnulli in fere inextricabiles difficultates se conjecerunt.

572. Thesis haec adstruitur adversus acatholicos omnes, qui quamvis in ceteris inter se mire dissentiant, in oppugnando tamen rom. Pontificis primatu qui sit juris divini unanimes sunt, et furore quodam aguntur. Graeci, protestantes, russi, anglicani nervos omnes in id contenderunt, atque contendunt. Ejusmodi enim primatu semel constituto actum plane de sectis omnibus et conclamatum est. Aequum proinde, ut et nos vires nostras ad eum propugnandum omni quo par est studio conferamus. Sic igitur quod proposuimus evincendum aggredimur.

573. Ex hactenus constitutis Christus contulit Petro primatum jurisdictionis super universam ecclesiam; contulit hunc primatum Petro ad constabiliendam ecclesiae suae unitatem, eamque in perpetuum conservandam, seu in utilitatem et emolumentum ecclesiae suae; ac propterea, quod consequens est, voluit eundem primatum in societate a se in unitate constituta esse perpetuum: debuit igitur hic primatus ex Christi dispositione in Petri successores promanare. Atqui nullus alius Petri successor praeter rom. Pontificem, qui illius nempe sedem seu episcopatum romanum quem ipse prius instituit et ad obitum usque rexit, occupaverit, est vel esse potest; ergo solus rom. Pontifex Petri primatus jure divino haeres est, seu gaudet primatu jure divino.

574. Sane Petrus, qui ratione apostolatus sui potuisset nullam sibi *certam* sedem eligere, ne *incerta* permaneret post obitum suum primatus sui successio, postquam Antiochenam per aliquot annos rexisset ecclesiam, uti fert anti-

(1) Romani scilicet Pontifices, mediante episcopatu romano, potiuntur Petri primatu, qui nunc ab illo inseparabilis est, postquam nempe Petrus utrumque in propria persona conjunxit; et ideo peculiarem sedem fixam seu episcopatum elegit, ut per ipsum transmitteret ad successores suos in episcopatu primatum perpetuo in ecclesia duraturum, id quod ex dicendis clarius fiet. Diximus autem rom. Pontifices esse Petri in sede, seu episcopatu romano successores *jure ecclesiastico;* quia reipsa individuorum electio in episcopos romanos a sola ecclesia pendet; quod vero electi in romanos praesules potiantur primatu, hoc juris divini est; quod ex propositionis quam adstruimus evolutione patebit.

qua traditio (1), Romam venit, episcopatum instituit, illumque ad mortem suam usque occupavit ac tenuit. Dum vero Petrus romanum gessit episcopatum, etiam primatum sibi divinitus collatum in universam gessit ecclesiam, atque uti episcopus romanus unitatem ecclesiae in se, ut ita loquar, *personificabat*, adeo ut unus idemque esset episcopus romanus et ecclesiae universae primas, ac unitatis ecclesiae centrum. Qui propterea Petri episcopatum adepti sunt, jure naturali successionis utrumque sunt munus adepti, episcopatus scilicet et primatus quibus Petri persona potiebatur; atque essentialem ecclesiae unitatem per primatum romano episcopatui, ut ita dicam, a Petro inoculatum et insertum continuarunt. A Petri obitu, in episcopatu romano utraque dignitas inseparabilis evasit, sic ut altera ab altera jam dispesci haud amplius potuerit. Alioquin quaelibet peculiaris sedes primatum sibi vindicare potuisset aut independentiam, actumque propterea fuisset de ecclesiae unitate per primatus institutionem a Christo intenta. Merito proinde Bossuetus « Petri, inquit, successores, cum ordinandi fuerint, e coelo lapsuri non sunt; neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam ecclesiam citari, commoverique oportebat. Necesse ergo est, ut sit aliqua ecclesiae catholicae pars, ex qua existant, aliique aliis subrogentur (2) ».

575. Atque inde dimanavit *realis illa praesentia*, ut eam vocat cl. Maistrius, quae ab ipsis rei christianae incunabulis ubique se prodit, hujus primatus a rom. Pontificibus administrati et exerciti. Hunc enim deprehendimus in rom. Pontificum gestis sive cum errores haeresesque damnarunt (3), sive cum sanxerunt disciplinam in ecclesia universa (4), sive cum exortas controversias ubique gentium diremerunt; sive cum episcopos longe dissitos tum in Oriente tum in Occidente obedire detrectantes minis perterruerunt, aut etiam deposuerunt, sive dum alios id genus auctoritatis actus exercuerunt quibus referta est ecclesiastica trium priorum seculorum historia (5).

576. Eandem praeterea deprehendimus in scriptis atque in agendi ratione ecclesiae patrum totius christiani orbis. Vix enim per id temporis haeresis aliqua aut schisma exoriebatur, omnes

(1) Hujus traditionis testes sunt Origenes Hom. VI. in Luc., Eusebius in *Chronico*, Hieronym. in Comment. in epist. ad Galat. cap. II. et in *Catalogo*, Jo. Chrysost. tom. I. Hom. XLII. et tom. V. p. 180. et alibi; Innocentius I. ep. XIV. ad Bonifac. et epist. XVIII. ad Alexand. Antiochenum episc.; Leo M. serm. I. in *Natali ss. Apostol. Petri et Pauli*, et ep. LXII. ad Maximum Antioch. episc., Theodoretus ep. LXXXVI. ad Flavian. Basilius Seleuciensis in *Vita s. Theclae* lib. I. pag. 276. edit. Paris. 1622. Fulgentius lib. *De Trinit.* cap. I. Gregorius M. epist. ad Eulogium episc. Alex. Auctor libri Pontificalis; Maximus Antioch. episc. in Concilio Chalced. Act. VII.; aliique apud Fogginium op. cit. *Exercit.* IX. adeout mirum sit Basnagium ad an. 40. n. 20. potuisse Antiochenum s. Petri episcopatum veluti commentum traducere ab *Recognitionum* Clementis lacunis exortum.

(2) *Defens. Cleri gallic.* lib. X. cap. V. cit. edit. tom. XXXIII.

(3) Cf. gesta rom. Pontificum Zephyrini, Dionysii, Victoris, Stephani apud Euseb. H. Ec. lib. V. c. 23. seqq. lib. VI. cap. 43. lib. VII. cap. 3. seqq. etc.

(4) Ibid. lib. V. capp. 24. 25.

(5) Cf. Bolgeni in op. cui tit. *L' episcopato* edit. Orvieto 1837. tom. III. *Appendice H.* n. 630. seqq. pag. 61. seqq. qui ad id ostendendum percurrit et excutit ejusmodi facta incipiendo a sec. I. ad sec. V. inclusive, quibus quod asseruimus luculentissime evincitur.

illico oculos suos convertebant ad rom. Pontificem, remque totam ad eum deferebant (1); opponebant haereticis et schismaticis auctoritatem ecclesiae romanae quacum si quivis haud communicaret, frustra speraret sese ad ecclesiam pertinere (2). Eam propterea certatim vocabant *petram ecclesiae principalem* (3); *ecclesiarum omnium matricem* (4), et *ex qua unitas sacerdotalis exorta est* (5), *ecclesiam potentiorem cum qua necesse est convenire omnes qui sunt undique fideles* (6); *Petri cathedram contra quam numquam praevaliturae sint superbae inferorum portae* (7); *ex qua profluxit quidquid in episcopis auctoritatis est* (8); ex *cujus firmitate firmitas pendet episcoporum et episcopatus* (9). Quae quidem aliaque sexcenta ejusmodi patrum effata quibus rom. sedem seu roman. Pontificem *unitatis centrum, unitatis originem*, *Sedem Apostolicam* per antonomasiam appellant, *firmamentum a Deo fixum et immobile, episcopum episcoporum, patrem patrum* etc. apertissime evincunt agnitum semper constanterque fuisse primatum Petri in rom. pontificibus ejus successoribus perseverantem, adeo ut monumentorum omnigenorum copia veluti obruamur (10).

577. Huc pariter referuntur appel-

(1) Ita factum est in schismate donatistarum, in schismate Alexandrino et Antiocheno; ita in haeresibus quae exortae sunt vel a primis ecclesiae seculis, gnosticorum, Pauli Samosateni, Theodoti coriarii etc. Dionysius Alex. cum in suspicionem haeresis venisset, apud Dionysium rom. accusatus est. Id ipsum contigit cum enatae sunt haereses ariana, macedoniana, nestoriana, eutychiana etc. Nullum unquam alicujus momenti negotium agitatum est, quod illico delatum non fuerit ad rom. pontificem, uti testis locupletissima est universa historia ecclesiastica. S. Basilius ep. LXIX. ad Athanasium: « Nobis autem, inquit, operae pretium esse visum est, ad episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat, et consilium daret . . . Ipse hoc negotium suo marte aggrediatur » ed. Maur. tom. III. p. 163. Sane epist. LXX. scribit ad Damasum opem ejus implorans in difficillimis illis rerum adjunctis, eumdemque excitat ad exemplum praedecessorum suorum.

(2) Cf. Praefat. editoris Maurini opp. s. Cypriani § III. nec non Ballerinium *De vi et ratione primatus* cap. XI. § II. p. 59. seq.

(3) S. Cyprianus ep. LV. ad Cornel.

(4) Idem. ep. XLV. ad eumd.

(5) Idem ep. cit. LV. ed. cit. pag. 86., et s. Ambrosius, qui in epist. ad Gratianum Imp. loquens de rom. ecclesia scribit: « Inde enim in omnes venerandae communionis jura dimanant ». Apud Labbeum tom. II. col. 999.

(6) S. Iren. loc. cit. Ubi notandum illud *necesse est*, quo significatur absoluta necessitas non solum eamdem fidem profitendi cum apostolica sede, verum etiam servandi unitatem communionis cum ea. Technas adversariorum circa hunc textum paulo post expendemus.

(7) S. Augustin. in *Psalmo contra partem Donati*.

(8) S. Innoc. I. epist. ad Victric. Rothom. c. 2. Item in epist. ad conc. Milevitan. cap. 2.; s. Greg. Nazianzen. in orat. *Adversus eos, qui reprehensiones aegre ferunt*, aliique passim apud Bolgeni op. cit. *Append. B.*

(9) S. Leo M. *serm. IV. De Natali ipsius annivers. die assumpt. suae*. Ed. Ballerin.

(10) Cf. Theoph. Raynaudum in op. *Corona aurea super mithram rom. Pontificis*. Opp. ed. Lugd. tom. X. Ubi hic auctor incredibili patientia et labore ex patrum graecorum et latinorum aliorumque scriptorum ecclesiasticorum scriptis collegit titulos quibus b. Petrus et rom. Pontifex donati sunt, ac enumerat *quadringentos nonaginta quinque*.

lationes, accusationes, purgationes quas ad rom. Pontificem episcopi etiam primarii undique habuerunt cum opprimerentur, aut in discrimen aliquod vocarentur (1); quae procul dubio patefaciunt veram auctoritatem superioris ordinis, sive jurisdictionis in rom. pontificibus Petri successoribus professos esse.

578. Eandem *realem* summi pontificatus *praesentiam* in rom. praesulibus deprehendimus in ipsa agendi ratione haereticorum ac schismaticorum, qui ut proprios cohonestarent errores ac perduellionem, minime dubitarunt Romam confugere (2), Romam se conferre (3), sanctae Sedis auctoritatem extollere, donec scilicet spes ipsis aliqua affulsit vitandi promeritam damnationem (4).

579. Eam deprehendimus in actis omnibus conciliorum oecumenicorum, atque, ut verbo dicam, in fastis omnibus, annalibus et historiis ecclesiae, ita ut nullum aliud factum perspectum adeo sit atque exploratum quovis rei christianae seculo.

580. Possemus denique hanc eandem veritatem firmare aperta confessione ipsorum protestantium Lutheri, Calvini, Melanchthonis, Casauboni aliorumque plurium (5), nec non graecorum

Equidem fateor pro aetatis illius critica, nonnullos ex his titulis hunc auctorem hausisse ab operibus quae nunc uti spuria habentur. Attamen plerique ex genuinis fontibus collecti sunt; ex his porro facile deprehenditur quinam fuerit totius antiquitatis sensus circa divinam originem, praerogativas, ac supremam dignitatem primatus illius quo rom. pontifex utpote s. Petri successor potitur, quique illis titulis ac onomastico significatur. Cf. etiam Mamachium *Orig. et antiquit. Christ.* tom. v. p. I. libri IV. p. II. cap. III.

His addendi sunt card. Orsius in op. *De irreformabili rom. pontificis judicio* trib. volum. in 4. Romae 1739. card. Gerdilius: *Analisi contro Launojo* opp. ed. cit. tom. XIII. Muzzarelli *Del buon uso della logica* opusc. III. edit. Flor. 1831. tom. I. Bolgeni op. cit. Zaccaria in *Antifebbronio*, et in *Antifebronio vindicato* qui uberrima exhibent in hanc rem patrum testimonia. Ex recentioribus idem praestiterunt Franc. Patricius Kenrick coad. episcopi Philadelph. in provinciis foederatis Americae in op. *The Primacy of the apostolic see and the authority of general concils vindicated*. Philadelphiae 1838.: praesertim vero Dr. Rothensee in op. *Der primat des Papstes in alten christlichen Jahrhunderten* etc. seu *primatus Papae antiquis seculis christianis*. Mogunt. 1836. Quamvis hoc opus, auctore morte praevento, absolutum non fuerit.

(1) Cf. Ballerinios: *Observationes in dissert. v. Quesnelli:* tom. II. opp. s. Leonis, pag. 902. seqq.

(2) Cujus agendi rationis exempla notissima sunt Nestorii, Eutychis, Pelagii etc.

(3) Sane Cerdo, Valentinus, Marcion, Caelestius aliique Romam se contulerunt ad reddendam rationem doctrinae suae. Alias dedimus testimonium Wetstenii id aperte fatentis. Cf. com. de Maistre: *Du pape* liv. I. ch. v. ed. Lyon 1821. tom. I. pag. 60. seqq.

(4) Plura hujus rei exempla suppeditat com. de Maistre op. et loc. cit. ch. x. praesertim ex Photio et Michaële Cerulario.

(5) Haec exhibet laudatus auctor ibid. ch. IX. *Témoignages protestans;* nec non de Starck, quamvis protestans et ipse, in suo *Convivio Theoduli*. Plura item congessit Barruel in op. *Del papa. Trad. dal franc.* Genova 1803. tom. I. p. II. cap. v. *Testimonianze de' protestanti intorno al papa e alla chiesa romana*. Novissime vero magno etiam numero ex recentioribus protestantibus profert testimonia Eslinger in sua *Apologie de la religion catholique par des auteurs protestans* art. *Pape*.

schismaticorum, anglicanorum, russorum (1). Verum ne ulterius rem protrahamus quam institutionum brevitas ferat, hic finis sit.

581. Interim evidenter conficitur, non ex ecclesiastica, multoque minus ex politica dispositione factum esse ut rom. Pontifices Petri primatus in universam ecclesiam haeredes exsistant. Nam cum primatus iste ita Petro collatus fuerit, ut semper in ecclesiae bonum perdurare deberet, adeoque ad ejus successores transire, cumque rom. Pontifices ideo primatum obtineant, quia succedunt in cathedra Petro, patet non alio ipsos jure primatum hunc tenere, quam eo quo Petrus illum accepit ac tenuit. Ergo ex vi institutionis Christi, et ex Petri in urbe romana episcopatu, romanorum Pontificum in Petri primatum successio unice est repetenda. Hoc praeterea omnia, quae vix attigimus, sive patrum testimonia, sive ecclesiasticae historiae gesta demonstrant; quorum plura eam antevertunt aetatem, qua pax ecclesiae a Constantino reddita est: quo quidem solo satis ii refutantur qui primatum hunc romanorum Pontificum ab humana origine arcessere praesumunt. Quapropter non minus vere quam eleganter scripsit s. Leo M.: « Sicuti permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit ... Manet ergo dispositio veritatis, et b. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta ecclesiae gubernacula non reliquit (2) ». Perseverat videlicet Petrus et vivit in successoribus suis in quibus et per quos gregem universum pascit ac regit (3). Quapropter florentini patres « Definimus, inquiunt, sanctam apostolicam sedem, et rom. Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem romanum successorem esse b. Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in b. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur (4) ».

582. Patet igitur quod initio proposuimus, rom. Pontifices Petri in episcopatu romano successores, illius primatum divino jure obtinuisse, minime vero ex humana sive ecclesiastica, sive politica dispositione.

DIFFICULTATES

583. I. Obj. 1. Ecclesiae romanae praeeminentia tota accepta referenda est adjunctis externis quae in eam unice concurrebant, quibus suapte natura aucto-

(1) Et haec pariter adducit com. de Maistre op. et loc. cit. ch. x. *Témoignages de l' eglise Russe, et par elle témoignages de l' eglise grecque dissidente*. Quoad auctores armenos eosque antiquissimos cf. Clem. Galanum in *Conciliatione ecclesiae armenae cum romana*. Romae 1661. tom. II. tract. III. *De militantis ecclesiae capite* pag. 225. seqq.

(2) Serm. III. *De Natali ipsius* etc. Ed. Baller. cap. II. et III.

(3) Merito proinde De Marca in diss. cit. *De discrimine cleric. et laic.* cap. III. n. 2. affirmat ea verba: *Tibi dabo claves etc.* ad unum Petrum directa esse « Ut scirent omnes, Pontificis potestatem semper cum Petri ecclesiae capitis communione et unitate retinendam; ad quod ipse praecipue cum potestate ligandi contumaces huic unitati cogere posset ».

(4) In *Decreto seu definitione*. Apud Hard. *Acta concil.* t. IX. col. 986.

ritas qua vel ab initio ecclesia ista potita est, intelligitur. Haec autem sunt *a*) numerus ejus cleri et populi (1); *b*) ejus divitiae et charitas (2); *c*) ejus origo apostolica utpote a Petro et Paulo fundata (3), quo factum est ut a patribus *Sedes Petri* nuncuparetur; *d*) puritas ejus fidei, in qua, ut loquitur Irenaeus, *semper conservata est ea* quae est *ab apostolis traditio* (4); *e*) dignitas temporalis romanae urbis, prout 2. declarat conc. Chalcedonense can. XXVIII. his verbis concepto: « Etenim antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, jure patres privilegia tribuerunt, et eadem consideratione moti centumquinquaginta Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt »; et Cyprianus: « Quoniam, inquit, pro magnitudine sua debet Carthaginem Roma praecedere (5) ». Episcopus romanus sec. III. fruebatur jurisdictione super magna Italiae parte: eam ipsi confirmavit synodus Nicaena can. VI. qui ita se habet: « Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Lybiam et Pentapolim; ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romae episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, ceterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis (6) » seu ut legitur in versione Rufini « Et ut apud Alexandriam, et in urbe Roma, vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat (7) ». 3. Concilium Sardicense ei

(1) De quo Cornelius in epist. ad Fabium Antiochenum apud Euseb. in hist. eccles., vigente Decii persecutione: sic Cyprianus scribens ad Cornelium episc. rom. loquitur de *florentissimo illic clero* secum praesidente, et de *sanctissima et amplissima plebe* (epist. LV.). Irenaeus disserit de ecclesia romana, tamquam de ecclesia *maxima*.

(2) Opulentia romanae sedis talis erat, ut fuerit speciali ratione sugillata ab Ammiano Marcellino veluti causa violenti schismatis, quum Damasus et Ursinus contenderent pro illa sede (lib. XXVII. sub finem cap. III.). Veruntamen divitiae istae profundebantur in opera charitatis. Dionysius Corinth. episcopus scribens ad ecclesiam rom. tempore Soteri circa medium sec. II. « Haec, inquit, vobis *consuetudo* est jam inde *ab ipso religionis exordio*, ut fratres omnes universo beneficiorum genere afficiatis etc. » (apud Euseb. lib. IV. c. 23.). Ejusdem charitatis meminit Dionysius Alex. sec. insequente in epist. ad Stephanum; ubi refert universae Syriae et Arabiae necessaria a rom. ecclesia suppeditata fuisse (ibid. lib. VII. cap. 5.). Nil porro mirum esse debet si divitiae bene adeo expensae conciliaverint sedi rom. universalem venerationem.

(3) Ita Irenaeus, qui loquitur de eadem ecclesia veluti de ecclesia *maxima, et antiquissima et omnibus cognita a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundata et constituta* (lib. III. cap. 3.); Synodus antiochena agnovit quod in scriptis omnes libenter honorarent ecclesiam rom. utpote quae vel ab initio schola fuerit apostolorum, ac religionis metropolis. Peculiari vero modo honorata est, eo quod ei praesederit Petrus primus apostolorum, ac propterea a pluribus patribus *Petri sedes* nuncupata est.

(4) Loc. cit. Sane rom. ecclesia sollicita semper fuit de conservanda vera fide ab remotissimis usque temporibus, damnans et pellens gnosticos, artemonistas etc.: et furente arianorum insania, ipsa fuit fidei catholicae propugnaculum.

(5) Epist. XLIX. Theodoretus epist. ad Leonem loquitur de urbe Roma tamquam *de omnium maxima et clarissima*, *quae et orbi terrarum praesidet*, *et incolarum numero redundat* (apud Baller. opp. s. Leon. tom. I. ep. LII.).

(6) Apud Hard. tom. I. col. 326.

(7) Ibid. col. 333.

contulit peculiaria privilegia sec. IV. (1); 4. Imperatores vero Gratianus, Valentinianus et Justinianus aliique agnoverunt rom. pontificis primatum ac varias ei contulerunt praerogativas et privilegia. A vero porro abluderet qui praeminentiam ecclesiae romanae a solis imperatorum decretis aut conciliorum canonibus inferret, quamvis valde aucta ex ejusmodi causis fuerit. Fundabatur illa siquidem in possessione attributorum, quae collective ad nullam aliam ecclesiam spectabant. Exinde pronum est agnoscere quare episcopi romani vocarentur a patribus *successores s. Petri;* ipsi enim erant episcopi particularis ecclesiae cui s. Petrus fundandae adlaboraverat, cuique praesederat, erantque adeo veluti episcopi ecclesiae principalis, *eminentiores* inter successores apostolorum, ad eum praecise modum quo Petrus praeeminentiam habuerat inter apostolos ipsos (2). Ergo.

584. Resp. ad 1. *N.* Haec enim adjuncta, non sunt nisi aut causa aut effectus. Causa sunt quatenus determinaverunt apostolorum principem ut Romae potius figeret sedem suam quam in alia civitate. Divinae enim providentiae consilio factum est, ut urbs illa quae centrum erat gentium omnium et paganicae superstitionis, centrum fieret verae religionis; et judaicae gentis a Deo rejectae in poenam patrati deicidii metropoli, Hierosolymae, subrogaretur metropolis gentium, Roma, in novae religionis, seu potius novi foederis ad quod gentes divina gratia vocatae sunt, principium et caput (3). Semel vero religionis christianae metropoli constituta in romana urbe, consequens plane erat ut vitam ibi suam religio peculiari ratione

(1) Canonn. III. IV. VII. Ibid. col. 639 -642.

(2) Hactenus fere Palmer op. cit. par. VII. cap. III. vol. II. pag. 497. seqq., qui, ut patet, communem impugnandi primatum rom. pontificis viam deseruit, videns parum profecisse eos qui vel ex decretis conciliorum vel ex imperatorum legibus, vel qualibet alia peculiari causa seorsum sumpta illum impugnabant. Nova proinde arte usus est ut eriperet catholicis arma quibus causam rom. ecclesiae defendebant. Cumulat in eam ecclesiam praerogativas, amplificat patrum sententias, ut sic meliori successu finem sibi propositum obtineat; at uti patebit, frustra hanc ipse artem in sui praesidium adscivit.

(3) Juverit, quae heic asseruimus confirmare auctoritate scriptoris adversariis nostris haud suspecti, toties nempe citati judaeo-increduli Salvador, qui in op. *Jésus-Christ* et *sa doctrine* lib. III. ch. II. tom. II. pag. 311. seqq. in rem nostram haec habet: « Cette qualification très-exacte de christianisme de la gentilité imposait dès l' origine une tendance invincible à ses propagateurs. Elle leur inspirait d' obtenir un jour pour leur établissement *central et sacré*, et d' appeler du nom de vraie Jérusalem la ville même, où la puissance des gentils avait le plus brillé, la capitale du monde payen, du monde étendu que le Dieu des Juifs, si l' on veut accomplir l' image commencée précédemment, devait livrer à l' une des deux grandes divisions de son peuple choisi, afin de rendre mieux sensible à tous les yeux que la force de la parole ou de l' intelligence dont il était roi ne la cédait en rien au fil le plus acéré de l' epée. Dans cet état de choses, ce n' est donc ni au *concours fortuit des circonstances* (ut contendit Palmer), ni à une usurpation, ainsi qu' une foule de sectes chrétiennes dissidentes et presque tous les écrivains philosophes l' ont pensé, qu' il faut attribuer *la suprématie acquise par Rome et par son Pontife* dans le monde chrétien. Cette suprématie découlait des principes communs aux fondateurs d'Israel, ou du peuple nouveau; elle était une des nécessités le plus manifestes de leur mission, et elle devait servir à la fois de couronne et de fin à leur conquête ».

exereret, suamque vim, ac energiam. Inde enim profluxerunt tum cleri tum populi christiani numerus; divitiae et charitas; sedis apostolicae origo; Petri sedis nuncupatio; fidei puritas, et si quae alia sunt quae sedis romanae praeeminentiam commendant.

585. His praeterea adjiciendum est, ex praemissis, in eo totius quaestionis cardinem versari, utrum primatus in perpetuum a Christo institutus ad constabiliendam servandamque ecclesiae unitatem in fide et communione, ac Petro collatus, in romana ecclesia, an vero in alia firmatus sit et constitutus ut ad seculorum finem una cum ecclesia ipsa perseveraret. Porro et Petri sedes romana, et totius christiani orbis consensus qualibet aetate evidenter solum rom. Pontificem uti episcopatus, ita et primatus Petri successorem evincunt. Nam sola romana sedes jus istud et dictis et factis semper sibi vindicavit: nulla alia ecclesia jus istud sibi competere unquam contendit; immo ecclesiae omnes orientales et occidentales, patresque omnes unanimi consensu et proclamarunt et vindicarunt praerogativam hanc uni ecclesiae romanae: restat igitur ut eam et nos in hac romana sede agnoscamus. Ab hoc quaestionis statu manifeste divertunt adversarii, et elabi adnituntur.

586. Ad 2. Transmissa utriusque canonis Nicaeni scilicet, et Chalcedonensis auctoritate, *Neg.* conseq. Ac primo quidem transmisimus utriusque objecti canonis auctoritatem; notum quippe eruditis est controversiam agitari circa germanam canonis Nicaeni lectionem (ut ab antiquiori hoc incipiamus), utrum scilicet cum Paschasino s. Sedis legato apud concilium Chalcedonense legi debeat, prout ipse eum recitavit Act. XVI. ejusdem synodi, nempe: « *Quod ecclesia romana semper habuit primatum*. Teneat autem et Aegyptus, ut episcopus Alexandriae omnium habeat potestatem, quoniam et romano episcopo haec est consuetudo etc. (1) », an vero, prout habet versio Dionysiana (2). Itidem notum est quaestionem agitari utrum priora verba a Paschasino recitata ex titulo irrepserint in textum, an secus, ut plures contendunt (3). Exploratum aeque est divisos esse ab invicem eruditos circa intelligentiam *ecclesiarum suburbicariarum* de quibus in compendiaria Ruffini paraphrasi adducti canonis fit mentio (4); num scilicet veniant ecclesiae omnes patriarchatus romani, an provinciae tantum *praefecto Urbi subjecta*, uti cum Jac. Gothofredo propugnavit Salmasius, quos tamen acriter confutavit Sirmondus (5). Compertum prae-

(1) Apud Harduin. tom. II. col. 638.

(2) Quae est superius recitata.

(3) Certum est in nonnullis Mss. canonem hunc fuisse inscriptum: *De primatu ecclesiae romanae* uti apud Dionysium, in Mss. bibliothecae Colbertinianae, in cod. Claudii Hardy senatoris parisiensis, et in cod. Fossatensi in cod. collegii jesuitarum Paris., in cod. Pithoeano aliisque. Exinde factum esse nonnulli reutur, ut Paschasinus canonem una cum titulo recitaverit illis verbis: *Ecclesia romana semper habuit primatum*. Cabassutius in *Notitia concil.* pluribus persuadere nititur, initium hoc de primatu ecclesiae romanae supplendum esse. Quesnellus auctoritate fretus cod. Oxoniensis contendit legendum esse: *Ecclesia romana semper habeat primatum:* at Ballerinii t. III. opp. s. Leonis in *cod. canon. ecclesiasticorum* tit. X. p. 52. not. (32), ejusmodi lectionem criticam haud esse invicte ostendunt.

(4) De qua Rufinii paraphrasi cf. Baron. ad an. 325. n. 135. Valesium dissert. *De sexto canone conc. Nicaeni* cap. 7. Bianchi *Della potestà e della polizia della chiesa*. tom. IV. lib. II. cap. I. § XVI. n. 9. nec non Nat. Alex. diss. XX. in sec. IV. cum adnotat. Mansi adversus Basnagium.

(5) Tanto eruditionis apparatu tam Go-

terea est can. XXVIII. synodi Chalcedonensis, legatis romanis absentibus exaratum, rejectum fuisse a s. Leone M. atque ab insequentibus rom. Pontificibus, adeo ut non solum vim ullam numquam habuerit, sed insuper graeci ipsi in suis canonum collectionibus illum penitus praetermittant (1). Notum denique est in dubium revocari canonis III. concilii Constantinopolitani adducti a patribus chalcedonensibus, authentiam (2). Quae cum ita se habeant jam patet infirmitas fundamenti cui Palmer, ceterique romani primatus innituntur osores.

587. Negavimus quoque consequentiam quam ex illis canonibus deducere vellent adversarii; ambo enim illi canones de solo agunt jure patriarchali, quod canon Nicaenus adstruxit episcopo Alexandrino adversus molimina schismatici Meletii, qui illud invaserat (3); et quoad ejus exercitium illud exegit ad exemplum patriarchatus romani, qui subditas sibi ecclesias mira prorsus ratione moderabatur, quin ullo modo in privilegia alterius ecclesiae cujusque invaderet (4). De jure pariter patriarchatus sermo est tum in canone III. Constantinopolitano, tum in can. XXVIII. Chalcedonensi, quod patres illi volebant cum detrimento ecclesiarum Alexandrinae et Antiochenae extendere ad episcopum Constantinopolitanum (5). Cum igitur de ecclesiae romanae primatu nullo modo

thofredus, quam Salmasius causam suam propugnarunt, ut res confecta videretur, et card. du Perron ipse non crederet quempiam reperiri posse, qui tantae argumentorum machinae impetum retunderet. Ast surrexit doctus Sirmondus, qui pro sedis apostolicae praerogativa feliciter adeo dimicavit, ut tribus libellis quos inscripsit *Propempticum cl. Salmasio de regionibus suburbicariis*, adversarios suos penitus profligaverit. Dupinio teste eruditi pene omnes, inter quos vel ipse Blondellus, Sirmondo victoriae palmam tribuerunt. Demonstravit igitur Sirmondus vicarium urbis esse distinguendum a praefecto urbis; suburbicarias regiones eas dici, quae vicario parebant; ecclesiasticas dignitates non ad civilium normam dumtaxat institutas fuisse, nec propterea rom. Pontificis potestatem ad suburbicarias ecclesias coarctandam esse. Cf. Roskovany op. cit. § 36. not. (113). Prostant porro tres libri Sirmondi tom. IV. opp. edit. Paris. 1696.

(1) Cf. Nat. Alex. diss. IV. in sec. I. prop. II. in responsis ad object. VII.

(2) Cf. quae de hoc can. fuse ac erudite scribit Christ. Lupus in scholio quod ipsi apposuit opp. edit. cit. tom. II. p. 109. seqq.: cf. etiam Katerkamp in op. *Kirchengeschichte* etc. seu *Hist. ecclesiastica*. Munster 1826. tom. III. p. 256. seqq.

Can. III. concil. Constantinopolitani I. quem laudant patres Chalcedonenses his verbis conceptus est. « Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet primatus honorem post rom. episcopum, propterea quod sit nova Roma ». Lucentius legatus rom. Sedis apud concilium Chalcedonense protestatus est quod canon ille *in synodicis non habetur*. Atque hinc factum est, ut Baronius suppositum eum traduxerit; Natalis vero Alexand. diss. XXXVIII. in sec. IV. art. II. ejus authentiam tuetur. Illud certum est numquam eum neque a Damaso, neque a subsequentibus rom. Pontificibus fuisse probatum. Innocentius III. in conc. Lateran. IV. eum demum admisit, postquam scilicet a Latinis Constantinopolis occupata fuit, et in concilio Florentino ab Eugenio IV. fuit confirmatus. Cf. Lupum in schol. ad hunc can. tom. I. p. 333. seqq.

(3) Ita Lupus op. cit. in can. VI. Nicaen., Nat. Alex. diss. cit. XX. in sec. IV. prop. I. Petrus de Marca *De concordia* lib. III. cap. 7. Katerkamp *Kirchengeschichte, seu Hist. Eccl.* l. c.

(4) Cf. Sirmondum op. cit. lib. II. cap. I. et Lupum loc. cit.

(5) Cf. eund. Sirmondum in *Censura dissert. II. de ecclesiis suburbicariis* cap. I. Nat. Alexandr. diss. IV. in sec. I. prop.

agatur in allatis canonibus, de quo nulla mota est controversia, et in confesso penes omnes erat illum esse divini juris (1), perperam sive graeci et novatores, sive jansenistae ac febroniani ab oecumenicis synodis illum repetunt; ac perperam post ipsos Palmer, saltem inde amplificatam aut confirmatam pontificiam auctoritatem deducit, cum ne specie quidem tenus istam attingant.

588. Ad 3. *D.* Id est conc. Sardicense asseruit ac vindicavit rom. pontifici privilegia quae ipsi divinitus competebant vi primatus sui, quaeque ei denegabantur ab ariana seu eusebiana factione, *C.* vere contulit peculiaria privilegia quae ipsi jure divino non competerent *N.* Nempe cum ariani seu eusebiani non modo Nicaenam fidem, sed ecclesiasticam disciplinam modis omnibus evertere conarentur jus recipiendarum appellationum ex universo christiano orbe quo antea potiebantur romani pontifices, iis denegare ausi sunt, eo quod Julius in suam recepisset communionem, suisque sedibus restituisset Athanasium, Marcellum, Asclepam, Paulum, Lucium aliosque plures antistites qui in odium catholicae fidei suis in synodis, Thyria praesertim et Antiochena, depositi fuerant suisque sedibus pulsi. Patres proinde Sardicenses ut his conatibus occurrerent, plures condidere canones quibus integram ecclesiae disciplinam aut confirmarent aut restituerent. Atque in his ad rem de qua agimus spectant can. III. IV. et VII., quibus non solum jus appellationum ad apostolicam sedem confirmarunt, verum etiam in modo, ut vocant, procedendi nonnulla statuerunt quae magis conferrent ad honorem Sedis apostolicae evehendum, cum eam deprimere ariani satagerent. Jus porro ipsum recipiendi appellationes quod ex primatu dimanat quodque longe ante concilium Sardicense Pontifices exercuerant, patres illi conferre profecto non potuerunt, quinimo ubique supponunt (2).

589. Ad 4. *D.* Laudati imperatores agnoverunt in rom. Pontifice primatum jure divino ratione successionis in cathedra Petri, *C.* qualem adversarii fingunt *N.* Nam constanter imperatores isti eatenus in rom. Pontifice primatum agnoverunt, quatenus b. Petri apostolorum principis ex divina institutione successor est. Satis hic sit verba adducere ex *Novella* III. Valentiniani, quae haec sunt: « Cum Sedis apostolicae primatum, sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et Romanae dignitas civitatis, sacrae etiam synodi (Nicaenae) firmarit auctoritas (3) ». Ex quibus intelligimus juxta imperatores Petrum primatum honoris sui Romam intulisse, non autem a Roma accepisse,

II. Gerdil *Confutazione di due libelli contro il breve* Super soliditate p. III. ed. cit. tom. XII. p. 333. seqq.

(1) Cf. citt. AA. praesertim vero Christ. Lupum in can. VI. conc. Nicaeni l. c. Nat. Alex. diss. XX. in sec. IV. prop. II. Gerdil loc. cit.

(2) Cf. Doctam ac eruditam dissertat. P. Stefanucci Soc. Jesu *De appellationibus ad rom. Pontificem* Romae 1768. part. III. cap. I. seqq. nec non Ballerinios: *Observationes in primam partem dissert. v. Quesnelli ubi de jure appellationum episcopalium ad apostolicam sedem fusius disseritur*. Opp. s. Leonis tom. III. pag. 902. seqq. Jo. Politi *Jurisprud. eccles. univ.* Venet. 1768. tom. III. lib. III. quaest. II. p. 9. seqq. Marchetti: *L' autorità suprema del rom. Pontefice* ossia *Dissert. polemico-canonica sopra il conc. di Sardica*. Romae 1789. part. II. et III.

(3) Apud Sirmondum opp. tom. IV. in *Censura dissert. secundae de ecclesiis suburbicariis* cap. II. col. 27.

atque ex hoc inconcusso principio imperatores romanam Sedem privilegiis, extrinsecis nempe, cumulasse, uti christianos imperatores decet (1).

590. Ad reliqua vero, quae subtexuit adversarius, quod spectat, ex dictis sponte sua corruere ea liquet, quin diutius illis insistamus. Constat enim neque imperatorum decretis, neque conciliorum canonibus praeeminentiam rom. Sedis in se *auctam* esse, quae unice in acceptis referenda est primatui Petri (2); neque attributorum possessionem quidpiam romanae ecclesiae contulisse, quum juxta exposita haec attributa non fuerint nisi vel causa vel effectus primatus quem secum in Urbem intulit Petrus, cujus reipsa romani Pontifices et successores et haeredes existunt. Quo quidem sensu tantum episcopi romani a patribus *successores Petri* vocantur, et ideo *eminentiores* sunt inter ceteros episcopos, quia Petrus cui Pontifices romani haereditario jure succedunt, vera praeeminentia jurisdictionis et auctoritatis super reliquos apostolos vi primatus illi a Christo collati, potitus est. Interim magni facimus lubenterque amplectimur concessiones adversarii, tum scilicet Petrum Romam venisse, rom. pontifices Petri in Sede romana successores esse, patres vocasse eosdem pontifices successores Petri; tum imperatores primatum rom. pontificis agnovisse, singulari praeeminentia inter ecclesias omnes romanam Sedem vel a suis primordiis obtinuisse; tum denique neque imperatorum decretis neque conciliorum canonibus ejusmodi praeeminentiam constitutam esse, quae omnia hactenus protestantes, et graeci schismatici nobis impudenter denegabant. Utinam qui haec ingenue agnoscit ac fatetur, veritatem totam agnoscere ac profiteri non erubesceret!

591. II. Obj. 1. *Moralis certitudinis* gradu ostendi potest traditionem catholicam minime agnoscere rom. Pontificem, aliquo peculiari sensu diverso a ceteris episcopis, uti successorem Petri *jure divino*. Patrum enim testimonia a romanis polemicis collecta ad hoc evincendum generatim *silent* hac de re. Haec quippe testimonia in quinque classes distribui possunt. 1.ma Est eorum qui unice adstruunt praeeminentiam ecclesiae romanae; cujusmodi sunt Irenaeus qui affirmat ad ecclesiam romanam convenire necesse esse omnes qui sunt undi-

(1) Cf. Sirmond. ibid.

(2) Apposite card. Gerdilius observat, scriptoribus existimantibus, ab imperatoribus concessam esse rom. Antistiti primatus praerogativam, opus esse ut fateantur tribus prioribus ecclesiae seculis sub ethnicis imperatoribus ecclesiam extitisse absque primatu, aut aliquod proferre debeant Neronis diploma, quo post martyrium s. Petri primatus dignitas s. Lino ejusque successoribus fuerit tributa. Ulterius, si Caesares originem primam dedissent primatus dignitati, quomodo super universas ecclesias rom. imperio minime subjectas extendi poterat primatus iste? Cf. op. cit. *Confutazione* etc. p. 340. Quoniam vero nonnulli qui se catholicos adhuc vocant non erubescunt ejusmodi commenta ab haereticis invecta obtrudere, satis erit ad istorum retundendum errorem condemnatio art. IX. Jo. Huss facta in concilio Constantiensi: « Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae profectio a Caesaris potentia emanavit ». Quare merito Barruelius in op. cit. *Sul papa ed i suoi diritti* tom. I. p. II. cap. I. p. 158. hoc epiphonemate hanc discussionem concludit: « Si fieri potuisset, ut homines everterent fundamentum a Christo positum, ne unum quidem suae sedis haeredem Romae Petrus habuisset: adeo verum est Romam christianam debere nihil Romae paganae, suaeque sedis primatum, non Caesarum throno, sed soli Petro acceptum referre! »

que fideles *propter potentiorem* ejus *principalitatem*; Augustinus qui scribit *primatum cathedrae apostolicae semper viguisse in ecclesia romana;* Vincentius Lirin. Pontificem Stephanum caeteros episcopos *loci auctoritate superasse dicit;* Prosper vocat Romam *caput mundi et pastoralis honoris;* synodus Aquilejensis appellat *caput universi mundi romani*. 2.da Eorum est, qui adstruunt praeeminentiam s. Petri ac rom. Pontificis Petri successoris, quin eam ad ullam referant institutionem divinam. Ita Ignatius qui epistolam suam ad ecclesiam dirigit *quae praesidet in loco romanae regionis;* Cyprianus qui eam vocat *cathedram Petri et ecclesiam principalem unde unitas exorta est;* synodus Sardicensis quae loquitur de Sede romana veluti de *capite*, ac *sede Petri*. 3.tia Eorum est, qui se ad auctoritatem rom. Pontificis uti spectabilem in ecclesia referunt; ita Tertullianus, Cyprianus qui exhortatur eos qui Romam se conferunt ut agnoscant in Cornelio *radicem* ecclesiae catholicae, ad significandum nempe Cornelium esse episcopum legitimum ecclesiae catholicae in urbe Roma, ubi tunc temporis aderat episcopus schismaticus; Basilius affirmat se ad episcopum romanum scripsisse ut casum expenderet ac suum decretum interponeret; Theodoretus scribit ad Renatum, ecclesiam romanam *habere directionem ceterarum ecclesiarum;* Hieronymus vero ad Pontificem Damasum: « *Ego Beatitudini tuae id est cathedrae Petri communione consocior; super hanc petram aedificatam ecclesiam scio;* Concilium Chalced. scripsit ad Leonem, ipsum esse *cui vineae custodia a Salvatore commissa est* (id est qui divina sua providentia permissus est locum adeo excelsum in ecclesia occupare), et ipse *sicut membris caput praeesset* (nempe quod fuerit eorum dux in haeresi damnanda). 4.ta Classis conficitur ex testimoniis spuriis, cujusmodi est canon quidam Nicaenus qui hoc initium dicebatur habere: *Ecclesia romana semper habuit primatum;* qui interpolatus in synodo Chalcedonensi detectus est; Athanasius scripsit ad Papam Felicem quod Christus *Apostolicos praesules in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum curam habere praecepit;* Cyrillus Alex.: *Debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro rom. Pontifici et apostolicae sedi adhaerere*. Haec quae meliora testimonia essent, atque *perpetuo* a romanensibus adducta, malo ipsorum fato *genuina* non sunt. 5.ta Denique classis nonnulla episcoporum et presbyterorum romanorum effata complectitur, qui veniabili desiderio peculiarem suam sedem extollendi, ea veluti praeseferentia privatas suas opiniones protulerunt; ita in conc. Ephesino Philippus legatus rom. Sedis, in Chalcedonensi legatus Paschasinus, s. Leo, etc. Talia sunt praecipua testimonia a Tournelyo, Baillyo, Hookio, Colleto, De la Luzerne, Milner, Bouvier collecta. Jam vero conferunt illa quidem ad ostendendam *praeeminentiam* ecclesiae romanae, ejusque dignitatem, ac potestatis *superioritatem*, quam quidem nos omnes plenissime atque citra dubium admittimus eam a remotissima aetate possedisse; ast in hoc nulla vertitur quaestio. Controversiae cardo consistit in eo, *an primatus romanus sit reipsa de jure divino*, quique provenerit a Petro ex *divina institutione?* Porro traditio catholica de hoc *alte silet;* nequit igitur id ostendi ex traditione; non posse autem ex Scripturis demonstrari uti *fidei articulum* ipsi romanenses ultro fatentur non obstantibus temerariis nonnullorum assertionibus. Ergo (1).

(1) Ita rursum Palmer. op. et loc. cit.

592. Resp. ad 1. *D.* Juxta methodum quam in ea expendenda sectantur adversarii romani primatus, Tr. juxta methodum qua reipsa expendi debet *N.* Quae distinctio ut intelligatur, revocari et huc debet principium quod in solutione prioris difficultatis satis evolvimus, scilicet non esse dispescendam unanimem ss. patrum doctrinam de institutione primatus a Christo facta ad ecclesiae suae unitatem constituendam perpetuoque servandam, deque ejusdem primatus collatione peculiari Petri personae, ab iis quae de rom. Sede, seu de rom. Pontificibus iidem tradunt. Hoc autem principio juxta unanimem patrum doctrinam, prout praestitimus, semel posito, ad adstruendum ex eadem patrum doctrina primatum romanum *de jure divino,* unum tantum superest inquirendum, utrum nempe patres agnoverint in rom. Pontifice successorem b. Petri: jam vero hoc abunde constat tum ex adversarii quem refellimus confessione, tum ex quatuor ipsis testimoniorum classibus in quas patrum doctrinam idem redegit adversarius: nam de classe apocryphorum distincte loquemur.

593. Etenim si primatus divinitus institutus, et peculiari individuo collatus spectat ad essentialem christianae ecclesiae constitutionem, unice remanet inquirendum in quonam individuo post Petrum hunc primatum agnoverint patres: porro nullum dubium est eosdem patres in nullo alio individuo praeterquam in Petri successore, rom. Pontifice, ejusmodi primatum agnovisse. Quod si ita primatus a Christo institutus est, ut sit in ecclesia perpetuus, jam sponte, imo necessario sequitur, quod quicumque eum possidet, possideat *jure divino;* possidet autem ex doctrina patrum et ex confessione adversarii rom. Pontifex; ergo rom. Pontifex ex eorundem patrum doctrina *jure divino* eum possidet. Tantum igitur abest ut traditio catholica *alte sileat* de primatu rom. Pontificis *jure divino*, ut *alte illum proclamaverit*.

594. Hoc porro aperte declarant vehementiores illae, ut ita loquar, phrases quibus patres utuntur in illis ipsis testimoniorum classibus quas expendit adversarius, ut his nunc insistamus. Etenim in 1.ª classe ita Irenaeus docet ecclesiam romanam habere *potentiorem principalitatem*, ut *necesse sit ad eam omnem convenire ecclesiam*, *id est omnes qui sunt undique fideles*. Quorsum vero haec necessitas nisi ob *primatum ejus*, seu ut ipse loquitur propter *potentiorem principalitatem* (1)? Sic etiam s. Augustinus dum scribit *primatum cathedrae*

(1) Cf. Massuetum Diss. III. praevia ad op. Irenaei art. IV. n. 32. ubi in hunc textum observat 1. Romanam ecclesiam jam Irenaei seculo omnium *maximam* existimatam esse, longe minus fidelium numero, de quo tunc temporis cum ea contendere potuissent aliae quaedam ecclesiae, quam auctoritatis amplitudine; 2. *Omnium antiquissimam:* quod si ad fundationis tempus referatur, falsissimum erit; dudum enim antea Hierosolymitanam, Antiochenam, et alias fundaverant apostoli. Ad dignitatem igitur necessario referendum est, ut ideo omnium antiquissima romana dicatur ecclesia, quae omnium princeps est et praecipua; 3. *Omnibus cognitam* asserit Irenaeus, utpote quam ceteris sublimiorem ac excellentiorem, aliae omnes ut caput et primam suspicerent ac venerarentur; 4. *A gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatam et constitutam* dicit: quo ruit absurdum illud recentiorum quorundam haereticorum commentum, qui, tota reclamante antiquitate, negare ausi sunt Petrum Romam usque venisse; 5. *Ad hanc ecclesiam necesse esse omnem ecclesiam* seu *omnes* omnino *fideles* per totum orbem dispersos convenire: non quod il-

apostolicae in ecclesia romana *semper* viguisse; aut *ceteros auctoritate superasse episcopos* ut loquitur Vincentius Lirinensis; et ita porro quoad ceteras singillatim locutiones patrum, quin in illis reproducendis longiores simus. Ex quibus constat satis non fuisse patribus vocare rom. Pontifices *successores Petri*, successores in *cathedra* Petri; verum ei praeterea tribuerunt quae nonnisi uni ecclesiae primati competere queunt. Haec enim testimonia tantam vim habent, ut adversarius coactus fuerit suis illam glossis extenuare, prout praestitit in testimonio Cypriani; nam hoc ipso quod Cyprianus Romam navigantes admonet in solo legitimo Petri successore Cornelio agnoscendam esse ac tenendam *ecclesiae catholicae radicem et matricem*, patet ex ejus mente hanc esse Petri successorum praerogativam. Idem dic de altera glossa verbis patrum Chalcedonensium apposita, quae luculentissima sunt; ipsi enim a Salvatore agnoscunt *vineae* seu ecclesiae totius custodiam rom. Pontifici uti Petri successori commissam, cui profitentur se tamquam membra capiti conjungi, seu quod idem est, sibi eum *sicut membris caput praeesse* (1). Quod vero spectat

luc proficisci tenerentur ii, qui erant undique fideles; id vel cogitare absurdissimum fuisset; sed quod, ut fateri coactus est ipse Salmasius necesse esset *convenire et concordare in rebus fidei cum ecclesia romana*. Idque ob *potiorem* (seu *potentiorem*) *principalitatem*, quo significare voluit, ideo omnes ecclesias cum romana consentire teneri, utpote quae principatus ac primatus jure omnibus dominetur, omnibus praesit, omnesque sibi subditas habeat; 6. denique, in ea ecclesia *semper ab his, qui sunt undique, conservatam esse eam, quae est ab apostolis traditionem*. Cum enim hujus sententiae atque doctrinae adhaerere teneantur omnes, qui sunt undique fideles, longe tutius ac facilius conservari in ea potuit apostolica traditio, tot episcopis, presbyteris et clericis, totque fidelium myriadibus credita, imisque pectoribus recondita, quam in aliis ecclesiis divisim spectatis, quarum jurisdictionis fines non tam longe lateque patebant. Ita quidem Massuetus: nos vero quoad postremam observationem diceremus, ob infallibilitatis praerogativam qua rom. Sedes, seu rom. Pontifex gaudet.

Mirum est quomodo se torqueant ecclesiae rom. osores ut vim hujus textus Iraenaici declinent; alii enim illud *necesse est*, etc. exponunt de *concursu physico* fidelium ad urbem Romam imperii metropolim ad sua procuranda negotia, ut Richerius *Def. lib. de eccles. et polit. potest.* tom. 1. lib. 3. c. 5. n. 13.; Grabius, qui censet juxta Irenaeum omnes qui sunt undique fideles debuisse Romam convenire, ut causam christianorum agerent apud imperatores; alii autumant *potentiorem principalitatem* ex Irenaeo repetendam esse a splendore politico urbis, ut Pehem *Historisch-statistische Abbandlung*, etc. seu *Dissertatio historico-statistica de institutione episcopatuum*. Vien. 1790. p. 27. Plauk, *Geschichte der chrislich-kirchlichen* etc. Nempe: *Historia constitutionis societatis christianae ecclesiae*, tom. 1. p. 117. Pinel, *Ueber den primat des römischen Papstes*, seu *De rom. Pontificis primatu*, pag. 221.

Alii textum ipsum temerare aggressi sunt, ut Ben. Stattler, qui in *Demonstr. cathol.* sect. 2. cap. 3. loco: *ad hanc ecclesiam*, legit *in hac ecclesia*. Cf. Roskovány op. cit. pag. 29. seqq.

(1) Singularis plane est agendi ratio quam tenet Palmer, qui cum praevideret assertioni suae de *alto silentio* traditionis opponi a catholicis potuisse auctoritatem patrum Chalcedonensium, qui aperte profitentur Leonem Petri in cathedra successorem *sibi praeesse ut caput membris*, idque ex Christi dispositione qui ei totius *vineae*, nempe ecclesiae *custodiam* demandaverat; ipse eos praevenit fucatis glossematibus extenuando vim hujus testimonii

ad romanorum Pontificum eorumque legatorum, seu presbyterorum romanorum effata quibus Sedi apostolicae primatum jure divino adscribunt, ridiculum sane est quod adversarius asserit, id eos ex veniabili desiderio extollendi romanam Sedem praestitisse. Nam si jura sibi indebita usurpassent, an ceteri non reclamassent episcopi in concilio praesertim congregati, maxime vero graeci? Ast nemo profecto unquam reclamavit. Certe acatholici qui usurpationis accusant rom. Pontifices, ad sidera usque vocem extollunt; evidens igitur est eos ab antiquitatis et traditionis doctrina uti in aliis sic et in hoc fidei articulo descivisse.

595. Ex hisce patet nos haud indigere testimoniis spuriis, quae in quarta classe ab adversario recensentur, quaeque ipsi *meliora* seu *validiora* appellare lubet. Sine his enim res catholica plane conficitur. Attamen circa haec observamus, 1. quod si excipias textum Athanasio adscriptum, reliqua cum expresse non meminerint *juris divini*, potuissent commode ab ipso in aliqua ex classibus suis collocari, cum eadem ratio vigeat, nec proinde possent dici prae reliquis ad causam catholicam tuendam *meliora*. Observamus 2. falsum omnino esse in conc. Chalcedonensi detectam esse *interpolationem* canonis Nicaeni; sed solum juxta exemplar regiae urbis omissum esse exordium illud, quod, uti paulo ante animadvertimus, longe probabilius non erat nisi titulus canonis, et cum titulo recitatus est a Paschasino in concilio Chalcedonensi (1). Restat igitur ex recensitis solus textus s. Athanasio perperam adscriptus. Hunc si quidem adversarius velit, sibi habeat: ultro enim eum ipsi concedimus; alium substituimus vero textum, qui genuinus certe est, et eandem exprimit sententiam iisdemque pene verbis; Sergii scilicet Cypriensis episcopi, qui scribens ad Theodorum Papam sic orditur: « Firmamentum *a Deo* fixum et immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, *vestram Apostolicam sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster* (2) ». Ergo non est quod de malo fato suo romanenses ob spuria illa testimonia tantopere dolere debeant.

596. Et haec quidem in adversarii hypothesi quod apostolica traditio, ut ipse scribit, *alte* sileat, id est *expresse* non loquatur de successione rom. Pontificum *jure divino*. Nam si his verbis contendat hanc non invaluisse *formulam*, verissimum quidem est, quod nemo ex antiquis expresse illam pronunciaverit, cum recens sit; quod si rem per formulam illam significatam intelligat, nempe *divina dispositione, divina auctoritate, Christo ita volente* successorem Petri frui primatu quem Christus ipse Petro contulit, id certe omnino falsum (3).

adeo solemnis. Idem dic de textu s. Hieronymi: *Super hanc petram*, etc. O artem vere praeclaram! Verum haec ipsi ars necessaria est ad collabentem anglicanismum adversus dissidentes et catholicos quacumque demum ratione fulciendum!

(1) Ut enim animadvertit Christ. Lupus in Scholio ad can. VI. Nicaenum, ideo in concilio Chalcedonensi omissa fuerunt verba illa, quia codex Constantinopolitanus caruit illo exordio, uti caruerunt codices ecclesiae Alex. et Antiochenae, codices descripti ad Africanos episcopos cum rom. ecclesia de appellationibus contendentes. Nulla igitur in illo concilio detecta fraus est, vel interpolatio.

(2) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. III. col. 730.

(3) Hic scopulus est ad quem constanter novatores navem suam allidunt; permiscentes enim doctrinam et formulam qua doctrina aliqua exprimitur, ex eo quod *formula* nonnisi serius inducta fuerit, concludunt doctrinam pa-

Hoc enim affirmant, qui vocant rom. Pontificem *firmamentum a Deo fixum*, uti Sergius habet; qui vocant rom. Pontificem *Rectorem domus Dei*, uti Ambrosiaster (1); qui dicunt ibi esse *ecclesiam ubi est Petrus*, nempe rom. Pontifex, uti Ambrosius (2); qui testantur *Christi esse*, qui adhaeret rom. Pontifici, uti Hieronymus; qui adstruunt Sedem romanam *Petram illam esse super quam Christus aedificavit ecclesiam suam*, uti rursum Hieronymus et Augustinus (3); qui docent *rom. Pontifici in persona Petri a Christo pascendum fuisse traditum universum gregem suum*, ut iterum Augustinus (4); qui profitentur *auctoritatem Sedis apostolicae a D. N. J. C. datam esse*, ut Stephanus Larissaeus (5), vel *a Deo*, ut monachi graeci sec. VI. ineunte (6); qui asserunt Sedem apostolicam *a Domino J. C. per beatum Petrum apostolum tantum meruisse principatum*, uti Rothardus Suessionensis episcopus (7); qui professi sunt se *secundum divina praecepta, et patrum statuta Sedi apostolicae servire*, uti episcopi Dardaniae (8), ut alia ejusmodi pene innumera silentio premamus; omissis etiam apertis hac de re Innocentii I. (9), Leonis I. (10), Gelasii (11), Caelestini (12), Martini I., aliorumque testimoniis utpote adversario nostro adeo su-

riter novitiam esse, et hac ratione impingunt et corruunt. Ita olim sabelliani, ariani, nestoriani, etc. et aetate hac nostra haeretici quicumque protestantes.

(1) Comment. in I. ad Timoth. III. 14. ubi enarrans verba Apostoli: *Haec tibi scribo . . . ut scias*, etc. haec habet: « Idcirco ne forte, tardem, scribo tibi, ut scias quomodo ecclesiam ordines, quae est domus Dei . . . cujus hodie rector est Damasus ». Hic auctor fuit Ambrosio fere coaevus. Opp. s. Ambros. edit. Maur. tom. II. in append. col. 296.

(2) Enarrat. in Ps. XL. n. 30. qui propterea exinde inferebat lib. I. *De poenitent.* cap. VII. num. 33. « Non habent Petri haereditatem, qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discerpunt ».

(3) Hieronym. epist. IV. ad Damasum n. 2. edit. Vallars. Augustinus in *Psalmo* contra partem Donati.

(4) In lib. *Contra epistol. fundam.* cap. IV.

(5) Apud Luc. Holstenium *Rom. Collect.* Romae 1662. tom. I. pag. 15. et pag. 23. et 27.

(6) In libello Mariani et aliorum archimandritarum ad Agapetum Papam et relato in conc. Constantinopolitano sub Menna apud Labb. tom. V. pag. 30. ita concludunt: « Quam defendentes, beatissimi, suscipite nostram supplicationem et *potestatem vobis a Deo datam* in ipsos moventes, purgate Dei ecclesiam, et a lupis liberate, etc. ».

(7) Hic cum iniquam in se expertus esset sententiam his verbis appellat ad Sedem apostolicam: « Ad illam summam auctoritatem appello, cui nulla potest contradicere, *quae a Domino Jesu Christo per Beatum Petrum Apostolum tantum meruit principatum* ». Ibid. tom. VIII. pag. 787.

(8) Ibid. tom. IV. pag. 1165.

(9) Epist. XXIX. et XXX. apud Constant.

(10) Loco sup. laud.

(11) In Decreto in conc. Romano I. cujus praeclara haec verba sunt: « Sancta romana catholica et apostolica ecclesia, nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit ». In collect. concil. edit. Venetae Coleti, tom. V. pag. 586.

(12) Epist. IV. ad episc. provinciae Viennens. et Narbon. apud Constant. col. 1066. ubi scribit rom. Pontif. *in speculis a Deo constitutos*. Qui plura cupit patrum hac de re testimonia poterit consulere *Breve* Pii VI. *Super soliditate*, quod datum est adversus Eybel, nec non ejusdem Brevis apologiam quam texuit doctissimus Card. Gerdilius opp. tom. XII. item De-Simeonibus in ep. *De rom.*

spectis, quibus curam sibi universae ecclesiae in Petro commissam a Christo profitentur, nemine prorsus reclamante, imo adsentientibus expresse concilii Chalcedonensis patribus universis in testimonio ipso ab adversario prolato (1). Quo igitur recidit machina illa ab adversario nobis objecta? Ita nempe firma sunt catholica dogmata ut numquam ne latum quidem unguem dimoveri aut concuti possint. Tantum abest ut *morali certitudine* constare possit traditionem catholicam non agnovisse rom. Pontifices uti Petri Successores *jure divino!*

597. Ad 2. *D.* Conferunt ad ostendendam ecclesiae romanae *praeeminentiam* et *superioritatem* jure divino, *C.* jure ecclesiastico tantum *N.* Si enim ejusmodi praeeminentia ecclesiae romanae obtigit ex eo quod rom. Pontifices jure divino in Petri primatum succedunt, uti ex hactenus dictis luculentissime patet, jam eodem jure hac praeeminentia et superioritate in universam ecclesiam gaudet ecclesia romana, seu potius rom. Pontifex. Lubenti animo hic etiam gratulamur adversario de eo quod profitetur se plenissime admittere; verum opus est, si velit veritatem integram agnoscere, ut ulterius progrediatur, atque admittat juxta apostolicam traditionem ejusmodi praeeminentiam plane de *jure divino*. Siquidem ex dictis quae ipse falso fundamento superstruxit in conclusione, concidant necesse est (2).

598. III. Obj. 1. A divino jure repeti nequit quod ex mero hominis arbitrio dependit; talis porro est successio rom. Pontificum in Petri primatum: etenim quod Petrus Romam potius in sedem elegerit quam urbem aliam qualemcumque, factum est mere humanum, a libera scilicet Petri voluntate ita sese determinante dependens; 2. jam vero jus divinum a facto humano prorsus independens est. 3. Quemadmodum igitur in arbitrio Petri fuit Romae potius quam alibi cathedram suam collocare, ita et in arbitrio ecclesiae est Petri cathedram alio transferre, e. g. Mediolanum, Petropolim, Berolinum, etc. Si praesertim id rerum adjuncta atque ecclesiae ipsius utilitas exposcerent; perperam ergo rom. Pontifices jus divinum obtendunt in successione in Petri primatum (3).

599. *R.* ad 1. *D.* A jure divino re-

Pontificis judiciaria potestate. Romae 1717. Nec non Barruel op. cit. tom. I. P. II. Zaccaria in Anti-Febronio, tom. II. Diss. II. Roskovány *De primatu rom. Pont.* P. I. § 12-17.

(1) Cf. Christ. Lupum in Schol. ad can. XXVIII. conc. Chalced. opp. ed. cit. tom. II. pag. 110. ubi eandem exceptionem quam hic urget Palmer jamdiu adversus Marc. Anton. De Dominis propulsaverat.

(2) Hic obiter observo Palmerium technas movere adversus successionem rom. Pontificum in Petri primatum *jure divino* eo quod haec formula non inveniatur expressa in patrum testimoniis, licet ut vidimus, rem ipsam quae formula illa significatur ipsi apertissime tradant. Cum vero agit de infallibili ecclesiae auctoritate, quam ipse pariter non vult admittere, licet expresse et aperte certatim patres illam inculcent, alia ratione tunc ipsorum testimonia eludit. Ita proinde sese gessisset, si apertis verbis eandem formulam patres adhibuissent.

(3) Ita Febronius ejusque sectatores passim; atque exinde ejusmodi quaestio, utrum ecclesiae auctoritate a Sede romana in aliam primatus possit transferri, celebris effecta est, de qua jam ab an. 1782. scripsit auctor *Epistolae in causa: an Summus pontificatus a romana ecclesia avelli et alio transferri possit?* atque an. 1787. Ticini thesis haec publicae disputationi proposita fuit: *Episcopatui romano non ita annexum esse dicimus primatum, ut ecclesia illum in aliam quamcumque cathedram transferre non possit*. Dixi *exinde celebrem* factam esse hanc quaestionem; si quidem notum est

peti nequit quod a mero hominis arbitrio pendet in ipsa re instituenda, *C.* in ponenda conditione ut res quae divino jure instituta est suum sortiatur effectum *N.* Quod ut exemplo familiari illustretur: ex divina institutione fit, ut panis per consecrationem convertatur in Christi corpus, a sacerdotis tamen arbitrio pendet in hunc potius quam illum panem verba consecrationis proferre. Ast si semel panem aliquem consecraverit, in nullius jam potestate est consecrationem a pane illo auferre, ac vere diceretur jure divino, seu ex divina institutione panem illum factum esse corpus Christi, quamvis a facto mere humano sive mero alicujus sacerdotis arbitrio factum sit, ut panis ille in corpus Christi per consecrationem fuerit mutatus (1). Hoc autem ut casui nostro applicemus, ex divina institutione, sive divino jure institutus est in ecclesia primatus in persona Petri cui divinitus collatus est ejusque legitimis successoribus perpetuo duraturus: in Petri arbitrio erat sibi eligere in sedem episcopatus ac propterea primatus sui sive Romam, sive Mediolanum (2): posito autem quod in sedem fixam sui episcopatus atque primatus Romam aut Mediolanum delegerit, re-

nonnullos scholasticos et theologos existimasse absolute fieri posse, ut primatus, seu summus pontificatus auctoritate ecclesiae aut rom. Pontificis a Sede romana in aliam posset transferri, cujusmodi sunt Scotus *in* 4. *sent. Dist.* 24. Card. Cusanus *De concordant. cathol.* lib. II. cap. 34. (qui tamen postea in epist. ad Bohemos eam sententiam retractavit) Cordubensis lib. IV. q. 1. Bannez in II. *Quaest.* I. art. 10. Dom. Soto in IV. *Sent.* tom. II. *Dist.* 24. q. 2. art. 5. ed. Venet. 1755. pag. 40., Paludanus, Armacanus, Mendoza apud Suarez, *De triplici virtute Theol.* Tract. *De Fide* Disp. 10. sect. 3. n. 9. Thom. Waldensis apud Cordubensem in *Doctr. Fidei* lib. 2. art. 2. cap. 41. Ballerinius in *Vindiciis auctoritatis pontificiae*, cap. VIII. § 2. negat quidem ecclesiam, prout separatim a summo Pontifice consideratur, posse alio transferre primatum, at dubium se exhibet, num id fieri possit a rom. Pontifice, neque *facile decidendum* esse affirmat. Ne unus tamen ex recensitis auctoribus catholicis concludit, uti Febronius et ante ipsum lutheranus Amesius apud Dupinium *De ant. eccles. disciplina* Diss. IV. § 3. pag. 534. intulerunt, ex eo nempe quod Pontificum rom. successio in facto humano fundetur, atque in Scripturis non narretur, haud divinum sed humanum esse jus, quo Pontifices romani in Petri primatum succedunt.

(1) Cf. Gerdil. *In Commentarium a Justino Febronio in suam retractationem editum animadversiones*. Opp. cit. ed. tom. XIII. *Posit.* IX. pag. 241. qui inter cetera praeclare observat: « Unum illud, quod contra facere videtur, nexum primatus cum rom. Sede ex Petri facto pendere, nullius omnino momenti est. Multa quippe sunt, quae ut sint et existant, factum humanum praerequirunt: statim autem atque facto humano prodierunt, divino plane jure sanciuntur », quod deinde plurimis exemplis declarat, ac demum concludit: « Non est ergo confundendum factum cum jure, quod, posito facto, divina institutione exoritur: factum quidem interponitur, idque humanum; sed eo posito, praevia Christi institutione jus ipsum divinum exerit sese, et explicat ».

(2) Cf. Bellarm. *De Summo Pontif.* lib. IV. cap. IV. n. 13. Bellarmino, quod mireris, assentitur Dupinius Diss. IV. *De ant. Discipl.* eamque adstruit adversus Amesium; quoad auctores catholicos, si excipias paucos illos, quos modo recensuimus, communis doctrina est non amplius separari posse primatum a rom. Sede neque ab ecclesia neque a rom. Pontifice. Horum elenchum exhibet Zaccaria in *Anti-Febbronio* Diss. II. pag. 17. seqq. Cf. etiam Bolgeni, *L' Episcopato* cap. III. art. IV.

xeritque usque ad obitum suum, jam in nullius est potestate a successoribus in hanc sedem Petri episcopatum et primatum dispescere atque divellere. Jus enim divinum, verificata conditione per factum quamvis liberum Petri, ab hac sede inseparabile est. Hinc quicumque legitime succedunt in Petri sedem, divino jure succedunt in ejus primatum. Idem dic de electione personali cujusvis Pontificis quae fit a cardinalibus. Electio quippe alicujus peculiaris individui in Pontificem est factum mere humanum; ast vero hoc posito, electus a Christo immediate totam suam obtinet auctoritatem (1).

600. Ad 2. *D.* Id est jus divinum summi pontificatus seu primatus in se spectati independens est a facto humano, *C.* est independens a facto humano ad verificandam successionem personalem *N.* Responsio patet ex dictis (2).

(1) Cf. Zaccaria, *Anti-Febbronio* tom. II. cit. Diss. II. cap. I. § 4. Bened. XIV. *De Synodo dioeces.* lib. 2. cap. I. § I. De-Marca Diss. I. *De singulari primatu Petri* n. 20. Marc. Ant. Cappellum Disp. II. *de successione episcopi rom. in Pontificatu* Colon. Agrip. 1621. cap. I. Cf. etiam Suarez in *Defens. Fidei adv. anglicanae sectae errores* lib. III. cap. XII. seqq. usque ad cap. XX.

(2) Haud pauci nec ignobiles scriptores censent non absque Christi voluntate Petrum Romae sedem suam collocasse, de qua quamvis ex Scripturis non constet, attamen D. Carol. du Plessis d' Argentré doctor Sorbonicus id ita certum ratumque habet, ut de eo dubitari non sinat, cf. ejus *Elem. Theologica* cap. IX. § II. ed. Paris. 1702. pag. 265. seqq. Sane credibile est haud absque Christi dispositione, aut saltem Sp. Sancti impulsu Petrum illud egisse ex quo determinandus in perpetuum erat ecclesiae primatus in peculiari Sede. Nec desunt in antiquitate hujus assertionis fundamenta. S. Leo serm. I. de ss. Apost. Petro et Paulo cap. III. ed. cit. « Beatissimus Petrus, inquit, princeps apostolici ordinis ad arcem Romani *destinatur* imperii, ut lux veritatis quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius sic ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet ». S. Gelasius ep. XIV. « Duodecim scribit, certe fuere Apostoli, paribus meritis, parique dignitate suffulti. Cumque omnes aequaliter spiritali luce fulgerent, unum tamen principem ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam *direxit*, ut in praecipua Urbe vel prima primum et praecipuum *dirigeret* Petrum ». Collect. conc. Venet. Nic. Coleti, tom. V. col. 342.: et ante ipsos Eusebius H. Ec. lib. II. cap. XIV. loquens de Simonis magi praestigiis « Confertim, scribit, ipsis Claudii Augusti temporibus benigna et clementissima *Dei providentia* fortissimum et maximum inter Apostolos Petrum, et virtutis merito reliquorum omnium principem ac patronum, Romam adversus illam generis humani labem ac pestem *perducit* ». S. Ambrosius in *Serm. contr. Auxentium*, n. 13. refert quod cum Petrus a christianis rogaretur, ut paulisper persecutioni cederet « Nocte muros egredi coepit, et videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait: Domine quo vadis? Respondit Christus: Venio (Romam) iterum crucifigi . . . intellexit ergo Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit ». Ed. Maur. tom. II. col. 867. Licet vero protestantes Velenus Petrus et Basnagius hanc historiam veluti fabulam traducant, acerrimi tamen critici eam tuentur, quos inter Foggi-nius op. cit. *exercit.* XVII. pag. 404. seqq. et Mazochius in *Kalend. Neapol.* pag. 889. Sane ejus meminit Hegesippus lib. III. apud edit. Maur. in loc. cit. atque ad hanc historiam alludere videtur Origenes tom. XXI. in Jo. edit. Huet. tom. II. pag. 290. illam referens ex *Actis Pauli*, quae fortasse olim vulgata erant sub tit. *Act. Petri et Pauli*

601. Ad 3. *N.* Quamvis enim in arbitrio Petri fuerit hanc potius quam illam urbem in sedem deligere, attamen electione facta ac morte post electionem superveniente in eadem sede, jam in potestate Pontificis aut alterius haud est ecclesiae sedem ac titulum alio transferre. De jure siquidem divino est, uti diximus, in Petri successores summum ecclesiae primatum a Christo institutum transire. Quare in nullos alios quam in legitimos Petri successores ex divina institutione primatus dimanare potest. Aliud porro est de *residentia* disserere, aliud vero de *sede* ac *sedis titulo*. Residentia enim non ita uni affixa loco est, ut justis intercedentibus causis, non possit alio transferri, uti saepe contigit, tot praesertim annis quibus rom. Pontifices Avenione commorati sunt; atque in hypothesi quod Roma deleretur, aut ea christiani et catholici nominis hostes potirentur, idem omnino fieret. Sedes vero prout Petri est, ac sedis titulus a nulla humana auctoritate immutari potest aut in aliam sedem titulumve transferri. Quamobrem fieri quidem potest, ut summus Pontifex resideat Viennae, Mediolani, Berolini aut Petropoli; numquam vero potest fieri, ut simplex episcopus viennensis aut petropolitanus sit summus Pontifex; ubicumque idcirco resideat, semper erit Pontifex romanus, ut possit dici, ac vere sit in primatu Petri successor (1).

CAPUT III.

De natura et juribus primatus rom. Pontificis

602. Petrus Tamburinius ejusque asseclae non esse permiscendum rom. Pontificis primatum cum potestate episcopali contendunt, sed primatum istum ejusdem affirmant esse speciei ac jura metropolitica et patriarchica, addito tantum jure repraesentandi universalem ecclesiam, atque in toto orbe procurandi puritatem fidei, morum ac disciplinae vigorem, ita ut omnibus rom. Pontifici, modo tamen hic agat ecclesiae nomine, parendum sit. Magni sane interest peculiari sollertia hanc expendere quaestionem ex qua haud exigui momenti corollaria pendent. Si enim primatus natura episcopalis sit, jam sponte sua consequitur tum romani Pontificis potestatem spectari minime posse in ecclesia catholica universa uti potestatem *extraneam*, prout passim liberiores nonnulli scriptores, quod superius vidimus, eam vocare consueverunt; tum vi istius primatus rom. Pontificem superiorem esse

cujusmodi sunt quae refert Combefisius ex Biblioth. regia Parisiensi. Hoc item factum memorat s. Greg. M. in Psalm. IV. Poenit.

(1) Hoc optime novit Pontifex ille Avenione residens de quo loquitur Franc. Petrarcha in lib. *Epistolarum sine titulo*, ep. XV. in qua *calamitatem urbis Romae deplorat*. Cum enim Pontifex Italis esset infensus, quidam ex ejus intimis familiaribus illi consuluit, ut papatum Romae eriperet, et transferret Cathurcum in Vasconiam, ut hoc modo de Italis ulcisceretur. Quod consilium Pontifex risu excepit, respondens: « Fefellisti me; hactenus te nondum delirare cognoveram. An ignoras, inscie, hac via quam statuisse subtiliter visus es tibi, et me, et qui mihi successerint, episcopos Cathurcenses fieri . . . . illum vero, qui Romae praefuerit, Papam fore? Sic italum nomen dum evertere putas, attollis, et in antiquam restituis dignitatem . . . De titulis non certemus; velimus nolimus enim, rerum caput Roma erit ». Opp. Francisci Petrarchae, edit. Basileae 1581. tom. II. pag. 727-728. Noverat nempe Pontifex, neminem, qui non fuerit Petro in cathedra Romana successor, posse summum pontificatum obtinere, qui ejusmodi successioni inseparabiliter connexus est.

oecumenicis conciliis, quae ipse propterea solus cogere potest, iisdem praeesse, eaque confirmare; tum demum ex eo dimanare jura indiscriminatim omnia, quibus in ecclesiam universam rom. Pontifex pollet. Jam vero talem esse primatus rom. Pontificis naturam, ac talia propterea, quae exinde consequuntur jura, insequentibus propositionibus ostendere aggredimur.

PROPOSITIO I.

Primatus auctoritas qua divino jure pollet rom. Pontifex, auctoritas est episcopalis, quae omnes complectitur christifideles etiam episcopos

603. Auctoritas episcopalis consistit in immediata et ordinaria potestate pascendi, regendi et gubernandi gregem sibi commissum, dicente Apostolo Act. XX. 28. « Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei » et apostolo Petro I. cap. V. 2. « Pascite qui in vobis est gregem Dei ». Atqui Petro ac proinde ejus successoribus rom. Pontificibus Christus eandem contulit potestatem, pascendi scilicet immediate, regendi et gubernandi ecclesiam universam quae ex agnis et ovibus, id est, populo ac pastoribus coalescit, dum Jo. XXI. ei dixit: « Pasce agnos meos . . . pasce oves meas », et Luc. XXII. 31. « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos », scilicet apostolos; ac demum cum Matth. XVI. eum constituit petram seu fundamentum ecclesiae suae, et claves ei promisit cum potestate plenissima quodcumque ligandi atque solvendi. Auctoritas igitur primatus quem habuit Petrus, adeoque rom. Pontifex, est potestas episcopalis super universam ecclesiam.

604. Atque hinc factum est, ut in vetustissimis ecclesiasticis documentis passim rom. Pontifex appelletur *Episcopus episcoporum*... *Pontifex universalis* ... *Episcopus universalis* ... *Pastor pastorum, Caput capitum* (1); quae quidem aliaeque ejusmodi denominationes aperte ostendunt pontificium primatum idem esse ac episcopalem potestatem seu auctoritatem, quae sese ad omnem extendat ecclesiam. Quod Eusebius Emisenus, seu quisquis est vetus auctor sermonis *De natali Apostolorum*, ut vidimus, expressis illis verbis declaravit: « Prius agnos, deinde oves commisit ei: quia non solum pastorem, sed pastorem pastorum eum (Petrum) constituit ». Et ante ipsum s. Ambrosius expendens eadem Christi verba *pasce*, etc. adnotat distinctionem quam Christus agnos inter ac oves interposuit, et *agnorum* nomine populos, *ovium* autem episcopos interpretatur dicens: « Et jam non agnos, ut primo quodam lacte vescendos; nec oviculas, ut secundo; sed oves pascere jubetur, perfectiores

(1) Cf. Theoph. Raynaudum in op. cit. *Corona aurea*, ubi innumeros prope titulos ejusmodi invenies; apud Sirmondum vero op. pariter cit. *De ecclesiis suburbicariis* cap. III. opp. tom. IV. col. 32. a Theodoro Studita in epist. ad Leonem III. vocatur romanus Pontifex Τῶν ὅλων κεφαλῶν κεφαλή, imo ἀρχιποίμην τῆς ὑπ' οὐρανὸν ἐκκλησίας, *universae quae sub coelo est ecclesiae princeps pastor*; quia scilicet, uti ibidem animadvertit Sirmondus, episcopi romani, ut Papa est, dioecesis non occidens, sed orbis est universus.

ut perfectior gubernaret (1) ». Pari prorsus ratione s. Bernardus exponit, sic Eugenium III. alloquens; « Habent illi (episcopi) sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini . . . *pasce oves meas* (2) ». Huc spectat conc. Lateranense IV. dum decernit quod « Ecclesia Romana, disponente Domino, super omnes alias *ordinariae potestatis* obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra (3) »; adeoque fidelium et episcoporum. Huic concinit concilium Florentinum in adducto decreto illis verbis quibus definivit, « Traditam esse rom. Pontifici in b. Petro plenam potestatem pascendi, regendi et gubernandi universam ecclesiam (4) ».

605. Luculentissime hanc eandem veritatem rom. Pontificum constans ac perpetua praxis confirmat. Res enim testatissima est in historia ecclesiastica rom. Pontifices suam hanc potestatem exercuisse sive in decernendis fidei controversiis ubique terrarum exortis, sive in praefigenda disciplina, sive in recipiendis dejectorum episcoporum appellationibus, sive in restituendo sedibus suis illos qui immerito fuerant exauctorati; in mulctandis, cum opus fuit, excommunicatione praesulibus, et orientalium sedium patriarchis (5); in coarctanda episcoporum jurisdictione nonnullis sibi casibus reservatis (6); in removendis episcopis reluctantibus a propria sede ob ecclesiae necessitatem aut magnam utilitatem (7), quod et aetate nostra in Galliis praestitit immortalis Pius VII. (8); sive in aliis demum ejusmodi gravissimis negotiis perficiendis, quae palmari et apertissima prorsus ratione potestatis

(1) Lib. x. in Luc. n. 176. ed. Maur.

(2) *De Consider.* lib. II. cap. VIII. n. 15. ed. Maur.

(3) In collect. conc. Veneta Coleti, tom. XIII. pag. 937.

(4) In Act. Conc. Hard. tom. IX. col. 423.

(5) Sane plures legimus in Hist. eccles. in patriarchatibus Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano aut fuisse a rom. Pontificibus e sede dejectos, aut sedibus propriis restitutos. Nicolaus I. epist. VIII. ad Michaëlem imperatorem apud Harduin. *Acta conc.* tom. v. col. 157. octo enumerat patriarchas Constantinopolitanos a rom. Pontificibus depositos. Gelasius in ep. ad episcopos Dardaniae (collect. conc. Venet. Coleti tom. v. col. 329.) scribit; « Dioscorum secundae sedis (Alexandrinae) praesulem sua auctoritate (apostolica Sedes) damnavit, et impiam synodum non consentiendo submovit ». E contra Athanasium Alex. aliosque episcopos a synodo orientali depositos Julius I. suis sedibus restituit; restituit item Sedes apostolica Flavianum a Dioscoro in conciliabulo depositum, et Joannem Chrysostomum pariter a conciliabulo damnatum sedi Constantinopolitanae; de quibus aliisque actis jurisdictionis a rom. Pontifice in patriarchatibus orientalibus fuse agit s. Gelasius in cit. epistola. Plura alia exempla refert etiam Bellarminus *De rom. Pontif.* lib. II. cap. 28.

(6) Cf. Zaccaria in *Antifebbronio* tom. I. cap. v. § 4. et iterum in *Antifebronio vindicato* tom. II. Diss. IV. cap. IV. § 2. seqq.

(7) Cf. Muzzarelli in Dissert. *An Summus Pontifex habeat auctoritatem destituendi episcopum invitum et reluctantem a propria Sede ob ecclesiae necessitatem, aut magnam utilitatem*. Quae est IV. inter *Dissertationes Selectas*. Rom. 1807.

(8) Cf. opus. cit. cl. Barruelii S. J. *Sul Papa ed i suoi diritti all' occasione del Concordato del* 1801. tom. II. P. IV. cap. I. seqq. cum tribus conclusionibus.

de qua agimus exercitium in universam ecclesiam quovis tempore et ubique locorum in rom. Pontificibus ostendunt.

606. Denique id ipsum postulat ipsius ecclesiae notio atque natura. Re quidem vera, si pontificius primatus minime reponendus esset in episcopali auctoritate, jam episcopi suum non haberent pastorem et episcopum, ideoque Christi ecclesia unum non esset ovile sub uno visibili in terris pastore, sicut Christus indixit Jo. X. « Fiet unum ovile et unus pastor »; sed tot essent pastores quot episcopi, quin illi ab uno supremo pastore regerentur. Hinc tota pessumdaretur, imo evanesceret contra Christi institutionem tum fidei, tum regiminis unitas; totidem essent membra sine capite a quo dirigerentur, neque propterea corpus unum constituerent, seu personam moralem ad instar individui viventis; ac plane deesset in ecclesia universali quod in qualibet particulari ecclesia ad ejus unitatem constituendam requiritur. Nam ex s. Cypriano ecclesia est « Plebs sacerdoti suo adunata, et pastori suo grex adhaerens (1) »; ergo quemadmodum unitas ecclesiae particularis ab episcopi unitate pendet, sic ab episcopi supremi et universalis unitate pendet unitas ecclesiae ipsius universae; quandoquin, ut loquitur s. Hieronymus: « Ecclesia non est, quidem non habet sacerdotes (2) »; nimirum episcopos qui eam regant, adeoque episcopum supremum, qui universae praesit ecclesiae. Alioquin haberentur quidem ecclesiae particulares, numquam autem haberetur ecclesia universalis, quae una sit, cum sine universali episcopo, universalis non sit ecclesia (3).

607. Sive igitur Scripturas expendas, sive constantem ecclesiae traditionem, sive perpetuam ac jugem Pontificum romanorum praxim, sive denique ecclesiae naturam et constitutionem, constat quod ab initio proposuimus, primatus scilicet auctoritatem, quam divino jure habet rom. Pontifex, auctoritatem esse episcopalem; quae omnes Christi fideles, etiam episcopos complectitur (4).

DIFFICULTATES

608. I. Obj. 1. Si primatus ejusdem esset generis cum episcopali auctoritate secum ipse pugnaret, quia simul esset limitibus circumscriptus et indefinitus; 2. pugnaret cum aliis episcopis, quibus in eodem genere par simul esset et superior. 3. Accedit quod nomen *episcopi universalis* sive *oecumenici* proscriptum fuerit a s. Gregorio M. tamquam blasphe-

(1) Epist. LXIX. ubi cit. edit. p. 123. cum praemisisset s. Cyprianus verba Petri apud Jo. VI. *Domine ad quem ibimus? Verbum vitae aeternae habes, et nos credimus et cognovimus quoniam tu es Filius Dei vivi*, subdit: « Loquitur illic Petrus, super quem aedificanda fuerat ecclesia, ecclesiae nomine docens et ostendens quia etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt ecclesia plebs Sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens ».

(2) *Dial. adv. Lucifer.* n. 21.

(3) Huc pariter referuntur quae scribit s. Optatus *De Schismat. Donatist.* lib. II. « Certa membra sua habet ecclesia, episcopos, presbyteros, diaconos, ministros et turbam fidelium » de Albaspin. pag. 53. Nisi propterea omnes isti episcopi, presbyteri, diaconi, ministri ac fidelium turba uni universali subjicerentur episcopo unam ecclesiam non constituerent.

(4) Cf. De hoc argumento Bolgeni in op. cit. *l' Episcopato* tom. I. cap. IV. art. I.; item Zaccaria in *Antifebbronio* tom. II. Diss. II. cap. 2. et 3. et in *Antifebronio vindicato* tom. II. Diss. IV. cap. 4. nec non Card. Orsi *De rom. Pontificis in Synodos oecumenicas potestate*. Romae 1740. P. II. lib. VII. cap. V.

miae nomen, illudque idem tum a se, tum a Joanne jejunatore repulerit (1). 4. Episcopi praeterea omnes possident *in solidum* cum Pontifice absque primatus sui praejudicio eundem episcopatum, ipsamque episcopalem auctoritatem juxta vulgatum s. Cypriani effatum: « Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur (2) »; 5. qui proinde s. martyr ad ejusmodi romani Pontificis auctoritatem super episcopos reliquos excludendam in concilio Carthaginiensi ajebat: « Neque quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit (3) »; 6. cujus vestigiis insistens s. Hieronymus scribebat ad Evangelum: « Si auctoritas quaeritur, orbis major est urbe. Ubicumque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, etc. ejusdem meriti, et ejusdem est sacerdotii (4) ». 7. Atque hinc factum est, ut antiquitus episcopi non solum *Papae* passim nuncuparentur, verum etiam dicerentur *Successores Petri* (5), ad significandam omnimodam in episcopali dignitate cum rom. Pontifice aequalitatem. Ergo.

609. Resp. ad 1. *N.* Dum enim asserimus Pontificem, episcopum universalem, esse quoque particularem Romae episcopum id unum significamus rom. nempe Pontificem in ecclesia peculiari romana eam exercere auctoritatem, quam potest, et pro rei opportunitate reipsa exercet in singulis mundi ecclesiis, hoc tantum interjecto discrimine, quod cum ecclesia romana alium non habeat episcopum a Pontifice distinctum, iste in romanae ecclesiae regimine eum non servat modum, eosque respectus, quos in ceteris adhibet administrandis ecclesiis, ut intacta permaneat episcoporum jurisdictio; eadem nempe ratione, qua sese gerunt episcopi quoad paroecias suis ditionibus subjectas (6). Quo in sensu nulla primatum inter auctoritatemque episcopalem apparet pugna.

610. Ad 2. *N.* Optime siquidem ac perbelle duo haec inter se pariter componuntur, si observatur quod episcoporum aequalitas cum Pontifice reponenda sit in charactere et episcopali dignitate, primatus vero in limitum extensione. Accedit, episcopos in suae potestatis exercitio subjici rom. Pontifici, Pontificem vero nulla auctoritate detineri, ea generali regula excepta, juxta quam uti ipse debet potestate sua in aedificationem et non in destructionem (7).

611. Ad 3. *D.* Nomen *episcopi universalis* proscriptum fuit a s. Gregorio M. ob pravum sensum qui eidem affingi poterat, atque abusum qui a graecis jure timebatur, *C.* per se, perinde ac si rom. Pontifici res per illud significata non competeret *N.* Omnes norunt quo tenderent episcopi Constantinopolitani, nempe ad se penitus eximendos a romani Pontificis auctoritate, ita ut eorum audaciam vel ipsemet Phocas compesce-

(1) Lib. v. epist. XLIII. ad *Eulog. episc. Alexandr.* ed. Maur. et epist. XVIII. ad *Joannem episc. Constantinopolitanum*.

(2) Lib. *De unit. eccles.* cit. ed. pag. 93.

(3) *Sententiae episcopor.* LXXXVII. *de haeret. baptiz.* ibid. pag. 329. seqq.

(4) Ed. Vallars. ep. CXLVI.

(5) Ita inter ceteros s. Gaudentius Brixianus vocat s. Ambrosium *Petri apostoli successorem* in serm. in die ordinationis suae, qui est num. XVI. edit. Brixiens. 1738. pag. 334.

(6) Cf. quae praeclare hanc in rem scribit Muzzarelli in cit. Dissert. IV. *An summus Pontifex*, etc. pag. 352.

(7) Cf. ibid. pag. 376. seqq.

re, imo frangere debuerit (1). Jam enim alte ipsorum animos persuasio occupaverat primatum Sedis alicujus ab urbis dignitate, imperio ac amplitudine pendere. Cum igitur imperium occidentale barbarorum direptione evanuisset, emineretque ejus vice imperium orientale, eo arrogantiae devenerunt episcopi Constantinopolitani, ut non contenti praeeminentiae quam affectabant super patriarchatus Alexandrinum et Antiochenum, sibi etiam subjicere, si fieri potuisset, ipsam romanam Sedem contenderent. Perceptos jamdiu timores exitus comprobavit (2). Merito idcirco *oecumenici episcopi* denominationi fortiter restitit Magnus Gregorius ad mala semina suffocanda. Cum vero illud interdixisset Joanni, prudentis oeconomiae gratia debuit a se Gregorius pariter respuere, quamvis fateatur sibi illud competere jure posse (3). Interim ut praeclarum humilitatis exemplum praeberet, teste ejus biographo, sese exinde coepit s. Gregorius *Servum Servorum Dei* nuncupare (4).

612. Ad 4. *D.* Episcopatus unus est ratione originis, naturae ac identitatis, *C.* ratione auctoritatis et jurisdictionis *N.* Talem esse s. Cypriani mentem in objecto toties effato, patet ex eo quod s. martyr illud protulerit ad primatum

(1) Cf. Sirmondum in *Censura Dissertat. secundae de ecclesiis suburbicariis* cap. II. cit. opp. ed. tom. IV. col. 29.

(2) Ut patet ex schismate Photiano instaurato deinceps a Michaële Cerulario. Cujus schismatis germina jamdiu fovebantur in ecclesia Constantinopolitana a pluribus seculis, ut ex actis conciliorum et agendi ratione episcoporum illius sedis apertissime constat. Cf. Christ. Lupum in *Scholiis* ad can. III. conc. Constantinopolitani I. et ad can. XXVIII. conc. Chalced. ubi ambitionis illorum praesulum principium, progressum, ac funestum tandem exitum exponit.

(3) Etenim s. Gregorius epist. cit. XVIII. ex lib. V. aperte scribit: « Numquid non, sicut vestra fraternitas novit, per venerandum Chalcedonense concilium hujus Apostolicae Sedis Antistites cui Deo disponente deservio, *universales* oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit; ne si in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur ». Eadem fere repetit ibid. ep. XLIII. En quo sensu sanctus Pontifex respuerit ejusmodi denominationem, et quo illam sensu temerariam ac profanam dixerit, ob pravum scilicet sensum quo usurpari poterat. Ceterum 1. titulum hunc per se, quatenus oblatus est a conc. Chalcedonensi, seu potius in libellis supplicibus qui Act. III. illius concilii lecti sunt, non reprehendit s. Gregorius ut patet ex ep. XX. lib. V.; 2. rem hoc titulo significatam rom. Pontifici constanter ipse vindicat, dum vocat rom. Pontificem *caput fidei ex quo membrorum status integer manet*, ut in epist. XXXVII. lib. XIII.; dum potestatem se exercere profitetur etiam in orientales episcopos subjectos aliis patriarchis, ut liquet ex epist. LXVI. lib. VI.; dum affirmat a rom. Pontifice causam primatuum judicari uti constat ex ep. LIX. lib. IX. dum sibi tribuit jus aliorum episcoporum retractandi sententias, ut in epist. XXIX. lib. X.; dum rom. Pontificem « Universis ecclesiis curam impendere » affirmat; dum loquens de romana Sede ait: « Nescio quis ei episcopus subjectus non sit » ut in epist. LIX. lib. IX. etc. etc. Cf. De Simeonibus op. cit. *De rom. Pontificis judiciaria potestate*. Cap. IV. § II. et Nat. Alex. Diss. IV. in sec. I.

(4) Apud Bolland. tom. II. mensis Martii in *Vita* a Joanne Diacono conscripta lib. II. cap. I. Ex hac porro vita non secus ac ex illa quam adornarunt Maurini editores opp. tom. IV. ex scriptis s. Gregorii patet, utrum reipsa hic s. Pontifex auctoritatem exercuerit necne in ecclesiam universam, orientalem et occidentalem.

constabiliendum, utinde erueret ecclesiae catholicae unitatem. Unum propterea esse affirmat episcopatum ratione originis et radicis, quatenus omnes episcopatus particulares ab episcopatu romano, velut ab origine, exordium sumentes, eique velut radici adhaerentes cum eo unum pastorale corpus constituunt, unumque efficiunt episcopatum universalem, cujus principatum tenet rom. Pontifex. Huc referuntur similitudines quibus ibidem s. Cyprianus usus est *multorum ramorum* qui unam arborem efformant, *multorum rivorum*, *quorum unitas servatur in origine;* qua de causa ecclesiam romanam appellat *radicem et matricem ecclesiae catholicae* (1); nec aliunde obortas esse haereses aut nata schismata affirmat, « quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus in ecclesia judex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria divina fraternitas obtemperaret universa nemo adversum sacerdotum collegium quicquam moveret (2) ». Jam vero ideo pars unius illius episcopatus universalis et individui in solidum tenetur ab episcopis singulis, non quod eadem sit jurisdictio et dignitas omnium episcoporum, quae est romani Pontificis, sed ratione ordinis et characteris episcopalis, qui de se indivisibilis est, totusque inest quibus imprimitur (3).

613. Ad 5. *N.* Neque enim in objectis verbis voluit s. Cyprianus rom. Pontificis auctoritatem excludere, verum unice intendit significare se plenam in suffragio ferendo de valore baptismi ab haereticis collati libertatem episcopis relinquere (4). Quod si, ut nonnulli contendunt, voluit s. martyr iis alludere ad Stephanum rom. Pontificem, non potestatem ejus carpit, sed, ut ipse falso existimabat, potestatis abusum, eo quod anathema comminatus fuerit in tot sanctissimos praesules in re disciplinari ac nondum penitus eliquata (5).

614. Ad 6. *D.* Sunt omnes episcopi ejusdem meriti et sacerdotii, *C.* ejusdem potestatis ac jurisdictionis *N.* Primum tantum affirmat Hieronymus ratione ordinis, ut diximus, et characteris; alterum autem numquam dixit, imo contrarium ubique docuit (6).

615. Ad 7. *Neg. conseq. Papae* enim

(1) Epist. XLV. ad Cornelium ed. Maur. pag. 59.

(2) Epist. LV. ad eundem Cornelium p. 82.

(3) Sane ab eodem s. martyre ep. cit. LV. dicitur: *Portio gregis singulis pastoribus adscripta* in quo ipse suum effatum luculentissime explicat. Verum de hoc textu cf. quae scripsimus in tract. *De vera religione* Part. II. Prop. V. n. 130. seqq. Cf. etiam Ballerinium op. cit. *De vi et rat. primatus*. cap. XIII. § III. n. 10. seqq.

(4) De hoc aliisve similibus Cypriani testimoniis cf. Natalem Alex. Diss. IV. in sect. I. § IV. Obj. 2. ubi fuse ea ac plenissime discutit. Jam de hoc ipso egerat s. Augustinus lib. III. *De Baptismo* cap. III. Cf. etiam card. Orsi lib. III. *De rom. Pontificis auctoritate*, lib. III. cap. III. art. I.

(5) Cf. Baronium ad an. 258. n. XLII. seqq. cum critica Pagii in an. 256. et juxta Baronium 259. Cf. item Gerdil. in op. *Esame dei motivi*, etc. Part. II. art. VI. opp. tom. XIV.

(6) Cf. Natalem Alex. loc. cit. Sensus profecto s. Hieronymi in objecto loco ex ejus scopo apertissime colligitur, retundendi nimirum diaconorum ecclesiae romanae audaciam, qui se praeferebant presbyteris, innixi nescio cui consuetudini quae vigebat in rom. ecclesia. Ad eos propterea compescendos s. Hieronymus vehementiori stylo eos perstringit qui ob auctoritatem et majestatem episcopi romani se audebant praeferre presbyteris aliarum dioeceseon. Quare merito s. Hieronymus docet episcopos omnes, spectata solius episcopi conditione et charactere aequales esse, neque eo

seu *Patris* titulus antiquitus non solum episcopis sed et presbyteris passim tribuebatur (1), uti adhuc in praesentia sacerdotibus regularibus tribui solet, quin inde quidpiam inferri possit ad presbyterorum aequalitatem cum episcopis adstruendam. Ideo vero quandoque episcopi successores Petri dicti sunt, quod in partem sollicitudinis ecclesiae Petro commissae sint vocati; tum etiam quia ex dictis Petrus est fons et origo ecclesiastici ordinis, nec non potestatis in omnes episcopos suo modo derivatae (2). Idem dic de appellatione *Vicarii Christi*, qua pariter interdum donati sunt episcopi, atque etiam presbyteri, quatenus in ministerio pro Christo legatione funguntur (3).

616. II. Obj. 1. Semel episcopatu universali rom. Pontificis constituto, episcopi evaderent totidem ejusdem vicarii et ministri, quod esset evertere ecclesiasticam hierarchiam divinitus institutam. 2. Ordinaria Papae potestas in alienis dioecesibus excitare facile posset turbamenta, contentiones, scandala, et in legitimos pastores contemptum. 3. Fieri praeterea nequit ut unus rom. Pontifex recte possit providere ecclesiae per universum orbem dispersae. Neque ab hac sententia abhorret Bellarminus, qui inquirit, utrum expeditius foret ab uno principe regi totum terrarum orbem? Quaestionem porro negative resolvit, quum fieri non possit ut ab uno principe tot tamque dissimilium nationum regimen habeatur per ministros absque injustitia (4).

617. Resp. ad 1. Neg. sequelam, cum episcopatus universalis quem rom. Pontifici adstruimus non excludat episcopatus particulares, imo supponat. Nec enim rom. Pontifex per episcopos veluti per administros aut vicarios suos ecclesiam regit, sed eos constituit tanquam totidem principes ordinaria potestate instructos ad uniuscujusque ecclesiae peculiaris bonum, quamvis cum debita subjectione in hujus potestatis exercitio a romana Sede ad servandam unitatem tum fidei tum communionis in ecclesia universa. Tunc solum intervenit auctoritate sua rom. Pontifex, cum aut alicujus peculiaris dioeceseos aut ecclesiae universalis utilitas sive necessitas id ipsum postulat (5).

618. Ad 2. *N.* Patet siquidem ex modo dictis nullam prorsus jurium collisionem, nullas colluctationes, scandala nulla aut contemptum provenire in subjectos praelatos ex romani Pontificis praeeminentia. Nam quemadmodum in una dioecesi multae paroeciae sunt, quae proprium pastorem habent, nemo tamen immediatam ac ordinariam in singulos suae dioeceseos fideles jurisdictionem episcopo inficiatur, et nullae perturbationes pertimescuntur, sic nullae pertimescendae sunt in casu nostro.

619. Ad 3. *N.* Res enim aliter se

rum dignitatem intrinsecam pendere a majori vel minori civitatum, aut ecclesiarum amplitudine.

(1) Cf. Binghamum: *Origines, sive antiquit. ecclesiasticae* lib. II. cap. II. § VII. et cap. XIX. § XIV. et Theoph. Raynaudum in op. cit. *Corona aurea* ad vocem *Papae* ubi observat non solum sacerdotibus nomen istud sed quandoque ipsis clericis inferioris ordinis fuisse tributum.

(2) Cf. eundem Raynaudum ibid. ad vocem *Successor Petri*.

(3) Cf. Natalem Alex. Diss. cit. ad Object. IV.

(4) *De rom. Pontifice* lib. I. cap. IX. n. 71.

(5) Cf. Ballerinium: *Vindiciae auctoritatis Pontificiae contra opus Just. Febronii* cap. III. n. 3. seqq.

habet in ordine ad ecclesiasticum regimen, in quo quamvis unus sit, qui primatum exercet, nihilominus singulae dioeceses suos habent praesules, qui non precaria auctoritate, sed propria et ordinaria eas regunt; nec enim, uti diximus, episcopi meri sunt Papae ministri, sed veri principes. Tot seculorum experientia aperte ostendit hujusmodi regiminis modum maxime opportunum esse. Neque opus est omnes mundi provincias iisdem civilibus legibus gubernari; postulat autem ecclesiae regimen quoscumque fideles eandem profiteri fidem, eadem habere sacramenta, quod fieri non posset, nisi unus veluti populus esset ab unico veluti principe in unitate coactus (1).

PROPOSITIO II.

Romanus Pontifex vi sui primatus suprema auctoritate gaudet in omnes episcopos etiam in generali synodo collectos

620. Tum haec tum subsequentes propositiones sponte veluti sua profluunt ex doctrina hactenus vindicata. Priusquam tamen manum admoveamus ad efficiendum quod hic proposuimus, nonnulla ad legitimum quaestionis statum aperiendum praemittere necesse est.

621. Ac 1. quidem animadvertimus hanc controversiam agitari de suprema auctoritate, seu ut vocant *superioritate* seu praeeminentia rom. Pontificis certi, legitimi, ac viventis supra concilium generale, non autem Pontificis illegitimi, dubii (2) aut defuncti.

622. 2. Animadvertimus hic non agi de concilio oecumenico cui praesederit rom. Pontifex aut per se aut per legatos suos, quodque ipse confirmaverit; hac enim ratione exposita thesis nullum sensum haberet, perinde enim esset atque adstruere rom. Pontificem a quo omnem firmitatem, ut paulo post ostendemus, accipiunt conciliorum decreta esse sibi superiorem. Quod si decreta, pontificia auctoritate firmata, vim habent, uti nonnulli existimant, ad cogendum ipsum Pontificem, id non ab intrinseca, ut ita dicam, eorum virtute provenit, sed ab extrinseca, ab altiori scilicet naturali divinoque jure, uti explicant qui ita sentiunt (3); alii quippe censent conciliorum etiam oecumenicorum canones et decreta disciplinaria, de quibus tantum est sermo, numquam habere in Pontifices vim *coactivam*, sed solum *directivam* (4). Itaque controversia movetur de relativa superioritate rom.

(1) Cf. Bellarm. loc. cit. n. 58. Hic essent expendenda, quae Guillelmus Palmer op. cit. par. VII. cap. IV. pag. 506. seqq. affert ut evincat rom. Pontificem non habere *jure divino* ordinariam jurisdictionem super ecclesiam universam, et praeterea eadem ordinaria jurisdictione rom. Pontificem *jure divino* minime pollere super episcopos reliquos; cum tamen ea quae profert vel disjecta et praeoccupata magna ex parte hic a nobis jam sint, partim vero pro opportunitate excutiemus, ne prolixiores simus, ea hic missa facimus, praesertim cum nihil novi proferat, quod ab auctoribus catholicis in confutatione Launoji et Dupinii jamdiu non fuerit apprime disjectum.

(2) Quo in casu munus concilii erit tantum inquirere in qualitates, conditionesque electionis, quin exerceat ullam potestatem seu auctoritatem in detrimentum auctoritatis pontificiae, in quam, ut videbimus concilium nihil potest.

(3) Ita Ballerinius in op. *De potestate ecclesiastica* cap. III.

(4) Cf. Bolgeni op. cit. cap. IV. art. II. praecipue vero card. Orsi in op. *De rom. Pontificis auctoritate* lib. VII. cap. IV. seqq. ubi plenissime hoc argumentum evolvit.

Pontificis seorsum sumpti supra concilium seorsum pariter spectatum a rom. Pontifice; sic enim eam proponit Natalis Alexander strenuus sententiae de superioritate concilii supra Pontificem propugnator (1); hujus enim doctrinae patroni autumant rom. quidem Pontificem superiorem esse ex divina institutione episcopis seu ecclesiis *distributive* sumptis, ast episcopos seu ecclesias *collective* acceptas sive in concilio sive extra concilium superiores esse rom. Pontifici; imo tenent concilium generale cogere rom. Pontificem posse ad servanda disciplinae decreta, ipsumque praeterea Pontificem reluctantem deponere.

623. Hoc sensu quaestione praefinita, vix non supervacanea videri posset ulterior inquisitio, cum numquam fieri queat ex Christi promissis, ut vel caput a corpore ecclesiae, vel ecclesia a capite suo visibili divulsa aliquando sint, atque ad invicem sibi opposita; alioquin ecclesia ipsa penitus dissolveretur atque interiret. Corpus siquidem sine capite non est nisi membrorum compago acephala ac sine vita, caput vero sine corpore monstrum esset (2). Cum tamen ex hac opinandi licentia haud levia oriantur incommoda, schismata fiant, imminuatur debita Christi vicario observantia, perturbatoribus ansa detur rom. Pontifici molestias pro lubitu creandi, ciendique tumultus in ecclesia Dei, idcirco eam silentio praetermittendam minime duximus (3).

624. Non desunt qui gallicanorum sententiam de suprema concilii generalis auctoritate vix haereseos non incusent (4); sunt e contra qui ex gallica-

(1) Diss. IV. sec. XV. et XVI. art. III. § III. ubi agens de decretis sess. IV. et V. concilii Constantiensis nititur ostendere adversus Schelstrate agi in illis decretis de concilio *seorsum sumpto* a rom. Pontifice, et cui Pontifex *collaborare nollet, ejusque mandatis parere;* imo contrarium sensum veluti *nugatorium* ac *ridiculum traducit*. Cf. etiam Bellarmin. *De ecclesia et conc.* lib. II. cap. XIII. n. 4. seqq. cum vindiciis Erbermanni.

(2) Ex hac una observatione patet quam futilis sit ejusmodi quaestio, quae in praxi numquam locum habebit. Cf. *Lettere sopra de' quattro articoli detti del clero di Francia. Tradotte dal francese dal P. Anton-Francesco Orioli Min. Conv.* (nunc meritissimus S. R. E. Cardin.) Romae 1818., quae sunt Card. Laurentii Litta. Lett. XIV. seqq. Cf. etiam Petrum de Marca *De concord.* lib. III. cap. 7.

(3) Hanc propositionem adstruimus potius adversus illos qui abutuntur hac doctrina, quam adversus clerum gallicanum. Notum quippe est clerum gallicanae ecclesiae addictissimum esse Sedi apostolicae, atque in praxi eidem obsequentissimum se nullo non tempore exhibuisse atque adeo exhibere, itaut vix hac in parte ulli secundus existat. Incensum ejus studium in catholica fide propaganda mirum semper in modum eluxit. Ac duae quidem institutiones illae, ut caetera sileam, quae aetate hac nostra uberes adeo fructus edunt, nimirum *Associatio de propagatione fidei* anno 1820. Lugduni exorta, et *Conservatio catholicae religionis in Europa*. Lutetiae Parisior. an. 1839. fundata, perpetuo erunt ecclesiae illi decori atque ornamento. Verum refractarii ac contumaces qui ubique sunt, non religionis zelum, virtutem ac obedientiam ex clero gallicano, sed hanc solum doctrinam mutuantur, ut Sedi apostolicae molestias creent, habeantque unde veluti pallio quodam suam pervicaciam contegant. Hac propterea de causa verae doctrinae defensionem suscepi; eo vel magis, quod *omnes haeretici hujus temporis*, ut loquitur Bellarminus loc. cit. cap. XIV. eam doctrinam complexi sint ac mordicus tueantur.

(4) Sane Bellarminus op. cit. cap. XVII. cum statuisset hanc propositionem: « Summus Pontifex simpliciter et absolute est supra ecclesiam universam, et supra concilium gene-

na ejusmodi doctrina totam ecclesiae oeconomiam pendere affirment (1), doctrinamque saniorum theologorum de suprema rom. Pontificis auctoritate veluti paradoxum rejiciant (2). Nonnulli denique intra scholae septa tamquam omnino adiaphoram totam hanc quaestionem amandant (3). Verum his omnibus dimissis, nos vestigiis semel positis insistentes sic assertam propositionem evincimus.

625. Ex superiori propositione constat rom. Pontificis primatum natura sua esse auctoritatem episcopalem super ecclesiam universam; ergo jure inferimus: primatus rom. Pontificis suprema auctoritate praestat super omnes episcopos catholicae ecclesiae etiam in synodo generali congregatos, seu rom. Pontifex suprema pollet auctoritate ex divina institutione etiam super concilium generale prout distinctim a rom. Praesule spectatur.

626. Sane episcopus superior est synodo dioecesana non alia de causa, nisi quia episcopus est; cum igitur rom. Pontifex sit episcopus episcoporum, episcopus universalis, hoc ipso superior est ipso concilio generali (4).

627. Rursum: Christus Matth. XVI. Petrum, adeoque ejus successores, fundamentum constituit ecclesiae suae universae; ergo quin dicatur in concilio episcopos simul collectos fieri fundamentum Petri ejusque caput, fatendum est, etiam in concilio generali Petrum ac ejus propterea successores fundamentum et caput esse ejusdem concilii, seu quod

rale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat » adjicit: « Haec (propositio) *est fere de fide* ».

(1) Ita Dupinius *De antiq. eccles. disciplina*, tom. II. pag. 117. et ex eo Spitz in *Nova collect. dissert. in jus eccles.* vol. I. pag. 204. « Si enim, ajunt, rom. Pontifex conciliis superior asseratur, ruit omnis ecclesiae libertas, concilia sua auctoritate spoliantur, canones in irritum mittuntur, omnia ad unius Pontificis nutum et arbitrium revocantur; quae si semel admittantur, ecclesiae gallicanae libertates nullo pacto tueri quis poterit ». Sic etiam Schröckh *Christliche Kirchensgeschichte*; seu: *Historia ecclesiae christianae*. P. V. pag. 456. pariter a determinatione quaestionis hujus disciplinam ecclesiae atque hierarchiam dependere autumat. Cf. apud Roskovány *De primatu Papae*. § 76.

(2) Hac de causa nonnulli scriptores in ephemeridibus theologicis. Tübing. 1822. p. 687. cl. comitem de Maistre censoria virga perstrinxerunt; imo Droste-Hülshoff in op. *Grundsätze des Kirchenrechts*, seu *Principia juris Canonici*, tom. II. pag. 153. narrat se *ex certa scientia* accepisse eundem com. De Maistre ob paradoxa quaepiam adserta, *a romanis theologis in album haereticorum* referri. Ego vere ignoro a quibusnam romanis theologis talia acceperit auctor iste. Equidem reor nomine romanorum theologorum voluisse significare aliquos janseniana lue infectos; illud enim *certa scientia* novi opera com. de Maistre magni Romae fieri, imo opus *De Papa* cum aliis ejusdem cl. Auctoris operibus fuisse ex gallico in italicum idioma translatum, ac typis editum cum adnotationibus cl. Marchetti. Isidorus Guzmíez in *Theol. Christ. fundam.* pag. 348. eundem auctorem ex eo severius notare non dubitavit, quod contra *rectam ecclesiae christianae notionem, communemque sensum paradoxam* de auctoritate rom. Pontificis, quatenus ea auctoritati concilii generalis *opponitur*, sententiam defenderit ». Cf. apud Roskovány op. cit. § 77.

(3) Ita Scheill, *Kristlicher Comm.* seu *Critic. Commentar. Freyi* P. IV. pag. 717. qui scribit, *tota quaestio versatur veluti chimera in lana caprina*.

(4) Cf. Bolgeni l. c. et Zaccaria in *Antifebronio vindicato*, loco pariter cit.

idem est, rom. Pontificem frui potestate suprema etiam super episcopos simul in synodo coadunatos.

628. Accedit sensus totius antiquitatis ex quo discimus plane ignotam fuisse veteribus sive patribus sive conciliis etiam oecumenicis distinctionem nuper invectam inter episcopos *distributive* et *collective* sumptos, quae tamen unicum est doctrinae gallicanae fundamentum. Etenim praeter denominationes quas passim tributas a tota antiquitate rom. Pontifici paulo ante ostendimus, e. g. *capitis capitum, episcopi oecumenici, pastoris pastorum*, etc. quae collectionem denotant, id aperte vindicatur ex ipsis patrum testimoniis, quos inter satis hic sit ex ecclesia gallicana recensere episcopos provinciae Arelatensis, qui in epist. ad Leonem M. scribere non dubitarunt: « Per b. Petrum Apostolorum principem sacrosancta ecclesia romana tenet supra *omnes totius mundi ecclesias* principatum (1) »; et s. Bernardus ecclesiae gallicanae sidus: « Plenitudo siquidem, inquit, potestatis *super universas orbis ecclesias*, singulari praerogativa apostolicae Sedi donata est (2) »; *universas* porro ecclesias non distributive, sed collective s. Doctorem accepisse, declarant quae ad Eugenium scribit: « Quisque ceterorum (episcoporum) habent suam, tibi una commissa est grandissima navis; *facta ex omnibus ipsa universalis ecclesia* toto orbe diffusa (3) ». Exinde factum est ut oecumenica concilia in suis synodicis epistolis ad rom. Pontificem, ipsum compellaverint nomine *capitis* quod membris praeest (4), et *summitatis*, quae quod filiis deest adimplet (5); illum cui vineae (ecclesiae universae) custodia a Salvatore commissa est (6); item *verticem* (7), et *antistitem* universalis ecclesiae (8), cuique se acquiescere profitentur (9).

629. Volens propterea conc. Nicoenum I. ut ab omnibus Christi fidelibus ubique terrarum eadem die pascha celebraretur, commisit patriarchae Alexandrino, ut per epistolam quotannis diem in quo pascha incideret rom. ecclesiae significaret, ut haec *pro sua auctoritate in universam ecclesiam omnes adigeret* ad eundem diem sine ulla disceptatione ubique celebrandum (10). Patres concilii

(1) Epist. LXV. cap. II. edit. Ballerin. col. 995.

(2) Epist. CXXXI. ad Mediolan. n. 2. edit. Maur. col. 141.

(3) *De consid.* lib. II. cap. VIII. n. 16. ib. col. 428. integrum hoc caput legi meretur.

(4) Ita conc. Chalced. apud Harduin. *Acta conc.* tom. II. col. 655. Item conc. Constantinopolitanum III. ibid. tom. III. col. 1459.

(5) Conc. Chalc. ibid. tom. II. col. 659.

(6) Ibid. col. 655.

(7) Ibid. col. 659.

(8) Concil. Constantinopolitanum III. in epist. ad Agathonem, ibid. tom. III. col. 1438.

(9) Ibid. tom. III. col. 1438.

(10) Ita s. Cyrillus Alexandrinus in *Prologo scripto pro cyclo XCV. annorum* apud Aegidium Bucherium S. J. in op. *De doctrina temporum commentario in Victorem Aquilanum*, etc. Antverpiae 1639. pag. 481. ubi num. 2. haec leguntur: « Cum his igitur atque hujusmodi dissensionibus per universum orbem paschalis regula turbaretur: Sanctorum totius orbis synodi consensione decretum est, ut, quoniam apud Alexandriam talis esset reperta ecclesia, quae in hujus scientia clareret, quota kalendarum vel iduum, quota luna pascha debeat celebrari, per singulos annos Romanae ecclesiae literis intimaret: unde *Apostolica auctoritate universalis ecclesiae* per totum orbem deffinitum Paschae diem sine *ulla disceptatione* cognosceret ». Non poterat luculentioribus verbis ecclesiae romanae seu rom. Pontificis in universam ecclesiam auctoritas coactiva significari.

Ephesini professi sunt se *coactos litteris Caelestini* ad depositionem Nestorii devenisse (1). Huc denique spectant quae superius attulimus sive ex conc. Lateranensi IV. quod rom. Pontifici plenam et ordinariam auctoritatem in universam ecclesiam adstruit, sive ex conc. Florentino definiente *plenam illi potestatem* a D. N. J. C. pascendi, regendi et gubernandi *universam ecclesiam* traditam esse.

630. Tantum igitur abest, ut patres et concilia illam admiserint distinctionem inter supremam Pontificis auctoritatem super ecclesias sive episcopos distributive sumptos, et supremam auctoritatem ecclesiarum seu episcoporum simul collectorum, ac proinde conciliorum generalium super Pontificem, ut eam plane evertant et dictis et factis luculentissimis (2). Sane cum solus rom. Pontifex obstitisset canoni XXVIII. concilii oecumenici Chalcedonensis, nullam canon hic unquam vim habuit (3). Tantum praeterea abest ut concilia generalia sibi arrogaverint potestatem cogendi Pontificem, aut jus in eum ferendi sententiam, ut concilium oecumenicum VIII. contrarium expresse statuerit; sic enim act. X. can. 13. se habet: « Si qua vero *oecumenica synodo collecta* de romana etiam ecclesia controversia extiterit; licebit cum decenti reverentia de proposita quaestione venerantes percontari, responsumque admittere, et sive juvari sive juvare, non tamen impudenter contra senioris Romae Pontifices sententiam dicere (4) ». Multo igitur minus poterit universalis synodus rom. Pontificem deponere. Quomodo enim poterit sive synodus oecumenica, sive quaevis alia potestas in terra auferre a Pontifice primatum illum quem nulla ei humana potestas dedit, aut conferre potuit, sed quem ipse immediate a Deo habet?

631. Huc demum accedit nova doctrinae nostrae confirmatio ex nimis recenti adversariorum sententiae origine. Primum enim gallicanae sententiae vestigium occurrit in conc. Pisano ad schisma occidentale tollendum coacto, nec sine horrore propositio de superioritate concilii supra Pontificem excepta est (5). Cum vero nullum remedium attulerit Pisana synodus, imo malum non parum auxerit, a Jo. Gersonio cancellario Parisiensi in medium iterum prolata est nova haec sententia in conc. Constantiensi, ubi coepit patronos habere, donec in ejusdem concilii sess. IV. et V., non paucis refragantibus etiam ex *obedientia*, ut vocant, Joannis XXIII. qua sola tunc

(1) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. I. col. 1422.

(2) Quod vel ipso sanae rationis lumine vidit protestans Moshemius, qui in *Dissert. de Gallorum appellationibus ad concilium universae ecclesiae unitatem ecclesiae visibilem tollentibus*, (quae reperitur inter ejus *dissertationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes*. Altonaviae 1739. tom. I. pag. 612.) ejusmodi distinctionem refellit scribens: « Quod universis, sive singulis ecclesiis praeesse Pontificem dicunt, non universae ecclesiae, id tam mihi scitum videtur, ac si quis affirmaret, membra quidem a capite regi, non vero quod ex membris constat, corpus; aut urbes quidem omnes, villas, et praedia subesse regi, non vero, quae his continetur, ipsam provinciam ».

(3) Qua de re, cf. vel ipsum Natalem Alex. qui cit. Diss. IV. in sec. I. § IV. in resp. ad object. VIII. aperte profitetur canonem illum utpote a Leone M. reprobatum nullam vim habuisse, unde et graeci ipsi illum ex codice ecclesiae suae expunxerunt. Cf. etiam Roncaglia in *Animadvers.* ad Diss. IV. sec. XV. et XVI. Natalis Alex. § IX.

(4) In collect. conc. veneta Coleti, tom. X. col. 879.

(5) Cf. Ballerin. *De potestate ecclesiastica* cap. V. § III.

constituebatur concilium, absente et repugnante eodem Joanne XXIII., *per modum constitutionum synodalium* ad schisma tollendum asserta fuit (1): rursum vero a conc. Basileensi sess. II. adstructa (2). Porro ex illo tempore factiosi quique, jansenistae, aulici, Febronius, Eybel, Emsensium conventus, aliique ejusdem furfuris homines non solum doctrinam hanc novam ac toti antiquitati adversantem pugnaciter asseruerunt, verum etiam summis extulerunt laudibus decreta Constantientia et Basileensia. Dissimulant interim isti, bina illa concilia tunc temporis non fuisse oecumenica; numquam de aperta et expressa approbatione illorum decretorum ex parte apostolicae Sedis constitisse; decreta illa non esse absoluta, sed coarctari ad casum de Pontifice dubio, ac de tempore schismatis (3); rom. Pontifices saepius iisdem refragatos esse (4); innumeros prope theologos contrariam doctrinam protueri (5). Attamen si nonnullos ex istis neotericis audias, elato supercilio, perinde ac si ipsi soli saperent, ceteros omnes veluti Pontificum assentatores despiciunt, atque sententiam tot antiquitatis documentis fultam, divinae ecclesiae a Christo fundatae constitutioni innixam, tot conciliorum oecumenicorum apertis decretis firmatam, a sanioribus doctoribus traditam et in ecclesia communem, veluti inauditum paradoxum traducunt, ut reprobata sua Constantiensia et Basileensia decreta tantum obtrudant. Adeo verum est potiorem partem in iis quae minime arrident, sibi voluntatem magis quam intellectum vindicare!

DIFFICULTATES

632. I. Obj. Scriptura aperte sententiae de praeeminentia concilii supra Pontificem suffragatur; nam Christus Matth. XVIII. 15. seqq. ait: « Si peccaverit in te frater tuus . . . dic ecclesiae: si autem ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus ». Jam vero Petrus ejusque successor *frater* est, qui peccare potest; ergo ex Christi lege et ipse ad ecclesiam saltem in concilio congregatam deferri potest, ab eoque tamquam a supremo tribunali puniri (6). 2.

(1) Cf. Matth. Petitdidier in op. *Dissertazione storica e teologica in cui si esamina, qual sia stato il sentimento del concilio di Costanza*, ecc. Trad. dal franc. Roma 1731. in 4. cap. IV. pag. 338. seqq. Hanc editionem selegi utpote ceteris uberiorem, quaeque exhibet documenta ipsa originalia.

(2) Decr. III. et IV. apud Harduin. *Acta*, etc. tom. VIII. col. 1121.

(3) Cf. Petitdidier loc. cit. pag. 347. seqq. et Ballerin. op. cit. *De potest. eccles.* cap. VII. necnon Roncaglia in *Animadv. in decreta* sess. IV. et V. conc. Constantiensis ad calcem cit. Diss. IV. Nat. Alex. § I. et III.

(4) Cf. Roncaglia ibid. § V.

(5) Loquens propterea Duallius de sententia quam vindicamus tali eam affirmat auctorum numero et gravitate gloriari, ut « TOTUS ORBIS, *exceptis pauculis doctoribus*, eam amplectatur ». Cf. Zaccaria in *Antifebronio vindicato*, tom. II. Diss. IV. cap. V. § 3.

(6) Ita Gersonius, Almainus, Card. Alliacensis, Natalis Alexandr. aliique passim. De Gersonii doctrina ac fidei puritate Cf. Petitdidier op. cit. cap. I. pag. 293. seqq. ac videbis eum talem haud esse, qualis ab editore istius operum praedicatur; De Andrea d'Escobar, Nicolao Cusano, Juliano Cesarini, Paulo Sarpio, Thuano, Launojo, etc. qui sunt heroes febronianorum. Cf. Zaccaria in *Antifebronio. Introduzione* cap. VI.

Eo vel magis quod promiserit Christus sese in medio adfuturum ubi duo vel tres fuerint in ejus nomine congregati (1), 3. qui ad exemplum concilii Hierosolymitani dicere possunt: « Visum est Spiritui Sancto et nobis (2) ». Ergo.

633. *R. N. A.* ad 1. prob. *D. Dic ecclesiae*, seu concilio, si de eo agatur qui ecclesiae seu concilii auctoritati subjectus sit, *C.* si de eo qui ecclesiae sive concilio uti primas et episcopus praeeminet *N.* Hoc prius evincendum ab adversariis esset, ut aliquid pro causa sua inferre possent ex adducto testimonio; alioquin principium petunt, nihilque legitime concludere queunt. Petrus utique ejusve successor rom. Pontifex *frater* est natura, fide, aliisque titulis, ast simul omnium pater est, caput ac superior, utpote ecclesiae universae a Christo ipso praepositus (3). Si casus itaque contingeret quod Pontifex peccator contumax esset, posset quidem ab inferiori ea qua par est reverentia commonefieri; verum ultra progredi nefas esset, sed Dei interim providentiae ejus resipiscentia esset committenda, ab eaque precibus ac gemitibus unice efflagitanda (4).

634. Ad 2. *D.* Ubi duo vel tres fuerint congregati *legitime*, id est cum suo capite, *C.* illegitime et adversus caput *N.* Alioquin Christus in medio fuisset conciliabuli Ephesini II., Ariminensis, Constantinopolitani a Photio adunati etc. Accedit in adversariorum interpretatione non solum concilia generalia, verum etiam provincialia supereminere Pontifici romano.

635. Ad 3. *D.* Praesente Petro, adeoque rom. Pontifice, *C.* Petro absente, imo vero obsistente *N.* Responsio patet ex dictis.

636. II. Obj. Opinio de praeeminentia Pontificis supra concilium adversatur toti antiquitati. 1. Compertum enim est Asianos quartodecimanos restitisse Victoris decreto; restitisse item s. Cyprianum cum episcopis Asianis et Africanis, qui alioquin cessissent oecumenici concilii decreto. Idem dicatur oportet de gestis in causa donatistarum, qui defectu plenarii concilii, ut passim testatur s. Augustinus (5), ad unitatem revocari non potuerunt, quamvis plura lata essent a rom. Pontificibus decreta; nec non de gestis in causa Apiarii Romam a sententia sy-

(1) Matth. XVIII. 20.

(2) *Act.* XV. 28. Et haec praecipua fundamenta sunt hujus sententiae, quae ex Scripturis afferuntur; reliqua quae ab adversariis congesta sunt ad rem non pertinent, ut cuique legenti Diss. IV. sec. XV. et XVI. Natalis Alex. patebit, qui haec omnia collegit, art. I. § II.

(3) Hinc optime Pius II. postquam docuit rom. Pontificis esse concilia congregare et dissolvere subdit: « Qui etsi filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur: et sicut filiationis causa venerari debet ecclesiam tamquam matrem, ita et praelationis causa praefertur ei, ut pastor gregi, princeps populo, rector familiae », apud Roncaglia in *Animadv. in conc. Basileense* ad calcem Diss. VIII. Natalis Alexandr. § V.

(4) Cf. Bellarm. *De eccles. et conc.* lib. I. cap. IX. n. 5. Quapropter Innocent. III. *De consecr. Pontificis* ait: « In tantum mihi fides necessaria est, ut, cum de ceteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur (uti a persona privata) possem ab ecclesia judicari ». Cf. Veith *De primatu* sect. II. § XLIX. Hinc receptum semper in ecclesia est illud principium veluti axioma: *Prima Sedes a nemine judicatur*, de quo loquitur vel ipse Maimbourg in op. *Histoire du grand schisme d' Occident* Paris 1680. tom. II. liv. V. pag. 305. cf. quae paulo ante retulimus ex conc. generali VIII.

(5) *De baptismo contr. Donat.* lib. I.

nodi provincialis appellantis eodem s. Augustino teste (1). 2. Idipsum evincit celebratio conciliorum generalium ad haeresim compescendam Nestorii, Eutychetis, monothelitarum, qui licet damnati jam fuissent a rom. Pontificibus, iterum a concilio oecumenico veluti supremo tribunali debuerunt damnari, ut causa finita dici posset. 3. Quare s. Gregorius M. mire extollit conciliorum oecumenicorum auctoritatem (2). 4. Innocentius vero III. aperte professus est concilium generale sibi praeeminere, seque ab eo coërceri etiam posse; sic enim inter alia scribit ad Philippum Augustum Galliarum regem: « Verum si super hoc, absque generalis deliberatione concilii determinare aliquid tentaremus, praeter divinam offensam, et mundanam infamiam, quam ex hoc possemus incurrere, *forsan ordinis et officii nobis periculum immineret*, cum contra praemissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare (3) ». Ergo.

637. *R. N. A.* ad 1. *D.* Cessissent ii pervicaces decreto concilii oecumenici celebrati sub praesidentia rom. Pontificis, Tr. seorsum ab illo celebrati *N.* In hoc porro vertitur totius quaestionis cardo juxta praenotata. Ex qua quidem animadversione jam patet paralogismus adversariorum tum in hoc, tum in sequentibus argumentis, quae omnia eodem vitio laborant, falsae nempe, ut ajunt, suppositionis.

638. Ceterum in causa Asianorum quartodecimanorum agebatur de re disciplinari, quae tota ex veritate facti pendebat, utrum nempe ex s. Joannis traditione esset pascha celebrandum luna XIV., an vero dominica insequenti ex traditione s. Petri (4). Putabant propterea Asiani voluisse s. Victorem ex ignoratione propriae ipsorum traditionis eos cogere ad suum ritum quem a s. Joanne acceperant, deserendum. Addo, etiam post concilii Nicoeni decretum non paucos etiam ex occidentalibus in antiqua consuetudine diu retinenda perstitisse (5). Nimis proinde evinceret argumentum adversariorum, si quid valeret.

639. Idem dicendum de resistentia s. Cypriani, ceterorumque episcoporum, cum et ipsi contrariam consuetudinem, seu traditionem non ubique obtinere acriter contenderent, ac propterea liberum ecclesiis esse in re, quam disciplinarem arbitrabantur, propria instituta sectari. Et hic praeterea adnotandum, etiam post concilii Nicoeni decretum impune non paucos consuevisse ab haereticis tinctos iterum baptizare (6).

640. In causa donatistarum agebatur

cap. VII. et lib. II. cap. IX. etc. epist. XLIII. al. CLXII. *ad Glorium*, *Eleusium* etc. cap. VII. n. 19.

(1) In epist. concilii Africani ad Papam Caelestinum apud Harduin. *Acta conc.* tom. I. col. 947. seqq.

(2) Lib. I. *Epistol.* XXV. edit. Maur. alias XXIV. col. 515.

(3) Epist. CVI. ad Philippum Augustum apud Nat. Alex. Diss. cit. § IV. n. XXX.

(4) Cf. Euseb. *Hist. eccl.* lib. V. cap. XXIII.

(5) Cf. Usserium *De primordiis ecclesiar. Britann.* pag. 925. seqq. Bucherium op. cit. cap. X. *in paschalem canonem* Victorii, nec non Bollandianos tum tom. III. mens. Febr. die XVIII. ad vitam s. Colmani episcopi Landisfarnensis § 2. tum tom. II. mens. Jun. die IX. *ad vitam s. Columbae*, seu *Columbani presb. Abbatis in Jona Scotiae insula*, ad vitam prolixiorem Commentario praevio § II.

(6) Cf. quae scripsimus in Tract. *De Sacram. in genere* cap. III. Prop. I. n. 116. seqq.

pariter de quaestione facti, de culpa aut innocentia Caeciliani. Nimirum s. Melchiadem qui ejus asseruerat innocentiam haud satis perspectam habuisse Caeciliani causam excipiebant donatistae, ac propterea iterum ad examen in concilio plenario causam illam revocandam contendebant. Ejusmodi autem concilium minime necessarium esse vel ipse s. Augustinus fassus est (1).

641. Afri in causa Apiarii errore facti decepti sunt, haudquaquam animadvertentes canones Sardicenses inter Nicoenos canones recenseri (2), et hic pariter causa agitabatur personalis, in qua Pontifex decipi poterat. Quapropter africani praesules improbas tantum appellationes haud facile nimis admitti a rom. Pontificibus exoptabant.

642. Ad 2. *D.* Ob extrinsecam auctoritatem, quae exurgit ex conjunctione et conspiratione capitis ac membrorum in eandem sententiam, *C.* ob auctoritatem intrinsecam, quae superveniat Pontificum decretis *N.* Illud in primis animadvertimus extra praesentem quam agitamus controversiam, haec urgeri ab adversariis. Omnia enim concilia illa convocata, celebrata, aut saltem confirmata sunt a rom. Pontificibus, uti paulo post ostendemus. In casu autem nostro quaestio est de concilio celebrato absque Pontifice, et ad Pontificem cogendum. Agebatur praeterea in illis conciliis de haeresibus damnandis et fide catholica asserenda; nemo autem unus dubitavit rom. Pontifices decretis conciliorum quae ab ipsis probata fuerint et confirmata in fidei articulis subjici. Hic vero agitur de vi coactiva conciliorum generalium in rom. Pontifices circa rem disciplinarem. Demum observamus catholicos omnes statim acquievisse rom. Pontificibus in errorum damnatione, ne ipsis quidem conciliis exceptis; haereticos autem qui Pontificum decretis restiterant, restitisse pariter auctoritati conciliorum oecumenicorum, uti ex haereticis antiquioribus et recentioribus compertum est. Nihil propterea ex horum reluctatione concludi potest.

643. Ad 3. *D.* Extollit s. Gregorius M. concilia oecumenica sub regimine rom. Pontificum celebrata, *C.* concilia acephala de quibus hic agitur *N.*

644. Ad 4. *D.* Ea scripsit Innocentius III. ne se periculo exponeret agendi contra Christi sententiam: *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* quaeque pendebat ex discussione facti, *C.* absolute *N.* Cum enim Philippus priori uxori Ingenburgi vellet aliam superinducere, obtendens prius matrimonium non fuisse consummatum, secus ac affirmaret Ingenburge, Innocentius noluit factum istud per se excutere, ne in difficili adeo negotio deciperetur. Voluit proinde ut a concilio simul expenderetur; sicque etiam moras nectebat, ut interea Philippus, defervescente priori aestu, ad saniora consilia se reciperet, ut reipsa factum est (3).

645. III. Obj. 1. Concilium Constantiense sess. IV. et V. duo edidit decreta quibus declaravit concilio generali quemcumque cujusvis dignitatis, *etiam papa-*

(1) Cf. Roncaglia in *Animadv.* ad Diss. IV. sec. XV. et XVI. Natalis § VIII.

(2) Cf. Marii Anton. Cappelli Ord. Convent. *De appellationibus ecclesiae africanae ad rom. Sedem dissertat.* Romae 1722. cap. V. nec non Ballerin. in *Tractatu de antiquis tum editis tum ineditis collectionibus canonum*, tom. III. opp. s. Leonis. Par. II. cap. I. § III. Marchetti, *Del concilio di Sardica* P. II. § V. n. 61. seqq.

(3) Cf. apud Hurter *Histoire du Pape Innocent. III.* tom. III. liv. XVIII. ed. cit. p. 226. seq.

lis obedire teneri (1). Concilium autem Basileense quinquies decreta Constantiensia confirmavit (2). Haec porro concilia recepta fuerunt et approbata ut oecumenica a Martino V. Eugenio IV. et Pio II. (3). Jam vero conciliorum oecumenicorum decreta quae a rom. Pontificibus confirmata sunt omnimodam vim habent, ut nemo iis possit absque erroris nota refragari. 5. Huc quoque accedit celeberrima declaratio cleri Gallicani an. 1682. in solemnibus comitiis emissa, in qua auctoritas suprema concilii generalis supra Pontificem struitur. Ergo.

646. Resp. ad 1. *D.* Concilium Constantiense decrevit supremam concilii potestatem super Pontifices dubios et ad tollendum schisma, C. supra Pontifices certos *N.* Id constat ex ipso prooemio decreti sess. IV. ubi aperte illius concilii patres declarant: « Pro extirpatione praesentis schismatis (4) »; cum vero non alio sensu ea decreta probaverit concilium Basileense, jure infertur ejusmodi decretis nulla ratione praeeminentiae rom. Pontificis certi supra concilia generalia derogari. Si addatur, incertum omnino esse utrum pro oecumenico haberi debeat Constantiense concilium in illis sessionibus ob ea quibus laborabat vitia, multoque vero magis concilium Basileense quod desiit in conciliabulum schismaticum atque eo prorupit audaciae, ut Eugenium IV. legitimum Pontificem haereticum declaraverit ac deposuerit, quanti faciendae sint istae auctoritates patebit (5). Attamen decreta horum conciliorum sunt sedes praecipuae omnium argumentorum quibus nituntur adversarii fulcire praeeminentiam concilii acephali super rom. Pontificem Christi vicarium et caput universae ecclesiae.

647. Ad 2. *D.* Concilia Constantiense et Basileense a rom. Pontificibus confirmata sunt in gestis adversus haereticos et in fidei definitionibus, *C.* in decretis de quibus agitur *N.* Etenim Martinus V. expresse declaravit se « Omnia et singula determinata, conclusa et decreta *in materiis fidei* per praesens concilium (Constantiense) conciliariter tenere, et inviolabiliter observare velle, ipsaque sic *conciliariter* facta adprobare, et ratificare, et non aliter, nec alio modo (6) ». Quam quidem declarationem facto ipso confirmavit Pontifex, dum edita bulla oratoribus Polonis sub poena excommunicationis prohibuit ne a Pontifice ad generale concilium provocarent (7). Hanc vero bullam istorum decretorum Constantiensium *fundamentale penitus robur destruxisse,* Jo. ipse Gersonius, praecipuus ipsorum assertor et vindex, conquestus est (8). Sed neque

(1) Apud Hard. *Acta conc.* tom. VIII. col. 252. et 258.

(2) Loc. cit.

(3) Ex Nat. Alex. diss. cit. § VII. et VIII. et diss. VIII. sec. XV. et XVI. not. III. et IV.

(4) Loc. cit.

(5) Cf. Roncaglia in *Animadvers. in decreta* sess. IV. et V. conc. Constant. § I. ad calcem diss. IV. sec. XV. et XVI. Natalis; et in *animadv.* ad diss. VIII. quae est de concilio Basileensi §§ VI. et VII. praecipue vero card. Orsi *De rom. Pontificis auctoritate* tomi II. par. I. toto libro V. ubi agit de conc. Constantiensi, et ejusdem tomi p. II. lib. VI. ubi agit de conc. Basileensi. Idem brevius praestiterunt Ballerinius in op. *De ecclesiastica potest. rom. Pontificum* capp. VII. VIII. et IX. atque Petitdidier op. cit. capp. III. IV. V. et VI. Hi omnes scripserunt post Schelstrate quem impugnaverat Natalis Alex.

(6) In collect. conc. veneta Coleti tom. XVI. col. 746.

(7) Ibid. col. 747. seqq.

(8) *In dialogo apologetico pro condemn. proposit. J. Parvi* opp. edit. Ellies Dupinii, Antwerp. 1706. tom. II. col. 390. ubi sic scribit: « In deteriora continue relapsa

Eugenius IV. probavit decreta concilii Basileensis, dum litteris datis die 18. Jan. an. 1433. legitimam concilio continuationem indulsit, ut ipsemet Pontifex declaravit in solemni congressu Florentiae habito dicens: « Nos quidem bene progressum concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut inceperat; *non tamen approbavimus ejus decreta* (1) ». Multo vero minus probavit Pius II. de quo Natalis Alex. conqueritur, ipsum, mutata conditione, mutasse sententiam quam in minoribus constitutus Aeneas Sylvius sectatus fuerat de concilii supra Pontificem praeeminentia (2).

648. Ad 3. *D.* Quae tamen saepius reprobata est a rom. Pontificibus, atque ab ipsis illius auctoribus retractata, *C.* quae aliquam obtineat auctoritatem *N.* Etenim ad rom. Pontifices quod spectat, satis hic sit verba adducere quibus Pius VI. in const. *Auctorem fidei* synodum Pistoriensem, quae illam declarationem adoptaverat, perstrinxit: « Quamobrem quae acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt praedecessor noster ven. Innocentius XI. per litteras in forma brevis die 11. Aprilis an. 1682., post autem expressius Alexander VIII. constit. *Inter multiplices* die 4. Augusti an. 1690. pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt, multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam, ac praesertim *post praedecessorum nostrorum decreta, huic apostolicae sedi summopere injuriosam* reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra constitutione reprobamus, et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus ». Quod vero attinet ad auctores declarationis in epist. data an. 1693. ad Innocentium XII. « Profitemur, scribunt, et declaramus nos vehementer quidem, et supra id quod dici potest, ex animo dolere de rebus gestis in comitiis praedictis, quae Sanctitati vestrae, et suis praedecessoribus displicuerint summopere; ac proinde quidquid in ipsis comitiis circa ecclesiasticam potestatem, et pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus, et habendum esse declaramus (3) ». Ludovicus XIV. pariter retractavit edictum quo declarationem in publicis scholis et academiis tradi praeceperat (4). Demum vel ipse Bossuetus non sine stomacho « Abeat ergo, inquie-

est, usque adeo, quod pro parte dominorum Polonorum interjecta est tandem appellatio ad futurum concilium: cui appellationi cum respondendum esset, lecta est, ut dicitur, in consistorio generali, et publico, quod ultimo Constantiae celebratum est, minuta quaedam sub forma Bullae; *destruens* (ut asserunt qui legerunt eam) *fundamentale penitus robur*, nedum Pisani, sed Constantiensis concilii, et eorum omnium, quae in eis, praesertim super electione summi Pontificis, et intrusorum ejectione, attentata factave sunt. Continebat itaque in nullo casu licere appellationem a Papa facere, nec ejus judicium in casu fidei declinare . . . contra decreta concilii ».

(1) Ita testatur card. Jo. De Turrecremata qui interfuit ipsi congressui Florentino, idque ex ore accepit Eugenii IV. et refert in op. *De summa ecclesiae* lib. II. c. 100. quodque profert Rocabertus in *Bibliotheca maxima pontificia* tom. XIII. pag. 430. col. 2. Cf. ejusdem card. *Apologiam Eugenii IV. ad Basileensem oratorem in Florentino concilio* apud Labbeum tom. XIII. col. 1661. seqq.

(2) Cf. Roncaglia, *Animadv.* in diss. VIII. sec. XV. et XVI. P. Natalis § V.

(3) Cf. apud card. Litta op. cit. *Lettere* etc. lett. IV. pag. 24. seq.

(4) Ibid. pag. 21.

bat, declaratio quo libuerit (1) ». Quaenam igitur superest declarationi illi auctoritas, ut jure objici possit?

649. IV. Obj. 1. Vel ipsa ratio et sensus naturae communis docet, *totum majus esse sua parte;* jam vero concilium est totum, Pontifex autem tantum ecclesiae pars, concilium igitur majus est Pontifice (2). 2. Dictat praeterea jus naturae, quod membra quae totum inficiunt corpus, possint amputari; tale vero membrum censeri debet Pontifex flagitiose vivens; poterit igitur ab ecclesiae corpore per concilium abscindi. 3. Accedit, sententiam de praeeminentia Pontificis supra concilium jam obsoletam penes plurimos esse, ac magis in dies vilescere. Ergo.

650. R. Ad 1. Ratio docet totum majus esse sua parte, si de toto *physico* sermo sit, *C.* si de toto *morali N.* Absonum prorsus est a magnitudine physica assurgere ad auctoritatem moralem, perinde ac si haec ab illa esset dimetienda. In hac hypothesi major esset auctoritas exercitus quam ducis; filiorum quam patrisfamilias; ecclesiae quam Christi: spectata siquidem mole minor est dux exercitu, pater familia, Christus ecclesia. Ita desipiunt qui sic argumentantur! Addatur, in ecclesia auctoritatem communicatam esse extrinsecus a Christo, adeoque ibi majorem reperiri, ubi majorem Christus collocaverit; porro Christus non ecclesiam Petro, sed Petrum ecclesiae praeposuit ut caput, pastorem, principem ac vicarium suum (3). Nec omittendum pro certo sumere adversarios, quod falsum omnino est, ecclesiam nempe acephalam *totum* esse, cum nec ecclesia dici possit (4).

651. Ad 2. *D.* Dictat jus naturae amputanda ea membra esse, quae corpus inficiunt, si sint minus principalia, *C.* si sint membra principalia cujusmodi est caput *N.* Quid si ratio haec in civili societate valeret? Quot turbae ac seditiones orirentur? Negamus praeterea esse in ecclesia auctoritatem in Pontificem, qui auctoritatem suam immediate a Christo accipit; haec proinde ab hominibus auferri nequit, prouti neque ab hominibus confertur.

652. Ad 3. *D.* Obsolevit ac viluit haec sententia apud plurimos neotericos quibus nova placent, *C.* apud sanos catholicos theologos *N.* Apud hos enim veritas immota stat, quae sine piaculo vix aut ne vix quidem impugnari potest. Huc enim refertur prop. XXIX. ab Alexandro VIII. proscripta: « Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis romani super concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus infallibilitate (5) ».

(1) Ibid. p. 22. cf. de hac *Declaratione* P. Bianchi opp. cit. tom. II. pag. 637. Zaccaria in *Antifebbronio* tom. II. cap. X. n. VIII. seqq. nec non De-Maistre *De l'eglise Gallicane* lib. II. ch. III. suiv.

(2) Ita Gersonius, card. de Alliaco, etc. apud Petitdidier op. cit. cap. II. et post ipsos Natalis Alex. aliique passim.

(3) Cf. Petitdidier loc. cit.

(4) Apposite de Natali Alex. qui haec ipsa objecit Albertinius or. Pr. vol. I. *Acroasi* IX. *De rom. Pontif.* « Vir integrae fidei, immensae eruditionis, judicii summi: at in re nostra, nullius criterii, incertae sententiae, perpetuae cum semetipso pugnae ».

(5) In quam proposition. Cf. Viva, *Damnatae theses* etc. Patavii 1717. p. 447. seqq. Atque hic obiter observo, eos qui hanc doctrinam tuentur, ut plurimum sectari moralem doctrinam rigidiorem; ast iidem isti, cum agitur de rom. Pontificis auctoritate, videntur obliti suorum principiorum, et absque scrupulo quod sibi magis arridet adversus pontificias constitutiones amplectuntur. Possem hic adjicere catalogum theologorum, qui etiam post declarationem sic dictam cleri gallicani anti-

PROPOSITIO III.

Ad solum rom. Pontificem vi sui primatus spectat concilia oecumenica cogere, iis praesidere, eaque confirmare

653. Et haec propositio legitime sequitur ex priori de natura primatus rom. Pontificis a nobis vindicata. Etenim si natura pontificii primatus in eo consistit, quod sit auctoritas episcopalis in universam ecclesiam, et respectu omnium episcoporum, jure infertur ab illo solo convocari concilium oecumenicum posse, eidemque illum solum posse praeesse, atque item unice confirmare, qui supremus est episcoporum omnium pastor et episcopus, quique in illos sive distributive sive collective sumptos potest ex divina dispositione auctoritatem exercere. Atqui ex dictis talis est solus rom. Pontifex; ergo.

654. Rursum: illius tantum est quae recensuimus praestare, qui jure divino toti praesidet ecclesiae quam generale concilium repraesentat: jam vero solus rom. Pontifex jure divino praesidet ecclesiae universae; ipse proinde solus potest episcopos cogere, atque iis collectis tamquam caput ac supremus pastor praeesse et acta probare.

655. Quod vero speciatim attinet ad confirmationem conciliorum oecumenicorum, illam ad solum rom. Pontificem pertinere, praesertim si neque per se, neque per legatos suos iisdem interfuisset, exinde constat, quod nisi ipse concilium confirmaverit, sive acceptaverit, illive consenserit, hoc neque oecumenicum sit, neque in suis judiciis irreformabile. Nam eatenus habetur uti oecumenicum et infallibile concilium, quatenus ecclesiam universam repraesentat cui infallibilitatem Christus promisit. Jam vero sine rom. Pontifice, qui totius ecclesiae caput est, concilium quodlibet aut oecumenicum aut repraesentans universam ecclesiam nec est, nec dici potest, cum sit corpus acephalum: ergo sine Pontificis confirmatione nullis hisce praerogativis concilium gaudet, multo vero magis eis destituetur, si contradicentem habuerit Pontificem. Quare hinc factum est, ut numquam cujusvis concilii decreta, quae rom. Pontifex firma ac rata non habuerit, veluti ineluctabilia ac fide divina credenda suscepta fuerint; contra vero tamquam divina fuere recepta, quae a rom. Pontifice fuerint confirmata (1).

656. Ex his patet 1. quid de aulicis illis scriptoribus sentiendum sit, qui jus convocandi concilia generalia uni tribuunt politicae potestati; aut saltem autumant non competere rom. Pontifici jus illud nisi ex tacita principum atque ecclesiarum consensione (2).

657. 2. Quid itidem de iis sentien-

quam imo avitam doctrinam adstruxerunt. Verum hunc reperies apud Zaccaria in *Antifebbronio* tom. II. diss. II. cap. IV. et in *Antifebronio vindicato* par. II. diss. IV. cap. V. quibus plures alii addi possent.

(1) Quinimo animadvertendum est, interdum vel ipsa concilia provincialia confirmata a rom. Pontifice auctoritatem adepta fuisse ineluctabilem, ut constat de conc. Arausicano II. Concilium Constantinopolitanum I. ab initio, defectu istius confirmationis, neque inter oecumenica recensebatur, sed solum postquam probatum est a rom. Pontifice.

(2) Ita inter ceteros sentit Febronius, *De statu ecclesiae et legitima rom. Pont. potestate*, cap. VI. §§ 2. et 3. et post eum etiam Pehem in *jure eccl.* tom. I. § 767. ex catholicis; ex protestantibus vero Wieggers in op. *Allgemeine Encyclopedie* seu *Enciclopedia Univers.* etc.

dum, qui perfricta omnino fronte asseverant esse in potestate concilii deferre alteri praesidentiam quam legatis pontificiis, perinde quasi Pontifex jure divino ac proprio expoliari a quoquam posset, et in caput membra dominarentur (1).

658. De iis, qui pontificiam confirmationem ad merum suffragium restringunt, et ad assensum cujusmodi ab infimo episcopo datur; aut statuunt concilia oecumenica absque ulla ulteriori approbatione infallibilia esse, ut facilius inde evincant concilium oecumenicum, id est acephalum, supra Pontificem esse (2). Hi enim omnes sunt catholici larvati, et causae catholicae proditores, qui odio aestuant in apostolicam Sedem, quam pro munere tueri ac defendere tenerentur.

659. Priusquam vero difficultates adversariorum proferamus, operae pretium erit animadvertere, fieri quandoque posse, ut concilium neque convocatione, neque praesidentia rom. Pontificis celebratum sit, obtineat tamen dignitatem concilii oecumenici accedente rom. Pontificis approbatione et confirmatione, cujusmodi censetur concilium Constantinopolitanum I. Confirmatione enim pontificia defectus si quid fuerint, sanari possunt.

DIFFICULTATES

660. I. Obj. 1. Octo priora concilia generalia in Oriente celebrata ab imperatoribus indicta sunt; 2. in quo quidem summum imperantem jure suo usum esse exinde liquet quod « ad eum pertinet, ut, potestate sibi concessa, populi ei commissi, non modo temporalem, sed aeternam etiam felicitatem tueatur atque promoveat. Ex hoc vero fonte fluit jus, ortis haeresibus, imperandi, ut episcopi in coetum coëant (3) ». Id praeterea confirmatur ex eo « quod, quum omne concilium in territorio quodam sit celebrandum, tali vero Pontifex careat, nec jure convocandi concilii gaudere possit (4) ». 3. Quod si progressu temporis rom. Pontifex consuevit convocare concilia generalia, cum « Nulla lex divina aut ecclesiastica extet, quae convocationem generalium conciliorum rom. Pontifici reservet, tacito principum et ecclesiarum consensu jus hoc rom. Pontifici dimissum fuisse » dicendum est (5); 4. Aut si placet, tribuendum hoc erit *usurpationi* rom. Pontificum, qui medio aevo in tanta potestatis sacrae et profanae *confusione* jus imperio adeo pretiosum ac necessarium eripuerunt (6). 5. Sane prima ecclesiae aetate summe conveniens erat, ut supremus imperans concilium convocaret, quandoquidem ecclesia nec sciverit, quomodo aliter haec convocatio institui deberet; romanis vero episcopis ne in mentem venerit, jus hoc pro se adserere; erroneum autem foret, ad tacitam juris hujus ab ecclesia imperanti factam cessionem provocare (7). Ergo.

661. R. Ad 1. *D.* Ex consensu rom. Pontificis, *C.* auctoritate propria *N.* Et-

(1) Ita rursum Febronius op. cit. cap. v. § 4.

(2) Febronius loc. cit. et anonymus in *Theologische Quartalschrift.* seu Ephemerid. Theologicis Tübing. 1823. p. 272.

(3) Ita Febron. op. cit. cap. vi. § 2.

(4) Idem in *Tractatiuncula Jesuitae* Heidelbergensi (Anton. Schmidt) *opposita* opp. tom. iii.

(5) Idem loc. cit. ex opere *De statu ecclesiae* etc.

(6) Ita Pehen loc. cit.

(7) Ita Planckius in op. *Geschichte der christlich-kirchlichen Gesellschaftsverfassung*, seu *Historia Constitutionis socialis christianae Ecclesiae* p. 1. pag. 680.

enim si divino jure, uti ostendimus, unus rom. Pontifex auctoritate pollet in omnes episcopos; si uni rom. Pontifici onus incumbit pascendi universum dominicum gregem, ipse profecto solus vi primatus sui potest generalia concilia convocare. Dum igitur historia videtur imperatoribus tribuere convocationem conciliorum, intelligi id debet de convocatione, ut ita loquar, *materiali*, non autem de convocatione *formali* et *legitima*, quae nullo modo competere potest politicae potestati. Sane non desunt documenta quae ostendant priora concilia auctoritate, suasione, consensu rom. Pontificum fuisse ab imperatoribus indicta. De concilio Nicaeno I. constat ex patribus conc. Constantinopolitani III. an. 680. celebrati, qui, nullo repugnante, in acclamationibus dixerunt: « Arius divisor Trinitatis et partitor insurgebat, et continuo Constantinus semper Augustus, *et Silvester* laudabilis magnam atque insignem in Nicaea synodum congregabant (1) »; de Constantinopolitano I. nihil attinet dicere, quum nonnisi per subsequentem confirmationem fuerit inter oecumenica connumeratum (2). De conc. Ephesino testatur liber diurnus rom. Pontificum: « Sub principalis quidem memoriae Theodosio Augusto factum est, ex auctoritate tamen Caele-

(1) Act. xviii. in *Sermone Acclamatorio* apud Harduin. *Acta conc.* tom. iii. col. 1418. Idipsum insinuat Rufinus *Hist. eccl.* lib. i. cap. i. dum scribit quod imp. Constantinus « *Ex sacerdotum sententia* apud urbem Nicaeam episcopale concilium convocet » opp. edit. Paris. 1830. p. 195. ex sententia scilicet tum s. Silvestri, tum Hosii episcopi Cordubensis qui tamquam legatus missus fuerat a s. Silvestro ad componendas quaestiones in Oriente exortas circa diem celebrationis paschatis et ad sedandas turbas ab Ario in Aegypto excitatas, ut colligitur ex Socrate lib. i. cap. vii. et Sozomeno lib. i. cap. xvi. atque ex sententia Alexandri episcopi Alex. ac liquet ex Epiphanio *haer.* lxviii. § iv. edit. Petav. tom. i. pag. 720. Quare Anastasius Bibliothecar. *De vitis Pontificum* in *Silvestro* sect. 35. scribit: « Hujus temporibus factum est concilium *cum ejus consensu* in Nicaea Bithyniae, et congregati sunt 318. episcopi catholici » ed. Blanchinii Romae 1718. tom. i. pag. 37. cf. etiam de hoc argumento P. Bianchi op. cit. *Della potestà e della politica della chiesa*, tom. iv. lib. ii. cap. iii. § ix. n. i. nec non Muzzarelli in op. posthumo *De auctoritate rom. Pontificis in conciliis generalibus*. Gandavi (sine anno) tom. i. cap. v. § ii. pag. 82. seqq. ubi profert praeterea auctoritatem Theodori Studitae ep. 34. ad Leonem Pont. Rom., et legatorum rom. Sedis qui missi fuerant ad conc. Chalcedonense a s. Leone M. ex quibus Lucentius act. i. reddens rationem quare Dioscorus ex praecepto s. Leonis sedere non deberet in concilio, dixit: « Quia cum personam judicandi non haberet praesumpsit, et *Synodum* (ephesinam ii. proditoriam) *ausus est facere sine auctoritate Sedis apostolicae, quod numquam licuit, numquam factum est* ». Ad haec Dioscorus obmutuit, quod certe non fecisset, nisi ageretur de re tunc temporis exploratissima. Ex his patet impudentia Schröckii qui in *Christliche Kirchëngeschichte*, seu *Historia ecclesiae christianae* par. v. pag. 530. ed. secunda, decretorie pronunciat in convocatione concilii Nicaeni nullam Silvestrum partem habuisse. Cf. Roskovány op. cit. § 70.

(2) Quamquam neque desint documenta, quae suadeant imp. Theodosium ex consensu rom. Pontificis Damasi illud convocasse. En verba conc. VI. oecumenici loc. modo cit. « Macedonius deitatem Spiritus Sancti denegabat, sed maximus imperator Theodosius et *Damasus adamas fidei* . . . illam in hac regia urbe synodum congregabant ». Cf. Baronium ad an. 381. n. xix. et xx. Cf. etiam Bianchi op. et loc. cit. n. 2.

stini apostolicae sedis Antistitis (1) »; item Chalcedonense *jussione* Leonis M. convocatum esse a Marciano fidem faciunt Moesiae secundae episcopi in sua ad Leonem imp. epistola (2); nec diffitentur adversarii, qui hoc primum usurpatae majoris potestatis exemplum a Leone M. adducere consueverunt (3). Certa pariter res est ex epistolis ipsius Justiniani Constantinopolitanum II. seu generale quintum ex consensu Vigilii fuisse celebratum (4); sic conc. generale VI. non fuisse absque consensu rom. Pontificis convocatum constat ex epistolis imp. Constantini Pogonati datis ad Pontificem Donum, quibus illum hortabatur ad mittendos suos legatos (5), nec non generale VII. seu Nicaenum II. ex consensu Hadriani I. (6); demum generale VIII. seu Constantinopolitanum IV. ex jussione Hadriani II. (7). Cum igitur ex indubiis documentis constet omnia et singula priora octo concilia auctoritate et consensu rom. Pontificum convocata aut celebrata fuisse ab imperatoribus, pudorem exuisse necessum est qui asseruerunt imperatores jure proprio illa coëgisse (8).

(1) Quem edidit Garnerius S. J. Paris. 1680. pag. 36. Cf. Bianchi op. et loc. cit. n. 6. et Zaccaria *Antifebbronio* tom. IV. p. II. lib. IV. cap. I. Muzzarelli op. cit. tom. II. cap. VII. § 2.

(2) In cod. Encyclico apud Hard. *Acta conc.* tom. II. col. 710. Observandum porro hic est, hos episcopos rationem reddere quare per *jussionem Leonis romani Pontificis* Chalcedonem convenerint; subdunt enim, *qui vere caput episcoporum*. Luculentum praeterea testimonium hujus convocationis suppeditat s. Leo M. qui ep. CXIV. ed. Baller. cap. I. col. 1197. scribens: « Propter quam (causam fidei) generale concilium et ex praecepto christianorum principum, et *consensu apostolicae Sedis* placuit congregari »; et Gelasius rom. Pont. in epist. ad episcop. Dardaniae in collect. conc. veneta Coleti tom. V. col. 339. « Ac pro veritate, scribit, ut synodus Chalcedonensis fieret (Sedes apostolica) *sola* decrevit ».

(3) Ita Plaackius apud Roskovány § 70.

(4) Imperator Justinianus, licet repugnante Vigilio, concilium V. congregaverit, tamen ex consensu Vigilii fuisse celebratum ex epistolis Vigilii ad *Eutychium, et episcopos sub ipso constitutos*, et Justiniani ipsius in ep. *ad Patres* quintae *synodi*. Quare patres conc. VI. in sermone acclamatorio cit. dixerunt: « Vigilius post haec Justiniano piissimo consonuit, et quintum concilium constitutum est ». Cf. Zaccaria in *Antifebbronio* loc. cit. p. II. lib. IV. c. I. p. 121.

(5) Cf. Zaccaria loc. cit. nec non Muzzarelli op. cit. tom. II. cap. X. §. IV.

(6) Id liquet ex Hadriani I. epistola ad Tarasium, in qua sic scribit: « Quod si non perspecta mihi esset et probe cognita erga sacras synodicas sex constitutiones, et venerandas imagines vestra sinceritas et orthodoxa fides, nequaquam ad synodum convocandam *adsentiremus* » apud Zaccar. l. c. Apud Hard. *Acta conc.* tom. IV. col. 98. aliquantisper verbis immutatis haec ipsa leguntur. Cf. etiam Muzzarelli op. cit. tom. II. § II. ubi plura alia hanc in rem profert.

(7) En verba Hadriani II. in epist. ad imp. Basilium: « *Volumus* ergo, per vestrae pietatis industriam, illic numerosum celebrari concilium, cui nostri quoque missi praesidentes etc. ». Apud Harduin. tom. V. col. 768.

(8) Hi nimirum ideo adnituntur hoc rom. Pontificibus eripere jus, illudque transferre in regimen civile quia animo vehementer ab illorum primatu abhorrent uti scite observat Roskovány op. cit. § 70. Attamen hi studiosi antiquitatis non animadvertunt se hac agendi ratione a sensu antiquitatis longe recedere. Vidimus jam rejectum fuisse uti latrocinium conc. Ephesinum II. eo quod absque consensu rom. Pontificis convocatum; nunc vero adjici-

662. Ad 2. *D.* Summus imperans praeter temporalem, aeternam etiam felicitatem promovere debet per media statui suo consentanea, *C.* quocumque modo *N.* Ex illa obligatione seu munere quod summo imperanti incumbit, non fluit jus imperandi episcopis sibi subjectis, ut exortis haeresibus in coetum coëant. Dum oriuntur errores, summus imperans commonefaciat Pontificem, qui si opportunam judicaverit concilii celebrationem, nil intentatum relinquet ut ipsum cogat; atque hoc modo consulet spirituali ditionis ei subditae bono. Imo si opus sit, rom. Pontifici ad celebrandum concilium suppeditabit illud territorium, quo destitui rom. Pontifices Febronius affirmat.

663. Ad 3. Resp. Utramque legem divinam et ecclesiasticam extare, quae convocationem generalium conciliorum rom. Pontifici reservet. Extat divina, quae onus imposuit Petro et officium pascendi agnos et oves, atque confirmandi fratres suos, ac proinde jus quod ex officio exurgit. Extat praeterea ecclesiastica, consuetudine firmata, ita ut numquam rata haberentur concilia ab alio, quam a rom. Pontifice convocata, si casum excipias de Pontifice dubio, aut haeretico (qui non alius quam ut homo privatus esse potest (1)), quia tunc sedes vacans censetur, atque ut vim habeat, debet a Pontifice legitime electo confirmari. Ruit proinde quod de principum et ecclesiarum consensu obtrudit Febronius. Hoc enim paradoxum supponit quod falsum esse ostendimus de jure principibus inhaerente, cum tamen ipsi cum Valentiniano fateri teneantur « Laicos omnes se ingerere non debere in negotiis ecclesiae (2) »; alioquin apostoli se Hierosolymam convocassent ex consensu Caji Caligulae.

664. Ad 4. *N.* Responsio patet ex dictis. Hoc effugium pseudo-catholicorum et protestantium jamdiu obsolevit; cum jus et facta ipsi contradicant (3).

665. Ad 5. *D.* Prout sibi persuadet, aut divinare satagit adversarius, *C.* prout vere se res habet *N.* Optime siquidem noverat ecclesia quomodo illa institui convocatio deberet, quae exemplar habebat in primo concilio Hierosolymis celebrato (4). Pontifices vero de inhaerente sibi divino jure in cogendis conciliis oecumenicis certi erant, eo ipso quod scirent se a Christo praepositos esse universae

mus concilium oecumenicum VII, quod act. VI. ostendit ideo rejectam fuisse synodum a Leone, et Constantino iconomachis imperatoribus congregatam, « quod *adjutorem non habuerit illius temporis* rom. Papam, vel eos qui circa ipsum sunt sacerdotes, nec etiam per vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, *quemadmodum lex dictat conciliorum* ». Apud Harduin. tom. IV. col. 327. Adeo nempe tunc temporis apud omnes certum erat, quod absque rom. Pontifice nulla esset rata generalis synodus!

(1) Hic quidem est casus qui in abstracto potius quam in concreto solet afferri. Nec enim Dei providentiam, quae adeo vigilat super hanc rom. Sedem, ejusmodi scandalum permissuram putandum est. Sane numquam hactenus casus iste locum habuit, spatio scilicet XVIII. seculorum.

(2) En ipsa imperatoris verba ex Sozomeno lib. VI. cap. VII. Ἐμοὶ μὲν μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ, οὐ θέμις τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν. *Mihi quidem in laicorum ordine constituto, fas non est, hujusmodi negotia curiosius scrutari*. Ex ed. Val.

(3) Solent isti confugere ad locum communem pseudo-isidorianarum decretalium; verum nunc temporis hac arte nemini amplius imponunt post tot catholicorum virorum exantlatos labores in illas Isidorianas.

(4) Cf. Muzzarelli op. cit. tom. I. cap. II. et III.

ecclesiae (1). Demum documenta attulimus quae in resp. ad 1. luculentissime id evincunt.

666. II. Obj. Saltem perperam adstruitur rom. Pontifici jus praesidendi conciliis oecumenicis. 1. Compertum est ex historia concilio Nicaeno praesedisse Hosium cordubensem episcopum cum Vitone et Vincentio presbyteris rom. Sedis legatis; porro licet Vito et Vincentius se subscripserint uti legati rom. Pontificis, Hosius tamen subscripsit ut cordubensis episcopus (2). 2. Dicendum igitur est aut nomine imperatoris Constantini concilio praefuisse, aut a concilio ob nominis celebritatem meritaque erga ecclesiam primas partes Hosio fuisse delatas. 3. Neque est quod quaeras rom. Pontificis legatos in concilio Constantinopolitano I. aut in concilio Ephesino; quamvis vero concilium V. seu Constantinopolitanum II. celebratum fuerit praesente Vigilio Pontifice, ipse tamen ei minime interfuit. 4. Ac ratio quidem est, quia ut animadvertit de Marca « Si summam in censendo ac definiendo potestatem Sedi apostolicae tribuamus, perit libertas suffragandi quam tantopere commendant Caelestinus et Leo Pontifices. At vero concessa suffragiorum libertate, aequalitas quaedam hac in parte induci videtur inter Pontificem et ceteros episcopos. Itaque aut unius libertas aut dignitas alterius periclitatur sicut in disputationibus de auxiliis gratiae, vel hinc arbitrii humani libertas laedi, vel illinc gratiae vis et efficacia minui videtur (3) ». Ergo.

667. Resp. N. A. Ad 1. *D.* Praefuit Hosius cordubensis conc. Nicaeno ut Silvestri rom. Pontificis legatus, *C.* praefuit quovis alio titulo *N.* Nam praeter apertum testimonium tum Gelasii Cyziceni, qui innititur praeterea auctoritate tum Eusebii Caesariensis (4), tum antiquae canonum collectionis (5), qui nempe exhibent Hosium s. Silvestri legatum, ipsa rei natura exposcit, ut Hosius nomine Silvestri ac forte etiam concilii Occidentalis (6), dicatur praesedisse concilio Nicaeno. Etenim nulla ratio assignari potest « Cur Hosius Cordubensis, ut inquit vel ipse Fleury, ex vulgari episcoporum ordine, Alexandrino et An-

(1) Hic addendum plura tam in Oriente quam in Occidente celebrata fuisse concilia sive provincialia, sive nationalia antequam data esset ecclesiae pax, uti ex historia compertum est. Jam vero ipsa analogia docet, quemadmodum concilia provincialia, ac nationalia aut a primatibus aut a patriarchis indicta fuerunt, non autem a praefectis civilibus aut a proconsulibus paganis, sic plane debuisse concilia generalia indici ab universae ecclesiae capite, non autem ab imperantibus politicis.

(2) Cf. *Acta conc.* Hard. tom. I. col. 311. ubi legitur: *Osius Cordubensis episcopus dixit: sic credo, quemadmodum dictum est;* juxta edit. Labbaeanam vero: « *Osius episcopus civitatis Cordubensis prov. Hispaniae*. Deinde sequuntur subscriptiones Victoris (seu ut alibi legitur *Vitonis*) et Vincentii.

(3) In *Dissert. de modo conciliandi potest. rom. Pontificis cum libert. suffr.*

(4) Lib. II. *Voluminis actor. conc. Nicaen.* cap. V. apud Harduin. *Acta conc.* tom. I. col. 375. ubi scribit ex auctoritate Eusebii lib. III. *Vitae Constant.* « Ipse etiam Hosius ex Hispanis, nominis et famae celebritate insignis, *qui Silvestri episcopi maximae Romae locum obtinebat*, una cum Romanis presbyteris Vitone et Vincentio ». De quo Eusebii loco, qui in nostris editionibus non reperitur cf. Muzzarelli op. cit. *De auctor. rom. Pontif.* tom. I. cap. V. § III.

(5) Apud Ballerin. opp. s. Leonis tom. III. pag. CLXXXVII.

(6) Cf. Zaccaria *Antifebbronio* tom. IV. p. II. lib. IV. cap. II. § 4. 5.

tiocheno praesentibus, suo nomine omnibus episcopis praesedisset (1) »; idque confirmatur ex usu constanti insequentium conciliorum, in quibus, uti ostendemus, semper legati pontificii praefuerunt. Nec refert quod non subscripserit ut rom. Pontificis legatus, sed tantum ut episcopus Cordubensis, secus ac fecerint Vito et Vincentius, qui sese romanae ecclesiae legatos declararunt; nam uti observat Zaccaria necesse non erat quod hanc legationem apertius declararet Hosius, utpote omnibus orientalibus ecclesiis apprime compertam; diversa autem ratione se gerere debebant Vitus et Vincentius meri presbyteri illuc recens ex Occidente appulsi, qui suum explicare munus debebant, ne quis eos ante episcopos et patriarchas subscripsisse miraretur (2).

668. Ad 2. *N.* Tum quia haec omnia nonnisi conjecturae sunt nullo subnixae documento; tum quia repugnat, uti observat Natalis Alex., ostenditque invictis argumentis, Hosium ut Constantini imperatoris legatum praefuisse, cum praesens esset Constantinus ipse (3); qui tantum abest, ut jus sibi arrogaverit praesidentiae, ut aperte illud sibi convenire negaverit. Immo nec sedere voluit nisi humili loco ac episcopis annuentibus (4). Sic nullo argumento fulcitur quod de Hosio delata a concilio praesidentia Febronius affirmat; numquam enim, ceteris omissis, passi fuissent patriarchae totque nobilissimarum ecclesiarum praesules, ut sibi parvae civitatis in Hispania episcopus praeficeretur, quaecumque demum merita ejus essent, saltem absque aperta declaratione, ne successorum suorum jura aliquomodo laesisse viderentur (5).

669. Ad 3. Quoad concilium Constantinopolitanum I. *D.* Quia, ut antea diximus, concilium illud veluti oecumenicum habitum non est, nisi postquam rom. Pontifex ipsum adoptavit, Tr. vel *C.* alia de causa *N.* Si vero sermo sit de conciliis reliquis negamus prorsus ipsis non praefuisse Pontificem vel per se vel per legatos suos: cum vero de ceteris nullam quaestionem moveant adversarii, satis erit, ut assertionem nostram evincamus de conciliis Ephesino, et Constantinopolitano V. Porro in conc. Ephesino Cyrillum Alexandrinum cum tribus aliis legatis vicem gessisse s. Caelestini refert Evagrius scribens: « Divino Cyrillo Caelestini quoque romanae Urbis episcopi vicesgerente » (6); et patet ex ipsa synodo (7). Quod vero attinet ad concilium V. cujusdam oeconomiae causa maluit Vigilius potius *constituto* suo quam praesentia concilio robur adjungere: cum tamen ex ejus absentia sibi timerent patres, trina legatione illum invitarunt ut ad synodum accederet, eique praesideret (8).

(1) *Hist. Eccles.* liv. XI. § 5. edit. Paris. 1713. p. 121.

(2) Loc. cit.

(3) Diss. XII. in sec. IV.

(4) Cf. Euseb. in *Vita Constantini* lib. III. cap. X.

(5) Cf. Zaccaria op. et loc. cit.

(6) *Hist. eccl.* lib. I. cap. IV. ed. Valesii.

(7) In act. I. ubi haec habentur: « Cyrillus Alexandriae, qui et Caelestini quoque sanctissimi sacratissimique romanae ecclesiae archiepiscopi locum obtinebat ». Apud Hard. *Acta conc.* tom I. col. 1354.

(8) Cujus rei testis locupletissimus ipse Vigilius est, qui respondens Eutychio et episcopis sub eo constitutis ait: « Poposcit vestra fraternitas, *ut nobis praesidentibus* de tribus capitulis . . . conferatur ». Cf. apud Harduin. tom. III. col. 62. Cf. etiam ibid. col. 64. seqq. quae gesta referuntur in collat. II. vid. etiam Muzzarelli op. cit. tom. II. cap. IX. § IV. Quapropter nulla est ratio quare Pinel. in op. *Ueber den. primat des Papstes* seu

670. Ad 4. Resp. Conciliari duo illa inter se facile posse, si dicantur episcopi esse *conjudices* cum rom. Pontifice, quippe qui sint eadem divinitus potestate judicandi praediti in rebus fidei. Neque obstat non posse episcopos dissentire ab eo judicio quod jam emiserit rom. Pontifex; nam judicii essentia posita minime est in facultate dissentiendi, sed in sententia, cum cognitione causae, ferenda. Illa autem causae cognitio sufficiens censenda est, quae elicitur post suffragium rom. Pontificis, qui nimirum testis est traditionis ecclesiae romanae *cum qua*, ut loquitur s. Irenaeus, *necesse est omnem convenire ecclesiam* (1). Quod si Pontifex nondum sententiam tulerit, liberum unicuique est inquirere in quaestionem de qua agitur, monumenta excutere, ac demum una cum Pontifice sententiam dicere. In utroque casu definitio concilii oecumenici fertur per modum unius tum capitis tum membrorum, quia caput simul et membra ecclesiae unitatem constituunt. Hac ratione et sua Pontifici suprema in concilio servatur auctoritas, et episcopis sua judicandi potestas sub et una cum rom. Pontifice (2), cui cooperantur.

671. III. Obj. 1. Si monumenta antiquitatis evolvas vix dubites confirmationem conciliorum ad politicam potestatem spectare; 2. priora enim concilia fuisse ab imperatoribus confirmata publica ipsorum edicta ac leges evincunt (3). 3. Concilia ipsa necessariam ejusmodi

De primatu Pontificis pag. 192. exultet, uti recte observat Roskovány op. cit. 71. p. 133.

(1) Cf. Ballerin. *De potestat. ecclesiast.* cap. II. § I. num. 3. qui pluribus evincit judicis rationem in libertate dissentiendi minime collocandam esse, ita ut consistere non possit cum obligatione assentiendi. Idque ostendit tum ex concilio Chalcedonensi, in quo episcopi, ipsis fatentibus adversariis, veri judices fuerunt etsi non potuerint Leonis definitioni contradicere in Eutychis errorem antea editae, et ab episcopis tum Orientis tum Occidentis subscriptae, et ita catholicae ecclesiae non solum tacito, sed etiam expresso consensu approbatae. Id ipsum evincit ex illis totius Orbis episcopis, qui Leone imperat. postulante novum judicium protulere litteris, quae in *codice encyclic.* continentur, de eo quod in conc. Chalcedonensi fuerat peremptoria definitione decisum. Ostendit praeterea ex ipso concilio Tridentino in quo patres fuere veri judices in definiendis veritatibus quae jamdiu in antecedentibus conciliis oecumenicis fuerant constitutae, et a quibus dissentire nullomodo poterant.

(2) Qua ratione assensus episcoporum Pontificiis definitionibus adhibitus et adhibendus judicii naturam induat ita perbelle exponit Fenelonius in epist. seu instructione pastorali data die 20. Apr. 1715. apud eundem Balleriniurn loc. cit. « Judicare, inquit, post judicium Pontificis est suum judicium cum pontificio conjungere. Hac ratione episcopi olim subscripserunt ipsorum conciliorum generalium decretis. Eorum submissio erat judicium, et eorum judicium erat submissio. Subscribentes sese submittebant simul et confirmabant decisionem synodi ». Quod constat ex actis et ex his aliisque similibus subscriptionum formulis: *judicans subscripsi; recognoscens consensi; obtemperans sententiae sanctissimorum et beatissimorum episcoporum consentiens et ego subscripsi; consentiens et ego subscripsi; cognoscens discussionem sanctorum patrum et cum sequi debeam subscripsi* etc. Aliis placet judicium rom. Pontificis vocare *principale*. Cf. etiam Zaccaria in *Antifebronio vindicato* tom. II. diss. IV. cap. VI. ubi fuse de hoc argumento scribit adversus Febronium.

(3) Ita Planck in op. *Geschichte der Christlich-Kircklichen* etc. seu *Historia constitutionis socialis ecclesiae christianae*

confirmationem existimasse, ceteris omissis, ostendunt verba concilii generalis II. quibus patres sic imperatorem alloquuntur: « Rogamus tuam clementiam, ut per litteras quoque tuae pietatis *ratum habeatur concilium decretum* (1) »; 4. Quibus concinunt, quae ad Constantinum Pogonatum, qui confirmaverat concilium VI. scripsit Leo II. « Synodali igitur sententia et imperialis edicti censura, tamquam ancipiti spiritus gladio, cum priscis haeresibus etiam novae pravitatis error expunctus est (2) ». 5. Contra vero rom. Pontificis confirmatio desideratur quoad concilium Nicaenum, et Constantinopolitanum I., et nonnisi sero introducta est. 6. Eo magis quod illa vel sit prorsus noxia, aut saltem supervacanea; *noxia* quidem, quia derogat auctoritati conciliorum; quorsum enim, uti animadvertit Febronius, dicerent patres anathema tali vel tali qui ita sentit aut credit? Luderent profecto synodi dum definiunt, si firmae definitiones earum non essent, nisi accedente Pontificis confirmatione; *supervacanea* vero si Pontificis legati synodo praesint. Ergo.

672. Resp. ad 1. *N.* Fieri enim nequit, ut documenta antiquitatis paradoxon inferant quod evangelicae institutioni ac naturae primatus rom. Pontificis adversatur. Quandonam enim Christus demandavit humanae politicae, ut judex in causis fidei, morum, aut disciplinae existeret? Principes siquidem ut filii reliqui parere synodalibus decretis debent, non autem ea confirmare. Si res ita se haberet, cur concilium Hierosolymitanum non expetivit decretorum suorum confirmationem a Cajo Caligula? Verum singula quae obtrudunt adversarii expendamus.

673. Ad 2. *D.* Concilia confirmata sunt ab imperatoribus, ut robur eis intrinsecum adderent, seu ut obligarent, *N.* Ut executioni ab omnibus mandarentur, seu ut illis adderent vim extrinsecam *C.* Tota extrinseca erat illa imperatorum confirmatio, quae auctoritati ecclesiae omnes et singulos ad parendum editis decretis in conscientia adstringenti, potestatem politicam adjiciebat, ut perversi et contumaces ad ea pariter admittenda cogerentur, compescerentur haeretici, atque ad bonam frugem sin minus auctoritate infallibili ecclesiae, timore saltem paenarum adigerentur (3).

674. Ad 3. *D.* Ad obtinendam confirmationem extrinsecam, *C.* ad intrinsecam firmitatem decretis conciliandam *N.* Neque aliud patres synodi Constantinopolitanae I. in allatis verbis significant, quam omnia ex ordine gesta fuisse, ut sic ab imperatore Theodosio leges obtinerent, quibus ad officium revocarentur damnati haeretici, aut saltem eorum furor compesceretur (4).

p. I. p. 687. ubi ejusmodi imperatoriam confirmationem ad ipsa fidei dogmata extendit apud Roskovány op. cit. § 73. p. 136.

(1) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. I. col. 807.

(2) Ibid. tom. III. col. 1474.

(3) Optime proinde Zalwein, *Princ. juris canon.* tom. I. p. 427. haec in rem nostram scribit: « Imperatores decreta conciliorum sua auctoritate munivere quatenus juncta vi pontificiae et imperatoriae dignitatis tantum roboris acciperent, quantum ad supprimendam haereticorum pertinaciam, humiliandam rebellium superbiam, ac stabiliendam pacem inter sacerdotium, ac imperium fuerit necessarium ». Cf. etiam Zaccaria, *Antifebbronio* tom. IV. p. II. lib. IV. cap. IV.

(4) Animadvertit vero Zaccaria loc. cit. Haec verba ita adduci a Febronio juxta versionem Gratiani Herveti, ceterum vim vocis ἐπικυρωθῆναι proprie significare *adjicere auctoritatem*, scilicet extrinsecam et politicam,

675. Ad 4. Responsio liquet ex dictis.

676. Ad 5. *N.* Quamvis enim daretur subdititias esse epistolas quae in actis concilii Nicoeni referuntur, quaeque hanc confirmationem exhibent; inferri tamen nequit ex monumentorum defectu, quae temporum injuria perierunt, aut confirmationem pontificiam a patribus minime expetitam fuisse, aut a Silvestro datam haud esse. Etenim praeter documenta, quae partem patefaciunt quam habuit Silvester in synodo Nicoena, Felix III. ita de ea scribit: « Quam vocem (*Tu es Petrus*) sequentes tercenti decem et octo ss. Patres apud Nicoeam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctae romanae ecclesiae detulerunt (1) ». Mirum porro est Schröchh (2) negare, censorem vero Tubingensem (3) in dubium revocare potuisse confirmationem concilii Constantinopolitani I. a Damaso factam, cum praeter epistolam synodi quam refert Theodoretus, et in actis conciliorum legitur (4), hujus confirmationis testis sit ipse Photius qui aperte scribit: « Damasum Pontificem reipsa professionem fidei illorum (patrum) confirmasse (5) ».

677. Ad 6. *N.* Pontificia enim conciliorum confirmatio neque noxia neque supervacanea est; non quidem *noxia*, cum nulla ratione deroget valori definitionis episcoporum, sed ei potius adjiciat firmitatem et robur quod antea non habebat, quale nempe exurgit ex unitate suffragii capitis et membrorum, ut definitio dici possit ecclesiae. Quapropter non ludunt quidem episcopi si cum rom. Pontifice pronuncient. At luderent profecto si dissentientem haberent Pontificem, prout lusere in synodis Ariminensi et Ephesina praedatoria. Sed neque *supervacanea* confirmatio Pontificis est, quamvis ejus legati interfuerint concilio, utpote necessaria tum ut omnibus omnino constet omnia rite gesta esse, nec legatos quae in mandatis acceperunt fuisse transgressos; tum etiam, quia summi Pontificis est, scribit Natalis Alex., declarare quae concilia vere oecumenica sint; ad ipsum spectat judicare an iis sint instructa conditionibus, quae conci-

uti exposuimus. Neque illud praetermitti hic debet, quod observat vel ipse Petrus de Marca in op. cit. *De concordia* lib. II. cap. IV. « Oportet regiae auctoritati limitem certum figere, ne inconsulto trahamus *ad eam adulationem*, *qua principibus suis totius disciplinae ecclesiae summam* graeci deferebant ».

(1) Tom. VII. conc. edit. Mansi col. 1140.

(2) *Christliche* Kirchengeschichte seu *Historia eccl. christianae* tom. VIII. p. 121.

(3) *Theologische Quartaleschrift* seu *scripta theologica trimestr.* Tübingen. 1824. p. 265. apud Roskovány op. cit. § 75. p. 142.

(4) Theodoret. *Hist. Eccl.* lib. V. cap. IX. cf. *Acta conc.* Hard. tom. I. col. 822.

(5) In op. *De septem synodis ad Michaël. imperat.* apud Gulielmum Voëllium *Bibliothecae juris canonici veteris*. Lutet. Paris. 1661. tom. II. pag. 1143. Photii verba haec sunt: « Οἷς οὐ πολὺς χρόνος καὶ Δάμασος ὁ τῆς Ῥώμης τὰ αὐτὰ κρατύνων ἐγνωρίζετο, σύμφωνος τοῖς προλαβοῦσι καθιστάμενος seu: Quibus haud multo post et Damasus Romae (episcopus) *eadem confirmans* atque idem sentiens accessit ». Cf. etiam de hoc argumento Muzzarelli op. cit. *De auctorit. rom. Pontificis* tom. II. cap. VI. § 3.

Hinc merito Gelasius concludebat. « Totumque (ut dictum est) in sedis apostolicae positum est potestate. Ita quod firmavit in synodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutavit, habere non potest firmitatem »: in tomo *De anathematis vinculo* in collect. conc. edit. Veneta Coleti tom. V. col. 356.

lii oecumenici rationem constituunt. Sane superfluam ejusmodi confirmationem synodi ipsae generales non judicarunt, cum omnes constanter illam expetierint, quamvis praesentibus legatis fuerint celebratae.

PROPOSITIO IV.

Decreta dogmatica concilii oecumenici confirmati a rom. Pontifice irreformabilia sunt ex se seu ante consensum et acceptationem ecclesiae

678. Enunciata propositio duo complectitur, tum scilicet infallibilitatem legitimi concilii oecumenici in decernendis fidei dogmatibus, tum ejusmodi infallibilitatem ex se habere concilium quod confirmatum a rom. Pontifice fuerit. Primum adversus protestantes, alterum adversus jansenianos et febronianos, diverso licet sensu, vindicamus.

679. Protestantes negant infallibilitatem conciliorum generalium, eo ipso quod eandem praerogativam denegent universae ecclesiae cujus auctoritati spiritum privatum substituunt.

680. Janseniani contendunt unicam rationem tollendi ambages circa legitimitatem conciliorum oecumenicorum esse *unanimem ecclesiae universae acceptationem et consensum*, ita ut ea concilia tamquam generalia habenda sint, quae sic per unanimem consensum acceptaverit ecclesia; ea vero habenda talia non sint, quae ecclesia per unanimem istum consensum non acceptaverit (1). Ecclesiae autem nomine non solos episcopos verum etiam et clericos inferiores, imo et laicos significant (2).

681. Haec omnia permiscens Palmer professor Oxoniensis contendit infallibilitatem concilii oecumenici legitime celebrati, et confirmati a solo rom. Pontifice rem esse *merae opinionis* in ecclesiis romanis (3); neque habere ejusmodi concilium auctoritatem *irrefragabilem* abs-

(1) Ita Opstraetus in Tract. *De Locis Theolog.* Vindobon. 1779. Diss. IV. q. IV. § I. n. 3. seqq.

(2) Auctoritatem hujus assertionis afferamus irrefragabilem, nempe celebris apud suos doctoris, Petri Tamburinii quondam professoris Ticinensis. Sic igitur ipse janseniauorum doctrinam exponit in sua *Analisi del libro delle prescrizioni di Tertulliano*. Pavia (sine anno) § LX. « La funzione di giudicare irrefragabilmente delle cose di fede, essendo legata al *consentimento universale di tutte le chiese*, alla cospirazione di tutti i pastori, necessariamente ne siegue, che *tutti* prestino i proprj lumi, che uno ajuti la debolezza dell' altro . . . *Le chiese* e i pastori concorrendo *in solidum* alla decisione dommatica, e tutti in essa riconoscendo la propria fede, vi si attaccano con intima persuasione, e con più forte impegno di sostenere una parte del patrimonio comune confidato alle chiese di G. C. Il *loro assenso alla decisione* supponendo esame, cognizione di causa, giudizio della dottrina, produce in essi non una cieca ubbidienza, ma una persuasione illuminata, ed un ragionevole assenso alla parola di Dio » et § L. « Non avendo G. C. legato il privilegio della inerranza a un certo numero determinato di quegli, che sono nel seno della chiesa, ma a tutto il corpo della chiesa, egli per conseguenza non ha promesso che nella divisione de' sentimenti sia sempre il più picciolo, o il più gran numero che abbia ragione ». Eadem inculcat § LXIII. et alibi passim. Haec autem doctrina pendet ex principio quod cum richerianis profitentur jansenistae de constitutione ecclesiae democratica. Quoad doctrinam Febbronii cf. Zaccaria in *Antifebbronio* tom. II. Diss. II. cap. XII. § 2. pag. cit. edit. 318.

(3) Op. cit. P. IV. cap. VII. sect. I. Valde hic improbandum illud *in ecclesiis romanis:* nam si ita disseruisset de coetibus protestantibus aut anglicanis hac bene locutione

que ecclesiae universalis consensu; haec vero universalis ecclesia juxta ipsius systema coalescit ex omnibus communionibus, quae saltem retinent ecclesiasticam hierarchiam, quales praecise sunt ecclesia graeca, russica, atque anglicana (1).

682. Nos e contra juxta catholicam doctrinam adversus protestantes adstruimus concilium oecumenicum convocatione, celebratione et confirmatione legitimum in suis sanctionibus dogmaticis, quae scilicet habeant pro objecto fidem et mores, esse prorsus infallibile. Adversus vero jansenianos, febronianos ac Palmerium statuimus tum veram rationem dignoscendi utrum concilium oecumenicum legitimum fuerit necne esse confirmationem rom. Pontificis, tum concilium oecumenicum legitimum totam vim suam ac invictum robur habere absque praevia acceptatione et consensu subsequenti ecclesiae universalis. Haec autem sic per partes evincimus.

683. Ac primo quidem cum protestantes ideo concilio oecumenico infallibilem auctoritatem abjudicent, quod eam denegent ecclesiae ipsi universali, hinc illa omnia, quae suo loco attulimus ad ejusmodi ecclesiae dotem vindicandam huc referuntur, cum aeque se res habeat; status enim ecclesiae sive dispersae sive congregatae nihil circa praerogativam a Christo ei concessam immutat.

684. Verum haec indirecte; directe vero sic thesim probamus: concilia oecumenica non sunt nisi ecclesia ipsa congregata, seu si placet sunt ecclesia repraesentativa; quod enim publica sunt et generalia comitia in statu politico, sunt plane concilia oecumenica in ecclesia; atqui ecclesia, ut suo loco ostendimus, infallibili pollet auctoritate; eadem igitur, juxta Christi promissa, frui concilia oecumenica dicenda sunt. Sane haec concilia, ad exemplum primi concilii quod Hierosolymis celebratum est quodque reliquis normam et exemplar praebuit, dum aliquid ad fidem moresque pertinens definiunt, dicere possunt: *Visum est Spiritui Sancto et nobis* (2).

usus esset, quia reipsa plures sunt, sunt enim acephali; at male nimis dum de romana agitur ecclesia, quae *una* prorsus est.

(1) Hac de causa ibidem cap. VII. non agnoscit nisi *sex* priora concilia uti oecumenica, reliqua autem ab oecumenicorum censu, praesertim vero Florentinum et Tridentinum, ex defectu consensionis celerarum communionum, rejicit. De concilio Tridentino speciatim affirmat Palmer loc. cit. cap. XII. varias doctrinas uti articulos fidei definivisse, quae anglicani probare non possunt; plura illius decreta esse *laudabilia*, alia vero admittere posse *interpretationem catholicam*. Ceterum illud absolute rejicit 1., quia ejus decreta, non fuere judicia ecclesiae catholicae; 2. quia non fuerunt judicia *romanae* obedientiae. Primum potissime evincere nititur, quia a schismaticis anglicanis, a schismaticis graecis et haereticis lutheranis et calvinistis rejecta fuerunt. Verum quidem est, adversarium inficiari coetus anglicanos, graecos, russicos, aut protestantes esse communiones schismaticas aut haereticas. Ast quam parum sibi in hoc ipso cohaereat, et quam falsum absurdumque sit ejusmodi systema in priori hujus tractatus sectione ostendimus. Alterum vero nititur ostendere ex eo quod, cum celebratum est concilium Tridentinum, invaluerint in *ecclesiis romanis* opiniones theologicae, quae omnes adstringebant ad acceptanda absque examine et discussione decreta Tridentina. Hoc deinde fuse exponit eandem semper repetens crambem de fallibilitate uniuscujusque partis etc. Atque huic tenui filo Palmer negotium aeternae salutis suae committit, ac sibi illudit!

(2) *Act.* XV. 28.

Cum porro Spiritus Sanctus errori obnoxius non sit, neque obnoxia erunt errori oecumenica concilia, quae sub Spiritus Sancti adsistentia ac praesidio de illis quidpiam decernunt.

685. Atque hinc factum est, ut quovis tempore dogmaticae conciliorum oecumenicorum sanctiones absque ulla controversia ceu totidem fidei articuli habitae fuerint, atque uti haeretici spectati illi omnes qui illorum definitionibus acquiescere detrectarunt. Sic post Nicoenum concilium ariani; post Constantinopolitanum macedoniani; post Ephesinum nestoriani; eutychiani post Chalcedonense, et ita porro. Jam vero nisi certum ratumque in tota antiquitate fuisset oecumenica concilia infallibili praedita esse auctoritate, injusta plane atque irrationabilis fuisset haec ecclesiae agendi ratio (1). Perperam omnes catholici ita firmiter adhaesissent dogmaticis hisce definitionibus, ut pro illis martyrium subire haud dubitarent, prouti innumeros prope quavis ecclesiae aetate exilia, carceres, bonorum direptionem, mortemque ipsam pertulisse universa historia ecclesiastica testatur (2); quos quidem veluti martyres ecclesia semper venerata est. Post haec supervacaneum fere videtur congerere patrum testimonia ad illorum ecclesiaeque sensum cognoscendum, cum exploratum sit eos concilii oecumenici sententiam aut vocare *ultimum ecclesiae judicium* quod ullo modo retractari non possit, uti Athanasius (3), Epiphanius (4), Leo M. (5), Gelasius (6), concilia Ephesinum (7) et Chalcedonense (8); aut *haereticos* appellare qui concilii dogmaticae definitioni non acquiescunt, ut iterum Athanasius (9), Gregorius Nazianz. (10), Leo

(1) Hic vero obiter adnoto singularem agendi rationem quam tenent protestantes, saltem quos *orthodoxos* vocant, qui in censum haereticorum referunt arianos, macedonianos, nestorianos etc. quia damnati sunt a primis illis oecumenicis conciliis; nec suspicantur se haereticos esse, quamvis ab oecumenico pariter concilio ejusdem ecclesiae damnati sint eorum errores. Exceptiones porro quibus assolent auctoritatem adimere concilio Tridentino, sunt eaedem prorsus quas antiquiores haeretici opponere potuissent adversus unumquodque concilium a quo et ipsi damnati fuere. Imo historiae ecclesiasticae periti reperient forsan speciosiores exceptiones eos opponere potuisse adversus antiquiora concilia illis quas haeretici subsequentes adversus Tridentinum opponunt. Quomodo igitur sibi cohaerent?

(2) Plurimorum istorum martyrum nomina recenset Martyrologium Romanum. Satis deinde est oculos conjicere in historiam ecclesiasticam Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii etc. ut pateat quam saevitum sit ab arianis, macedonianisque adversus catholicos; satis est percurrere fastos ecclesiasticos ut quisque intelligat quae quantaque ab omnibus factionibus, a donatistis, monothelitis, iconomachis, in persecutione Vandalica etc. atque ut verbo dicam ab omnibus haereticis et schismaticis catholici passi sint; atque utinam aetate hac nostra quae humanitate adeo gloriatur, tam multa ab ipsis adhuc non sustinerent!

(3) Epist. ad Epictetum. Opp. ed. Maur. tom. I. P. II. p. 901. seqq.

(4) *Haeres.* LXXVII. ubi praeterea retulit integram cit. epistolam s. Athanasii.

(5) Epist. edit. Baller. XC. ad imp. Marcianum cap. II. et alibi.

(6) Epist. ad episc. Dardaniae in collect. conc. ed. Venet. Coleti tom. V. col. 325.

(7) In epistola *Tractoria* apud Hard. *Acta conc.* tom. I. col. 1623. seqq.

(8) Actione V. ibid. tom. II. col. 447. seqq.

(9) Epist. ad Afros, edit. et loc. cit. col. 891. seqq.

(10) Epist. I. ad Cledonium seu orat. LI. Opp. edit. Paris. 1630. tom. I. pag. 738.

M. (1), Basilius (2), conc. Chalcedonense (3); aut affirmare *divina et a Spiritu S.* edita generalium conciliorum decreta, uti Athanasius (4), Constantinus imperator (5), Gregorius Nazianzenus (6), Leo M. (7), Gregorius M. qui protestatus est se quatuor priora concilia, sicut quatuor evangelia venerari (8); aut denique docere moriendum potius quam recedere a conciliorum oecumenicorum decretis, prout verbis et factis inter ceteros praestiterunt Athanasius, Hilarius, Eusebius qui propter Nicoenam fidem exilium passi sunt (9). Nihil proinde in tota antiquitate hac doctrina certius, nihilque exploratius. Et haec quidem quoad protestantes.

686. Sed ut ad jansenianos, febronianos, Palmeriumque accedamus, quam absurda sit ipsorum doctrina, constat 1. Ex sensu totius antiquitatis, quae illico uti haereticos habuit eos omnes qui post decretorum dogmaticorum promulgationem obtemperare illis detrectaverint, nullo expectato ecclesiae aut consensu aut acceptatione. 2. Ex agendi ratione ipsorum conciliorum oecumenicorum, quae anathema dixerunt contrarium asserentibus ab eo quod definitum ab ipsis fuisset, atque uti haereticos ab ecclesiae communione separarunt. 3. Ex tessera quam veteres dederunt de legitimitate alicujus concilii oecumenici; quod nempe fuerit a rom. Pontifice confirmatum, quin alia re opus fuerit. Sane Ferrandus diaconus ad certitudinem et plenam confirmationem decretorum concilii generalis sufficere scripsit, si « perducta in notitiam totius ecclesiae.... Apostolicae fidei *convenire firmentur*, Apostolicae Sedis roborata *consensu* (10)»; cum propterea sollicitus esset Marcianus imperator de obtinenda expressa s. Leonis confirmatione ut os obstrueretur eutychianis, ad eundem Pontificem scripsit, ut dignaretur quantocius per litteras idipsum efficere (11). Synodus VII. seu Nicoena II. ideo pseudo-synodo icono-

(1) Epist. ed. cit. CLXII. ad Leonem August. col. 1339. seqq.

(2) Epist. CXXV. ed. Maur. Opp. tom. III. pag. 214. seqq.

(3) Loc. cit.

(4) Epist. cit. ad Afros episc.

(5) In epist. *ad omnes eccles. de Nicoena synodo* apud Euseb. *De vita Constant.* lib. III. cap. XVII.

(6) Orat. XXI. in s. Athanas. ed. cit. tom. I. pag. 381.

(7) Ep. CVI. ed. cit. cap. II. col. 1161. seqq. et in ep. cit. ad Marcianum, et Leonem August.

(8) Epist. lib. I. XXV. ed. Maur. opp. tom. II. col. 515.

(9) Cf. Bellarm. *De conc.* lib. II. cap. III.

(10) Epist. VI. ad *Pelagium et Anatolium diaconos urbis Romae*. Cap. IX. apud Galland. *Biblioth. Patr.* tom. XI. pag. 363.

(11) Ex eo enim quod acceperant eutychiani s. Leonem improbasse can. XXVIII. conc. Chalcedonensis, eaque omnia quae gesta fuerant in absentia legatorum suorum, rumorem sparserant synodum illam minime fuisse a s. Sede probatam etiam in decretis fidei. Hinc imp. Marcianus scripsit ad eundem Pontificem his verbis: « Quod nonnullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam injecit, utrum tua Beatitudo, quae in sancta synodo decreta sunt, *confirmaverit*. Et ob eam rem tua pietas litteras mittere dignabitur, per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat in sancta synodo peracta rata haberi ». Inter epist. s. Leon. edit. Ballerin. CX. col. 1182. seqq. Hoc reipsa praestitit Pontifex scribens ad episcopos, qui in sancta synodo Chalcedonensi congregati fuerunt, et est edit. cit. n. CXIV. ubi cap. I. « Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quae in synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem,

machorum episcoporum CCCXXXVIII. auctoritatem omnem detraxit, propterea quod « Non habuit adjutorem illius temporis romanorum Papam, vel eos, qui circa ipsum sunt, sacerdotes, nec etiam per vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum *lex dictat* conciliorum (1) »; e contra vero episcopi amplissimi patriarchatus Alexandrini et Antiocheni quorum nemo in VII. synodo inventus est, merito ad Tarasium Constantinopolitanum antistitem scripserunt: « Nullum ex hoc sanctae adhaesit synodo praejudicium: neque vires habuit prohibitio aliqua statuendi, et manifesta faciendi recta dogmata pietatis: *praecipue cum sanctissimus et apostolicus Papa romanus concordaverit*, et in ea inventus sit per apocrisarios suos (2) ». Quapropter vel ipse Gersonius fassus est Sedem Apostolicam illam esse « a qua fidei certitudo petenda est (3) ». Constat 4. ex eo quod illa sola concilia vere oecumenica ac legitima habita fuerint quae Sedes Apostolica seu rom. Pontifex probaverit, illa vero uti spuria illegitima ac latrocinia spectata fuisse, quae rom. Pontifex rejecerit, uti ex conc. Ephesino II., Ariminensi ac Constantinopolitano iconomachorum palam fit (4).

687. Quae cum ita se habeant, consequitur unicam rationem certo cognoscendi utrum concilia oecumenica legitima fuerint necne, esse confirmationem rom. Pontificis cui in Petro et per Petrum datum est pascere et regere universum dominicum gregem, datum est petram esse et fundamentum ecclesiae visibilis, confirmandique fratres suos. Consequitur praeterea nullum ulteriorem ad eorumdem firmitatem exposci consensum aut acceptationem unanimem totius ecclesiae pastorum, qui et ipsi quin velint ab ecclesia exscindi, tenentur judicio dogmatico concilii oecumenici a rom. Pontifice confirmati acquiescere ac subjici; multo vero minus requiri inferiorum clericorum aut plebis christianae acceptationem unanimem et consensum: alioquin oves pascerent confirmarentque pastores eosque docerent minime vero ab illis docerentur; haec enim jansenistarum regula si valeret nullum jam concilium uti oecumenicum haberetur in ecclesia. Consequitur demum a fortiori haud requiri acceptationem et consensum coetuum acatholicorum, ut concilium oecumenicum censeri debeat, secus ac arbitratur Palmer. Quamvis enim ipse ecclesias graecam, russicam, et anglicanam minime inter acatholicas recenseat, imo catholicas plane eas communiones esse contendat, hoc tamen inauditum ejus commentum superius a nobis explosum est, cum nulla sit ecclesia catholica quae in unitate fidei et communionis non sit cum rom. Pontifice ecclesiae Christi capite, centro ac fundamento. Nestoriani porro juxta hoc principium excipere potuissent adversus concilium Ephesinum illud non fuisse

haec ad omnes fratres et coëpiscopos nostros qui praedicto concilio interfuerunt, scripta direxi . . . ut et fraterna universitas et omnium fidelium corda cognoscant me . . . per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum unisse sententiam ». col. 1195.

(1) Act. VI. apud Harduin. *Acta conc.* tom. IV. col. 327.

(2) Ibid. col. 142.

(3) In serm. *De Ascens. Domini* coram Alexandro Papa recitato. Opp. edit. Dupinii tom. II. P. I. col. 136.

(4) Scribens propterea s. Damasus de conc. Ariminensi hanc unicam rationem affert quare concilium illud rejectum fuerit: « Neque enim, inquit, praejudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: cum constet *neque rom. epi-*

oecumenicum eo quod in illud non consenserint ariani ac macedoniani; eutychiani potuissent excipere non fuisse oecumenicum concilium Chalcedonense ex eo quod ipsi adstipulati non fuerint nestoriani et ita deinceps. Palmerius tamen veluti oecumenica habet sex priora concilia, prout ipsa fingunt suscipere etiam protestantes. Si priora sex concilia uti oecumenica censentur quae confirmata sunt a rom. Pontificibus, et proinde ab omnibus catholicis suscepta, nulla prorsus est ratio quare ab illorum censu reliqua subsequentia debeant excludi. Ast frustra in his logicam quaeris ab acatholicis.

688. Stat igitur quod proposuimus, decreta dogmatica concilii oecumenici confirmati a rom. Pontifice irreformabilia ex se esse, seu ante consensum et acceptationem ecclesiae, quocumque demum sensu ecclesiae nomen accipiatur sive pro coetu pastorum, sive pro coetu etiam cleri inferioris et plebis, sive denique pro consensu illorum qui a romana communione divisi sunt, videlicet acatholicorum (1).

DIFFICULTATES

689. I. Obj. 1. Irretractabilia dogmatica conciliorum oecumenicorum decreta patres non habuerunt; s. praesertim Gregorius Nazianzenus, qui profitebatur se fugere episcoporum coetum, quippe quod nullius concilii felicem exitum viderit (2); et s. Augustinus, qui fatetur concilia *plenaria* priora a posterioribus emendari (3). 2. Disputans propterea s. Doctor adversus Maximinum arianum: « Nec ego Nicaenum, inquit, nec tu debes Ariminense tanquam praejudicaturus proferre concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum auctoritatibus . . . utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet (4) ». 3. Ratio vero est, quia si irretractabilia ac proinde infallibilia forent dogmatica conciliorum generalium decreta veluti Scripturae canonicae habenda essent, quod nemo sanus dixerit; 4. atque hinc factum est ut nullo hactenus canone conciliorum ejusmodi infallibilitas definita fuerit. Ergo.

690. Resp. ad 1. *N.* S. porro Gregorius Naz. in objecto loco non loquitur nisi de conciliis particularibus quae intra concilium generale I. seu Nicaenum, et concilium generale II. seu Constantinopolitanum I. celebrata sunt, agentibus potissimum arianis episcopis aut pneumatomachis, quorum certe nullum felicem exitum habuit, malumque potius auxerunt quam sustulerint (5). Quanti autem fecerit s. Gregorius tum concilium Nicaenum, tum Constantinopolitanum patet ex ejus dictis et factis; siquidem

scopum cujus ante omnia fuit expetenda sententia . . . hujusmodi statutis consensum aliquem commendasse ». Apud Constant. *Epist. rom. Pontif.* epist. III. col. 489. seqq. Cf. Zaccaria *Antifeb.* tom. IV. lib. IV. P. II. cap. IV.

(1) Notandum tamen hic est confirmationem essentialem rom. Pontificum, quae scilicet necessario requiritur ac sufficit ut synodus oecumenica censeatur, ac proinde omnimodam habeat auctoritatem consistere in declaratione consensus sive adhaesionis concilio. Hoc autem triplici ratione fieri potest a rom. Pontifice, sive per se, sive per legatos, sive demum per litteras confirmationis.

(2) Epist. LV. ad Procopium.

(3) Lib. II. *De Baptismo* cap. III.

(4) Lib. II. cap. XIV. n. 3.

(5) Talia sunt concilia per ea tempora celebrata, Seleuciense, Tyriense, Ariminense, Mediolanense, Syrmiense etc. Cf. Bellarm. lib. II. *De concil.* cap. VII.

praeterquamquod summis laudibus extulit concilium Nicaenum, fidem in eo promulgatam immensis laboribus Constantinopoli fere extinctam restituit (1); Constantinopolitano autem ipsemet interfuit in quo Macedonianorum error confixus est.

691. S. vero Augustinus loquitur de conciliis provincialibus aut nationalibus quae ut eruditis constat ab antiquis interdum *plenaria* aut etiam *universalia* vocari consueverunt; quod quidem ex eo colligitur quod s. Augustinus hic sibi proposuerit respondere donatistis, qui urgebant pro rebaptismo auctoritatem s. Cypriani ejusque concilii Africani; tum etiam ex eo quod aetate s. Augustini nonnisi duo celebrata fuerint concilia oecumenica Nicaenum scilicet et Constantinopolitanum, a quo non solum Nicoenum emendatum non est, sed fuit admissa et commendata fidei professio in illo edita.

692. Ad 2. *D.* Argumentando ad hominem, ut ajunt, ac praescindendo ab utriusque concilii auctoritate, *C.* absolute *N.* In verbis enim immediate praecedentibus auctoritatem concilii Nicaeni atque assertam ab eo veritatem catholicam commendaverat (2). Ad tricas proinde Maximini tollendas, qui opponebat conc. Nicaeno Ariminense, abstractione facta ab utriusque concilii auctoritate, aliis argumentis voluit adversarium suum perstringere.

693. Ad 3. *N.* Discrimen enim inter canonicas Scripturas et concilia multiplex est, hic satis sit commemorare divinam inspirationem qua auctores sacri afflati scripserunt, quam certe neque in ipsis conciliorum decretis nos admittimus (3).

694. Ad 4. Esto nullum canonem editum esse ad adstruendam conciliorum generalium infallibilem auctoritatem, utpote inutilem, sensus tamen ecclesiae hac in re manifestus est, uti ex dictis patet, ex ipsa ejus agendi ratione; cum inter haereticos deputaverit eos omnes qui solemnibus dogmaticis ejusmodi conciliorum definitionibus obsistere ausi fuerint.

695. II. Obj. 1. Cum tam multa sint, quae ad concilium generale ac legitimum requiruntur, nec facile constare possit, an ea simul omnia in concilio, dum convocatum ac celebratum est, adfuerint; an sufficiens in concilio fuerit numerus episcoporum; an omnes orbis episcopos repraesentarint; an tales fuerint dignitate et eminentia, quales oportet esse in concilio generali, ut caeteri, qui absunt, censeantur illis suas vices commisisse; an in concilio omnia legitime peracta; an satis mature discussa et examinata; an satis libere, an metus ullus sive a potestate seculari, sive *ab ecclesiastica* incussus, aliaque ejusmodi, patet nonnisi per unanimem ecclesiae universae acceptationem et consensum certo nobis constare posse quaenam fuerint concilia legitima, quaenam

(1) Cf. Socratem *Hist. Ecc.* lib. v. cap. vi. et vii.

(2) Sic enim loc. cit. scribit: « Hoc est illud *Homousion* quod in conc. Nicaeno adversus haereticos arianos a catholicis Patribus veritatis auctoritate, et auctoritatis veritate firmatum est ».

(3) Immo observant accurate TT. post Canum sola objecta definitionum dogmaticarum esse irretractabilia, atque in iis solis infallibilia esse concilia oecumenica, non autem in motivis quibus moventur, aut innituntur ad edendam definitionem, multo vero minus infallibilia oecumenica concilia censentur in iis quae ad personas referuntur, ad res physicas etc. quae necessariam connexionem non habeant cum dogmate.

vero non item (1). 2. Hac ratione adversus arianos probat Athanasius tanquam generale ac legitimum habendum esse concilium Nicaenum ita ad africanos episcopos scribens: « Huic certo concilio universus orbis assensum praebuit: et quamquam multae habitae sint synodi . . . hanc agnoverunt (ecclesiae) et admiratae sunt, et subscriptione approbarunt (2) ». Ergo.

696. Resp. ad 1. facile de his omnibus constare posse ex unius rom. Pontificis confirmatione juxta regulam quam majores nostri semper sequuti sunt. « Qua ignorantia, ajebat Ratherius Veronensis, quo melius exui, quo aptius possum quam Romae doceri? Quid enim de ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod Romae ignoretur? Illic summi illi totius orbis doctores: illic praestantiores enituerunt universalis ecclesiae principes. Illic decretalia Pontificum, universorum congregatio, examinatio canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremo *nusquam ratum, quod illic irritum, nusquam irritum quod illic ratum fuerit visum* (3) »; et Ferrandus diaconus: « Quae finiuntur, inquit, indicantibus episcopis sanctis, et ad b. Petri memoriam perducta, diligentius examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione; sub qualibet pietatis occasione teneri non debent (4) ». Haec certe jansenianis non arrident. Attamen velint nolint, ita est; illud igitur tamquam legitimum et oecumenicum concilium habendum est, quod susceperit, probaverit, atque ut tale universae ecclesiae proposuerit rom. Pontifex. Haec regia via est, quaecumque alia fingatur incerta erit, ac innumeris incommodis scatens prorsusque inepta (5).

697. Ad 2. *D.* Docet s. Athanasius ecclesias universas ideo Nicaenae synodo subscripsisse, *quia* oecumenicam eam fuisse ac legitimam noverunt, *C.* Nicaenam synodum fuisse oecumenicam, *quia* eidem ecclesiae universae subscripserunt *N.* Aliud enim est synodo alicui ecclesias universas adhaerere, eo quod certum habeant non posse in fide errare oecumenicas legitimas synodos, aliud vero ab ecclesiarum adhaesione pendere, ut synodus aliqua pro oecumenica ac legitima habeatur. Prius affirmat s. Athanasius, posterius asserunt janseniani. A forma quippe sua synodi habent, ut oecumenicae ac legitimae sint.

698. III. Obj. 1. Auctoritas rom. Pontificis eadem non est ac ecclesiae universalis; Bossuetus siquidem ineluctabili prorsus ratione ostendit rom. Pontificem errori atque haeresi obnoxium esse, ejus proinde confirmatio fundamentum infallibile fidei non praebet; 2. Christus omnibus apostolis in communi pariter contulit publicum et auctoritativum controversiarum judicium, non potest igitur

(1) Ita Opstraetus loc. cit. qui pluribus has nugas prosequitur.

(2) Epist. ad Afros etc. loc. cit. col. 891.

(3) *Itiner.* num. 2. Opp. edit. Ballerin. Veronae 1765.

(4) Loc. cit.

(5) Possent enim janseniani opponere non satis constare de episcoporum omnium positivo et expresso consensu, uti saepe reipsa ab illis factum est, cum ageretur de consensu ad Constitutiones Pontificias quae adversus Jansenium et Quesnellum datae sunt. Deinde cum in multitudine numquam desint refractarii, si aliqui episcopi essent alicui erroneae doctrinae addicti, cujusmodi certe essent episcopi ultrajectini, possent semper pallio se tegere. Ad longum praeterea tempus res protrahi deberet, et interea serpere impune posset error et plures inficere, ut alia incommoda silentio praeteream.

minori episcoporum numero competere ita ut sine aliorum assensu censeri possit *finale* ac *irrefragabile*; 3. solo ecclesiae consensu factum est, ut plura conciliorum provincialium decreta tanquam finalia et irrefragabilia spectata fuerint, ex. gr. conciliorum Arausicani, Gangrensis, Antiocheni, Milevitani quae celebrata sunt adversus haereticos, ergo pari prorsus ratione ex consensu et acceptatione ecclesiae universae irrefragabilia dici debent decreta oecumenicorum conciliorum, non vero ex confirmatione summi Pontificis. 4. Eo magis quod infallibilitas synodorum generalium essentialis minime sit finiendis controversiis, plures siquidem haereses a synodis provincialibus aut etiam ab episcopis individualibus damnatae sunt; proscripta insuper est a facultate Sorbonica propositio de omnimoda concilii oecumenici necessitate ad haereses damnandas; si igitur potest ecclesia alia ratione quam per concilium oecumenicum controversias dirimere, patet infallibilitatem concilii haud esse essentialem, adeoque illius infallibilitatis defectui posse per ecclesiae consensum suppleri. 5. Accedit, infallibilitatem concilii oecumenici confirmati a rom. Pontifice esse *meram opinionem* in ipsis romanis ecclesiis, ex quo consequitur non posse reperiri probationes certas quod illius infallibilitas innitatur Scripturae et traditioni, aut quod Christus ejusmodi concilii infallibilitatem ecclesiae suae reliquerit. Opinio praeterea numquam poterit basim praebere fidei certae; romanenses proinde nequeunt habere certitudinem veritatis doctrinarum, quae fuerint definitae a synodo cujus infallibilitas simplex opinionis materia est (1). Ergo.

699. Resp. ad 1. *D*. Id est non eadem certitudine constat de auctoritate infallibili rom. Pontificis seorsum spectati, qua constat de auctoritate ecclesiae universalis, cum haec sit veritas fidei illa vero non item, *C*. alio sensu *N*. Qua vero ratione Bossuetus ostenderit rom. Pontificem errori atque haeresi obnoxium esse paulo post expendemus. Negamus praeterea illationem, quod si rom. Pontifex confirmaverit concilium oecumenicum exinde non exurgat infallibilis auctoritas concilii generalis; in hoc enim casu habetur conjunctio capitis cum membris suis, seu ecclesia docens quae omnium catholicorum consensu infallibilis est (2).

700. Ad 2. *D*. Christus omnibus in communi publicum contulit et auctoritativum controversiarum judicium una cum Petro et sub Petro, *C*. seorsum a Petro *N*. Porro juxta patrum regulam *ubi Petrus ibi ecclesia*, sive major sive minor sit episcoporum numerus qui Petro assentiuntur seu sunt cum Petro, in ea parte in qua est Petrus seu rom. Pontifex ibi ecclesia est; reliqui autem episcopi quicumque demum sint, semper erunt acephali, nec unquam ecclesiam constituent, si praesertim Petro repugnent. Sane videmus concilia oecumenica in quibus exiguus etiam fuit episcoporum numerus, ut in Constantinopolitano I. et II. (3) ex assensu et confir-

(1) Hactenus Palmer op. cit. cap. VII. sect. I. et 2.

(2) Mira certo est hujus viri dexteritas in permiscendis controversiis liberis cum doctrina catholica ab omnibus admissa, ut deinde tenebras offundat. Haec est perpetua fere Palmerii ars, ut ejus opus sedulo perpendenti patebit.

(3) Etenim in conc. Constantinopolitano I., uti notum est, non interfuerunt nisi 150. episcopi; in II. autem seu generali V. sederunt 166. Cf. Harduin. *Acta conc.* tom. III. col. 207.

matione rom. Pontificis statim vim obligandi habuisse nullo expectato ecclesiae consensu et acceptatione (1), ac proinde tulisse *finale* et *irrefragabile* decretum.

701. Ad 3. *D.* Et praecipue assensu rom. Pontificis, *C.* absque hujus assensu, imo eo refragante *N.* Nullum ex tota antiquitate exemplum afferri potest, quo probetur vel absque assensu rom. Pontificis, multo vero minus ipso repugnante sententiam alicujus sive concilii sive individualis episcopi uti finalem et irrefragabilem spectatam fuisse. Contra autem plura suppetunt exempla in historia ecclesiastica conciliorum etiam provincialium, nationalium ac plenariorum, quae nullam prorsus vim habuerunt eo quod fuerint ipsorum decreta a rom. Pontificibus reprobata (2).

702. Ad 4. Admittimus totum argumentum adversarii, cum et nos contendamus adversus jansenistas et febronianos minime esse absolutae necessitatis concilia oecumenica ad haereses damnandas, licet et nos demus illa esse valde utilia. Ast negamus quod perperam exinde adversarius inferre adnititur, nempe fallibilem esse concilii oecumenici auctoritatem. Nam ex eo quod ecclesia dispersa infallibilis sit, haud sequitur fallibile esse concilium. Sane plane nescio utrum accuratus dialecticus probaret ejusmodi argumentandi rationem; si quidem id unum ex ea consequitur, si aliunde probetur, et infallibilem esse ecclesiam dispersam, prouti demonstravimus, et infallibilem esse ecclesiam in synodo oecumenica congregatam. Neque enim altera alteri adversatur.

703. Ad 5. In sensu, seu ex mente adversarii, *C.* in doctrina catholica *N.* Omnes enim catholici, nemine excepto, docent infallibilitatem concilii oecumenici in dogmaticis definitionibus certam esse, et ad fidem pertinere quam constanter ecclesia universa professa est et dictis et factis, uti ostendimus. Si qua est inter catholicos doctores controversia, volvitur tantum circa principium hujus infallibilitatis, utrum nempe ideo infallibile sit concilium ob rom. Pontificis assensum et confirmationem, an vero infallibilis sit auctoritas rom. Pontificis ex superveniente assensu episcoporum sive concilii. Ceterum in re omnes consentiunt esse per se infallibile concilium oecumenicum quod fuerit confirmatum a rom. Pontifice (3).

(1) Saltem cum ecclesiis certo constiterit de expressa ac libera confirmatione concilii, quo sensu, ut alias animadvertimus, excusari potuerunt ecclesiae illae occidentales dum ad tempus noluerunt recipere concilium V. quia rumor ad ipsas detulerat rom. Pontificem Vigilium illi restitisse.

(2) Ut constat de conc. Carthaginiensi celebrato a s. Cypriano in causa rebaptismi; ac de innumeris pene aliis conciliis sec. IV. et V. in Oriente et Occidente celebratis, quorum omnium acta irrita fuerunt, quia illis obstiterant rom. Pontifices.

(3) Quandoquidem adversarius saepe abutitur auctoritate Bossueti ad quem provocat, non abs re erit hic subjicere nonnulla testimonia illustrissimi hujus praesulis ac de re catholica optime meriti. Ipse itaque in *Append. ad defens. declaration. cleri gallic.* haec in rem nostram scribit: « Tum illud certum est *apud catholicos omnes*, nostrique assidue inculcant, non *tantum concilium*, sed catholicam ecclesiam absolute infallibilem esse, etiam absque concilio ». Opp. ed. cit. tom. XXXIII. pag. 563. atque in op. in quo expendit *Cogitationes privatas* ab. Molani Par. II. cap. IV. ar. 3. « Protestantes, scribit, catholicis vitio solent vertere, quod cum ecclesiae infallibilitatem agnoscunt, de hujus infallibilitatis subjecto nihil certi habeant, cum pars in Papa etiam solo, pars in conciliis oecumenicis, pars in ecclesia toto orbe diffusa infallibilitatem collocent. Horum ergo gratia nobis foedum incerti animi vitium atque aper-

704. Argumenta porro quibus adversarius nisus est ostendere infallibilitatem concilii oecumenici intra *merae opinionis* fines contineri inter catholicos, meri sunt paralogismi tanto homine indigni, aut innituntur auctoritate jansenianorum quos a societate nostra repellimus. Sane 1. paralogismus est quem in priori sectione excussimus, scilicet non esse nisi *opinionem* quod concilium coalescens ex rom. Pontifice, et episcopis sit infallibile, quia mera opinio est quod rom. Pontifex seorsum sumptus, aut seorsum sumpti episcopi sint infallibiles. 2. Paralogismus est, non posse ostendi infallibilitatem totius, nisi ostendatur infallibilitas alterutrius partis. 3. Paralogismus est argumentum quod deducit ex principio Bossueti: « Id tantum in ecclesia habendum est pro impossibili, quo facto nullum superesset veritati praesidium »; ex quo principio ipse subsumit: atque si generale concilium confirmatum a Pontifice obnoxium foret errori, auctoritas ecclesiae dispersae satis esset ad veritatem communiendam; ergo impossibile non est ejusmodi concilium errare posse. Verum quis non videat adversarium heic abuti principio Bossueti, qui juxta doctrinam catholicam supponit non posse concilium oecumenicum legitimum in fide errare, quin universa erret ecclesia, quae tenetur edita fidei decreta suscipere ac venerari uti infallibilia, seu irretractabilia? Haec enim, uti ostendimus, vim habent ex se obligandi omnem ecclesiam, ita ut nullo modo possit suspendi assensus donec accedat acceptatio totius ecclesiae. Addo impossibile esse ecclesiam posse adversari concilio legitimo oecumenico, quod repraesentat ecclesiam ipsam, alioquin sibi ipsi adversaretur quod est absurdum et contra pollicitationes Christi. Quod demum spectat ad illos theologos *romanos* quos adversarius ex auctoritate Bouvierii commemorat nec sine aliqua infidelitate (1), illos non moramur, cum iidem non sint

tam repugnantiam objiciunt. Neque animadvertere volunt, eas sententias, quas repugnantes putant, communi omnibus dogmate ac veritate niti. Qui enim Papam vel solum putant esse infallibilem, quanto magis cum synodum consentientem habeat; si vero synodum, quanto magis ecclesiam, quam ipsa synodus repraesentat? Aperta ergo calumnia sit, quod nos catholici de infallibilitatis subjecto nihil certi habeamus, cum *pro indubitato apud nos habeatur et ecclesiam et concilium eam repraesentans infallibilitate gaudere* » cit. ed. tom. XXV. pag. 455. et alibi passim. Quod si hic et alibi Bossuetus videtur exposcere consensum ecclesiae ut concilium legitimum habeatur, non loquitur de consensu qui robur intrinsecum addat concilio a Pontifice confirmato, sed de consensu quo extrinsece cognoscatur uti legitimum illud concilium. En iterum ejus verba ex *Corollario Defensionis* § VIII. ed. cit. pag. 375. « *Certum est apud catholicos* concilia generalia infallibilia esse; at cum dubitari possit, conciliumne aliquod generale sit, id ex ecclesiae consensione repetatur »; prout pariter docet Bouvier quem nobis pariter opponit Palmer, de quo mox dicam.

(1) Dixi non sine aliqua infidelitate auctoritatem cl. Bouvierii afferri ab adversario; nam ipse sic refert perinde ac si ille dixisset aliquos theologos opinari ecclesiae approbationem *totam* auctoritatem concilio generali tribuere; ast illud *totam* de suo adjecit Palmer. Cf. edit. Paris. 1834. tom. I. p. 353. Ceterum Bouvier non agit nisi de auctoritate extrinseca ut patet tum ex solutione tertiae objectionis, dicens: « Igitur ecclesiae acceptatio auctoritatem concilio non tribuit »; tum in loc. cit. ab adversario ubi post recitata verba immediate subdit: « At grave incommodum inde non sequitur: nam *ubi constabit concilium aliquod ut generale ab ecclesia* fuisse receptum, certum erit ipsius decreta esse de fide ». His tamen theologis nos minime assentimur.

romani sed vel janseniani, vel de jansenianismo suspecti, quos nuper confutavimus. Ideo janseniani hoc effugium excogitarunt, ut si concilium, ad quod appellarunt, celebraretur, possent ejus eludere auctoritatem, prouti eludere adnisi sunt constitutiones pontificias a quibus toties damnati sunt atque protriti (1).

PROPOSITIO V.

Commentitia est, ac naturae primatus Pontificii prorsus adversatur nuper invecta, inter jura primatus essentialia et accidentalia sive accessoria, distinctio.

705. Et haec propositio veluti consectarium est quod ex nostra priori propositione de natura Pontificii primatus necessario descendit. Adstruitur autem adversus illos, qui, Febronio praeeunte (2), jura primatus rom. Pontificis in duas potissimum classes dispescunt, quorum alia *essentialia* vocant, utpote necessario nexu cum primatu ipso colli-

(1) Atque haec hactenus adversus Palmer, frustra catholicorum doctrinam pervertere conantem ut desperatae causae suae undecumque praesidium quaerat. Cum vero de recentiori schola theologica Oxoniensi identidem fuerit a nobis actum, quae illi dum haec vulgamus, tristia sane fata impendant, juverit referre. Inter scripta illa quae inde jampridem prodeunt, titulo *Tracts for the Times*, extabat sub num. 90. tractatus quidam continens « Observanda super XXXIX. articulis » ubi articuli isti, anglicanae fidei propugnaculum, ita explanabantur ut ad meliorem quemdam sensum, magisque a protestantismi placitis abhorrentem pertraherentur, atque hoc tantum modo illis subscribi posse contendebatur. At enim universitatis Oxoniensis rectores, quotquot sunt, solemni habita convocatione, editoque ab ejus Vice-Cancellario decreto, scriptum hoc nuperrime damnarunt, utpote quod (ut ajunt expresse) non explanatio sed evasio illorum articulorum esset, erroribus scateret, et anglicanae ecclesiae indoli adversaretur. Tum illico prodiit epistola prof. Newmani die 16. martii 1841. data, qua se auctorem scripti illius palam profitetur, et quidquid ibi a se statutum non modo verum esse atque honestum, sed necessarium omnino proclamat. Magna inde in tota universitate partium studia et animorum contentio ». Vide *Galignani's Messenger Paris. 24. martii* 1841. *n.* 8122. Rem porro eo usque progressam esse accepimus, ut Oxoniensis episcopus sive auctoritate sua sive suasionibus, effecerit ut tractatus illi Oxonienses finem protinus habeant, ac perpetuo conticescant. Quo ergo professorum istorum conatus evaserunt? Eo nempe ut miseranda anglicanae ecclesiae conditio magis magisque in omnium conspectu pateret. En qui ecclesiam istam veluti catholicam et apostolicam mordicus tuebantur, qui eam ad pristinum originis suae statum revocare, liturgiae usum restituere, traditionem atque auctoritatem extollere, ac protestantismi principia damnare prae se ferebant, nunc iidem ipsi veluti homines ecclesiae suae infensi, perniciosi, erroresque propinantes tum verbis tum facto ab iis qui auctoritatem inibi exercent, declarantur! Videant igitur scriptores isti cuinam causae ingenium atque industriam suam manciparint! Videant qui status ecclesiae hujus existat in qua nihil fixum ac stabile, nihil cohaerens, sed de ipso articulorum quibus illa innititur sensu adeo acriter dimicatur inter eos ipsos, qui doctrinam anglicanam pro officio exponere ac profiteri debent. Quid porro erit de caeteris omnibus? quid de populo universim? quam fidei suae regulam nanciscetur? quid porro anglicana a caeteris protestantium sectis distabit? Utinam haec omnia scriptores isti probe perpenderent, luceque reperta, in tenebris coecutire non mallent.

(2) *De statu ecclesiae et legitima potestate rom. Pontificis* tom. I. cap. II. § 7. n. 9. Ubi ipse hunc veluti canonem statuit: « Habet universalis primatus sua jura

gata, atque a rom. Pontificibus sex aut septem prioribus ecclesiae seculis exercita (1); alia vero nuncupant *accidentalia* sive *accessoria* eo quod ab illo nexu minime dependeant, ac illorum exercitium nonnisi medio aevo penes rom. Pontifices coeperit: quos aut ope Isidorianae mercis, aut aperta usurpatione, fretos universali illa ignorantia quae tunc temporis dominabatur, atque proinde jurium omnium confusione ea sibi arrogasse contendunt (2). Nimirum pontificiae auctoritatis vaferrimi hostes nihil intentatum reliquum faciunt, quo ad pertenuem umbram speciemve primatum pontificium dejiciant, ita ut nonnisi nomen aut quandam praeeminentiae et honoris praerogativam inter pares rom. Pontifici relinquant, re autem omnem veram jurisdictionem eripiant. Videntur hi scilicet sibi triumphum agere dum, conspiratione cum protestantibus inita, pervenire possunt ad auctoritatem extenuandam rom. Pontificis, aut fere in nihilum redigendam, ac ignominiam patris gloriam suam fore arbitrantur.

706. Commentitiam porro esse ac naturae primatus pontificii penitus adversantem febronianam illam distinctionem inter jura essentialia et accidentalia sic ostendimus. Distinctio illa commentitia dicenda est, et naturae primatus pontificii contraria, quae arbitraria omnino existit, falsoque innititur principio; quae naturam ipsam destruit primatus divinitus Petro ejusque successoribus collati; quae denique incognita plane toti fuit antiquitati. Atqui.

707. Sane arbitrariam censendam esse ejusmodi distinctionem ex multiplici capite abunde liquet. Ac 1. quia nulla apparet ratio quare adversarii desumant illam distinctionem ex sex vel septem prioribus seculis non autem ex tribus insequentibus, aut eam non coarctent ad tria priora secula prouti facere con-

partim ex jure divino, partim *ex humano;* immo plura *ex hoc quam ex illo:* habet ordo episcoporum *fere omnia sua ex jure divino* ». Verum quae primatui jura tribuit ex jure divino ad nihilum fere redigit, quae autem ei obtigisse affirmat ex jure humano, ac propterea *adscititiis* adnumerat pleraque sunt, atque ipsam jurisdictionem; sic enim loquitur in eodem op. tom. II. pag. 313. « Canones et concilia pontificibus jurisdictionem *vere talem* atque alia contulerunt, quae proprio et nativo jure, non habent ». Cf. Zaccaria in *Antifebronio vindicato* p. III. diss. VI. cap. I. et diss. VII. cap. I. Quaeque etiam ex jure humano tribuit jura rom. Pontifici Febronius maxima ex parte derivata affirmat ex pseudo-Isidorianis mercibus.

(1) Cf. Roskovány op. cit. *De primatu rom. Pont.* § 44. seqq. Hic vero auctor apprime catholicus et eruditus eo majori laude dignus est quod contra plenum alveum impavide se in Hungaria opposuerit grassanti doctrinae.

(2) Cf. Hortig *Handbuch der Kirchengesch.* seu *Manuale Historiae Eccles.* t. I. edit. II. Landshut 1827. p. 382. seqq. qui evolvit quomodo ex ejusmodi distinctione nonnulli progressi sint usque ad plenam episcoporum a rom. Pontificibus independentiam proclamandam, et ad omnem denegandam primatus praeeminentiam in ecclesia; alii vero eo devenerunt, ut consilium dederint episcopis Germaniae de excutiendo rom. Pontificis jugo, atque de statuenda quadam stabili synodo permanente, quae universam repraesentet ecclesiam sub Caesaris auspiciis ac suprema inspectione; admissis, si ita visum fuerit, etiam aliarum gentium episcopis, quin et romano Antistite, uti *simplici praelato*, nec ipsis protestantibus exclusis; inter hos eminet auctor libelli: *Beiträge zur Aufklärung* etc. seu *Documenta, ad illustrat. seculi nostri* etc. Francofurti 1787.

sueverunt protestantes istorum antesignani et magistri, qui ad tria quatuorve priora secula revocant puram et auream ecclesiae aetatem; 2. Quia nulla certa ratio suppetit quare essentialia jura dicantur arctum ac necessarium nexum cum pontificio habere primatu, accidentalia vero non item, ita ut si bonum ecclesiae exposcat, necessarium dici nequeat accidentalium, quae vocant, jurium exercitium; 3. quia adversarii se solos judices constituunt ad decernendum quae jura debeant essentialibus, quae autem accidentalibus adnumerari, cum certo ex historia constet plura ex iis juribus quae accidentalia vocant, utpote contenta in Isidoriana collectione, fuisse in usum adscita a rom. Pontificibus longe antequam ejusmodi collectio evulgaretur (1). 4. Quia destituitur omni fundamento historico.

708. Sed falsum praeterea est principium cui praedictae distinctionis adinventores innituntur. Principium enim in quod superstructa illa distinctio incumbit, est, quod *antiquum* ecclesiae jus sit prorsus immutabile, ita ut *novum* jus censeri debeat corruptela et usurpatio ex Isidorianis decretalibus et barbarie profecta. Porro ejusmodi principium falsum est; siquidem, ceteris omissis, cum jus ecclesiasticum ex quo patriarchalis et metropolitica auctoritas prodiit, sit mutationi obnoxium, ita pro temporum ac locorum varietate, ecclesiae bono id exposcente, potest variari, ut novum jus a legitima auctoritate constituatur. Quapropter etsi daretur, quod tamen falsum est, ab Isidorianis mercibus novam fuisse disciplinam invectam, cum haec tamen longo seculorum usu ab ecclesia recepta sit, et ab oecumenicis conciliis confirmata, in primis vero a Tridentino, nemo dixerit novam hanc disciplinam esse corruptelam atque usurpationem (2). Ea quippe auctoritate qua aliquid sancitum est, eadem potest, justis intercedentibus causis, quod statutum fuerat, immutari eique derogari.

709. Verum, quod secundo loco pro-

(1) Cf. Ballerinios opp. s. Leonis M. tom. III. *De ant. collection. et collect. can.* p. III. cap. VI. in quo doctissimi viri ex professo agunt *De collectione Isidoriana* praesertim § II. ubi accurate secernunt documenta sincera quae inserta sunt huic collectioni a spuriis et ab interpolatis; tum § III. in qua ostendunt nulla ratione fuisse immutatam disciplinam ecclesiasticam ex supposititiis documentis. Sed praestiterit eruditorum virorum heic verba subjicere quae lucem afferunt iis quae diximus: « Non pauci, scribunt, de pseudo Isidoro severius conqueruntur, perinde ac si ejus imposturis disciplina vetus abolita, et nova fuerit introducta . . . perturbata *episcoporum et provincialium conciliorum jura*, sublatas judiciorum leges, aliaque rei ecclesiasticae damna illata fuisse. Haec autem novae et immutatae disciplinae reprehensio quam minus aequa sit, quisque facile intelliget, si duo animadvertat, nimirum *pleraque* pseudo epistolarum Isidori excerpta esse ex sententiis ss. Patrum, ex sinceris constitutionibus rom. Pontificum post Siricium, ex canonibus conciliorum, ac ex romanis legibus: quae sane novi juris, novaeque disciplinae non sunt: cetera vero eam disciplinam plerumque exhibere, quae vel jamdiu inoleverat, vel jam ante aliquanto induci coeperat. Impostura autem in eo sita est, quod Pseudoisidorus eas sententias iis auctoribus imposuerit, quorum non sunt, et posterioris aevi disciplinam antiquioribus Pontificibus affixerit, quasi prioribus ecclesiae saeculis aeque viguisset ». Cf. l. c. pag. CCXXI. Ibidem vero ostendunt propositum hujus collectoris haud fuisse Sedis apostolicae jura amplificare. Cf. etiam Zaccaria in *Antifebronio vindicato* p. IV. diss. IX. cap. IV.

(2) Cf. Ballerin. in op. *Vindiciae auctoritatis pontificiae contra opus Justin. Febronii* cap. V. § III.

posuimus, praedicta distinctio adversatur insuper naturae primatus divinitus Petro ejusque successoribus collati. Etenim, uti ostendimus, primatus pontificii natura in eo posita est, ut sit auctoritas episcopalis super universam ecclesiam; quaecumque propterea, annuente rom. Pontifice, circa regimen ecclesiae et disciplinam antiquitus vel servata vel constituta sunt, quia ita ferebant illius aetatis adjuncta, hisce immutatis, atque ita suadente ecclesiae bono, potuerunt a rom. Pontificibus vi proprii primatus immutari. Id inficiari perinde esset ac plane primatum ipsum divinitus institutum evertere. Primatus enim cum non sit solum honoris et cujusdam praeeminentiae, sed verae jurisdictionis, auctoritas nempe cum plena potestate ea statuendi quae ad ecclesiae bonum et aedificationem conferre possunt, patet ex ejusdem primatus natura ac vi, jura omnia quae ei adnexa sunt, pro diversis temporibus diversa posse ratione exerceri. Ex hac autem diversa ratione, qua pro opportunitate diversis temporibus Pontifices jura illa exercuerunt, nullo modo inferri licet invecta illa distinctio, ita ut alia dici debeant jura essentialia, alia vero accidentalia aut accessoria, cum omnia prorsus ex eadem divini primatus natura dimanent. Haec proinde distinctio naturae primatus Petro ejusque successoribus divinitus collati omnino adversatur (1).

710. Quod demum eadem distinctio incognita fuerit toti antiquitati, abunde deprehenditur tum ex eo quod ante Febronium, qui eam primus invexit, aut si placet, ante Marcum Ant. de Dominis, Launojum et Richerium quos Febronius aut secutus est, aut exscripsit, nuspiam illius vestigia occurrant; tum etiam ex eo quod videamus patres, quamvis generalis antiqua disciplina viguerit, nuspiam limitibus pontificiam jurisdictionem circumscripsisse, aut reclamasse quod Pontifices, ita poscente ecclesiae utilitate, praeter vigentem disciplinam quidpiam aut egerint aut sanxerint; tum etiam ex eo quod noverimus Pontifices interdum longe ampliorem auctoritatem exercuisse, quam eis pseudo-Isidorianae decretales tribuerint (2).

(1) Ex his plane colligitur haud ferendam esse ejusmodi distinctionem quae jam passim ab aetate Febronii in scholis germanicis percrebuit, adeo ut vix reperire sit aliquem juris canonici tractatorem qui eam non adoptaverit, imo auxerit, atque ulterius etiam progressus sit; uti ex dicendis patebit. Nonnulli tamen ex iis qui incaute ejusmodi distinctionem adsciverunt, non malo animo aut prava intentione ducti id praestitere, imo aperte impugnant Febronium primum ejus inventorem, sed morem gesserunt usui jam in Germania invalescenti. Adversariis s. Sedis satis est, ut ea semel admittatur, a se deinde cetera sumunt.

(2) Cf. Card. Gerdil: *Esame dei motivi della opposizione fatta da M. vescovo di Noli alla publicaz. della bolla Auctorem Fidei*. Opp. ed. rom. tom. XIV. p. II. art. XIII. et XIV. ubi pluribus adductis certissimis documentis evidenter ostendit eminent. auctor longe forsan ampliorem potestatem septem prioribus seculis exercuisse rom. Pontifices in universam ecclesiam, quam sec. insequentibus. Neque id abnuit vel ipse Bossuetus, qui *Defens. declarat. in Corollario* quod illi subtexuit, § 10. haec fidenter scribere haud dubitavit: « Haec habens et exercens apostolica Sedes, *tanta antiquitus auctoritate viguit*, ut postea, fidens dixerim, *imminuta magis* quam *aucta* esse videatur »; cumque ad hoc evincendum plura exempla ex s. Leone M. et Gelasio attulisset concludit: « Quis autem Pontifex posteriore aetate, qua nonnullis potestate aucti videntur, tanta auctoritate tanta gessit? » Id ipsum conficit ex Agapeto, s. Gregorio M. Cf. edit. cit. tom. XXXIII. pag. 400. seqq. Qua sola animadversione corruit tota Febronii ac febronianorum

711. Quae cum ita se habeant, merito concludimus non solum commentitiam esse invectam distinctionem, naturae pontificii primatus divinitus instituti adversantem, incognitamque toti antiquitati, prout demonstrandum assumpsimus, sed praeterea injuriosam esse tot sanctissimis Pontificibus, qui tot retro seculis pacifice jura quae vocant accidentalia exercuerunt; injuriosam universae ecclesiae, quasi nempe ea passa fuerit sese auctoritate inalienabili spoliari; ac insuper inducentem eam esse inferimus in schismata ac perduellionem (1), dum novam disciplinam traducunt adversarii veluti imparem in praesenti rerum ordine excogitatis illis incommodis medendis, quae ex ea ipsi repetunt, quorumque obtentu pontificiae potestatis osores distinctionem illam in medium protulerunt. Nova siquidem perturbaretur disciplina, vetus autem minime revocaretur (2).

DIFFICULTATES

712. I. Obj. 1. Christus non uni rom. Pontifici sed etiam episcopis ecclesiam ordinario jure regendam et gubernandam commisit, imminui proinde non potest ordinariorum potestas quin perturbetur ordo a Christo ipso institutus. 2. Sane ecclesia primitiva fidelissima Christi voluntatis interpres et canonum custos, usu et observatione aperte ostendit quaenam jura essentialia pontificii primatus censeri debeant, *jus* scilicet *supremae inspectionis, jus supremi provisorii regiminis, jus concilia convocandi, iisque praesidendi, jus vindicandi canonum observantiam* etc. reliqua vero jura, e. g. *confirmandi episcopos, canonizandi sanctos, appellationes recipiendi, dispensandi, festa instituendi, casus reservandi* etc. quae primis seculis a rom. Pontificibus minime exercebantur, sed serius primo a metropolitanis, deinde a synodis provincialibus ad eosdem devoluta sunt, velut accidentalia sunt putanda vel ex eo etiam capite quod ad naturam primatus haud pertineant, ab eoque abesse omnino possint (3). 3. Alioquin potestas primatialis nullis circumscripta li-

machina de distinctione jurium *In accidentalia, accessoria, humana, mutabilia*, et *essentialia, divina, immutabilia*, etc.

(1) Cujus assertionis documentum luculentissimum suppeditat congressus Emsensis an. 1786. celebratus; qui totus innixus doctrinae febronianae sategit subducere Germaniam ab auctoritate rom. Pontificis; hinc innumeras turbas excitavit, pluraque schismatica et erronea sancivit. Cf. opus inscriptum: *Colpo d' occhio sul Congresso di Ems trad. dal francese arricchito di note e di un append. di monumenti*. Aletopoli 1788. quod opus Fr. Xaver. Feller auctorem habet. Cf. praesertim doctam dissertationem prooemialem in qua idem auctor clarissimo in lumine ponit schismatica illius congressus molimina. Paulo ante jam commemoravimus erroneas et schismaticas doctrinas in quas nonnulli distinctionis hujus assertores prolapsi sunt.

(2) Neque hic omittendum est ex plurium episcoporum ac metropolitarum negligentia superioribus temporibus factum esse ut rom. Pontifices interponere debuerint auctoritatem suam, cujus non pauca exempla vel ipse protestans Hurter profert in historia Innocentii III. Neque praetereundi sunt nonnullorum episcoporum abusus in exercitio suae auctoritatis qui occasionem praebuerunt rom. Pontificibus plura sibi reservandi. Neque denique praetermittendum est talia quandoque ex rerum politicarum statu adjuncta vigere quibus impossibile sit concilia provincialia cogere. Adversarii qui saepe adeo adversus abusus pontificiae auctoritatis declamant, haec omnia dissimulant, si nonnullos magis moderatos excipias.

(3) Non tamen omnes conveniunt in recensione ejusmodi jurium essentialium et accidentalium. Satis sit percurrere opus Mauri de Scheckl ord. Ben. *Institutiones juris ec-*

mitibus agere posset prout libuerit, ac episcopis, quos Spiritus S. ad regendam ecclesiam posuit, sola obsequendi relicta provincia, unus ecclesiae Primas pro indefinita auctoritate sua, ea quoque acturus esset, quae e secundariis tantum muneribus et considerationibus profluunt, et in ecclesiarum peculiarium detrimentum redundant. 4. Eo vel magis quod absonum plane videatur, non aliter fere conceptum potestatis primatialis, nisi e complexu omnium omnino jurium, uti dicuntur, accidentalium, efformare. Ergo.

715. Resp. ad 1. *D.* Christus etiam episcopis commisit ecclesiam jure ordinario regendam sive mediate sive immediate *C.* immediate vel Tr. vel subd. Cum dependentia seu subjectione quoad exercitium a rom. Pontifice, *C.* absque subjectione ac dependentia *N.* Quamvis omnes conveniant quoad potestatem ordinis, eam habere episcopos immediate a Deo, non omnes tamen pari ratione catholici theologi id ipsum tenent quoad potestatem jurisdictionis, quam non pauci iique insignes ex ipsis contendunt episcopos immediate a summo Pontifice derivare (1). Verum, et hoc omisso, nemo est, qui dubitet potestatem jurisdictionis qua episcopi divinitus instructi sunt, summo ecclesiae Primati ita ex eadem divina dispositione subjici, ut ille possit pro ecclesiae bono ejus exercitium moderari, imminuere, aut etiam omnino tollere (2). Tantum igitur abest, ut perturbetur or-

clesiastici communis ed. x. adaucta a Jos. Scheill, Landishuti in Bavaria 1830. par. I. *Jus ecclesiasticum publicum* sect. I. cap. I. § 225. seqq. ubi constituta distinctione inter jura essentialia et accessoria, traditisque regulis ad ea secernenda, primo recenset jura essentialia generalia IV. deinde ex illis deducit specialia IX. inter quae n. V. *ponit jus decreta dogmatica* PROVISORIA *edendi*. Descendens postea ad jura secundaria et accessoria quae *serius* nempe ad primatum devenere ac decem expresse enumerat, quae illic recoli possunt. Verum alii, ut ibidem videre est in adnotationibus, e. g. Rechberger, Frey, Sauter, Walter etc. alias divisiones ac subdivisiones inducunt, et ad diversas classes referunt, quas nimis longum esset singillatim recensere. Cf. etiam Roskovány op. cit. § 49. seqq.

(1) Hanc sententiam tenuerunt s. Thomas, s. Bonaventura, Durandus, Herveus, s. Antoninus, Aegydius Columna, Thomas Argentin., Joannes a Celaja, Mauclerus, Coëffeteau, Jo. Puteanus, Charlas etc. praeter Bellarminum, Suarezium, Vargas, Fagnanum, quorum loca cf. apud Zaccaria in *Antifebronio* tom. II. diss. II. cap. VI. et apud Benedictum XIV. *De synodo dioec.* lib. I. cap. IV. n. 2. ubi scribit: « Licet autem eorum opinio, qui etiam hanc potestatem (jurisdictionis) immediate a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis; nihilominus tamen et rationi et auctoritati conformior videtur sententia opposita ». Sententiam de immediata episcoporum jurisdictione a Cristo omnium primus invexit Franc. Victoria Ord. Praed. et adstipulatores habuit plures hispanos, atque inter ceteros Alphonsum de Castro, et Vasquezium: cf. Zaccaria l. c. Quamvis quaestio haec summa contentione inter patres Tridentinos agitata fuerit, ut constat ex card. Pallavicini *Hist. conc. Trid.* lib. XVIII. cap. XIV. et lib. XXI. cap. XI. et XIII., nihil tamen definitum est.

(2) Cf. Bened. XIV. op. cit. lib. VII. cap. VIII. n. 7. qui haec in rem nostram habet: « Episcoporum jurisdictio sive sit immediate a Christo, sive a summo Pontifice, ita semper huic subest, ut *consentientibus omnibus catholicis*, ejus auctoritate et imperio limitari, atque ex legitima causa omnino auferri possit ». Cf. etiam Muzzarelli diss. IV. cit. inter opuscula varia p. 358. seqq.

do a Christo institutus per primatialem Pontificis auctoritatem, ut potius maxime conservetur.

714. Ad 2. *D.* Ita tamen ut primitiva ecclesia non sit exclusive unica norma distinctionis jurium de quibus agitur, *C.* secus *N.* Fatentur adversarii ipsi praxim et usum alicujus juris quoad aliquod definitum tempus non posse normam invehere juris alicujus sive adserendi, sive negandi. Fieri enim potest, ut nulla sese obtulerit per id temporis occasio aut necessitas illius exercendi, quin propterea debeat aut possit jus ipsum, quod alicui inhaeret, avelli. Profecto ecclesia tribus prioribus seculis, persecutione saeviente, nequivit illa exercere jura, quae postea, concessa pace, tanta cum majestate exercuit sive in conciliorum oecumenicorum celebratione, sive in sanciendis legibus, sive in pluribus aliis; idem dic de rom. Pontifice. Perperam porro quispiam inde inferret, jura quae ecclesia simul sumpta cum suo capite, aut rom. Pontifex seorsum exercuerunt IV. seculo fuisse accidentalia et accessoria; sic perperam infertur accidentalibus juribus primatus pontificii ea esse accensenda, quae post sex aut septem secula Pontifices exercuerunt. Accedit, adjuncta posteriorum seculorum ac rei ecclesiasticae et politicae statum vix non necessariam effecisse novam disciplinam, quae sensim ac sine sensu antiquae suffecta est antequam Isidorianae decretales confingerentur (1). Ex his liquet quid sentiendum sit de duplici jurium classe quam febroniani excogitarunt, ut silentio praetereamus quae animadvertenda essent circa illa *supremae inspectionis* et *supremi provisorii regiminis* jura quae ipsi commenti sunt, necnon de *devolutione* quam vocant jurium accidentalium a metropolitanis et synodis provincialibus, quae supponit quod adhuc in controversia est; ut praetermittamus insuper absurdum, quod ex istorum neotericorum theorica profluit, ecclesiam scilicet posterioris aetatis non esse aeque fidelem interpretem voluntatis Christi, ac fuerit ecclesia primitiva.

715. Ad 3. *D.* Si Christus ita constituisset dignitatem primatialem, *C.* si ita non constituit *N.* Inutile prorsus est congerere, aut sibi confingere incommoda, quae ex suprema auctoritate ita constituta provenirent, si plane constet de Christi ecclesiae architecti et conditoris voluntate. Jam vero nullo alio limite voluit Christus primatialem circumscribi dignitatem praeter illum quem praefigeret ejus abusus in destructionem ecclesiae. Nihil enim Pontifex potest efficere quod vergeret in ecclesiae destructionem, ac si quid ejusmodi moliretur, nulli censerentur ejus actus. At in aedificationem omnia potest. Hoc tantum et nullo alio limite circumseptam voluit Christus Vicarii sui auctoritatem. Adversariorum porro est evincere disciplinam tot seculorum usu, atque oecumenicorum conciliorum auctoritate firmatam vergere in detrimentum ecclesiarum particularium. Experientia autem ostendit haud exigua inde bona in ecclesiae aedificationem dimanasse (2).

716. Ad 4. Resp. nihil plane absoni exinde oriri, nisi quod ab anticipatis adversariorum judiciis apprehenditur.

717. II. Obj. 1. Certum est metropolitas et synodos provinciales pacifica possessione ad plura secula obtinuisse atque exercuisse jura, quae deinceps ad

(1) Cf. Ballerinios in op. et loc. cit. De collectione Isidoriana; Bianchi *Dell' esterior polizia della chiesa* tom. IV. lib. II. cap. III. § V. p. 450. seqq. Zaccaria op. et loc. cit. diss. III. cap. III. et IV.

(2) Cf. Roskovány op. cit. § 56.

se privative traxerunt rom. Pontifices. 2. Haec autem usurpatio legitima fieri non potest, sive nonnullorum metropolitarum culpa et ignavia, sive frequentibus ad Pontificem recursibus aut devolutionibus causarum, sive synodorum provincialium intermissione, sive denique temporis lapsu, cum nulla detur adversus legitimam possessionem praescriptio (1). 3. Incommoda porro quae ex hac rom. Pontificum dominandi lubidine oriuntur aetate jam sua deflens s. Bernardus, querebatur « De ecclesiarum detruncatione, qua subducuntur abbates episcopis, hi metropolitanis, hi patriarchis seu primatibus (2) ». 4. Sane ex quo regulares suis episcopis subducti sunt, relaxari monastica disciplina coepit, atque ex appellationibus ad rom. Pontificem clericorum facinoribus omnibus aditus aperiri. 5. Demum nisi ad pristinae disciplinae normam revocetur pontificiae auctoritatis exercitium, quaenam regula ei praefigi poterit, ne sibi cuncta surripiat? Ergo.

718. Resp. ad 1. *D.* Ex concessione rom. Pontificum revocabili, *C.* ex concessione irrevocabili *N.* Verum est episcopos, metropolitas ac provinciales synodos ad plura secula juribus usos esse quae temporis tractu ad se summi Pontifices revocarunt; sed et illud certum est, episcopos, metropolitas ac synodos iis juribus auctas esse ex concessione sive expressa sive tacita rom. Pontificis cui ex Christi institutione competit plenitudo potestatis in universam ecclesiam: dum propterea Pontifices pro temporum, locorum ac personarum adjunctis aliquid de propriis ac insitis primatiali dignitati suae juribus cesserunt ad ecclesiae bonum et utilitatem, censendi non sunt ita propriam cedere auctoritatem voluisse, ut si ecclesiae beneverteret, illam ad se ex integro revocare non possent; quod neque in ipsorum erat potestate. Quare dum etiam vigeret pacifica illa jurium possessio, identidem Pontifices ex potestatis plenitudine per se eadem jura exercuerunt, quoties nempe ecclesiae bonum postulavit. Hinc eodem ecclesiae bono exigente factum est, ut temporis lapsu eadem ad se jura revocarent.

719. Ad 2. Neg. suppositum adversariorum, qui odiosa *usurpationis* denominatione legitimam adscititiae auctoritatis revocationem designant. Diximus *adscititiae auctoritatis,* quia jura illa quibus episcopi, metropolitae, aut synodi antiquitus fruebantur non ex intima gradus episcopalis, metropolitici, aut synodalis natura profluebant, sed unice

(1) Scheill cum in adjectionibus ad § 240. *Instit.* Schenklii merito rejecisset jurium accidentalium natales, ut ipse loquitur, a nonnullis excogitatos, nempe *Pontificum ambitionem*, *Isidori falsas decretales*, *secula rudia, regularium* Papae imperium promoventium *conatus*, alios ipse natales his juribus adscribit saltem tamquam *praecipuas causas*, videlicet *episcoporum* et metropolitarum in conservandis suis juribus *incuriam*, et maxime *negligentiam in officio*, facilitatem et *indulgentiam* nimiam, aut contra imperiosiorem dominationem; *impotentiam* eorum ad abusus reprimendos; perpetuum *recursum* et causarum ad Papam remissionem; *infrequentiam synodorum provincialium; simoniam*, *incontinentiam*, aliorumque vitiorum impune grassantium labem, et inde ortam necessitatem, ut summa Sedes auctoritatem suam interponeret, hasque demum causas sibi servaret; *jus patriarchale* rom. Pontificis per Occidentem; ac *jus devolutionis* ob omissas synodos provinciales. Fatendum tamen est hunc auctorem prae ceteris moderatum se exhibere, et addictum s. Sedi.

(2) *De consider.* lib. III. cap. IV. num. 14.

ex ecclesiastica, seu potius ex Pontificis concessione, qui fons et origo est totius immediatae ecclesiasticae jurisdictionis, aut saltem supremus ejus exercitii moderator existit (1). Concidit proinde superstructa Febronii ac febronianorum machina de nullitate praescriptionis adversus legitimam jurium possessionem: quae quidem ad summum valeret quoad jura propria seu intime connexa cum gradu quem praelati respective obtinent, exque eo profluentia, non autem si eidem extrinseca sint et adventitia, ut in eo quod vindicamus contingit (2).

720. Ad 3. *D.* Et s. Bernardi querelae abusus in administratione afficiunt, *C.* Pontificium jus et potestatem *N.* Dolet scilicet s. Doctor nonnullos abusus, qui irrepserant ex parte subditorum se extollentium adversus praelatos suos occasione aut obtentu quarumdam exemptionum, ut vocant; hortatur proinde Pontificem, ne sine necessitate aut utilitate illas facile concedat, ne tollat graduum distinctionem sapienter in ecclesia constitutam, atque ea plenitudine potestatis qua divinitus praeditus est, in aedificationem et non in destructionem utatur. At jura Pontificis non solum non attingit, sed semel iterumque et pluries hoc ipso in loco inculcat et adstruit (3). Aliud porro est loqui de jure, aliud vero de ratione utiliter jus exercendi, sine detrimento videlicet auctoritatis, quae unicuique juxta vigentem disciplinam competit. Nullam autem graduum perturbationem ex pontificia administratione induci, ex longa tot seculorum experientia abunde liquet (4).

721. Ad 4. *D.* Qui tamen abusus aeque ac forte pejus inoleverunt, quin regulares subducerentur, et quin appellaretur ad Papam, quique compensantur ex aliis emolumentis inde manantibus, *C.* secus *N.* Satis est oculos conjicere in antiquiora historiae ecclesiasticae monumenta, ut facile quisque sibi persuadeat monasticae disciplinae vincula fuisse disrupta, et abusus obtinuisse, etiam cum monachis suis immediate subderentur ordinariis, et episcopos ultro fassos se impares omnino esse ad eos tollendos, aut ad disciplinam in suo vigore restituendam (5). Quod vero ad

(1) Cf. Ballerin. *De vi et ratione primatus* cap. III. tum in op. *De potestate ecclesiastica* cap. I. § I. Item: Bianchi op. cit. tom. IV. lib. II. cap. I., Christ. Lupum in *s. Gregorii VII. dictatum* opp. ed. Venet. tom. V.

(2) Cf. Ballerin. op. cit. *De potest. eccl.* l. c.

(3) En s. Bernardi verba, quae immediate subdit eodem in loco: « Sic factitando *probatis vos habere plenitudinem potestatis*, sed justitiae forte non ita. Facitis hoc *quia potestis*: sed utrum et debeatis, quaestio est »; et n. 15. « Quid item, pergit, tam indignum tibi, quam *ut totum tenens*, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam, atque exiguas portiones ipsius tibi creditae universitatis, tamquam non sint tuae, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas? » Ex quibus luculenter patet s. Abbatem jurium distinctionem in Pontifice haud agnovisse. Alia plura ejusdem s. Doctoris in hanc rem testimonia cf. apud Ballerin. in *Vindiciis auctoritatis pontificiae cont. Febronium*. Cap. IV. n. 2. seqq. Verum clarissime mentem suam aperit s. Bernardus in eodem cap. IV. n. 18.

(4) Cf. Ballerinium ibid. cap. VI. ubi quod asserimus luculentissime ostendit; necnon Muzzarelli, *Il buon uso della logica*, opusc. V.

(5) Cf. inter caetera quae de monachis non exemptis sui temporis scripsit Ratherius in sex libris *Praeloquiorum* in cit. ed. col. 9. seqq. et in *Confessione, seu Excerpto ex dialogo confessionali*. Ibid. col. 249. seqq. ut silentio praeteream quae ex historia ecclesiastica IV. V. etc. seculorum erui possent.

clericorum attinet appellationes, cum juxta Tridentinum, sententiae executionem illae non suspendant quoties de moribus agitur (1), patet ex eis nullum facinoribus aditum aperiri. Accedit praeterea episcopos in pluribus casibus tamquam delegatos apostolicos extraordinaria potestate praeditos esse ex ejusdem concilii Tridentini dispositione (2); item metropolitas in suos suffraganeos, necnon patriarchas seu primates in metropolitas et episcopos jura sua exercere. Partim igitur falsa, partim exaggerata sunt quae ad invidiam conflandam in Sedem apostolicam adversarii comminiscuntur, perinde ac si subditi omnes ab immediata superiorum suorum jurisdictione arcerentur.

722. Ad 5. Resp. iterum nullam aliam regulam pontificiae auctoritati praefigi posse praeter eam quam ei praefixit Christus Dominus, ecclesiae videlicet bonum. Quare si ecclesiae bonum id exposcat, modo angustiori modo ampliori auctoritate uti poterit rom. Pontifex, qui solus praeterea judex esse potest eorum quae pro temporum, locorum ac personarum adjunctis in casibus sive generalibus sive particularibus praestanda sint ad ejusdem ecclesiae aedificationem. Quaelibet alia regula arbitraria erit atque ex perduellionis spiritu proficiscens.

CAPUT IV.

De Romani Pontificis primatus dotibus

723. Cum ex iis quae hactenus disputavimus constet rom. Pontificem ratione primatus quem divinitus obtinet caput esse universae ecclesiae, consequitur dotes omnes ac praerogativas quas ecclesiae vindicavimus, eminentiori quodam modo reperiri debere in rom. Pontifice, prouti in humano etiam individuo caput eminentiori ratione in se continet quidquid in membris excellentiae invenitur. Vidimus porro duas praecipue dotes in ecclesia eminere, *infallibilitatem* in docendo, et *auctoritatem* in regendo: quapropter et has in rom. Pontifice agnoscamus necesse est (3). Cum vero de posteriori hac dote satis constet

(1) Sess. XIII. cap. I. de Reform. tum sess. XXII. cap. I. de Reform.

(2) Vel ipse Bossuetus in sermone habito ad comitia cleri Gallicani, Parisiis 1681. distinguens potestatem a Christo Petro collatam ab illa quam contulit Apostolis, aperte profitetur potestatem Petro traditam fuisse: « *Super omnes sine restrictione* nec alios terminos habere nisi quos praescribit REGULA ». *Elle n' a de bornes que celles, que donne la* RÈGLE. Haec autem regula cui suberat idem Petrus, qui *super omnes sine restrictione* praefectus fuerat, nulla lex humana esse poterat, sed naturalis ac divina, nempe bonum ecclesiae. Hinc Gelasius epist. XIII. ad Dardaniae episcopos edit. Ven. Coleti col. 326. scribebat: « Uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis ecclesiae probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem prae ceteris oportere quam primam, quae et unamquamque synodum *sua auctoritate confirmat*, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet ». Ex quibus postremis verbis sensus apparet priorum verborum: *Quod universalis ecclesiae probavit assensus*, quibus nonnulli male abutuntur.

(3) Quod enim spectat ad *indefectibilitatem*, quae altera est ex tribus quas enumeravimus ecclesiae dotibus, locum hic non habet, nisi forsan seriem ipsam rom. Pontificum excipias; ast sub hoc respectu, cum identificetur cum ecclesia ipsa cujus pars essentialis et constitutiva est, ideo jam in tuto est posita.

ex iis quae superiori capite potissime disceptavimus (1), ne longius tractationem hanc protrahamus, coarctamus eam ad priorem tantummodo dotem rom. Pontifici vindicandam, nempe ad irreformabilem pontificii primatus auctoritatem adstruendam in fidei morumque judiciis.

724. Haec porro dos seu praerogativa plures nacta est adversarios praesertim post editam declarationem cleri Gallicani an. 1682. cujus quartus articulus ita se habet: « In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium, nisi ecclesiae consensus accesserit (2) ». Ideo autem irreformabile ante ecclesiae consensum censetur non esse ab hujus articuli auctoribus judicium summi Pontificis in dogmaticis decretis, quia ipsi minime infallibilem esse existimant in suo magisterio ejusdem auctoritatem. Communis autem catholicorum sententia est, rom. Pontificem ejusmodi infallibilitatis praerogativa a Christo Domino praeditum esse, ita ut errare nequeat cum tamquam supremus ecclesiae Primas aliquid de fide credendum aut tenendum universis christifidelibus proponit.

725. Quoniam vero ex bene definito quaestionis statu ejus solutio maxime pendet, idcirco nonnulla praemittenda sunt, quae viam sternant ad illum recte constituendum.

726. Ac 1. dogmaticae definitionis nomine, seu, ut trito jam loquendi usu obtinuit, definitionis editae *ex cathedra* significatur rom. Pontificis decretum quo proponit aliquid universae ecclesiae de fide tenendum, aut respuendum veluti fidei contrarium sub censurae aut anathematis poena (3).

727. 2. Controversia agitari solet utrum ejusmodi decreta vim habeant omnes et singulos cogendi ad praestandum interiorem intellectus ac voluntatis assensum ante expressam aut tacitam ecclesiae acceptationem, tamquam judicia irreformabilia, nec ne. Qui tenent

(1) Agentes de natura et juribus primatus, ex quo consequitur pollere rom. Pontificem potestate suprema ferendi leges disciplinares, aliaque praestandi quae ad bonum ecclesiae conferunt unitatemque ejus servandam. Ceterum cf. quae hac de re habet Zaccaria in *Antifebbronio* tom. II. dissert. II. cap. VIII. et tom. III. lib. II. cap. I. seqq. nec non cl. Jo. Ignatius Moreno archidiaconus ecclesiae metropol. Limanae in Peruvia in egregio op. cui tit. *Ensayo sobre la supremacía del Papa*. Trib. vol. in 8. quod primum in America deinde Matriti recusum est an. 1838. -1840. praesertim vol. I. ubi de hac legislativa rom. Pontificis auctoritate fuse agit; atque in aliis voluminibus plura ex iis quae capite superiori egimus adversus neotericos, solide et catholico vere sensu adstruit copioseque defendit.

(2) Apud Bossuetum: *Defensio declarat. conventus cleri Gallic.* Opp. edit. cit. vol. XXXI.

(3) Quapropter neque facta personalia, neque praecepta, neque rescripta, neque opiniones quas identidem promunt rom. Pontifices, neque decreta disciplinae, neque omissiones definitionis, aliaque id genus plurima in censu veniunt decretorum de quibus agimus. Quamquam enim haec omnia pro summa auctoritate ex qua dimanant, magno semper in pretio habenda sint ac humili mentis obsequio ac veneratione sint excipienda, nihilo tamen minus non constituunt definitionem ex cathedra de qua loquimur, et in qua sola adstruimus Pontificiam infallibilitatem. Cf. quae scite non minus quam prudenter hac de re observat post Canum et Bellarminum Petrus Ballerinius *De vi ac ratione primatus* cap. XV. § X.

rom. Pontificem ex cathedra definientem infallibilem esse, affirmant; qui fallibilem adstruunt, negant.

728. 3. Qui rom. Pontifici infallibilitatem adjudicant in dogmaticis definitionibus ex cathedra editis ante ecclesiae acceptationem aut probationem, minime dispescunt summum Pontificem ab ecclesia ipsa, ita ut seorsum spectent solum caput, seorsum vero membra seu corpus; hoc enim perinde esset ac capitis ab eo dignitatem auferre. Nam eatenus rom. Pontifex caput ecclesiae est, quatenus *unum* cum ea corpus constituit, ex capite scilicet ac membris coalescens. Cum proinde ex officio rom. Pontifex aliquam edit dogmaticam definitionem, eaque universae ecclesiae credendum aliquid aut rejiciendum veluti fidei contrarium proponit, necessario tanquam unitatis centrum ministerio fungitur sibi a Christo commisso.

729. 4. Quando rom. Pontifex suas fidei definitiones emittit, propria non edit, sed ea quae in revelationis deposito per Scripturam et traditionem ad nos derivata, asservantur, profert. Quod si in revelationis deposito veritas fidei quae a rom. Pontifice decernitur, continetur, fieri omnino nequit, ut fidem diversam ecclesiae reliquae profiteantur ab illa quam definit rom. Pontifex, quaeque necessario etiam continetur in traditione ecclesiae romanae, quae, quatenus rom. Pontificem episcopum habet, pars *essentialis* totius ecclesiae est.

730. 5. Imo et illud adjicimus, quaestionem hanc *in concreto* ut ajunt, et in praxi vix supervacaneam non videri. Etenim cum aliquis error aut haeresis alicubi exurgit, illius regionis praesules in qua haeresis suboritur, primi ut plurimum sunt qui arma sumant adversus profanam novitatem; ipsi commonefaciunt Pontificem de novo errore, ejusque judicium atque definitionem exposcunt. Rom. Pontifex mature quod sibi propositum est perpendit, diuturnamque instituit inquisitionem, ut ea qua par est prudentia ac maturitate in difficillimis gravissimisque negotiis se gerat. Rumores excitantur, scripta hinc inde prodeunt, concilia interdum provincialia aut nationalia etiam ad rem discutiendam coguntur, plures quandoque anni in his dilabuntur antequam sancta Sedes definitionem suam emittat, uti experientia constat (1). Quando proinde summus Pontifex ultimum suum judicium profert, integrum negotium plane maturuit. Quamobrem fieri nequit, ut ecclesia vel insurgat adversus Pontificis dogmaticum judicium, aut illud reformare possit; ac numquam certe accidit rom. Pontificem in definitionibus dogmaticis solum extitisse. Quod si episcopi dividantur ab invicem, aliique cum Pontifice, contra Pontificem autem alii stent, nulli catho-

(1) Hujus agendi rationis luculentum suppetit exemplum in controversia janseniana, quae diu agitata atque discussa in Galliis fuerat. Romam, ubi novum est institutum examen, janseniani suos delegatos miserant, singula magna sollertia ac diu fuere perpensa, in quadraginta aut quinquaginta congregationibus sive coram Pontifice sive coram cardinalibus ad hoc delectis qui octo postremis mensibus illius biennii quo examen istud confectum est, usque ad triginta tres interveniebant, donec Innocentius X. an. 1653. die 31. Maii celebrem constitutionem edidit quae incipit: *Ex occasione*. Cf. *Histoire des cinq Propositions de Jansénius*. Liége 1699. tom. 1. liv. 1. Aliud recentius adhuc exemplum habemus in Constitutione Pii VI. *Auctorem fidei*, quae toto decennio a celebrata pseudo-synodo Pistoriensi, nempe an. 1794. exarata est.

lico ignota regula est : « Ubi Petrus ibi ecclesia (1) », adeoque eos necessario errare qui contra Pontificem se erigunt, cum ecclesiam non amplius ipsi, sed factionem acephalam constituant (2).

731. Ex hisce animadversionibus vix, uti innuimus, non absoluta haec controversia videri potest : ne tamen muneri nostro in re gravissima deesse videamur, fundamenta praecipua a nobis exponi debent quibus doctrina nostra fulcitur. Cum vero haec partim ex Scriptura, partim ex traditione et ecclesiae praxi, partim vero denique ex facto ipso desumantur, tres erunt propositiones quibus hoc argumentum absolvemus.

PROPOSITIO I.

Rom. Pontifex ex cathedra definiens in rebus fidei et morum infallibilis est, ejusque dogmatica decreta, etiam antequam accedat ecclesiae consensus sunt prorsus irreformabilia; prout inprimis sacrae Litterae ostendunt

752. Tria potissimum oracula ejusmodi Petri, seu rom. Pontificis infallibilitatis praerogativam in publico magisterio dogmatico adstruunt, ita ut irreformabilia evadant ejus decreta etiam ante ecclesiae consensum.

753. Primum illud est quod legitur Luc. XXII. 31. seqq. cum dixit Christus : « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Quibus verbis tria Christus effecit; praedixit scilicet futuram apostolorum in communi tentationem circa fidem, *expetivit vos*, ac proinde ecclesiae in eorumdem persona; deinde affirmavit Petro se speciatim orasse pro eo, ac propterea pro successoribus suis, ne fides ejus aliquando deficeret, *ut non deficiat fides tua;* demum onus seu munus injunxit Petro confirmandi in fide fratres suos, nempe ecclesiam expetitam a Satana, ut eam cribraret: *confirma fratres tuos*. Quibus ex verbis hoc instruimus argumentum : juxta adducta verba ecclesia obnoxia futura erat tentationi, et Christus praesens ei remedium praeparavit

(1) S. Ambros. *Enarrat.* in Ps. XL. n. 30.

(2) Id apertissime constat ex tot factionibus quae identidem in ecclesiis orientalibus excitatae sunt, praesertim vero ex occasione schismatis Acaciani. Quamvis porro magno numero essent episcopi qui cum suis patriarchis restiterunt rom. Pontifici, absque ulla dubitatione illi omnes et soli ad unitatem ecclesiae pertinuisse habiti sunt, qui rom. Praesuli adhaeserunt. Quapropter Bossuetus in *Instructione pastorali de promissis ecclesiae factis*, agens adversus haereticos autumantes ecclesiam visibilem in fide deficere posse n. XXXII. haec praeclare scribit : « Il ne faut qu'un peu de bon sens et de bonne foi pour avouer que l'église chrétienne dès son origine *a eu pour une marque de son unité sa communion avec la chaire de saint Pierre, dans laquelle tous les autres siéges ont gardé l'unité, in qua sola unitas servaretur*, comme parlent les saints Pêres (Optat. cont. Parm. lib. II.) : en sorte qu'en y demeurant, comme nous faisons, sans que rien ait été capable de nous en distraire, nous sommes le corps qui a vu tomber à droite et à gauche tous ceux, qui se sont séparés eux-mêmes . . . *Dans cet inviolable attachement à la chaire* de saint Pierre, nous sommes guidés par la promesse de Jésus-Christ ». En igitur tesseram exploratissimam unitatis verae ecclesiae, *communio cum cathedra s. Petri*. Opp. ed. cit. tom. XXII. pag. 423. seqq.

in speciali oratione pro Petro futuro ecclesiae capite, adeoque pro ejus successoribus fusa, ut a Petro ac successoribus ejus, quorum fides deficere non poterat, eadem in fide confirmaretur. Jam vero si Petrus, seu rom. Pontifex infallibilis non esset, seu deficere posset fides ejus dum publico magisterio fungitur in dogmaticis decretis, dicendum foret aut Christi orationem pro Petro inefficacem fuisse, aut sufficienti remedio Christum ecclesiae suae nequaquam consuluisse. Ergo cum neutrum sine blasphemia et Christi injuria admitti possit, sequitur dotem hanc infallibilitatis in Petro ejusque successoribus esse agnoscendam. Rursum: si decreta dogmatica rom. Pontificis possent reformari ab ecclesia eo quod rom. Pontifex etiam dum universam docet ecclesiam posset deficere in fide, duo exurgerent contra Christi promissa; ac primo, quod ecclesia prout distinguitur a capite praedita esset infallibilitate, cum tamen haec ei non competat, nisi quatenus unum corpus cum capite suo constituit; secundo, quod inverteretur ordo a Christo constitutus; nam non amplius Petrus confirmaret fratres suos, sed potius fratres Petrum in fide confirmarent, secus ac Christi verba exposcunt (1).

734. Alterum oraculum desumitur ex Matth. XVI. 17. seqq.: « Beatus es Simon Bar-jona . . . et Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam ». Quamvis porro daremus adversariis, secus ac ferat sensus antiquitatis ipsaque rei natura de qua agitur (2), postrema verba « *et portae inferi non praevalebunt adversus eam* » non ad petram, sed ad ecclesiam referri; attamen quin velimus Christum uti stultum architectum traducere, qui ad sustinendum regendumque aedificium aeternum petram elegerit fragilem et ineptam, fatendum est exinde infallibilitatem Petri seu rom. Pontificis in iis quae ad fidem pertinent, evidenter constabiliri. In communi enim hominum sensu non petra seu fundamentum soliditatem firmitatemque suam ab aedificio acquirit, sed e converso aedificium a fundamento. Sed si Petrus in fidei decretis reformari ab ecclesia posset, praeter absurda illa de quibus paulo ante diximus, sequeretur non ecclesiam seu aedificium a Petro, fundamento scilicet, consolidari, sed Petrum, nempe fundamentum a superstructo aedificio, id quod Christi adversatur sententiae. Eo magis quod Christus ideo stultum vocaverit hominem cujus domus cecidit ex irruentibus imbribus et flantibus ventis, quia illam quin aedificasset super firmam petram, potius inordinate super arenam extruxisset. At ita se Christus in adversariorum hypothesi plane gessisset, quod vel cogitare absonum et impium esset.

735. Tertium denique nobis suppeditat s. Joannes XXI. 15. seq. in illis verbis a Christo redivivo Petro dictis: « Pasce agnos meos . . . pasce oves meas »; pastoris hujus munus non solum in sacramentorum administratione, verum etiam, imo praecipue in verae doctrinae ministerio consistit. Porro Chri-

(1) Cf. *Lettere sopra de' quattro articoli detti del clero di Francia*. Card. Litta. Lett. XXIV.

(2) Cf. ibid. necnon Emmanuel. Sa, *Scholia in quatuor Evangelia* in h. loc.; quamvis vero Maldonatus, et Corn. a Lapide intelligant de ecclesia, attamen exinde colligunt infallibilitatem rom. Pontificis, cum non alia de causa dicatur a Christo Domino portas inferi praevalere non posse adversus ecclesiam, quam quod haec aedificata sit supra firmam petram.

stus per adducta verba Petrum universi gregis sui, agnorum et ovium pastorem constituit; quare licet episcopi pastores sint respectu illius gregis portionis, quae ipsorum curae commissa est: « Pascite qui in vobis est gregem Dei » attamen et ipsi agni aut oves sunt respectu supremi pastoris, scilicet Petri seu rom. Pontificis juxta illud: « Fiet unum ovile et unus pastor (1) ». Ergo et ipsi tenentur hujus *pastoris vocem audire et eum sequi* (2). Jam vero si rom. Pontifex in publico suo ac solemni magisterio in rebus fidei errare posset, num non universum gregem in errorem induceret? Restat igitur ut dicamus quod si Christus nobis praecepit ut magisterio Petri in iis praesertim quae ad fidem pertinent nosmetipsos subjiceremus, Petrum vicarium suum infallibilitate in his donasse, quo tuto prospiceret fidei nostrae integritati; alioquin in errores contra fidem necessario induci possemus. Accedit, quod in adversariorum hypothesi non amplius esset pastor qui oves pasceret, ac per tutam duceret semitam, sed ipsae forent oves quae pascerent pastorem, ac devium illum in viam revocarent, quod absonum est ac apertae Christi menti omnino opponitur. Gratis denique adstruitur ab adversariis ecclesiam a capite distinctam infallibilitatis dote pollere ad caput suum corrigendum, cum tamen neque ex Scripturis neque ex traditione id uspiam appareat, imo appareat plane contrarium. Constat igitur ex Scripturis quod evincendum assumpsimus (3).

DIFFICULTATES

736. I. Obj. Abs re profertur primum testimonium ad adstruendam rom. Pontificis infallibilitatem, cum in eo agatur de favore personali Petri; sermo enim illic est de imminenti apostolorum tentatione in passione Christi, de lapsu Petri ejusque conversione. 2. Distingui praeterea debet in illis Christi verbis onus Petro impositum *confirmandi fratres* ab oratione quam Christus pro eo fudit, quippe hujus orationis objectum est ecclesia ipsa a Petro tamquam capite repraesentata, et in ecclesia suum habet effectum. Ergo.

737. Resp. ad 1. *N.* Etenim quamvis proxima apostolorum tentatio et Petri lapsus occasionem Christo praebuerint verba illa proferendi, cum tamen munus quod iis Christus Petro commisit confirmandi fratres in fide, sit munus publicum ab eo exercendum ut ecclesiae Primate atque in ecclesiae ipsius utilitatem, patet minime favorem personalem aut personale privilegium extitisse, sed privilegium adnexum primatui, qui cum perpetuus esse deberet, perpetuum pariter esse debuit privilegium quod ei Christus Dominus adjecit; ita rem ecclesiae etiam patres intellexerunt, uti ex dicendis constabit; nec Bossuetus ipse repugnat (4).

(1) Jo. x. 16.

(2) Ibid. 27. Sane vel ipse Bossuetus in *Meditationibus* super evangelium die LXX. Christi verba: *Pasce agnos . . . pasce oves* exponit etiam de episcopis dum Christum sic loquentem inducit: *Pais les mères comme les petits*, et adjicit. « Ce qui revient au commandement de les affermir dans la foi, puisque cela même, c' est gouverner le troupeau ». Opp. ed. cit. tom. x. pag. 22.

(3) Cf. Ballerinium op. cit. *De vi et rat. primat.* cap. XII. § 1. seqq. in quibus copiose singulos hos textus evolvit.

(4) Etenim in *Meditat.* cit. pulchre connectit quae leguntur Matth. XVI. cum iis quae expendimus scribens pag. 16. « Qui peut douter que saint Pierre n' ait reçu par cette prière une foi constante, invincible, inébranlable, et si abondante d' ailleurs, qu' elle fût capable d' affermir, non-seulement le commun

738. Ad 2. *D.* In ecclesia suum habet effectum *mediante Petro*, *C.* eo excluso *N.* Nec enim abnuimus Christi orationem habere potissime pro objecto ecclesiae utilitatem in eaque compleri: verum id verificatur per Petrum pro quo Christus singulariter oravit, ut confirmaret fratres in fide.

739. II. Obj. Nec alterum testimonium quidpiam evincit, siquidem 1. Petrus Matth. XVI. dictus est petra ratione primatus honoris ac jurisdictionis quo pollet super ecclesiam universam, non ratione infallibilitatis in fidei decretis, saltem quoad ejus successores. 2. Multo vero minus ejusmodi privilegium probatur ex eo quod Petrus constitutus sit ecclesiae fundamentum, cum ecclesia non a fundamento secundario ac minus principali mutuetur firmitatem in fide, sed a fundamento primario, interno et essentiali cujusmodi solus est Christus Jesus, et quo solo fundamentum secundarium, Petrus nempe ejusque successores, solidum perstat, quamdiu ecclesiae totius aedificio aptissime adhaeret, minime vero si forte ab ipso propter haeresim sejungatur (1). Ergo.

740. R. N. A. Ad 1. prob. *D.* Etiam, *C.* solum *N.* Utrumque enim Christus Petro contulit, et primatum et infallibilitatem; nam haec illi necessaria est ut primatus munere rite fungeretur. Portae enim inferi praevalerent adversus petram, ac proinde ex dictis, etiam adversus ecclesiam, si petra fundamentalis ac visibilis ecclesiae in solemni judicio circa fidem erraret; cum concipi nequeat quomodo aedificium, collapso fundamento cui totum innititur, subsistere valeat.

741. Ad 2. *N.* Quamvis siquidem fateamur, quod inficiatur nemo, firmitatem fidei ac religionis in ecclesiam promanare a Christo capite ac fundamento primario; nihilo tamen minus contendimus singulari munere Christi constitutum esse ecclesiae fundamentum secundarium perpetuo in terris visibile, Petrum, qui ejus vice fungi deberet; fundamentum nempe quod accessione omnipotentis virtutis suae Christus firmum reddit ac immobile, ut fundamenti istius praesidio firma et immobilis consistat ecclesia. Alioquin si quidpiam valeret adversariorum argumentum, nulla esset ratio quare tribueretur ecclesiae ipsi infallibile magisterium.

742. III. Obj. Nullius demum roboris est argumentum quod instruitur ex Jo. XXI. Nam 1. etiam episcopi singuli pastores sunt, quibus populi subjecti obedire tenentur, qui tamen colligi possit singulorum infallibilitas. 2. Quod si quis contendat Pontifici competere infallibilitatem eo quod ecclesiae universae praeses sit, pastor et doctor, ac propterea ecclesia ei obtemperare de-

des fidèles, mais encore ses frères les apôtres, et les pasteurs du troupeau, en empêchant Satan de les cribler? Et cette parole revient manifestement à celle où il avait dit: *Tu es Pierre:* je t'ai changé ton nom de Simon en celui de Pierre, en signe de la fermeté que je te veux communiquer, non seulement pour toi, *mais encore pour toute l'église*, car *je la veux bâtir sur cette pierre* ». Et iterum in *Medit.* die LXXII. Ibid. p. 28. « Il y devoit toujours avoir un Pierre dans l'église, pour confirmer ses frères dans la foi: c'étoit le moyen le plus propre pour établir l'unité des sentimens, que le Sauveur désiroit plus que toutes choses; *cette autorité étoit d'autant plus nécessaire aux successeurs des apôtres, que leur foi étoit moins affermie que celle de leurs auteurs* ».

(1) Ita fere Tournely *De Eccles. Quaest. V. art. III. in resp. ad* I. *memb. ex Script.* ed. Paris. tom. V. P. II. pag. 109.

beat, is vehementer errat; nec enim ecclesia universa Pontifici sibi inferiori, sed potius Pontifex ecclesiae utpote sibi superiori obedire tenetur. 3. Necesse quidem est, ut omnes et singulae ecclesiae Pontifici obsequantur, *sed sana rectaque suadenti*, ut Gelasius loquitur (1); seu necesse est, ut obsequantur, sed *obsequio*, ut ait Apostolus Rom. XII. *rationabili*, suum nempe interponendo judicium, ac definitis a Pontifice ex animi sententia consentiendo, quo accedente consensu, firmum ac irreformabile evadit Pontificis ipsius judicium. Numquam vero accederet consensus ille, nisi perspectum haberent, sanum ac revelatae fidei consentaneum Pontificis decretum extare. 4. Neque obest tunc oves judicare pastorem; quidni enim, si oberret pastor? Non posset quidem ab ulla particulari ecclesia judicari summus Pontifex; sed potest ab ecclesia universa cui subjacet tamquam praecipuum membrum (2). Ergo.

743. *R. N. A.* ad 1. Prob. Neg. paritatem: episcopi enim singuli ad summum nocere possent peculiari gregis portioni cui praesunt, ac multiplici praeterea ratione ejusmodi partiali damno posset occurri, uti toties factum est, nec proinde ecclesia universa in discrimen veniret. Contra vero rom. Pontifex utpote pastor supremus et universalis, si falsum dogma evulgaret fide credendum, ecclesiae universae damnum inferret, donec saltem totus orbis catholicus reclamaret (3). Et hic iterum observamus gratis adversarios supponere, ecclesiae, quatenus distincte seu seorsum a rom. Pontifice spectatur, competere pollicitationes ac praerogativas quibus Christus eam cumulavit; cum tamen certo constet has ei non contulisse Christum, nisi prout cum capite unum ac integrum corpus efficit. Hoc constanter laborat vitio adversariorum hypothesis.

744. Ad 2. *N.* Superius enim hoc paradoxon expunximus, Petrum scilicet, caput quidem esse singulorum membrorum, non autem corporis totius; supremum item pastorem esse singularum ovium, minime vero universi gregis, cum tamen Christus dixerit universim: *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*; et *pasce oves meas*. Novum plane est, corpus praeesse capiti, gregem ducere pastorem, aedificium regere fundamentum.

745. Ad 3. *D.* Si ovium esset judicare pastorem, *C.* secus *N.* Ecquis enim judex erit, in rebus praesertim vere dubiis, ut loquitur Bellarminus (4), utrum Pontifex sana rectaque suadeat, an prava suggerat? Praesertim cum exploratum sit integra concilia, eaque numerosissima sine Pontifice turpiter errasse? Accedit, perperam adversarios existimare haud esse rationabile obsequium quod a singulis ecclesiis exhibetur Pontifici ex cathedra dogmatice definienti, nisi prius expenderint intrinseca fundamenta quibus innixus Pontifex illud fidei decretum emiserit. Nonne protestantes ac sectarii omnes idem ipsum possent adversus ecclesiae definitiones excipere (5)? Demum assumunt adver-

(1) *In Common. ad Faustum.*

(2) Ita Tourn. ibid.

(3) Cf. Ballerin. *De vi et rat. prim.* cap. xv. § iii.

(4) *De rom. Pont.* lib. iv. cap. iii. n. 33.

(5) Haec sane est perpetua protestantium exceptio, quod ecclesia postulet *caecam* suis dogmaticis definitionibus adhaesionem. Janseniani vero exinde commentum suum excogitarunt de necessitate consensus ecclesiae universae ut irretractabile censeri debeat concilii oecumenici decretum, qui consensus antequam praebeatur, ut rationabilis sit ex ipsorum prin-

sarii in hac etiam difficultate, ut in ceteris aliis, ecclesiam seu potius episcopos inerrantia praeditos a Christo esse separatim a capite, quod tamen evincere nequeunt. Neque illud silentio praetereundum, in praxi hanc doctrinam summopere noxiam esse, cum sectarii omnes eludere possent rom. Pontificum decreta, quibus eorum proscribuntur novitates, quae praesenti remedio indigent, donec constiterit de expresso vel tacito ecclesiae assensu; et interim longe lateque impune possent errores suos disseminare (1).

746. Ad 4. *N.* ut patet ex resp. ad 2.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas evincitur ex sensu traditionali

747. Sensus ecclesiae traditionalis de rom. Pontificis infallibilitate nobis patescit qua dictis qua factis. Rursum dicta seu sententiae possunt bifariam distribui, nempe in eas quae adducta Scripturarum oracula exponunt de rom. Pontificis infallibilitate, et in eas quibus generatim haec eadem doctrina firmatur. Sic facta pariter quae huc spectant duplicis sunt generis: alia quae ex catholicis, alia quae ex haereticis desumuntur. Ne tamen prolixiores simus in iis afferendis, potiora ex singulis classibus seligemus; reliqua vero indicare contenti erimus una cum auctoribus penes quos collecta et expensa est reperire.

748. Atque ut a biblicorum quae memoravimus testimoniorum expositione exordiamur, primo occurrunt patrum sententiae in illud Luc. XXII. *Rogavi pro te*, etc. Itaque vetus auctor *Quaestionum ex N. T.* allatis Christi verbis ita prosequitur: « Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, et pro Jacobo et Joanne non rogabat, ut ceteros taceam? Manifestum est in Petro omnes contineri: rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in praeposito populus aut corripitur aut laudatur (2) »; id est dum pro solius Petri fide immediate rogavit, rogavit mediate pro ecclesiae totius fide, quae in ea petra ac fundamento subsistit; uti

cipiis vi examinis elici debet. Satis enim in his est principium jacere, ut deinde evolvatur et applicetur.

(1) Si quis attente perpendat quinam demum sint, qui moras nectunt ne Pontificis dogmaticis definitionibus se subjiciant, comperiet, non ecclesiam gallicanam, non gallicanum clerum ita se gerere, sed nebulones atque factiosos. Qui quidem cum videant actum esse de propriis novitatibus ex damnatione a rom. Pontificibus edita, ut earum vim elidant, illico excipiunt rom. Pontifices haud infallibiles esse in suis decretis juxta gallicanam doctrinam, nisi accedat ecclesiae consensus: et interim de abysso in abyssum proruunt, obtendentes hac ratione immunitatem. Numquam sinceri catholici et qui bona fide se gerunt definitionibus Pontificiis obsistunt: cujus rei praeclarum exemplum praebuit universis Galliis totique orbi catholico illustrissimus Cameracensis archipraesul Fenelonius numquam satis commendandus, dum humiliter adeo se subjecit damnationi latae a S. Sede operis sui inscripti *Maximes des Saints*.

(2) In Append. ad Par. I. tomi III. opp. s. Augustini col. 73. seqq. Jure proinde Bossuetus in *Medit.* cit. LXX. *jour.* exponens Christi verba *Ego autem rogavi pro te* prosequitur: « *Pierre, j'ai prié pour toi*, pour toi en particulier, pour toi avec distinction: non qu'il ait négligé les autres; mais, *comme l'expliquent les saints Pères*, parce qu'en affermissant le chef, il vouloit empêcher par-là que les membres ne vacillassent. C'est pourquoi il dit: *J'ai prié pour toi*; et non pas, *j'ai prié pour vous* ».

pariter exposuerunt s. Leo M. (1), Gelasius, Pelagius II., Vitalianus, Hadrianus I., necnon s. Agatho in epist. ad imper. Constantinum quaeque in sexta oecumenica synodo a patribus lecta, et communi calculo probata est (2), item Arnulfus, Paschalis II., Innocentius III. aliique passim (3). Cum vero id colligant ex munere Petro commisso confirmandi fratres in fide, seu ratione primatus, qui in successores ejus transfunditur, ideo quae Petro dicta sunt, rom. Pontificibus applicant. Quare perbelle s. Bernardus haec addit: « Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, *ubi non possit fides sentire defectum*. Haec quidem hujus praerogativa Sedis. Cui enim aliquando dictum est, *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (4) ». Quod nec gallicani ipsi diffitentur (5).

749. Nec minus patres consonant in adserenda unanimi sensu inconcussa rom. Pontificum fidei firmitate ex Matth. XVI. Sane Origenes explanans verba illa: *Non praevalebunt adversus eam*, interrogat: « Quam autem *eam*? An enim petram, super quam Christus aedificat ecclesiam? An ecclesiam? Ambigua quippe locutio est: an quasi unam eandemque rem, petram et ecclesiam? Hoc ego, respondet, verum esse existimo: *nec enim adversus petram super quam Christus ecclesiam aedificat*, nec adversus ecclesiam portae inferi praevalebunt (6) ». Eadem habent ss. Hilarius, Ambrosius Augustinus, qui praeterea rom. Pontificum serie commemorata, subdit: « Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae (7); ita etiam Cyrillus Alex., Leo M., Simplicius Papa, Gelasius (8).

750. Luculenta pariter sunt quae patres habent de adstruenda inconcussa fidei firmitate in Petro ejusque successo-

(1) Serm. IV. *Natal. sui.* n. 3. edit. Ballerin. cujus haec verba sunt: « Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status *certior sit futurus*, *si mens Principis victa non fuerit*. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, *ut firmitas*, *quae per Christum Petro tribuitur*, *per Petrum Apostolis conferatur* ».

(2) Apud Ballerin. op. cit. *De vi* etc. cap. XV. § III. n. 10.

(3) Ibid.

(4) *Epist.* CXC., seu *Tract. contra quaedam capitula errorum Abaëlardi ad Innoc. II. praef.* edit. Mabill. tom. I. col. 649.

(5) Afferamus adhuc pauca verba ex Bossueto loc. cit. pag. 17. ubi loquens de Petro « Il est donc, *inquit*, de nouveau chargé de toute l'église: il est chargé de tous ses frères, puisque Jésus-Christ lui ordonne de les affermir dans cette foi, qu'il venoit de rendre invincible par sa prière ». Et in op. *Defens. declarat.* lib. X. cap. III. scribit: « Hoc ergo ex officio Petrus habet: hoc Petri successores in Petro acceperunt ut fratres confirmare jubeantur ».

(6) Tom. XII. in Matth. n. 11. edit. Maur. opp. tom. III. p. 526. Haec Origenis verba paulo aliter redduntur ab antiquo interprete, nempe: « Manifestum est, quia nec adversus petram illam super quam aedificatur ecclesia, nec adversus ecclesiam quae aedificatur super hujusmodi petram, portae praevalebunt inferorum ». Cf. ibid.

(7) In *Psalm. cont. partem Donati.*

(8) Apud Baller. op. cit. cap. XV. § II.

ribus expendentes verba Christi Jo. XXI. Sic inter ceteros s. Augustinus (1), s. Maximus Taurinensis (2), ac reliqui patres, qui simul conjungere tres evangelicos relatos textus consueverunt, ut Petro ejusque successoribus tum primatum in universam ecclesiam, tum immobilem in fide firmitatem ad ecclesiam in eadem fide solidandam vindicarent (3).

751. Huc accedunt, prout innuebamus, patrum effata quibus dotem hanc universim romanis adjudicant Pontificibus: hi patres sunt qui adstruunt in omnibus necessitatem consentiendi ac conveniendi ad rom. Cathedram si quidem fideles esse velint (4); qui fidenter affirmant per successionem rom. Pontificum quoscumque posse haereticos confundi, cujusmodi inter ceteros est Irenaeus (5); qui docent catholicum eum esse, qui fidem habet romanae ecclesiae, uti Hieronymus (6); qui post romanum rescriptum clamant: *causa finita est*, uti Augustinus (7); qui asseverant Petrum semper in propria sede et vivere et praesidere, ut *praestet quaerentibus fidei veritatem*, uti Petrus Chrysologus (8); qui praedicant ad romanam Sedem *perfidiam habere non posse accessum*, uti Cyprianus (9). Ex his porro aliisque ejusmodi quamplurimis quae afferri possent patrum testimoniis luculenter patet eos semper pro certo habuisse rom. Sedem, seu rom. Pontificem in dogmaticis decretis a recta fide deficere non posse (10).

752. Verum praeter sententias patrum huc spectant publica facta, quae

(1) Loc. cit. ubi laudata Pontificum serie subjicit: *Ipsa est petra* etc. quo ostendit non ad unum Petrum sed ad successores etiam ipsius in romana Sede eam Christi promissionem pertinere, uti observat Baller. l. c.

(2) Serm. LXIV. ac *De nat. ss. Apost. Petri et Pauli*. IV. ed. Rom. 1784. col. 578.

(3) Plura alia Patrum in hunc sensum test. Cf. apud Baller. loc. cit. necnon apud card. Orsi *De irreformabili rom. Pontific. in definiendis fidei controvers. judicio*. Romae 1739. tom. II. lib. IV. cap. II. art. I. cf. etiam Salmeron. *Comm. in Evang.* Colon. Agripp. 1604. tom. XI. tract. XXX. p. 242. seqq.

(4) Apud Baller. op. cit. cap. XII. § I. n. I. seqq.

(5) Lib. III. *Cont. Haeres.* c. III.

(6) Lib. I. in Ruffinum n. 4. ed. Vallars. tom. II. col. 461.

(7) Serm. CXXXI. n. 10. Mirum est quomodo se torqueant ad haec Augustini verba prolata pro concione, ut eorum vim eludant, infallibilitatis pontificiae adversarii: verum card. Orsi op. cit. lib. III. cap. II. art. un. strenue illa defendit; item Zaccaria, *Antifebbronio*. Tom. III. P. II. lib. I. cap. III. n. XIII. ac Bolgeni *Episcopato* ed. cit. vol. III. Appendice *DD.* ubi praeterea innumera pene patrum testimonia congessit ad evincendum constantem hac in re antiquitatis sensum. Cf. etiam ejusdem opus: *Risposta al libro cos' è un appellante*.

(8) In epist. ad Eutychem Presbyterum cap. II. inter epist. s. Leonis M. edit. Ballerin. n. XXV. col. 779.

(9) Epist. LV. ad Cornelium ed. cit. pag. 86.

(10) Praeter citt. AA. cf. etiam Petitdidier, *Traité théologique sur l' autorité et l' infaillibilité des Papes;* Luxembourg 1724. Hic tractatus in latinum versus prostat etiam in *Thesauro Theol.* Zaccariae tomi VII. P. II. Qui omnes post Bossuetum scripserunt; anteriores enim adversus quos scripsit idem Meldensis episcopus nolui commemorare, ne quis exciperet eos ab illo confutatos fuisse. Nequeo tamen perillustri antistiti Meldensi non opponere clarissimum aliud ecclesiae gallicanae decus, magnum nempe Cameracensem antistitem, Fenelonium in Diss. *De summi Pontificis auctoritate* opp. cit. edit. Versailles 1820. tom. II.

eandem in antiquitate obtinuisse doctrinam manifeste produnt. Tale in primis est catholicorum agendi ratio; ex hac enim constat 1. Novatores damnatos a solis rom. Pontificibus illico uti haereticos habitos esse antequam cogerentur oecumenica concilia (1); 2. plures errores tamquam haereses spectatos fuisse ex sola rom. Pontificum damnatione absque conciliorum celebratione (2); 3. conciliorum oecumenicórum decreta velut irreformabilia minime fuisse habita ante rom. Pontificum confirmationem, imo interdum rejecta hujus confirmationis defectu (3); 4. exortis vixdum controversiis, ad eas dirimendas episcopos undique ad rom. Praesules oculos convertisse, eosque rogavisse, ut quod ipsi de iis sentirent patefacerent (4); 5. catholicos omnes constanter acquievisse pontificiis dogmaticis decretis, neque iis nisi solos haereticos obluctatos esse (5); 6. universam ecclesiam ratam habuisse formulam ab Hormisda subscribendam propositam in qua haec infallibilitas constituitur (6); ac 7. demum in publica liturgia hanc ipsam praerogativam romanae ecclesiae, seu fuisse romano Pontifici assertam (7). Quae quidem omnia aut supponunt aut adstruunt apertissime rom. Pontificis infallibilitatem, eamque ante expressum aut tacitum ecclesiae consensum.

753. Hanc denique doctrinam omnino consignat ipsa agendi ratio haereticorum. Tam alte enim pervaserat omnium animos in antiquitate, persuasio ineluctabilia plane esse quae per rom. Pontifices in fidei decretis sancirentur, ut haeretici ipsi in concilianda sibi illorum sententia enixe adlaborarint. Sane inter ceteros ita se gesserunt Pelagius ac Caelestius, quorum alter oblata Innocentio I. fidei confessione concludit: « Sin autem haec nostra confessio apostolatus tui judicio comprobatur; quicumque me maculare (al. culpare) voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel *etiam non catholicum, non me haereticum* comprobabit (8) »; alter vero, qui quamquam objectos sibi a Paulino errores damnare noluit, « sed beati Papae Innocentii litteris non est ausus obsistere; immo *se omnia quae Sedes illa damnaret, damnaturum promisit* » Augustino teste (9). Quorsum vero haec nisi receptum tunc temporis fuisset rom. Pontifices in fide errare non posse (10)? Postea quidem

(1) Hoc est argumentum quod copiose et erudite evolvit card. Orsi duobus volum. seu tom. I. *prima et secunda parte* op. cit. *De irreformabili rom. Pontificis in definiendis fidei controversiis judicio*. Id enim luculenter ostendit de macedonianis, nestorianis, eutychianis etc.

(2) Cf. Petitdidier op. cit. cap. II. seqq.

(3) Cf. ibid. cap. XVI. et card. Orsi op. cit. tom. I. P. II. cap. II. seqq.

(4) Cf. Ballerin. op. cit. *De vi et ratione prim.* cap. XIV.

(5) Ibid. cap. XV. § XI.

(6) Ibid. cap. XIII. § XVI.

(7) Apud eund. in *Append. de infallib. Pontificia in definitionibus dogmaticis* § XII. *in conclus.*

(8) Cf. *Libellum fidei Pelagii, ad Innocentium* in append. Opp. s. Augustini tom. X. *Varia scripta et monumenta ad pelagianorum historiam pertinentia* col. 97.

(9) Lib. *De peccato originali* cap. VII. cf. de hoc argumento Lud. Du Mesnil. Soc. J. *Doctrina et disciplina ecclesiae*. Colon. 1730. tom. II. lib. XX. n. XXXVIII. seqq.

(10) Hinc merito anonymus auctor, quamvis adversae partis, in *Traité de l'autorité du Pape*. Haye 1720. lib. I. cap. III. n. 8. pag. 90. « Methodus, inquit, priorum reformatorum est argumentum magni ponderis adversus ipsos. Disputationis initio confessi sunt Papam esse supremum Christi vicarium; nec ejus auctoritatem in dubium revocare coeperunt, nisi cum contra ipsos definivit, perinde

amota larva, cum se damnatos viderint, patefecerunt quo animo illa affirmarent; sed interea testimonium praeclarissimum prodidere de catholicae ecclesiae sensu.

754. Ex luculentissimo hoc sensu traditionali factum esse reor ut gallicana ecclesia usque ad celebrem anni 1682. declarationem, eandem constanter professa nobiscum fuerit doctrinam, prout ex certissimis documentis constat (1).

DIFFICULTATES

755. I. Obj. 1. Perperam antiqua traditio invocatur ad ejusmodi privilegium rom. Pontifici adstruendum, cum quaestio haec antiquis plane esset ignota. 2. Sane adducta testimoniorum congeries rem non conficit, cum vel *de solo Petro* loquantur, vel *de ecclesia catholica*, vel *de Sede romana*, minime vero de solis rom. Pontificibus. 3. Quod si nonnulla ex recensitis de his loqui videntur, non de ipsis Pontificibus singillatim, sed de ipsorum serie ac successione ita sunt accipienda, ut significent fidem a Petro traditam semper fuisse ab ea custoditam aut custodiendam fore usque ad consummationem seculi, ut confirmentur fideles, quod nemo ambigit. Si enim contigerit quempiam errare, cum error a successore corrigatur, dici propterea nequit portas inferi adversus fidem Petri esse praevalituras. 4. Accedit, quod etsi errent Pontifices, haud consequens esse cathedram, romanamve Sedem a fide desciscere, cum juxta notum Leonis M. effatum « aliud sunt sedes, aliud praesidentes (2) ». 5. Demum haud semper presse Patrum effata accipienda sunt, cum urbanitatis quandoque et officii causa ita fuerint locuti. Ergo.

ac si judex desinat esse judex, cum adversus aliquam partem sententiam pronuntiat, vel si veritas, cum incommoda esse incipit, veritas amplius non sit ».

(1) Hyacinthus Serry in Appendice historica *De mente ecclesiae gallicanae et academiae Parisiensis circa rom. Pontificis infallibilitatem* quam adjecit dissertationibus duabus *De romano Pontifice* num. 15. « Anno tantum 1682.; inquit, novos de romanorum Pontificum infallibilitate sensus induit clerus gallicanus, et ab avita suorum doctrina deflexit, dum solemnem de ecclesiastica potestate declarationem, in comitiis generalibus edidit . . . *En primam* antiquae doctrinae de rom. Pontificum infallibilitate *desertionem*, publico cleri nomine solemniter factam . . . . En vera certaque mutatae solemniter hoc in capite sententiae epocha ». Amplissimis vero seculorum omnium documentis a tota quoque gallicana ecclesia, et ab academia Parisiensi ad an. usque 1682. deductis avitam hanc nobilissimae illius ecclesiae doctrinam constanter perseverasse evincit. Nec minus luculenter id ipsum ostendit card. Orsi op. cit. tom. II. lib. IV. cap. XVII. seqq. Non pauca etiam documenta congessit Muzzarelli in op. *Il buon uso della logica* etc. *opusc.* III. *Primato ed infallibilità del Papa*. Verum omnibus palmam facile praeripuit cl. Soardi in regia universitate Taurinensi prof. in opere quod duobus voluminibus in 4. complexus est: *De suprema romani Pontificis auctoritate hodierna ecclesiae gallicanae doctrina*. Avenione 1747. ubi postquam in erudita praefatione ostendit hanc semper inhaesisse ecclesiae gallicanae sententiam de pontificia in decretis dogmaticis infallibilitate, documentis omnigenis in priori parte demonstrat etiam ab an. 1680. usque ad aetatem suam strenuos semper assertores et vindices avitae doctrinae in ecclesia gallicana viguisse. Hoc opus denuo recusum est paucos ante annos Moguntiae ac Pio VII. immort. mem. nuncupatum. Cf. etiam Com. De Maistre *Du Pape* liv. I. ch. I.

(2) Epist. CVI. edit. Baller. ad Anatolium episc. CP. cap. V.

756. Resp. ad 1. *D.* Id est *formula* sub qua nunc proponitur, ignota fuit, Tr. vel *C.* res ipsa *N.* Quid enim patres de ipsa re senserint, abunde liquet et ex eorum dictis et ex eorum agendi ratione; alioquin numquam potuissent publicam rom. Pontificis de fide doctrinam uti regulam certam assignare qua orthodoxi ab heterodoxis, vera a falsa doctrina secernerentur, prout ipsi fecerunt.

757. Ad 2. *N.* Siquidem cum de Petro loquuntur patres, de eo disserunt quatenus primas, caput et fundamentum ecclesiae suae a Christo constitutus est; cum vero ex patrum traditione haec eadem auctoritas competat *jure divino* ejus successoribus, consequitur ex eorundem doctrina etiam Petri successoribus eas competere praerogativas, quae in gratiam primatus et adnexi muneris Petro fuerunt communicatae.

758. Sic etiam: loquuntur interdum patres de ecclesia catholica, quatenus in petrae soliditate fundata est, *C.* independenter ab illo solidissimo fundamento *N.* ut patet ex ipsorum locutionibus; nam indidem ipsi colligunt ecclesiae in fide inconcussam stabilitatem.

759. Demum patres loquuntur de ecclesia seu cathedra romana quatenus episcopos habet successores Petri, *C.* alio sensu *N.* Illa enim ratione seposita, a reliquis ecclesia romana non distingueretur. Quaecumque enim sunt privilegia quibus romana fruitur ecclesia, ea, praesertim vero fidei firmitas, ob quam patres mirifice illam extollunt, unice a Petro ejusque successoribus derivant (1).

760. Ad 3. *N.* Hoc enim est effugium excogitatum ad eludendam traditionis vim: concipi autem nequit quomodo possint Pontifices singuli ex cathedra errorem in fide credendum ecclesiae proponere, et tamen in eorundem Pontificum serie fidei indefectibilitas permaneat (2). Deinde, non solum seriei sed Pontificibus singulis munus incumbit confirmandi fratres in fide, cum vero in hunc finem Christus dotem illis infallibilitatis contulerit, patet aut nullis aut singulis illam competere (3).

761. Ad 4. *N.* Ad effatum vero Leo-

(1) Auctores omnes, qui hoc de argumento scripserunt adversus gallicanos ejusmodi distinctionem non ita pridem invectam inter rom. Pontificem et *ecclesiam*, sive *sedem* aut *cathedram* romanam, perinde ac si ecclesiae, aut sedis aut cathedrae romanae fides indefectibilis sit, non item vero fides etiam *ex cathedra* definita a rom. Pontifice, nisi constet eam conformem esse fidei ecclesiae romanae, hanc distinctionem, inquam, expunxerunt, et jure merito; siquidem ideo ecclesiae romanae fides indefectibilis est, quia profitetur eam fidem quam Petrus ejusque successores ecclesiae universae Primates professi sunt et profitentur. Hac enim causa sublata, potuisset ac posset fides rom. ecclesiae deficere, uti defecit in ecclesia Antiochena et Alexandrina.

(2) Circa hoc Bossueti effugium legendus omnino est Com. de Maistre in op. *Du Pape* liv. I. ch. XI. ubi inter cetera scribit: « C'est à peu près comme s'il (Bossuet) avait dit que tous les empereurs romains doivent être considérés comme la personne d'Auguste continuée; que si la sagesse et l'humanité ont paru quelquefois trébucher sur ce trône dans les personnes de quelques uns, tels que Tibère, Néron, Caligula, etc. on ne sauroit dire néammoins qu'elles aient jamais manqué *entièrement*, puisqu'elles devoient ressusciter bientôt dans celles des Antonin, des Trajan, etc. ». Atque ut alibi observat, *series* Pontificum esset infallibilis etsi Pontifices singuli possent haeretici esse. Cf. *De l'église gallicane* liv. II. ch. XII. scilicet Pontifices in Bossueti hypothesi *in abstracto* essent infallibiles, fallibiles vero *in concreto*.

(3) Certe s. Augustinus in *Ps. cont. Part. Donati* cum scripsisset: « Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte », subdit:

nis *M. D.* Aliud sunt sedes aliud praesidentes quatenus sedium jura non pendeant ex meritis aut demeritis personalibus praesulum, pro tempore sedentium, *C.* quatenus jura sedium non competant praesidentibus *N.* Profecto aliam in hoc effato non fuisse mentem s. Leonis patet ex ejus scopo, nimirum sartos tectosque custodiendi nicaenos canones, qui sua cuique sedi jura servanda praefinierant, neque sinebant ut ob personalem Dioscori impietatem secundae sedis jus adimeretur Alexandrinae et in Constantinopolitanam transferretur (1). Ceterum non pro sede Romana, sed pro Petro ejusque successoribus rogavit Christus ne deficerent in fide, et sic in ea fratres confirmare possent.

762. Ad 5. *N.* Haec enim merae urbanitatis officia patrum gravitatem dedecent; alioquin idem posset de eorum dici testimoniis quibus rom. Pontificum primatus adstruitur. Ecquis praeterea dixerit conc. oecumenicorum Ephesini, Chalcedonensis et Constantinopolitani III. acclamationes, atque Hormisdae formulae subscriptionem sapere officiosam urbanitatem!

763. II. Obj. Facta quae occurrunt in antiquitate componi nequeunt cum adserta Pontificis infallibilitate. Etenim 1. ex iis constat editas a rom. Pontificibus definitiones numquam irreformabiles existimatas esse donec ad eas accesserit consensus ecclesiae sive dispersae sive in conciliis congregatae, ut patet ex iis quae scribit s. Leo ad Theodoretum: « Quae nostro prius ministerio definierat (Deus), universae fraternitatis *irretractabili* firmavit assensu (2) », qui praeterea subdit: « Sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas (3) ». Ergo duo exinde explorata sunt; ac *primo* ante concilii confirmationem dogmaticas Pontificum sanctiones *irretractabiles* non esse; *secundo* ante ejusmodi assensum, *liberum* examen esse pontificiarum definitionum, ut eis quis possit assentire aut ab eis dissentire; quae de infallibili judicio nefas est dicere. 2. Exinde factum est, ut passim celebrarentur concilia ad ea ipsa infallibili ac irretractabili auctoritate definienda, quas prius fuerant a Pontificibus definita, 3. atque ut a pontificiis definitionibus provocaretur ad concilium generale. 4. Sane nisi ita se res haberet, concilia oecumenica non solum haud essent necessaria, sed prorsus inutilia, cum sine tot opum, rerumque publicarum dispendiis et incommodis a solo rom. Pontifice posset infallibili ac irretractabili auctoritate dirimi quaestio. Ergo.

764. *R. N. A.* Ad 1. prob. vero, admissa s. Leonis auctoritate, ad 1. sequelam *D.* Si hic *irretractabilis assensus* afficiat dogmaticam s. Leonis definitionem, Tr. si afficiat patres Chalcedonenses *N.* Jam vero *irretractabilem* hunc assensum non afficere pontificiam definitionem, ceteris omissis (4), aperte constat

« Haec est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae », perinde ac si diceret: *In hoc successionis ordine nullus donatista episcopus invenitur*, si enim vel unus donatistarum erroribus inquinatus reperiretur satis fuisset ad seriem illam vitiandam. Cf. Ballerin. op. cit. *De vi et rat. prim.* cap. XV. § V. n. 20.

(1) Prout contendebat Anatolius, quem acriter arguit hac epistola s. Leo.

(2) Epist. CXX. ed. Baller. cap. I. col. 1219.

(3) Ibid. col. 1120.

(4) Etenim s. Leo quamvis indulserit Marciano ut Chalcedone celebraretur concilium, monuit tamen imperatorem epist. LXXXII. cit. ed. « Ne cujusquam procaci imprudentique versutia *quasi de incerto quid sentiendum*

ex iis ipsis quae objiciuntur verbis: *Quae* (Deus) *nostro prius ministerio definivit*, alioquin absurde deberemus admittere posse retractari quae *a Deo definita sunt*. Itaque insequentibus verbis: *Universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu*, s. Leo patrum Chalcedonensium significavit assensum, quem *irretractabilem* evasisse affirmat ob illorum adhaesionem pontificiae definitioni, cum tota irretractabilis vis decretorum concilii generalis, in his potissimum quae ad fidem pertinent, ab unitate pendeat cum apostolica romanae Sedis fide. Sane si vi sua definitiones conciliorum etiam generalium irretractabiles essent, frustra patres Chalcedonenses efflagitassent pontificiam confirmationem, ut *irretractabilia* fierent eorum decreta, prout eos fecisse novimus (1).

765. Ad alteram sequelam pariter *D.* Liberum esse examen confirmativum, *C.* dubitativum seu in ordine ad assensum vel dissensum *N.* Quae ut intelligantur animadvertendum est, vix prolata ac lecta in Act. II. conc. Chalcedonensis epistola s. Leonis, a patribus universim acclamatum esse: « Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est (2) ». Igitur examen quod in gratiam episcoporum *Illyricianorum* et *Palaestinensium* sub finem ejusdem actionis permissum est de s. Leonis epistola, non potuit esse dubitativum cum libertate assensus vel dissensus, sed confirmativum plane fuit, « ut qui dubitabant docerentur (3) ». Eo vel magis quod de examine ageretur epistolae per subscriptionem episcoporum ab universa ecclesia jam receptae, uti constat ex s. Leonis epistolis (4), et approbatae, uti vidimus, per ejusdem concilii acclamationes, quae proinde juxta adversarios irreformabilis jam erat (5).

766. Ad 2. *N.* Cum ex modo dictis aliud sit liberum examen confirmativum, aliud vero dubitativum cum libertate assensus vel dissensus, quod numquam permissum est circa dogmaticas rom. Pontificum definitiones etiam ante omnem ecclesiae consensum. Caelestinus enim, Leo M., Agatho epistolas suas miserunt ad concilia Ephesinum, Chalcedonense, et Constantinopolitanum III. veluti normam quam sequerentur haec concilia, caventes expresse in mandatis quae suis

sit sinerit inquiri, nec cujusmodi sit fides tenenda, esse tractandum, sed quorum precibus, et qualiter annuendum ». Et in aliis litteris, ep. nempe XC. eundem principem rogavit ne pateretur fidem *quasi dubiam* in synodo *retractari*. Idem repetit epist. XCIII. cap. II. et ep. XCIV.

(1) Cf. Ballerin. tum in op. cit. cap. XIII. n. 69. tum in not. 2. ad cit. epist. Leonis ad Theodoretum.

(2) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. II. col. 306.

(3) Ibid. col. 307.

(4) Nempe epist. cit. ed. LXXXVIII. ubi cap. I. haec expresse habet s. Leo: « Epistolam nostram, quam ad sanctae memoriae Flavianum de hac re plenissimam misimus, *quamque ecclesia universalis amplectitur* ». Eadem repetit ibid. cap. III., item in epist. XCI.

(5) Cf. card. Orsi op. cit. *De irreformabili rom. Pontificis judicio*, tom. I. P. I. ubi copiose ac ineluctabili prorsus ratione ostendit examen quod interdum permissum est de iis quae antea circa fidem definita jam fuerant a rom. Pontificibus nullo modo adversari irretractabili eorum dogmatico judicio. Allatis enim luculentissimis exemplis decretorum dogmaticorum quae ab oecumenicis synodis jam lata fuerant, quaeque propterea uti irreformabilia ab omnibus catholicis semper habita sunt, et tamen fuere in aliis subsequentibus conciliis iterum examini subjecta; nemo autem dicet ejusmodi examine quidpiam detractum fuisse priori firmitati quam jamdiu eadem obtinerent, nec posse vocari istud examen dubitativum. Cf.

legatis dederunt, ne quidpiam in iis quae ibi de fide continebantur immutari paterentur (1).

767. Ad 3. *D.* Ab haereticis seu sectariis, *C.* a catholicis *N.* Si enim novatores excipias, nullos in tota antiquitate reperies, qui a damnatione per rom. Pontificem facta ad concilium oecumenicum appellaverint. Quae vero adduci solent exempla vel s. Cypriani, vel quartodecimanorum, non sunt de causis dogmaticis, aut saltem uti dogmatica spectata non fuerunt (2).

768. Ad 4. *D.* Si cogerentur concilia ad intrinsecam pontificiis dogmaticis decretis vim conferendam, *C.* si ad auctoritatem extrinsecam adjiciendam, ita poscentibus rerum adjunctis *N.* Dogmaticae enim rom. Pontificum definitiones totam vim eamque coactivam ex se habent, adeo ut nemo vere catholicus iis obsistere possit aut refragari. Verum cum novatores eis contumaces obsistunt, turbas movent, incautos decipiunt, opus praeterea est ut concilia interdum convocentur, quo ex multorum collatis suffragiis, atque solemni adhaesione ad pontificiam definitionem magis patescat totius ecclesiae catholicae fides, ac vel contumaces facilius ad unitatem revocentur, vel solemnius eorum pervicacia damnetur. Experientia tamen ostendit eos omnes, qui fidem et subjectionem pontificiis dogmaticis sanctionibus detrectarunt eandem detrectasse oecumenicorum conciliorum decretis. Accedit, quod Pontifices ipsi identidem ejusmodi conciliorum convocationem efflagitaverint ut medium idoneum ad quaestiones implexas ac difficiles tutius discutiendas. Nec enim sive rom. Pontificis, sive concilii oecumenici infallibilitas media excludit ad veritatem de qua agitur assequendam, quippe, ut alias diximus, non per modum infusi doni, sed per modum praesidii, sive ut ajunt *adsistentiae*, Deus illam promisit.

769. III. Obj. 1. Christus infallibilitatem contulit ecclesiae universae; ergo ab ea unice est exquirenda vera fides, et ab ejus consensu irretractabile fit pontificium dogmaticum decretum. 2. Nec obest tenendam esse fidei unitatem cum rom. Pontifice, quandoquidem in *decisis* ea teneri debet necessario, non autem in *decidendis*. 3. Alioquin non intelligitur quomodo censeri et haberi non debeant ut haeretici, etiam ante consensum totius ecclesiae, qui refragantur dogmaticis Pontificum definitionibus, si

praesertim cap. XV. art. I. et seqq. qui propius ad rem nostram referuntur. Item cap. XVII. art. I. seqq. tum Part. II. cap. XXXVII. art. I. necnon Ballerinios in nota 14. ad cit. epist. ad Theodoret. in hac ipsa quae objiciuntur verba. Hoc examen a Ballerinio vocatur *revisionis*.

(1) Cf. citt. AA.

(2) Cf. quae de hoc argumento scripsimus in Tract. *De Sacram. in genere* cap. III. Prop. I. n. 121. Ceterum huic etiam difficultati aptare possumus quod cl. comes De Maistre respondebat Bossueto: « Bossuet veut-il nous prouver la nouveauté de cette doctrine (de l'infaillibilité)? Qu'il nous assigne une époque de l'église, où les décisions dogmatiques du saint Siége *n'étoient pas des lois :* qu'il efface tous les écrits où il a prouvé le contraire avec une logique accablante, une érudition immense, une éloquence sans égale; *qu'il nous indique surtout le tribunal qui examinoit ces decisions et qui les rèformoit*. Au reste, s'il nous accorde, s'il nous prouve, s'il nous démontre que *les décrets dogmatiques des souvrains Pontifes ont toujours fait loi dans l'église*, laissons-le dire que *la doctrine de l'infaillibilité est nouvelle :* qu'est-ce que cela nous fait? » *Du Pape* liv. I. ch. I. in fine.

hae reipsa infallibiles essent. 4. Satius proinde erit externam obedientiam *provisorie*, ut ajunt, exhibere, ne unitas proscindatur, donec scilicet aut ecclesia non reclamet, aut assensum tacite vel expresse praebeat pontificiis dogmaticis definitionibus; 5. absurdum quippe est affirmare quempiam teneri ad assensum internum praestandum definitioni dogmaticae, quae proponitur ab ea auctoritate cujus infallibilitas de fide non constat; 6. praesertim cum minime compertum sit utrum Pontifex ad dogmaticas suas edendas constitutiones consuluerit traditionem ecclesiae romanae, cardinales, clerum, atque alia subsidia adhibuerit, quae tamen necessario adhibenda sunt, ut *ex cathedra* dici possit edita definitio. Ergo.

770. Resp. ad 1. *D.* Cum Petro et mediante Petro ejusque in primatu legitimo successore rom. Pontifice, *C.* sine Petro ac immediate *N.* Ideo enim ex dictis portae inferi non sunt praevaliturae adversus ecclesiam, quia haec fundata est supra firmam petram, quae Petrus est pro quo Christus speciatim etiam oravit, ut in fide confirmaret jugiter ac semper ecclesiam, quam ejus curae commisit. Haec est oeconomia circa infallibilitatem ecclesiae. Numquam Christus, ut alias animadvertimus, aut hanc aut alias praerogativas ecclesiae suae nisi cum Petro ac dependenter a Petro largitus est.

771. Ad 2. *D.* In decisis et in decidendis, *C.* in decisis tantum *N.* Alioquin nihil Christus speciali ratione contulisset Petro ejusque successoribus, quod caeteris aeque non fuisset commune. Major difficultas non in adhaesione ad decisa seu definita consistit, sed in adhaesione ad decidenda circa quae fidelibus debet tuto innotescere cui parti ex pluribus inter se disceptantibus adhaerendum sit, ne decipiantur. Sane s. Hieronymus Damasum, s. Augustinus Innocentium, s. Cyrillus Alex. Caelestinum, aliique omnes non in decisis sed in decidendis apostolicam Sedem consuluerunt. Romani ipsi Pontifices in suis decretis aut synodicis ad concilia, non decisa sed decidenda proposuerunt, iisque ut suis sese conformarent decretis interminaverunt. His addimus novam oriri nunc temporis obligationem adhaerendi doctrinae ecclesiae Romanae seu rom. Pontificis ex ratione apostolicitatis, postquam scilicet reliquae ecclesiae apostolicae perierunt praecise ex defectu illius adhaesionis quam tenere debebant cum ecclesia Romana (1). Cum enim

(1) Etenim ex celebri regula quam tradidit Tertullianus in lib. *De Praescriptionibus* quaerenda est vera Christi doctrina in ecclesiis matricibus sive apostolicis, quae scilicet habuerunt auctores Apostolos, ac praecipue in Romana ecclesia « cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt » ut idem loquitur ib. cap. XXXVI. et ad quam *necesse est omnem convenire* ecclesiam, ut ait s. Irenaeus. Cum igitur ceterae omnes apostolicae ecclesiae defecerint, restat ut a Romana Sede, quae sola hactenus in vera Christi fide superstes permanet per numquam interruptam Pontificum suorum seriem perquirenda sit evangelicae doctrinae veritas, et cum ea necessario sit fidei unitas conservanda a reliquis ecclesiis, quae ab ea sola possunt apostolicam fidem derivare ex Tertulliani principio. Porro si rom. Pontifices errare possent in definitionibus dogmaticis, dum eas ceterae ecclesiae exquirunt, nonne in errorem traherentur ineluctabilem, cum haec unica eis via suppetat sive ad apostolicam doctrinam certo habendam, sive ad apostolicitatis notam conservandam? Cf. de hoc argumento card. Gerdil in op. cit. *Esame de' motivi della opposiz. alla Bolla* AUCTOREM FIDEI, sez. II. art. IV. opp. ed. rom. tom. XIV.

ecclesia haec sola superstiterit ex proprio dictis ecclesiis apostolicis, jam ab ecclesiis omnibus ad eandem recurrendum est ecclesiam ut hauriant doctrinam apostolicam, utque per participationem apostolicitatis nota perfruantur.

772. Ad 3. *D*. Si ejusmodi infallibilitas pontificia certa esset apud omnes certitudine fidei, *C*. si certa tantum sit certitudine quae exurgit ex vi demonstrationis *N*. Cum enim adhuc impune inter catholicos ipsos quaestio haec agitetur, nullaque expressa seu formalis circa eam prodierit definitio, inde fit, ut non statim veluti formales haeretici declarentur refractarii, donec ad pontificiam definitionem tacitus aut expressus ecclesiae consensus accesserit. Cum enim hic accesserit, ex unanimi catholicorum doctrina, effugium quodlibet intercipitur. Ceterum contumaces illi jam rei sunt coram Deo et coram ecclesia, atque ob agitatam hanc controversiam sola requiritur formalis declaratio ut abscindantur a totius ecclesiae corpore in foro externo (1).

773. Ad 4. *N*. Ejusmodi externa observantia ac obsequium sine sincero et interiori mentis assensu turpis esset hypocrisis et simulatio merito ab ipso clero gallicano damnata in jansenianis cum hi celebrem, quem vocant, *casum conscientiae* proposuerunt (2). Profecto unitas fidei, qua ex Apostolo *captivatur omnis intellectus in obsequium Christi* (3), praeter externum obsequium interiorem assensum exposcit, ut omnes in rebus fidei *idipsum invicem sentiamus, et idipsum dicamus omnes* (4); quapropter sine interiori hoc mentis obsequio fidei unitas servari nullatenus potest. Absonum porro est ubi de fide agitur praestare assensum *provisorium*. Hoc effugium patribus nostris plane ignotum fuit (5).

774. Ad 5. *D*. Si praeterea auctori-

(1) Hoc augumentum egregie evolvit Petrus Ballerinius in toties laudato opere *De vi et ratione primatus* cap. XIV. § IV.

(2) Hoc declararunt episcopi Galli, dum aperte professi sunt in litteris ad Innocentium X. datis an. 1653. die 19. Julii, dogmatica Sedis apostolicae decreta « *Divina aeque ac summa* per universam ecclesiam auctoritate niti, cui christiani omnes ex officio *ipsius quoque mentis* obsequium praestare tenentur »; cumque *casus conscientiae* prodiisset, quo pontificiis decretis obedientiae nomine debitum asserebatur externum quidem obsequium, non vero assensus internus, insurrexerunt illico gallicani praesules, praecipue vero Bossuetus et Card. de Noailles, remque ad apostolicam Sedem detulerunt, ac die 14. Julii 1705. prodiit constitutio *Vineam Domini Sabaoth*, qua declaratum est, obedientiae, quae constitutionibus rom. Sedis debetur, non satisfieri *obsequioso*, ut auctores casus vocabant, *silentio*, nec licere professionem ore vel scripto edere, si discordet a sensu et obsequio cordis, in quo sita est *vera orthodoxi hominis obedientia*. Ecclesia gallicana universa eam statim suscepit constitutionem, ac in omnibus dioecesibus publicandam curavit. Cf. op. cit. cap. XIII. n. 75.

(3) II. Cor. X. 5.

(4) Rom. XII. 16.-I. Cor. I. 10.

(5) Hujus *provisorii* assensus inventor fuit Febronius, dum scripsit definitionibus judiciisque dogmaticis rom. Pontificum obsequendum esse *provisorie*, saltem *non dogmatizando contrarium quamdiu non reclamet ecclesia* apud Ballerin. in *Append. de infallibilitate Pont.* Prop. V. not. 3. 4. Exinde profluxit illud quod Schenkl § 234. vocat jus quo fruitur rom. Pontifex *edendi decreta dogmatica provisoria*. Ita decipiuntur homines! *Provisorie* possemus mentis et cordis obsequio adhaerere errori in fide idque ex praecepto Christi, donec ab eo abduceremur per examen episcoporum, qui ad sanam et catholicam doctrinam rom. Pontificem revocare possent. Ecquis devoret haec absurda?

tas illa jus non haberet cogendi ad interiorem assensum et obedientiam dogmaticis suis definitionibus, Tr. vel *C.* si jus istud divinitus habeat *N.* Porro adversariis ipsis fatentibus, et constanti ecclesiae praxi suffragante, fideles omnes tenentur ex Christi institutione obedire ecclesiae capiti de fide aliquid solemniter decernenti; cum vero ex dictis ejusmodi obedientia, ut vera sit, debeat esse ex corde, interior scilicet et sincera, patet, quod quamvis de fide aperte non sit rom. Pontificem infallibilitate pollere, omnes tamen cogi ad assensum interiorem dogmaticis pontificiis definitionibus praebendum; eo vel magis quod infallibilitas ista morali certitudine constet, et ex hac ipsa interioris obsequii obligatione qua fideles omnes, juxta ipsos adversarios, adstringuntur ad dogmaticas pontificias constitutiones amplectendas, nos eruamus argumentum ad eam infallibilitatem evincendam (1). Si de fide esset hic articulus, jam illico formales haeretici atque ab ecclesia extorres hoc ipso essent quicumque illis definitionibus refragarentur.

775. Ad 6. *D.* Si praerogativa infallibilitatis non esset adnexa primatui Petri ac successorum ejus, *C.* secus *N.* Jam vero ideo a Christo Petrus ac successores ejus in bonum ecclesiae infallibilitate praediti sunt, quia primatum eis contulit. Cum autem primatus personalis sit, consequitur, non ab ecclesia romana pendere Pontificum inerrantiam, sed e converso omnia privilegia quibus fruitur Romana Sedes a Petro ejusque successoribus in eam dimanare. Per ipsos fidelibus patefit vera ecclesiae romanae traditio, nec ulla nos necessitas urget inquirendi in media quibus usus sit aut uti debeat rom. Pontifex ad solemnes suas dogmaticas definitiones edendas; alioquin semper eludi possent.

PROPOSITIO III.

Idipsum confirmatur ex facto ipso rom. Pontificum, quorum neminem in dogmaticis decretis errasse ostendi potest

776. Perperam hactenus adlaboratum a nobis esset in adstruenda rom. Pontificis infallibilitate, dum ex cathedra quidpiam de fide esse decernit; nisi simul ostenderemus facto ipso perpetuo et constanti numquam rom. Praesules in suis dogmaticis constitutionibus in errorem contra fidem dilapsos esse. Si enim vel unicus ejusmodi error deprehenderetur, appareret omnes adductas probationes in nihilum redactum iri. Huc propterea demum debuimus animum nostrum appellere, uti evinceremus verissime scripsisse s. Agathonem Pontificem quod: « Ejus vera confessio a Patre de coelis est revelata, pro qua a Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Pe-

(1) Alioquin difficile omnino est, ne impossibile dicam, conciliare ejusmodi obligationem adhaerendi mente et corde rom. Pontificum dogmaticis decretis cum illorum sententia qui tenent rom. Pontificem docentem ex cathedra universam ecclesiam, errori contra fidem obnoxium esse. Quomodo haec inter se adversarii componere valeant, profiteor me vere assequi haud posse. Addo in praxi numquam licite obsistere quempiam posse pontificiis dogmaticis judiciis, sub obtentu quod ecclesia juridice contradicere queat Pontifici sic definienti. Nam hic casus est impossibilis, cum ecclesia universa semper adhaeserit et adhaereat atque adhaesura semper sit, unitatis fidei centro, et ecclesiae unice apostolicae, seu rom. Pontifici capiti suo. Propterea qui refragantur, hoc ipso se rebelles ac refractarios patefaciunt.

trus : qui et spiritales oves ecclesiae ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit : cujus annitente praesidio, *haec apostolica ejus ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est :* cujus auctoritatem, utpote apostolorum omnium Principis, semper omnis catholica Christi ecclesia et universales synodi amplexae (1) ». Quod vero *numquam* factum esse usque ad aetatem suam pronunciavit Agatho, ut nempe *deflexa fuerit apostolica Sedes a via veritatis in qualibet erroris parte*, insequentibus seculis numquam pariter contigisse exploratissima res est, quamque ostendere aggredimur.

777. Cum vero negativa potius sit ejus probatio, quae tota sistit in erroribus fidei adversantibus diluendis, quibus rom. Pontificum nomen aspergi solet, nonnulla praemittenda sunt ut dicendis lumen affulgeat. Quandoquidem vero non de quibuslibet erroribus quaestio est, sed de iis tantum qui in decretis dogmaticis ex cathedra emissis, dum scilicet Pontifices universam docerent ecclesiam, iis exciderint, duo efficiant adversarii necesse esset ad Pontifices ex cathedra loquentes erroris insimulandos. Deberent *primo* ostendere errorem objectum ita certo fidei errorem esse, nulla ut possit apta interpretatione purgari : *secundo* esse praeterea errorem definitionis dogmaticae, seu definitionis *ex cathedra* latae. Alterutrum enim si desit, multo vero magis si neutrum comprobetur, nulla poterunt ratione adversarii infallibilitatem quam Pontificibus summis adstruebamus appetere. Porro cum nullus sit penitus error ex tot quorum ab adversariis incusantur Pontifices, in quo modo una, modo altera ex recensitis conditionibus, modo etiam ambae non desiderentur, jure concludimus, nullo modo ostendi posse aliquem Pontificem in dogmaticis decretis errasse.

778. Priusquam expendamus errores rom. Pontificibus impactos, animadvertimus horum catalogum ab initio satis prolixum contextum fuisse ab adversariis pontificiae auctoritatis (2); deinde valde imminutum, donec contractus est ad duos vel tres tantum, videlicet ad Petri lapsum cum negavit Christum, ad lapsum item Liberii, ac demum Honorii (3). Jam vero ex his iterum sepo-

(1) In epist. ad imp. Constant. apud Harduin. *Acta conc.* t. III. col. 1079.

(2) Eum vide apud Bellarminum *De rom. Pontif.* lib. IV. cap. VIII. seqq. Magdeburgenses in solo s. Petro quindecim lapsus enumerarunt, et ita porro in insequentibus rom. Pontificibus.

(3) Sane Bossuetus in celebri sermone *De ecclesiae unitate* quem habuit ad comitia cleri gallicani die IX. Novemb. 1681. ad unum vel duos Pontifices revocat numerum eorum, qui contra morem omnium praedecessorum per vim aut per subreptionem non defenderint constanter, aut non satis aperte explicaverint doctrinam fidei. Sed juverit textum ejus vere pulcherrimum in medium afferre : « C' est cette église romaine, *inquit*, qui, enseignée par saint Pierre et ses Successeurs, ne *connoit point d'hérésie* . . . Les hérésies ont pu y passer, mais non pas y prendre racine. Que contre la coutume de tous leurs prédécesseurs, *un ou deux* Souverains Pontifes, ou par violence, ou par surprise, n' aient pas assez constamment soutenu, ou assez pleinement expliqué la doctrine de la foi ; consultés de toute la terre, et répondant durant tant de siècles à toutes sortes de questions de doctrine, de discipline, de cérémonies, *qu' une seule* de leurs réponses se trouve notée par la souveraine rigueur d' un concile écuménique ; ces fautes particulières n' ont pu faire aucune impression dans la chaire de saint Pier-

nendi sunt lapsus s. Petri et Liberii; si quidem in lapsu Petri nulla data fuit definitio fidei, cum neque ecclesia fuerit tunc temporis solemniter instituta, nec primatus actu collatus s. Petro, sed solum promissus in cujus gratia hac infallibilitatis dote praeditus est ipse ac successores ejus (1). Quod vero ad lapsum attinet Liberii, praeterquam quod non agatur ibi de fidei definitione data ad universam ecclesiam, sed de lapsu personali per subscriptionem vi fraudeque extortam et quidem formulae Sirmiensi, quae sensum catholicum praeseferebat, nunc apud criticos exploratum est ejusmodi lapsum commentitium esse, aut saltem ita dubium, ut nullam adversariis criminandi causam praebere possit (2). Restat propterea unus Honorius de quo suspicari possimus in errorem incidisse in suis ad Sergium epistolis.

779. Porro Honorium neque astu monothelitarum hallucinatum, neque rem dogmatice definivisse sic vindicamus. Ille in dogmate de duplici operatione ac voluntate errasse dicendus non est, qui aperte et expresse duplicem in Christo pro duplici ejus natura asseruit operationem et voluntatem; quippe praeterea eadem illa usus est forma ad dogma hoc asserendum, quae tamquam catholica ab oecumenico concilio cum plausu excepta est. Rursum: ille definitionem dogmaticam dedisse dicendus non est, qui aperte profitetur se nolle quidpiam definire: atqui utrumque constat fecisse Honorium in ipsis epistolis ob quas accusatur.

780. Et sane quoad primum, decretoria sunt Honorii verba: « Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet . . . *utrasque naturas* in uno Christo unitate naturali copulatas *cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus*, *et divinam quidem quae Dei sunt operantem* et *humanam quae carnis sunt exequentem* (3) »; et iterum paulo post scribit: « Duas naturas, id

re. Un vaisseau qui fend les eaux n' y laisse pas moins de vestiges de son passage . . . . Ainsi l'église romaine *est toujours vierge; la foi romaine est toujours la foi de l'église*; on croit toujours ce qu'on a cru; la même voix retentit partout; et Pierre demeure dans ses Successeurs le fondement des fidèles. C'est Jésus-Christ, qui l'a dit; et le ciel et la terre passeront plutôt que sa parole ». Opp. cit. ed. tom. XV. pag. 501. seq.

(1) Mirum proinde est potuisse adhuc archiep. Turonensem Aloysium-M. de Barral in op. *Défense des libertés de l'église gallicane et de l'assemblée du clergé de France tenue en* 1682. Paris, 1817. pag. 327. seqq. ad ostendendam *fallibilitatem rom. Pontificum* afferre lapsum s. Petri, perinde ac si Petrus cum dixit ancillae ostiariae *non novi hominem istum*, dedisset definitionem dogmaticam *ex cathedra quam nondum habebat*.

(2) Cf. Stiltingum, *Acta Sanctor.* tom. VI. mens. Septembr. die 23. *De s. Liberio Papa Conf. Romae commentarius critico-historicus* a pag. 572. ad pag. 632. Item *Dissertaz. critico-storica* dell' ab. Pietro Corgne tradotta dal franc. *in cui si dimostra insussistente la pretesa caduta del santo Papa Liberio con note del raccoglitore* in op. *Raccolta di dissertazioni di storia ecclesiastica per opera di Francantonio Zaccaria*. Roma 1794. tom. X. Diss. III. atque ejusdem Zacharia S. J. *Dissert. de Commentitio Liberii lapsu*, quae prostat in *Thesauro Theologico*. Tom. II. P. II. lib. I. opusc. VI. Quapropter vel ipse Bossuetus fassus est: « J'ai rayé de mon traité *De la puissance ecclésiastique* tout ce qui regarde le pape Libère, *comme ne prouvant pas bien ce que je voulois établir* ». Cf. apud de Maistre, *Du Pape* liv. I. ch. XV.

(3) Epist. II. apud Harduin. *Acta* etc. tom. III. col. 1354.

est, divinitatis et carnis assumptae, in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise et inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes (1) ». Porro hanc fidei professionem commentario etiam addito descripsit Honorius ex celebri dogmatica epistola s. Leonis ad Flavianum scribentis: « Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est (2) ». Hoc autem testimonium cum prolatum esset in VI. synodo legati Rom. Sedis adjecerunt: « Ecce, benignissime Domine, *manifeste* duas naturales operationes inconfuse et indivise in D. N. J. C. praesens sanctissimus praedicat Pater (3) »; nec ullus repugnavit nisi Macarius archiepiscopus Antiochenus haereticus monothelita. Quod si in s. Leonis testimonio *manifeste* catholicum dogma de duplici operatione continetur, cur non continebitur in testimonio Honorii, qui non solum eadem usurpavit verba, sed idem praeterea dogma clarius adhuc expressit?

781. Ad alterum vero quod attinet, non minus luculenta verba sunt quibus Honorius declarat se nolle edere fidei definitionem dicens: « Non nos oportet unam vel duas operationes *definientes* praedicare (4) ». Immo tantum abest ut voluerit Honorius definire unam vel duplicem esse in Christo operationem, ut grammaticis id discutiendum reliquerit: « *Utrum* autem, inquit Pontifex, propter opera divinitatis, et humanitatis, *una an geminae operationes* debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis (5) ». Cum igitur Honorius professus sit se nihil definire, cum voces declinaverit unius aut duplicis operationis, patet ipsum noluisse dogmaticam dare definitionem, etsi concederemus dogmaticas esse ejus epistolas, quod alii forsan haud immerito inficiantur (6).

782. Cum igitur ex omnibus qui incusabantur Pontificibus duo aut tres, fatentibus ipsis adversariis, supersint, qui cum aliqua veri specie in suspicionem venire possint, et exploratum sit neque hos ipsos in dogmaticum errorem lapsos esse, merito concludimus ex ipso facto evinci inerrantiae dono praeditos a Christo esse rom. Pontifices ex cathedra definientes. Nec enim absque divini praesidii munere fieri potuit, ut deficientibus ceteris apostolicis ecclesiis omnibus, sola romana Sedes ex tot retro seculis immota perstiterit.

DIFFICULTATES

783. I. Obj. Saltem Honorius ab errore dogmatico purgari nequit; etenim ipse 1. epistolas dedit ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum, et proinde ad Cyrum patriarcham Alexandrinum,

(1) Ibid.

(2) Ibid. tom. II. col. 294.

(3) Ibid. tom. III. col. 1063.

(4) Epist. II. Ibid. col. 1354.

(5) Epist. I. Ibid. col. 1322.

(6) Cf. card. Orsi op. cit. *De irreformabili*, etc. Tom. I. Par. I. cap. XXII. art. II. § V. Attamen Honorius est magnus, imo unicus gallicanorum Achilles, Bossuetus lapsum Honorii maxime urget. Nunc vero adeo eliquata res est Honorii causa, ut praeter haereticos, uti Garnerius et Baluzius testantur, nullus jam fere sit, qui Honorio haereseos crimen impingat. Vel ipse Natalis Alex. gallicanus acerrimus Diss. II. in sec. VII. prop. III. statuit, *Honorium ab haeresi tam vere excusari quam pie*. Quid de ceteris rom. Pontificibus dicemus quorum accusatio longe levioribus argumentis innititur?

qui eo mediante eum quoque consuluerat in quaestione fidei, adeoque dogmaticas. 2. In his vero epistolis probat consilium Sergii et Cyri de indicendo silentio profitentibus duas in Christo operationes. 3. Improbavit epistolam synodicam Sophronii patriarchae Hierosolymitani, quae lecta, et orthodoxa habita est in conc. oecumenico VI. 4. Ineptum esse judicavit *sentire et promere* unam aut duplicem esse in Christo operationem (1) ». 5. Affirmavit se pari animo praedicare quod haereticus monothelita Sergius praedicabat, finem priori suae epistolae his verbis faciens: « Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet, *sicut et nos ea vobiscum* unanimiter praedicamus (2) ». 6. Unam adstruxit in Christo voluntatem dum ait: « Unam voluntatem fatemur D. N. J. C. (3) ». 7. Nec obest, formulam in specie catholicam Honorium usurpasse, cum exploratum sit eadem formula, iisdemque Leonis verbis usum esse Sergium monothelitam dum in epistola ad Honorium significavit se ad Heraclium scripsisse ut permaneret « in attrita patrum doctrina, quam omnes consonanter confitentur... Unigenitum filium Dei, qui veraciter Deus simul, et homo est, eundem operari divina, et humana: et ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo, sicut jam sumus effati, *inseparabiliter, atque indivise omnem divinam atque humanam operationem* procedere. Hoc nempe nos Leo Dei portitor instruit, manifeste perhibens: *Agit enim utraque forma*, etc. (4) »; nemo tamen propterea Sergium a monothelismo absolvet. Ergo.

784. Resp. *N. A.* ad 1. prob. *D.* Quin tamen epistolae illae dogmaticum decretum aut fidei definitionem exhibeant, uti ex dictis luculenter patet, Tr. Secus *N.* Aliud autem est scriptum aliquod esse dogmaticum, aliud vero in ipso contineri dogmaticam definitionem. Alterum cum altero permisceri nequit (5).

785. Ad 2. *D.* Probat consilium Sergii et Cyri de indicendo silentio ex inconsulta ac improvida oeconomia ab illorum vafritie deceptus, *C.* probat pravum ac subdolum eorum consilium in haeretico dogmate tradendo, quodque adhuc latebat *N.* Argui enim nequit Honorius in sua agendi ratione cum illis occultis haereticis nisi nimiae credulitatis, atque, ut ajunt, *bonae fidei*, dum putavit illos sincere agere, quando impia moliebantur.

786. Ad 3. *N.* Sed cum Honorius fallaci persuasione sibi adblandiretur sese orientalibus pacem allaturum, si semel obtinuisset silentium circa voces unius aut duplicis operationis, eodem modo ac vetuit Sergio et Cyro quominus *unam* praedicarent in Christo operationem, ita vetuit Sophronio ne adhiberet vocabulum *duplicis* operationis, ut ex ipsis ejus verbis elucet (6).

787. Ad 4. *D.* Ineptum esse judica-

(1) Epist. II. apud Hard. tom. cit. col. 1351.

(2) Epist. I. Ibid. col. 1323.

(3) Ibid. col. 1319.

(4) Ibid. in epist. Sergii col. 1318.

(5) Non sine animadversione dimittendum est, quod synodus VI. quae saepe adeo *dogmatica* vocavit scripta Sergii, Cyri aliorumque, nusquam tamen loquens specialim de Honorii epistolis eas *dogmaticas* dixerit. Hinc Nat. Alex. in cit. Diss. in *Hist. eccles.* sec. VII. prop. II. *privatam* vocat epistolam quam ad Sergium scripsit Honorius, quod ex professo ostendit Roncaglia in animadv. ad cit. Natalis dissertationem; quodque pariter praestitit Thomassinus diss. XX. in syn. sextam n. 8. seqq.

(6) Praeter allata Honorii verba, non minus clare quod contendimus evincunt quae Pontifex profert ut Sergio ac Sophronio suadeat repudiare novas voces, quae « noscuntur, ut ipse loquitur, sanctis Dei ecclesiis scandala generare; ne parvuli aut duarum

vit sentire et promere duas operationes in ordine ad vocabula et praedicationem, *C.* in ordine ad veritatem catholicam *N.* Etenim praeterquamquod incertum est utrum vox *sentire* quae ex versione graeca reddita est, reperiretur in originali latino quod periit, patet ex scopo Honorii conciliandae pacis per suppressionem vocabulorum *unius* vel *duplicis* operationis, illam non ad rem ipsam, sed ad vocabula plane referri. Dogma enim catholicum de duplici operatione apertissime professum esse Honorium ostendimus: quamobrem qui fieri potuerit, ut ipse nunc ineptum censuerit *sentire* unam aut duplicem esse in Christo operationem (1)?

788. Ad 5. *D.* Quoad oeconomicum silentium, *C.* quoad haereticam illorum mentem *N.* Ut liquet ex dictis et ex toto contextu, cujus prolata verba necessario inferunt silentium hactenus commendatum.

789. Ad 6. *D.* Unam adstruxit in Christo voluntatem *humanam* ad exclusionem pugnae inter carnem et spiritum, *C.* divinam et humanam, seu *divino-humanam N.* Idque constat 1. ex verbis immediate insequentibus; pergit enim Honorius: « Quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata . . . Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori (2) ». Constat 2. ex locupletissimis testibus, Joanne abbate, qui erat Honorio a secretis, ejusque nomine epistolam exaravit; Joanne IV. Honorii ab anni dimidio successore in apologia, ac s. Maximo martyre tum in disputatione cum Pyrrho, tum in epistola ad Marinum (3).

790. Ad 7. *D.* Formulam catholicam et Leonis verba etiam usurpavit Sergius ad facilius decipiendum Honorium, *C.* eo quod catholice sentiret *N.* Nihil porro est quod magis excuset Honorium detegatque vafritiem haeretici Sergii, quam ipsa agendi ratio ab isto erga illum adhibita. Cum enim desperaret se fucum ei facturum, si haereticum quod intus latebat virus evomuisset, simulavit catholicam fidem, seque zelo catholicae ecclesiae permotum, atque hinc indicendum esse silentium ostendere Honorio nisus est. Quod vero dissimulabat cum Honorio, vaferrimus veterator patefaciebat Heraclio et Cyro (4). Quid porro diversa haec Sergii agendi ratio cum Honorio ab ea quam idem sectatus cum ceteris est, significat, nisi quod probe sciret aliam prorsus Honorio inhaesisse mentem circa catholicum dogma a sua, quam propterea tegere sategit? Catholicus igitur Honorius et catholica mente fidem expressit; contra vero Sergius fuit haereticus, et haeretica mente catholice locutus est.

791. II. Obj. Si ita se res habet, erravit ergo concilium oecumenicum VI. quod 1. sexies damnavit Honorium,

operationum vocabulo offensi, sectantes nestorianos nos vesana sapere arbitrentur: aut certe si rursus unam operationem D. N. J. C. fatendam esse censuerimus, stultam eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur ». Apud Hard. loc. cit. col. 1323.

(1) Cf. Ballerin. *De vi et rat. prim.* cap. XV. § IX. num. 35. in not. (1).

(2) Apud Hard. loc. cit. col. 1319. et 1322.

(3) Cf. quae scripsimus in Tract. *De Incarnat.* P. II. cap. III. art. IV. Prop. n. 484. seqq. una cum adnotation. quae illuc referuntur.

(4) Ut patet ex Ecthesi vulgata sub Heraclii nomine et auctoritate, cujus tamen verus auctor fuit Sergius. Eam cf. apud Baronium ad an. 639. n. IX. qui integram exhibet, necnon ex ejusdem Sergii epist. ad Cyrum apud Harduin. loc. cit. col. 1310.

actione nempe XIII.; eo quod ejus epistola ad Sergium *dissentanea* sit a patribus (1), mentemque Sergii in omnibus sit secutus ac dogmata confirmaverit (2); quod ejus epistola in unam eandemque impietatem cum scriptis haereticorum concurrat (3); Act. XVIII. quod per eum perinde atque per alios daemon disseminaverit haeresiam unius voluntatis et operationis (4); ibid. quod praedicaverit unam voluntatem et operationem (5); et rursum ibid. quod secutus sit Theodorum, Sergium, Pyrrum etc. (6). 2. Anathematizavit Honorium, ut haereticos reliquos quorum nomina e sacris diptycis expunxit, ejusque epistolas una cum scriptis Sergii, Pyrri etc. flammis addixit. Ergo.

792. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. seu probationum seriem *D.* Ex his evincitur Honorium damnatum fuisse ob oeconomicam dispensationem suam, *C.* ob errorem in fide *N.* Non aliud colligitur ex ejusmodi damnatione, quam quod Honorius perversis aliorum consiliis conniverit, non resistendo uti par erat, sed per imprudentem silentii jussionem malum fovendo. Hoc silentio abusi haeretici a dogmate catholico de duabus voluntatibus et operationibus populos sensim sine sensu abducere moliebantur. Igitur non haeresis assertae sed fotae reus fuit; non consensionis cum haereticis, sed inconsultae dissimulationis. Cumque dote infallibilitatis in fide asserenda utpote ecclesiae Primas praeditus esset, non confirmavit fratres suos, juxta munus sibi a Christo Domino demandatum. Hanc stetisse concilio mentem in damnando Honorio, praeter Leonem II. in epist. ad Constantinum imperatorem, ubi causam affert cur et ipse concilii sententiam confirmans anathematizet « et Honorium, qui, inquit, hanc apostolicam ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina illustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit (7) »; seu etiam uti scribit ad episcopos Hispaniae: « Qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit (8) »; praeter Leonem, inquam, testem habemus locupletissimum imperat. Constantinum Pogonatum, qui assidue synodi actionibus interfuit, nec parum causam catholicam juvit. Hic porro cui optime perspecta erat synodi mens, loquens de episcopis qui ecclesias perverse gubernarunt: « Hi sunt, inquit, Theodorus

(1) Apud Harduin. loc. cit. col. 1331.

(2) Ibid. col. 1334.

(3) Ibid. col. 1354.

(4) Ibid. col. 1398.

(5) Col. 1414. Locus hic difficilior videtur; etenim postquam commemorati sunt a concilio Theodorus, Sergius, Honorius aliique, prosequitur concilium: « Omnibus haereticis anathema, qui praedicaverunt et praedicant, et docent ac docturi sunt unam voluntatem et unam operationem in dispensatione Jesu Christi Dei nostri, anathema ». Ex quibus videtur colligi et Honorium docuisse una cum ceteris unam in Christo voluntatem unamque operationem. At difficultas evanescit si observetur cum Garnerio, eamdem unice oriri ex ratione interpunctionis. Nam anathema prius dicitur omnibus nominatim recensitis; tunc adjecto puncto subditur: *Omnibus haereticis anathema*. Iterum adjecto puncto: *Qui praedicaverint et praedicant* etc. *anathema*; uti reipsa legitur cum hac ipsa interpunctione apud Harduinum loc. cit.

(6) Ibid. col. 1422.

(7) Ibid. col. 1475.

(8) Apud. Labb. conc. tom. VI. col. 1247. Licet haec ipsa jam dederim in Tract. cit. *De Incarn.* l. c. Attamen ut plena hic haberetur de Honorii causa disceptatio, nec cogerem lectorem ad ea sibi comparanda ex illo tractatu, iterum illa hic in ejus commodum subjeci.

qui fuit Pharan episcopus; Sergius qui fuit nostrae a Deo conservandae regiae urbis antistes, ad haec et Honorius qui fuit antiquae Romae Papa, hujusmodi haereseos *confirmator*, qui etiam sui extitit oppugnator (1) ». Ex quibus patet eum vocare *confirmatorem* haereseos propter inconsultam oeconomiam, eumque praeterea arguere quod secum ipse pugnet, quia cum catholice reipsa sentiret in litteris, non iis tamen animis, quibus ad profligandam haeresim opus erat, et egit et locutus est (2). Certo si quis singula objecta concilii loca expendat nec unum offendet in quo dicatur anathema Honorio eo quod unam docuerit in Christo voluntatem.

793. Ad 2. Responsio patet ex dictis. Receptum siquidem antiquitus fuit, ut *haereticorum* nomine significarentur tam haeretici proprie dicti, quam eorum fautores (3); cum vero monothelitarum fautorem, etsi deceptus, se exhibuerit Honorius, ideo a concilio ut haereticus damnatus est; ejus nomen e dypticis expunctum; scripta igni addicta eo quod ceteris exitium importaverint. Ita porro se gessit VI. synodus, quia nullum peccatum est quod fidei catholicae quovis modo noceat in quod ecclesia animadvertere non possit (4).

794. De ecclesiae ejusque supremo capite, romano Pontifice, hactenus. Quanti autem interfuerit haec prolixius fortasse disseruisse, tum alias, tum praecipue in reliquis quas proposuimus tractationis hujus partibus quisque facile intelliget.

(1) In *Edicto* apud Harduin. loc. cit. col. 1447.

(2) Cf. Jo. Garnerium S. J. in *Appendice ad notas capitis II. libri Diurni rom. Pontificum* § VI. n. LXV. seqq.

(3) Cf. Ibid. n. LXIX.

(4) Ex his patet necesse haud esse ad tuendum Honorium, ut confugiamus sive ad vitiata acta conc. VI. sive ad epistolas imperatoris et s. Leonis II. supposititias etc. uti nonnulli etiam ex recentioribus facere consueverunt. Omnes enim peritiores critici, ut recte observat Roncaglia in *Animadv.* ad cit. *Dissert.* Nat. Alex. inaniter defendi Honorium fatentur ab haereseos nota illi inusta, ex ratione quod acta sextae synodi ad nos adulterata pervenerint; quoniam hodie vix est, ut subdit card. Orsi l. c. cap. XXVI., qui Honorium in sexta synodo reapse damnatum fuisse neget. Sane qui legerit Garnerium in cit. Appendice sibi facile persuadebit nullo modo de ejusmodi adulteratione aut epistolarum suppositione vel tenuem suspicionem admitti posse.

Qui plura cupit de Honorio, ac de Rom. Pontificis infallibilitate universim, adeat quas identidem commemoravimus optimorum auctorum fontes. Non possumus tamen quin heic praecipue commendemus opus illud, quod hac ipsa de re GREGORIUS XVI. Pont. Max. quem diu sospitem incolumemque Deus servet, jampridem, dum in minoribus esset, evulgavit titulo: « *Il Trionfo della santa Sede e della Chiesa contro gli assalti de' novatori combattuti e respinti con le stesse loro armi* » Roma 1799.; quodque recens et pluries recusum, ac gallice etiam, germanice, hispanice atque hollandice versum magnum ubique plausum excitavit. In hoc quippe opere praeclarissimus Auctor ea logicae methodi severitate, ea argumentorum vi ac doctrinae copia Pontificiam infallibilitatem, adversus neotericos e janseniano grege, vindicavit, ut rem plane confecerit. Ita nempe GREGORIUS XVI. quadraginta et amplius abhinc annis divinas Sedis illius praerogativas strenue propugnabat, quae aeternae providentiae consilio ab eo, nil tale cogitante, deinceps erat tenenda, ac tanta cum sapientia atque apostolici animi robore gubernanda.

FINIS I. PARTIS VOL. I.

PRAELECTIONES
THEOLOGICAE

VOL. I. PARS II.

TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS

PARS SECUNDA

DE VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO

1. Si ecclesia, uti ostendimus, ea societas est, cui Christus Deus homo plenissime depositum doctrinae suae concredidit; si ecclesia est a Christo instituta ut jugiter populos ad fidem ope sua sive adductos sive adducendos indubiis institueret documentis; si ecclesia denique una eademque semper extitit et existit, et usque ad consummationem seculi in ministerio sibi commisso adimplendo, Christi, cujus personam sustinet, vices est praestitura, plane consequitur gentibus quibuscumque sive conversis, sive posthac convertendis non aliud sentiendum credendumque esse, quam quod eadem ipsis proposuerit ecclesia, quae unice pro nobis proxima et adaequata esse potest credendorum regula et agendorum.

2. Porro ecclesia quemadmodum viva voce a divino suo Conditore atque ab interiore Spiritus Sancti afflatu omnes fidei veritates ex ipso originis suae et institutionis accepit exordio, sic easdem fideliter viva voce transmisit. Quemadmodum praeterea haec ipsa ecclesia ex quo esse coepit, vita vixit interiore fidei spei et charitatis, sic eandem exteriore ministerio iis vitam omnibus communicavit quos Christo lucrifecit per verbi praedicationem ac in sinum suum recepit sacramentorum administratione aliisque adminiculis, quibus Christus constituit gratiam suam sanctificantem una cum enumeratis virtutibus impertiri; quae cuncta corpus hoc mysticum, ut ita dicam, informant.

3. Ipsamet porro Christi ecclesia longe lateque diffundebatur vita integerrima vivens, suo fungens munere, martyres sanctosque in caelum transmittens, priusquam objecta fidei libris committerentur. Haec vero dogmata solo ministerio proposita, traditione sive orali sive practica tunc temporis servabantur. Oblata interea occasione et Spiritus Sancti impulsu nonnulla hujus ecclesiae membra seu individua manus admoverunt commentariis seu libris edendis quae tum Christi gesta et doctrinam referrent, tum ejusdem doctrinae explanationes atque vindicias. Ejusmodi autem scripta in

quae aliqua ex parte relata sunt, quae ad ea usque tempora viva tantum voce proferebantur, nullum potuerunt detrimentum afferre aut traditioni ipsi aut publico ecclesiae magisterio, quod ab ipsis independens omnino est. Quin immo libri qui identidem conscripti sunt, ad ecclesiae auctoritatem tamquam ad regulam proximam fuerunt exacti, quando ecclesia eosdem recipiens suo veluti suffragio consignavit. Edixit enim eos libros veridicos esse, divinaque inspiratione conscriptos; ex iis canonem suum effecit, constituitque ut omnes exinde libros illos ceu veraces, authenticos, divinitus inspiratos, et canonicos venerarentur, atque ex ipsis, se magistra, veritates inclusas quilibet derivaret. Hinc duplex illa regula et ecclesiae magisterio subordinata credendorum et agendorum, Scriptura et Traditio, quae ad nos usque dimanavit. Quandoquidem vero temporis tractu plura ex iis quae traditio primaeva complectebatur, monumentis sunt consignata, factum est, ut Scriptura et haec monumenta utpote mortua ab ecclesiae jugi vivoque magisterio vitam, ut ita loquar, adipisci semper debuerint, cum ejus tantum sit tum de veris ac genuinis Scripturis earumque legitimo sensu, tum de veris divinisque traditionibus judicare.

4. Quamobrem de Scripturarum traditionumque divinarum existentia et origine, deque ipsarum praeterea Scripturarum inspiratione ac caeteris quae ad utrasque referuntur, infallibili auctoritate seu de fide nobis nisi per ecclesiam nequit constare. Neque enim alia suppetit via. In hac porro fidei professione non distinguitur theologus aut quilibet vir doctus a quovis rudi fideli, cum omnes ex aequo ob eandem auctoritatem hos fidei articulos fide teneant. Hoc solum intercedit doctum inter rudemque discrimen, quod huic sufficiat assensum praebere suum iis quae sibi ab ecclesia traduntur; at virum doctum praeterea deceat fontes ipsos ope scientiae investigare, eos aperire, et efficere ne unquam adversariorum erroribus contaminentur, prout in quovis fere fidei articulo aut dogmate fieri consuevit. Theologus quippe prius exhibet in articulo quolibet ecclesiae doctrinam, deinde ejus veritatem vindicat ex Scripturis, conciliis, patribus, ceterisque fontibus seu instrumentis scientiae suae propriis, ac denique adversariorum difficultates disjicit; de quo suo nobis loco erit data opera pertractandum.

5. Hanc propterea methodum circa Scripturam ac traditionem sequi ipsi statuimus; quia quamvis illae fontes sint, seu loca theologica ex quibus vir theologus suas haurit probationes, sunt simul objecta fidei nostrae, quae proinde uti objecta reliqua ab ecclesia credenda proponuntur. Equidem nobis proposueramus pro genetico, ut vocant, servando ordine prius de traditione quam de Scriptura disputationem habere, siquidem reipsa traditio Scriptura anterior est; cum tamen viderimus plura ex iis, quae viva voce ab initio propagata fuerant, postea esse scriptis patrum monumentisque ecclesiasticis commendata, ne ordinem hac ex parte invertere postea cogeremur, prius de Scriptura sacra, deinde vero de traditione disserendum esse censuimus, ut sic continenti oratione persequi illa omnia possimus quae ad hanc referuntur. Totam autem hanc controversiam in hac altera tractationis parte complectimur, cum par Scripturae ac traditionis auctoritas sit, et ex aequo possit theologus tamquam ex fonte scientiae hujus nostrae proprio argumenta promere sive ad dogmata constabilienda, sive ad aliena placita refutanda. In duas sectiones eam dispertimur, in quarum priori de sacra Scriptura, in posteriori de traditione disseremus.

PARTIS II.

SECTIO PRIOR

DE SACRA SCRIPTURA

6. *Sacrae Scripturae* nomine significantur omnes et soli libri quos ecclesia habet uti divinitus inspiratos, et in censum seu canonem suum retulit, omnibusque fidelibus ut authenticos, genuinos et Spiritu Sancto afflante conscriptos exhibet, utpote qui Dei verbum praeseferant. Ex hac notione intelligimus agendum a nobis esse de sacrorum Bibliorum *canonicitate*, ut vocant, eorumque divina inspiratione. Cum vero protestantes contendant sacram Scripturam adaequatam et proximam esse credendorum regulam, immo et controversiarum fidei judicem prout a spiritu uniuscujusque privato, aut interiore Spiritus Sancti afflatu et impulsu subjectivo exponitur; ideo ostendendum praeterea nobis est Scripturam sacram neque regulam proximam et adaequatam fidei esse posse, neque alium legitimum ejus interpretem esse nisi solam ecclesiam. His adjicienda sunt quae ad ejusdem Scripturae exegesim, versiones, lectionem spectant, non omnia sed pauca delibando, prout praelectionum nostrarum postulat ratio. Haec enim professoris sacrarum litterarum provincia est, qui ex professo, ut ajunt, de gravissimis hisce argumentis pertractat. Distinctis capitibus quae heic enumeravimus persequemur.

CAPUT I.

DE SACRORUM LIBRORUM CANONE ET AUCTORITATE

7. Κανών graece, latine *regula*, hic sumitur pro censu seu catalogo librorum quos ecclesia uti sacros et divinos, ac propterea uti authenticos habet (1). Ex his libris alii ante, alii post Christi ad-

(1) Talem huic voci inesse sensum ex antiquis etiam scriptoribus liquet. Nam scribens s. Hieronymus adversum Ruffinum lib. II, n. 26. (edit. Vallars.): « In libris, inquit, Samuel et Malachim, quos nos regnorum quatuor nominamus, post *catalogum divinae Scripturae* etc. ». Loquitur porro de libris sacris quos enumeraverat in *prologo galeato*; sic etiam s. Augustinus lib. II. *De doctrina christiana* cap. VIII, cum n. 12. meminisset Scripturarum *canonicarum* quae ab ecclesiis catholicis accipiuntur, pergit n. 13. scribens: « Totus autem *canon* Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dici-

ventum conscripti sunt, unde eorum in libros Veteris et in libros Novi testamenti partitio.

8. Hunc canonem seu catalogum exhibet Tridentina synodus sess. IV. his verbis: « Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit (sacrosancta et generalis synodus) ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiantur. Sunt autem infrascripti:

9. Testamenti veteris, quinque Moysi, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetae minores, idest Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum, primus et secundus.

10. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Joannem; Actus apostolorum a Luca evangelista conscripti; quatuordecim epistolae Pauli apostoli, scilicet, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri apostoli duae: Joannis apostoli tres: Jacobi apostoli una: Judae apostoli una: et Apocalypsis Joannis apostoli.

Si quis autem libros ipsos cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit.... anathema sit ».

11. Ex his porro tum Veteris tum Novi Testamenti libris alii dicuntur *proto-canonici*, alii *deutero-canonici*. Protocanonici ii sunt, qui primo in canonem relati sunt, deuterocanonici vero ii, qui postea in canone sunt recensiti. Libri protocanonici V. T. auctore Josepho Flavio (1) viginti duo sunt, nempe omnes enumerati praeter Baruch, Tobiam,

mus his libris continetur etc. ». Hos ipsos libros vocat *canonicos* lib. XV. *De civ. Dei* cap. XXIII. n. 4. vocat Scripturas *canonicas*, et lib. XVIII, cap. XLI, n. 1. « Denique; inquit, auctores nostri, in quibus non frustra sacrarum litterarum figitur et terminatur *canon*, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant », et alibi passim. Cf. Petitdidier *De Sacr. Script.* diss. XI, p. 94. necnon Josephum Blanchinium: *Vindiciae canonicarum scripturarum*. Romae 1740. *Praef. historica general.* cap. I.

(1) Lib. I. cont. Apionem § 8. ubi scribit: « Itaque apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo, dissentientium atque inter se pugnantium: sed duo duntaxat et viginti libri, totius temporis (praeteriti) historiam complectentes, qui merito creduntur divini » (edit. Havercamp.). Hos deinde enumerans, recenset quinque libros Moysis, tredecim libros a prophetis conscriptos, et quatuor complectentes hymnos in Dei laudem, et praecepta vitae hominum utilissima, nempe libros quos nos vocamus sapientiales. S. Hieronymus in prologo galeato in lib. Reg. hanc enumerationem refert ad viginti duas alphabeti hebraici litteras scribens « Viginti et duas litteras esse apud Hebraeos, Syrorum quoque, et Chaldaeorum lingua testatur ... Quomodo igitur viginti duo elementa sunt ... ita viginti duo volumina supputantur quibus etc. ». Adnotat tamen ibid. quinque litteras duplices apud Hebraeos esse *caph*, *mem*, *nun*, *phe*, *sade*, quas nos finales vocamus, « Unde,

Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum ac duos Machabaeorum, qui serius in canonem ab ecclesia relati sunt, adeoque deuterocanonici nuncupati. Libri protocanonici N. T. sunt pariter omnes recensiti, exceptis epistola b. Pauli ad Hebraeos, II. epistola b. Petri, duabus posterioribus s. Joannis, epistola s. Jacobi, item epistola s. Judae et Apocalypsi b. Joannis, ut nonnullas quorumdam librorum partes omittamus (1).

12. Utrorumque autem librorum sive proto, sive deuterocanonicorum eadem est auctoritas in ecclesia catholica, quae nullum inter eos agnoscit discrimen. Protestantes autem conveniunt quidem, seu potius olim conveniebant in admittendis libris protocanonicis utriusque foederis; ast magna semper inter eos sententiarum discrepantia viguit ac viget circa libros deuterocanonicos. Modo enim, ut lutherani, libros omnes deuterocanonicos V. T. ac omnes N. T. abjecerunt, modo cum calvinistis libros omnes deuterocanonicos V. T. rejecerunt, retinentes omnes deuterocanonicos N. T.: nunc visi sunt et videntur omnes prorsus retinere cum ecclesia catholica, nunc non respuunt dumtaxat deuterocanonicos, sed vixdum habent aliquem ex protocanonicis librum aut aliquam libri partem quae modo ab hoc, modo ab illo non rejiciatur, aut saltem in dubium non revocetur (2).

prosequitur, et quinque a plerisque libri duplices aestimantur, Samuel, Malachim, Dabre-jamim, Ezzas, Jeremias cum Cinoth, id est lamentationibus suis ». Erant propterea viginti septem libri protocanonici V. T. Hi dividebantur in tres classes, in *legem* nempe, *prophetas*, *hymnos* seu *psalmos*, ad quam divisionem juxta Maldonatum, Natalem Alex., Lightfootum *Miscell.* cap. 44. P. Lamy in *Apparatu biblico* lib. II, cap. 2. aliosque passim allusit Christus Luc. XXIV, 44. dicens: *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis, de me*. Postea obtinuit ut dividerentur in *legem*, *prophetas et hagiographa*. De qua cf. Vossium de *Orac. Sibyllinis* cap. XII. Lugd. Batav. 1680. Atque utrumque Buxtorfium ubi de canone Hebraeorum; item Blanchinium op. cit. *Praef. gen.* pag. IX. seqq. Bonfrerium S. J. in *Praeloquiis in totam Sac. Script.* cap. III, sect. VI.

(1) Tales librorum partes quod attinet ad V. T., sunt canticum seu hymnus trium puerorum Dan. III. a v. 24, ad 90. inclusive, historia Susannae cap. XIII. ac destructio Beli et Draconis cap. XIV. septem postrema capita libri Esther, nempe a cap. X, v. 4. ad XVI, v. 24. Quod vero spectat ad libros N. T., sunt 1. posteriores versiculi cap. XVI. s. Marci, nempe a v. 9. ad finem; 2. historia sudoris Christi sanguinei, quae legitur apud s. Lucam cap. XXII, vv. 43, et 44. 3. historia mulieris adulterae Jo. VIII, v. 2-12. inclusive. Septem itaque sunt libri deuterocanonici V. T. et partes librorum duae, nempe additiones Danielis et Esther; septem item libri N. T., sex scilicet epistolae et liber Apocalypseos et tres librorum partes.

(2) Lutherani rejecerunt ab initio e librorum divinorum canone omnes libros deuterocanonicos V. T. ac omnes pariter N. T. Ratio vero est, quia nimis aperte adversabantur hi libri illorum innovationibus, atque ut mos constanter fuit omnium haereticorum, cum pervertere eos non possent, e canone expunxerunt. Calviniani e contra autumantes se posse in libris deuterocanonicis N. T. aliquod sibi fulcimentum reperire, eos retinuerunt. Interdum fluctuant, atque inter se dissentiunt, ut suo loco videbimus. Inter alios cf. Herman. Janssens: *Herméneutique sacrée trad. du latin par J. J. Pacaud.* Paris 1833, tom. I, ch. I, § V. Hac editione utar utpote aucta et in nonnullis ab interprete emendata.

13. Quae cum ita se habeant, duo a nobis praestanda sunt: primo Tridentinus seu ecclesiae canon vindicandus, secundo ostendendum non posse acatholicos independenter ab ecclesiae auctoritate ullum sibi canonem certum constituere. Sit igitur:

PROPOSITIO I.

Canon sacrorum librorum a concilio Tridentino editus solidum habet in primitiva ecclesia fundamentum ac integer est omnino retinendus

14. Complectimur, ut patet ex thesis enunciatione, libros prorsus omnes sive proto, sive deuterocanonicos utriusque foederis cum omnibus suis partibus prout in vulgata editione legi consueverunt ad mentem concilii Tridentini.

15. Sic porro inprimis generatim ejus evincimus veritatem: canon Tridentinus solidum habet in ecclesia primitiva fundamentum, si de aetate in aetatem per quosdam veluti gradus assurgendo ad primum usque ecclesiae seculum pervenimus, intuemurque canonem illum per eam aetatem usui fidelibus esse; jam vero ita se res habet.

16. Etenim canon Tridentinus idem plane est ac canon quem sec. XV. exhibuit Eugenius IV. in decreto ecclesiae Romanae nomine pro Jacobinis dato an. 1439 (1). Hic rursum desumptus est ex canone quem an. 494. edidit in decreto suo Gelasius (2). Hic item plane congruit cum canone quem tradunt tum s. Innocentius I. in epistola ad Exsuperium (3), ac s. Augustinus an. 400. lib. II. *De doctrina christiana* cap. VIII. n. 13. (4), tum concilium Carthaginiense III. an. 397. celebratum cap. XLVII. (5), tum concilium Hypponense coactum an. 393. can. XXVII. (6). Constat igitur sec. ecclesiae IV. eundem in ecclesia Romana viguisse sacrarum Scripturarum canonem, qui a conc. Tridentino sec. XVI. exhibitus est ac decreto suo firmatus; constat praeterea eundem obtinuisse canonem in Africana ecclesia ut ex adductis liquet documentis. Quapropter concludimus ecclesiam Africanam ab ipso exordio suo hunc eundem canonem ab ecclesia Romana sec. II. incipiente aut I. labente una cum Christi fide accepisse (7).

(1) Apud Harduin. *Acta concil.* tom. IX, col. 1023. seq.

(2) Tom. IV, Anastasii bibliothecarii de vitis Rom. Pontificum edit. Blanchinii. Romae 1735. Prolegom. opusc. III, pag. LXI seq.

(3) Apud Coustant, *epist. Rom. Pontif.* inter Innocentianas ep. VI, cap. VII.

(4) Quatuor libri de doctrina christiana a s. Augustino coepti sunt circa an. 397. et absoluti an. 406.

(5) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. I, col. 968.

(6) Hoc concilium *plenarium totius Africae* a Possidio in vita s. Augustini cap. VII. vocatum est. Hujus concilii canones reperiuntur in *codice canonum ecclesiae Africanae*, cumque fuerint vel probati vel retractati a conc. Carthagin. III, an. 397. celebrato, hinc fit ut permisceantur cum canonibus hujus posterioris concilii. Cf. Harduinum loc. cit. col. 954. et col. 875. ubi in cod. eccles. Africanae canon de quo loquimur reperitur sub n. XXIV.

(7) Id aperte testatur s. Innocentius I, ep. XXV. ad Decentium episc. Eugubinum n. 2. apud Coustant. op. cit. col. 856. ac Tertullianus *De praescript.* cap. XXXVI. ed. Rigalt. ubi postquam de Petro, Paulo ac Joanne disseruerit qui Romae fuerunt, pergit: « Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque ecclesiis contesseravit . . . . Legem et Prophetas cum Evangelicis et Apostolicis litteris miscet, et inde potat fidem ». In quem locum cf. adnotat. p. De la Cerda

17. Ex his porro conficitur hunc ipsum canonem jam invaluisse apud Romanam ecclesiam sub finem seculi I. Cujus rei praeterea ineluctabile habemus argumentum in epistola I. (quam alii II. vocant) s. Clementis papae ad Corinthios; nam uti jamdiu animadverterant Cotelerius, et post ipsum uterque Blanchinius (1), proferuntur inibi testimonia ex omnibus pene Veteris Novique Testamenti libris non solum protocanonicis, verum etiam ex iis quos deuterocanonicos nuncupamus, nempe ex libris Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, II. Machabaeorum; item ex epistola ad Hebraeos, ex II. Petri, ex epistola Jacobi. Nullam vero cum fecerit Clemens mentionem Evangelii s. Joannis ejusque Apocalypseos, colligunt eruditi Clementem hanc suam ad Corinthios epistolam exarasse aut stante adhuc Solymorum urbe ac templo, aut paulo post utriusque direptionem (2), cum nondum scilicet suum Joannes Evangelium conscripsisset (3). Quod si nonnullorum librorum deuterocanonicorum mentionem s. Clemens non injecit, ut libri Tobiae et prophetiae Baruch, item epistolae Judae, et II. ac III. Joannis, ideo est vel quia cum reliquis hi libri jungerentur, vel quia nulla illi sese obtulit occasio eos adducendi, prout nonnullos eadem de causa omisit ex libris protocanonicis utriusque Testamenti (4).

18. Interim ex dictis apparet eundem semper sacrorum Bibliorum obtinuisse canonem in ecclesia Romana omnium ecclesiarum matre et magistra, adeo ut ejus canon ad aetatem usque apostolicam manifeste ascendat. Epistola quippe Clementis, cum adhuc in vivis ageret Joannes, exarata est; divina autem providentia contigit, ut dilectus hic Apostolus sub Domitiano Romam traductus fuerit (5), et paulo post suam in insulam Patmos relegationem ad eandem ecclesiam miserit suum Evangelium et Apocalypsim, ut plenus ibi Scripturarum

ut omittam s. Augustinum qui saepius idem testatur. Cf. quae scripsimus in tract. *de Trinit.* cap. II, prop. II, n. 71. not. (a). edit. 1. Rom.

(1) Franciscus videlicet, tom. II. Anastasii biblioth. *De vitis rom. Pontific.* pag. 48. col. 2. in notis historicis ad s. Clementem sect. 4. ejusque nepos Josephus op. cit. *Praef. gener.* p. III. Notandum porro est tantae apud veteres fuisse auctoritatis epistolam s. Clementis, ut pleraeque ecclesiae eam legere solitae fuerint publice diebus dominicis, imo et inter canonica scripta a non paucis recensitae fuerint, uti mox videbimus.

(2) Cf. Godofredi Vendelini *de Clementis et ejus epistolarum tempore divinatio* apud Cotelerium tom. I. *Patr. Apostolic.* necnon ejusdem Cotelerii *judicium de priore epistola s. Clementis*.

(3) Cf. s. Hieronymum *De viris illustr.* cap. IX. cum quo consentiunt veteres omnes qui referunt ad profligandas cerinthianorum et ebionitarum haereses s. Joannem Evangelium suum scripsisse, quae quidem an. XIV. Domitiani potissimum invaluerant. Hug et cum ipso Cellérier, ***Essai d' une introduction critique au Nouveau Testament***. Genève 1823. ***Deux. part. sect.*** V. censent Joannem tum Evangelium tum tres epistolas exarasse una cum Apocalypsi in insula Patmos. Praeter conjecturas innituntur auctoritate auctoris Synopseos athanasianae. Verum haec argumenta talia nobis non videntur ut possint unanimem veterum consensum infirmare.

(4) Tales sunt ex V. T. libri Judicum, Paralipomenon, et Cantici Cantic.; ex N. autem epist. ad Galat. ad Colossens. ad Titum, et ad Philemonem.

(5) Uti testatur Tertullian. *De praescript.* loc. cit. et s. Hieronymus *in comment. in Matth.* lib. III, cap. XX. edit. Vallars. tom. VII, col. 156.

census reperiretur. Sane huic ecclesiae statim concreditam Apocalypsim fuisse, aperte constat ex eo quod s. Justinus Romae degens, et s. Irenaeus qui et ipse sub Eleutherio Romam se contulit, commentarios suos ediderint in hunc librum veluti canonicum et sacrum (1).

19. Et haec quidem quod spectat ad identitatem canonis Tridentini cum canone ab apostolicis temporibus recepto in ecclesia Romana vel ex ipsa canonis descriptione in adductis documentis, vel ex allegationibus Clementis Romani. Nunc adjicere praestat alia documenta, quae idipsum confirmant. Sunt autem I. Testimonia magna sedulitate collecta a cl. Blanchinio ex scriptoribus et conciliis cujusvis seculi, incipiendo a sec. I. usque ad sec. XVI. (2). II. Inscriptiones lapidariae, quas inter illustris est quae jam a sec. VIII. a quodam Gregorio presbytero in ecclesia s. Clementis posita fuit; in ea quippe expressa fit librorum mentio qui juxta ordinem versionis Alexandrinae recipiebantur in canone Hebraeorum (3). III. Opera musiva, sculpturae in sarcophagis, picturae in coemeteriis et in basilicis apud Ciampinium (4), Aringhium (5), aliosque, qui ea monumenta collegerunt ac illustrarunt, quaeque ante Gelasii decretum jamdiu extabant in ecclesia Romana. Porro ex his constat libros deuterocanonicos ea in ecclesia uti sacros et canonicos habitos semper fuisse. Atque ut aliquot inde exempla proferamus, in basilica s. Pauli via Ostiensi a s. Leone M. musivis, picturis, historiisque decorata, exhibentur oracula sacrorum Bibliorum a Genesi ad Apocalypsim: insuper in valvis aeneis Ostiensis ipsius basilicae designantur prophetae, inter quos visitur ΒΑΡΟΥΧ Baruch, qui adjungitur Jeremiae, interque versiculos qui adducuntur ex Jeremia legitur in hujus pugillari: *Hic Deus noster et non imputabitur alius*; quae verba extant Baruch III, 36. (6). Tabula tertia cubiculi tertii coemeterii Callixtiani historiam refert Tobiae (7); in sarcophago Junii Bassi Daniel conspicitur inter leones illaesus (8); Susanna a

(1) Cf. Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, cap. XVIII. et s. Hieronym. *De viris illustr.* loc. cit.

(2) Cf. in *Appendice de scriptoribus ecclesiasticis, qui ab apostolorum aetate usque ad sacrosanctum Oecumenicum conc. Tridentinum, canonis divinarum Scripturarum, seu certi veteris ac novi testamenti librorum catalogi, ab ecclesia recepti, indicem texuerunt.* In cit. Praef. Gener. p. V. seqq.

(3) Cf. apud Francisc. Blanchinium tom. III. Anastasii biblioth. in notis historicis in sect. LXIV. vitae s. Gelasii pag. 197-200.

(4) *Vetera monimenta*. Romae 1690. Pleraque facta quae referuntur in libris deuterocanonicis V. et N. Testamenti in picturis, sculpturis et in operibus musivis christianorum aedium expressa habentur una cum illis quae habentur descripta in libris protocanonicis utriusque foederis.

(5) *Roma subterranea in duos tomos distributa*. Romae 1651. Cf. etiam Bosio *Sculture e pitture sagre estratte dai cimiteri di Roma* vol. III. fol. Roma 1737. quae est collectio omnium copiosissima. Plures ex his picturis refert etiam d' Agincourt in op. *Storia dell' arte dimostrata coi documenti* trad. dal franc. Prato 1826.

(6) Cf. Franc. Blanchinium op. cit. *Anastas. biblioth.* l. c. ubi luculenter ostendit quomodo ex sanctorum martyrum coemeteriis, vel sacris aedibus primorum titulorum ac basilicarum ab ipsa aetate apostolica ante pontificatum Gelasii canon erui possit librorum singulorum utriusque foederis, ut reipsa adductis documentis ipse conficit. Vid. tom. III. pag. 196. seqq.

(7) Ibid. p. 200.

(8) Apud Aringhium op. cit. tom. I, lib.

seniorum calumniis vindicata passim in picturis vetustissimis occurrit (1); frequens item admodum est in antiquis monumentis inscriptio: *Alpha et Omega*, quae in Apocalypsi de Christo habetur ad significandum ipsum esse *principium et finem* (2). Quare si quis in pretiosa haec documenta digitum intendere velit, ut verbis utar Cl. Blanchinii, poterit canonem sacrorum Bibliorum tradere (3). IV. Id ipsum conficitur ex *Ordine Romano* in quo praescribitur clero universo per anni circulum lectio ex singulis recensitis libris; ex quo profecto liquet quanta sedulitate canonem suum in basilicis titulisque Romana ecclesia perpetuo custodierit (4).

20. Demum, licet canon ecclesiae Romanae ab ecclesiis omnibus, orientalibus praesertim, receptus ab initio non fuerit, tamen in magna saltem existimatione, imo veneratione quadam libros deuterocanonicos tum veteris tum novi foederis habitos fuisse ex antiquis versionibus quae adhuc extant satis elucet (5). Etenim libri hi omnes translati sunt; quod quidem haud dubie sensum illarum ecclesiarum quoad hos libros ostendit.

21. Sive igitur canonem Tridentinum cum canone conferamus, qui semper retentus fuit in ecclesia Romana, ac proinde in ecclesiis item occidentalibus reliquis; sive vetera consulamus monumenta, antiquasque versiones, constat quod proposuimus, canonem scilicet Tridentinum solidum in antiquitate habere fundamentum, ac integrum propterea omnino esse retinendum.

DIFFICULTATES

22. I. Obj. 1. Scripturae canon non ab una ecclesia tantum, sed ab omni-

II, cap. X. *De viris illustribus in vaticano conditis, et de sepulchris, sepulchralibusque inscriptionibus apud vaticanum coemeterium* pag. 275. seqq. ubi etiam exhibentur tabulae aere incisae. Sarcophagus Junii Bassi signatus est consulatu Eusebii et Hypatii (nempe an. aerae christ. 359.) repertusque est cum pluribus aliis in cryptis vatican.

(1) Ibid.

(2) Apud Ciampinium op. cit. tom. I, capp. XXII, n. 203. et apud Aringhium op. cit. lib. VI, cap. XXII.

(3) Op. et loc. cit. pag. 197. col. I.

(4) Antiquus Ordo Romanus vulgatus est saepius, praesertim ab Hittorpio in op. *De catholicae ecclesiae divinis officiis* Romae 1591. tom. I. a Jo. Cochlaeo *in Speculo* Venetiis edito; a Jo. Mabillonio in *Musaeo italico*, tom. II. Extat etiam in Bibliotheca PP. De la Bigne edit. III, vol. XV, p. 397. Quamvis porro Ordo Romanus per anni tempora praescribat lectiones legendas ex quovis fere Bibliorum libro, adhuc desiderabantur tituli seu sectiones in quas sac. Scripturae libri antiquitus divisi erant. Hoc autem ex antiquissimis Mss. ecclesiae Rom. vulgavit B. card. Thomasius, vir de ecclesiastica antiquitate optime meritus in op. *Sacrorum Bibliorum veteres tituli, sectiones, et stichometria* opp. edit. Rom. 1747. Ant. Franc. Vezzosi tom. I. Jam vero ibi exhibentur tituli et sectiones omnium prorsus librorum a Genesi usque ad Apocalypsim, nempe tum librorum protocan., quam librorum deuterocanonicorum quales semper uti divinos et canonicos habuit ecclesia Romana. Hi tituli anteriores sunt saec. XI. Observat insuper doctissimus vir jam a sec. V. in eccl. latina hos titulos appositos sac. libris fuisse, et Cassiodorum meminisse horum titulorum Octateuchi, quinque librorum Salomonis, ut olim allegabantur, nempe non solum Proverb. Ecclesiastes et Cantic. Cantic. verum etiam Sapientiae et Ecclesiastici; item librorum Tobiae, Esther, Judith et Machabaeorum. Cf. ejus praefationem.

(5) Uti liquet ex polyglottis Valtonianis.

bus, seu ab ecclesia universa constitui debet. Verum quid dicemus si 2. ne *constet* quidem de constanti ecclesiae Romanae traditione? Etenim (*a* Eugenius IV. decretum suum dedit post Graecorum discessum; (*b* Dubiae autem fidei est epistola Innocentii ad Exsuperium; (*c* Canon XLVII. dici nequit concilii Carthaginiensis III. quod celebratum est an. 397. Nam a concilio ad Bonifacium pontificem hic canon missus est, cum tamen constet an. 397. Syricium sedem Romanam occupasse; (*d* Decretum Gelasianum juxta Caveum supposititium est, cum in antiquis collectionibus Damaso tribuatur, interdum vero Hormisdae; (*e* Epistola autem Clementis Romani si unum alterumve librum excipias, nullum eorum in particulari appellat, uti observat Millius, qui propterea concludit primum canonem fuisse quatuor Evangeliorum. 3. Quis est praeterea qui nesciat antiquum canonem seu censum Bibliorum aeque ac versiones veteres abundare interdum, interdum vero deficere? Abundant quidem dum tres saltem libros exhibent Machabaeorum, quatuor Esdrae, epistolam praeterea s. Clementis, aut Barnabae praeseferunt: deficiunt, cum omittunt librum Baruch, ut concilium Carthaginiense III. et decretum Gelasii in quo praeterea non recensetur nisi unicus liber Esdrae, et Machabaeorum. Ergo.

23. Resp. Ad 1. *D.* Si ecclesia illa non esset omnium ecclesiarum mater et magistra, *C.* si talis sit *N.* Porro ecclesia Romana, cum privilegio fruatur primatus in universam ecclesiam, utpote quae fundata sit a Petro apostolorum principe, qui eam sibi in sedem elegit, sua potuit auctoritate constituere verum Scripturarum canonem. « Ista quam felix ecclesia, inquit Tertullianus, cui *totam doctrinam* apostoli cum sanguine suo profuderunt » quae propterea, ut ibidem subdit, « Legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet et inde potat fidem (1) », et ad quam quovis tempore ecclesiae reliquae omnes in orbe constitutae confugerunt, ut dubia sua excuterent, cum opus esset, circa Scripturarum canonem, qui proinde praevaluit in ecclesia universa (2).

24. Ad 2. *N.* Etenim quamvis Eugenius IV. extra concilium Florentinum decretum illud ediderit, exposuit tamen in illo canonem ecclesiae Romanae, praesertim cum decretum suum in publica sessione quam habuit in ecclesia Lateranensi, confecerit (2). Ceterum cum Graeci eundem canonem admiserint, nihil illorum absentia auctoritati canonis ab Eugenio exhibiti detraxit (4).

25. Ne unus quidem criticorum superest, qui in dubium revocet γνησιότητα seu genuinitatem epistolae s. Innocentii ad Exsuperium (5), de qua iterum paulo post disseremus.

26. Sed neque dubiae fidei est canon. XLVII. conc. III. Carthaginiensis: non enim conc. III., sed VI. Carthaginiense illud est, in quo illa apparet subscriptio qua petitur ut ad Bonifacium acta illa mittantur cum canonibus praeteritorum conciliorum Carthaginiensium. Con-

(1) *De praescript. haeret.* cap. XXXVI. ed. Rigal.

(2) Cf. s. August. lib. II. cont. *Advers. legis et Prophet.* cap. IV. n. 13. et in lib. cont. epist. *Fundamenti* cap. IV, et V. nec non *De doctr. christ.* lib. II, cap. VIII. n. 12.

(3) Cf. Harduin. *Acta conc.* tom. IX, col. 1021.

(4) Id constat ex confessione ipsorum adversariorum, et ex dicendis magis patefiet.

(5) Cf. Coustant in adnotatt. ad hanc epistolam.

cilium porro Carthag. VI. celebratum reipsa est an. 419. sub Bonifacii pontificatu (1). Inter canones vero conciliorum anteactorum qui solemniter ab hoc conc. VI. Carthaginiensi confirmati sunt, reperitur can. XLVII. conc. Carthag. III. celebrati an. 397.

27. Neque pariter supposititium aut dubium est decretum Gelasianum: quod si in nonnullis collectionibus Damaso tribuitur, ideo est, quia ut aliquibus eruditis placet, Damasus inceperit elenchum librorum qui admittebantur aut rejiciebantur ab ecclesia Romana, Gelasius vero illud confirmaverit atque amplificaverit (2), prout paulo post etiam praestitit Hormisdas, qui decretum Gelasianum a se confirmatum et auctum misit ad Possessorem Africae episcopum tunc Constantinopoli exulantem (3). Ex hoc etiam patet cur illud decretum fuerit etiam Hormisdae adscriptum. Ceterum Cave aliique heterodoxi ab eruditis viris plene refutati sunt.

28. Esto quod Clemens passim ad librum aliquem nominatim haud appellet: cum tamen promiscue ex libris sive protocan., sive deuterocanonicis sententias promat eadem prorsus ratione, non obscure indicat se hos tanti ac illos facere, alioquin non ita se se gessisset (4). Millius porro non aliud significat, nisi primum canonem ab universa ecclesia receptum ex quatuor Evangeliis constitisse, quod non abnuimus. Immo addimus neque canonem ecclesiae Romanae omnibus ecclesiis, praesertim orientalibus, communicatum primis seculis fuisse, aut

(1) Conc. Carthag. VI. est XVIII. celebratum sub Aurelio an. 419. et ad ipsum spectat clausula de qua agitur, uti adnotavit Harduinus tom. I, col. 968. ad can. XLVII. conc. Carthag. III.

(2) Cf. hoc de argumento eruditum Justum Fontaninium *De antiquitatibus Hortae*. Romae 1708. lib. II, cap. III. ubi cl. vir adversus J. Pearsonium, Gullielmum Cave, J. Ernestum Grabium ostendit perperam eos Gelasio abjudicasse decretum de quo agitur. Urit enim heterodoxos (qui traditionem rejiciunt, ut ipse loquitur, et librorum canonicorum numerum pro arbitratu et sectae suae commodo minuunt) ibi in canone recenseri libros Tobiae, Judith, etc. adeoque modis omnibus illud decretum posteriori aevo, et nominatim ab Isidoro Mercatore confictum docent. Ast perperam; nunc enim a criticis omne dubium sublatum est de ejusdem *genuinitate*.

(3) Cf. ibid. pag. 215. seqq. Antonius Pagius sub an. 494. n. 5. putat Hormisdam, ut petitioni Possessoris episcopi Africani Constantinopoli exsulantis faceret satis, tam ad eum, quam ad legatos suos decretum Gelasii misisse, praecipiendo, ut illud ab omnibus religiose observaretur; tuncque decretum illud in varia exemplaria per Fausti Rejensis adversarios exscriptum latius per Europam, Africam et Orientem volitasse. Quia vero ab Hormisda fuerat missum, ejusque nomine vulgatum, eidem postea tamquam auctori tributum fuisse opinatur. De anno quo decretum a Gelasio conditum fuit critici inter se dissident. Baronius ad an. 464. n. 19. datum existimat in concilio Rom. LXX. episcoporum *Asterio atque Praesidio consulibus*: pluribus hanc sententiam confirmat Labbeus tom. IV., col. 1260: consentit demum Chiffletius in notis ad Vigilium Tapsensem p. 157. auctoritate ductus antiquorum codicum « in quibus hoc decretum notatur a Gelasio in synodo Rom. LXX. epp. Asterio et Praesidio Coss. qui est an. 494. Gelasii papae tertius, ante Hormisdae initia vicesimus ».

(4) Etenim s. Clemens plerumque contentus est sententias promere ex utriusque Testamenti libris, nulla interjecta libri et auctoris mentione, sive agatur de libris protocanonicis, sive de deuterocanonicis. Indiculus qui ad oram hujus epistolae habetur locorum Scripturarum quae proferuntur a Clemente, antiquissimus est, scriptoris nempe seculi quarti.

vim ipsi obligandi Rom. pontifices adjecisse. Nonnisi quippe serius tacito omnium ecclesiarum consensu receptus est Romanae ecclesiae canon (1).

29. Ad 3. *D.* Canones diversi ab illo quem constanter asseruit ecclesia Romana, *C.* canon ecclesiae Romanae *N.* Verum est antiquos canones a canone ecclesiae Romanae diversos interdum abundare, interdum vero deficere, eo quod ecclesiae particulares nondum secum inter convenerint ab initio in canone constituendo (2), neque canon ecclesiae Romanae statim ceteris obligationem intulerit. Attamen negari nequit eundem constanter canonem obtinuisse in ecclesia Romana, uti ex allatis documentis certissime constat. Quod vero ad antiquas attinet versiones, cum hae a privatis fuerint hominibus adornatae, mirum esse non debet, si illi una cum canonicis libris alios etiam verterint, qui magno habebantur in pretio, ac a nonnullis ecclesiis ut sacri et canonici excipiebantur.

30. Quod si in conc. III. Carthaginiensi et in decreto Gelasii omittitur prophetia Baruch, id causae demum est quod haec conjungebatur cum prophetia Jeremiae, ut patet ex documentis quae attulimus ecclesiae Romanae necnon ex s. Irenaeo (3), ac s. Cypriano, qui eam allegat velut Scripturam canonicam (4), quemadmodum pariter a Clemente Alexandrino (5), Ambrosio (6), aliisque profertur. Falsum autem est in decreto Gelasiano non recenseri nisi unicum Esdrae et Machabaeorum librum: ut enim liquet ex decreto genuino Gelasii edito ab erudito Franc. Blanchinio duo tum Esdrae tum Machabaeorum libri expresse commemorantur (7), prout pa-

(1) Usque ad Tridentinum nullus solemniter ab universa ecclesia confectus est Scripturarum divinarum canon, sed tacito vel expresso ecclesiarum consensu tamquam divini spectabantur libri quos Tridentinum recensuit. Nisi haeretici obstitissent, longe probabilius est futurum fuisse ut neque a Tridentino canon sanciretur.

(2) Probationes hujus assertionis afferemus in insequenti propositione.

(3) Lib. v, cap. xxxv, n. 1. ubi scribit: « significavit Jeremias propheta: *circumspice*, dicens, *ad Orientem*, *Hierusalem*, *et vide laetitiam* etc. Hic vero occurrit Baruch iv, 36 seqq.

(4) Lib. ii. *Testimon.* cap. v, et quidem expresse allegat sub *Jeremiae* nomine scribens: « Item apud Hieremiam: *Hic Deus noster et non deputabitur alius* etc. » quae verba leguntur, ut vidimus, Baruch iii, 36 seqq.

(5) Paedag. lib. i, cap. x. edit. Potteri Venet. 1757. tom. i, p. 152. ubi pariter allegat sub Hieremiae nomine dicens: « Jam vere *per Hieremiam* quoque enarrat (Dominus): *beati sumus Israel* etc. » prostant porro haec verba Baruch iv, 4.

(6) Serm. xviii. in ps. cxviii. n. 2. ubi legitur: « Docet illa quae in *libro Hieremiae* flebiliter clamat ad captivos et exules judaeos: *Ite proficiscimini, filii; ego enim derelicta sum deserta* etc. » quae quidem occurrunt, Baruch iv, 19. seqq.

(7) Cf. *Anastasii biblioth. de vitis rom. pontif.* tom. iv. *Opusculum* iii, pag. lxi. quo tria exhibentur exemplaria decreti Gelasii i. primum, quod genuinum dicitur, erutum est e cod. Florentino antiquissimo a Luca Holstenio, et Emm. a Schelestrate; alterum est vulgatum, et a Chiffletio erutum sub nomine Hormisdae ex codice Furensi; tertium cum naevis editum est in lucem ex cod. palatino bibliothecae vaticanae in op. cit. *De antiquitatibus Hortae*. Jam vero in hoc postremo deest penitus catalogus librorum divinorum; in duobus vero prioribus recensentur *Esdrae libri ii*, et *Machabaeorum libri ii*.

riter recensentur a s. Augustino (1), a s. Innocentio (2), et a conc. Carthag. III. (3).

31. II. Obj. Tametsi ecclesia Romana eundem semper canonem retinuerit quoad libros V. T., ut id nunc liberaliter concedatur, certum tamen est 1. libros deuterocanonicos numquam ab Hebraeis in canonem adscitos esse, teste Josepho; 2. neque aetate Christi fuisse receptos, quippe qui praeter legem, prophetas et psalmos, alios non agnovit (4), 3. nuspiam illis libris usos apostolos fuisse. 4. Cum tamen in versione graeca Alexandrina una cum ceteris deuterocanonici reperirentur libri, factum est ut publice etiam legerentur in ecclesiis, quae per id tempus una hac versione utebantur. 5. Numquam tamen hisce ecclesiis mens fuit eandem, quam protocanonicis tribuebant, per hanc lectionem auctoritatem deuterocanonicis impertiri, quos scilicet solum ad aedificationem perlegebant. 6. Res nihilominus erat aleae plena, periculumque instabat ne ex hac lectione eadem utrisque auctoritas tribueretur. Ut propterea abusum praevenirent, aut jam gliscenti huic abusui se se opponerent vigiles episcopi de remedio cogitare coeperunt. Etenim Melito Sardianus, Oriente peragrato, canonem edidit Esdrinum veluti solum tunc temporis receptum (5); idem deinde praestitit Origenes (6); postea vero triginta duo episcopi Laodiciae congregati, qui canonem vulgarunt V. et N. Testamenti, nullos porro alios ex V. T. libros inter canonicos recensuerunt nisi illos viginti duos qui reperiuntur in canone Esdrae (7): canon autem Laodicaenus vim legis obtinuit penes omnes Orientis ecclesias. Patres quarti seculi qui nobis catalogum reliquerunt librorum canonicorum V. T., in Oriente quidem Athanasius (8), Cyrillus Hieros. (9), Gregorius Nazianzenus (10), Epiphanius (11) et Amphilochius (12); in Occidente vero Hilarius (13), Ruffinus (14), et Hieronymus (15), unanimes plane sunt in rejiciendis apocryphis, libris nimirum deuterocanonicis. 7. Quamvis autem a nonnullis veluti *Scriptura* afferantur ejusmodi libri, non ideo tamen putandum est in pari gradu cum libris protocanonicis eos habuisse, cum recepta apud eosdem fuerit distinctio inter libros *canonicos* et *ecclesiasticos* qui nempe legebantur in ecclesia quin tamen inter canonicos reciperentur. Et haec quoad primam et secundam epocham, ab Esdra scilicet ad Christum usque, et a Christo ad sec. V. Ad tertiam vero epocham quod attinet, quae se quidem porrigit a sec. V. ad conc. usque Tridentinum, nova prorsus aera aperitur, 8. Suadente quippe s. Augustino concilia

(1) Lib. II. cit. *De doctr. christ.* c. VIII. ubi legitur: *Machabaeorum libri duo et Esdrae duo*.

(2) Epist. VI. ad Exsuperium Tolosanum, cap. VII. scribens: *Machabaeorum duo, Esdrae duo*.

(3) Luc. cit. ubi legitur: *Esdrae libri duo, Machabaeorum libri duo*.

(4) Luc. XXIV, 44.

(5) Apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, cap. XXVI.

(6) *Comment. in 1. psalm.* et apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. VI, c. 25.

(7) Can. LIX. Mansi collect. conc. tom. II.

(8) In *Synopsi*.

(9) *Catech.* IV.

(10) *Carm. ad Saleucum*.

(11) *Haeres.* VIII. et *De ponder. et mensuris* c. V.

(12) *In jambis*.

(13) *Proloq. in Psalm.*

(14) *In symbolo*.

(15) *Praef. in lib. Reg.* nec non in *praef. ad Proverb.*; *praef. ad Paralip.*, *praef. ad Jerem.*, *praef. ad Daniel.*, *praef. ad Esdr.*

Africana contra ecclesiae orientalis et s. Hieronymi auctoritatem recensuerunt inter canonicos etiam apocryphos seu libros deuterocanonicos: atqui Augustinus deceptus fuit ex antiqua consuetudine lectionis horum librorum in ecclesia, prout jam decepti fuerant Tertullianus et Cyprianus. 9. Nec tamen sibi constitit Augustinus qui nempe agnoscit solos protocanonicos fuisse in canone Hebraeorum receptos (1): et in libro *Retractationum* excusat se quod tamquam prophetam seu *auctorem inspiratum* recensuerit auctorem *ecclesiastici* (2); et contra Gaudentium testatur Scripturam Machabaeorum ab ecclesia receptam esse non inutiliter, si *sobrie legatur et audiatur* (3). 10. Itaque ex tota Augustini et Africanorum theoria libri *canonici* existimabantur illi, qui *accipiebantur*, id est *legebantur* in ecclesiis, non autem quasi divinam haberent auctoritatem, si protocanonicos excipias. Quod cum haud satis advertissent posteriores scriptores, eandem in utrisque auctoritatem agnoverunt, et hunc demum errorem sancivit Tridentinum. 11. Ceterum numquam defuerunt viri docti qui alios ab aliis libris apprime distinguerent. Junilius nempe Africanus an. 560. dividit libros V. T. in tres classes 1. *Perfectae auctoritatis*; 2. *Mediae auctoritatis*; 3. *Nullius auctoritatis*, porro in prima classe una cum canonicis collocat *Jesum Siracidem*: in secunda *Judith et Machabaicos*; in tertia *Sapientiam*; deque duabus posterioribus classibus palam pronunciat: *Non inter scripturas canonicas currunt* (4). Vigesimum primum caput Capitularis Caroli M. inter non canonicos refert libros apocryphos seu deuterocanonicos (5); Gregorius M. excusat se quod testimonium allegaverit ex machabaicis *libris, non canonicis, sed tamen ad aedificationem ecclesiae editis* (6). Hugo a s. Victore an. 1200. de quinque apocryphis *Judith, Tobia, Sapientia, Ecclesiastico et Machabaeorum* ait: *non scribuntur in canone et tamen leguntur* (7). J. Beleth an. 1162. de quatuor posterioribus scribit: *Hos non recipit ecclesia* (8). Sec. XIII. Joannes Saresberiensis (9), Auctor glossae ordinariae (10), Hugo a s. Charo (11), deuterocanonicos e canone excludunt. Sec. XIV. idem praestiterunt Andreas Horneus jurisconsultus Anglus (12), Guillelmus Ochamus (13), Nic. Lyranus. Sec. XV. post decretum Eugenii IV. s. Antoninus non aliam libris apocryphis auctoritatem decernit praeter eam quam agnoscit in scriptis doctorum ecclesiae (14); Alphonsus Tostatus dubitat utrum inspirati fuerint a Spiritu Sancto (15); in praefatione Bibliorum quae edita sunt an. 1498. et an. 1506, dicebatur eosdem libros ecclesiam non admittere *inter canonicos*. Initio sec. XVI. card. Ximenes (16) et card. Cajetanus (17) sententiam profitentur Hieronymi. Idem dic

(1) Lib. II. *De grat. et lib. arbit.* cap. 2.

(2) Lib. I.

(3) Lib. I, cap. 31.

(4) *De part. div. legis.* lib. I, cap. 3.

(5) Apud Harduin. *Collect. conc.*

(6) *Comment.* in XX. cap. Job.

(7) *De script.* cap. 6.

(8) *De eccles. offic.* cap. 60.

(9) Epist. 172.

(10) Edit. 1506, siquidem in posterioribus editionibus tractus oppositi canonicitati apocryphorum disparuerunt.

(11) *In prolog. Josuae.*

(12) *Praef. summae juris Aug.*

(13) *Dial.* par. III, cap. 16.

(14) *Chron.* part. I, tit. 3, cap. 4.

(15) *Comment. in Hieron. prolog. Galeat.*

(16) *Praef. Bibl. complut.* 1515.

(17) *Praef. com. in omnes libros authenticos* V. T.

de auctoribus Graecis, qui unanimes pariter sunt in rejiciendis apocryphis, ut constat ex Leontio (1) sec. VI. Jo. Damasceno (2), Nicephoro, Anastasio ejusdem annotatore ac Nicephoro Callixto (3). 13. Attamen concilium Tridentinum contra sensum totius antiquitatis anathema indixit iis qui non reciperent uti canonicos libros apocryphos, non veritum eapropter anathema scientiae. In quarta tamen hac epocha quae a conc. Tridentino exorditur 14. non destiterunt viri sapientia conspicui etiam inter catholicos qui antiquae adhaeserint traditioni inter auctoritatem librorum protocanonicorum, et deuterocanonicorum probe distinguentes. Tales enim sunt Bernardus Lamy, Jahn, Dupin et Sixtus Senensis 15. De ecclesia Graeca 16. id ex Cyrillo Lucari (4), aliisque fortasse constat; ecclesia vero protestans in synodo Dordracena, (haec quippe synodus repraesentabat ecclesiam protestantem *in omnibus suis partibus*) vestigiis insistens antiquitatis decrevit quidem posse libros apocryphos in ecclesia legi, non tamen eandem vim atque auctoritatem librorum canonicorum nancisci, neque ex iis aliquod dogma de fide aut religione christiana certo posse constabiliri. Quare libri apocryphi in Bibliis retenti sunt ad calcem librorum canonicorum cum apposito titulo: *Libri apocryphi* (5). Hic jam exoritur quaestio, quaenam ecclesia in errore versetur, pontificia potius an protestans, quaenam melius ad sensum christianae antiquitatis se gesserit (6). Eligat lector.

32. Resp. Ad 1. *D.* Ex defectu successionis prophetarum postquam canon sub Esdra jam firmatus fuerat, *C.* alia de causa *N.* Canon Scripturarum divinarum, uti compertum est, sub Esdra, cooperantibus prophetis qui illa floruerunt aetate, firmatus fuerat (7). Hoc porro in canone si paucos tractus excipias, libri hebraice conscripti repositi sunt (8); quoad reliquos qui vel aliena fuerant lingua exarati (9), vel posthac conscripti sunt, in magna semper veneratione penes Hebraeos extitisse, sive ante sive post Christum, exploratum est ex testimonio ipsius Josephi, qui ex defectu praedictae successionis saltem *certae* prophetarum, unice causam arcessit quare nec eandem fidem, nec eandem auctoritatem nacti sint hi libri ac primi in canonem Esdrinum relati obtinebant (10). Constat prae-

(1) *De sectis* act. 2.

(2) *De orthodoxa fide* lib. IV, c. 18.

(3) *In jambis*.

(4) *Confessio christianae fidei*. Genevae 1633. *Quaestio tertia*.

(5) Sess. 146. art. 4. 5, et 6.

(6) Hactenus quidam Julius Dombre in opusc. *Histoire de la canonicité des livres apocryphes de l'Ancien Testament*. Genève 1830. quod praemisit thesibus a se propugnandis. Hoc opusculum compendio contraximus, non quod aliquid deferamus huic auctori, qui nullo vel apud suos nomine fruitur, ut certior factus sum ex epistola quam exinde accepi; sed quia hic paucis congessit quae a protestantibus afferri consueverunt adversus libros deuterocanonicos, tum etiam ut occasionem haberem magis evolvendi quod ad hos libros spectat, eorumdemque divinam auctoritatem.

(7) Omnes docti in eo conveniunt non a solo Esdra, sed praeterea a cooperatoribus ejus qui *magnae synagogae* nomine donabantur, confectum canonem fuisse.

(8) Tum in prophetia Jeremiae, tum in prophetia Danielis partes occurrunt lingua chaldaica conscriptae.

(9) Tales sunt liber *Sapientiae*, *Baruch*, fragmenta seu ut vulgo dicuntur additiones libri Hester, pars deuterocanonica prophetiae Danielis, quae chaldaice tantum habentur.

(10) En verba Josephi ex lib. I. cont. Apionem n. 8. « Ceterum ab imperio Arta-

terea idipsum ex Thalmude in quo non solum ex illis testimonia allegantur velut *auctoritas*, sed aperte praeterea inter *hagiographa* scripta recensentur (1). Quod igitur facere nequivit synagoga spiritu prophetico destituta, catholica effecit ecclesia a Christo atque apostolis edocta, ac infallibilitate praedita (2).

53. Ad 2. *D.* Id est Christus Dominus non commemoravit nisi *Legem, Prophetas, et Psalmos* quia ita ferebat usus et distinctio quae tunc temporis invalescebat, *C.* ad ceterorum librorum exclusionem *N.* Propositio affirmans non importat natura sua sensum exclusivum: ut igitur aliquid conficerent adversarii, deberent ostendere Christum alicubi eos reprobasse, quod tamen ipsis plane est impossibile.

54. Ad 3. *N.* vel *D.* Expresse seu appellando ad aliquem librum peculiarem, Tr. aequivalenter *N.* Mirum nemini esse debet nullum in specie librum appellari a scriptoribus N. T. cum contraria tunc temporis consuetudo id non ferret: ut plurimum enim afferebantur effata ex libris sacris generatim tanquam *ex Scriptura*, aut apertis allusionibus contenti erant scriptores sacri quibus veluti digito indicabant ad quos libros sese referrent (3). Jam vero non semel in libris N. T. apertae ejusmodi allusio-

xerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula litteris mandata; sed nequaquam *tantam fidem et auctoritatem* meruerunt, quantum superiores ii libri, *propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum* ». edit. Haverc. tom. II, p. 441.

(1) Sane in tract. *Berahhot* fol. 48., in tract. *Herubim* fol. 54, et 64. tract. *Hhaghiga* fol. 12. tract. *Yebamot* fol. 63. tract. *Ketubot* fol. 110. tract. *Baba-Kamma* fol. 32. tract. *Baba-batra* fol. 38-145. tract. *Sanhedrin* fol. 100. *bis*. Item in *Medrasch-rabbà* sect. *Mikketz.* § 91. sect. *Bereschit* § 8. allegatur textus ex libris quos nos deuterocanonicos vocamus tamquam ex libris sacris ita ut mirum sit Jahnium in sua *archaeol. germanica* Vien. 1802. tom. I, p. 136. § 29. potuisse affirmare thalmudistas minime hosce libros allegare. In censum porro *Hagiographorum* eosdem libros a Thalmude referri aperte constat ex tract. cit. *Baba-batra*. fol. 92. *verso*, ubi legitur: « Raba quaesivit a Rabba-bar-Mari: unde provenit proverbium hoc populare: *Arbor sterilis deambulat, et confert se ad arborem infructuosam* (nempe juxta glossam Yarchi, qui sibi assimilantur similantur); respondit: hoc scriptum est in *lege*, repetitur in *prophetis*, et iterum in *hagiographis* .... In *hagiographis* enim dictum est: *omnis avis ad similem sibi conjungetur* ». Porro *thosephot Ghemarà* testantur hunc versiculum nuspiam reperiri in *canone clauso*, sed inveniri posse in libro Ben-Sira (Jesu filii Sirach). Reipsa hic textus legitur Ecclesiastici XIII, 20. nisi quod ibi legitur *caro* (animal), in Thalmude vero *avis*. Et haec quidem accepta referre debeo cl. Drach, qui in cognitione Thalmudis nemini facile secundus est, quique fortasse hoc de argumento peculiarem dissertationem editurus est. Cf. praeterea Janssens in cit. *Herméneutique sacrée*. § VII, p. 32.

(2) Singularis protestantium agendi ratio est, qui adeo deferunt synagogae ut ejus judicio penitus acquiescant, quamvis infallibilitate destituta fuerit, contra vero insurgant adversus ecclesiam cui Christus ejus conditor solemnes adeo pollicitationes fecit.

(3) Satis est aperire sacros codices N. T. ut appareat saepissime vel allegari vel alludi ad libros V. T. quin expresse de illis fiat specialis mentio, et nihilominus non solum sententiae, sed saepe verba ipsa afferuntur; idque ipsum factum est quoad libros deuterocanonicos. Ceterum apposite C. E. F. Moliniè auctor et ipse protestans ac Genevensis in op. *Notice sur les livres apocryphes de l'ancien Testament*; Genève 1828. in rem nostram scribit in considerationibus generalibus: « Mais, quelles que soient les causes acciden-

nes occurrunt ad loca librorum deuterocanonicorum e. g. *Luc.* XII, 19. — *Ecclesiastici* XI, 19. *Rom.* I., 20. *Sap.* XIII., 1. *Hebr.* XI., 34. — I. *Machab.* II, 39. *Epist. Jac.* I., 11. — *Ecclesiastici* XIV., 18. Ibid. II., 1. — *Ecclesiastici* XLII., 1. et alibi passim. Cum igitur apertissime apostoli in scriptis suis vel iisdem phrasibus interdum utantur, quae in libris deuterocanonicis reperiuntur, vel dicta et historias allegent quae nonnisi in iisdem referuntur libris, eadem plane ratione qua ad loca et historias alludunt contentas in libris protocanonicis, quid de illis libris revera senserint abunde ostendunt.

35. Ad 4. *D.* Publice legebantur in ecclesiis ex versione Alexandrina libri deuterocanonici uti Scriptura divina juxta divinam et apostolicam traditionem, *C.* uti libri apocryphi, eaque sola de causa quod reperirentur in versione Alexandrina *N.* Totum enim hoc systema nuper ab adversariis excogitatum, arbitrarium est ac manifeste falsum. Et sane certum est ex dictis 1. Hebraeos ipsos magna semper in veneratione hos libros habuisse, eosdemque in classem hagiographorum retulisse; 2. Christum et apostolos ex illis testimonia allegasse atque ad eos pluribus in locis allusisse; 3. uti ex dicendis patebit, antiquissimos patres ad eos libros tanquam divinos, divinamque Scripturam appellasse; 4. Utramque ecclesiam orientalem pariter et occidentalem eosdem ut divina inspiratione conscriptos recepisse. 5. Si ex versione Alexandrina factum esset, prout adversarii autumant, ut spectati fuerint uti canonici ac divini libri deuterocanonici eo quod in ecclesiis legerentur ad aedificationem, tamquam divini et canonici recepti pariter fuissent tertius saltem Esdrae, et III, et IV. Machabaeorum qui reperiebantur quoque in eadem Alexandrina versione dum tamen isti rejecti ut apocryphi plane sunt (1). Quaquaversus igitur spectes novum hoc systema, patet esse falsum, et ad arbitrium confictum. Hac porro machina dissoluta, sua veluti sponte corruunt quae ex ejusmodi hypothesi ab adversariis sunt superstructa.

36. Ad 5. *D.* Id est solemni decreto eos libros ecclesiae per id temporis non retulerunt in canonem, ac proinde sub hoc respectu eandem non tribuerunt ex-

telles qui auront empêché d'ajouter de nouveaux livres au canon rédigé du temps d'Esdras . . . il nous semble que la synagogue de Judée, telle qu'elle était devenue, n'était plus seule compétente sur ce sujet, et que l'église chrétienne, qui lui succédait, eut aussi cette compétence, comme la synagogue, du temps d'Esdras avait été juge des écrits antérieurs, même de plusieurs siècles. Or, nous avons vu quel cas les Docteurs de l'eglise primitive on fait des livres, que nous regardons maintenant comme apocryphes . . . . et de plus nous avons vu que *les apôtres y font de fréquentes allusions, alors même qu'ils ne les nomment pas*, comme ils ne nomment pas tous les livres de l'Ancien Testament qu'ils citent ».

(1) Etenim in editione versionis graecae LXX. quae jussu Sixti V. opera card. Antonii Carafa juxta vaticanum codicem adornata est, ac iterum recusa Lutetiae Paris. 1628. tres libri Esdrae reperiuntur ita dispositi, ut liber I. qui inscribitur ὁ ἱερεὺς sive *Sacerdos* respondeat libro Esdrae tertio, secundus respondeat nostro libro primo, liber Nehemiae seu juxta nos etiam Esdrae secundus respondet tertio in vers. LXX. Et eadem ratione leguntur in editione LXX. quae ad fidem codicis Alexandrini sive Londinensis adornata est a J. Ernesto Grabe, et iterum a J. Jacobo Breitingero Tiguri Helvetiorum an. 1731. Rursum in editione Romana, et Parisiensi graecae LXX. versionis tres habentur Machabaeorum libri, quatuor autem in editione quae ad fidem exemplaris cod. Alexandrini a Grabe, et Breitingero recusa est

trinsecam auctoritatem libris deuterocanonicis ac tribuerint protocanonicis, *C.* eosdem non spectarunt tamquam libros divinos Scripturamque sacram *N.* Latius namque patet notio libri *canonici* quam libri *divini*: omnis quippe liber canonicus divinus est, seu divinitus inspiratus, quo fit ut passim etiam a veteribus hae promiscue voces usurpentur, at non e contra, cum possit aliquis liber divinus esse quin canonicus item sit, cujusmodi profecto erant libri qui postea in canonem ab Esdra ejusque cooperatoribus adsciti sunt. Sic libri de quibus agimus censebantur quidem libri divini, at cum ecclesia solemni decreto, ut paulo ante diximus, eos in canonem non retulerit, canonici nec erant nec dici poterant. Hoc sensu apprime intelliguntur quae contraria videntur de his libris ab ecclesiae patribus affirmari. Interdum enim, uti mox videbimus, istos libros traducunt veluti dubiae auctoritatis; negant eandem illis inesse auctoritatem quam habent libri canonici; pronunciant inservire eos quidem aedificationi, dogmatibus autem quae in contentionem veniunt confirmandis minus idoneos esse; interdum etiam ad *apocrypha* scripta illos ablegare videntur (1); attamen iidem ipsi libros hosce alibi vocant *Scripturam*, illorum auctores *prophetas* dicunt, iis innituntur ad adstruenda fidei dogmata, libros appellant divinos, aliaque ejusmodi de ipsis pronunciant. Quomodo haec inter se componuntur? Nempe ea quam apposuimus distinctione inter libros canonicos, et divinos. Quae namque primo loco ex patribus attulimus intelligi debent relate ad canonicitatem, qua libri nostri destituti erant, et ad extrinsecam quandam auctoritatem qua scilicet carebant defectu testimonii solemnis ipsius ecclesiae: quae vero secundo loco adduximus, ecclesiae mentem circa eorundem divinam inspirationem, ac intrinsecam vim patefaciunt (2).

37. Ad 6. *N.* Haec pariter nova theoria adversariorum nostrorum omni est fundamento destituta. Non agebatur quippe de abusu aut praeveniendo, aut coërcendo, cum Melito Sardianus aliique canonem ediderunt: sed res erat de veteri Hebraeorum canone cognoscendo, et patefaciendo. Hac de causa Melito peregrinationem suam in Orientem suscepit, nec tamen canonem Hebraeorum omnino perfectum exhibuit (3). Origenes

(1) Multiplicem sensum hujus vocis *Apocryphi* tum apud veteres tum apud recentiores scriptores multa eruditione declarat Justus Fontaninius op. cit. *De antiquitatibus Hortae* lib. II. cap. III. § 3. quae illic recoli possunt. Ad rem nostram quod spectat perinde est liber *apocryphus* ac non ab omnibus probatus, cujusmodi erant libri quos nunc deuterocanonicos vocamus; ab Eusebio vero Hist. eccl. lib. III. cap. XXV. ἀντιλεγομένοι dicuntur ad distinctionem eorum quos ipse vocat ὁμολογουμένους, qui omnium consensu recepti erant.

(2) Vel ex hac sola animadversione aperte deducitur vanam esse protestantium difficultatem, quod si ecclesia statuit de canone Scripturarum, ipsa superior efficiatur ipsis sacris Scripturis. Etenim per confectionem canonis ecclesia nihil aliud praestat, quam solemne edere testimonium circa divinitatem quam agnoscit in sacris litteris juxta antiquam traditionem, nosque certiores reddit quinam censendi sint libri divini, quinam vero ab hoc numero excludendi. Nihil proinde intrinsecum addit ipsis Scripturis.

(3) De scopo Melitonis scribentis ad Onesimum haec habet Eusebius Hist. eccl. lib. IV, c. XXVI. « Universos veteris Testamenti libros, *qui omnium consensu recepti sunt*, statim in principio operis recenset ». Omittit porro in hac recensione Melito librum Esther, qui tamen, saltem quoad primam partem, certe canonicus semper habitus est.

item profitetur se Hebraeorum canonem exhibere (1). Concilium Laodicaenum utpote particulare solos recensuit libros *canonicos*, qui nempe continebantur in canone Hebraeorum omnium consensu recepto, adjecto tamen libro Baruch; de reliquis maluit silere donec ab ecclesia universali aliquid decerneretur (2). Ne vero longiores simus eadem aptari debet responsio patribus sive orientalibus sive occidentalibus qui nobis objiciuntur, quorum etiam scopus unicus fuit in suis catalogis librorum canonicorum eos tantum recensere qui in canone Hebraeorum continebantur, quia reliqui, nondum canone ab ecclesia confecto, reipsa canonici nequaquam erant (3).

38. Ceterum ut positivis testimoniis elucescat veritas nuper datae distinctionis inter libros canonicos et divinos, nonnulla hic subjicere praestat.

39. Origenes in celebri ad Africanum epistola non in eo solum totus est ut veluti genuinam ac sacram historiam vindicet Susannae, sed insuper alios libros, librorumque partes quae in canone Hebraeorum non continentur, ut hymnum trium puerorum, historiam Beli et Draconis, et sic vocata *additamenta* Esther, concluditque: « Tempus est igitur, si haec nos non latent, abrogare, quae *in ecclesiis feruntur exemplaria*, et fratribus lege praecipere, ut abjectis quos penes se habent, *sacris libris*, adulando judaeis persuadeant, et ut nobis puros, et qui nihil habeant figmenti, impertiant (4) ». Testatur praeterea ecclesias *Tobia uti* (5). Profert demum auctoritates ad veritates fidei constabiliendas ex libris Machabaeorum (6), ex libro Sapientiae (7) et ex Ecclesiastico (8).

40. S. Cyrillus Hierosolymit. passim ex libro Sapientiae, quem etiam Salomonis vocat (9), tum ex Ecclesiastico (10), ex Baruch quem prophetam dicit (11), atque ex postremis Danielis

(1) Etenim loc. cit. *ex comment.* in ps. I. ita scribit Origenes: « Sunt autem viginti duo libri *juxta Hebraeos* hi: primus qui a nobis Genesis dicitur etc. » opp. edit. De la Rue tom. II, pag. 529.

(2) Celebratum est concilium istud juxta verisimiliorem sententiam an. 372. Cf. Cabassutium *Notitia concil.* in hanc synodum, item Harduin. *Acta conc.* tom. I, col. 778. Convenerunt autem ad hoc concilium patres *viginti duo*, non autem ut scribit Dombre *trente deux*. Quoad libros N. T. omnes recenset praeter Apocalypsim: jam vero si protestantibus esset auscultandum, qui urgent concilium Laodicenum ut opponant decreto Tridentino, deberet e canone expungi hic liber quem tamen ipsi recipiunt. Cf. Cabassut. op. et loc. cit. ad can. LIX. Et haec quidem in hypothesi de veritate can. LX. hujus concilii, quem tamen haud spernendis rationibus nonnulli critici uti adscititium habent.

(3) Intelligi id debet de ecclesia universali, seu de canone qui universam ecclesiam adstringeret; nam de ecclesia Romana, nullum dubium, ut ex dictis patet, quod semper suum canonem habuerit.

(4) Ὥρα τοίνυν, εἰ μὴ λανθάνει ἡμᾶς τὰ τοιαῦτα, ἀτεθεῖν τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις φερόμενα ἀντίγραφα, καὶ νομοτεθῆσαι τῇ ἀδελφότητι ἀποθέσθαι μὲν τὰς παρ' αὐτοῖς ἐπιφερομένας ἱερὰς βίβλους κολακεύειν δὲ Ἰουδαίους, καὶ πειθειν ἵνα μεταδῶσιν ἡμῖν τῶν καθαρῶν, καὶ μηδὲν πλάσμα ἐχόντων. n. 4. ed. Maur. opp. tom. I.

(5) Ibid. n. 13.

(6) Exhort. ad martyr. n. 22. seqq.

(7) Lib. III. cont. Celsum n. 60. et alibi passim.

(8) Ibid. lib. IV, 28. et alibi vide indicem locorum s. Scripturae ad calcem uniuscujusque voluminis.

(9) Catech. IX, num. 2. ed. Touttei et alibi.

(10) Catech. VI, num. 4. Catech. XI, n. 19. etc.

(11) Catech. XI, n. 15. ubi scribit: *Audi*

capitibus testimonia tamquam ex Scriptura divina promit (1).

41. Verus item Athanasius (2) non solum ex eisdem libris adducit testimonia ad ea quae fidei sunt adserenda, sed ea praeterea utitur formula apud veteres usitata ad Scripturas divinas significandas, scilicet: *sicut scriptum est* (3).

42. Nec sese aliter gessit s. Gregorius Nazianzenus, qui passim deuterocanonicos libros adducit quos *Scripturam* vocat; explanatque si quae sint eorum loca adducta ab haereticis (4) quin uspiam divinam eorum auctoritatem in dubium revocet.

43. Idem praestitit s. Epiphanius confundens haereticos qui nonnullis horum librorum textibus abutebantur; siquidem eos ut divinos admittit, *Scripturam* expresse vocat, atque explanat (5).

44. S. Amphilochius ex prophetia Baruch et ex libro Sapientiae velut divinis Scripturis profert testimonia, quin tamen eos libros suo in canone recensuerit (6).

45. Quod vero de patribus graecis

prophetam dicentem: Hic est Deus noster etc. et alibi.

(1) Catech. XVI. n. 31. ubi agit de historia Susannae, et addit: *Scriptum est* enim: γέγραπται γὰρ et adducit verba quae leguntur Dan. XIII, 45. *Suscitavit Deus Spiritum Sanctum in puero juvenculo*. Porro phrasis *scriptum est* tum ex usu Scripturarum, tum ss. patrum ad denotandas Scripturas divinas usurpatur, ut notum est.

(2) Dixi: *Verus Athanasius*, siquidem criticis compertum est Synopsis auctorem minime Athanasium esse. Cf. Maurin. edit. admonitionem tom. II, opp. p. 124 seq. Attamen noster Dombre Athanasio eam tribuit. Ast haec sphalmata juveni candidato donanda sunt cum pluribus aliis.

(3) Hac enim phrasi utitur s. Athanasius in ep. III. *ad Serapion.* n. 4. allegans verba Sapientiae I, 7. et in *Apolog. ad Imp. Constant.* n. 17. adducens verba ex Tob. IV, 19. Insuper afferens ex epistola s. Alexandri ad se conscriptam in *Apolog. contra Arianos* n. 66. verba Ecclesiastici XXXI, 4. scribit: « Ait quodam in loco *Sacra Scriptura: mortuus est enim pater ejus, quasi non esset mortuus*. Ex quibus duplex habemus testimonium Athanasii et Alexandri pro divina auctoritate Ecclesiastici; et allegans in epist. *De decretis Nicaenis* n. 12. verba Baruch III, 12. scribit: « *Verbum* item Israelem objurgans ait » etc. Alibi vero eundem adducit sub nomine Jeremiae, passim verba ex deutero-canonicis proferens conjungit, nullo discrimine facto, cum verbis Petri, Pauli, Davidis etc. Cf. indicem locorum Scripturarum sub finem vol. I. Ceterum si standum esset auctoritati Synopseos, deberemus e censu protocanonicorum expungere librum Esther, ac recensere inter protocanonicos partem illam prophetiae Danielis quae complectitur historiam Susannae, ut alia omittam. Cf. tom. II. opp. s. Athanas. p. 126. seqq.

(4) Sic orat. XXXIV, n. 13. adducens testimonium ex Sap. I. ait: « Quomodo illud tueri poterimus quod *ait Scriptura*, Deum omnia pervadere » etc. et conjungit cum verbis Jerem. 31. item cum orat. LIX. profert verba Ecclesiastici XXIV, 5. pag. 730. tom. I. necnon orat. XXXVI, p. 586. ubi solvit quod ei objiciebatur ab arianis ex Baruch III. et alibi passim. Cf. indicem locorum Script. praemissum duobus voluminibus ejus operum.

(5) Uti Haeres. LXX, n. VII. edit. Petav. tom. I, p. 818. proferens auctoritatem ex Esther XIII, 9. et *Haeres.* LXIV, num. 54. ubi sub nomine Salomonis affert ex lib. Sapientiae I, 4. item *Haeres.* XXIV, n. VI, adducens testimonium ex *Ecclci* VII, I. ait: *Quemadmodum Scriptura testatur*. Rursum *Haeres.* LVII. solvit quod ex *Scriptura* objiciebatur ab haereticis noetianis, nempe ex Baruch III, 36. etc.

(6) In orat. in Christi Natalem n. 2. apud

qui nobis objiciuntur, dici pariter debet de patribus latinis, qui quamvis canonem contexuerint Hebraeorum, nihilo secius constanter afferunt testimonia veluti ab auctoribus *theopneustis* ex libris nostris, ut de Hilario certum est, etiam cum agitur de dogmaticis disceptationibus (1). Rufinus inter cetera crimini verterat Hieronymo quod in praef. ad librum Danielis visus esset partem deuterocanonicam respuere, a qua s. Doctor gravissimis hisce verbis se purgat: « Quod autem refero, quid adversum Susannae historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis, Draconisque fabulas, quae in volumine hebraico non habentur, Hebraei solent dicere, qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi (2) »; qui praeterea allegans verba ex libro Sapientiae haec utitur phrasi: « *Dicente Scriptura:* in perversam animam non introibit sapientia (3) », et de Ecclesiastico ait: « *Divina Scriptura* loquitur: musica in luctu intempestiva narratio (4) ». Jam vero haec Rufini et Hieronymi agendi ratio aperte ostendit quid ipsi senserint de his libris, quamquam ob allatum motivum e canone excluserint, imo Hieronymus inter apocrypha ableget, id est, *hagiographa* ex mente Judaeorum (5).

Galland. *Biblioth. Patrum* tom. VI, p. 464. tamquam ex *propheta* urget auctoritatem Baruch III, 38. Ita etiam citat Sap. IV, 2. in orat. in *Domini occursum* n. 4. Ibid. p. 469. Adde quod juxta canonem quem Amphilochius describit in jambis, dubitare deberemus de libro Esther, cum scribat: *His* (libris canonicis) additur Esther a *quibusdam*. Ibid. p. 495. vers. 288. perinde ac de non paucis deutero-canonicis N. T.

(1) Cf. Tract. in ps. CXXIX, n. 4. ubi adducit auctoritatem ex lib. Tobiae XII, 15. Tract. in ps. CXXXV, n. 11. ubi profert auctoritatem ex lib. Sapientiae I. 7. tamquam ex *propheta* scribens: *docet propheta*. Tract. in ps. CXL, num. 5. affert Ecclesiasticum sub nomine Salomonis cum Latinis; vide hic adnot. edit. Maur. lib. IV. *de Trinit.* n. 24. allegat Baruch III, 36. sub nomine Jeremiae; partem deutero-canonicam Danielis sub ejus nomine profert *Tract.* in ps. LII, n. 19. ac Danieli tribuit; ex II. Machabaeorum libro saepius auctoritatem adducit, ut in Tract. *in* ps. CXXXIV, 25. in lib. contr. Imp. Constan. n. 6. etc.

(2) Lib. II, cont. Ruffinum n. 33. in quem locum cf. adnot. Vallars.

(3) Comment. in cap. XVIII. Jerem. v. 18. ed. Vallars. tom. IV. col. 972.

(4) Epist. CXVIII, n. 1. ed. Vall. tom. I, col. 786.

(5) Ex paulo ante dictis n. 32. et nota apposita, luculentissime constat, Hebraeos inter hagiographa recensuisse libros deutero-canonicos; merito proinde Jahn in sua Archaelogia biblica germanica, Viennae 1802. § 29. arguit Martianaeum, quod contra sanam criticam, non obstantibus pluribus codicibus magnae auctoritatis, contra sensum doctorum hominum, correxerit quod legitur in parallelis prologis s. Hieronymi in lib. Tobiae et Judith *hagiographa* in *apocrypha*. Martianaeum secutus est Vallarsius, qui pluribus argumentis lectionem Martianaei communire nisus est. Ast perperam, ut ex dictis liquet. Nec ipsi favet quod scribit Origenes in epist. ad African. n. 13. edit. Maur. tom. I, pag. 26. Nam si bene attendatur ad verba Origenis, non absolute affirmat Hebraeos, libros Tobiae et Judith inter apocryphos computare, sed solum eos in apocryphis *hebraice* non habere; en ejus verba: *περὶ οὗ* (Τοβίας) *ἡμᾶς ἐχρῆν ἐγνωκέναι, ὅτι Ἑβραῖοι τῷ Τωβίᾳ οὐ χρῶνται, οὐδὲ τῇ Ιουδὴθ· οὐδὲ γὰρ ἔχουσιν αὐτὰ καὶ ἐν ἀποκρύφοις ἑβραιστί ὡς ἀπ' αὐτῶν μαθόντες ἐγνώκαμεν*. Quae sic vertuntur a De La Rue. « Verum nos oportet scire Hebraeos Tobia non uti (id est publice non legunt in synagoga), neque Judith. Nec enim hos libros *etiam in apocryphis he-*

Ex his novimus quid sentiendum de haereticis adversariis quando firma adeo fronte nobis veteres opponunt.

46. Ad 6. *D.* Qui allegant hos libros veluti *Scripturam* putandi non sunt eos in pari gradu habuisse ac libros canonicos quoad auctoritatem *extrinsecam*, *C.* quoad auctoritatem *intrinsecam N.* Certe de libris protocanonicis numquam dubitatio exorta est utpote in canone ab ecclesia universali recepto contentis: quoad reliquos vero cum exploratum sit non paucos, sed universim prorsus uti divinos, et Scripturam sacram seu divinitus inspiratam hos libros habuisse, eos uti Scripturam allegasse etiam adversus haereticos pugnantes, imo et allegatos ab ipsis haereticis veluti Scripturam fuisse, dubitare nefas est quin eandem intrinsecam ipsis auctoritatem tribuerint. Cum tamen hactenus ecclesia universa nullum canonem confecerit, ideo sub hoc respectu juridicam, ut ita dicam, ac authenticam eandem auctoritatem minime tribuisse, ac protocanonicis adjudicatur. Quod vero adjicitur discrimen inter libros *canonicos* et *ecclesiasticos*, quod isti tantum legerentur in ecclesiis, somnium adversariorum est. Nam si quandoque distinguuntur libri inter canonicos et ecclesiasticos, ideo est quia primi in canone recepti essent, ceteri uti divini haberentur ex ecclesiarum usu quae facto ipso patefecerunt eos in censu divinorum habere, non autem ex sola lectione ad aedificationem fidelium.

47. Etenim libros nostros veluti Scripturam divinam allegant Clem. Rom. (1); Barnabas (2), Hippolytus (3), Clemens Alex., (4), Irenaeus (5), auctor *Con-*

braice habent, ut ab ipsis didicimus ». Ad librum vero Judith in specie quod attinet, certum est nunc ab Hebraeis ejus historiam in synagogis legi primo sabbato octo dierum festi dedicationis (encaeniorum), et partem constituere officii publici matutini. Vid. *Yotser Leschabbat Rischon schel Hhanuca*.

(1) Epist. I. Cor. cap. IV. allegat testim; ex lib. *Sapient.* II, 24. cap. IX. ex lib. *Ecclesiastici* XLIV, 17. cap. LV. ex *Judith* etc. Apud Coteler. tom. I. Item in epist. II. *De virginit.* cap. 13. ubi testimon. profert ex Dan. XIII. De quibus duabus epistolis *De virginitate* cf. Galland. tom. I. Biblioth. PP. *Proleg.* cap. I, sect. II. In priori autem harum epistolar. ab eodem Clemente allegatur c. VI. *Ecclcus.*

(2) *Epist.* cap. VI. affert textum ex *Sapient.* II, 12. una cum textu Isaiae; Item ibid. citat Ecclesiasticum I, 10.; eundem librum allegat cap. XIX. Cf. apud Galland. loc. cit.

(3) *In Susannam* apud Galland. tom. II, p. 442. seqq. In Fragmento autem IX. in *Cantic. Canticorum* laudat librum *Sapientiae* eumque tribuit Salomoni, ibid. p. 489. et in *Demonstr. advers. Judaeos* §§ 9, 10. ter eundem librum adducit ejusque auctorem *Prophetam* nuncupat; ibid. p. 450. In op. *De Charism. Tradit. Apostol.* § 2. inter mulieres quae prophetaverunt recenset Juditham ex ejus lib. cap. VIII, ibid. p. 503. qui rursum in comment. hist. Susannae ad v. 55. commemorat quae referuntur ex lib. Tobiae III, 24. ibid. p. 446.

(4) Ter allegat librum Tobiae; bis librum Judith; unam supra vicies *Sapientiam* Salomonis; Ecclesiasticum supra quinquagies; quater librum Baruch; passim in *Eclogis* (si tamen ejus sunt) profert hymnum trium puerorum tamquam ex Daniele; tum librum II. Machabaeor. Cf. *indicem sententiarum sacrae Scripturae quas Clemens Alex. passim citat*, ad calcem edit. ejusdem opp. Jo. Potteri Oxoniensis, Venet. 1754.

(5) Lib. IV. *cont. Haeres.* cap. XXXVIII. n. 2. profert testim. ex lib. Sapient. VI, 19, 20. Sic lib. V, cap. XXXV. sub nomine Jeremiae, quae leguntur Baruch IV, 36. et in toto cap. V; lib. IV, cap. XXVI, n. 3. Danieli auctori tribuit quae leguntur Dan. XIII. de historia Susannae, eidemque prophetae re-

stitutionum apostolicarum (1), Tertullianus (2), Cyprianus (3), Dionysius Alex. (4), Methodius (5), Pontius (6), Archelaus (7), aliique praeter eos quos paulo ante recensuimus et vindicavimus (8).

48. Ad 7. *N.* Etenim s. Augustinus et concilia Africana sub finem sec. IV. aut sub initium sec. V. nihil aliud fecerunt quam in unum demum canonem redigere libros qui hactenus tacito vel expresso ecclesiarum consensu et usu uti divini ex antiqua traditione habebantur. Dicitur enim in conc. Carthaginiensi VI. an. 409. celebrato: « Quia a Patribus ista accepimus in ecclesia legenda (9) »: et tamen dicuntur libri *divini*, Scripturae *canonicae*, qua sola animadversione totum aëreum adversariorum aedificium de distinctione inter libros *canonicos* et

fert historiam Beli et Draconis, quae habetur Dan. XIV, ibid. lib. III, cap. V, n. 2.

(1) Lib. II. cap. XLIX, et LI. sub nomine Danielis profertur historia Susannae; ex libro Tobiae lib. I, cap. I. adducitur testimonium ac dicitur *lex Dei*; et lib. VII, cap. II. adducitur uti Scriptura divina una cum aliis libris proto-canonicis; item lib. III, cap. XV. Judith fit mentio lib. III, c. VII. Ibid. lib. II, cap. XXI. ex Ecclesiastico textus profertur etc.

(2) Allegat testimonium ex lib. Judith, *lib. de Monog.* c. XVII. Novies adducit ex libro Sapientiae, quem adscribit Salomoni; quinquies ex Ecclesiastico quem et Scripturis accenset; totidem ex Baruch sub nomine Jeremiae; Susannae item historiam Beli et Draconis commemorat ac Danieli tribuit; utrumque denique allegat Machabaeorum librum, primum nempe et secundum. Cf. indicem Scripturarum ad calcem ejusdem operum, edit. Pamelii et Rigalt.

(3) Eosdem libros quos Tertullianus veluti Scripturam allegat s. Martyr ac librum praeterea Tobiae passim; Cf. indicem loc. sac. Script. ed. Maur.

(4) Tamquam Scripturam divinam adducit testimonia ex lib. Tobiae, Sapientiae, Ecclesiastici, et Baruch. Cf. edit. opp. De Magistris, Romae 1796. in ind. loc. sac. Script.

(5) *In Convio. Decem virg.* Orat. II, § III. profert textum ex lib. Sapient. III, 16. vocatque γραφὴν; item § VI. Sap. IV, 6. et § VII. Sap. XV, 10, 11. et alibi. Item ibid. Orat. V, § IV. ex libro Ecclesiastici VI, 35. item orat. I. ex cap. XVIII, 30. XIX, 2. XXIII, 1, 5, 6. nec non orat. VIII. § III. ex lib. Baruch III, 14, 15. sub nomine Jeremiae; orat. XI, § II. *in psalmo* ex lib. Judith VIII, 1. et ex Dan. XIII, 19, ubi agitur de historia Susannae. Cf. apud Galland. Bibl. Patr. tom. III, pag. 670 seqq.

(6) *In vita et pass.* s. Cypriani § 10. ubi ex lib. Tobiae profert testim. Cf. apud Ruinart *acta MM.* ed. Veron. 1731. p. 183.

(7) In *Disput. cum Manete haeresiarcha* § XXIX. allegat ex lib. *Sapient.* 1, 19. et quidem in disputatione dogmatica. Cf. apud Galland. *Bibl. PP.* tom. III, p. 587.

(8) Inter alios enim addi possent auctor tractat. anonymi ad Novatianum. *De spe veniae non neganda* apud Galland. tom. III, p. 376. qui citat tamquam *divinam exhortationem* verba *Ecclesiastici* II, 11-13. Eundem librum vocat Origenes hom. IV. in Exod. § 5. *Scripturam*, et hom. VIII, § 4. ejus auctorem vocat *prophetam*; auctor *Constit. Apost.* qui praeter nuper recensitos libros, adducit lib. V, cap. XX. Baruch III, 36. Cf. apud Coteler. tom. I. S. Cornelius in epist. XII. ad s. Cyprian. apud Galland. tom. III, p. 353. librum II. Machab. vocat *Scripturam divinam* etc. Ex his patet universam antiquitatem, patres graecos et latinos veluti Scripturam, Scripturam divinam, divina oracula etc. libros deuterocanonicos allegasse, quamvis inter canonicas Scripturas non recensuerint, eo quod, ut diximus, praeter priorem canonem ab universa ecclesia receptum, nullus alius solemni judicio confectus fuerit.

(9) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. I, col. 968. ubi cf. adnot. Harduini ad can. XLVII, conc. III. Carthag.

ecclesiasticos plane labefactatur. Ruit insuper simul quod adjicitur de oppositione ecclesiae Africanae contra auctoritatem orientalis ecclesiae et s. Hieronymi; de deceptione s. Augustini, Tertulliani ac Cypriani, addere poterant et aliorum omnium quos magno numero paulo ante recensuimus una cum Pontifice Innocentio I. qui eundem canonem tradidit Exsuperio *Tolosano* (1), et Bonifacio qui africanum canonem probavit; isti porro omnes decepti turpiter sunt tamquam totidem stolidi, ne dicantur decepti sapientes et acuti haeretici nostri (2).

49. Ad 8. *N.* Siquidem s. Augustinus cum fatetur solos protocanonicos in canone Hebraeorum extitisse idem dixit quod alii omnes ante se jam dixerant eademque ratione ac illi se gesserant, se pariter gessit quoad alios libros in illo canone non contentos. *Falsum* est s. Augustinum in libro *Retractationum*, excusare se quod tamquam *prophetam*, seu *auctorem inspiratum* recensuisset auctorem Ecclesiastici: sed solum abjudicat Salomoni, cui tum Sapientiam, tum Ecclesiasticum tribuerat (3).

50. Ad 9. *Neg.* hanc illationem utpote ex falso supposito derivatam, ut abunde liquet ex dictis; haec enim non est theoria sive Augustini sive Africanorum, sed adversariorum nostrorum. Idem dic circa ea quae de posterioribus scriptoribus affirmant adversarii, quod non satis adverterint ad systema a nostris protestantibus nunc demum excogitatum, ac de errore commentitio quem sanxit Tridentinum, quin diutius his insistamus.

51. Ad 10. *D.* Id est non defuerunt, qui nondum canone ab ecclesia universali confecto excluderent a censu canonicorum librorum aut aliquos aut omnes libros deuterocanonicos, aut saltem de nonnullis dubitarint, *Tr.* vel *C.* ademerunt his libris divinam auctoritatem, juxta dicta, *N.*

52. Ac 1. non admodum sincere proferunt adversarii nostri quae ex Junilio Africano objiciunt. Nam non Judith solum et libros Machabaeorum collocat inter libros *mediae auctoritatis*, sed libros praeterea Paralipomenon, librum Job, duos Esdrae, et librum Esther (4), deque his praecise pronunciat quod *non inter canonicas Scripturas currunt, quoniam apud Hebraeos quoque super hac differentia recipiebantur*. Ex hoc solo loco specimen habemus tum doctrinae hujus auctoris, tum *bonae*, ut ajunt, fidei adversariorum, qui illum nobis objiciunt, ne cetera persequamur.

Falsum etiam est quod de catalogo Scripturarum in vigesimo primo Capitulari Caroli M. dicitur; nam non aliud de

(1) Dixi: Exsuperio *Tolosano*; nam eruditus adversarius Exsuperium dicit episcopum *Toletanum*, *Ev. de Tolède* (p. 28.).

(2) Semper mira est haereticorum agendi ratio; si enim aliquid ipsis arridet, nullo licet aut paucorum testimonio innixi illud amplectuntur, si non placet, etsi conspiret universa antiquitas in eo stabiliendo, omnino respuunt; siquidem ipsi sunt judices supremi.

(3) En ejus verba ex lib. II. *Retract.* cap. IV, n. 2. « De auctore libri quem plures vocant Scripturam Salomonis, quod etiam ipsum sicut Ecclesiasticum Jesus Sirach scripserit, non ita constare, sicut a me dictum est, postea didici, et omnino probabilius comperi non esse hunc ejus libri auctorem ».

(4) Cf. op. cit. *De part. div. legis*, Paris. 1556. cap. III, collat. cap. VII. Animadvertendum praeterea est hunc auctorem recensere inter libros *perfectae auctoritatis* librum Ecclesiastici (cap. V.), et inter libros *mediae* auctoritatis *Canticum canticorum* (ibid.).

Scripturis sacris ibidem invenitur, quam admonitio ut sacerdos Dei *de divina Scriptura doctus sit, ac totum Psalterium memoriter teneat* (1).

53. S. Gregorius M. libros Machabaeorum vocat *non canonicos* per oppositionem scilicet ad canonem Hebraeorum (2) juxta dicta.

54. Eodem plane sensu loquitur Hugo a s. Victore qui recensuit solum Hebraeorum canonem (3).

55. Sincere non affertur quod ex Jo. Beleth objicitur; nec enim ipse scribit: *Hos non recipit ecclesia*, sed: *Verum hos quatuor QUIDAM non recipiunt, ecclesia tamen eos approbat* (4); et hinc novum specimen sume bonae fidei adversariorum ecclesiae.

56. Jo. Saresberiensis sibi tantum proposuit describere ex s. Hieronymo canonem Hebraeorum, ut ipse declarat (5). Loquens vero de libris Tobiae, Judith, et Machabaeorum *qui non sunt recepti in canone* (nempe Hebraeorum) *quia fidem*, inquit, *et religionem aedificant pie admissi sunt*, scilicet ab ecclesia (6), demum concludit, omnium V. et N. T. librorum unum eundemque auctorem esse Spiritum Sanctum (7).

57. In Glossa ordinaria pariter canon Hebraeorum ex auctoritate Hieronymi praeponitur, neque, ut ajunt adversarii, in posterioribus editionibus an. 1506. tractus qui contrarii sunt canonicitati apocryphorum (*deutero-canonicorum*) omittuntur (8); siquidem nulla erat ejusmodi omissionis ratio.

58. Ita etiam Hugo de s. Charo, qui canonem exhibet Hebraeorum, et ad mentem s. Hieronymi vocat apocryphos, sive *hagiographos* libros in canone non contentos, declaratque eos ab *ecclesia recipi* (9).

59. Guillelmus Ocham nec verbum hoc de argumento habet in objecto loco (10). Lyranus verbis utitur s. Hiero-

(1) Cf. Apud Harduin. *Acta conc.* tom. IV, col. 961.

(2) Cf. Praefat. general. edit. Maur. opp. tom. I, § XVI. ubi ipsi hanc difficultatem jamdiu a Molinaeo objectam disjiciunt.

(3) Cf. opp. ed. Ven. 1588. t. I. *De Scripturis* etc. cap. VI, et VII. ubi recenset juxta can. Hebr. libros XXII.

(4) Cf. *Hujus lib. officiorum explicationem* ad calcem *Rationalis div. offic.* Guillelm. Durandi. Venet. 1577. fol. 335, 2.

(5) Relato enim ex s. Hieronymo Hebraeorum canone subdit: « Et haec quidem inveniuntur in Prologo libri Regum, quem Hieronymus vocat *galeatum principem* omnium Scripturarum quae ab ipso de fonte Hebraeorum manaverunt ». Cf. in *Biblioth. Patr.* Lugd. 1677. tom. XXIII, pag. 468, col. 1.

(6) Ibid, pag. 469, col. 1.

(7) Ibid. col. 2.

(8) Sane in Bibliis sacris cum *Glossa ordinaria* Lugduni editis an. 1590. ac Sixto V. nuncupatis, prologus *de canonicis et non canonicis libris* eadem prorsus ratione legitur tom. I.

(9) Sic enim scribit *in postillam super* lib. Tobiae: « Dicimus quod Hieronymus accipit hic diffusius hagiographa, ut scilicet includat apocrypha, *quae ab ecclesia recipiuntur:* quorum veritas manifesta est, sed auctor ignoratur, ut est Ecclesiasticus, Sapientia, Judith, Machabaeorum, Tobias, Pastor ». Cf. opp. edit. Venet. 1600. tom. I, fol. 373, 2. col. 1.

(10) Etenim adversarius allegat Ochamum *Dial.* p. III., cap. 16. Porro ibi nil tale legitur. Cf. ejus opera edita a Goldasto in *Monarchia s. Rom. imperii*, Francof. 1614. tom. II, p. 785. Quod si in lib. III. Tractatus tertii cap. XVI, p. 834. refert effatum s. Hieronymi asserentis « libros Ecclesiastici et Sapientiae legi in ecclesia ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam », ac praeterea extendit ad libros etiam Judith et Tobiae quod dixit s. Greg. M. de libris Machabaeorum;

nymi eodemque in sensu loquitur (1). Hornei jurisconsulti opus mihi comparare non potui; at praeterquam quod obscuri jurisconsulti sec. XIV. auctoritas hac in parte nimis exigua est, ex analogia licet conjicere illum a ceteris non dissentire.

60. Dum videtur s. Antoninus non aliam tribuere auctoritatem libris deuterocanonicis quam eam, quae doctoribus competit ecclesiae, intelligi debet in ordine ad auctoritatem extrinsecam et canonicam nondum solemni ecclesiae decreto illis libris tributam; instructio enim ab Eugenio IV. Armenis data est, absoluto concilio Florentino. Utitur autem verbis s. Hieronymi quoad libros in canone Hebraeorum non contentos, et profitetur ecclesiam hos libros recipere juxta datam superius a nobis distinctionem (2).

61. Idem de Tostato dixeris, qui tamen fatetur libros deuterocanonicos ab ecclesia recipi uti authenticos (3).

62. Praefatio quae occurrit in Bibliis editis an. 1498. et 1506. eadem repetit, quae tot alii auctores post s. Hieronymum dixerunt de canone Hebraeorum deque aliis libris ab ecclesia receptis. Hos porro eosdem auctores secutus est card. Ximenes in sua polyglotta Complutensi (4). Idem praestitit card.

non ad detrahendum horum voluminum auctoritati, haec protulit Ochamus, sed ut ostenderet minus efficax argumentum inde desumi, defectu extrinsecae auctoritatis, seu solemnis ecclesiae judicii, quo in album librorum canonicorum referrentur, prout animadvertimus cum explanaremus illorum duorum patrum effata.

(1) Cf. in praef. *super librum Tobiae*. Ed. Lugd. 1590. tom. II, col. 1495.

(2) Scribit enim loc. cit. edit. Lugdun. 1586. tom. I, p. 65. de libris *Sapientiae* et *Ecclesiastici*, quos plures tribuebant Salomoni. De primo vero affirmat: quod « Apud Hebraeos nusquam est secundum Hieronymum, scilicet in numero authenticorum librorum ». Adjicit vero in hoc libro agi « de tractatu Judaeorum quem fecerunt ad Christum occidendum ». De altero vero scribit: « Quamvis sit plenus morali sapientia, et ideo ab ecclesia receptus ad legendum, non tamen authenticus ad probandum ea, quae veniunt in contentionem fidei », quae sunt verba s. Hieronymi; adeoque eodem sensu accipienda sunt, quo paulo ante exposuimus. Ejus mens adhuc melius dignoscitur ex iis quae ibidem scribit tit. III, cap. IX, § 12, p. 85. loquens enim de quinque libris deuterocanonicis quos Hebraei inter apocrypha ablegant, haec habet: « *Ecclesia sancta tamen etiam apocrypha recipit ut vera, ut patet dist.* 15 ». Quae objicit adversarius, non in loco ab eo allegato, sed leguntur in *Summ. Theolog.* p. III, tit. 18, cap. 6, § 11. edit. Veron. col. 1043.

(3) Etenim Tostatus seu Abulensis loc. cit. ab adversario expresse de libris Sapientiae, Ecclesiastici, Judith, Tobiae, et Machabaeorum scribit, eos uti *authenticos recipi ab Ecclesia; suscipi ac legi ab ecclesia* etc. Cf. *Enarrat. in praefat. D. Hieronymi in lib. Regum* quaest. 27, 28. et 29. *In Enarratione* vero *praef.* I. *in Paralip.* Quaest. 7. exponit quo sensu libri qui extra canonem Hebraeorum reperiuntur, recepti tamen sunt ab ecclesia, *apocryphi* vocentur. Demum in *praef. in Evangel.* s. Matth. quaest. 1, 2, et 3. ac praecise in quaest. 2. leguntur quae opponit adversarius: en ejus verba: « Imo nescit (ecclesia) an Spiritu S. inspirati scriptores eorum dictaverint illos (libros) ». Idque asserit relative ad omnimodam certitudinem quam ecclesia habebat de libris protocanonicis, ex defectu, ut saepius diximus, solemnis decreti nondum emissi, prout demum factum est in conc. Tridentino; alioquin non posset sibi ipso constare.

(4) Cf. in *Prologo* II. *De his quae ad lectionem N. T. sunt praenotanda*.

Cajetanus (1); hic tamen novitatis, ut solet, amore captus ulterius, quam par esset, progressus est in commentariis supra Scripturam, qui pedibus pavonis opportune admodum comparati a card. Pallavicino sunt (2); et in reprehensionem etiam suorum eapropter Cajetanus incurrit (3).

63. Ad 11. *N.* Imo Graeci et hoc tempore, et aetate subsequenti convenerunt in admittendis uti divinis libris ab ecclesia latina receptis, ut constat ex eo quod nulla unquam hac de re inter utramque ecclesiam excitata sit controversia. Quod si Leontius Byzantinus, Damascenus, Nicephorus uterque, Constantinopolitanus et Callixtus recensent canonem Hebraeorum, hoc ab ipsis fit absque detrimento aliorum librorum qui admissi ab ecclesia sunt (4).

64. Ad 12. *N.* Etenim ut patet ex hactenus expositis concilium Tridentinum filum traditionis constantis et perpetuae Romanae ecclesiae secutum est in canone divinorum Bibliorum sanciendo; traditio haec viguit in omnibus ecclesiis orientalibus et occidentalibus, quae quoad substantiam eosdem libros uti divinos tenuerunt non ad aedificationem solum, sed etiam ad firmanda fidei dogmata, ut omnia documenta ex patribus Graecis, et Latinis, ex Constitutionibus apostolicis, ex conciliis quae adduximus, evidenter ostendunt, quibus plura alia praesertim post sec. IV, et V. adjicere possemus (5). His vero nullo modo opponuntur quae ex s. Hieronymo aliisque qui eum secuti sunt aut descripserunt, afferuntur ab adversariis, cum non loquantur nisi de libris canonicis in presso sensu, de iis nempe qui continebantur in Hebraeorum canone. Quod si alios rejecerunt ex censu Scripturarum canonicarum, relato tantum ad illum canonem hoc affirmarunt; quia licet ab ecclesiis hi libri uti divini admitterentur, quod quidem hi ipsi scriptores fatentur, ex defectu tamen canonis solemniter ab ecclesia universa confecti, qui omnes adstringeret ad illos admittendos, factum est, ut honor canonicarum Scripturarum solis passim protocanonicis tribueretur.

(1) Cf. in *Comment.* in cap. x. lib. Esther. ed. Lugd. 1639. tom. II. p. 400, col. 2.

(2) *Istoria del conc. di Trento* lib. VI, cap. 17, n. 2.

(3) Cf. Melch. Can. *De loc.* lib. 2, cap. XI. in resp. ad sextum argum. Cajetanum in V. T. *hebraizare*, in Novo *erasmizare* in proverbium cessit. Certe Witackerus opp. ed. Herbornae an. 1590. pag. 60. Lutherum libros deuterocan. ex canone expungentem defendit exemplo Cajetani, qui ex can. N. T. epistolas Jacobi, II. Petri, II et III Jo., Judae, Pauli ad Hebraeos, et partes controversas et alia quaedam sustulerat, de quibus Luthero numquam venerit in mentem dubitare. Cf. Georg. Czuppon *Vindiciae vulg. edit. Biblior.* Sabariae 1798. tom. I, p. 53. seq.

(4) Satis est percurrere indicem loc. sac. Scripturae qui allegantur a s. Jo. Damasceno, ut pateat eum promiscue adducere testimonia ex lib. Sapientiae, Ecclesiastici et Baruch. Cf. ed. Le-Quien, qui in adnot. 1, ad cap. XVII, libri IV. *de fide Orthod.* observat s. Joan. Dam. canonem exscribere quem exhibuit s. Epiphanius in lib. *De pond. et mens.* de quo superius diximus.

(5) Ne prolixior sim in istorum catalogo texendo, cf. cit. Appendicem quam in praef. generali exhibet cl. Jos. Blanchinius in *Vindiciis canonic. Scripturar.* De auctoribus qui ab apostolorum aetate usque ad sacr. concil. Tridentinum canonis divin. Scriptur. indicem texuerunt a pag. V, ad IX. quorum plerique eundem catalogum sac. librorum sequuntur, qui confectus est a conc. Carth. III, et ab Innoc. I. et quem secuta est synodus Tridentina.

Ad exactam proinde scientiae et critices regulam Tridentinum conc. canonem suum confecit, nec ei propterea verendum erat *anathema scientiae*. Bene vero protestantes haeretici sibi omnia timenda habent ab anathemate ecclesiae Christi cui rebelles existunt sub obtentu scientiae suae quae eos inflat cum dispendio aeternae salutis.

65. Ad 13. *D.* Id est non destiterunt viri temerarii, iique perpauci, qui contra ecclesiae auctoritatem maluerunt haereticis velificare quam sinceram doctrinam catholicam sectari, *C.* vere catholici *N.* Etenim ab adversariorum censu seponi debent Sixtus Senensis et Bernardus Lamy, qui ejusdem auctoritatis profitentur esse libros protocan., et deuterocanonicos, quamvis quoad eorum notitiam, seu quoad nos, eosdem inter se distinguant (1). Sane Sixtus Senensis excandescit in haereticos eo quod nobis eripere tentaverint libros deuterocanonicos, eos expungendo e sacrorum Bibliorum canone (2). Itaque duo illi supersunt Dupin, et Jahn quorum scilicet satis explorata est temeraria ac libera nimis sentiendi ratio, quique omnibus sinceris catholicis suspecti idcirco sunt: quamquam neque isti omnino adversariis nostris consentiant (3).

66. Ad 14. *D.* Cujus nulla auctoritas est utpote auro hollandico corrupti et ad ineundam calvinistarum gratiam proditoris ecclesiae suae a qua propterea semel et iterum damnatus est, *C.* Cujus sit auctoritati fidendum *N.* Cum hic sycophanta solus sit qui ab adversariis opponatur idemque rejectus a suis, exinde patet quid de libris deuterocanonicis sentiat ecclesia Graeca (4).

67. Ad 15. Resp. I. *Neg.* suppositum de ecclesia protestanti: protestantes numquam constituerunt ecclesiam; sed ag-

(1) Cf. Sixt. Senens. *Biblioth. Sanctae* lib. I, sect. I. ed. Neap. 1742. pag. 2. et Bernard. Lamy in *Apparatu biblico*. lib. II, cap. I, et II. ed. Lugd. 1696. p. 311 seqq.

(2) En ejus verba quae leguntur in ejus praefat. § IX. quaeque certe haud arridebunt adversariis nostris: « Alii ab ipsa divinarum litterarum auctoritate *sceleratius*, magisque impie bellum aggressi numerum nobis utriusque Testamenti voluminum imminuunt, et ad minorem summam redigunt: inter quos Lutherus et Zwinglius ex Veteri primum Testamento eliminant libros *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, *Tobiae* etc. . . . Veluti apocrypha et incertae auctoritatis et fidei scripta etc. ».

(3) Quamquam Dupinius in op. *Dissertation préliminaire sur la Bible*. Paris 1701. tom. I, ch. I, § VI. plura habeat communia cum adversario nostro, qui pleraque ab illo mutuatus est, attamen assentitur conc. Tridentini decreto quo ut canonicos recipiendos sanxit libros de quibus agimus: en ejus verba: « Toutes ces raisons et ces considérations jointes ensemble, sont suffisantes pour établir l'autorité de ces livres, dont *la définition du concile de Trente* ne laisse aucun lieu de douter ». Quod vero spectat ad Jahn, ipse in *Introduct. ad lib. sac. V. T.* cap. II, § 30. ancipitem se ostendit, utrum conc. Trid. discrimen sustulerit, quod, eo quidem sentiente extitit circa diversam librorum protocanon., et deutero-canonicorum auctoritatem.

(4) Quod nec Dombre ipse dissimulat. Cf. quae de Cyrillo Lucari in ordine ad canonem scribit doctus p. Le-Quien in adnot. I. ad cap. XVII, libri IV. *De fide Orthodoxa s. Jo. Damasceni* opp. tom. I, p. 283. ubi inter cetera observat synodum Bethleemiticam p. 389. libris in canone Laodiceno contentis ceteros addidisse, et declarasse *inscite ac maligne* a nefando Cyrillo *ἀποκρύφους apocryphos* nominatos. Cui sanctioni Dionysius Cp. cum aliis episcopis bene multis et presbyteris suffragatus est in responsione ad articulos calvinistarum an. 1672.

men haereticorum qui perduelles in ecclesiam Christi sunt nec minus ab ecclesia quam a se invicem divisi; ecclesiam proinde protestantem non potuit synodus Dordracena repraesentare.

68. Resp. II. *D.* Id est synodus Dordracena in suo conficiendo decreto antiquitatis vestigiis adversata est, *C.* institit *N.* Nam, ut vidimus, antiquitas universa, quamvis inter canonicos, prout canonicorum nomine significabantur libri in canone judaico contenti, deuterocanonicos interdum non recensuerit, agnovit tamen eos et sacros esse et ab ecclesia uti divinos in se probari, etsi eadem certitudine extrinseca, seu *quoad nos* eadem ratione ac de primis illis non constaret. Universa insuper antiquitas, nullo discrimine interjecto, eos libros una cum ceteris recensuit firmiterque retinuit. Contra vero synodus Dordracena ex censu divinorum librorum eos expunxit, et ad calcem librorum protocanonicorum rejecit cum apposito titulo: *Libri Apocryphi*. Ceterae autem ecclesiae a synodo repraesentatae, nulla ejusmodi decreti ratione habita, libros eosdem e Bibliis penitus ablegarunt (1).

69. Post prolixam hanc discussionem juverit et nobis percontari quaenam ecclesia (ut ecclesiae nomen coetui protestantium liberaliter concedamus) in errore sit, catholica an protestans? Quae in confirmationem canonis Tridentini documenta afferuntur certissima sunt et ad critices unguem exacta; quae ab adversariis vero proferuntur partim praepostero sensu sunt intellecta, partim exaggerata, partim demum falsa ac putida mendacia. Eligat igitur lector. Tales sunt protestantium triumphi!

70. III. Obj. Nonnulli saltem libri N. T. nunc in canone recepti sunt, qui in canone ecclesiae Romanae desiderabantur. Siquidem 1. constat ex Eusebio Cajum presbyterum ecclesiae Romanae sec. III. non admisisse nisi tredecim epistolas s. Pauli, cum eam non adnumeraverit quae ad Hebraeos inscripta est, et s. Hieronymus qui Romae Damaso ab epistolis fuit aperte scribat: « Paulus Apostolus in epistola ad Hebraeos, quem latina consuetudo non recipit (2) »; quod et alibi repetit (3). 3. Idem dici debet de Apocalypsi quoad orientales, eodem s. Doctore teste (4); imo teste anteriore scriptore Magno Dionysio Alexandrino (5). 4. Concipi porro nequit, quomodo ecclesiae sec. XVI. potuerit innotescere, quod quatuor saltem prioribus seculis ignoravit ecclesia, cum nullam posthac ipsa revelationem habuerit. 5. Non immerito igitur Romae vehementer obmurmuratum est, referente Sarpio (6), quod a congregatione quinque cardinalium et quadraginta octo episcoporum, qui exiguis dioecesibus praeerant, nec magni erant theologi, praecipiti consilio decretum de re adeo difficili latum fuerit. Ergo.

71. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Cajus Rom. Ecclesiae presbyter non adnumera-

(1) Cf. *Notice sur les livres apocryphes de l'ancien Testament en reponse à la question* FAUT-IL LES SUPPRIMER? par C. E. F. Moulinié pasteur de l'église de Genève. Genève 1828. Quem rite opponere possumus Dombrio, utpote qui et doctrina et auctoritate plurimum valeat inter suos, dum Dombre nulla existimatione clarescit.

(2) *Comment.* in cap. VI. Is. ad v. 2.

(3) In epist. CXXIX. ad Dardan. ed. Vallars. n. 3. in *Catal.* in Cajo; ad cap. VIII, Zachariae et in Matth. c. XXVI. ac demum in epist. ad Evangel. et alia ad Paulinum. Cf. adnot. Vallarsii ad pag. 965. tomi I.

(4) In epist. cit. ad Dardan.

(5) Apud Euseb. Hist. Eccl. lib. VII., cap. 25.

(6) *Storia del concilio di Trento* lib. II.

vit epistolam ad Hebraeos inter epistolas s. Pauli, *C.* non agnovit eam epistolam uti divinam atque canonicam *N.* Duae ejusmodi quaestiones permisceri inter se nequeunt: altera quippe ab altera antiquitus sejuncta fuit. Quidam enim uti divinam habuerunt epistolam ad Hebraeos quamvis eam a Paulo conscriptam esse inficiarentur (1), prout contigit Apocalypsi cujus auctorem diversum esse ab Apostolo Joanne aliqui ex antiquioribus existimarunt, quin tamen ejus divinitati quidquam derogarent (2). Cajus propterea potuit eam quidem abjudicare epistolam apostolo Paulo, nec tamen canonicam ejus auctoritatem ob id inficiari, ut patet ex ipsis Eusebii verbis (3). Sane cum videamus a Clemente plures ex hac epistola sententias proferri perinde ac ab aliis scriptis canonicis, patet ab ecclesia Romana eam inter Scripturas cononicas seu divinas fuisse adoptatam (4).

72. Ex his responsio fluit ad alteram probationem adductam ex s. Hieronymo: qui quidem non de Romana proprie ecclesia loquitur, sed de ecclesiis *latinis*, seu potius de *latina* consuetudine, quo nomine ecclesiae occidentales in genere significantur, apud quas potuit esse circa auctorem hujus epistolae dissensus. Quod si vere loquitur de ecclesia Romana, non loquitur nisi de nonnullis ejusdem membris, siquidem exploratum est, aetate s. Hieronymi plerosque omnes eandem epistolam recepisse, uti ostendit Bonfrerius (5). Ceterum idem s. Doctor in epist. ad

(1) Cf. Michaëlis, *Introduct. au Nouveau Testam.* Genève 1822. tom. IV. chap. XXIV. sect. XV, p. 224. et Cellérier *Introduct.* etc. *Division.* II, sect. XI, pag. 448. seqq. Certe Tertullianus lib. *De pudicitia* cap. XX. eam adscribit Barnabae, ac receptiorem eam esse dicit *apud ecclesias* epistolam Barnabae (nempe epistolam ad Hebraeos) *illo apocrypho Pastore moechorum*. Cf. etiam s. Hieronym. *De viris illustr.* in *Paulo*, et Origenem apud Euseb. lib. VI, cap. 25.

(2) Cf. Dionysium apud Euseb. lib. VII, cap. 25. et ejusdem epist. ad Hermammonem quae est num. XII. edit. ejus opp. De Magistris num. 2. pag. 178.

(3) Sic scribit Eusebius lib. III, cap. III. « Sciendum tamen est epistolam ad Hebraeos *a nonnullis* ideo esse repudiatam, quod dicerent eam ab ecclesia Romana pro certa ac genuina Pauli epistola non haberi »; et lib. VI, cap. XX. loquens de Cajo qui tredecim tantum enumeraverat epistolas Pauli subdit: « Sane haec epistola (ad Hebr.) etiamnum a *quibusdam Romanis Apostoli* esse non creditur ». Porro utrobique Rufinus vertit *latinos*, quam versionem probat Valesius, cum Eusebio insolens non sit *latinos* vocare *romanos*, ut prolatis exemplis ostendit idem Valesius in not. ad utrumque locum. Inter hos Romanos seu latinos qui Paulo abjudicarunt hanc epistolam recensendus etiam est Hyppolytus episcopus Portuensis in lib. *Advers. haereses*, teste Photio in Biblioth. cap. 121. Ceterum cf. Theodoretum in prooemio in epist. ad Hebraeos, ubi ex veterum consensu b. Pauli eam esse ostendit. A Clemente Romano epistolam ad Hebr. tributam fuisse apostolo Paulo testatur Stephanus Gobarus apud Photium.

(4) Cf. de hoc argumento Estium in epist. ad Hebr. *De auctoritate epistolae, et de auctore hujus epistolae. Comment. in omnes Pauli epist.* Duaci 1616. tom. II, p. 369 seqq. item Cellérier op. cit. *Introduct.* Divis. II, sect. XI. ubi ejus auctoritatem vindicat adversus Michaëlis, qui praeterea causam assignat quare ab impugnatoribus cataphrygarum seu montanistarum in dubium saltem revocata fuerit auctoritas epistolae ad Hebraeos, ob abusum scilicet nonnullorum locorum ejusd. epistolae.

(5) *In cit. praeloq.* cap. IV. sect. VIII.

Dardanum testatur non solum hanc epistolam « ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus suscipi . . . et quotidie ecclesiarum lectione celebrari », verum etiam profitetur se eam suscipere tamquam canonicam una cum Apocalypsi: « Nequaquam, subdit, hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis facere solent . . . sed quasi canonicis et ecclesiasticis (1) ».

73. Ad 3. *D.* Sequioris aetatis et quoad verum ejus auctorem, *C.* aetatis anterioris et quoad ejus divinam inspirationem *N.* Certum enim est, Apocalypsim prioribus duobus seculis etiam ab orientalibus uti divinam admissam fuisse, postea vero dubitari coeptum de divina ejus origine ac de ejus auctore, quem alii Joannem Evangelistam, alii Joannem presbyterum esse contendebant (2). Ceterum in ecclesia Romana numquam de ejusdem canonicitate excitata dubitatio est (3), quod nobis plane sufficit.

74. Ad 4. *D.* Si reipsa ecclesia definivisset sec. XVI. quod ignoravit ecclesia IV. priorum seculorum, *Tr.* vel *C.* si secus egit *N.* Jam enim ostendimus quomodo ab apostolicis inde temporibus in ecclesia Romana idem canon obtinuerit, ac veluti per manus fuerit huc usque transmissus. Nulla proinde indiguit nova revelatione ad canonem statuendum ecclesia, sed solo divino subsidio ne unquam deciperetur, prouti re vera factum est. Laborat propterea difficultas falso, ut ajunt, supposito (4).

75. Ad 5. Si fides adhibenda sit huic scriptori haereticis colludenti ac in pluribus falsitatis convicto (5), *C.* secus *N.* Porro decretum de quo agitur licet ab initio, prout temporum ferebat conditio, nonnisi a paucis editum fuerit, tamen ab universa synodo, totaque demum ecclesia catholica probatum est. Decreta autem omnia anteriora denuo concilii sub exitum sanxerunt cardinales sex, legati quatuor, patriarchae tres, archiepiscopi triginta duo, episcopi ducentum viginti octo, abbates quinque, generales ordinum ministri septem, epi-

(1) Loc. cit. Notanda vero hic est in s. Doctore conjunctio istarum vocum: *canonicis et ecclesiasticis*, quae pro eodem usurpantur, secus ac contendant adversarii.

(2) Recolantur superius dicta; Cf. praeterea Cellérier op. cit. *Divis.* III. sect. V.

(3) Ibid.

(4) Apposite ad hanc ipsam difficultatem respondebat auctor certe minime adversariis suspectus, scilicet Dupin op. cit. lib. I. ch. I. § VI. « Quoi qu'il ne se fasse point de nouvelle révélation à l'Eglise, elle peut après bien du temps, être plus assurée de la vérité d'un ouvrage, qu'elle ne l'étoit auparavant; quand après l'avoir bien êxaminé, elle a trouvé un legitime fondement de n'en plus douter, et une Tradition suffisante, pour le juger authentique. C'est la raison pour laquelle saint Jérôme dit, que l'epître de saint Jude avait acquis de l'autorité par l'antiquité et par l'usage, et mérité d'être mise au rang des livres sacrés du Nouveau Testament ».

Atque hic obiter observo, quod si valerent argumenta quibus utuntur calviniani, et Dombre inter ipsos, ad impugnandam canonicitatem librorum deutero-canonicorum V. T., deberent pariter excludi ab hoc censu deutero-canonici Novi Testamenti quos tamen ipsi uti canonicos admittunt. Eadem siquidem et validiora fortasse urgeri possent adversus horum canonicitatem argumenta, ac pugnent contra canonicitatem deutero-canonicorum Testamenti Veteris.

(5) Card. Pallavicinus detexit 360. errores *facti* in Historia Pauli Sarpii quos ei exprobravit.

scoporum procuratores plurimi (1). Addimus, quod Sarpius una cum haereticis suis decreto Tridentino, etiamsi decies centena millia episcoporum congregata illud tulissent, impavide refragatus esset. Non error siquidem intellectus, sed voluntatis vitium in eo fuit. Quid porro cum ejusmodi hominibus agas?

PROPOSITIO II.

Rejecta ecclesiae catholicae auctoritate nequeunt protestantes certum sacrae Scripturae canonem constituere

76. Hujus propositionis veritas suapte natura ex iis profluit, quae in superiori propositione disseruimus. Etenim non aliunde auctoritas nobis constat sacrarum Scripturarum sive Veteris sive Novi Testamenti, quam ex canone ecclesiae Romanae seu ecclesiae catholicae universae, quae labente tempore illum amplexa est juxta illius ecclesiae traditionem, constantem sane atque perpetuam ab aetate apostolica ad concilium usque Tridentinum. Antiqui siquidem canones seu catalogi sacrorum librorum quos reliquae ecclesiae particulares, ac patres seorsum sumpti exhibuerunt, plurimum inter se discrepant. Nam alium canonem dedit Melito Sardianus, alium synodus Laodicena, alium vero canones et constitutiones *Apostolicae* nuncupatae, alium Origenes, alium auctor Synopseos Athanasianae (2), alium s. Gregorius Nazianzenus (3) et ita porro (4). Omnes quip-

(1) Sess. XXV.

(2) Etenim, ut vidimus, Melito in canone suo omittit libros omnes N. T. et in can. libror. V. T. praetermittit Esther et Baruch; contra vero Synod. Laodicena in suo can. recenset Baruch, omittit vero Apocalypsim; in can. LXXXV. apostolico inter libros canonicos recensentur libri Judith, et *tres* Machabaeorum, omittuntur vero libri Baruch, Tobiae, Sapientiae, et Ecclesiastici; ex libris vero N. T. omittitur Apocalypsis; sed e contra inter canonicos adnumerantur Clementis epistolae duae, et octo libri constitutionum ejusdem Clementis. Origenes exhibet can. Hebraeorum; auctor Synops. Athanas. numerat 151. psalmos, excluditque e canone libros deuterocan. V. T.

(3) Et ipse sequitur canon. Hebraeorum quoad libros V. T. et omittit Apocalypsim ex libris N. T. in suo carm. XXXIII. *De veris et germanis Scripturae libris*. Opp. ed. 1630. tom. II, p. 98.

(4) E. g. Cyrillus Hierosolym. Catech. IV. n. 35. licet et ipse tradat canon. Hebraeorum, attamen includit in hoc can. prophetiam Baruch, excludit vero ex libris canonicis N. T. Apocalypsim; s. Athanasius pariter in epist. *Festali* admittit solum canonem Hebraeorum quoad libros V. T. addita prophetia Baruch et epistola Jeremiae, quae constituit caput VI. Baruch in Vulgata. Philastrius Brix. De haeres. cap. 88. excludit e libris canon. Epistolam ad Hebr. et Apocalypsim. ed. Brix. 1738. Attamen in hoc sibi non constat. Cf. cap. 60. et 89. Canon pariter ecclesiae Syriacae excludit Apocalypsim. Contra vero Barnabas allegat testimonium ex lib. IV. Esdrae v. 5. in ep. c. XI. apud Coteler. Sic in *Constitution. Apostol.* lib. VII. cap. II. et seq. Uti ex ceteris Scripturis testimonia adducuntur ex epist. Barnabae. Ibid. tom. I, p. 363. et lib. II, cap. XXII. Oratio Manasses ib. p. 232. Tertullian. veluti ex Scriptura sacra adducit lib. *Praescript.* cap. III. testimonium ex lib. IV. Esdr. VIII. 20. et iterum lib. IV. cont. Marcion. cap. XVI. ex eod. libro allegat c. XV, 1. Cf. Rigalt. et Pamel. Sic Cyprianus ep. LXXIV, p. 141. ed. Maur. laudat lib. III. Esd. IV, 38. cujus textum profert. S. Irenaeus lib. IV. *contr. Haeres.* c. XX, n. 2. edit. Mass. citat tamquam Scripturam canonicam librum Hermae, nempe *Pastorem*, scribens: « Bene ergo *pronuntiavit Scriptura*, quae dicit: primo omnium crede, quoniam unus est Deus etc. » quae desumpta sunt ex lib.

pe vel deficiunt vel redundant. Scriptura nullum uspiam censum horum librorum exhibet. Cum autem haec sola documenta sint, ex quibus nobis genuinus canon constare possit, elucet, seposita ecclesiae catholicae auctoritate, nullam viam certam patere protestantibus illam respuentibus posse ad canonem sibi constituendum.

77. Sane numquam sibi constitere acatholici in numero librorum canonicorum definiendo. Lutherani ab initio rejecerunt ex sacrorum bibliorum censu libros omnes deuterocanonicos Veteris Foederis, ac omnes deuterocanonicos Novi Testamenti, epistolam videlicet ad Hebraeos, epistolam s. Jacobi, et s. Judae, II. s. Petri, II. et III. s. Joannis una cum Apocalypsi. Calvinus primique ejus asseclae repulerunt pariter libros omnes deuterocanonicos V. T., cum tamen deuterocanonicos N. T. libros retinerent (1). Qua in re videntur antiquos fuisse imitati haereticos, expungentes nimirum pro lubidine sua e librorum sacrorum censu quos cerebrosis suis commentis adversari posse deprehendebant (2). Protestantes deinceps seorsum sumpti quoad hosce ipsos libros in diversas abiere sententias; donec visi demum sunt, ii saltem qui in Germania degunt, unanimi ferme consensione admittere quotquot N. T. libros in canone suo catholica recenset ecclesia (3). Verum novis Bibliorum studiis excitatis, ac rationalismo in dies percrebescente, adeo secum ipsi pugnare coeperunt, vix ut ullus liber sit, non modo ex deuterocanonicis, sed etiam ex protocanonicis utriusque foederis, quem istorum aliquis ex censu canonicarum Scripturarum non expungat, aut saltem an expungendus sit vehementer non dubitet (4).

78. Neque hoc mirum videri debet

II. Mand. I. cf. Massuet. diss. III, art. I, n. 7. quod et alii patres praesertim graeci praestiterunt, quorum testimonia collegit Cotelerius in praevio *judicio de Hermae Pastore*. Origenes lib. I. cont. Cels. n. 63. Videtur apostolicam auctoritatem tribuere epistolae Barnabae, prout et ante ipsum praestiterat Clem. Alex. lib. II. *Strom.* ed. Pott. Venet. 1757. p. 447. ubi cf. adnot. edit. et iterum ib. p. 472. tum lib. V, p. 683. Et haec speciminis gratia attulisse sufficiat, ut appareat quanta olim circa Scripturarum canonem viguerit discrepantia.

(1) Cf. *Praeloquia* Jac. Bonfrerii S. J. *in totam sac. Script.* cap. IV. sect. I. Janssens op. cit. *Herm. Sac.* ed. Paris. 1833. tom. I, chap. I, § V.

(2) Ita de haereticis Marcionitis in lib. de *Praescript. haeret.* cap. XVII. scribit Tertullianus: « Ista haeresis non recipit quasdam Scripturas, et si quas recipit, non recipit integras; adjectionibus et detractionibus ad *dispositionem instituti sui intervertit* « De hoc ipso haereticorum more loquitur Irenaeus lib. I. *Contr. haeres.* cap. XX, n. I. Cyprianus in lib. *De unit. eccles.* ed. cit. p. 198. ubi haereticos vocat *corruptores Evangelii*, Basilius M. hom. V. in *Hexaëmer.* n. 5. Augustinus in lib. cont. Adimant. c. XIII, n. 4. aliique passim. Porro eadem ratione se gessisse haereticos protestantes dum respuerunt libros deuterocanonicos vadem damus auctorem protestantem, qui ejus rei causam aperit, nempe Moulinié op. cit. *Notice sur les livres apocryphes* etc. *Introduct.* p. 4. ubi scribit »; « Certains passages des livres apocryphes (deutero-canoniques) ont fait croire que la doctrine de ces livres n'était pas conforme à l'analogie de la foi (nempe doctrinae haereticorum) et l'on a conclu à la suppression de tous, repassant à cette occasion les objections qu'on avait jadis opposées à leur canonicité ».

(3) Cf. Janssens loc. cit. et Moehler *Symbolique* tom. II, ch. V, § XLI.

(4) Longa nimis res esset velle protestantes recensere qui unum vel alterum librum protocanonicum suis auctoribus abjudicarunt:

in acatholicorum systemate; nam cum ipsi infallibilem ecclesiae auctoritatem agnoscere detrectent, traditionemque divinam rejiciant, nulla ipsis superest norma tuta ad canonem constituendum, silentibus, uti animadvertimus, hac de re sacris eloquiis, ac veteribus inter se discrepantibus. Quapropter alterutrum ipsi tandem eligant necesse est, aut canonem admittere quem Romana semper ecclesia secuta est, aut ancipites ac incerti circa canonicam uniuscujusque fere libri auctoritatem haerere.

79. Quae cum ita se habeant intelligi nequit qua demum ratione possint protestantes unice appellare ad Scripturam, unice ei insistendum vociferari, hanc unicam controversiarum judicem jactare, dum quibusnam libris canonica Scriptura constet, ignorent, aut saltem in eo cespitent, ambigantque, neque unquam possint ipsi suo haerere vestigio. Merito propterea adversus istiusmodi novatores usurpamus, quod in sui temporis novatores urgebat Tertullianus: « Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent.....Si hae sunt illae vires eorum, uti eas habere possint, despici debet cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eam cui nullo modo competit (1) ».

DIFFICULTATES

80. I. Obj. Multiplici ratione acatholicis innotescere potest quinam sint libri canonicis accensendi, quinam vero ab hoc censu debeant excludi. Etenim quoad libros V. T. id ipsis constat 1. ex Hebraeis, quibus, ut testatur Apostolus,

proferam nonnulla exempla ex ipsis protestantibus deprompta. Pentateuchum post exilium babylonicum scriptum autumarunt Fr. Car. Fulda, God. Hasse, Jo. Christ. Nachtigal, Jo. Sever. Vater. Mart. de Wette, Leon. Bertholdt aliique apud Rosenmüller prolog. in Pentateuch. Librum Job. non historiam sed fabulam referre contendunt Spanhemius, Carpzovius, Michaëlis, passimque recepta est penes protestantes ejusmodi sententia apud eundem in prolog. in Job; quibus praeiverat Lutherus. Castalio, Beza teste, apud Bonfrerium l. c. tamquam impuram et obscaenam cantionem Canticum canticorum rejicit. Evangeliorum commentarios suis auctoribus, quibus inscribuntur abjudicant Herder, Eckermann, Gieselerus, Sartorius, Paulusius apud Kuinoel prol. in Evang. qui contendunt ex narrationibus ore apostolorum propagatis ab ignotis hominibus eos fuisse exaratos. Alii, ut Michaëlis et Kuinoel ipse recurrunt ad ignotum communem fontem nescio quem Syrochaldaicum ex quibus tria priora Evangelia excerpta sunt, *Urevangelium* vocant, ut alias diximus. Vogelius censet quendam Judaeo-Christianum auctorem esse Evangelii Joannis nuncupati; Ballenstadtius, et Hortius existimant hoc ipsum Evangelium ab ignoto quodam homine Alexandrino sec. I. exeunte, aut sec. II. ineunte fuisse conscriptum. Bretschneider neque Joannem apostolum, neque christianum Palaestina oriundum ibique degentem, neque a Judaeis natum, sed alium quendam disciplinae Alexandrinae addictum sec. II. illud conscripsisse, et a traditione aut scripta aut non scripta hausisse; apud Kuinoel prol. in Evang. Joan. qui tamen laudat Bretschneiderum veluti doctum et moderatum. Quid igitur erit de minus moderatis protestantibus? Omitto blasphemias quas jam recensui in tract. *De vera religione* p. II, prop. IX. de quibus etiam consuli potest Baro de Starck in *Convivio Theoduli*. Omitto quae Strauss in vita J. C. effutit: haec enim sufficiunt ut pateat an recentiores haeretici circa libros sacros inferiores sint antiquioribus praesertim gnosticis et manichaeis.

(1) *De praescript.* cap. XV. Ita quidem haeretici antiqui et recentiores; at longe aliam diversam viam tenuerunt quovis tempore catholici. Nota sunt Augustini verba ex cap. V. libri *Contr. Epist. Fundamenti:* « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me ca-

concredita sunt eloquia Dei (1); 2. Ex allegationibus, quae de illis passim occurrunt in libris N. T.; 3. ex consensu ecclesiarum quatuor priorum seculorum. Si vero sermo sit de libris N. T. id ipsum acatholicis luculenter patefit 4. ex canonibus qui per id tempus prodierunt, nempe ex Origene, Melitone, Eusebio, concilio Laodiceno, Epiphanio, Hieronymo aliisque passim. 5. demum protestantes quinam libri canonicorum loco debeant haberi ut compertum probatumque assumunt, quin alio opus sit, ex catholicis ipsis, qui eos ut canonicos admittunt ac prae se ferunt. Ergo.

81. Resp. *N. A.* Nam si reipsa, quod jactant adversarii, multiplici ratione, rejecta ecclesiae auctoritate, potuisset aut posset certo constare sacrarum Scripturarum canon, semper ipsi secum inter consentientes in numero librorum canonicorum asserendo extitissent et adhuc essent. Cum vero numquam protestantes neque cum catholicis neque inter se consenserint circa illum aut consentiant, evidens est non modo haud multiplici ratione, sed nullo prorsus pacto id certo ipsis patere posse. Itaque id non evincunt.

82. 1. Ex auctoritate Hebraeorum quoad libros V. T., quia tametsi credita illis fuerint eloquia Dei, nobis certo non constat, actu scilicet authentico, quosnam illi singillatim libros uti canonicos admiserint. Auctoritas Josephi et thalmudistarum tanta non est, omne ut dubium dispellere valeat, praesertim cum in pluribus a vero manifeste illi desciverint. In gravi siquidem adeo negotio opus fuisset judicio decretorio et authentico magnae synagogae, quod tamen ipsa aut non tulit, aut saltem illam aliquando tulisse nullo nobis historico eoque antiquo monumento certo innotescit (2). Quod vero legitur II. Machab. I. 13. nimis vagum ac generale est, nec quidquam ex eo confici potest. Quid quod auctoritas divina hujus libri a protestantibus ipsis respuitur?

83. 2. Ex allegationibus; tum quod in hoc argumentandi modo ab adversariis jam illud pro certo assumatur, libros omnes N. T. esse canonicos, de quo tamen, auctoritate Ecclesiae seposita, certo ipsis constare nequit; tum quod non omnes libri etiam protocanonici V. T. in Novo Testamento allegentur (3); tum denique quod mentio aut saltem allusio in libris N. T. injiciatur nonnullorum librorum quos ipsi plane rejiciunt (4).

84. 3. Ex quatuor priorum seculorum ecclesiarum consensu; ut enim ostendimus, si Romanam unam excipias eccle-

tholicae ecclesiae commoveret auctoritas ». Loquens vero ibid. s. Doctor de *Act. Apostol.* prosequitur: « Cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utrumque Scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas ». En regulam auream, eamque unice tutam. Cf. de hac regula et effato s. Augustini Nic. Serarium S. J. in *Prolegomen. Biblicis* Mogunt. 1612. cap. VII. quaest. 6. ubi adversus haereticos illam tuetur. Cf. etiam Melch. Canum *De Loc.* l. II. c. VII.

(1) Rom. III, 2.

(2) Cf. Ackermann, *Introd. in libros sacros V. T.* Vien. 1825. par. I, cap. I, § 28. in not. necnon Marchini Tract. *De divinat. Ss. Bibl.* Taur. 1777. p. 3 seqq.

(3) Undecim ad minus libri protocanonici numquam in N. T. ex Veteri allegantur, nec ulla ad ipsos allusio fit nempe 1. lib. Judicum; 2. Ruth; 3. I. Reg.; 4. IV. Reg.; 5. Paralip. libr. duor.; 6. Esdrae; 7. Esther; 8. Ecclesiastes; 9. Cantici Cant. 10. Abdiae; 11. Sophoniae.

(4) Tales sunt liber Sapientiae, Ecclesiastici, Tobiae, libri Machab. uti ex dicendis patebit.

siam aut illas quae ex ecclesia Romana canonem acceperunt (1), ecclesiae particulares primis illis seculis inter se minime consenserunt, sed alia plures, alia vero pauciores libros in canonem retulit. Deinde si ecclesiarum auctoritate permoti primaevae illius aetatis, adversarii libros protocanonicos amplectuntur, curnam eadem innixi auctoritate libros deuterocanonicos non suscipient, cum exploratum ex dictis sit, non paucas ecclesias eos libros uti divinos agnovisse?

85. 4. Ex canonibus per id tempus confectis; quum canones illi inter se differant, pluresque praeterea libros, imo plerosque deuterocanonicos contineant, id quod vel ex ipsa synodo Laodicena apparet (2), quos tamen protestantes non ita pridem ex canonicorum librorum albo expungebant, pluresque adhuc expungunt.

86. 5. Ex catholicis; catholici enim ideo ex auctoritate ecclesiae canonem sacrorum librorum venerantur atque amplectuntur, quia profitentur ecclesiam ex Christi promissis infallibilitate frui iis in omnibus, quae ad fidem moresque spectant. Contra vero protestantes qui ejusmodi privilegium ecclesiae collatum inficiantur, nequeunt, quin secum turpiter pugnent, admittere, ut faciunt catholici ob ecclesiae auctoritatem, sacrarum canonem Scripturarum. Quandoquidem ecclesia si vel in uno fidei articulo errare potest, errare procul dubio potest et in reliquis omnibus; quod si in uno errare nequit, et in ceteris nequibit errare. Jam vero si ecclesia errori obnoxia fuit in canone conficiendo, in errorem catholici ab illa induci potuerunt, a deceptis autem veritas constare certe non potest. En itaque quomodo apte sibi protestantes cohaerent. Quando propterea iidem catholicos ad disputandum provocant ex solo, ut ipsi loquuntur, *puro Dei Verbo quod in Scripturis continetur*, tuto isti respondere provocatoribus possunt, ut prius certo constituant quinam illi libri sint in quibus purum hoc Dei verbum continetur, eosque ad silentium facile adducent.

87. II. Obj. 1. Constituta *genuinitate* sacrarum Scripturarum, hoc ipso ejusdem canonica auctoritas in tuto est: 2. jam vero genuinitas argumentis criticis a protestantibus adstruitur, eo nempe modo quo et catholici ipsi eam vindicant adversus incredulos. Si igitur absque ecclesiae auctoritate catholici omnes adversus incredulos sacrorum Bibliorum genuinitatem evincunt, quare id ipsum efficere non valebunt protestantes, atque

(1) Talis est praeter ecclesiam Africanam, ecclesia Hispanica quae in can. Scripturarum plane cum ecclesia Romana consentit, ut patet ex Isidoro Hispal. qui saepius nobis sacr. Scripturarum canonem prout recipiebatur in ecclesia nobis exhibet, scilicet *Etymologiar.* lib. VI, cap. I et II; in *Prooemiis in libros V. et N. T.*; tum in lib. I. *De officiis* cap. XI. et ubique enumerat libros V. et N. T. septuaginta duos. Cf. edit. opp. Faust. Arevali S. J. Romae 1802. in septem volum. distrib. S. Isidorus expresse distinguit, quemadmodum olim s. Augustinus, canonem Hebraeorum a canone ecclesiae. Idem dic de ecclesiis italicis praeter Romanam quarum testem habemus Cassiodorium, qui in lib. de *Instit. divinar. Litterar.* cap. XIII. et XIV. et ipse eundem canonem cum ecclesia Romana nobis praebet. Cf. opp. edit. Rotomag. 1679. tom. II, p. 546.

(2) Jam vidimus a synodo laodicena inter libros canonicos V. T. recensitum fuisse librum seu prophetiam Baruch, quae deuterocanonica est, et libros omnes deuterocanonicos N. T., excepta Apocalypsi. Si tamen hic canon genuinus est.

hinc certiores fieri de eorumdem librorum *canonicitate*? Ad eum proinde modum quo argumentis criticis omnimodam moralem certitudinem assequi possumus de genuinitate ac authenticitate operum Tullii, Virgilii ac Taciti, eamdem possumus obtinere quoad libros sacros, adeoque ex dictis constare certe poterit canonica ipsorum auctoritas. Ergo.

88. R. Ad 1. *N.* Potest quippe sacrorum librorum genuinitas optime vindicari quin tamen exinde eorumdem possit canonica auctoritas constitui. Id luculentissime patet ex iis quae in superiori propositione disseruimus, cum liber possit in se authenticus et divinus esse, quin tamen id nobis defectu publici ac solemnis decreti innotescat. Sane nemo jam est qui in dubium revocet genuinitatem libri Ecclesiastici; qui authenticos non agnoscat libros Judith, Tobiae, ac duos Machabaeorum; attamen uno fere ore protestantes e canone illos excludunt. Idem dic de Judaeis respectu eorumdem librorum; idem de illis patribus quos recensuimus, quibus divini erant ejusmodi libri, dum tamen uti canonicos eos nequaquam admittebant. Non debent proinde duo haec simul permisceri, quod adversarii minime cavent (1).

89. Ad 2. *Tr. A. Neg.* cons. Vis enim tota argumenti pendet ex commixtione seu confusione genuinitatis et canonicitatis sacrorum librorum; hac sublata, penitus concidit. Transmisimus autem antecedens, cum aliud sit argumentis criticis ostendere unius alteriusve libri genuinitatem et authentiam: aliud vero omnium et singulorum librorum qui in canone continentur et ad eum spectare debent, auctoritatem adstruere. Porro cum catholici adversus incredulos pugnant ut plurimum argumentis criticis, nonnisi Pentateuchi et Evangeliorum genuinitatem constituunt, pro quibus certe eadem, imo longe potiora militant argumenta quam pro operum Tullii, Virgilii ac Taciti auctoritate. Paralogismus proinde est argumentum adversariorum dum a particulari concludunt ad universale (2).

(1) Hic meminisse juverit, eos, qui nunc adeo fidunt argumentis criticis constituendae authenticitati librorum sacrorum, eos, inquam, ipsos esse, qui non obstantibus documentis omnigenis quibus adstruitur Petri Romam adventus, et episcopatus et martyrium, denegare haec tamen pergunt, ut somniis suis indulgeant de Babylonensi, Aegyptiaco, aut Chaldaico episcopatu, aut Hierosolymitano ejusdemque ibidem obitu, aut saltem in Joppe. Longe tamen minor documentorum ejusmodi pars militat pro non paucis libris protocanonicis tum V. tum N. T. quam pro Romano Petri episcopatu. Verum harum antilogiarum parum solliciti protestantes sunt.

(2) Ex his patet quam immerito Guil. Palmer in op. saepius in altera hujus tractatus part. cit. *Tractatus de ecclesia Christi* vol. II, p. III, cap. I, p. 3. affirmet *genuinitatem, authenticitatem, et inspirationem* Scripturae sacrae ab omnibus credentibus (catholicis, schismaticis et haereticis), iisdem argumentis contra incredulos atque deistas propugnari; et pag. 22. seqq. ubi solvit difficultates quas sibi objicit, cum inter alias et hanc sibi proposuisset « *Authenticitas et genuinitas* Scripturarum unice innituntur, infallibili ecclesiae catholicae existentis auctoritati; ergo debetis ejus testimonium admittere circa doctrinas omnes, etiam probationibus biblicis seclusis » respondet « Nos recusamus positive huic respondere argumento, donec illi, qui illud urgent, affirment argumenta omnia, quibus Bellarminus, Bossuetius, Huetius, Bergierius, Du-Voisin, Hooke, Frayssinous, Bouvier, La-Mennais, ceterique catholici theologi demonstrant authenticitatem, et genuinitatem Scripturae adversus incredulos, quaeque item argumenta *nostra* sunt, omni probandi vi carere. Si id asseruerint, nos equidem ad-

CAPUT II.

De divina canonicorum librorum inspiratione

90. Si recensiti Scripturarum libri sunt ut canonici ab ecclesia sanciti, hoc ipso iidem ut authentici et integri quoad omnes suas partes sanciti sunt. Non enim alia de causa eos in censu librorum canonicorum retulit ecclesia, quam ut iis, qui *in se* authentici erant, quippe Spiritu Sancto afflante conscripti, prout mox ostendemus, suffragium suum adjungeret, quo authentici etiam *quoad nos* efficerentur. Authenticum siquidem illud dicitur, quod auctoritatem habet respectu illorum quibus usui esse potest (1). Quapropter dum libros sacros ecclesia canonicos esse sanxit, hoc ipso sanxit authenticos esse et integros ita ut nuspiam vel minimum vitiati fuerint in iis saltem quae ad rei substantiam spectant; alioquin nullam ipsi sibi prorsus libri canonici auctoritatem conciliare valuissent. Quae cum ita se habeant, supervacaneum ducimus peculiarem instituere controversiam de authentia, ut vocant, librorum canonicorum et integritate. Quod enim ad *textus* integritatem attinet sive Veteris sive Novi Testamenti librorum, ejus qui sacras litteras ex professo tradit, eam est vindicare, cum agendum illi sit de fontibus, ut vocant, originalibus, eorum vicissitudines inquirendae, in classes seu familias digerendi, variantes exponendae lectiones, recensiones quae identidem a doctis viris in ecclesia catholica factae sunt dinumerandae, aliaque ejusmodi praestanda ab eodem sint, quae textui probe cognoscendo lumen affundere queunt.

91. Nostrae itaque partes sunt canonicorum librorum divinam inspirationem vindicare, prout a concilio Tridentino cum universa ecclesia quovis seculo asserta est.

92. Verum in plures hic incidimus easque gravissimas quaestiones quae sive naturam inspirationis ejusque extensionem, sive ejusdem veritatem seu existentiam attingunt.

95. Ut autem in re tanti momenti quaslibet obscuritatis umbras, quoad ejus fieri potest, declinemus, prius ac-

mittemus principia adversariorum nostrorum; quod si id facere recusaverint, ipsorum contra nos argumenta ex se plane concidunt ». Ita quidem Palmer, qui deinde prolixam circa hoc argumentum adnotationem subdit. Verum hic, uti etiam alibi, Palmer paralogismo laborat; siquidem, aliud est Scripturarum *in genere* genuinitatem, authenticitatem, ac si placet, inspirationem etiam ostendere, aliud eam ostendere in specie, et praecise singulorum librorum canonicitatem, independenter ab auctoritate ecclesiae. Aliud praeterea est veritatem ab ecclesia assertam jam ac definitam *scientifice* adstruere, prout theologi postulat munus, ac nos ipsi efficere sategimus; aliud vero solius scientiae ope independenter ab ecclesiae auctoritate ejusque dogmatica definitione rem totam conficere, nullum ut dubium supersit. Quantum haec inter se differant quisque intelligit; ac nos in hujus assertionis confirmationem libenter provocamus D. Palmer ut solis argumentis criticis innixus, nitide nobis, absque ulla haesitatione, et omnimoda certitudine exhibeat catalogum librorum canonicorum tum Veteris, tum Novi Testamenti. Certum est, quod ingenii atque industriae suae nervos in id frustra contendet.

(1) Cf. Boufrerium in cit. *Praeloqu.* cap. III, sect. 3. qui praeterea ibid. sect. 5. animadvertit distinctionem intercedere inter *canonicum* et *authenticum*. Etenim latius patet *authenticum* quam *canonicum*, cum omne canonicum sit authenticum, sed non e converso, quippe aliquid posset esse authenticum et non canonicum, quod opportunis illustrat exemplis.

curate secernamus oportet quae ad doctrinam catholicam spectant tum ab iis quae libere in scholis catholicis agitantur, tum etiam a nonnullorum erroneis aut singularibus certe sententiis, quae praeter propter a sincera ecclesiae catholicae doctrina desciscunt.

94. Doctrina porro catholica est, omnes prorsus sive Veteris sive Novi Testamenti canonicos libros esse divinitus inspiratos.

95. Ast in quo consistit ejusmodi inspiratio? Quaenam requiruntur conditiones ac sufficiunt, ut liber veluti divinitus inspiratus habeatur?

96. Existimant nonnulli ad divinam seu inspiratam Scripturam constituendam requiri, ut quidquid in ea continetur, fuerit a scriptoribus hagiographis Deo dictante exaratum, nullo discrimine interposito inter ea quae primum illis revelata sunt, et ea quae ipsi sibi humana industria potuerunt comparare, cujusmodi sunt historica atque moralia. Hi porro non res solum atque sententias, sed et verba singula et commata apicesque contendunt fuisse inspirata. Nonnulli vero in hoc tantopere progressi sunt, ut Scriptores sacros velut passiva prorsus instrumenta autument extitisse in conscribendis quae iis divinitus tradebantur (1). Unde *rigidioris inspirationis* sectatores ac vindices passim audiunt.

97. Alii autem ex adverso, qui *liberalioris inspirationis* sectatores dicuntur per gradus veluti quosdam ita recedunt ab illa inspirationis notione, ut eam tandem fere ad nihilum redigant. Etenim plerique ad inspirationem postulant motionem ac *adsistentiam*, quam vocant, Spiritus Sancti quoad res atque sententias, sed assistentiam tamen, ut ita loquar, *positivam*, qua Deus omnia suggerat, et auctoribus hagiographis ita sit praesto ut eos in rebus scribendis omittendisve, ac in verborum etiam delectu et periodorum nexu, dirigat ac moderetur, quin verba tamen singula dictet (2). Alii praeter motionem ac incitamentum ad scribendum solam exposcunt assistentiam quam *negativam* vocant, in eo nimirum positam, quod Deus sacris ita adstet scriptoribus, ut a quovis vel minimo errore immunes solum efficiantur (3). Hic alii non sistunt, sed ad inspirationem plane sufficere contendunt si Spiritus Sanctus ita scriptoribus afflet, ut graviores saltem errores ipsi praecaveant (4). Alii demum

(1) Cf. Bern. Rabaudy Ord. Praed. *Exercitatio de Scriptura Sacra* (in *Thesauro Theol. Zachariae* tom. I.) sect. 2. sub finem § 3. Nec non Bonfrerium op. cit. cap. VIII. a sect. 1 ad 7. Janssens op. cit. liv. I. ch. II. § 3. et 4. Nic. Serarium in *Prolegomenis biblicis*, Mogunt. 1612. cap. IV. quaest. 21.

(2) Ita inter ceteros sentiunt Valentia, ed. Lugd. 1603. tom. III. disp. I. *De fide* q. I. Puncto 8. Rabaudy op. cit. sect. II. § I. *Concl.* Hanc eandem sententiam acriter tuetur P. Ant. Casini S. J. in *Encyclopaedia Sac. Scripturae* Venet. 1747. vol. I. *Disput. praevia secunda*. Estius in II. ad Timoth. III. 16. Plura patrum sanctorum effata, quae ab hujus sententiae patronis afferuntur, videntur ei adstipulari.

(3) Talis est notio inspirationis quam praebet Jahn in *Introd. Biblica V. T.* Vien. 1814. p. I, cap. II, § 19. Neque ab hac sententia abludit Janssens op. cit. tom. I, ch. II, § IV. Eandem propugnaverunt Du-Pinius op. cit. *Dissert. prélim.* chap. II, § VII.

(4) Ita sensere Erasmus, Grotius, et juxta plures etiam Holden doctor Sorbonicus, item auctor Anonymus cujus sententiam *epist.* XI. *Batavorum theologorum* fuse recenset in op. *Quorumdam Theologorum sententiae*, pag. 230-233. Aliique apud Calmet *Dissert. de libror. Sacr. inspiratione* art.

affirmant ad Scripturam sanctam efficiendam satis esse, si testetur Spiritus Sanctus nihil in aliquo libro esse falsi, quamvis liber humana plane industria sine ullo Spiritus Sancti afflatu fuerit exaratus (1).

98. Quod vero ad protestantes prope attinet, iidem jam inde ab ortus sui initio usque ad medium ferme sec. XVIII. rigidiorem inspirationis notionem fuerant sectati, donec scilicet opera prodierunt Toehlneri an. 1772. *de inspiratione*, et Semleri *de examine canonis* an. 1771-1773. Ex hoc vero tempore ita a majorum suorum institutis desciverunt, ut non solum notionem inspirationis extenuarint, sed, magna saltem illorum pars, eam prorsus exterminarint. Nunc vero temporis pauci sunt inter protestantes qui divinam vere tueantur inspirationem (2), et si qui adhuc libris sacris divinam auctoritatem tribuere videntur, eatenus tantum tribuunt quatenus libri illi quasdam veritates divinas complectuntur (3). Quare Bahrdt, unus ex ipsis, omnem rejiciens inspirationem, adstruit scriptores sacros nullo supernaturali dono auctos fuisse, neque Spiritum Sanctum ad eos ab erroribus praemuniendos sua illis praesentia ac numine adstitisse (4). Subsequentes porro rationalistae non modo inspirationem omnem abjiciunt, verum etiam irrident, ac eos qui eam adhuc profitentur per contemptum *supernaturalistas* vocant. Hi nempe sunt progressus apud illos,

2. quae praemittitur epistolis catholicis. Cf. etiam Graveson, *Tract. de Scriptura Sacr.* Romae 1741. par. 1, § 1. Argentré *Element. Theolog. de Script. Sacr.* cap. IV. Huic etiam adstipulatur Cellérier in cit. *Introd.* ut patet ex iis quae scribit p. 400.

(1) Haec est celebris sententia Lessii et Hamelii S. J. quam in postrema ex tribus thesibus *atro carbone* notatis ab Academ. Lovaniensi et Duacena an. 1587. et 1588. illi propugnarunt. Has enim theses emiserant duo illi scriptores an. 1586. 1. « Ut aliquid sit Scriptura Sancta, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse a Spiritu Sancto ». 2. « Non est necessarium ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratae ». 3. « Liber aliquis (qualis forte est secundus Machabaeorum) humana industria sine adsistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura Sacra ». Calmet diss. et loc. cit. scribit, Jesuitas valide sententiam suam tuentes, apologiam edidisse, cui Lovanienses doctores ab episcopo jussi die 17. Augusti 1588. respondentes suam pro viribus censuram defenderunt. Juxta ipsum Cornelius a Lapide in epist. II. ad Timoth. III, 16. Bonfrerius *proleg.* cap. VIII. sect. 1. Mariana *Tract. de Vulgata edit.* et Bellarminus *Tract. de Verbo Dei* eandem sententiam adoptarunt; Jansseus idipsum affirmat loc. cit. et citatis auctoribus adjecit Canum, Dupinium, Rich. Simonium, Contensonium, Calmetum, et modernorum plerosque. Ast ambo permiscent istorum auctorum opinionem circa rationem inspirationis quoad solas res et sententias, non autem quoad singula verba, (in qua unice conveniunt cum Lessio et Hamelio) cum opinione contenta in thesi tertia, quam allegati auctores minime sectantur, imo et ipsi Lessius et Hamelius jam ab ea expunxerant quae intra parentheses incluserant. Quoad secundam thesim cum sensus ejus sit, non indiguisse scriptores sacros nova revelatione circa ea quorum sibi notitiam humana industria comparare poterant, nil vetat quominus iidem auctores in eam pariter concesserint, prout reipsa Cornel. a Lapide aliique praestiterunt.

(2) Cf. Jahn op. et loc. cit. sub finem § 23.

(3) Ibid.

(4) In opusc. 1. *De system. ac scopo Jesu* ep. VII. et alii passim apud Janssens op. cit. § V.

qui *purum Dei verbum*, scilicet *Scripturam solam* uti adaequatam credendorum omnium et agendorum normam extollunt.

99. Verum hos, quos apposita propositione mox refellemus, dimittentes, atque ex recensitis catholicorum scriptorum placitis circa rationem qua Spiritus S. scriptores sacros afflaverit, tum rigidioris tum liberalioris inspirationis instituta pariter declinantes, viam mediam vero similiorem arbitramur. Atque illud in primis profitemur rejicere nos laxiores eorum sententias, qui nonnisi *adsistentiam* Spiritus Sancti, quam *negativam* vocavimus, adsciscunt, qua fieret ut immunes tantummodo servarentur ab errore scriptores sacri: haec enim neque satis adaequatam nobis exhibet inspirationis notionem, et competere etiam posset dogmaticis conciliorum oecumenicorum definitionibus, quas tamen inspiratas dixerit nemo, eo sensu quo inspiratos libros sacros nuncupamus. Multo vero magis Holdenii, si tamen id docuit (1), aliorumque commentum respuimus, qui ita Spiritus S. *adsistentiam* coarctant, ut ad graviores tantum errores declinandos idoneos effecerit scriptores sacros: hoc enim semel admisso, sequeretur Scripturam sacram pluribus posse quamvis levibus scatere erroribus, quod quidem ab ecclesiae catholicae sensu alienum omnino est (2). Sic neque illorum admittimus opinionem, qui ad librum sacrum constituendum affirmant satis esse, si Spiritus S. postea declaret nullum ibi errorem inveniri: ejusmodi siquidem Spiritus S. testimonium certiores quidem nos faceret illum librum veracem esse; at non omnis liber qui verax sit, illico divinus dici potest, ut praetereamus ab Apostolo ethnicorum testimonia adduci, eaque *vera* ab ipso dici (3), quin tamen inferri liceat testimonia illa in se evasisse divina.

100. Quemadmodum vero rejicimus laxiores ejusmodi sententias, sic necessum nobis non est ad inspirationem vindicandam rigidiori illorum opinioni subscribere, qui eam extendunt ad singula omnino verba; plura enim sunt quae nos impediunt quominus in istorum eamus sententiam. Ac 1. quidem consueta divinae providentiae ratio, quae quoniam non deest in necessariis, sic neque abundat in superfluis: superfluum porro videtur novam suggerere verborum inventionem, quae naturali scriptoris facultati innotescant; 2. styli varietas quae in diversis scriptoribus hagiographis pro diverso uniuscujusque cultu, ingenio, atque indole elucet; incongruum quippe videtur affirmare Deum accommodasse verba vario singulorum scriptorum ingenio; 3. diversa ratio qua scriptores sacri rem ean-

(1) Etenim Nicolai in *Dissert. Proemiale* I. edit. Firenze 1756. tom. I, par. I, pag. 19. 20. eum ab hac criminatione vindicat.

(2) Hoc passim inculcat s. Augustinus, praesertim epist. LXXXII. ad Hieron. n. 3. ubi scribit: « Ego . . . solis eis scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo *aliquid errasse firmissime credam* », quod et ibidem repetit n. 22. et in ep. XXVIII. ad eund. num. 3. « Admisso semel, inquit, in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non . . . ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur ». Cf. etiam in lib. II. *de consensu Evang.* cap. XII. vid. Melch. Canum *De locis* cap. XII. nec non Graveson in cit. Tract. *de Script. Sacr.* p. I, § III. assertio II.

(3) Ad Tit. I, 13.

dem referunt; certum namque est, Christum e. g. nonnisi una eademque formula consecrationis, seu institutionis eucharisticae verba protulisse; si quis tamen conferat Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. Luc. XXII, 20. I. Cor. XI, 25. comperiet diversis eam verbis referri, ut alia pene innumera ejusmodi exempla praetermittamus; 4. major minorve difficultas quam in opere suo concinnando expertos se esse hagiographi scriptores ipsi professi sunt, uti auctor II. Machabaeorum libri, qui cum aggressus esset quinque Jasonis Cyrenaici libros compendifacere, de se scribit: « Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum, et sudoris assumpsimus (1) ». Quinam autem fuerit ejusmodi labor et negotium adeo difficile, ipsemet declarat adjiciens: « Sicut enim novae domus architecto de universa structura curandum est; ei vero qui pingere curat, quae apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt: ita aestimandum est et in nobis. Etenim intellectum colligere, et ordinare sermonem, et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiae congruit auctori: brevitatem vero dictionis sectari, et executiones rerum vitare, brevianti concedendum est (2) ».

101. Ex quibus postremis verbis intelligimus non solum vocabula, verum etiam hagiographis scriptoribus a Spiritu Sancto relictum esse negotium conquirendi quae ad susceptum inspiratumque a Deo institutum pertinerent, quoties aggressi sunt mandare litteris historias, morales sententias, et quidquid eorum animo obversabatur, vel naturali poterat facultate obversari (3). His alii addunt, quod si inspiratio non ad res dumtaxat ac sententias, sed ad verba ipsa singula extenderetur, nos qui versionibus utimur, Scriptura sacra aut omnino, aut saltem magna ex parte destitueremur, quod asserere absonum est (4).

(1) Cap. II, 27.

(2) Ibid. 30-32.

(3) Cf. de hoc argumento, *Bible de Vence* cinquième edit. Paris. 1827 tom. I. *Discours prélimin.*, seconde partie, pag. 55. et suiv. Nicolai *Dissert.*, cit. p. 18. seqq. Dupin op. cit. *Diss. prélim.*, lib. I. ch. 2. § 6. Rich. Simon *Hist. Critique du Nouveau Testament* ch. XXIII, et XXIV. ubi sententiam Lessii et Hamelii, quae illuc refertur mordicus adversus censuras duarum academiarum Lovan. et Duacensis tuetur. Non tamen sine delectu et cautela liberior hic scriptor legi debet. Cf. item Calmet diss. *De libr. sac. inspirat.* art. 2. Janssens op. cit. Hi autem aliique ejusdem latioris inspirationis sectatores quae contraria sibi videntur patrum testimonia commode exponunt, et alia iisdem opponunt, in quibus contrarium patres videntur docere. Nobis satis erit heic unum vel alterum afferre speciminis gratia pro hac sententia. S. Augustinus lib. II. *De consensu Evang.* cap. XII. n. 27. de sanctis evangelistis haec expresse scribit: « Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius, eamdem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est ». Sed praestat ipsum hic adire, fusius enim rem hanc pertractat n. 28. et 29. et iterum cap. LXVI. « Quod nosse, scribit, et moribus utile est, propter cavenda et judicanda mendacia; et ipsi fidei, ne putemus, *quasi consecratis sonis*, ita muniri veritatem, tamquam Deus nobis quemadmodum ipsam rem, *sic verba* quae propter illam sunt dicenda, commendet »; et s. Hieronymus epist. LVII ad Pammach. n. 6. edit. Vallars. « Alii, inquit, syllabas aucupentur et literas, tu quaere sententias » et n. 10. « Obtrectatores mei quaerant, et intelligant, non verba in Scripturis consideranda, sed sensum ». Tota haec epistola de hoc argumento est.

(4) His argumentis nonnulli aliud adjiciunt deductum ex soloecismis quibus juxta ipsos

102. Quapropter viam mediam, ut praemonuimus, ineuntes, illam inspirationis notionem amplectimur quam tenuit cl. Marchini, ita ut dicenda sit « Singularis ea Spiritus Sancti moventis ad scribendum impulsio, directio ac praesentia mentem animumque scriptoris gubernans, quae eum non sinit errare, efficitque ut scribat, quae velit Deus (1) ». Ex qua notione patet illa omnia in inspiratione divina reperiri, quae ad eam constituendam requiruntur ac sufficiunt ex communi theologorum doctrina; nempe 1. *excitationem* seu *impulsionem* ad scribendum; 2. *illustrationem* mentis ac *motionem* voluntatis, ut non solum nullus sacro scriptori excidat error; sed 3. praeterea inveniatur in eo *delectus rerum* scribendarum, sic ut nihil omittat, nihil adjiciat ad ea quae Deus scribi ab ipso voluerit: 4. *adsistentiam* jugem ac singularem in opere perficiendo.

103. Ex his praeterea discimus aliud esse *inspirationem* divinam, aliud autem *revelationem*. Inspiratio enim latius patet quam revelatio, quae scilicet est patefactio rei antea non perceptae nec animo infixae, cujusmodi sunt vaticinia, mysteria, positiva divinae voluntatis manifestatio. Quare revelatio habet pro objecto rei prius ignotae patefactionem, inspiratio vero praeterea habet pro objecto suo res etiam aliunde cognitas, seu quae saltem cognosci naturali possunt industria. In revelatione non solum res patefiunt, sed verba interdum ipsa quibus manifestatio illa enunciatur vel litteris consignatur, a Deo ipso dictantur, non item vero in iis quae per solam inspirationem conscribuntur (2). Animadvertendum tamen est communi loquendi usu receptum esse, ut revelationis nomine universe significetur quidquid in sacris litteris continetur, aut etiam quod Spiritu S. dictante viva voce per traditionem transmissum est (3).

104. His ita explanatis, superest ut

identidem sacrae litterae inspersae sunt; cf. Herm. Goldhagen *Introd. in Script. Sac.* p. I.

(1) Op. cit. *De divinit. et canonic. sac. Bibliorum* p. I, art. V, p. 70.

(2) Janssens op. cit. visus est utramque *inspirationis* et *revelationis* notionem permiscuisse in definitione quam sub finem § III. exhibet de inspiratione.

(3) Juxta communem hunc, receptumque vulgo loquendi usum nomen inspirationis usurpavit Cornelius a Lapide dum in comm. II. epist. ad Timoth. III, 16. scripsit: « Historias vero et morales exhortationes, quas antea vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant ipsi scriptores hagiographi, non fuit necesse *inspirari*, aut *dictari* a Spiritu S., utpote cum eas jam scirent et callerent ipsi scriptores; » patet enim vocem *inspirari* pro *revelari*, *aut dictari* eum adhibuisse, ut patet etiam clarius ex tota orationis serie in qua declarat Spiritum S. scriptoribus sacris adstitisse I. ne errarent; 2. ut eis suggereret ut haec potius quam illa scriberent; 3. ut ordinaret omnes eorum conceptus, digereret, et dirigeret. Nullo igitur fundamento innixi non pauci scriptores qui sese invicem exscripserunt, Cornelium inter illos auctores recensent, qui inficiantur inspirationem in historicis et moralibus adfuisse hagiographis, multo minus debuisset Graveson in cit. *Tract. de Scriptura sacra* § 3. p. 58. seq. eum impugnare, ac permiscere sententiam Corn. a Lap. cum tribus thesibus confixis a Lovaniensibus et Duacenis de quibus superius diximus, eique opponere *doctissimum Anton. Arnaldum doctorem Sorbonicum*; Hoc enim vere est hostes sibi confingere et aërem verberare. Longius progressus est Contensonius, qui nonnisi inspirationem *negativam* in recensitis concessit scriptoribus hagiographis dum apud Calmet loc. cit. scripsit: « In omnibus igitur habuerunt non revelationem, *sed adsistentiam et auxilium*, *ne laberentur* ».

tandem deveniamus ad vindicandam ecclesiae catholicae doctrinam, prout a concilio Tridentino sess. IV. in decreto de canonicis Scripturis declarata est, cum asseruit, utriusque Testamenti *unum Deum esse auctorem* (1), et anathema illis dixit, qui libros utriusque foederis antea enumeratos pro *sacris* non haberent. Quod quidem binis propositionibus conficiemus, quarum altera veritatem adstruemus doctrinae catholicae circa divinam horum librorum inspirationem, altera vero ostendemus non posse protestantes abjecta ecclesiae auctoritate, certos esse de singulorum librorum sacrae Scripturae divinitate, seu divina inspiratione. Sit igitur:

PROPOSITIO I.

Jure merito concilium Tridentinum docet unum Deum esse librorum canonicorum utriusque Testamenti auctorem, seu eos esse libros sacros, utpote Spiritu S. afflante, saltem quoad res et sententias, conscriptos

105. Prout ex thesis enunciatione liquet, juxta ecclesiae doctrinam attingimus solam divinae inspirationis librorum canonicorum existentiam, quae sese extendat *saltem* ad res atque sententias in iis contentas, quaque fiat, ut ipsi non modo immunes sint a quavis vel levi erroris labe, juxta traditam inspirationis notionem, sed praeterea ut unus Deus fuerit auctor scriptoribus sacris ut sese ad scribendum conferrent, iisque in omnibus adstiterit *adsistentia positiva;* quamobrem solus Deus stricto sensu censeri et haberi debeat illorum auctor librorum. Diximus porro *saltem quoad res et sententias*, quia cum noluerit ecclesia definire, seu dirimere quaestionem inter scholasticos agitatam, utrum praeterea Deus verba ipsa dictaverit, nexumque verborum et periodorum; ideo ne controversiam domesticam cum ecclesiae doctrina temere permisceremus, coarctavimus propositionis sensum ad rei substantiam, sine qua vera inspiratio divina neque est, neque intelligi quidem potest.

106. Jamvero jure meritoque Tridentinum docere in sensu exposito, unum Deum esse librorum canonicorum utriusque foederis auctorem, ita ut omnes et singuli libri in canone contenti tamquam sacri ac divini haberi debeant, seu divinitus inspirati, constat eadem via ac ratione qua eos canonicos esse ostendimus, videlicet auctoritate ecclesiae, quae ita semper credidit ac docuit, prout a Christo et ab Apostolis didicit, posterisque omnibus constanti traditione transmisit, atque ita filios suos vivens mater, ac falli nescia veritatis magistra informavit.

107. Sane quibus ex fontibus evicimus sacrae Scripturae canonem a Tridentino sancitum firmissimum habere in antiquitate fundamentum, ex iisdem liquet divinam iisdem libris auctoritatem et originem nunquam non fuisse tributam. Nam 1. eadem fere verba quibus usa est Tridentina synodus, adhibuit Eugenius IV. dum canonem Scripturarum ex fide et auctoritate *ecclesiae universalis* proposuit Jacobinis dicens: « *Unum atque eundem Deum* Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum atque Evangelii *profitetur auctorem* quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque Testamenti sancti locuti sunt (2); » deinde subjicit eorundem librorum canonem. Quam quidem loquendi rationem mutuatus est Eugenius ex pontificali Romano ubi in conse-

(1) Sess. IV.

(2) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. IX. in decreto cit. pro Jacob. col. 1023.

cratione episcopi ab inaugurando Pontifex sciscitatur: *Credis etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis, et Prophetarum et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem? Resp. Credo* (1) ». S. Augustinus quarum Scripturarum canonem texuit vocat *divinas*, ita ut perinde sit vocare Scripturas *divinas* atque *canonicas* (2) ». Quo autem sensu *divinas* dixerit canonicas Scripturas, alibi declarat scribens: » Denique auctores nostri, in quibus non frustra sacrarum litterarum figitur et terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immerito, cum illa scriberent, *eis Deum vel per eos locutum* ..... tot tantique populi crediderunt (3) », id est omnes christiani ita ab ecclesia edocti. Concilium item Carthaginiense III. *divinas* pariter Scripturas canonicas nuncupavit dicens: « Item placuit, ut praeter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine *divinarum Scripturarum*. Sunt autem canonicae Scripturae etc. ». Adjicit nempe horum librorum canonem, quem ibidem profitetur se a patribus accepisse (4). Clemens vero Romanus a quo, ut diximus, omnes ferme utriusque foederis libri canonici adducuntur, universim sacras Scripturas vocat *Spiritus Sancti oracula* (5). Ex his evidenter patet eadem ecclesiae auctoritate, qua nobis constat de Scripturarum canone, de ipsarum pariter divinitate atque inspiratione constare.

108. Exinde factum est, ut certatim patres juxta fidem in ecclesia receptam docuerint *Spiritum Sanctum esse qui loquitur in Scripturis*, ut Origenes (6); *Scripturam Spiritu Sancto conscriptam ingentem in se continere thesaurum*, ut Chrysostomus (7); linguas et manus scriptorum sacrorum nihil aliud esse, quam *Spiritus Sancti calamos*, ut Theodoretus (8), et s. Gregorius M. (9); *Epistolam* item vocaverint *omnipotentis Dei ad creaturam suam*, ut s. Augustinus (10) et rursum s. Gregorius M. (11), s. Augustinus praeterea adjicit in Scripturis *divinis*, quae *canonicae* vocantur vel levissimum mendacium sine crimine admitti non posse, ac solis canonicis Scripturis eum esse honorem deferendum nullum ut earum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credamus (12). Cum s. Isidorus Hispalensis canonem integrum sacrorum librorum, prout in ecclesia Romana semper obtinuit, exhibuisset, his verbis catalogum

(1) Apud Blanchinium, *Vindiciae canonic. Scriptur. Praefat. Gener.* pag. II. Cf. etiam B. card. Thomasium opp. edit. Ant. Franc. Vezzosi Romae 1747, tom. II. pag. IX. Haec a consecrando episcopo emittebatur fidei professio adversus Manichaeorum haeresim, qui negabant Deum auctorem esse V. T.

(2) Lib. II. *de Doctrin. Christ.* cap. VIII. n. 12.

(3) *De Civ. Dei* lib. XVIII. cap. XLI. n. 1.

(4) Apud Hard. op. cit. tom. I. col. 968.

(5) Sic enim scribit ep. I. ad Cor. cap. XLV. Ἐγκύπτετε εἰς τὰς γραφάς, τὰς ἀληθεῖς ῥήσεις πνεύματος τοῦ ἁγίου, seu « Diligenter inspicite Scripturas, Spiritus Sancti vera oracula ». Apud Cotel. tom. I, p. 172.

(6) *Hom.* XXVI. *in Num.* n. 3. ed. Maur. opp. tom. II, p. 371.

(7) *Hom.* III. *in Genes.* n. I. et alibi passim.

(8) *Praef. in Psalm.* ed. Paris. 1642. opp. tom. II, p. 395 seq.

(9) *Praef. in Job*, cap. I, n. 2.

(10) Serm. II. in Ps. XC. n. I. et *Enarr.* in Ps. CXLIX. n. 5.

(11) Lib. IV. indict. XII. epist. XXXI. ad Theodor. medicum.

(12) Epist. cit. XXVIII. et LXXXII. ad Hieronymum.

suum absolvit: « Haec sunt nova et vetera quae *de thesauro Domini* proferuntur.... Hae literae sacrae, hi libri integri numero et auctoritate: aliud cum istis nihil est comparandum. Quidquid extra hos fuerit, inter haec *sancta et divina* nullatenus est recipiendum (1) ». Cassiodorius itidem cum sacrarum Scripturarum praestituisset canonem, qualem Romana asserebat ecclesia: scribit: « Has siquidem litteras non ratio humana reperit, sed hominibus sanctis virtus caelestis infudit (2) ». Et haec attulisse sufficiat, cum patrum opera ejusmodi effatis referta plane sint quibus divina inspiratio aut generatim, aut in specie libris quibus coalescit canon Tridentinus asseritur (3).

109. Quum vero nobis propositum fuerit omnium et singulorum librorum, qui in canone concilii Tridentini continentur, divinam inspirationem vindicare ex antiquae ecclesiae auctoritate, idcirco ab iis argumentis proferendis consulto abstinuimus, quae *intrinseca* audiunt. Quamquam enim, ut par est, haec magni faciamus, ea tamen minus idonea nobis ad propositum quod intendimus visa sunt. Argumenta siquidem haec sive ab intima rei natura, sive a Scripturarum ipsarum testimoniis petita, evincunt quidem in genere aut in libris sacris veritates a Deo revelatas contineri, aut *Spiritu Sancto inspirante locutos esse sanctos Dei homines*, ut ait s. Petrus (4), aut *omnem Scripturam divinitus inspiratam* esse, ut loquitur s. Paulus (5), aliaque ejusmodi quae aperte produnt Scripturas Deo esse auctore exaratas. Verum praeterquam quod haec aliaque his similia testimonia ad solas referuntur V. T. Scripturas, nuspiam declaratur quinam singillatim ii demum libri sint, qui inspirati censeri debeant. Nostri porro instituti est ostendere omnes ac singulos utriusque foederis libros, qui in canone ab ecclesia catholica recepto inveniuntur, Spiritu S. afflante fuisse conscriptos, sive iis omnibus et singulis libris divinam ejusmodi inspirationem competere; de quo quidem nonnisi ab unica ecclesiae auctoritate constare nobis potest, uti plenius paulo post ostendemus in insequenti qua protestantes impetimus, propositione (6). Interim ex allatis documentis patet, assurgendo a Tridentino decreto ad aetatem usque apostolicam, iisdem plane fontibus quibus adstruitur identitas canonis sacrorum librorum, qui quovis tempore viguit in Romana ecclesia, ac pluribus abhinc seculis in ecclesia obtinet uni-

(1) In libros V. et N. T. *prooem.* n. 14, 15, 16. cf. ed. Arevali tom. v, p. 194. Cf. item Etymologiar. lib. vi, n. 9. ibid. tom. iii, p. 241.

(2) *De institut. divin. litter.* cap. xiii. et xiv. collat. cap. xvi. opp. ed. Maur. tom. ii. p. 546. seqq.

(3) Qui plura ejusmodi patrum testimonia cupit, adeat inter alios Marchini op. cit. p. i, art. v, p. 72. seqq. Casini, *Encyclopaedia Sac. Script.* vol. i. Disput. praevia ii.

(4) Epist. ii, cap. i, 21.

(5) II. Tim. iii, 16.

(6) Quare Rob. Barclajus in op. *Theologiae vere christianae*, ed. sec. Lond. 1729. ita p. 67. perstringebat protestantes evangelicos: « Exempli gratia, quomodo potest protestans alicui neganti Jacobi epistolam esse canonicam (adeoque inspiratam) per Scripturam probare? Ad hanc igitur angustiam necessario res deducta est, vel affirmare, quod novimus eam esse authenticam eodem Spiritus testimonio in cordibus nostris (juxta systema Quakerorum) quo scripta erat; vel Romam reverti dicendo, traditione novimus ecclesiam eam in canonem retulisse, et ecclesiam infallibilem esse; medium, si quis possit, inveniat ». Cf. Moehler *Symbolique* tom. ii, § lxvi. circa finem.

versa, adstrui item ac vindicari divinitatem omnium et singulorum librorum, qui in eodem continentur, id quod nobis demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES

110. I. Obj. 1. Nulla est religio quae suos non jactet libros sacros: habuerunt enim Romani libros Sibyllinos, Zendavesta Persae, Indi libros Vedae, Islamitae Alcoranum se possidere gloriantur. Jam vero hos omnes libros Deum auctorem habere societates singulae, perinde ac ecclesia catholica, auctoritate seu testimonio suo adstruunt, quin tamen dici propterea debeat eos reipsa sacros esse, ac divina inspiratione conscriptos. 2. Argumentis proinde intrinsecis innotescere nobis debet ejusmodi librorum inspiratio, prout hactenus a theologis ipsis catholicis praestitum est; alioquin 3. et illud oriretur ex nova hac methodo vitium, quod petitio principii sive, ut vulgo dicitur, circulus vitiosus omnino committeretur dum nempe existentia et infallibilis ecclesiae auctoritas per Scripturas probaretur, et divinitas Scripturarum per ecclesiam (1); 4. praesertim cum noverimus ab antiquis patribus recensitos esse inter canonicos, proindeque inter divinitus inspiratos nonnullos libros, qui ex canonis albo posthac expuncti sunt. Ergo.

111. Resp. Ad 1. *D.* Quarum tamen religionum nulla est, quae illis fulciatur credibilitatis motivis, quibus unica firmatur vera religio, seu ecclesia catholica, *C.* quae iisdem fulciatur motivis *N.* Cum igitur pro sola catholica religione militent ea quae dicuntur credibilitatis motiva, uti suo loco ostendimus, quae divinam hujus originem et auctoritatem evidenter patefaciunt, nulla ratio est cur illarum societatum testimonio assentiamur, dum sacros dictitant libros suos atque divinos. Divina porro ecclesiae catholicae origine atque auctoritate semel constituta, consequens est ut fidem illi adhibeamus dum testatur nobis qui sint libri canonici, adeoque divini, cum ipsa sola custos ac depositaria divinae revelationis a Deo ejus conditore constituta fuerit.

112. Ad 2. *D.* In genere, *Tr.* in specie omnium et singulorum librorum qui in canone continentur *N.* Theologi enim catholici dum adstruunt divinam sacrorum Bibliorum inspirationem ex argumentis intrinsecis, id generatim tantum efficiunt. Quum vero de libris sigillatim agunt, nemo ex illis est, qui non confugiat praeterea ad traditionem, auctoritatemque ecclesiae, ex qua id unice confici potest (2). Quapropter cum

(1) Hanc petitionem principii catholicis theologis, qui methodo a nobis vindicata uterentur objicit etiam Georgius Hermesius in *Einleitung in die Christ. cath. Theol. seu Introductione in Theologiam Christ. catholicam*. Monast. 1829. part. II, pag. 17.

(2) Sane hoc est unum ex argumentis quibus Theologi catholici utuntur ad adstruendam canonicitatem et divinitatem omnium sac. librorum qui in canone continentur, et ex quo etiam inferunt necessitatem alicujus auctoritatis infallibilis quae nos certos reddat certitudine fidei de hoc praecipuo articulo qui debet constituere regulam remotam et partialem fidei nostrae. Haec autem non alia est nisi ecclesiae catholicae auctoritas. Hinc vidimus s. Augustinum solius ecclesiae auctoritati inniti ad credendum Evangelio, seu sacris Scripturis. Vidimus praeterea patres passim, solius ecclesiae auctoritate permotos, admittere uti sacros et canonicos etiam libros illos, qui in canone primitivo non continebantur. Neque ab hac regula descivevunt sani catholici theologi, qui ideo adserunt prioritatem, seu *anterioritatem* ecclesiae Scripturis N. T. quia illius tantum est judicare de canonicis Scripturis, uti Melchior Canus *De*

nobis proposuerimus omnium et singulorum quos nobis exhibet decretum Tridentinum, librorum divinam evincere inspirationem, aliud fuit iter nobis necessario ineundum.

113. Ad 3. *N.* Etenim cum ecclesia, ut ostendimus, anterior sit et praescribat libris omnibus N. T. qui potuit divina ejus auctoritas et origo primis Christi fidelibus demonstrari testimoniis exinde petitis? Ergo aliunde iis id innotescere debuit, ex motivis scilicet credibilitatis, quibus veritas ipsa asseritur christianae religionis cum qua illa identificatur. In tuto vero ex illis credendi motivis ecclesiae catholicae veritate ac divina auctoritate prius collocata, ex ejusdem auctoritate deinde deprehendimus, quinam libri sive V. T. quos ipsa ex Christo didicit, sive N. T. quos ipsa probavit, uti canonici ac divini habendi sint. In hoc autem processu, ut liquet, nulla petitio principii, aut circulus vitiosus locum habere potest.

114. Ad 4. *D.* Si canonica ac propterea divina librorum sacrorum auctoritas ex uno aut altero patre aut scriptore desumenda esset, *C.* si ab ecclesia *N.* Haec porro difficultas thesim nostram mirifice confirmat.

115. II. Obj. 1. Divina Bibliorum auctoritas, si germanas catholicas notiones spectes, a Christo, qui praecedit ecclesiam, repeti debet, minime autem ab ecclesia a qua *recta tantummodo Bibliorum intelligentia* seu *depositum fidei* quod in illis continetur derivari potest. 2. Exploratum siquidem est ex doctrina ss. Augustini et Thomae, aliorumque plurimorum sane atque insignium theologorum catholicorum, imo et totius qua late patet campi historici christianismi et catholicismi, Biblia, utpote verbum Dei, fundamentum esse quo ecclesiae ipsius auctoritas demonstretur. 3. Sane in historia prius occurrit *Christus* ejusque doctrina et in hac ipsa doctrina *promissio* ecclesiae deinceps aedificandae. Quapropter fides in Christum inque auctoritatem doctrinae ejus quae in Bibliis continetur, cum inclusione fidei in ecclesiam a Christo promissam, jam praecedit fidem in realem hujus ipsius ecclesiae fundationem; ac propterea fidem in ecclesiasticam auctoritatem infallibilem *apostolici magisterii* quod ex divina illa veluti inauguratione, quae die Pentecostes contigit, suum coepit exordium. 4. Qui proinde contendit ab ecclesia omnino arcessendam esse auctoritatem Bibliorum quatenus Dei verbum a Christo enunciatum complectuntur, nae iste prius ponere ecclesiam debet, deinde vero Christum; prius fidem in ecclesiam quam fidem in Christum divinamque ejus doctrinam; atque ita historicae veritatis campo adversa fronte refragari quippe qui contrarium prorsus ordinem exposcit. Quid? quod ipsum deberet ordinem susdeque vertere quem symbolum apostolicum praesefert, a quo nempe prius adducimur ad fidem in Deum creatorem caeli et terrae, deinde vero in Jesum Christum filium ejus unigenitum, ac demum ad professionem fidei in Spiritum S. catholicamque ecclesiam? At enim in novo hoc systemate en quomodo symbolum Apostolicum efferri opus erit: *Credo ecclesiam catholicam, et in Jesum Christum unigenitum filium ejus et in Deum Patrem J. C. creatorem caeli et terrae* (1). Quis talia ferat? Ergo.

locis lib. II, capp. VI, VII, VIII. Sic etiam Bellarminus qui, ut alias vidimus, statuit ecclesiam magis notam esse quoad nos, quam sint Scripturae quas ab ipsa et per ipsam cognoscere possumus. Sic card. Hosius, Walemburgici, aliique passim.

(1) Hae sunt difficultates quas urget Dr. J. B. Baltzer facult. theol. professor in uni-

116. Resp. Ad 1. *D.* Auctoritas divina *in se* seu *intrinseca C. quoad nos*, *in ordine nimirum cognitionis*, sive *extrinseca N.* Nemo certe unquam negaverit divinam Bibliorum auctoritatem intrinsecam, scilicet in se spectatam, a Deo seu Christo qui illam dictavit, unice repetendam esse: sed quaestio heic versatur de ordine cognitionis quoad nos, utrum nempe per ecclesiam noverimus divinam auctoritatem Bibliorum, an vero per Biblia cognoverimus ecclesiam. Jam vero ullo absque dubio prius nobis innotuit ecclesia, a qua Biblia ipsa accepimus, quaeque nobis annunciavit Christum, quam Christus ipse et Biblia. Christus apostolos misit ad se doctrinamque suam praedicandam: prius igitur nobis comperta ecclesia fuit quam Christus doctrinaque ejus, quae objectum apostolicae ecclesiae sive praedicationis extiterunt. Hac de causa Christus discipulos suos miraculorum ceterorumque charismatum donis instruxit ad fidem sibi tamquam Dei nunciis penes populos conciliandam, ut pronas isti aures doctrinae quae ipsis praedicabatur accommodarent. Absurdum porro est affirmare, divinam Bibliorum N. T. auctoritatem, in ordine *cognitionis nostrae*, a Christo esse derivandam, cum nondum illa, Christo in terris versante, existerent. Aeque vero improbandum quod de recta Scripturarum intelligentia adjicitur perinde ac si ipsa sola constitueret *depositum fidei* quod nimirum tum Biblia, tum traditionem, tum rectam utriusque intelligentiam complectatur necesse est.

117. Ad 2. vel *N.* vel *D.* Tamquam regulam fidei remotam, ut vocant, *C.* tamquam regulam proximam, seu in ordine cognitionis quoad nos *N.* Quo posteriori sensu neque s. Augustinus neque s. Thomas aut alius plane theologus catholicus, multo vero minus *campus ille historicus* (ad quem adversarii appellant) christianismi et catholicismi aliquando inficiatus est per ecclesiam nos Christum ejusque doctrinam ac proinde Biblia cognovisse uti auctoritatem divinam. Itaque ex catholicorum sensu nos *immediate* ecclesiam, *mediate* vero per Biblia, quae nempe divina esse per ecclesiam sub ejusque magisterio deprehendimus, penitius cognovimus Christum doctrinamque ejus, uti suo loco ostendimus (1); atque in Bibliis ipsis promissionem legimus ecclesiae aedificandae cum omnibus iis dotibus quibus Christus eam instructam voluit atque insignitam (2). Nisi enim prius ab ecclesia certiores facti essemus de divina Bibliorum auctoritate, nullum jam haberent valorem promissiones ipsae in illis contentae, id quod ex *Biblicis* societatibus nuncupatis clare liquet, quae quoniam sine auctoritate ac sine missione apud infideles Biblia diffundunt, nullam plane fidem inveniunt (3).

118. Ad 3. *D.* In ordine essendi seu existentiae, *C.* in ordine cognoscendi *N.*

vers. Vratislav. in scripto suo « *Beitrage zur Vermittlung* etc., seu *Documenta ad rectum judicium conformandum de catholicismo et protestantismo*. *Vratislaviae* 1839. *fascic. I.* (quem nuper alter excepit) § 9. pag. 26 seqq. De hoc porro auctore, qui hermesianae scholae placitis nimis jam addictus, nunc ad aequiores animi sensus accessisse videtur, fusius in tertia hujus operis parte pertractandum nobis erit.

(1) In prima hujus Tractatus parte cap. I, prop. II.

(2) Cf. ibid.

(3) Hac de causa infideles quibus biblici Scripturarum sacrarum exemplaria dispensant, imo obtrudunt, ea despiciunt, irrident, commercium de eis faciunt, communibus usibus, profanis, imo turpibus et obscaenis ea impendunt. Cf. quae scripsimus in tract. *De vera religione* p. II, prop. X.

Eadem siquidem semper oberrat chorda adversariorum argumentandi ratio, dum haec duo permiscent. Certe Deus prior est in existendo quam nos et mundus; attamen num nos prius non cognoscimus nosmetipsos et mundum quam Deum? Id profecto adversarii quibuscum agimus, acerrime contendunt et propugnant, et quidem, ut nos ipsi profitemur, merito; quandoquidem ex effectu, cujusmodi creaturae sunt, ad causam, nempe Creatorem omnium cognoscendum assurgimus. Retineant ergo adversarii necessariam, quam ipsa philosophia tradit, distinctionem inter ordinem *ontologicum* ac ordinem *psychologicum*, et tunc in eo quod nos contendimus nil deprehendent quod cum veritate sive logica sive historica optime non cohaereat.

119. Ad 4. *Neg.* ex dictis ejusmodi sequelas. Symbolum enim apostolicum ordinem geneticum et historicum exhibet, minime vero ordinem cognitionis de quo loquimur (1). Ceterum nos et symbolum apostolicum ecclesiae acceptum referimus; quis enim nisi ecclesia hoc nos symbolum docuit? Ergo ecclesia quoad nos nostrarumque ordinem cognitionum semper anterior habenda erit, et est.

120. III. Obj. 1. Divinae inspirationis notio repugnat ideae Dei spiritus perfectissimi (2); hominisque libertati ejusque dignitati intellectuali derogat. 2. « Argumenta praeterea, quibus subtilior illa inspirationis doctrina ecclesiastica impugnata et pene explosa est 3. deprompta sunt primum ex universae

(1) Hanc ipsam difficultatem, quam urget Baltzer, jam proposuerat iisdem pene verbis minister Claudius calvinianus Bossuetio. En Claudii objectionem, et responsionem Bossuetii: « M. Claude nous dit que pour autoriser la méthode, par laquelle nous (catholiques) prétendons mettre la foi de l'Eglise, comme le fondement de tout le reste, il faudrait dans le Symbole mettre la foi de l'église, comme le fondement de tout le reste, il faudrait dans le Symbole avoir commencé par dire, *Je crois l'Eglise*, au lieu qu'on y commence par dire, *Je crois en Dieu le Père, et en Jésus-Christ, et au Saint-Esprit.* Et il ne songe pas que c'est l'Eglise elle-même qui nous apprend tout le Symbole; c'est sur sa parole que nous disons, *Je crois en Dieu le Père, et en Jésus-Christ son fils unique*, et le reste; ce que nous ne pouvons dire avec une ferme foi, sans que Dieu nous mette en même temps dans le coeur que l'Eglise, qui nous l'enseigne, ne nous trompe pas. Après donc que nous avons dit sur sa parole, *Je crois au Père, et au Fils, et au Saint-Esprit*, et que nous avons commencé notre profession de foi par les Personnes divines que leur majesté met au-dessus de tout, nous y ajoutons une sainte réflexion sur l'Eglise qui nous propose cette créance, et nous disons, *Je crois l'Eglise catholique*. A quoi nous joignons aussitôt, après toutes les graces que nous recevons par son ministère, *la communion des saints, la rémission des péchés, la bien-heureuse résurrection, et enfin la vie éternelle* ». Ita quidem Bossuet in op. *Réflexions sur un écrit de M. Claude* opp. ed. cit. tom. XXIII, p. 363. qui deinde pag. 365. propius adhuc attingens quaestionem nostram pergit: « Nous convenons qu'il (Dieu) se sert de l'Eglise et de l'Ecriture. Notre question est de savoir par où il commence, si c'est par l'Ecriture, ou par l'Eglise; si c'est, dis-je, par l'Ecriture qu'il nous fait croire à l'Eglise, ou, si c'est plutôt par l'Eglise qu'il nous fait croire à l'Ecriture. Je dis que c'est par l'Eglise que le Saint-Esprit commence; et il faut bien qu'il soit ainsi, puisque constamment *c'est l'Eglise qui nous met en main l'Ecriture* »; sed ipsum cf. ibid.

(2) Jo. IV, 24. Cor. III, 17.

Scripturae sacrae indole, quae partim magnam *orationis* (1), *interpretationis singulorum V. T. locorum* (2), *fontium* (3), *chronologiae* (4), *et ipsius doctrinae argumenti* diversitatem (5) exhibet; partim argumentum continet multis in locis ambigue et obscurissime expressum aut temporis successu emendatum aut etiamnum emendandum, et quod omnino ita comparatum est, ut inventio ejus e virium et praesidiorum naturalium usu optime explicari queat. Accedit, quod pars aliqua librorum sacrorum non ab illis, quorum nomina praeseferunt, auctoribus, sed ab interpretibus, et amanuensibus (6), de quorum inspiratione nil constat, litteris consignata est. 5. Praeterea si Numen divinum pro sapientia et bonitate sua inspirationem illam miraculosam librorum sacrorum vere necessariam duxisset, eandem et interpretibus quibusvis omnis temporis concedere debebat, ut Scripturarum sensus, haud raro inventu difficilis omni aetate et in omni populo recte cognosci posset. 6. Argumenta porro petita sunt e singulis scriptorum sacrorum effatis, quibus ii vel suarum ingenii mentisque virium usum sibi vindicant (7); vel divinum illum instinctum, quo correpti sibi esse videbantur, sed quem nusquam certius definiverunt, ad solos propheticos sermones, minime vero ad scripta sua diserte referunt (8); vel ipsos spiritu divino actos diligenter examinandos esse docent (9). 7. Addi possunt ea Scripturae sacrae dicta, ex quibus apostolos eorumque socios, etiamsi Spiritus s. dotibus imbuti fuerint, sensim pedetentimque ad perfectiorem religionis scientiam provectos (10); nec omnes opiniones praejudicatas penitus exuisse apparet (11), testante ipso Paulo apost. se ceterosque christianos imperfecta religionis cognitione imbutos fuisse (12). 8. Nec minus denique argumenta affert historia tum populi cujusque incultioris, opinionibus de efficacia Numinis immediata et miraculosa imbuti, tum ipsius dogmatis de inspiratione historia, quae libri inspirati nomen promiscue ad scripta non canonica, v. g. librum Enoch, oracula Sibyllina, aliaque translatum fuisse, et subtiliorem inspirationis formam, saec. demum XVII. effictam esse, certissime demonstrat (13) ». Ergo.

121. Resp. Ad 1. *N.* Quaenam enim repugnantia fingi in eo potest, quod Numen summe perfectum, quum hominem ratione praeditum condiderit, eun-

(1) Ex gr. Exod. xx, 2 seqq. et Deut. v, 6 seqq. Matt. v, 1 seqq. et Luc. vi, 20 seqq.

(2) Matth. viii, 17. et I. Petr. ii, 24. Act. xiii, 33. Hebr. i, 5.

(3) Num. xxi, 14. Jos. x, 13. Luc. i, 2.

(4) Matth. xxiii, 35. Luc. ii, 2. iii, 1. Act. v, 36. vii.

(5) Act. xv. 1-31. et Gal. ii, 14. Jo. xiii. 2-27. Act. v, 3. Ephes. ii, 1-3, et Marc. vii, 21-23. Jac. i, 13-15.— Jo. v, 22. xii, 31. et iii, 17, 19. xii, 47. I. Cor. xi, 5., et xiv, 34. I. Tim. ii, 10-12.

(6) Rom. xvi, 22. Col. iv, 18. II. Thess. iii, 17.

(7) Deut. xxx. 11-14. Prov. iv, 3. seqq. Luc. i, 3. I. Cor. vii, 10 seqq. collat. 25, 26. ii. Cor. xi, 17.

(8) Num. xi, 26 seqq. I. Sam. x, 10 seqq. Jerem. i, 9. I. Cor. ii, 13. II. Petr. i, 21.

(9) I. Jo. iv. 1. coll. Gal. ii, 6. I. Cor. x, 15, xiv, 29.

(10) Act. x, 10 seqq. xv, 1 seqq. xxi, 15. seqq. I. Tim. iv, 14, 16. Add. Luc. xxiv, 25. Jo. xvi, 12.

(11) I. Cor. v, 5. vi, 3. xi, 30. xv, 22, 29. Jacob. v, 8. I. Thes. iv, 15. collat. I. Cor. xi, 51. et alibi.

(12) I. Cor. xiii, 9-12.

(13) Ita Wegscheider §§ 42, et 43.

dem et moveat et illustret, eique adsistat? Quid porro evincant, quae afferuntur ex Jo. IV. 24. ubi dicitur: *Spiritus est Deus*, et II. Cor. III. 17. ubi legitur: *Dominus spiritus est*, plane ignoro. Quid enim? Si Deus spiritus est, numquid propterea nequibit homini inspirare? Imo hoc ipso magis idoneus erit ad id efficiendum.

122. Negamus praeterea per divinam inspirationem derogari quidquam aut hominis libertati aut intellectuali ac morali ejus dignitati, quae potius ex illa plurimum perficiuntur, quemadmodum gratiae supernae accessio naturam hominis vehementer perficit ac complet. Inspiratione quippe homo in eorum devenit notitiam quae ex se aut nullo modo, aut aegre omnino cognoscere potuisset; quaeque talia sunt ut valde conferant sive ad pleniorem Dei cognitionem sive ad perfectionem hominis ipsius assequendam.

123. Ad 2. *D.* Inspirationis doctrina ecclesiastica, nempe protestans, seu prout a sectis protestantibus asseritur, seclusa ecclesiae catholicae auctoritate, impugnata et pene explosa est, *Tr.* prout a nobis adstruitur ex ecclesiae catholicae auctoritate perpetuae traditioni innixa *N.* Fatemur, imo contendimus haud posse protestantes ex solis argumentis intrinsecis canonicorum librorum divinam evincere inspirationem, quod ex professo in altera mox subjicienda propositione ostendemus. Qua posita animadversione, tuto possemus ejusmodi difficultates, quae probationem nostram nec minimum attingunt, omnino praetermittere. Cum tamen pleraeque aut falsae sint, aut sacris scriptoribus injuriosae, singillatim iisdem occurrimus. Itaque

124. Ad 3. *D.* Et ejusmodi diversitas orationis, interpretationis etc. apparens est, *C.* vera et realis *N.* Diversitas illa *magna* orationis in adductis locis in eo sita est, quod Deut. V. nonnullae a Mose interseruntur explanationes decalogi, qui datus a Deo perhibetur Exod. XX.; et quod s. Lucas VI. summatim referat quae fusius Matth. V. seqq. traduntur. Diversitas item interpretationis quae occurrit singulorum V. T. locorum Matth. VIII. et I. Petr. II. respicit Isaiae vaticinium LIII. 4. *vere languores* etc. quod Matthaeus exponit de infirmitatibus corporalibus, s. Petrus vero de infirmitatibus spiritualibus, seu potius de poenis peccatis nostris debitis quas sibi Christus luendas in cruce suscepit. Nulla porro in his occurrit repugnantia. Vaticinium enim Isaiae causam simul complectitur et effectum. Quod igitur Petrus de causa, Matthaeus exponit de effectu (1). Neque pariter dissident interpretationes verborum Ps. II. *Filius meus es tu*, etc. quas exhibet Paulus Act. XIII. de resurrectione, et Hebr. I. de aeterna ejusdem ac temporali generatione, si illud probe spectaveris, divinam Christi generationem in tempore, ipsiusque ad vitam reditum fundari in aeterna ejusdem generatione, quae nimirum ipsi jus dedit ad utramque assequendam (2). Quod vero spectat ad fontes ab adversario indicatos, quibus usi sunt scriptores hagiographi, nullam patefacit diversitatem: quasi vero non ageretur de eadem re diversis e fontibus derivata; in quo tamen nihil est quod repugnet, sed solum ostendit divinam inspirationem, ut antea animadvertimus, humanam industriam, mediorumque naturalium usum non excludere.

125. Verum neque diversitas est *chro-*

(1) Cf. quae scripsimus de hac ipsa difficultate quam jamdiu opponebant sociniani, in *Tract. de Incarn.* p. II, cap. VI, prop. n. 626.

(2) Cf. ibid. cap. I, n. 240.

nologiae in locis allegatis; e quibus primo seponendus est Matth. locus, ubi non agitur de chronologia (1): loca porro quae ex Luc. II. et III. adducuntur, pendent a quaestionibus de censibus factis a Cyrino, ac supputatione annorum imperii Tiberii Caesaris, quae multiplici ratione a chronologis exponuntur (2). Id ipsum dicatur de illis tantum apparentibus discrepantiis quae occurrunt Act. VII. in oratione s. Stephani quas nempe iidem chronologi apprime secum inter componunt (3). Quod objicitur ex Act. V. supponit unum eundemque esse Theudam de quo loquitur Josephus Flavius (4) ac Theudam de quo verba facit Gamaliel Act. V., cum tamen plures iique gravissimi auctores id merito negent (5). Nulla demum ipsius doctrinae diversitas occurrit Act. XV. et Gal. II., cum utrobique gentes immunes a legalibus ritibus declarentur (6). Quoad cetera quae ab adversario in medium proferuntur loca satis cuique erit ea inter se comparare, ut expudoratam hominis frontem deprehendat, dum ea veluti dissentientia adducit, quae ne in speciem quidem diversitatem ullam praeseferunt. Interim ex hisce specimen capere possumus quibus armis pugnent novi istiusmodi gigantes qui in Deum ipsum superbissime insurgunt.

126. Esto quod multis in locis, uti adjicitur, plura offendantur obscura; ex hoc tamen id unum evincitur adversus protestantes, Scripturam adeo claram non esse, prout ad haec ferme tempora ipsi praedicabant, ullo ut proinde supremo interprete non indigeat. Quod vero dicitur successu temporis in Scripturis emendatum, idem habet fundamentum ac illud quod adversarius affirmat adhuc esse emendandum, incredibilem scilicet in asserendo temeritatem. Circa subsidia naturalia, paulo ante quid sentiendum sit exposuimus.

127. Ad 4. *D.* Ita ut ex his appareat Scripturam sacram inspiratam non fuisse quoad verba, *Tr.* Quoad res atque sententias quas amanuensibus hagiographi dictabant *N.* Hoc enim nobis sufficit ad rem nostram.

128. Ad 5. *N.* Satis quippe est Deum providisse per infallibile ecclesiae magisterium, ipsamque divinitus fuisse legitimam Scripturarum interpretem constitutam, ut paulo post ostendemus. Haec porro difficultas solos protestantes suos impetit.

129. Ad 6. *D.* Id est non excludunt

(1) Nam Matth. XXIII, 35. referuntur Christi verba: « Ut veniat super vos omnis sanguis qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare ». In quae verba cf. Maldonatum qui caussas affert quare Christus meminerit Abel, quamquam non fuerit ex Judaeis, et Zachariae, etsi postremus non fuerit prophetarum, qui sunt ab illo populo occisi.

(2) Cf. eruditum opus Henrici Sanclementii *De vulgaris aerae emendatione*. Romae 1793. lib. IV, cap. II, seqq.

(3) Cf. Corn. a Lapide in cap. VII. *Act. Apost.* ubi fuse de his apparentibus antilogiis disserit easque dissolvit.

(4) Lib. XX. *Antiquit.* cap. V. edit. Havercamp.

(5) Cf. adnotat. in loc. cit. Josephi Flavii; Grotium ad Matth. c. XXIV, 5. Lightfoot *Horae Hebr. ad Acta Apost.* c. V, v. 36. ed. Ultraj. 1694. vol. II. p. 704. Valesium ad Euseb. lib. II, cap. VI. Lud. Cappellum in *Spicilegio ad Acta* c. V, 36. Simon *Hist. crit. du Nouv. Test.* ch. II, Cornel. a Lap. hic.

(6) Satis est utrumque locum inspicere et conferre ut pateat nullum inter utrumque interpositum esse discrimen.

a se sacri scriptores humana praesidia, ut toties diximus, *C.* secus *Tr.* Ex his observationibus tantum consequeretur, quod contendimus, non posse ex sacris unice literis, amota ecclesiae auctoritate, divinam singulorum librorum canonicorum ostendi inspirationem. Quod vero additur de diligenter examinandis spiritu divino actis, putidum mendacium est. Aliud siquidem est quod probare debeamus *spiritus an ex Deo sint*, ut ait s. Joannes I. c., aliud quod viri Dei spiritu vere acti, examini subigendi sint, quod non asserunt nisi soli rationalistae. Reliqua porro ibid. allegata loca non sunt ad rem (1).

150. Ad 7. *N.* Cum vero idem semper Scripturarum abusus occurrat in iisdem allegandis, supersedemus ab iis singillatim expendendis, quod praestare quilibet per se potest.

151. Ad 8. *N.* Historia namque incultioris cujusque populi id unum evincit, persuasam nempe hominibus quovis tempore fuisse, non a sola ratione, quemadmodum vellent rationalistae, sed omnino a Deo repetendam esse doctrinam quae tuto nos ad caelum perducat; quamvis populi ex defectu accurati examinis credendi motivorum, quibus vera revelatio fulciri debet, falsis identidem revelationibus decepti fuerint. Historia autem inspirationis nos docet non a privatis hominibus, sed ab ecclesia quae ejusdem custos et depositaria a Deo constituta est, expetendam esse genuinam revelationem, ab eaque propterea decerni oportere quibusnam eadem libris contineatur. Quod demum postremo loco adjicitur, non divinam inspirationem sive ejus existentiam attingit, de qua numquam dubitatum in ecclesia est, sed peculiares afficit controversias circa rationem qua librorum sacrorum scriptores inspirati censendi sunt; quae quidem nonnisi serius agitari coeperunt (2).

PROPOSITIO II.

Rejecta ecclesiae catholicae auctoritate certo constare nequit protestantibus divina librorum canonicorum inspiratio

152. Diximus, rejecta ecclesiae *catholicae* auctoritate, quia per illam solam societatem id nobis constare debet quae hoc a Christo et ab apostolis accepit ut filum numquam interruptum illius traditionis conservaretur, quae ab ipsius fundatione originem duxit. Nulla porro acatholica secta saltem ex iis quae supersunt, ad aetatem usque apostolicam assurgit. Diximus praeterea, *certo con-*

(1) Apostolus Gal. II, 6. refert se nihil ab hominibus accepisse, sed a solo Deo; I. autem Cor. X, 15. scribit: « Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quid dico », nempe haud posse christianum participem fieri mensae Domini et mensae daemoniorum, ut ibid. subdit. XIV. demum 29. ejusdem epistolae loquitur de donis gratis datis tunc in ecclesia communibus. Judicet nunc lector quid sentiendum sit de perpetuo scripturarum abusu ex parte istorum hominum.

(2) Omnium primus qui de ratione inspirationis sac. librorum agere coepit est Agobardus episcopus Lugdunensis sec. IX. in epist. ad Fredegisum abbatem, qui contendebat Spiritum Sanctum non solum res et sententias, verum etiam et singula verba scriptoribus hagiographis dictasse, imo et in ore formasse, ut asinae Balaami. Ostendit porro Agobardus non ad voces sed ad res et sensus se porrexisse divinam inspirationem illis fere ipsis argumentis quibus posteriores ejusdem sententiae adstipulatores usi sunt, solvitque ea quae ex Scripturis objiciebantur a Fredegiso. Cf. inter ejus opera in *Biblioth. Patrum de la Bigne* vol. XVII. p. 580. seqq. seu tomi IX. p. II. ed. Colon. 1618.

stare non posse, quia major minorve probabilitas non excludit omne dubium; quod tamen excludi necessario opus est in re tanti momenti, cujusmodi est purum Dei verbum a puro verbo hominum tuto discernere, ut inde firmissimus fidei actus elici possit. Diximus denique *librorum canonicorum*, omnium videlicet et singulorum tum Veteris tum Novi Testamenti.

133. Jam vero rem ita esse, prout enunciavimus, ostendere operosum non est. Seclusa enim ecclesiae auctoritate nulla alia nobis superest via ad divinam sacrorum librorum inspirationem internoscendam nisi aut Scriptura ipsa, aut antiqua documenta, aut intrinseca quaedam librorum illorum proprietas (*saporem* eam veteres protestantes vocare delectabat), qua veluti quodam gustu Scriptura sacra a non sacra tutissime discernatur. Porro nihil horum ad rem conficiendam valet.

134. Ac 1. Non *Scriptura ipsa*; nuspiam enim Scriptura declarat quinam singillatim libri Spiritu S. afflante conscripti sint, quinam vero nequaquam. Et quamvis nonnulla huc illuc afferantur dicta tamquam oracula a Spiritu S. dictata, haec praecise non afficiunt integrum librum ex quo peculiaria illa testimonia promuntur, ita ut presse inferri possit ac debeat, librum integrum cum omnibus suis partibus fuisse Spiritu S. afflante conscriptum. Si interdum legitur *omnem Scripturam esse divinitus inspiratam*, uti superius monuimus, ejusmodi effata nonnisi de libris V. T. accipi possunt, idque sane generatim, sic ut semper incertum maneat quinam libri singillatim Spiritu Sancto afflante fuerint exarati, seu quinam illam *omnem Scripturam* Spiritu S. inspiratam re vera constituant. Accedit quod, ipsis protestantibus fatentibus imo et contendentibus, effata illa quibus doctrina de inspiratione innititur, plures eosdemque diversos sensus atque interpretationes admittant (1), quibus immediata Dei ac supernaturalis operatio excluditur (2).

(1) Nonnulli enim, ut Camerarius, contendunt verba Pauli II. Tim. III, 16. non ad totam Scripturam V. T. referri, sed generalia esse ita ut hic sensus subsit: *omnis Scriptura, Deo inspirante conscripta*, est etiam utilis etc. Hinc aliqui ad sola scripta prophetica, aut quae Deo jubente scripta sunt, ea coarctant. Alii, ut Tellerus, exponunt ita, ut sensus sit: omne bonum ad animum pertinens, Deum habet auctorem, *est a Deo quasi inspiratum*. Cf. Rosenmüller in II. ad Tim. III, 16. Juxta Henricum Heinrichs Apostolus l. c. auspicatur a generaliore sententia vel loco communi, *ut adeo neque de V. T. neque de N. T. accipienda* sibi videatur. Cf. *Nov. Test. Graece perpetua annotatione illustratum*. Ed. Koppianae vol. VII. Gotting. 1788. p. 170. seqq. item Knapii *Scripta varii argumenti*. Halis Sax. 1823. tom. I. *De usu vatic.* ad loc. II. Petri I, 19-21.

(2) Cf. Chr. Frid. Fritzsche *De revelationis notione biblica commentatio*. Lips. 1828. Ex hac apparet quaenam inter protestantes controversia fervescat circa *mediatam* (seu per rationem) et immediatam efficaciam divinam in manifestatione Dei voluntatis. Naturalistae qui nonnisi mediatam Dei efficaciam admittunt, eatenus pro divinis habendas Scripturas esse autumant, quatenus praecipua capita veritatis laude florent. Imo, quaestionem, ut vocant, de mediata aut immediata Dei operatione, ad scholasticas controversias amandant. Hebraeos statuisse eodem modo, quo prisci populi omnes, de prophetis suis, et iis omnibus quibus suam Deus *revelasset* voluntatem, longe probabilius existimant. Atque huc referunt quae Aegyptii, Persae, atque Indi hac de re senserunt; item accommodant quae de poëtis et vatibus Socrates in *Jone* Platonis dicit, quod Deus scilicet, iis « mentem eripit, ut illis utatur ministris oraculorumque

Neque omittendum, haud posse a protestantibus divinam inspirationem Scripturarum auctoritate vindicari quin incidant in vitium *petitionis principii* a logicis nuncupatum. Nam ex eorum principiis unice probaretur Scripturas esse divinitus inspiratas, quia Scripturae quae uti divinitus inspiratae assumuntur, id testantur: quod merito illis vitio vertunt rationalistae (1).

135. Non 2. ex antiquis documentis; nam quoad eos qui ecclesiae auctoritatem rejiciunt, eandem plane vim obtinere debent antiquitatis documenta et quae ab haereticis et quae a catholicis auctoribus supersunt. Porro ecquis est qui ignoret haereticos antiquissimos, ebionitas, cerinthianos, gnosticos, marcionitas, alogos, manichaeos, plerosque V. et N. Testamenti libros Deo abjudicasse; ac eadem ratione qua protestantes hodierni, spreta ecclesiae catholicae auctoritate, quos volunt libros uti divinitus inspiratos admittunt, quos vero nolunt repudiant, praesertim cum propriis suis erroribus aperte contrarios esse deprehendunt (2), sic, inquam, sese veteres illos haereticos gessisse (3)? Jam vero cur patrum potius, quam haereticorum testimoniis inniti debent protestantes, eo vel magis quod patres passim parvi pendant, haereticos vero illos veluti antecessores suos passim pariter agnoscant quibuscum praeterea se nescio qua cognatione conjunctos esse jactant (4)? Deinde, ut vidimus, patres ipsi singillatim sumpti, et concilia particularia, seu particulares ecclesiae si Romanam unam excipias, minime inter se conveniunt in Scripturarum canone, adeoque juxta adversarios et in admittendis libris divinitus inspiratis; sed alii plures alii pauciores agnoscunt. Nec est quod confugiant ad traditionem oralem, quae ad posteros ex apostolica aetate descenderit; siquidem protestantes nuspiam ejusmodi traditionem suscipiunt, et praeterea ecclesiae auctoritate seclusa, traditio illa circa inspirationis singulorum librorum canonicorum articulum in incerto admodum versatur.

136. Nec 3. demum id quod intendunt, efficere valent protestantes ex intrinseca illa libris sacris proprietate quae attingatur gustu quamque *saporem spiritualem* appellitare coeperunt. Etenim praeterquam quod nemo jam est alicujus nominis protestans, qui ad postremum hoc effugium sese recipiat, plura sunt quae idipsum excludunt. Atque in primis illud urgemus quod ex fallacia hujuscemodi saporis exsurgit. Si enim haec in libris sacris se proderet proprietas, quare tum veteres tum recentiores ex ea

nunciis; ut a nobis qui audiamus, intelligi possit, eos ipsos non esse, qui ejusmodi res tanti momenti dicant, sed Deum esse, qui illa dicat, et per hos homines nos alloquatur »; nec non quae Tullius habet *De natura Deorum* lib. II, cap. 66. cum scribit: « Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit », et in orat. pro Archia poëta cap. 8. Talia de divina sac. librorum inspiratione sentiunt et effutiunt profani isti homines.

(1) Ita sane suos protestantes supernaturalistas nuncupatos urget Wegscheider § 42. et alibi passim.

(2) Paulo ante attulimus verba Moulinié ministri protestantis qui id exprobrat suis.

(3) Cf. *Praeloquia* Bonfrerii cap. IV, sect. I.

(4) Huic cognationi innituntur protestantes, ut ab argumento semper ipsis permolesto se expediant, quo ipsos catholici urgent: *ubi nam erat vera ecclesia ante Lutherum?* Confugiunt porro ad ecclesiam invisibilem quae a piis, scilicet haereticis, quovis tempore conflata est. Cf. Bossuet, *Histoire des Variations* liv. XV. § XVI. suiv. opp. ed. Versailles 1816. tom. XX. p. 461 seqq.

sacros ejusmodi libros Spiritu Sancto afflante conscriptos discriminare non valuerunt? Quandoquidem constat ex dictis alios a veteribus velut inspiratos admissos fuisse qui posthac ex hoc censu rejecti sunt, alios vero e converso fuisse expunctos qui tamen postea tamquam inspirati sunt habiti; neque haec poterunt unquam apte conciliari nisi ecclesiae auctoritate accedente. Id ipsum contingit recentioribus, nempe protestantibus, excusso semel auctoritatis jugo: nam sapor ille quo illectus est Lutherus ut veluti *stramineam* s. Jacobi epistolam repudiaret (1), effecit ut Calvinus eamdem tamquam divinam suspiceret. Eodem sapore permoti lutherani libros deutero-canonicos omnes N. T. veluti apocryphos rejecerunt, quos contra calviniani tamquam divinitus inspiratos eodem ducti sapore amplexi sunt. Nulla igitur ratione constitui potest inhaerens ejusmodi sacris libris proprietas seu qualitas aut sapor uti criterium tutum quo Scripturae inspiratae a non inspiratis distingui atque internosci possint. Huc accedit, quod numquam praeterquam posteriori hac aetate idque a solis haereticis, provocatum fuerit ad fictitium hunc saporem, ut ejus ope inter libros sacros et non sacros fieret discretio (2).

137. Quocumque igitur se vertant protestantes, aut devenire tandem debent ad ecclesiae catholicae auctoritatem ut hanc dirimant controversiam; aut necessario incerti, dubii ac fluctuantes haereant oportet in re tam gravi prout ex ipsorum experimento fieri certissime constat. Etenim, ut silentio praetereamus varietates antiquorum protestantium circa inspirationem singulorum librorum tum Veteris, tum Novi Testamenti (3), jam innuimus plerosque recentiores protestantes post Toehlneri ac Semleri lucubrationes omnem prorsus inspirationem presse acceptam rejicere (4). Chillingworth

(1) Cf. Moehler, *Symbolique*, tom. II, § XLI. Bayle ipse in *Diction.* art. *Luther*, *Rem.* N. non pauca anecdota refert circa Lutheri effatum de epistola Jacobi.

(2) Apposite Michaëlis *Introd. au Nouveau Testam.* quatr. edit. Genève 1822. tom. I, première part. chap. III, sect. II, p. 215. de ejusmodi criterio scribit: « Une sensation intérieure des effets du St. Esprit, et la conviction de l' utilité de ces écrits pour améliorer le coeur et nous purifier, sont des critères aussi incertains que le précédent. Quant à cette sensation intérieure, je dois avouer que je ne l' ai jamais éprouvée, et ceux qui la ressentent ne sont ni dignes d'envie, ni plus près de la vérité, puisque les Mahométans l'éprouvent aussi bien que les chrétiens; et comme cette sensation intérieure est la seule preuve sur laquelle Mahomet ait fondé sa religion, que tant de milliers d'hommes ont adoptée, nous devons conclure qu'elle est trompeuse. L'autre caractère est également insuffisant, puisque de pieux sentiments peuvent être excités par des ouvrages purement humains, par les écrits des philosophes, ou même par des doctrines fondées sur l' erreur ».

(3) Ut specimen habeamus harum variationum satis est animadvertere, antiquiores protestantes acerrime θεοπνευστειαν seu divinam inspirationem, punctorum propugnasse; quos inter eminent Buxtorfii pater et filius academiae Basileensis professores. Buxtorfius filius edidit contra Lud. Cappellum Salmuriensem, qui contrariam defenderat sententiam, tractatum *de punctorum vocalium et accentuum origine, antiquitate et auctoritate*, Basil. 1648.: quo facto ecclesiae Helveticae, in additamento ad libros symbolicos, quod *formulae consensus* nomine appellatur § 21. Cappelli librum et sententiam publice damnarunt. Apud Wegscheider § 41. not. (m). Nunc vero rarus jam est ex auctoribus protestantibus qui supernaturalem inspirationem admittat.

(4) Cf. superius dicta.

animadvertens neque ex Bibliis ipsis, neque ex traditione constare inspirationem posse, concludit, Biblia non esse objectum fidei, posseque obtineri salutem quin credatur in ipsis verbum Dei contineri (1). Recens auctor protestans appellans ad theologos protestantes praestantiores affirmare non dubitat quod « inspiratio sacrae Scripturae sit *chimaera;* quod Biblia, (praesertim vero Novum Testamentum, hoc scilicet obstaculum, ut ipse loquitur, quod progressum luminum maxime impedit, utpote quod nostris temporibus accommodatum non sit) evadant inutilia (2) ». Magna adhuc apud protestantes fervet lis inter *naturalistas* nuncupatos et *supernaturalistas*, quorum priores inficiantur, Deum *immediata*, ut loquuntur, operatione et efficacia doctrinam suam manifestasse, omnemque propterea inspirationis propriae dictae notionem tum ab auctoribus sacris tum ab eorum libris repellunt: supernaturalistae e contra eam adhuc admittere pergunt, aliquo licet latiori sensu (3). Ad primam classem referuntur rationalistae ac mythici omnes qui Deum nonnisi *mediata ratione* homines, imo et Christum ipsum docuisse autumant, non sine tamen speciali aliqua providentia (4): spectant ad secundam protestantes quos orthodoxos vocant. Ex iis vero qui quamdam adhuc inspirationis speciem colere pergunt, illi quidem inter se quoad omnes libros minime consentiunt. Nam Michaëlis inter ceteros divinam inspirationem abjudicat Evangeliis Marci et Lucae, Actisque apostolorum (5). Alii eam ablegant ab Evangelio Joannis cujus verum auctorem gnosticum quendam extitisse rentur, et ita porro alii ab aliis libris, ut alibi scripsimus (6). Patet igitur ex hisce aliisque documentis, quae, si opus esset, magno numero afferri possent, omnia penes protestantes circa hunc inspirationis articulum in incerto posita esse. Nec aliter esse potest, quandoquidem inspiratio *factum* est, quod propterea non alia potest ratione quam per auctoritatem constare. Cum vero protestantes auctoritatem sive ecclesiae sive traditionis quae in illa ac per illam jugiter conservata est, recipere recusent, consequitur necessario ipsos perpetuo fluctuare debere, omnique rapi vento doctrinae.

Tum igitur ex jure tum ex facto, agendi scilicet protestantium ratione, liquet quod proposuimus, rejecta nempe ecclesiae catholicae auctoritate certo ipsis constare non posse divinam librorum canonicorum inspirationem.

DIFFICULTATES

138. I. Obj. Regulae non desunt quarum ope etiam ecclesiae auctoritate semota, tuto possint acatholici libros inspiratos a non inspiratis distinguere. Ac 1. quoad libros V. T. illi omnes et soli inspirati censendi sunt, qui hebraica lingua fuerunt exarati, atque uti tales ab

(1) Apud Grégoire *Histoire des sectes réligieuses*. Paris 1829. tom. IV. *Eglise Anglicane* ch. IX, p. 434.

(2) Ita auct. op. cui tit. *Nouveaux Aphorismes au tombeau de la théologie*. Genève 1801. Cf. op. *Le Ministre protestant aux prises avec lui-même*. Lyon 1836. *Cinquième entretien* p. 47.

(3) Recolantur sup. dicta ex Fritzsche.

(4) Ibid. pag. 2. 5.

(5) *Introd. au Nouveau Test.* tom. I, chap. III, sect. III, p. 129-135. et tom. III, pag. 281-285. Huc demum devenire debuit hic auctor juxta systema suum ad discernendos libros inspiratos a non inspiratis, de quo paulo post.

(6) Cf. Bar. de Starck, *Entretiens philosoph.* Paris 1818. p. 133.

Hebraeis admissi (1). 2. Id ipsum ex auctoritate Christi et apostolorum palam fit, qui nempe ad illos libros provocant tamquam ad *Scripturam divinam*, et *eloquia Dei*, vel *Spiritus Sancti* (2). 3. Quod vero ad libros spectat N. T. ex eorum authenticitate ac veritate necessario exurgit divina ipsorum inspiratio; quippe Christus cum missionem evangelium praedicandi Apostolis demandavit (3), sese illis perpetuo adfuturum spopondit, idemque professus est non ipsos locuturos, sed Spiritum Sanctum in eis (4), quod quidem privilegium reipsa sibi passim vindicant apostoli (5). 4. Deinde quis eo usque desipiat ut abjicienda esse contendat argumenta omnia interna quibus utriusque foederis librorum inspiratio a tot doctis viris tum protestantibus tum catholicis invicte adversus incredulos demonstratur? 5. Verum et hoc praetermisso, falsum est quod a catholicis assumitur, protestantes videlicet non admittere traditionem, saltem tamquam monumentorum historicorum collectionem, seu traditionem historicam (6). Jam vero cum per hanc semel constiterit de authenticitate et veracitate librorum sacrorum, eorum scilicet quos primitiva ecclesia suum in canonem retulit, quid ultra requiras? Scripturae enim sunt id quod sunt independenter a quovis hominum testimonio. Satis proinde erit protestantibus si ex traditione veluti monumento historico juxta regulas critices explorata atque comperta, deveniant ad dignoscendos libros quos antiquitas uti canonicos habuit, ut inde eosdem quoque esse divinitus inspiratos certo tutoque concludant (7).

139. R. *D. A.* Non desunt regulae quibus majori vel minori probabilitate possint acatholici libros inspiratos a non inspiratis distinguere, *Tr.* Omnimoda certitudine seu certitudine fidei quoad omnes singulosque libros *N.* Alioquin nulla unquam extitisset inter ipsos discrepantia circa gravissimum ac primarium hunc articulum a quo partialis saltem fidei regula pendet.

140. Ad 1. *N.* Ridiculum sane est tamquam divinae inspirationis criterium statuere linguam hebraicam, quasi videlicet Deus haud potuerit graeca lingua scribentes afflare, quemadmodum hac ipsa Scriptores librorum N. T. inspiravit. Quod si huic esset insistendum criterio, paraphrases omnes antiquae chaldaicae itemque libri thalmudici sacros inter libros omnino essent referendi (8). Quod vero de libris inspiratis adjicitur admissis ab Hebraeis, jam re-

(1) Ita quidam Monod genevensis qui Lugdunum non ita pridem se contulit ad proselytismum sectae suae propagandum, apud cit. op. *Le Ministre* etc. pag. 11. cf. etiam Jahn *Introductio in lib. sac. V. T.* § 21.

(2) Matth. XI, 13. XV, 3-6. XXII, 31. 43. XXVI, 34. Luc. XVI, 29. XVIII, 31. XXIV, 25. 27. Marc. VII, 9. 13. Jo. V, 39. 46. Act. III, 18. 21. 25. XXVIII, 25. Rom. I, 2. III, 2. IV, 3. 23. Gal. III, 8. Hebr. III, 7. XII, 26. 27. I. Petr. I, 11. II. Petr. I, 21. etc.

(3) Matth. X, 19. 20.

(4) Ibid. Luc. XII, 11. 12. Marc. XIII, 11. Luc. XVI, 14. 15.

(5) II. Cor. XIII, 3. I. Thess. II, 13. Ita Michaëlis qui fuse hoc argumentum persequitur op. et loc. cit. sect. II, p. 120 seqq.

(6) Ita apud Grégoire *Hist. des sectes* tom. IV. p. 434. seq.

(7) Ibid.

(8) Nonnullae partes librorum protocanonicorum lingua chaldaica conscriptae sunt, Dan. II, 4-7. 28. I. Esdr. IV, 8. VII, 19. VIII, 11-27; et Jerem. X, 11. Aut igitur linguae hebraicae nomine significant adversarii linguam hebraicam proprie dictam, et in hac hypothesi e censu Scripturae inspiratae deberent partes

posuimus unico id Josephi testimonio niti, cujus quidem auctoritas, uti animadvertit etiam Michaëlis, ad inspirationem librorum V. T. asserendam minime sufficit (1).

141. Ad 2. *N.* Formulae enim quas Christus et apostoli adhibuere vagae ac generales sunt, quod etiam paulo ante adnotavimus, et quemadmodum ex illis nequit canon omnium et singulorum librorum confici, sic neque omnium potest et singulorum confici inspiratio, cum canon et inspiratio in *substrata*, quam vocant, *materia*, relativa prorsus sint. Etenim numquam aliquis in canonem adscitus est liber, quin idem inspiratus fuerit creditus. Multo vero minus ex generalibus illis formulis constare nobis poterit singulas uniuscujusque libri partes fuisse inspiratas.

142. Ad 3. *D.* Prout ab ecclesia eorum authenticitas et veracitas asseruntur, *C.* prout ex solis historicis documentis critices ope deprehendi possunt *N.* Verum est, uti modo diximus, *canonicitatem*, ut vocant, atque inspirationem sacrorum Bibliorum mutua secum relatione arctissimoque vinculo devinciri. At enim cum de illa, tum proinde etiam de ista ex sola ecclesiae auctoritate ac testimonio constare nobis debet, ut certitudine fidei utramque teneamus. Alioquin quemadmodum de librorum canonicitate, quae authenticitatem et veracitatem complectitur, ita pariter de eorum inspiratione anxii incertique haerere deberemus. Monumenta historica ope critices quantumvis accurate excussa non omnem prorsus dubitationem amovent, nec unquam queunt fidei nostrae fundamentum suppeditare. Quod et experientia ipsa ostendit ex qua discimus quavis aetate ab haereticis aliquot fuisse libros rejectos, quamvis et ipsi se monumentis historicis niti profiterentur. Id ipsum contigit, ut vidimus, protestantibus, qui numquam in eo inter se consenserunt, neque modo consentiunt.

143. Nec quidquam proficit Michaëlis dum nititur inspirationem librorum N. T. evincere ex inspiratione apostolorum; tum 1. quia ipsius argumenta labilia sunt, utpote privata et incerta interpretatione verborum Christi suffulta (2); tum 2. quia pleraque testimonia ab eo congesta afficiunt collectionem seu universum collegium apostolicum, ac proinde universam ecclesiam cui Christus infallibilitatem per jugem suam adsistentiam promisit (3); tum 3. quia

has omnes expungere: aut late sumunt pro lingua etiam chaldaica, aut syrochaldaica sive aramaea, prout passim hebraicae linguae nomine linguae illae designantur in N. T., et in hac altera hypothesi nulla ratio est quare hoc idem criterium ad significandos libros divinitus inspiratos, non debeat aliis libris deuterocanonicis hac lingua exaratis, applicari, quin imo uti diximus libris thalmudicis, et paraphrasibus chaldaicis aptari. Adeo imperitum se praebet Monod dum huic regulae innititur ad discretionem faciendam inter libros inspiratos et non inspiratos!

(1) Loc. cit. p. 114.

(2) Sic, e. g. Matth. x, 19. 20. loquitur Christus de fortitudine quam praesidibus coram positi discipuli sui essent patefacturi, atque de sapientia qua sua essent daturi responsa: idem dic de Luc. xii, 11. 12. Marc. xiii, 11. et iterum Luc. xxi, 14. 15. Quamvis porro videantur apostoli privilegium de quo est sermo sibi tribuere, alibi tamen, si insistas litterae, videntur sibi denegare, ut 1. Cor. vii, 12. 40. xiv, 37. 38. quae reipsa loca una cum pluribus aliis, nobis objiciuntur a rationalistis ad excludendam divinorum Bibliorum inspirationem. Quapropter secluso ecclesiae magisterio ac testimonio, ex adductis testimoniis res confici nequit, ita ut dubium omne tollatur.

(3) Cujusmodi sunt quae leguntur Matth. xvi, 18 seqq. xxviii. ult. Jo. xiv, 16. 17.

deberet prius in ejus hypothesi certo constare, scripta quae nomina apostolorum non praeseferunt, aut etiam quae praeseferunt, illorum vere esse quibus adscribuntur, quod tamen nonnisi ecclesiae auctoritate certo non constat; idque ex ipso Michaëlis exemplo firmatur qui nempe subdubitare ostendit se utrum epistola II. Petri, quae profecto nomen Apostoli gerit, authentica revera sit (1). Et illud huc praeterea accedit, quod argumenta quibus hic auctor utitur ad inspirationem librorum N. T. probandam, aut nihil aut non satis ejusmodi inspirationem evincant. Etenim aut Christi verba solos apostolos attingere dixeris, et in hac hypothesi e librorum inspiratorum censu exturbari debent Evangelia s. Marci et s. Lucae una cum Actis apostolicis, prout Michaëlis ipse revera praestitit contra unanimem totius antiquitatis consensum; aut ea sese extendere contenderis etiam ad apostolorum discipulos, et nulla tunc erit ratio quamobrem ut inspirata admittantur scripta Marci et Lucae, excludantur autem ab inspiratis epistola s. Clementis Romani, epistola Barnabae et *Pastor* Hermae, praesertim cum non defuerint ex antiquis, qui haec scripta uti canonica atque inspirata allegaverint (2).

144. Ad 4. *Resp.* neminem certe ita desipere ut interna argumenta quibus sacrorum librorum divina vindicatur inspiratio, rejicienda esse affirmet: verum aliud est ejusmodi argumenta e medio tollere, aliud asserere illa haud sufficientia per se esse ad nos ea de re certos reddendos, certitudine nimirum fidei et omnimoda, quae omnem errandi formidinem excludat. Argumenta interna optime conferunt ad evincendam *in genere* adversus incredulos revelationis divinitatem, cum resolvantur in ea credendi motiva quae nos ipsi fuse attulimus ac vindicavimus (3). Ast in praesenti controversia, qua cum haereticis, praesertim vero protestantibus, circa inspirationem *in specie* singulorum librorum canonicorum et cujusque illorum partis manus conserimus, argumenta illa rem penitus non conficiunt, cum

aliaque ejusmodi quibus catholici infallibilitatem ecclesiae a Christo promissam ostendunt.

(1) Loc. cit. p. 128. Idem dic de epist. Judae, et a fortiori de epist. ad Hebraeos quam Michaëlis ab epistolis paulinis adeoque et a censu Scripturarum divinarum juxta suum systema exterminat.

(2) In prop. II, capitis I. plura testimonia hac de re attulimus. Sed adversus Michaëlis opinionem videsis Cellérier qui pariter in sua *Introd. au Nouv. Test.* Deux. part. divis. I, sect. VIII. illam fuse refellit, et quae Michaëlisio videntur argumenta validissima, veluti infirma traducit, contra vero quae eidem infirma sunt, ea Cellerierio sunt validissima. Etiam Paley anglicanus tredecim tantum genuinas Pauli epistolas admittit in op. *La vérité de l' hist. de s. Paul*. Paris 1821. hac porro in concertatione quis judex erit, quis litem dirimet? apud protestantes nullum plane ejusmodi tribunal est cui partes inter se dissentientes acquiescere teneantur: et en eos in perpetua fluctuatione absque ulla spe exitus cujuscumque.

(3) In tract. *De vera relig.* p. 1, cap. IV. prop. II.

Hoc ipsum argumentum evolvunt passim apologetae christianae religionis adversus incredulos: cf. inter ceteros Ant. Casini S. J. *Encyclop. Sacr. Script.* tom. I, disp. I. Nicolai *Diss. e Lezioni di Sacra Scrittura Proem. I.* Bergier *Traité historique et dogmatique de la vraie religion*. Paris 1784. tom. V. part. II. ch. III. art. cinquième § I seqq. et tom. VIII. trois. part. Th. Mariae Cerboni Or. Pr. *De theologia revelata lib. tres.* Romae 1768. Valsecchi *Dei fondamenti della Religione, e dei fonti dell' empietà*.

infallibili ad hoc opus sit auctoritate, cujusmodi solam auctoritatem esse ostendimus catholicae ecclesiae (1). Haec vero potissima ratio est, cur theologi catholici hac in quaestione vix aut nullatenus ejusmodi argumenta attingant, cum ipsi in ecclesiae judicio tutissime conquiescant; contra vero ea urgeant protestantes, qui propterea semper animo fluctuant ac opinionum veluti undis huc illuc jactantur.

145. Ad 5. *D.* Qui proinde hac ipsa de causa semper incerti sunt et inconstantes, *C.* his innixi fiunt certi *N.* Quatenus traditio divina cum ipsa identificatur ecclesiae doctrina, ut postea ostendemus, vim certe ad probandum ineluctabilem habet, quia per illam in auctoritatem ecclesiae relabimur: quatenus vero solis ipsa historicis monumentis innititur aut conflatur, atque ut historica mere spectatur, illico obnoxia fit innumeris prope criticis discussionibus, quibus necesse est, ut illi, qui eam sibi veluti unicam ducem quam sequantur, adsciscunt, in diversas distrahantur sententias. Exinde contingit ut quod uni certum est, alteri sit incertum, quodque hodie velut firmissimum statuitur, cras in dubium vocetur, quemadmodum ex diuturno protestantium experimento jam nimis elucet (2). Crescit ex eo difficultas quod veteres inter se minime conveniant circa canonicitatem ac proinde inspirationem sacrorum utriusque foederis librorum, nec ullum primitiva ecclesia canonem universalem, quo scilicet ecclesia universa obstringeretur, confecerit ea de re; alioquin nulla circa canonem ecclesiam inter orientalem et occidentalem dissensio, nulla inter diversas particulares ecclesias, neque ipsos inter patres ad invicem extitisset. Quod si protestantes nos provocant ad canonem concilii Carthaginiensis III., nos iterum ipsos sciscitamur: cur igitur libros deuterocanonicos foederis utriusque in illo recensitos minime admittant, sed calviniani solos deuterocanonicos N. T. amplectantur ut vere canonicos et divinitus inspiratos, rejicientes simul deuterocanonicos libros V. T. tamquam apocryphos; lutherani vero utrosque ad tempus saltem repudiarint, nunc vero inter se divisi plane sint? Nonne ista pro lubitu ab haereticis fiunt?

146. Desipiunt porro adversarii dum subdunt: *Scripturae sunt id quod sunt, independenter a quovis hominum testimonio:* nam quaestio proprie atque unice hic versatur circa modum quo nobis certo constare possit, utrum Scripturae sint, et quaenam sint id quod sunt, seu quaenam Scripturae divinitus inspiratae censeri debeant, quaenam vero ab hoc censu debeant excludi. Utique Scripturae nihil ex testimonio ecclesiae intrinsecus acquirunt, at nos ex ejusmodi testimonio certitudinem assequimur infallibilem de Scripturis divinitus inspiratis. Pari profecto ratione de quovis fidei articulo ex posito adversariorum principio ratiocinari fas esset. Quaeritur ex. gr. utrum Christus sit Deus, an pura creatura? Utrum unica in eo sit an vero duplex natura, et ita porro? Atqui posset quisquam reponere. Quorsum ecclesiae auctoritas? Num *Christus non est id quod est, independenter a quovis hominum testimonio?* Hoc certe modo dogmata nutarent omnia, prout reipsa penes protestantes nutant, ac omnino penes rationalistas

(1) In hujus tract. part. I, sect. I, cap. IV, art. II, prop. I.

(2) Plura documenta hujus assertionis dedimus. Sane difficile omnino est duos protestantes plane inter se convenire. Vere dixeris protestantium barometron semper signare *varium!*

conciderunt. Ita ergo auctoritas ecclesiae quoad sacrorum librorum codicem plane se habet, quemadmodum in ordine ad codices legislationis politicae se habet *promulgatio :* qui nempe tametsi vim suam a legislatoris potestate intrinsece nanciscantur, a sola tamen promulgatione illam obtinent auctoritatem qua regulam subditorum constituere valeant iisdemque obligationem inducere (1).

147. Juverit hic demum animadvertere, quod ex principio fundamentali protestantismi de omnimoda cujusque independentia et libertate examinis, deberet quodlibet individuum protestans etiam e faece plebis sibi a monumentis historicis et exquisitioris critices ope certitudinem comparare librorum qui inspirati habendi sint. Quod si id assequi non possit (et quot demum sunt qui pares tanto muneri existant ?) eos ex auctoritate doctiorum admittat oportet. Hinc fit, ut illi qui auctoritatem abjiciunt ecclesiae universae, qua libros aliquos tamquam inspiratos ac divinos habeant, obsequi debeant auctoritati criticorum, qui numquam inter se nec semper sibi ipsis cohaerent. Talis porro est protestantismi sibi intrinsece repugnantis natura !

148. II. Obj. 1. Quae spectant ad Scripturas, cujusmodi sunt earum existentia, veracitas, authenticitas, canonicitas ac divina inspiratio, non constituunt dogma aut articulum fidei, sed quaedam veluti praeliminaria sive praeambula fidei sunt, de quibus propterea non ab auctoritate, sed a regulis critices constare debet (2). 2. Ad eum scilicet modum quo existentia Dei quae fidei praeambulum est, non ex revelationis auctoritate sed ex philosophicis argumentis a naturali ratione depromptis demonstratur, aut etiam existentia ecclesiae quae pariter quoddam veluti fidei praeambulum censetur, ex motivis evincitur credibilitatis, aut quemadmodum quoque demum divinitas revelationis, ita plane existentia, integritas, canon, divinaque sacrorum Bibliorum inspiratio aut argumentis internis aut monumentis, aut etiam utrisque simul vindicari possunt ac debent. Ergo.

149. Resp. Ad 1. *N.* Etenim Scripturas divinas et canonicas existere dogma fidei est sub anathemate a conc. Tridentino sancitum, neque unquam de hoc fidei articulo dubitatum in ecclesia catholica est. Si qua viguit in ecclesiis particularibus controversia, haec nonnullos tantum libros in specie, praesertim quos deuterocanonicos vocamus, numquam vero rem ipsam affecit. Hinc Scripturae communiter receptae tamquam divinitus inspiratae in ecclesia habitae sunt juxta divinam traditionem; idque non ex antiquitatis dumtaxat monumentis, sed ex earum usu in magisterio quotidiano atque ex actis conciliorum probatur. Divina Scripturarum auctoritas ad fidem semper spectavit, adeo ut novatores qui identidem ausi sunt ecclesiam aliquo peculiari libro expoliare ex iis qui communi calculo probabantur, illico tamquam haeretici proscripti fuerunt, ut patet ex gnosticis, valentinianis, alogis, aliisque ejusmodi pestibus (3). Quod si fideles omnes fide divina libros illos uti

(1) Cf. quae scribit Grégoire op. cit. tom. IV, p. 435 seqq.

(2) Ita Josiah Conder in op. *On protestant non conformity* seu *De non-conformitate protestantica*, London 1818. tom. II. pag. 311 seqq.

(3) Cf. Tertullianum tum in lib. *Praescr.* tum adversus Valentinian. et adversus Marcionem; necnon s. Epiphanium in respectivis haeresibus; s. Irenaeum passim, qui non solum haereticis illis exprobrant rejectionem plurium librorum divinorum, verum etiam muti-

canonicos et inspiratos crediderunt, nonnisi auctoritate ac testimonio ecclesiae ducti eam fidem iisdem adhibuerunt. Quapropter numquam ut simplex quoddam praeliminare aut praeambulum fidei in sensu adversariorum primi christiani spectarunt litteras sacras, sed eas tamquam objectum fidei habuerunt omnino, non secus ac reliqua dogmata quae ab ecclesia ipsis credenda proposita sunt. Ecclesia enim, ut toties diximus suoque ostendimus loco (1), praescripsit seu anterior est libris omnibus N. T. quos ipsa probavit, ac uti Spiritu S. afflante conscriptos fidelibus tradidit.

150. Ad 2. *Neg.* paritatem juxta modo dicta. Existentia siquidem Dei est in *subjecta materia* prima veritas quae necessario supponi debet; alioquin enim, illa nondum constituta, absurdum esset de divina revelatione quidquam proferre. Cum igitur ex sola revelatione, quin *circulus vitiosus* admittatur, ostendi nequeat supremi Numinis existentia, ex argumentis a ratione petitis demonstrari et potest et debet; qua de causa praeambulum fidei recte illa vocatur. Quod vero spectat ad ecclesiam, ut alias pariter innuebamus, ab ipso ortu suo secum illa suas attulit probationes per ea credendi motiva, quae identificantur cum ipsis divinae revelationis probationibus, quibusque divinam originem suam luculentissime declaravit. Accepta enim a Christo divina missione, apostoli qui primam constituerunt ecclesiam, miraculis potissimum et vaticiniis se judaeis atque ethnicis, divinitus missos ostenderunt neminemque in album christianorum cooptaverunt, quin simul ecclesiae filium efficerent. Porro ceteros inter articulos quos catechumenis credendos proponebant, fides erat in ecclesiam, ut liquet etiam ex Symbolo apostolico: *Credo sanctam ecclesiam*. Quo quidem in articulo implicite continebantur illa omnia, quae ecclesia auctoritate sua credenda proposuisset tamquam divinitus revelata. Hic est analyticus atque, ut ita dicam, *geneticus* processus regulae proximae credendorum, ut nempe prius quasi praeambulum admittatur existentia ecclesiae divinitus institutae per eadem ipsa motiva credibilitatis quibus existentia adseritur divinae revelationis; deinde, hac evidenter cognita ac comperta, credatur ut fidei articulus eadem ecclesia a Deo ipso fundata cum omnibus praerogativis quibus se a Christo auctam haec eadem ecclesia profitetur; demum ex infallibili ejus auctoritate et testimonio caetera credantur quae ipsa tamquam divinitus revelata proponit, inter quae Scriptura canonica divinoque afflante Spiritu exarata praecipuum obtinet locum. Siquidem Scriptura regulam constituit remotam, partialem et inadaequatam credendorum sub ecclesiae ejusdem magisterio. Quaevis alia via a protestantibus excogitata aut incerta aut insufficiens plane est, uti ex hactenus disputatis aperte colligitur (2).

lationes, corruptiones, quod et nos passim animadvertimus. Sed qui sitim suam plene cupit explere, adeat Sixtum Senensem in *Bibliotheca sancta* lib. III. et VII, in quibus recensentur singuli antiquiores haeretici qui libros sive Veteris sive Novi Testamenti adorti sunt, comperietque ex parallelismo vix recentiores haereticos excogitasse aliquid hoc de argumento quod antiquiores non praeoccupaverint atque effuterint. Sic enim fert nativa haereseos indoles. Cf. etiam Bellarmin. *De verbo Dei* lib. I, cap. V, et VI.

(1) Tum in tract. *De vera relig.* p. II, prop. I, et II. tum in hujus tractatus par. I, sect. I, cap. I, prop. II.

(2) Cf. Bossuet: *Instruction sur les promesses de l'église pour montrer aux Réunis, par l'expresse parole de Dieu, que le même principe qui nous fait chrétiens nous doit aussi faire catholiques*.

CAPUT III.

De sacrarum Scripturarum interpretatione

151. Duplex sacrarum Scripturarum interpretatio distingui debet, *dogmatica* videlicet et *exegetica*. Interpretatio dogmatica ea est quae *potestate* seu *auctoritate* fit cum obligandi vi pro suoque objecto habet aliquod fidei dogma, seu aliquam veritatem exhibet ad fidem moresve pertinentem, aut quae alio quovis modo ad fidei depositum refertur; interpretatio exegetica est quaedam privata, doctrinalis aut scientifica enarratio vel expositio, quae faciliorem praebet sacri textus intelligentiam. Jam vero juxta catholicos dogmatica interpretatio ad solam exclusive pertinet ecclesiam, utpote quae sola a Christo infallibili auctoritate ac magisterio instructa sit ad veram fidem tradendam, omnesque controversias fidei dirimendas; e contra juxta protestantes quilibet e christianis legitimus esse potest dogmaticus sacrarum litterarum interpres. Interpretatio exegetica uniuscujusque industriae, diligentiae ac studio dimittitur ab ecclesia, dummodo intra fines et regulas ab ipsa praestitutas, quasque rei ipsius natura exposcit, quisque se contineat.

152. Porro praecipua controversia, quam vere *fundamentalem* vocaveris, catholicos inter et protestantes fervescens interpretationem dogmaticam attingit. Ad proprium systema suum constabiliendum non unam eandemque viam protestantes sive veteres sive recentiores inierunt. Nam ad excludendam solius ecclesiae dogmaticam et authenticam interpretationem sacrarum litterarum 1. Alii summam praedicarunt Scripturarum in omnibus claritatem (1). 2. Alii autumarunt spiritum privatum legitimum esse Scripturae sacrae interpretem; quo nomine nonnulli ex prioribus protestantibus intellexerunt internam illustrationem, quam asserebant unicuique a Spiritu S. communicari, vi cujus infallibiliter quisque certior fieret de vero Scripturae sensu (quam unicam fidei regulam dicebant), independenter ab ecclesiae definitione, aut etiam adversus illam: dum spiritus privati nomine alii intelligerent proprium suum judicium (2); 3. Alii contenderunt Scripturam ipsam *cum* aut *sine* spiritu privato judicem esse controversiarum, sui nimirum ipsius interpretem existere.

153. Ut igitur ea qua par est claritate fundamentale ejusmodi evertamus protestantium principium, quod demum resolvitur in libertatem individualem examinis, immunem a quavis auctoritate in sacris interpretandis litteris ac in fide propterea sibi cudenda, tria efficiamus oportet, ac 1. ostendi debet Scripturam sacram non adeo in omnibus, praesertim vero in rebus fidei ac morum, perspicuam esse ut non aliquo egeat inter-

Op. ed. cit. tom. XXII, p. 373 seqq. necnon *Conférence avec M. Claude, ministre de Charenton, sur la matière de l' église*, loc. cit.

(1) Uti Lutherus, Brentius aliique passim antiquiores protestantes apud Bellarm. *De verbo Dei* lib. III, cap. I. Cf. Bonfrerium in *Praeloquiis* cap. IX, sect. I.

(2) Cf. Bellarm. loc. cit. cap. III. Ubi notandum est, cum praetensa illa protestantium illustratione Spiritus Sancti haud commiscendam esse veram interiorem Spiritus Sancti illustrationem ad salutariter credendum necessariam; item neque confundendum esse spiritum privatum cum recta ratione, (aut recto rationis usu), quae numquam divinae contradicit revelationi.

prete; 2. interpretem hunc alium non esse, aut esse posse praeter ecclesiam; 3. dubium ac fallax necessario esse quodcumque systema a protestantibus tum antiquioribus tum recentioribus invectum ad authenticam dogmaticam ecclesiae interpretationem eliminandam.

Quibus constitutis, nonnulla de exegetica Bibliorum sacrorum interpretatione subjicere praestabit.

In duos proinde articulos caput hoc dispertiemur juxta duplicem quam praemisimus sacrarum Scripturarum interpretationis notionem.

ARTICULUS I.

De sacrarum litterarum interpretatione dogmatica

154. Quidquid in sacris litteris continetur profecto fidei nostrae objectum est, hoc ipso quod divinitus sit inspiratum. Quo sensu ipsa Scripturae sacrae existentia, uti ostendimus, fidei articulus est ab omnibus omnino credendus. Verum cum sacra Scriptura, ex dictis, sit regula fidei partialis et fons ex quo dogmata peculiaria fidei magna saltem ex parte derivantur, difficultas nobis oritur haud exigua in sensu detegendo et determinando illorum textuum ex quo peculiaris quaeque veritas sive ad fidem sive ad mores pertinens pendet. Idque multiplici ex capite, uti mox ostendemus, contingat oportet. Scripturae enim, praeterquam quod in pluribus obscurae sunt ac difficilis interpretationis, nuspiam expresse nobis symbolum exhibent aut singularum veritatum catalogum credendarum. Exinde enascitur necessitas alicujus interpretis infallibilis, visibilis, viventis, publica auctoritate ac jurisdictione instructi, qui non solum absque formidine erroris nos certos ac securos queat efficere de singulis veritatibus in ea Scriptura contentis, sed qui praeterea omnes cogere potis sit ad eas firmiter credendas profitendasque. Ejusmodi porro interpretatio ea demum est quam dogmaticam nuncupavimus, quamque a sola ecclesia proferri posse contendimus, ita ut, hac sublata, actum prorsus de fide sit. Haec autem ut per partes evincamus insequentes statuimus propositiones:

PROPOSITIO I.

Scriptura Sacra etiam in iis quae ad fidem et mores pertinent non ita clara est, ut interprete non indigeat

155. Diximus: *etiam in iis quae ad fidem et mores pertinent* Scripturam claram non esse, ut effugium protestantibus praecluderemus, qui facile nobis dant litteras sacras in rebus minoris momenti obscuras esse; at ejusmodi obscuritatem sese etiam porrigere ad fidei res ac morum id vero vehementer negant.

156. Ut igitur in eo insistamus quod proposuimus, ex triplici capite enunciatae propositionis veritatem eruimus; ex auctoritate scilicet, ex intima ipsa rei natura, ac demum ex confessione et experientia ipsorum adversariorum nostrorum.

Atque ut a primo exordiamur, ceteris omissis, nota sunt verba Petri, qui loquens de epistolis Pauli ait: « In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem (1) ». Agi porro hoc in loco de iis quae ad fidem moresque pertinent, patet ex eo quod qui sic Scripturas depravarent *perditionem sibi adsciscerent*, quod levioribus de rebus dici profecto nequit. Quo pariter referuntur preces

(1) II. Pet. III, 16.

et vota quibus psalmista a Deo legis suae intelligentiam efflagitabat: « Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam — Doce me justificationes tuas — Faciem tuam illumina super servum tuum (1) » aliaque ejusmodi quibus Psalmi referti sunt. Hisce permotus Hieronymus in epist. ad Paulinum: « Si tantus propheta, scribebat, tenebras ignorantiae confitetur, qua nos putas parvulos et pene lactentes inscitiae nocte circumdari (2)? » Quare Christus non solum plures Scripturae textus discipulis suis explanavit (3), sed praeterea « Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (4) ». Quid porro intererat Scripturarum sensum explanare, vel sensum, mentem nimirum, aperire ad intelligendas Scripturas, idque sane circa praecipuum dogma de divina sua missione, si adeo omnibus obviae sunt Scripturae, quisque ut per sese eas intelligere valeat, atque inde sibi fidei objecta componere?

157. De patrum hac in re sententia verba facere supervacaneum est, cum unanimes plane sint in exageranda Scripturarum obscuritate. Plura eorum testimonia profert ac urget Bellarminus (5) ac longe plura adhuc allegat Bonfrerius (6), qui ad viginti classes revocat diversa patrum effata quibus ipsi Scripturae praedicant obscuritatem, unde ingens oritur difficultas vel in rebus gravioris momenti, quae fidem moresque attingunt. Nam id imprimis inter cetera adnotant, non aliunde enatas ac succretas haereses esse, quam ex prava Scripturarum intelligentia (7).

158. Verum non est cur in auctoritate urgenda immoremur, cum intima ipsa rei natura id quod proposuimus manifesto ostendat. Duo quippe potissimum conferunt ad obscuritatem Scripturis ingerendam, *res* scilicet et *modus*. Res enim quamplurimae in iis continentur natura sua nobis imperviae, cujusmodi sunt quae Dei naturam, operationes, consilia etc. afficiunt, quae mysteria pro objecto habent, Trinitatem e. g. Incarnationem, propagationem originalis noxae, praedestinationem, justificationem, distributionem gratiae, aliaque ejusmodi, in quibus propterea hallucinatio facillima est, et aleae periculosae plenissima: quae item de virtutibus agunt et vitiis, de praeceptis et consiliis, in quibus haud pauca occurrunt intellectu difficilia ita ut prona nimis deceptio sit (8). Quod si attendamus ad modum quo res ipsae in Scripturis efferuntur,

(1) Ps. CXVIII, 34. 68. 135. etc.

(2) Epist. LVIII. ad Paulin. n. 9. ed. Vallars.

(3) Luc. XXIV, 27.

(4) Ibid. v. 45.

(5) *De verbo Dei* lib. III, cap. I.

(6) In *Praeloquiis* cap. IX, sect. II. cf. etiam Serarium in *Prolegom. Bibl.* cap. XXII.

(7) Inter ceteros s. Augustinus tract. XVIII, in Jo. n. I. scribit: « Neque enim natae sunt haereses, et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas, et in profundum praecipitantia, nisi dum *Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non intelligitur*, etiam temere et audacter asseritur ». Et ante ipsum s. Irenaeus lib. III, cap. XII, n. 12. loquens de haereticis ait: « Scripturas quidem confitentes, interpretationes vero convertunt ». ed. Massuet. Eadem ratione loquitur s. Cyprianus in lib. *De unitate eccles.* ed. Maur. p. 198. dum haereticos vocat *interpretes falsos*; aliique passim.

(8) Exemplo sint, quae leguntur Matth. V, 40. « Ei qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium ». Continent ne verba haec praeceptum, an vero solum consilium? Idem dic de iis, quae leguntur Luc. XIV, 33. « Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus » et ibid. XII,

haud minor inde difficultas exsurgit; saepe enim ipsae alludunt ad praeteritas res quae nos latent, ad consuetudines, moresque tunc temporis receptos, inveniuntur praeterea crebro apparentes antilogiae; phrasaeologia ipsa ab indole idiomatum nostrorum immane quantum discrepans difficultatem auget (1); idiotismi quibus explicandis opus est exquisita linguarum antiquarum peritia (2); sensuum varietas qui sub cortice litterae (3) delitescunt; figuratae locutiones; aliaque pene innumera quae longum esset recensere, quaeque in singulis pene dixerim Scripturarum paginis offenduntur, quibus necessario fit ut obscurae nobis evadant (4).

159. Demum ipsa adversariorum confessione et agendi ratione res nostra conficitur. Ut enim praetermittamus protestantium parentem, Lutherum, qui omnium primus Scripturarum claritatem proclamavit, postea vero parum sibi consentiens (quod haereticis sane omnibus contingit), profundam earumdem fassus est obscuritatem (5). Francowitz, *Flac-*

33. « Vendite quae possidetis, et date eleemosynam »: aliaque ejusmodi pene innumera, quae quamvis, spectatis verbis, videantur clarissima, illorum tamen intelligentia absque interpretatione ecclesiae obscurissima est. Haec autem eo potiori jure urgemus adversum protestantes, quod integrae sectae interdum cortici litterae inhaerentes contendunt illicita nonnulla esse, quia ea damnare Scripturae videntur. Ita Quackeri recusant juramentum interponere etiam in judicio, quia scriptum est Matth. v, 34. « Ego autem dico vobis, non jurare omnino »; alii autem, quia scriptum est Exod. xx, 8. « Memento ut diem sabbati sanctifices », ridicule dominicam diem *Sabbati* nomine vocant, ne videantur hujusmodi transgredi praeceptum. Nonnulli protestantes huic principio insistentes ulterius progressi sunt; quidam enim ascendebat super domus suae tecta ad praedicandum transeuntibus, quia legitur Matth. x, 27. « Quod in aure auditis praedicate super tecta »; alius vero serio docebat mysteria fidei canem suum, quia Marc. xvi, 15. dicitur: « Praedicate evangelium omni creaturae »; teste vero ipso Leibnitio in dissert. *De conformit. fidei cum ratione* § 21. nonnulli fanatici protestantes existimarunt Herodem reapse in vulpem mutatum fuisse, dum Christus Luc. xiii, 32. verba illa protulit: *Dicite vulpi illi* etc. Hoc vero unde nam nisi ex difficultate discernendi quando Scripturae verba metaphorice, quando vero litteraliter accipienda sint, ut Leibnitius adnotat? Carlostadius in disciplinis theologicis Lutheri professor prius catholicus *puro verbo Dei* innixus 2. lutheranus effectus est, 3. anabaptista, 4. sacramentarius, 5. deinde uxorem duxit, 6. demum se pistoris arti addixit, quia scriptum est Gen. iii, 19. *In sudore vultus tui vesceris pane*. Cf. Audin, *Histoire de la vie de Luther* nouv. edit. Paris 1841. tom. 1, p. 19 seq. et pag. 37. Plura alia possem exempla adducere, sed ne taedio sim, ista sufficiant. Cf. Milner *Excellence de la relig. cathol.* Paris 1825. tom. 1, lettr. ix.

(1) Cf. *Prolog. ecclesiastici*.

(2) Apud Milner epist. cit. Episcopius voluisset ut christiani omnes addiscerent linguas hebraicam et graecam ut possent sacra Biblia in linguis suis originalibus perlegere. Cf. etiam Th. Moore in *Voyages d' un jeune Irlandais* trad. de l'angl. Paris 1836. pag. 380. cum adnot. ex Jerem. Taylor, pag. 426 seq.

(3) Huc enim spectant quae de duplici Scripturarum sensu interpretes tradunt, de quo argumento paulo post agemus. Interim cf. Bonfrerium in *Praeloquiis* cap. xxi. sect. 1. seqq.

(4) Cf. Ibid. cap. ix, sect. 1 seqq. Serarium in *Prolegom. Biblic.* cap. xxii. Bellarm. *De verbo Dei* lib. iii, cap. 1.

(5) Etenim in *Symposiacis* cap. 1, fol. 2. 6. « In Scripturis, ait, vix scimus *A. B. C.* et adhuc non recte »; et fol. 3. « Dei

cus Illyricus nuncupatus, in *Catalogo testium veritatis* (1) centum quinquaginta et unum argumenta ad ostendendam Scripturarum obscuritatem protulit in medium. Irridet ipse Dallaeum qui in op. *De patrum usu* Scripturarum perspicuitatem populo persuadere nisus est. Bayle ipse quamvis calvinianus idemque incredulus asserit nulla prorsus ratione cum ignaros tum doctos certo sibi comparare genuinum posse librorum sacrorum sensum (2). Moshemius historicus protestantismi κατ' ἐξοχὴν dictus, disserens de socinianis, quorum principium est, sacras litteras esse juxta rationis lumen interpretandas, respondet quod si regula isthaec invalesceret, tot plane religiones haberentur quot capita (3). Jam vero in disceptationibus cum socinianis inficiabitur nemo de praecipuis agi dogmatibus fidei. Paulo ante verba attulimus Wegscheideri asserentis Scripturam sacram argumentum continere *multis in locis ambigue et obscurissime expressum*, item *Scriptorum sacrorum sensum haud raro inventu difficilem* (4), ex quo ipse inferre contendit libros sacros minime fuisse divinitus inspiratos. Lockius fatetur quod quamvis studuerit Pauli epistolis, perinde ac Scripturis ceteris, compererit tamen se eas minime intelligere; loquitur autem de rebus, ut ejus verbis utamur, doctrinae ac discussionis (5). Macknight plures detexit fontes obscuritatis quae reperitur in Pauli epistolis, quos inter loquendi formas recensuit quibus Apostolus usus est (6). Boyle praeter stylum quo utitur Apostolus, aliam aperit obscuritatis causam, quod Paulus scilicet, pluribus in locis, quamdam inducat taciti dialogi speciem, qua factum est, ut *saepe* velut argumenta assumpta fuerint quae Apostolus nonnisi uti objectiones evidenter attulerit (7). Jeremias Taylor celebris inter anglicanos protestantes pluribus data opera ostendit summam difficultatem recte sacras litteras interpretandi (8). Adeo ut visi

verbum est inscrutabile. Unicum sac. Scripturae verbum perscrutari, et e profundo eruere, omnino ἀδύνατον est. Nego eruditos et theologos, ut vel maxime velint, id posse. Quia enim Spiritus sancti verba sunt, ideo supra homines sunt... Volui aliquoties Decalogum meditari, et quando prima illa verba: *Ego sum Dominus Deus tuus*, offendi, coepi haesitare in pronomine illo *Ego:* et hoc *Ego* nondum recte possum intelligere ». Ex Lutheri sectatoribus alii priorem ejus sententiam de claritate Scripturarum secuti sunt, alii posteriorem de earumdem obscuritate; utrorumque catalogum exhibet Nic. Serarius op. et loc. cit. quaest. VI.

(1) Francofurti 1672.

(2) Apud auc. cit. *Le ministre protest. aux prises avec lui-même*. pag. 27.

(3) *Institution. Hist. christianae recentioris*. Helmstadii 1741. sec. XVI, sect. III, c. IV, § 14. En ejus verba: « Hoc qui dederit, is etiam concedat necesse est, tot esse religiones posse, quot capita sunt ».

(4) Ex § 43.

(5) Cf. Apud Moore op. cit. pag. 383 seq. in nota (1).

(6) Ibid.

(7) Ibid.

(8) In op. *De libert. prophetandi* sect. 4. ejus verba ex anglica in linguam gallicam conversa ita se habent. « On y trouve des mystères qui, quelque bien qu'ils soient exprimés, ne sont pas faciles à saisir, et qui seront toujours obscurs et inintelligibles, pour notre conception bornée. Enfin les moyens ordinaires d'interpréter les Ecritures, tels que l'examen des originaux, le rapprochement de divers passages, la parité de raison, l'analogie de la foi, sont tous douteux, incertains et très-faibles. De tout cela il suit que les plus sages, et par conséquent ceux qui paraissent devoir le plus probablement découvrir le vrai sens, méritent néammoins peu de confiance. Ces causes d'erreurs sont comme autant de raisons de douter qu'au milieu de

hac aetate protestantes sint omni ope propugnare Scripturarum obscuritatem adversus primores protestantismi parentes.

160. Agendi vero ratio adversariorum apertam veritatem consignat; etenim si Scripturae sacrae eam praeseferrent perspicuitatem quam tantopere non ita pridem crepabant protestantes, in iis praesertim quae ad fidem ac mores pertinent, qui fieri tandem potuisset ut adeo inter se in illarum interpretatione discreparint? Notae sunt Lutheri, Zwinglii, Calvini eorumque gregalium interpretationes verborum Christi: *Hoc est corpus meum*: ita ut *biscentum* recenseantur (1). *Viginti* eodem tempore opiniones de *satisfactione* viguisse penes confessionis Augustanae asseclas, quae omnes Scripturis innitebantur, affirmat Osiander; *sexdecim* praeterea recenset sententias diversas circa *peccatum originale*; tot vero asserit de Sacramentis extitisse quot sectae inter se dissidebant (2). Denique ne prolixiores simus, tot sunt obscuritatis Scripturarum testes, quot extiterunt et adhuc existunt sectae sectarumque portiunculae a cerinthianis et gnosticis initio ducto usque ad methodistas, quae numerari vix possunt (3). Omnes siquidem sectae, praesertim quae post Lutherum ortae sunt, eandem originem habuerunt, quod nempe earum parentes sibi visi sunt clare peculiarem suam interpretationem contineri in Scripturis seu Scripturas sacras clare uniuscujusque praeconceptum placitum seu potius inventum praeseferre. Cum vero sectae omnes sibi invicem adversentur, hoc ipso patet Scripturas haud claras esse, sed sacra veluti quadam caligine obductas, qua factum est ut tumidi isti scrutatores majestatis opprimerentur a gloria, totidemque se *factis* praeberent testes illius obscuritatis quam *dictis* scriptisque negabant.

161. Porro si Scriptura ea claritate non fulget, quam protestantes fingebant, aut dicendum Deum verbum suum in has terras jecisse, ut illud, perinde atque hoc universum, traderet disputationi hominum, aut interprete certo ac tuto ipsum providisse, quo homines verum ejus sensum assequerentur, in iis praesertim quae ad fidem moresque spectant. Cum vero prius illud absque impietate dici nequeat, ut posterius affirmemus necesse est (4).

Sive igitur ex auctoritate, sive ex intima ipsa rei natura, sive demum ex confessione agendique adversariorum ratione constat quod ostendendum proposuimus, Scripturam sacram in iis etiam quae ad fidem et mores pertinent non ita claram esse, ut interprete non indigeat.

tant de mystères et de difficultés ils aient rencontré juste ».

(1) Cf. Bellarm. *De Eucharist.* lib. I, cap. VIII, n. 2. Duae hae vocellae *Hoc est* tres factiones seu sectas genuerunt lutheranam, calvinianam, zwinglianam. Harum quaelibet subdivisa est in sectas alias, *panerariam*, *accidentariam*, *corporariam*, *arrhabonariam*, *tropistam*, *metamorphistam*, *iscariotistam*, *schvinkesfeldritam* etc.

(2) Cf. apud Moore op. cit. p. 384.

(3) S. Augustinus in lib. *De haeresibus* enumerat 90. diversas haereses, quae post Christi adventum ortae sunt ad reformandam ecclesiam. Ab aetate s. Augustini usque ad Lutherum aliae 180. haereses apparuerunt. A Luthero an. 1517. ad an. 1595. Staphylus, Hosius, Puteolus aliique scriptores alias 270. novas sectas enumerarunt; quoad sectas ortas ab illa aetate ad nos usque satis est percurrere quinque prolixa volumina Grégoire *Histoire des sectes religieuses*; nouvelle edit. Paris. 1829.

(4) Cf. Milner op. cit. tom. I. *Lettr.* VIII, et IX.

DIFFICULTATES

162. I. Obj. Utriusque Foederis paginae collineant in adstruenda Scripturarum claritate praesertim circa fidem ac mores. Et 1. quidem ex V. T. notissima sunt Deuteron. XXX. 11. verba: « Mandatum hoc, quod ego praecipio vobis hodie, non supra te est, neque procul positum ». Quibus concinens David ps. XVIII. 9. ait; « Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos » et ps. CXVIII. 105. « Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis » et iterum v. 130. « Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis ». His congruit quod legitur Prov. VI. 23. « Mandatum lucerna est, et lex lux » 2. ex Novo autem Testamento id ipsum patet ab apostolo Petro scribente II. ep. I. 19. « Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco » 3. quod si alicubi obscura praedicatur Scriptura, non absolute et in se, sed relative, ad pravam scilicet legentium dispositionem id accipiendum esse declarat apostolus Paulus II. Cor. IV. 3. dicens: « Quod si etiam opertum est evangelium nostrum in iis, qui pereunt est opertum, in quibus Deus hujus saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriae Christi »: ergo.

163. R. N. A. Objecta enim Scripturarum testimonia hanc ipsam quam adversarii propugnant Scripturarum claritatem eliminant. Etenim ne unum quidem ex illis est quod eo sensu intelligendum sit, quo ea adversarii exponunt, ut ex responsione ad singula evidenter patebit.

164. Ad 1. *D.* Mandatum de quo agitur non est, Dei gratia opitulante, ad observandum impossibile, *C.* facile aut difficile ad cognoscendum *N.* Nec enim hic agitur de intelligentia, sed de observatione divinorum mandatorum, ut liquet ex orationis serie (1).

165. Sic verba Psalmistae et Proverbiorum continent legis, seu mandatorum divinorum commendationem, *C.* exhibent claritatem Scripturae Sacrae universim *N.* Addo legem facilem aeque ac difficilem intellectu dici posse; facilem quidem quoad verborum, ut ita loquar, corticem quibus expresse quidquam vel praecipitur vel vetatur; e. g. cum dicitur: *non occides*, quisque intelligere potest quodlibet interdici homicidium voluntarium et injustum: difficilem vero si spectentur illa quae implicite sub quolibet praecepto continentur. Atque ut in allato insistamus exemplo, obscurum sane est utrum praecepto illo, quemadmodum homicidium, sic odium, ira, rixae etc. interdicerentur prout reipsa Christus exposuit, et Judaei minime intelligebant (2). Multo vero magis lex, prout vos isthaec in amplissima sua significatione usurpatur, complectens videlicet non praecepta solum moralia, verum judicialia quoque et caeremonialia, difficilis censenda est, quatenus typica erat et reconditiores sensus includebat. Hac ratione recte simul componuntur quae sibi invicem adversantia primo veluti intuitu de illa praedicari videntur. Interdum enim, ut ex adductis patet testimoniis, lex dicitur *lucida,*

(1) Cf. Bellarm. *De verbo Dei* lib. III, cap. II, n. 2. 3. Becan. *Manuale controv.* lib. I, cap. I. quaest. IV, n. 7. et 8. Ipse protestans Knappius in *Diatribe* in loc. Paulinum ad Rom. X, 4-11. et Mosaicum Deut. XXX, 11-14. eandem exhibet interpretationem. Cf. ejus *Scripta varii argumenti*. Ed. sec. Halae 1823. pag. 552-563.

(2) Cf. Becan. loc. cit.

lucerna, *lux*, *lumen*; ex altera vero parte Propheta *lucem* ac *lumen* a Deo flagitat ad ejus legem scrutandam. Quae quidem apprime inter se congruunt si dicatur, legem in litterae cortice, et prout expresse aliquid praecipit aut vetat, lumen ac lucem esse, imo lucidam prorsus et planam: prout vero implicite aliquid includit, et quoad multiplicem sensum ac mysteria quae sub littera delitescunt, obscuram existere, et ad ejus intelligentiam vel interiori illustratione, vel interprete opus esse (1).

166. Ad 3. *N.* Sane claritatem Scripturarum non evincit locus ex Petro allatus, qui et ipse obscurus est ita, ut protestantes dum verum ejus sensum assequi nituntur, in varias abeant sententias (2). Loquitur porro s. Petrus non de tota Scriptura, sed omnino de vaticiniis quibus praenunciabatur Christus, quaeque post ejus adventum majorem sunt claritatem et firmitatem adepta eo ipso quod eventus responderit vaticiniis. Verum enimvero nec post eventum vaticinia illa eam claritatem obtinuerunt, ut interpretatione non indiguerint. Patet id ex Christo qui Luc. XXIV. 27. illa interpretatus est duobus discipulis euntibus in Emmaus; ac praeterea apostolis sensum aperuit ut intelligerent Scripturas, ibid. 45; Joannes fatetur se et Petrum nondum *scivisse Scripturas*, quia oportebat Christum a mortuis resurgere (Jo. XX. 9.). Post hunc etiam eventum interrogatus eunuchus a Philippo act. VIII. « Putasne intelligis quae legis? Qui ait: et quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi? » Attamen de quonam agebatur nisi de prophetia Isaiae in qua sermo habetur de Christo? Patet praeterea ex insequentibus verbis adducti testimonii ubi Petrus pergit: « Donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris: prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Nec enim auctoritate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines ». Ex quibus discimus neque omnino claras esse prophetias, ut facile intelligi queant, (ac propterea tenui lucernae lumini comparantur ab Apostolo), neque ex proprio sensu eas esse intelligendas, sed eodem Spiritu, quo editae fuerunt auctore (3).

167. Ad 3. *Neg.* suppositum, quod scilicet Apostolus de Scripturis ibid. loquatur; etenim eo loci disserit de fide in Christum, quam *evangelii*, seu praedicationis evangelicae nomine significat.

(1) De praeceptorum decalogi difficili ac profundo sensu et interpretatione argumentum ineluctabile suppeditant tot tractatus qui ab institutoribus theologiae moralis ad illorum explanationem in lucem editi sunt, qui tamen in pluribus non conveniunt inter se.

(2) Integra huc refertur *Prolusio in loc. II. Petr. I*, 19-21. cit. Knappii, quae tenet primum locum inter *Scripta varii argumenti*, ex qua patet quam obscurus sit horum verborum sensus. Sic etiam Rosenmüller in suis comment. in hunc loc. praeterquam quod adoptat expositionem Knappii quam adducit, subdit: « Vaticinia V. T. doctrinae prophetarum comparantur (a s. Petro) cum lucerna, quia monstrabant quidem viam salutis, sed obscure tantum. Ἀυχμηρὸς τόπος, est *locus siccus*, *siticulosus*, *desertus* ». Plura item cf. apud Pott in hunc loc. in *Novo Test. Graece perpetua annotatione illustrato*; edit. Koppianae vol. IX, fasc. II. Gottingae 1810. pag. 203. seqq. ubi refert etiam aliorum protestantium expositiones quae non parum inter se discrepant.

(3) Cf. Pott. loc. cit. pag. 206 seqq. et Knappium pariter loc. cit. qui fuse de hoc disserunt.

Nec aliud hic sibi vult Apostolus, quam causam afferre quare Judaei praeposteris abrepti judiciis non crediderint in Christum, quamvis et antiqua vaticinia in ipso impleta essent, ac tot in divinae ipsius missionis confirmationem miracula fuissent patrata (1).

168. II. Obj. Non haec stetit patribus mens; hi enim passim miram Scripturae sacrae claritatem commendant; 1. exemplo sint s. Jo. Chrysostomus et s. Augustinus. Horum prior hom. III. de Lazaro comparationem instituens inter philosophorum scripta, et scripta prophetarum et apostolorum ita scribit: « Apostoli vero et prophetae omnia contra fecerunt, manifesta claraque quae prodiderunt, exposuerunt nobis, velut communes orbis doctores; ut per se quisque discere possit, quae dicuntur, e sola lectione (2) »; et iterum hom. III. in II. ad Thessal. « Quid enim, inquit, opus est sermone? Omnia sunt dilucida et recta, quae sunt in divinis Scripturis; manifesta sunt quaecumque sunt necessaria. Sed quoniam estis auditores delectationis, propterea haec etiam quaeritis (3) ». Posterior vero lib. II. *de Doctr. Christ.* c. VI. « Nihil fere, scribit, de illis obscuritatibus eruitur quod non plenissime dictum alibi reperiatur ». Quod et patres reliqui exemplo suo confirmarunt, dum probarunt sententias suas ex Scriptura; 2. nec enim probari potest quod notius est ex minus noto; cum igitur patres suas ex Scripturis assertiones probaverint, planum fit ex ipsorum mente clariores adhuc Scripturas suis ipsis commentariis existere (4). 3. Sane quorsum dedisset Scripturam obscuram hominibus Deus nisi ut inter eos jaceret aleretque discordiarum facem? Ergo.

169. R. *N. A.* Quid enim senserint patres unanimiter superius exposuimus. Ad 1. prob. *D.* In *subjecta* quam exponebant *materia*, *C.* absolute et ad mentem adversariorum *N.* Itaque s. Jo. Chrysostomus in primo textu commendat apostolorum et prophetarum claritatem ob simplicem illam ac veluti nativam styli rationem quam in scriptis suis exarandis adhibuere, quatenus alienos se praebuerunt a tumida verborum pompa qua

(1) Cf. Estium *comm.* in hunc loc. ubi ad rem nostram scribit: « Nec vero sentit Apostolus Scripturam sacram solis infidelibus ac reprobis obscuram esse: fidelibus autem et electis manifestam, id est, ad intelligendum facilem ac perviam: quod ex hoc loco sectarii quidam docere conati sunt. Neque enim de Scripturis intelligendis aut interpretandis hic agitur; sed de Evangelio palam praedicato: quod reprobi non recipiunt, sed electi: aut si recipiunt illud reprobi quidam, non ita tamen ut oportet; quia non ei acquiescunt, faciendo quae lex Evangelii praecipit; aut si sic aliquando recipiunt, non id faciunt perseveranter. Itaque sensus est. Quod si adhuc velatum est quibusdam evangelium, quod praedicamus: dumtaxat iis qui pereunt, id est, reprobis, velatum est et occultum; ac si dicat: non ideo frustratur aut ministerium nostrum, aut intentio nostra: non enim propter reprobos sed propter electos praedicamus ». Neque ab hac expositione abludunt plerique interpretes protestantes, ut videre est in *Criticis sacris* tom. VII. col. 1263. seqq.

(2) N. 3. Οἱ δὲ ἀπόστολοι καὶ οἱ προφῆται τουναντίον ἅπαν ἐποιήσαν· σαφῆ γὰρ καὶ δῆλα τὰ παρ᾽ ἑαυτῶν κατέστησαν ἅπασιν, ἅτε κοινοὶ τῆς οἰχουμένης ὄντες διδάσκαλοι, ἵνα ἕκαστος καὶ δἰ ἑαυτοῦ μανθάνειν δύνηται ἐκ τῆς ἀναγνώσεως μόνης τὰ λεγόμενα. Opp. edit. Maur. tom. I, p. 739.

(3) N. 4. Διὰ τί γὰρ ὁμιλίας χρεία; πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ παρὰ ταῖς θειαίς γραφαῖς· πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. ἀλλ᾽ ἐπειδὴ τέρψεώς ἐστε ἀκροαταὶ, διὰ τοῦτο καὶ ταῦτα ζητεῖτε. Ibid. tom. XI, p. 528.

(4) Ita Lutherus apud Bellarm. loc. cit. cap. II, n. 2.

suas philosophi affectabant efferre sententias (1); minime vero quoad profunditatem doctrinae et sententiarum, quam s. Doctor in Scripturis admiratur et praedicat. Ceteris enim omissis Hom. XLI. in Jo. haec scribit: « Neque dixit (Christus) *legite Scripturas ;* sed *scrutamini Scripturas*, quia ea, quae de ipso ibi dicuntur, multa opus habent investigatione. Sub umbra enim quaedam occulta veteribus erant. Ideo illos accurate fodere jubet, ut in profundo posita reperire possint; neque enim in superficie, vel in conspectu jacent, sed quasi thesaurus quispiam, profunde admodum recondita sunt (2) ». In altero autem textu ut excutiat fidelium torporem in sacris evolvendis Scripturis illarum obscuritatem obtendentium, quadam amplificatione utitur, affirmans plura in iis clara esse cujusmodi sunt historiae, ut ibid. subdit. Ceterum Jo. Chrysostomus tum in Hom. cit. de Lazzaro, concedit plura in Scripturis obscura reperiri, tum alibi causas aperit quare Deus voluerit eas esse obscuras (3).

170. S. Augustinus in objectis verbis significare voluit vaticinia quae ante eventum obscuriora videbantur, lucem ex eventu fuisse adepta; sic etiam allusiones Novi Testamenti explicatas esse in textibus et historiis Testamenti Veteris, et vicissim figuras quae in foedere antiquo continebantur in N. T. fuisse adimpletas. Huc referuntur formulae passim ab evangelistis usurpatae: *Ut adimpleretur quod dictum est ; ut adimplerentur Scripturae etc.* (4). Talem fuisse mentem s. Doctoris aperte patet ex notissimis ejus testimoniis quibus profitetur magnam in Scripturis reperiri obscuritatem. Satis hic sit ea afferre quae scripsit s. Doctor in eodem libro *de Doctrina Christ.* c. VI. qui nobis objicitur: « Sed multis, inquit, et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur qui temere legunt, aliud pro alio sentientes: quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur non inveniunt, ita obscure quaedam dicta densissimam caliginem obducunt ». Qui propterea de seipso jamdiu in Scripturis exercitato profitetur « In ipsis sanctis Scripturis multo nescire plura quam sciat (5) ».

171. Nunc vero juxta praemissam distinctionem addimus, etsi interdum patres ut fideles ad sacras perlegendas Scripturas allicerent, illarum variis in partibus claritatem commendarint, numquam eos id in sensu adversariorum

(1) Id patet ex contextu; praemiserat enim immediate ante objecta verba: « Siquidem ii qui sunt a Christo alieni, dicendi artifices, rhetores, ac librorum scriptores, non quod in commune conducit quaerentes, sed illud spectantes ut ipsi sint in admiratione, etiamsi quid utile dixerint, hoc quoque quemadmodum in caligine quadam, consueta sibi, occultarunt obscuritate. Apostoli vero etc. ».

(2) N. I. Οὐ γὰρ εἶπεν, ἀναγινώσκετε τὰς γραφάς· ἀλλ', ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. ἐπειδὴ γὰρ τὰ περὶ αὐτοῦ λεγόμενα πολλῆς ἐδεῖτο τῆς ἐπιμελείας· συνεσκίαστο γὰρ ἄνωθεν συμφερόντως τοῖς τότε. Διὰ τοῦτο καὶ διασκάπτειν αὐτοὺς μετὰ ἀκριβείας κελεύει νῦν, ἵνα τὰ ἐν τῷ βάθει κείμενα δυνηθῶσι εὑρεῖν. Οὐδὲ γὰρ ἐξ ἐπιπολῆς εἴρητο, οὐδὲ ὑπὲρ τὴν ἐπιφάνειαν ἔρριπτο. Ἀλλ' ὥσπέρ τις θησαυρὸς ἐν πολλῷ τῷ βάθει κατέκειτο. Ibid. tom. VIII, p. 243.

(3) Cf. Hom. XXXII. *in Genes.* n. I. Hom. XV. al. XIV. in Jo. n. I. et alibi passim.

(4) Cf. Bellarm. lib. III. *De verbo Dei*, cap. II, n. 14. et seq.

(5) Epist. LVI. ad Januar. cap. XXI, n. 38. Quatuor libri *De doctrina christiana* a s. Augustino conscripti huc referuntur, ad exponendam scilicet difficultatem in intelligendis sac. Scripturis, et regulis tradendis ad rectam earundem intelligentiam, praesertim lib. III. ubi explanat septem regulas Tichonii.

praestitisse. Siquidem protestantes ideo Bibliorum claritatem depraedicant, ut dogmaticum ac juridicum excludant interpretem, cum singuli fideles debeant, in eorum systemate, ex illorum lectione et privata interpretatione sua fidem sibi seu fidei articulos cudere; contra vero patres in principio auctoritatis asserendo, ac omnimoda fidelium subjectione interpretationi ecclesiae catholicae commendanda continenter insistunt (1).

172. Ad 2. *D.* Probari non potest quod notius est a minus noto si sermo sit de majori vel minori notitia in eodem ordine, *C.* in diverso ordine *N.* Porro Scriptura notior est commentariis patrum ea notitia, quae dicitur *certitudinis*, cum notiora sint quae in sacris litteris occurrunt, in quibus scilicet nullus subesse potest vel minimus error, quam ea quae in scriptis habentur patrum quae quidem tali certitudine non fruuntur. Notiora vero scripta patrum sacris litteris sunt ea notitia, quae consistit in *perspicuitate* verborum ac sententiarum, quibus illi obscura Scripturae effata explanant. Sic sophisma dissolvitur *Megalandri*, ut Lutherum suum protestantes appellare delectat.

173. Ad 3. D. Nisi Deus hominibus providisset interprete legitimo, infallibili ac jugiter vivente, *C.* Si providit *N.* Itaque homines superbi ac tumidi ii sunt, qui sibi ex eo ipso mortem et exitium consciscunt quod illis datum a Deo est ad vitam ac salutem. Recte accomodaveris Scripturae sacrae oraculum Simeonis de Christo: « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum (2) ». Resurrectio enim seu vita est Scriptura filiis obtemperantibus matri suae, ecclesiae videlicet; ruina e converso ac mors iis omnibus perduellibus et pervicacibus qui omnia sibi clara et perspicua in Scripturis esse jactant seque propterea sibi solos sufficere, quovis ecclesiae magisterio superbe repudiato (3).

PROPOSITIO II.

Solius ecclesiae est dogmaticam praebere Scripturae sacrae interpretationem

174. Dogmatica Scripturarum interpretatio, ex praemissis, in sui notione non objectum modo dogmaticum, res nempe fidei ac morum complectitur, verum etiam auctoritatem ex parte illius qui eam edit, adeout in suo conceptu dogmatica interpretatio sit etiam *juridica;* debet enim qui illam proponit eo cogere fideles posse ut intellectum suum subjiciant atque assentiantur. Jam vero solius ecclesiae esse ejusmodi praebere Scripturarum interpretationem multiplici ex capite facile vindicatur. Ac 1. ex ipsa rei de qua agitur natura: etenim natura hujus interpretationis exigit, ut qui eam praebet, certa possit atque in-

(1) Cf. Inter ceteros s. Augustinus lib. I. *De morib. eccles.* cap. I. « Quis enim, scribit, mediocriter sanus non facile intelligat, Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur? » Loquitur porro de ecclesiae pastoribus.

(2) Luc. II, 34.

(3) Cf. Nic. Spedalieri, *Analisi dell' esame critico del signor Nic. Freret* cap. XI, art. IV. ubi ad dissolvendam hanc ipsam difficultatem objectam ab incredulis invicte ostendit revelationem necessario involvere et exposcere ideam tribunalis viventis quod eam exponat. Cf. praeterea Bonfrerium, et Serarium loc. cit. qui varias caussas ex doctrina patrum assignant quare Deus voluerit Scripturas obscuras esse.

fallibili ratione de vero Scripturarum sensu judicare, ac omnes praeterea compellere ad huic assentiendum judicio. Haec duo videlicet requiruntur *infallibilitas* et *auctoritas:* ubi harum conditionum alterutra desit, nequit dogmatica dari interpretatio. Tolle siquidem infallibilitatem in germano dogmatico sensu assequendo Scripturarum; nullum jam reliquum est jus ad ejusmodi edendam interpretationem eo ipso, quod errori obnoxia sit, nec nisi majori minorive probabilitate aut verisimilitudine inniti queat. Tolle auctoritatem; et jam nemo adigi ad illam admittendam posset. Porro ecclesiam solam binas hasce praeseferre conditiones ex iis, quae in superiori hujus tractationis parte disputavimus (1), apertissime constat, ac proinde heic demonstratum assumimus; ergo, concludimus, ex ipsa rei de qua agitur natura liquet ad solam ecclesiam spectare, dogmaticam exhibere Scripturae sacrae interpretationem.

175. 2. Idipsum evincitur ex missione quam ecclesia habuit a Christo. Etenim ecclesiae commisit Christus non ministerium dumtaxat praedicandi evangelium, docendique omnes gentes, sed insuper magisterium illi juge, infallibile, atque perpetuum contulit quo sartum ipsa tectumque inter fideles doctrinae illius seu revelationis depositum sibi ab eo traditum conservaret. Hac de causa suam ei *adsistentiam* pollicitus est et praesidium, illisque eam dotibus communivit quas ei suo loco vindicavimus (2). Ergo hoc ipso eidem pariter commisit interpretationem dogmaticam Scripturarum. Nam antequam Christi doctrina litteris consignaretur, eamdem integram una cum recta ejus intelligentia jam tenebat ac possidebat ecclesia: quando propterea illa, ex parte saltem, scriptis edita est atque vulgata, rectam ejusdem intelligentiam, seu verum sensum ecclesia ipsa conservavit ac retinuit. Quo fit ut si qua moveatur quaestio circa alicujus loci Scripturarum sensum, ecclesiae solius sit vi propriae missionis dogmaticam earum praebere interpretationem.

176. 3. Ex necessitate sopiendi seu dirimendi controversias quae circa legitimum Scripturarum sensum exoriri possunt eadem veritas elucescit. Nam Scriptura ex praecedenti propositione in iis etiam, quae ad fidem moresque pertinent, obscura saepe et pluribusque sensibus obnoxia, quapropter opus est interprete infallibili et auctoritate pollente, qui controversias illas dirimere valeat, verum ac legitimum sensum suppeditando. Alioquin enim nullus umquam controversiarum exitus haberetur, et ancipites fideles animo esse deberent circa genuinum Scripturae sensum, ex quo veritas in fidei dogmatibus aut moribus pendet. Num enim, ut rem exemplis illustrem, ex legitimo Christi verborum sensu: *Hoc est corpus meum:* fides non pendet in realem ejus praesentiam in Eucharistia aut solum in ejus figuram? Num ex legitimo sensu verborum Jacobi: *infirmatur quis in vobis?* etc. non pendet fides in sacramentum, aut in nudum ritum? Atque ita porro. Cum vero sola ecclesia utraque illa polleat conditione, infallibilitatis scilicet et auctoritatis, aperte inde consequitur, illam solam posse dogmaticam Scripturarum interpretationem legitime edere.

177. 4. Hoc demum ipsum conficitur ex perpetua ejusdem ecclesiae praxi. Vix enim exorta aliquando controversia est circa germanum Scripturae sensum

(1) P. I, sect. I, cap. IV, art. II, prop. I. et art. III.

(2) Tum loc. cit. tum in tract. *De vera relig.* p. II, prop. III.

qui fidei depositum quoquomodo attingeret, illico ecclesia suam apposuit interpretationem ad eam dirimendam. Ita se gessit cum docetis, qui ea quae Scriptura de vera Verbi incarnatione ac reali carne, passione ac resurrectione habet, interpretabantur de incarnatione fictitia, de carne umbratili et apparente, de apparente morte ac resurrectione, turbas undequaque cientes. Ecclesia vero eadem exposuit de rei veritate, illosque veteratores anathemate protrivit. Ita se gessit cum cerinthianis qui verum sensum invertebant illorum Scripturae locorum, in quibus vera Christi divinitas praedicatur. Ita cum gnosticis, manichaeis, sabellianis, arianis, iisque omnibus qui subsecuti sunt novatoribus. Quare nisi asserere velimus aut ecclesiam illegitimam sibi usurpasse auctoritatem, aut Lutheri caeterorumque protestantium aetate ab illa plane excidisse, fatendum est facto ipso usuque perpetuo ecclesiam ostendisse sibi soli competere facultatem dogmaticae edendae Scripturarum interpretationis.

178. Hic vero omitti nequit magni momenti animadversio, ex eo agendi modo petita quem quovis tempore tenuerunt novatores, et quo assertio nostra mirifice confirmatur. Quoties enim actum est vel de haereticis sibi anterioribus vel de haeresibus suae contradictoriis, toties libenter agnoverunt novatores ecclesiam esse legitimum Scripturarum interpretem; tunc vero solum ejus auctoritatem recusarunt, cum eam erroribus suis seu privatae suae interpretationi adversantem experti sunt. Sic e. g. ariani tamquam rectissimum probavere judicium quod ecclesia tulit adversus praeposteras gnosticorum et sabellianorum Scripturae interpretationes; nestoriani prono animo amplexi sunt ecclesiae sententiam in arianos prolatam; pelagiani rata omnia habuerunt, quaecumque contra nestorianos atque eutychianos sanxisset ecclesia; protestantes denique fassi sunt ecclesiam legitimum Scripturarum sensum opposuisse arbitrariae illorum omnium haereticorum interpretationi: atque ob auctoritatem ecclesiae dogmata tenuerunt de Trinitate, de Incarnatione, de gratiae necessitate, aliaque ejusmodi.

179. Verum quemadmodum ariani, nestoriani, pelagiani negarunt ecclesiam, quoad sua ipsorum placita singillatim, legitimum esse dogmaticum interpretem, ita plane protestantes cum se ab eadem ecclesia privatis suis interpretationibus circa justificationem, purgatorium, sacramenta, aliaque id genus damnatos cernerent, ecclesiam haud esse legitimum Scripturarum interpretem conclamarunt, eidemque spiritum uniuscujusque privatum, interiorem Spiritus S. illustrationem, Scripturam ipsam et si quod aliud commentum est, suffecerunt. Ex qua demum agendi novatorum ratione colligitur, illos eodem ipso tempore quo impugnabant solius ecclesiae esse dogmaticam praebere Scripturae sacrae interpretationem, eandem tacite aut expresse ecclesiae praerogativam fuisse professos. Ast id semper quoad alios, numquam vero quoad se: ita nempe sibi semper novatores consistunt (1)!

(1) Hoc argumentum egregie evolvit Moehler in cit. *Symbolique* ed. cit. tom. II, § XXXIX, pag. 49. ubi inter caeteras hanc adjecit observationem: « Les siècles disparurent et les sectes avec eux. De nouveaux temps virent naître de nouvelles hérésies; mais toutes érigèrent le même principe fondamental, savoir que l' Ecriture est la seule source de la vérité chrétienne, la seule règle de foi. Ce dogme commun à tous les sectaires, le même chez les gnostiques du deuxième siècle, et chez les vaudois du douzième, par les ariens

DIFFICULTATES

180. Obj. 1. Non pauca Scripturarum effata excludunt ecclesiae magisterium ejusque interpretationem. Sic Matth. XXIII, 8. alloquens Christus discipulos suos ait: « Vos autem nolite vocari rabbi: unus est enim magister vester . . . nec vocemini magistri: quia magister vester unus est Christus »; et Jo. V, 34. « Ego non ab homine testimonium accipio »; et ibid. VII, 17. « Si quis voluerit voluntatem ejus facere; cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit »; et rursum ib. X, 27. « Oves meae vocem meam audiunt . . . . et sequuntur me ». Quapropter Actus apostolici XVII, 11. nobis exhibent eos qui incolebant Beroeam « Quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent » uti nempe eis praedicabat Paulus. Quomodo vero haec aliaque his similia non pauca consistere cum dogmate de suprema ecclesiae auctoritate possunt in interpretatione Scripturarum? 2. Accedit quod in hypothesi catholicorum ecclesia esset supra Scripturam; 3. fideles non verbo Dei, sed verbo hominum inniterentur dum fidei actum elicerent, cum tamen doceat apostolus nos superaedificatos esse « super fundamentum apostolorum et prophetarum (1) »; non esset amplius purum verbum Dei regula nostra; 4. Verbum Dei robur ac firmitatem suam a verbo hominum acciperet: quae quidem absurda sunt omnia. Ergo.

181. R. Ad 1. vel *N.* vel *D.* Juxta privatam protestantium interpretationem, *C.* per se *N.* Prius scilicet protestantes, non secus ac haeretici reliqui, talem Scripturarum testimoniis sensum affingunt qui sibi magis arrideat, deinde vero juxta gratuito confictam interpretationem ea pro se adversus catholicos allegant. Hoc semper vitio laborent necesse est protestantium interpretationes. Ceterum nec unum est ex objectis testimoniis quod aliqua ratione impetat catholicam doctrinam. Si enim excipias quod ex Actis apostolicis opponitur, in reliquis nuspiam aut de Scripturis aut de Scripturarum interpretatione fit sermo, ut ex perbrevi singulorum examine facile patefiet.

182. Christus enim Matth. XXIII. ut liquet ex orationis serie, tantum excludit a discipulis suis ambitiosam magistri denominationem, quam affectabant pharisaei quos hic arguit; alioquin non dixisset: « Qui vos audit, me audit . . . euntes docete. » (2)

183. Jo. V. profitetur Christus se non indigere Joannis Baptistae testimonio ad divinam suam missionem comprobandam, quam Pater tot signis patefecerat (3).

184. Jo. VII. pariter loquitur Chri-

comme par les nestoriens; ce dogme enfanta les doctrines les plus contradictoires. Qu'y a-t-il en effet de plus opposé que le gnosticisme et le pélagianisme, que le sabellianisme et l'arianisme? Or la seule considération que ce principe, toujours un, sans cesse le même, a sanctionné toutes les croyances, tous les égaremens, toutes les monstruosités; cette seule considération, disons-nous, devait faire voir, qu'il récèle quelque profonde erreur, qu'il creuse un abîme immense entre l'Ecriture et l'individu ».

(1) Ephes. II, 20.

(2) Luc. X, 16, Matth. XXVIII, 19.

(3) Cf. Maldonat. in hunc loc. Sed praestat huic adjungere interpretem protestantem, scilicet Kuinoëlium, qui objecta verba ita exponit: « Non haec dixi tamquam cupidus honoris, quem humana laudatio praebet. *Non capto hominis ullius*, neque adeo Joannis a vobis repudiati *testimonium*, *sed haec dixi*, testimonii Johannaei mentionem feci, *ut*

stus de divina missione sua, deque caelesti origine doctrinae suae, suosque provocat auditores ad experientiam per executionem divinae voluntatis, ex qua deprehendere possent, doctrinam quam eis proponebat esse divinam, non autem ex arbitrio, atque humano sensu confictam (1). Jam vero quid hoc commune habet cum Scripturarum interpretatione?

185. Jo. X. significat Christus oves dociles, quae sibi scilicet obtemperant, eumque tamquam pastorem praeeuntem sequuntur agnoscendo in persona sua Messiam (2). Hae porro interpretationes ab ipsis recentioribus exegetis protestantibus datae sunt; ex quibus patet, eos jam deserere expositiones illas quibus ipsorum antesignani nitebantur excludere interpretationem dogmaticam ecclesiae, ut ei sensum privatum seu privatam interpretationem subrogarent.

186. Beroenses porro de quibus agitur in Actis Apostolorum nondum fideles erant cum scrutarentur Scripturas; dum vero eas excutiebant, non ad inquirendum hunc alterumve controversum Scripturae sensum id praestabant, sed ad motiva expendenda credibilitatis ut christianam religionem profiterentur. Cum enim Apostolus cetera inter motiva et illud proponeret quod ex vaticiniis in Christo adimpletis exurgit, Scripturas idcirco scrutabantur quo certiores fierent *si haec ita se haberent*. In hoc porro commendatione digni erant.

187. Ex levi hoc specimine elucet quot contorsionibus et cavillationibus subsit Scriptura si privatorum hominum relinquatur arbitrio; et quomodo consistere possint tum objecta loca, tum alia quaelibet Scripturarum testimonia cum thesi quam tuemur, cum eam ne leviter quidem attingant.

188. Ad 2. *N.* Non magis enim supra Scripturam est ecclesia cum praebet authenticam ac juridicam dogmaticam interpretationem, quam judex supra legem sit cum ejus sensum authentice et juridice in iis qui occurrunt casibus ad litem qua de agitur dirimendam declarat. Saepe namque, ut vidimus, Scriptura obscura est; fieri proinde facile potest, ut nos in vero ejusdem sensu assequendo, praesertim in rebus fidei decipiamur, sic ut privatum ac subjectivum sensum seu humanae mentis nostrae conceptum auctoritati divinae surrogemus. Itaque ne in gravi adeo negotio huic deceptioni subdamur, ecclesia infallibilitate a Christo praedita suppeditat nobis dogmaticam Scripturae interpretationem; sicque certi efficimur nos purum Dei verbum sequi, illique obtemperare in aliquo, quod ab illa pendeat, dogmate profitendo. Quo fit ut per dogmaticam interpretationem ecclesia quidem sit supra quamlibet privatam cujusque nostrum interpretationem, in qua labi possumus ac decipi, minime vero supra ipsum verbum Dei, quod absonum esset ac absurdum. Attamen protestantes stultam ejusmodi difficul-

vos servemini, οὐ μαρτυρίαν λαμβάνω παρὰ ἀνθρώπου, non aucupor commendationem humanam ». Quidquid porro sit de ejusmodi frigida expositione, ad rem nostram quod attinet, patet saltem Christi verba nihil cum Scripturarum interpretatione habere commune.

(1) Cf. AA. citt. Kuinoël item sic enarrat objectum hunc locum: « Affirmaverat Jesus v. 16. suam doctrinam esse divinam. Jam duo hanc in rem argumenta affert, alterum *internum* ex ipsius doctrinae indole et praestantia petitum; v. 17. alterum *externum*, suam ipsius agendi rationem, qua doceat, se non suae, sed Dei tantum gloriae prospicere ».

(2) Haec pariter est interpretatio Kuinoëlii. Eandem sequitur Rosenmüller.

tatem serio adhuc urgere non desinunt !

189. Ad 3. *Neg.* ex modo dictis, ex quibus potius colligitur vere protestantes in eo quod tuentur systemate, hominum verbo inniti dum privata ac fallibili interpretatione unice suffulti aliquod putant fidei dogma profiteri. Cum enim elementum humanum elemento divino facile substitui possit, dum rentur se credere ex auctoritate divina, reipsa nisi ex auctoritate humana non credunt. Ab hoc autem periculo prorsus catholici liberantur, ac certi sunt se fundatos esse « super fundamentum apostolorum et prophetarum »; dum protestantes vereri jure optimo debent ne sint fundati super fundamentum Lutheri, Calvini, Zwinglii, Socini, Wesleyi, aliorumque ejusdem furfuris hominum, qui duces sese caecorum constituerunt.

190. Ad 4. pariter *N.* sed nos robur accipimus ac firmitatem ex verbo Dei: de cujus vero sensu certissime per dogmaticam ecclesiae interpretationem liquet. Ecclesiae quippe infallibile magisterium semper et unice exercetur quoad nos. Scriptura autem, siquidem verbum Dei, incapax est intrinseci incrementi auctoritatis cum totam, qua pollet, auctoritatem habeat ex sese: verum non ita se res habet quoad nos, qui nempe regula proxima certa atque infallibili indigemus, qua certi efficiamur quaenam Scripturae sint quae contineant verbum Dei, et quinam verus ac genuinus ejusdem sensus existat. Hoc porro illud est quod praestat ecclesia ejusdem custos et interpres a Deo ipso constituta ne in errorem dilabamur.

PROPOSITIO III.

Protestantes, abjecta ecclesiae auctoritate, numquam certi esse possunt de dogmatica Scripturarum interpretatione

191. Haec propositio ex praejacta notione de interpretatione dogmatica, et ex disputatis praecedenti propositione, suo veluti ex germine efflorescit.

Etenim si dogmatica Scripturarum interpretatio illa est quae non solum pro objecto habet veritatem aliquam ad fidem moresve spectantem, sed in suo praeterea conceptu involvit juridicam et infallibilem auctoritatem quae dubium quodvis excludat, ac vim habeat illos, quibus proponitur, cogendi ad assensum praebendum, cum praeter ecclesiam talem vindicare auctoritatem sibi possit nemo, necessario infertur, protestantes qui auctoritatem abjiciunt ecclesiae numquam posse certos esse de dogmatica Scripturarum interpretatione.

192. Neminem porro praeter ecclesiam sibi juridicam illam ac infallibilem posse auctoritatem tribuere, qua se aliosque ad certo assentiendum privatae interpretationi adducere queat, facile evincitur sive ipsam rei naturam expendendo, sive systemata a protestantibus singillatim excogitata, sive demum perpetuam ipsam adversariorum agendi rationem.

193. Ut autem a primo incipiamus, evidens est neminem privatum id sibi arrogare unquam posse quod toti denegat ecclesiae: nam si ecclesia universa decipi potest in vero Scripturarum sensu assequendo, profecto qui stultus et amens plane non sit, fateri debet, multo magis quodlibet individuum falli posse. Idem de auctoritate dicas oportet: nam si neque ecclesia ipsa in aliquem potest exercere auctoritatem juridicam, ita ut hic subjici ejus dogmaticae interpretationi teneatur, multo eam minus exercere privatum quodlibet ejusdem ecclesiae individuum valebit. Quare jure optimo Rousseau sic perstringebat genevensis coetus pastores: « demonstretur mihi, meam auctoritati cuicumque rationem subjicere me debere (in fidei negotio) et cras catholicus

ero (1) ». Vel ipse nimirum communis hominum sensus hoc dictat. Quod si nemo sibi arrogare infallibilitatem et auctoritatem potest, jam sequitur nemini certo constare posse de qualibet dogmatica Scripturarum interpretatione, ita ut quodvis dubium tum a se tum ab aliis amovere queat; imo nec ipsa quidem dogmatica interpretatio fingi ac concipi animo valet.

194. Neque id minus evidenter colligitur, si rite expendantur singula a protestantibus invecta systemata circa dogmaticam Scripturarum interpretationem. Haec enim, ut vidimus, sunt, aut Scriptura ipsa, aut solus spiritus privatus, seu, ut modo loqui adamant, individualis ratio, aut spiritus privatus per interiorem illustrationem a Spiritu S. unicuique communicatam edoctus, vi cujus certus quisque efficiatur de vero sacrae Scripturae sensu independenter ab ecclesiae definitione, aut etiam adversus illam. Haec praecipua sunt systemata ad quae caetera, si quae sunt, revocari facile possunt.

195. Porro minime talem esse Scripturam posse patet 1. ex eo quod ipsa mortua sit, nec sententiam dicere valeat si qua circa rectam sui intelligentiam controversia exoriatur. Patet 2. ex eo quod controversiae omnes praecise versentur circa ejusdem Scripturae sensum, cum nullus unquam haereticus extiterit qui non appellaverit ad Scripturam quam sibi aperte adstipulari pro certo sumpsit (2). Sane lutherani, anabaptistae, calvinistae, et zwingliani ad unum omnes solam Scripturam controversiarum judicem statuerunt; harumque sectarum quaelibet proferebat in medium testimonia, ut sibi quidem videbantur clarissima, ad proprios errores adstruendos. Attamen in perpetuo semper conflictu secum inter fuerunt circa praecipuos doctrinae articulos de reali Christi praesentia in eucharistia, de baptismo infantium, de justificatione, praedestinatione aliisque non paucis, donec doctrinam aliquam positivam sectae istae retinuerunt (3). Quod vero diximus de hujusmodi sectis, affirmandum pariter

(1) En ejus verba: » Qu' on me prouve que je dois soumettre ma raison à une autorité quelconque, et dès demain je suis catholique ». Apud auct. opusc. cit. *Le ministre* etc. p. 81.

(2) Apposite jam aetate sua de haereticis scribebat s. Augustinus epist. cxx. *ad Consentium* n. 13. « Omnes enim haeretici, qui eas (Scripturas) in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum potius suos sectentur errores; ac per hoc non quod eas contemnant sed quod eas non intelligant, haeretici sunt »: et clarius adhuc lib. vii, *de Genes. ad litt.* cap. ix, n. 13: « Neque enim, inquit, non omnes haeretici Scripturas catholicas legunt; nec ob aliud sunt haeretici, nisi quod eas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt ». Antiquus vero anonymus auctor apud Th. Moor. op. cit. « Unam, scribit, perpetuo Scripturam clamitant; sed ubi ventum est ad eam, auditis quomodo legunt. Tam aperta sunt verba; in omnibus evangelistis sunt eadem. Omnia tamen pervertunt, omnia ad haeresim suam trahunt. » pag. 78. 79.

(3) Dixi: *donec doctrinam aliquam positivam sectae istae retinuerunt;* nam exploratum est nunc demum in desperationem actas nonnisi negativam profiteri, quae scilicet consistat in rejectione catholicae doctrinae; atque exinde profluxit illa omnium sectarum externa saltem confoederatio qua inter se convenerunt sub generali protestantismi denominatione adversus ecclesiam catholicam; in hoc consistit ipsarum vis, in negatione nempe fidei catholicae ejusque oppugnatione; in ceteris unaquaeque pacifice sectatur *opinionem* suam; nec enim amplius agitur *de fide*.

est de sectis quae iis praecesserunt, aeque ac de protestantismi innumeris ut ita dicam frustulis, quandoquidem eadem apud eas omnes agendi ratio ubique se prodidit. Si igitur nonnisi absurde ille statui veluti interpres seu judex posset qui litibus ipse causam praebuisset, apertum est nonnisi absurde affirmari posse Scripturam solam esse suimetipsius interpretem judicemque controversiarum. Patet denique 3., ceteris omissis, ex quadam inter religionem et politicum regimen analogia. Qui enim in regimine politico dum lis agitatur, solam contenderet legem seu codicem esse interpretem et judicem sui, ac propterea sese magistratuum sententiae subjicere velle abnueret, is omnium consensu amens ac stolidus censeretur. Haud alia porro est amentia et stoliditas protestantium qui solum ac purum Dei verbum scriptum sui ipsius interpretem, fideique controversiarum judicem esse conclamant (1).

196. Neque vero spiritus privati seu rationis individualis systema felicius est praecedenti quod excussimus. Etenim non modo interpretatio quae a spiritu privato seu ratione individuali proficiscatur dogmatica esse non potest, quia intrinseca destituitur infallibilitate et necessaria auctoritate; sed praeterea 1. religionem scindit, cum unusquisque diversa fere ab alio ratione, prout animo *subjective* affectus est, eandem rem videre deque ea judicium ferre soleat: ex quo tot necessario interpretationes oriuntur quot capita existunt (2); 2. dubium et inconstantiam promovet in eodem subjecto ut experientia apertissime docet; pronum quippe homini est sententiam mutare, quodque sibi hodie videtur certum, cras ut falsum repellere. Atque hujus sane inconstantiae haud pauca praebuit exempla Lutherus, dum ejusmodi systematis vestigiis inhaesit (3), atque ut silentio praetereamus quae de Melanchthone aliisque protestantibus sive

(1) Cf. Becan. *Manuale controv.* lib. I. cap. V. Si quis quaereret a Luthero quare ipse monachus cum fuerit et voto continentiae adstrictus duxerit in conjugium Catharinam Boream sanctimonialem, responderet, uti reipsa respondit, quia scriptum est. Gen. II, 18. « *Non est bonum esse hominem solum* ». Si quis ab anglico consilio procerum *(parlamento* seu *camera)* sciscitaretur quare sanxerit divortium Henrici VIII. cum Catharina, reposuisset, quia scriptum est, I. Reg. I. 5. « Quia Annam (Boleyn) diligebat »; et ita porro.

(2) Id paulo ante vidimus admissum a Moshemio ipso cujus verba dedimus. Sane exinde profluxerunt quakeri, puritani, anabaptistae, baptistae, arminiani, gomaristae, antilapsarii, postlapsarii, superlapsarii, non-conformistae, terministae, servetistae, bissacramentistae, collegiales, congregationistae, communicantes, episcopales, presbyteriani, dissentientes, laicocephali, trisacramentarii, pastoricidae, uncti, pajonistae, majoristae, syncretistae, synergistae, abecedarii, patelistae, adiaphoriti, osiandriani, antidophoristae, herohutistae, moravi, gabrielistae, anabaptistae sanguinarii, monasterienses, nudipedi, venatores hollandici, cornharistae, dissidentes poloni, infernales, davidistae, georgiani energistae, familistae, hottmanistae, adrianistae, ambrosiani, heussusiani, amdorfiani, antinomii, borecltae, arrhabonarii, archontici, borïgnonistae, particularistae, islebiani, ubiquistae, confessionistae, philippistae, methodistae, unitarii, rationalistae, mythici, etc. etc.

(3) Lutherum Scripturis innixum in omnibus fere doctrinae articulis sententiam mutasse notissimum est ex controversiis Bellarmini, qui passim has mutationes eidem exprobrat, nec dissimulant ejus asseclae. Ast Lutherus inconstantiam quidem suam prodit et principii a se adoptati falsitatem, nunquam tamen hanc suam agendi rationem in principium evexit; verum aetate hac nostra Schleyermacher Lutheri di-

antiquioribus sive recentioribus possent afferri, qui in perpetua veluti aestuosi maris fluctuatione versati sunt atque adeo versantur, satis sit exemplum petere ex Wesleyo methodistarum parente, qui nimirum sexies dogmata sua immutare non dubitavit (1); 3. recta ducit ad socinianismum ac rationalismum; nam semel ac ratio individualis fit Scripturarum interpres eas sibi omnino subjicit, et ad normam suam subjectivam exigit, quo fit ut quidquid supernaturale est vel rejiciat, vel naturali modo interpretetur aut ad mythos amandet (2). Sane sociniani mysteria omnia sustulerunt de medio; rationalistae praeterea omnia miracula et vaticinia, ac notionem denique ipsam revelationis atque inspirationis penitus evellerunt. 4. Demum nihil tam absurdum et impium est circa principia sive speculativa, sive practica in quod ejusmodi systema suapte natura non perducat, ut historia protestantismi luculenter ostendit, ex qua discimus alios docuisse Deum esse auctorem peccati; alios Deum pro lubito suo homines ad aeternam perditionem condidisse; alios bona opera non solum inutilia existere ad salutem, sed omnino noxia; alios ad justitiam prodesse peccata (3); alios Christum fuisse veteratorem (4), imo christianismi tantum *ideam* fuisse cujus Paulus extitit *realitas* (5), aliaque sexcenta impia et blasphema errorum por-

scipulus ac professor Berolinensis adstruxit Scripturam mutari singulis quindecim annorum periodis; quod et exemplo suo ostendit, siquidem an. 1820. juxta ipsum ea docebat divinitatem Christi Jesu; anno vero 1835. juxta eundem Scriptura docet Christum Deum non esse. Haec leguntur in ephem. quae ab Umann professore Halensi, et Umbreid professore Heidelbergensi editur cui tit. *Studia et critica*. Cf. Moehler *symbol.* tom. II, § XLII, p. 80, cum nota interpr. Celebris vero de Wette in op. *Theologia et Religio* p. 274, scribit: « Ce serait rétrograder d'une manière dangereuse, que de vouloir imposer à l'église protestante un corps de doctrines *stationnaires* tel que celui de l'église catholique. Un tel projet serait aussi contraire à l'esprit du siècle; d'ailleurs, il n'est exécutable *que sous un chef de toute l'église protestante* » apud *Ministre* etc. p. 130.

(1) Wesleyus Methodistarum parens prius fuit fervens anglicanus, deinde fluctuans incertus, postea fere papista, ut ipse loquitur, a Petro Bohler deinceps moravianismo addictus; factus moravus vaticinatus est se in perpetuum in hac professione mansurum; attamen paulo post professus est calvinismum antinomianum, demum aetate provectus invenit speciem methodismi; in his porro perpetuis transitionibus semper innixum se profitebatur Scripturarum, seu verbi Dei puri auctoritati. Cf. Dan. O'Connel, *A full Report of the procedings of the great catholic meeting of the catholics of London held at the Free Masons Hall on the 15. day of* July 1839. *Published* by Thomas Jones n. 63, seu, *Plena relatio eorum quae gesta sunt in magno catholico congressu catholicorum londinensium, habito in aula liberorum muratororiorum nuncupata* etc.

(2) De hoc argumento ex professo agemus in tertia parte hujus tractatus.

(3) De his omnibus documenta dedimus tum in tract. *De vera relig.* p. II, prop. IX, tum in hujus tractat. par. I, cap. III, prop. II. n. 243, seqq. et not. appositis.

(4) Cf. Roselly de Lorgues *de la mort avant l'homme*. Paris 1841. pag. 40.

(5) Ibid. pag. 38. en quomodo isti ratiocinentur apud hunc auctorem: « D'après la loi du développement et de la progression arithmétique le premier terme d'une série ne pouvant être plus grand que celui qui la termine, l'idée évangélique a dû être nécessairement inférieure dès son début à celle des intelligences actuelles. Conséquemment, nous sommes forcés d'admettre, que le christianisme, d'abord l'oeuvre de Jésus, a été tra-

tenta effutivisse, quae vel referre taedet ac pudet. Porro haec omnia aliaque ejusmodi ex systemate interpretationis per spiritum privatum seu rationem individualem praestandae ita profluxerunt ac profluunt, ut ejusdem systematis vi, argui falsitatis numquam possint, ac omnia propterea protestantismo ipsi tribui par sit (1).

197. Postremo quam fallax systema sit de Spiritus S. interiori illustratione atque interpretatione dogmatica Scripturarum sacrarum illius ope praebenda, pluribus persequi opus non erit. Etenim experimento ipso constat ejusmodi systema homines in apertam animorum conflictationem inducere, fovere *enthusiasmum* ut vocant, ac fanatismum, ad infanda quaeque scelera propellere, ac demum ad ipsam Scripturam explodendam. Et sane 1. pertrahi homines ab hoc systemate in apertas conflictationes liquet ex eo, quod ii omnes qui sese Spiritu S. illustratos in Scripturis exponendis jactabant, contradictoria docuerint, eidem licet Scripturae innixi; lutherani e. g. propugnabant paedobaptismum, eundem execrabantur anabaptistae; lutherani item contendebant omnes indiscriminatim, ne daemone quidem excepto, sacramentorum esse administros posse, calviniani Scripturis pariter Spiritu Sancto, ut sibi blandiebantur, inspirante intellectis, arcebant foeminas a collatione baptismi etiam ubi instaret necessitas; lutherani *suo* Spiritu Sancto docente, absolutam tuebantur baptismi necessitatem ad salutem, calviniani eodem Spiritu illustrati eandem negabant quoad filios fidelium, et ita porro. Igitur non Spiritus S. qui *Spiritus veritatis* est, sed homines fallaci hoc systemate obcaecati sibi tribuerunt Spiritum S. ad errores omnigenos comminiscendos ac invehendos. 2. Animi item furorem seu fanatismum ejusmodi systemate in primis foveri, protestantismi abunde docet historia. Quanta enim eapropter sectariorum copia ex ipso protestantismi sinu veluti crabronum agmina pullularunt, a quibus ille in totidem veluti frustula misere scissus est! Cui non noti Storchius, Stubnerus, Muncerus, Cellarius sectae anabaptisticae antesignani (2); Menno item Simonis auctor mennonitarum sectae (3); Georgius Fox sectae quakerorum parens, aliique pene innumeri quorum longum nimis foret catalogum texere (4)? Jam vero hi omnes Spiritu S., ut ipsi sibi facile suadebant, edocti, perduellionis vexillum adversus protestantismum quem primiti-

vaillé par les évangélistes, puis par s. Paul, et les évêques des premiers siècles. Or comme un homme ne peut mieux faire qu' un Dieu; et que Paul, apôtre, en fondant réellement le christianisme, a fait plus que Jésus; donc Jésus, n'est pas Dieu. Il est l'idée, et Paul la réalisation ». Cf. etiam Moore p. 423.

(1) Jam alias animadvertimus hoc discrimen interponi inter errores catholicorum individuorum, et errores protestantium, quod illi numquam tribui *possint* catholicae doctrinae quae tota innititur principio auctoritatis; isti semper tribui *debeant* protestantismo qui totus innititur principio individualis discussionis et examinis. Illi propterea a regula corrigi possunt, isti nequaquam.

(2) Cf. Moehler *Symbol.* liv. second. § LIV. *introd.* tum ch. I. *les Anabaptistes ou les Mennonites* § LV, ubi de illis fanaticis scribit: « Dans tous leurs crimes ils se croyoient les instrumens du saint Esprit ».

(3) Ibid. § LXII.

(4) Ibid. § LXIV. seqq. praesertim vero § LXV. *Système des quakers-lumière intérieure;* et § LXVI. *Effets de la lumiére intérieure.*

vum dixeris, erexerunt bellumque mutuum et atrox inter se concitarunt, quamquam cuncti a Spiritu S. in Scripturis interpretandis agerentur. 3. Impelli hac ipsa persuasione ad infanda crimina exinde liquet, quod tali non pauci furore correpti interdum sese a Deo excitatos proclamarint ad populos a servitutis, dominationis nimirum politicae, jugo eripiendos (1), ad regnum Messiae, seu quintam in terris monarchiam fundandam, se novos prophetas dictitaverint ut hominibus suaderent se liberos esse a proprietate, ut vocant, bonorum, proprietate uxorum, et proprietate superstitionis cum iis, quae indidem promanant, turpissimis consectariis (2). 4. Postremo homines induci ad Scripturam omnem abjiciendam consequitur ex eo quod si Spiritus S. docet interius homines veritatem necessariam ad salutem, quid ullo amplius exteriori adminiculo opus erit, cum hoc vim atque efficaciam suam ab ejusmodi inspiratione unice mutuetur? Sane anabaptistae rejecerunt Scripturam, quae nempe cum erroribus eorum conciliari non poterat, velut apocrypham (3). Eadem se gessit ratione Swendenborgius qui non alios libros sacros admisit praeter Evangelia et Apocalypsim, vocavitque regnum Christi *regnum tenebrarum* (4).

198. Ex levi hac veluti adumbratione consectariorum, quae ex principio de interiori Spiritus S. illustratione tamquam Scripturarum dogmatico interprete ac fidei regula proficiscuntur, non solum hujus doctrinae absurditas patet, verum etiam causa facile eruitur illius agendi rationis cui sectarii in fidei negotio inhaerent, prout postremo loco expendendum suscepimus. Cum enim protestantes compererint, imo penitus senserint quaelibet ejusmodi a se invecta systemata rem minime conficere quam sibi proposuerant, constituendi videlicet regulam firmam, certam ac infallibilem, qualis ad gignendam fidem plane requiritur, numquam in eodem statu constiterunt atque consistunt. Aestuanti mari persimiles, modo orthodoxum, ut vocant, protestantismum profitentur, modo

(1) Cf. Milner op. cit. Tom. I. lettr. VI. ubi documenta plurima invenies. Sane J. Bockold se proclamavit regem Sionis, Monasterii potitus est, undecim simultanee uxores duxit, quas omnes postea interemit sub inspiratione Spiritus Sancti. Hermann a suo Spiritu S. impulsus se declaravit Messiam, clamans auditoribus suis: *occidite sacerdotes; occidite magistratus in mundo; poenitentiam agite, appropinquat redemptio vestra;* David Georgius persuasit multitudini, doctrinam V. et N. Testamenti imperfectam esse, suam vero esse perfectam, ac se *verum esse Dei filium;* Nicolaus discipulus David Georgii se conferens in Angliam ex praetensa Dei jussione docuit homines, essentiam religionis consistere in sensu amoris divini, et quidquid refertur ad fidem et cultum nullius esse momenti; idem docuit circa principia fundamentalia moralis doctrinae, profitebatur se in peccato permanere ut gratia in seipso abundaret etc. Nam vere taedet in his referendis immorari. Cf. praeterea Grégoire *Hist. des sectes;* Mosheim, *Hist. eccl.* vol. IV, p. 484, seqq. Gerard. Brandt. *Hist. abrégée de la réforme* etc.

(2) Cf. Moehler symbol. tom. II, § LX.

(3) Cf. Ibid. § LIX. Heic etiam inter cetera refert novos hos prophetas a Spiritu Sancto afflatos adversus reformatores protestantes clamasse: « Vous enchaînez l'esprit vivant à la lettre morte; vous repoussez l'impulsion divine et suivez la sagesse humaine; *Pharisiens du siècle, vous rejettez le Saint-esprit pour vous amuser avec l' Ecriture* ».

(4) *Révélations divines publiées par Schwendenborg*, trad. en allem. par Imman. Tafel Tubing. 1824, vol. II, p. 36, Ibid. § LXXXIV.

in omnimodam libertatem dilabuntur, adeout quamcumque fidem subruant; interdum proclamant libertatem examinis, interdum urgent fidei symbolicae professionem. Nunc dogmata amplectuntur, nunc respuunt veluti accidentales formas sine quibus religio quoad substantiam consistere valeat; modo cum *pietistis* et *mysticis* quos vocant, in plena versantur fidei objectivae indifferentia, nec nisi affectum seu sensum quemdam religiosum sectantur; modo demum cum rationalistis et mythicis omni prorsus supernaturalismo valedicunt. Nempe quo se vertant, seu verius, dolenter dico, ubi corruant nesciunt (1).

199. Ut igitur paucis quae fusius pro rei gravitate disseruimus, complectamur: omnes conveniunt fidem theologicam absque regula aliqua proxima et infallibili cui sese homines subjicere debeant, haberi haudquaquam posse. Jam vero sublata seu rejecta ecclesiae auctoritate, haec nuspiam apparet, non in Scriptura sola, non in sola individuali ratione, non in spiritu privato a Spiritu S. illustrato; ergo aut ecclesiae admittenda auctoritas, aut absque fide in perpetuo religioso scepticismo fluctuandum (2); seu, quod idem est, protestantes abjecta ecclesiae auctoritate, numquam certi esse possunt de dogmatica Scripturarum interpretatione, quod demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES

200. I. Obj. 1. Non alia regula in Scripturarum interpretatione admitti par est praeter eam quam Deus ipse praescripsit: porro Deus constanter in controversiis homines ad legem ipsam remittit, ut Is. VIII. 20. ubi dicitur: « Ad legem magis et ad testimonium »; Christus ad Scripturas pariter pharisaeos provocat dicens Jo. V. 29. « Scrutamini Scripturas ». 2. Ratio vero in promptu est; siquidem constat Scripturam esse infallibilem, utpote verbum Dei, contra vero homines errori obnoxios existere, dicente Apostolo Rom. III, 4. « Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax ». Ergo Scriptura, eaque sola sui interpres est, ac propterea controversiarum fidei judex.

201. R. Ad 1. *N. min.* sed ad pontificem ac sacerdotes Deus remittit in controversiis, quae inter Hebraeos exortae fuissent, ut patet ex Deut. XVII, 8 seqq. « Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris .... surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore, quaeresque ab

(1) Scilicet protestantes, eorum pace sit dictum, vivam atque expressam illorum imaginem referunt, qui in campo Sennaar turri Babel aedificandae operam dabant. Putandusne Deus sapientissimus ac misericors pater talem dedisse hominibus religionem qualem protestantismus profitetur! Hoc mihi videtur omnium paradoxorum maximum.

(2) Cf. Opusc. Frid. Lucas *Reasons* etc. Seu *Motiva ad amplectendam fidem catholico-romanam exposita societati amicorum* (seu quakerorum). Lond. 1839, pag. 32, seqq. His enim motivis quae ibi ingenue studioseque evolvit, expergefactus optimus iste vir, ac veritatem sincero animo diligens quackerorum societatem cui adhaerebat deseruit, seque in quietum catholicae ecclesiae portum recepit in quo demum pacem quam hactenus frustra quaesierat, plenissimam nactus est. Plura hujus generis exempla, eaque perillustria, divina aspirante gratia, nobis affert nunc temporis Anglia, majora, in dies ut confidimus, allatura!

eis judicii veritatem ... Qui contempserit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morte morietur ille (1) ». Sic etiam Christus edixit: « Qui vos audit me audit .... Qui ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus (2) ».

202. Itaque in objecto Isaiae loco prohibentur Judaei ne consulant pythonissas et hariolos contra legis vetitum ad futuros eventus cognoscendos, sed sacerdotes et prophetas adeant (3). Argumentum idcirco protestantium in hoc resolvi potest: Deus ex Isaia prohibuit populum suum ne ad futura agnoscenda eventa consulerent hariolos et pythones; ergo Scriptura est interpres sui et judex controversiarum!

203. Christus vero de divina sua agens missione, cum tribus jam testimoniis, Joannis videlicet, miraculorum, ac Dei Patris, eam ostendisset, demum idipsum in objecto loco conficit Scripturarum testimonio, nam: « et illae sunt, subdit, quae testimonium perhibent de me (4) ». Ergo non ad solam Scripturam pharisaeos Christus remittit, tamquam ad supremum judicem, neque eam solam dogmaticum interpretem constituit, sed ad Scripturam, quam Christus ipse eis explanabat, verum ejus sensum quem ei tribuebat comprobans tum ex testimonio Joannis, tum ex testimonio miraculorum, tum ex testimonio Patris, a quibus difformes esse non poterant Scripturae rite intellectae. Hac de causa ut verum sensum assequerentur, non solum dixit *legite*, sed *scrutamini* Scripturas ad inveniendam veritatem. Nunc autem quoad nos omnibus iis testimoniis ad dogmaticam scripturarum interpretationem supplet infallibilis ecclesiae auctoritas.

204. Ad 2. *D.* Homines sibi relicti errori obnoxii sunt, *Tr.* vel *C.* homines divina *adsistentia* suffulti, cujusmodi ecclesia est *N.* Nam hoc ipso quod Christus commiserit ecclesiae suae magisterium, se ei adfuturum spopondit, ne unquam in errores dilaberetur dicens: « Euntes docete . . . et ecce ego vobiscum sum (docentibus) usque ad consummationem seculi ». Nemo quidem inficiatur Scripturam quoad se et in se infallibilem esse et veritatem continere; difficultas tota est ex parte nostra, quoad rectam nimirum ejus intelligentiam. Hinc optime Bellarminus observat propositionem fidei tali syllogismo concludi: quidquid Deus revelavit in Scripturis est verum; hoc Deus revelavit in Scriptu-

(1) Absque dubio penes Judaeos controversiae quae apud ipsos exortae fuissent, praesertim majoris momenti, a Synedrio ac summo sacerdote qui eidem praeerat dirimebantur. Hoc expresse testatur Joseph Flavius qui in lib. II, *cont. Appion.* n. 23. ed. Haverc. de Sacerdotibus loquens haec habet: « Iis tamen unum semper aliquem praeesse genere principem, qui cum aliis sacerdotibus Deo sacrificet, leges custodiat, *si quid erit controversum arbitrio definiat* . . . . et qui minus paruerit, poenam huic luendam esse quasi adversus Deum impie fecerit ». Opp. tom. II, p. 485. Nondum enim stolidum istud protestantium commentum de Scriptura suimetipsius unica interprete cujusquam mentem incesserat. Cf. etiam Becanum *Manuale controv.* lib. I, cap. V, n. 43. seqq.

(2) Luc. X, 16, Matth. XVIII, 17.

(3) En verba immediate praecedentia: « Et cum dixerint ad vos: quaerite a pythonibus et a divinis, qui strident in incantationibus suis: numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis? Ad legem magis etc. ». Cf. Sanctium tum in paraphrasi, tum in comment. in hunc loc. n. 36, seqq.

(4) Loc. cit.

ris; ergo hoc est verum. Prima propositio certa penes omnes est, secunda apud catholicos est etiam firmissima; nititur siquidem testimonio ecclesiae, de qua habemus in Scripturis apertas promissiones quod errare non possit. Ast quoad haereticos nititur solis conjecturis, vel judicio proprii cujusque spiritus, qui plerumque videtur bonus, et est malus; et cum conclusio sequatur debiliorem partem, fit necessario, ut tota haereticorum fides conjecturalis sit et incerta (1), seu in labyrintho opinionum perpetuo haeretici circumvolvantur. Quod si contendant protestantes soli Scripturarum litterae inhaerendum esse, necessario in absurda eos dilabi necesse est, iidemque a Scriptura ipsa defectionis arguuntur. In Scriptura enim legimus diem Sabbati sanctificandam, ipsi tamen recedunt a littera, ut sanctificent dominicam diem: legimus: « Vos debetis alter alterius lavare pedes », quod ipsi tamen negligunt: Christus Matt. V, 39. ait, « Ego dico vobis, non resistere malo . . . et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium », quod nescio, an ipsi servent; haec porro aliaque ejusmodi pene innumera in Scripturis leguntur, de quibus tamen ne cogitant quidem protestantes (2). Cur nam? Quia non litteram, quae occidit, sed sensum et spiritum sequi se profitentur, seu juxta interpretationem quam ei affingunt; verum si ita est, ergo non sola Scriptura, sed ipsi sunt interpretes et judices.

205. II. Obj. Atqui Scriptura supponit in omnibus indiscriminatim jus esse proprio judicio interpretandi sacras litteras; 1. enim Apostolus 1. Thess. v. 20 fidelibus omnibus scribit: « Omnia probate, quod bonum est tenete ». 2. Quod quidem monitum congruit indoli rationis humanae, quae indita nobis a Deo est ad ea intelligenda, quae sive voce, sive scriptis nobis communicantur; 3. iisdem propterea hermeneuticae regulis quibus veterum quorumcumque auctorum scripta exponimus et interpretamur, exponere et interpretari aequum est auctores sacros, qui hominibus humano more scribebant. 4. Perabsurde proinde faciunt,

(1) Lib. III, *de Verbo Dei* cap. X, n. 28, cf. in hoc caput vindicias Ebermanni adversus Amesium, nec non Milner op. cit. *Excellence de la relig. catholique* tom. I, lett. IX, p. 102. seqq. qui observat post Scheffmacherum, numquam posse protestantes ex propriis principiis elicere actum fidei. Etenim « Cet acte, *scribit ipse*, étant, d'après votre grande autorité, l' évêque Pearson, un assentiment aux articles révélés, *avec une persuasion certaine et entière* de leur vérité révelée (*in symb.* p. 15.), ou, pour me servir des expressions de votre primat Walke: Quand je donne mon assentiment à ce que Dieu a révélé, je le fais non seulement avec une assurance *certaine* que ce que je crois est vrai, mais encore avec une *sécurité absolue qui ne peut être faux* (*Princ. relig. Christ.* p. 27.). Or le protestant, qui ne peut compter que sur ses propres talens dans l' interprétation des livres de l' Ecriture, surtout avec toutes les difficultés et les incertitudes qu' il doit éprouver . . . . ne peut jamais atteindre à cette *assurance certaine*, et à cette *sécurité absolue*, relativement à tout ce qui est révélé dans l' Ecriture. Le plus qu' il puisse dire est: *le sens des passages que je vois me paraît à présent tel et tel*, et, s' il est de bonne foi, il ajoutera: *mais peut-être changerai-je mon opinion aprés une plus ample considération, et aprés avoir comparé ce passage avec d' autres*. Combien il y a loin d' une pareille opinion simple à la certitude de la foi! »

(2) Recolantur superius dicta, et Milner loc. cit.

qui librorum divinorum interpretationem, humano, ut Pontificis Romani, arbitrio subjiciunt (1). 5. Sane nisi haec humano ingenio tribuatur facultas sacras litteras interpretandi, actum de scientia biblica esset, omnisque scientia concideret, cum satis foret pronas auctoritati ecclesiae aures praebere. Ergo.

206. R. *Neg. Subsumpt.* ad 1. prob. *D.* Scribit Apostolus probanda a fidelibus esse dona gratuita de quibus hic loquitur, *C.* probanda fidei dogmata per privatam Scripturarum interpretationem *N.* De his ne verbum quidem eo loci habet Apostolus qui, cum ageretur de concilii Jerosolymitani decreto, non *probandum* illud, sed *custodiendum* fidelibus tradebat (2). Agit autem, ut patet ex toto contextu, de donis illis gratuitis quibus per eam aetatem abundabant fideles, nec omnibus fidendum monet, qui ea praeseferebant, sed caute ac prudenter de iisdem esse judicandum (3).

207. Ad 2. *D.* In iis quae intra rationis fines continentur, *C.* in iis, quae eam superant, vel illos limites excedunt *N.* Talis porro est divina revelatio in suo complexu spectata, quaeque in sacris litteris continetur. Numquam illam Deus solius humanae rationis interpretationi subjecit, sed voluit omnino, ut humana ratio fidei subderetur; alioquin, uti ostendimus, actum prorsus de revelatione esset ac fide. Profecto rationalistae qui haec nobis objiciunt, non intelligunt verba Apostoli II. Cor. X. 5. « Et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ». Aliud autem est intelligentia Scripturarum exegetica sub debita subjectione ecclesiae auctoritati, de qua heic non pertractamus; aliud vero interpretatio dogmatica de qua loquimur, et ex qua pendent fidei nostrae objecta. Ab hac vero solum Spiritus privati, seu rationis individualis interpretationem secludimus, ad quem certe finem naturalis ratio nobis a Deo minime indita est.

208. Ad 3. *D.* Si sermo sit de expositione exegetica seu scientifica, *Tr.* de hac enim postea: si de interpretatione dogmatica *N.* haec enim eodem Spiritu divino facienda est a quo Scriptura ipsa nobis est data; alioquin vere auctoritas Dei humano subjiceretur arbitrio, quod ex dictis repugnat.

209. Ad 4. *D.* Ac propterea perabsurde faciunt protestantes et rationalistae, *C.* catholici quibus auctoritas ecclesiae et Rom. Pontificis infallibilis est *N.* Ex catholica doctrina, dum sese fideles in interpretatione dogmatica Scripturarum ecclesiae subjiciunt, non humano judicio aut *arbitrio*, ut adversarii loquuntur, sed judicio omnino divino se subdunt, quod quidem patefit per au-

(1) Ita Ernestius in *Institut. interpretis T. N. V.* apud Wegscheid. § 25. not. (6).

(2) Act. XVI. 4.

(3) Cf. quae praeclare in hunc loc. scribit Estius, qui ostendit hac Apostoli sententia dupliciter abuti haereticos, et quoad *res* et quoad *personas*, atque utrumque *absurdissimum* esse affirmat, nec alio tendere quam ut in doctrina fidei nihil unquam certi sit, dum *omnia omnium* examini et judicio semper relinquuntur. Vel ipse Grotius in Annotatt. in hunc locum excludit suorum protestantium interpretationem, scribit enim: « Hoc pertinet ad διακρίσεις πνευμάτων *(discretiones spirituum)*. I. Cor. XII, 10. XIV, 29. Sic I. Jo. IV, 1. δοκιμάζετε τὰ πνεύματα *(probate Spiritus)*. Ergo πάντα *(omnia)* hic restringendum est ex antecedente ad ea, quae dicuntur ab iis, qui se prophetas dictitant ». Opp. ed. Amstelaed. 1679, tom. II, vol. II, p. 946.

ctoritatem infallibilem, praesenti nempe Dei praesidio jugiter suffultam. Contra vero, qui in interpretatione dogmatica sive proprium, sive alterius cujuscumque demum individui judicium sequuntur, vere subjiciunt se judicio et arbitrio suo vel alieno, ac propterea nec fidem habere unquam possunt, omnique vento doctrinae circumducuntur.

210. Ad 5. *N.* Restat siquidem humanae industriae atque ingenio interpretatio exegetica et scientifica, ut paulo post declarabimus.

211. III. Obj. Esto neque Scripturam solam, neque expositam a spiritu privato aut a ratione individuali posse regulam esse certam ac infallibilem credendorum; 1. negari tamen nequit talem esse per interius testimonium Spiritus Sancti. 2. Nam passim Scripturae insinuant internum ejusmodi magisterium Spiritus Sancti, quo homines certi fiunt de veritate, ac proinde de recta Scripturarum intelligentia. Decretoria sunt Christi promissa Jo. XIV. 26. « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis »; et v. 16. « Ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis », et alibi saepe. 3. Eas porro promissiones omnes et singulos fideles, non ecclesiam vero solam, in universum respicere, nedum ex verbis ipsis liquet, *docebit vos, suggeret vobis, maneat vobiscum*, quae distributiva sunt, sed constat praeterea ex collatione cum reliquis Scripturarum textibus; 4. Apostolus enim I. Cor. II. 15. « Spiritualis, inquit, judicat omnia, et ipse a nemine judicatur »; et Joannes I. ep. II. 27; sic 5. scribit ad omnes fideles: « Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos manete in eo ». 6. Quae quidem congruunt cum iis quae pollicitus est Deus per Jeremiam XXXI. 33. in Novo Testamento complenda; « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam . . . et non docebit ultra vir proximum suum . . dicens: cognosce Dominum: omnes enim scient me a minimo eorum usque ad maximum ». 7. Hoc porro Spiritus Sancti testimonium, sive haec interior inspiratio atque illustratio, ut subdit Barclajus, evidens est, ac intellectum apte dispositum invincibiliter permovet ut ei assentiatur eo plane modo quo axiomata mentem inclinant ad veritatum naturalium assensum; id non solum *utile*, sed plane *necessarium* est ad actum fidei eliciendum, cum nemo possit dicere *Jesum nisi in Spiritu Sancto* (1). 8. Nec quidquam obstat quod ejusmodi inspiratio incerta sit; aliud quippe est affirmare revelationem seu inspirationem Spiritus S. certam esse et infallibilem, aliud vero hoc, vel illud peculiare individuum eam omnino tenere; prius a nobis adstruitur, minime vero posterius, in quo fatemur decipi utique homines carnales posse atque illudi. 9. Facile autem veritas aut falsitas inspirationis secernitur, si illud prae oculis habeas, testimonium Spiritus S. haud unicum esse medium, seu non dari ad exclusionem mediorum externorum, Scripturae videlicet rectaeque rationis: quapropter si contigerit quempiam obtrudere inspirationem, et quidquam docere quod Scripturae rectaeque rationi adversetur, illico deprehenditur eundem fuisse illusum et sua omnino dare, non autem divina inspiratione moveri. Qua quidem de causa jure merito gnosticorum antiquiorum recentiorumque anabaptistarum commenta ve-

(1) I. Cor. XII, 3.

lut impia exploduntur. 10. Ceterum ex eo quod nonnulli interiore hac Spiritus S. illustratione abusi sint, ejusmodi velle testimonium utpote fallax ac incertum profligare, perinde esset ac contendere humanam abjiciendam esse rationem, imo et Scripturam ipsam eo quod aliqui utraque pessime abusi fuerint ad incautos decipiendos (1). Ergo.

212. R. Ad 1. *D.* Nobis certo manifestatum per ecclesiae oraculum, *C.* prout cuilibet individuo subjective innotescit *N.* Nos enim non inficiamur, immo contendimus opus esse testimonio Spiritus S. ut Scripturae rite intellectae infallibilem nobis pariant certitudinem; neque in hoc ulla occurrit controversia. Verum in eo tota quaestio versatur utrum hoc testimonium nobis per ecclesiae auctoritatem, cui pollicitationes de divino eoque jugiter praesenti praesidio factae sunt, innotescere debeat, an vero per assertionem cujuslibet e privatis hominibus, quos omnes illusioni ac deceptioni obnoxios esse quis dubitet? Itaque si quidpiam doceatur ab iis quod ecclesiae doctrinae refragetur, certissimo id est argumento eos fuisse deceptos. Nec enim testimonium Spiritus S. sibi repugnare unquam potest.

213. Ad 2. *D.* Quae afficiant totam ecclesiam, *C.* singula ejus membra vel *N.* vel *subd.* quatenus eidem, seu ejus magisterio subjecta sunt, *C.* absque ejusmodi subjectione, negamus ob rationem in superiore responsione allatam. Scriptura enim in eo perpetuo est ut unitatem fidei et charitatis, obedientiam et subjectionem iis qui legitime praesunt inculcet: hinc fieri nequit ut absque ejusmodi unitate et subjectione possint alicui competere illae pollicitationes; quandoquidem utraque unitas penitus scinderetur. Deberent praeterea adversarii ostendere, penes se solos reperiri ejusmodi inspirationes, quas confidenter jactant, non autem etiam apud catholicos, quod ipsi quonam praestituri sint pacto, vehementer expectamus (2). Itaque in adductis testimoniis alloquitur Christus universos apostolos, ac in illis ecclesiam universam docentem.

214. Ad 3. *N.* Collectiva enim sunt Christi verba, et si unum excipias Petrum, nemini in particulari quidpiam Christus promisit. Quod si per quandam veluti extensionem ad quemlibet referri posse dicantur, adeo ut fideles singillatim de iisdem quodammodo participent, id eo semper sensu intelligendum est, quatenus iidem unum sunt cum ipsa ecclesia, ac praeterea juxta mensuram quae unicuique congruit, ut ex ministerio ac magisterio ecclesiae proficiant.

215. Ad 4. *D.* Spiritualis seu perfectus solidusque christianus interiore lumine illustratus judicat, id est, discernit omnia, terrena nempe et divina, ad propriam aliorumque aedificationem, *C.* judicat judicio definitivo et dogmatico *N.* Hoc enim absonum est et ab Apostoli mente imprimis remotum, qui loc. cit. unice contendit, animalem hominem judicium de iis ferre non posse quae supernaturalia sunt atque divina, cum divino ad hoc lumine opus sit; qui vero

(1) Ita apud Frider. Lucas op. cit. pag. 21 seqq.

(2) Ecquis dicet tot sanctos viros qui quavis aetate in ecclesia floruerunt catholica, et scriptis caelesti plane unctione refertis eam aedificarunt, ut auctor *Imitationis Christi*, s. Theresia, s. Franciscus Salesius, Bellarminus in suis libris asceticis, Fenelonius, aliique pene innumeri, quis, inquam, affirmare audebit omnes fuisse Spiritu divino destitutos, ac solos Lutherum, Calvinum, Zwinglium, aliosque pessimos homines, aut Barclaejum, quakeros, methodistas solos divino Spiritu agi? An vel ipse communis sensus ab hoc affirmando non refugit?

divinitus mente sunt collustrati, non divina solum possunt, sed terrena etiam judicare, atque cognoscere. Hi semper profecto fuerunt, sunt atque adeo erunt in vera Christi ecclesia divinis charismatibus praediti (1). Attamen unquam ipsi sibi judicium dogmaticum aut dogmaticam Scripturarum interpretationem arrogare ne cogitarunt quidem, sed judicio e contra et interpretationi ecclesiae toto animo adhaeserunt. Accedit nos latere qui ejusmodi homines vere spirituales sint, aut saltem nobis de iis certitudine fidei non constare. Quid? quod nec semper omnia cognoscunt, et cum Deus iisdem non omnia revelet, in pluribus labi queunt (2).

216. Ad 5. *D.* In iis, quae jam ab apostolis didicerunt, *C.* universim et absolute *N.* Totus hoc loco Apostolus est ut fideles a seductione haereticorum avertat, quos seductores vocat et antichristos, quique sub obtentu accuratius fideles instruendi falsis illos doctrinis illudebant. Ut igitur ab istorum luporum faucibus christianos illos eriperet Joannes, eosdem monebat uti praecaverent se ab illorum doctrina et seductione, cum omnia scitu ad salutem necessaria comperta haberent. « Quomodo, inquit Bellarminus, si catholicus aliquis scriberet catholicis, qui ab haereticis obsiderentur et perturbarentur, non necesse habetis, ut aliquis lutheranus vel calvinista doceat vos doctrinam Christi; omnino enim quae vos scire oportet jam didicistis et tenetis ex praedicatione ecclesiae, adjuvante unctione Spiritus Sancti (3) ». Sane paulo ante objecta verba sic Joannes ait: « Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam » et « vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat, haec scripsi vobis de iis, qui seducunt vos (4) ».

217. Ad 6. *D.* Pollicitus est Deus per Jeremiam gratiam uberiorem ad servandam legem, et pleniorem cognitionem unius Dei, *C.* magisterium internum ad interpretandas Scripturas, externo magisterio, nempe ecclesiae, secluso *N.* Nam de hoc in objecto loco ne verbum quidem occurrit (5).

218. Ad 7. *D.* Ejusmodi Spiritus S. inspiratio movet ad assentiendum fidei nobis ab ecclesia propositae per pium credulitatis affectum, ad quem etiam necessaria est, *C.* ad assentiendum privatae uniuscujusque interpretationi, aut ad fidem sibi propriam excudendam *N.* Duo haec male permiscet adversarius quae vehementer inter se dissita sunt, inspirationem videlicet, quae necessario requiritur ad assensum fidei veritatibus nobis ab ecclesiae magisterio propositis

(1) Cf. Bernard. a Picon *Triplex exposit.* in hunc loc.

(2) Cf. Bellarmin. *De verbo Dei* lib. III, cap. X, n. 15.

(3) Ibid. n. 22.

(4) V. 21-24.

(5) Si quis vellet hunc textum urgere, sequeretur vel ipsam Scripturam abjiciendam esse veluti superfluam ac inutilem, cum Deus ipse nobis ingerat cognitionem sui. Itaque juxta probatiores interpretes post s. Augustinum et Aquinatem objecta verba, exponuntur de abundantiori gratia quam pollicetur Deus se daturum in N. T. ad practicam legis observationem. Cf. Sanctium in Jerem. XXXI. 33. ubi fuse et eleganter, ut solet, totum hunc textum explanat, necnon Estium in comm. in epist. ad Hebr. VIII, 7. 8. 9. et X, 16; Rosenmüller, utpote bonus rationalista, nulla ratione habita ad Apostolum, qui in loc. citt. hanc praedictionem refert ad Novum Testamentum, exponit de ampliori Dei cognitione, ac legis studio dandis judaeis reducibus a captivitate Babylonica. Verum etiam ex hac expositione nihil extunditur quod protestantibus faveat.

praestandum, atque inspirationem illam qua quis sibi peculiare suum fidei systema pro arbitrio efformat ac fingit. Porro Spiritus S. inspiratio, seu testimonium certissimum in se est ac infallibile, imo et necessarium ad eliciendum actum fidei supernaturalem, ut suo loco docuimus (1); cum tamen Deus juxta ordinariam providentiae suae rationem statuerit mediis exterioribus, magisterio nimirum ecclesiae, fidei nobis objecta credenda proponere, magisterium suum internum cum externo magisterio conjungit, ut in salutarem fidei actum erumpamus. Ex utriusque proinde magisterii conjunctione certi nos, imo infallibiles efficimur circa verum fidei objectum, cum nos fallere nequeat Spiritus Sanctus dum nos inclinat ad certe consentiendum; nec fallere nos possit ecclesia in vero fidei objecto nobis proponendo. Dempto autem exteriori ecclesiae magisterio, numquam certi efficimur de vero fidei objecto cum decipi facile possimus, assumendo proprium sensum tamquam Dei inspirationem. Certo autem illudimur ac decipimur, si feramur in objectum aliquod aut doctrinam doctrinae ecclesiae adversantem, cum Deus sibi contrarius esse non possit. Quod si Deus proposuisset unumquemque singulatim interius veram fidem docere, neque nobis dedisset Scripturam, neque instituisset ecclesiam, neque prophetas et apostolos, imo nec Filium suum ad nos edocendos misisset; quae quidem omnia cum facto pugnant, ac proinde evincunt Deum noluisse homines ad fidem adeoque ad salutem per solam interiorem inspirationem perducere (2).

219. Ad 8. Resp. immo valde obstare; nec enim dubium versatur circa inspirationem *in se* seu *objective* spectatam, sed prout excipitur in *subjecto*. Nam si certi semper essemus de vera inspiratione divina, jam nulla superesset controversia; verum in eo difficultas est, quod de illa inspiratione plane simus incerti.

220. Ad 9. In sensu adversariorum *N*. Nec prosunt criteria, quae ipsi proponunt, ad secernendam inspirationem veram a falsa. Etenim non prodest Scriptura, cum ex inspiratione, posito adversariorum principio, deberemus in primis libros divinos a non divinis secernere; deinde germanam illius intelligentiam pariter ab inspiratione deberemus assequi. Quapropter qui pro certo haberet se a divina agi inspiratione, et tamen aliquid animo imbibisset quod Scripturae adversaretur, is profecto aut suo Scripturam ex ea saltem parte respueret, aut talem ei affingeret interpretationem, quae cum suo praeconcepto errore conciliaretur, id quod haereticis omnibus semper solemne fuit (3). Nec

(1) In tract. *De gratia* p. I, cap. I, prop. I, et II.

(2) Tantam porro vim habuit hoc argumentum in animum egregii Friderici Lucas quem nuper laudavi, ut profiteatur se eo maxime permotum esse ut societatem *amicorum*, nempe quakerorum, desereret, atque ad ecclesiae catholicae veritatem confugeret. Cf. cit. ejus opusc. pag. 31 seqq.

(3) Sane Lutherus ex praeconcepta sententia de inutilitate bonorum operum ad justificationem, ac de sola fide justificante, non solum rejecit uti *stramineam* epistolam s. Jacobi, quae e diametro adversatur huic haeresi, sed praeterea in sua editione Bibliorum adjecit verbis Apostoli Rom. III, 28. vocem *solam*: cum vero hac de re monitus esset, respondit: *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*. Cf. Becan. *Manuale controv.* lib. I, cap. XV, quaest. IV, n. 3. Ita se se gesserunt antiquiores haeretici, quos propterea patres, et in his s. Irenaeus, et Ter-

quidquam melius praestabit recta ratio; quis enim unquam persuadebit haeretico errores ejus rectae rationi adversari? Immo pugnabit ipse contendetque opiniones ac placita sua eidem plane congruere, prouti contendebant et antiquiores gnostici, et recentiores anabaptistae ac schwendemborgiani. Si propterea semel admitteretur adversariorum principium, nulla amplius suppeteret via qua ipsi possent ab erroribus revocari (1).

221. Ad 10. *Neg. Conseq.* Ex proposita enim difficultate hoc tantum legitime inferri potest, explodendum nimirum esse adversariorum systema, quod reipsa fallax et incertum est. Siquidem non testimonium aut inspiratio Spiritus Sancti *in se* et *objective* fallax est et incerta, sed uti superius diximus, prout *in subjecto* recipitur, quod falli quidem ac decipi potest. Sic certe nec Scriptura nec recta ratio ob earum abusum rejici debent, sed corrigendus abusus promanans ex homine qui legitimam auctoritatem et magisterium ecclesiae repudiando, tum *depravat Scripturas ad suam perditionem*, tum ratione ipsa ad falsa sua systemata confingenda pessime abutitur.

ARTICULUS II.

De exegetica seu scientifica Scripturarum divinarum interpretatione

222. Quamvis exegetica seu scientifica Scripturarum sacrarum expositio proprie ad theologum non pertineat cum hanc provinciam sibi vindicent sacrarum litterarum professores, quorum est etiam ex instituto agere de critica biblica, uti monuimus, ac de hermeneutica, de archaeologia sacra, aliisque ejusmodi argumentis, cum nihilominus protestantes in ecclesiam catholicam conflent invidiam ex principio auctoritatis in interpretatione dogmatica Scripturarum, cogimur vindicias ecclesiae etiam ex hac parte suscipere. Protestantes namque solent ecclesiam catholicam incusare, quod sacrorum Bibliorum studia retardet, ac scientiam sacram arctis nimis veluti vinculis constringat, dum suam sequi interpretationem, aut saltem non recedere interpretes jubet ab unanimi sanctorum patrum expositione. Protestantes praeterea recentiores eas regulas ac principia in critica, hermeneutica, atque exegesi biblica statuunt et consectantur, quae Scripturam ipsam labefactant, ac omnem ei pene religiosum *valorem* adimunt. Verum enim vero quod magis sincero cuilibet catholico dolendum, illud est, nec defuisse neotericos, qui presse nimis protestantium vestigia prementes viam in scientia biblica inierint, quae vix aut nullatenus cum germana catholica doctrina consistere valeat.

223. Quoniam tamen, ut praemisimus, neque nostri instituti est haec data opera persequi, neque omnino praetermittenda esse putamus, ne auditores nostri praesentem hujus scientiae statum penitus ignorent, mediam sectabimur viam, nullam instituendo peculiarem propositionem, paucis refellere contenti calumniam a protestantibus ecclesiae impactam, ac simul ostendere quid

tullianus vocant *Scripturarum corruptores*: ita recentiores, ut Beza, aliique passim, ut paulo post ostendemus. Interim cf. Barth. Germonium S. J. *De veteribus haereticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus*. Paris 1713. lib. I, et II.

(1) Cf. quae adversus nuperos *pietistas* qui cum quakeris hac in parte conveniunt, scribit Arigler in sua *Hermeneutica biblica generali*. Viennae 1813. in *parte Isagogica* § 17. *De lumine interno*.

Tridentinae synodi decretum demum importet dum vetat ne quis sacras Scripturas interpretari audeat contra eum sensum quem tenuit ac tenet ecclesia, vel contra unanimem patrum consensionem (1). Exinde eruemus essentialia discrimina, quae necessario interponi debent inter criticam, hermeneuticam et exegeticam biblicam catholicam, et protestantem. Demum nonnullas complectemur regulas quibus sese regat catholicus theologus necesse est, si quidem a sincera catholica norma in expositione et interpretatione sac. Scripturae cum suo caeterorumque damno nolit desciscere.

224. I. Ac primo quidem quam injusta sit accusatio in ecclesiam catholicam per protestantes intorta, perinde ac si illa dum tale sanxit decretum, studiorum biblicorum incrementis detrimentum inferret, patet ex eo, quod ipsa non rectum usum, sed abusum dumtaxat interpretationis decreto illo coërcere sapienter intendat. En ipsa decreti verba: « Ad coërcenda petulantia ingenia decernit (synodus), ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei, et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam, ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat (2) ». Ex his porro verbis intelligimus Tridentinum non aliud sibi proposuisse, quam limites certos figere ultra quos progredi catholico interpreti fas non sit. Hi limites praestituuntur a sensu ecclesiae unanimique patrum consensu in iis, quae pertinent ad *fidem et mores*, atque *ad aedificationem christianae doctrinae*. Quo quidem nihil aequius excogitari potest; cum enim Scriptura in *gratiam* religionis data nobis a Deo sit, et in christianae seu catholicae fidei praesidium, aequum erat ut interpretes certis ut ita dicam cancellis continerentur, imo et apte regerentur in Scripturis exponendis ne proprio sensui plusquam par est indulgerent in catholicae ipsius fidei detrimentum. Quemadmodum enim si flumina intra alveum suum contineantur valde prosunt, ac publicis privatisque commodis opportune inserviunt; contra vero si extra alveum erumpant alluviones undequaque important et vastitatem; ita plane si interpretes sacri verum Scripturae spiritum consectentur, qui ex sensu ecclesiae sanctorumque patrum exurgit, fidei ac religionis causam promovebunt; si secus fecerint, maximo eidem erunt nocumento.

225. Ceterum praeter ea quae ad fidem moresque pertinent, plura sunt in quibus possunt catholici expositores ingenium suum naviter exercere. Critica enim, philologia, quae supponit aut requirit antiquarum notitiam linguarum, chronologia, geographia, historia, archaeologia aliaque pene innumera latissimum catholico exegetae campum aperiunt in quo semper proficere possit. Quid vero dicendum de inquisitionibus in multiplicem Scripturae sensum, in iis quae conferunt ad penitiorem sibi doctrinae dogmaticae ac moralis cognitionem comparandam atque ad amplio-

(1) Quod *negative* heic conc. Tridentinum statuit, ne scilicet quis interpretetur sacram Scripturam contra unanimem patrum consensum, in professione fidei edita a Pio IV. *positive* exprimitur, cum in ea quilibet profiteatur numquam se interpretaturum eandem Scripturam nisi juxta unanimem ss. patrum consensum, in his videlicet quae ad fidem et mores pertinent.

(2) Loc. cit.

rem illorum locorum illustrationem quibus christiana doctrina fulcitur, prout ecclesiae patres et interpretes catholici quovis tempore praestiterunt pro ingenti quo erga catholicam fidem amore tenebantur, licet plenam in ecclesiam subjectionem animo atque ore profiterentur?

226. Sane experientia constat nulla obesse ratione Tridentinum decretum catholicis interpretibus biblicae exegeseos incremento. Quot enim ab illa inde aetate in ecclesia catholica interpretes atque exegetae doctissimi floruere, vix ut numerari possint (1)? Qui tamen omnes et mirifice Scripturam quaqua versus illustrarunt, et optime simul de re catholica meriti sunt. Quibuscum si conferas exegetas protestantes, habes unde mireris ingens inter utrosque discrimen. Nam isti ut plurimum aridi sunt, sicci, inconstantes, verba, ac phrases grammaticales vix non unice consectantes, quos propterea verius philologos quam interpretes ac expositores vocaveris. Illud vero quam frequens in ipsis, ut dum auctores nostros gravi supercilio notant, et contemptui habere se ostendunt, complura ex iis exscribant, caute tamen, ac suppresso nomine ne se catholicorum copiis ditatos prodant (2). Catholici vero Scripturarum expositores magna ex parte uberrimi veluti fontes exundant, ita ut non mentem solum, sed et legentis animum suavissime pascant, pietatemque nutriant augeantque (3). Injusta proinde ac falsa est acatholicorum incusatio quod ecclesia quoquomodo sacrarum litterarum studia retardet ac elanguescere sinat, quum potius summopere commendet, ac provehat. Huc certe spectat quod ab eadem Tridentina synodo statutum est: « Ne caelestis ille

(1) Horum census videri potest apud Calmet, qui in sua *Bibliotheca sacra*, quam praemisit volumini primo *Dictionarii historici etc. Sacrae Scripturae*, omnes recenset interpretes catholicos et protestantes qui sive in universam Scripturam, sive in singulos utriusque Testamenti libros aut speciales eorum partes commentaria usque ad aetatem ejus ediderant. Ex hoc catalogo cui non minima fieri posset additio, colligimus nec numero, nec praestantia catholicos interpretes protestantibus inferiores esse, imo utroque longe istos superare, etiamsi ab aetate concilii Tridentini eos recenseamus. Nathanael Sotuellus in *Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu*, quam perduxit usque ad an. 1675. supra tercentum commemorat sac. Scripturae expositores e sola Societate. Nicolaus Antonius in *Bibliotheca hispanica nova* supra quingentos Hispanicos recenset. Jam vero quot addi possent elencho Sotuelli, et Nicolai Antonii! Quis recenseat tum aliorum religiosorum ordinum, tum aliarum gentium interpretes? Cf. Andres S. J. *Dell' origine, progressi e stato attuale di ogni letteratura*. Roma 1817. tom. VII. *Scienze ecclesiastiche*, *della scienza biblica* cap. III, pag. 510 seqq.

(2) Nos identidem hujuscemodi protestantium agendi rationis exempla dedimus, sed cf. J. B. Glaire *Introduction historique et critique aux livres de l' Ancien et du Nouveau Testament.* Paris 1839. II. *append.* au chap. VI. II. *part.* § V. pag. 517. seq.

(3) Satis est specimen sumere ex commentariis super prophetas Gasparis Sanctii, ex comment. V. Bellarmini in psalmos et P. Berthier pariter in psalmos, Bernardini a Piconio in epistolam s. Pauli, aliorumque passim, qui pietatem ubique et unctionem plane caelestem spirant. Si quis hos conferat cum expositionibus Semleri, utriusque Ronsenmülleri, Kuinoelii etc. deprehendet tantum illos inter et istos discrimen intercedere quantum intercedit medullam inter et ossa, spiritum et corpus, caelum et terram. Ecquid aliud expectes ab iis qui nonnisi terrena sapiunt? Cf. Glaire op. et loc. cit. pag. 507 seqq.

sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit et decrevit » ut constituerentur ubique locorum, qui idonei essent « ad Sacrae Scripturae expositionem et interpretationem » populo faciendam, et cathedrae de Scriptura sacra in gymnasiis erigerentur (1).

227. II. Quod vero ad essentialia discrimina spectat, quae necessario intercedere debent catholicos inter et protestantes circa criticam, hermeneuticam et exegesim biblicam, ea quidem sua veluti sponte profluunt ex contrariis principiis quibus utrorumque institutio innititur. Etenim catholici ex principio auctoritatis quae catholicae professionis fundamentum constituit, integrum ab ecclesia sac. librorum canonem accipiunt, ab eademque dogmaticam interpretationem, versionem, ac normam denique exegeticae expositionis mutuantur. Quare non admodum solliciti sunt de critica et hermeneutica biblica; quibus nempe tantum impendunt studii quantum opus est ad rationem de ecclesiae doctrina circa ejusmodi articulos reddendam, ad eamque tuendam vindicandamque ab impugnationibus adversariorum. Ipsi, ut verbo dicam, jam habent aedificium absolutum sane ac perfectum, in cujus possessione firme ac secure consistant, nec nisi titulos propterea legitimae hujus possessionis defendunt.

228. Contra vero protestantes ex opposito principio liberi examinis debent in primis aedificium ipsum e solo, ut ita dicam, erigere, imo materiam ipsam quae tantae huic moli aedificandae necessaria est, quoad singulas suas partes conquirere et congerere; prius nempe inquirant oportet utrum existat Scriptura sacra, quibusnam libris constet, utrum omnes libri in singulis suis partibus integri et absque ulla interpolatione ad nos usque pervenerint, quinam insuper canonici ac divini sint censendi. Age vero, debent deinde verum ac nativum sensum determinare, ac fidei demum articulos sibi exinde componere. Haec autem omnia ex genuino protestantismi systemate quilibet ex sese praestare et efficere tenetur, idque sane tali certitudine, quae fidem theologicam *subjective* gignere valeat, omnemque propterea errandi formidinem tollat. Diximus *quilibet ex sese efficere haec omnia tenetur*, quippe essentiale principium protestantismi de libertate examinis quae plena ac generalis esse debet, id postulat omnino; secus enim si rudes ex aliorum sive plurium sive pauciorum auctoritate omnia et singula quae recensuimus amplecti deberent, jam in ipsum catholicae ecclesiae principium quod est principium auctoritatis relaberentur, et principio quod profitentur liberi examinis apertissime adversarentur. Quo fit, ut necessario fateri debeant protestantes religionem christianam plerisque ex humano genere imperviam existere, aut admittere saltem quoad istos plerosque principium ecclesiae catholicae, eam sibi ipsis arrogando auctoritatem quam ecclesiae universae denegare non verentur (2).

229. Porro primi protestantes, quin id adverterint, ab ecclesia catholica sacros acceperunt libros quos uti canonicos et divinos adhuc retinuerunt (3), simul cum magna dogmatum parte, e. g. Trinitatis, Incarnationis, divinitatis Christi, peccati originalis aliorumque ejusmodi

(1) Sess. v. in decreto de Reform. cap. i.

(2) Cf. Milner op. cit. tom. i. *lettre* v. pag. 36. et *lettre* viii. pag. 64 seqq.

(3) Id fatetur vel ipse Beausobre, *Hist. du Manichéisme* tom. i, p. 141. Cf. Grégoire *Hist. des sectes* tom. iv, pag. 434.

quae cum eadem ecclesia professi sunt. Idque sane, ut patet, peregerunt manifeste refragantes principio quod veluti fundamentum omnium extulerant, et sine quo numquam protestantismus pullulasset. Nihilo tamen minus ne ab ecclesia catholica in recensitis articulis pendere viderentur coeperunt fundamenta critica expendere quibus innixi rationem redderent de discretione ab se facta inter libros canonicos et non canonicos, et quoad singulas uniuscujusque libri partes; quod quidem opus ad haec ferme tempora strenue sunt prosecuti. Postea novae hermeneuticae et exegeseos biblicae (1), quas adhuc impense promovent, jecerunt fundamenta. Demum *Epicrisin* adjecerunt seu *discretionem* ac veluti delectum quemdam credendorum, sive articulorum fidei qui admittendi essent aut respuendi: nec vero diffitendum, ingens protestantes in hasce inquisitiones studium contulisse, magnosque in iis exantlasse labores.

230. Ast non solum exiguo admodum successu « semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes (2) », sed ordine plane retrogrado ipsos processisse recentiorum protestantium experimentum abunde nos docet. Etenim tametsi primi pseudoreformatores vixdum e catholica religione emersi, nonnisi ancipiti timidoque animo nativum protestantismi principium evolverent, ac etiam a conspectu abyssi quam sibi foderant (3) perterrefierent, postea tamen illorum successores audaciores effecti destructionis opus paulatim persequi institerunt, ita ut christiani totius aedificii lapidem super lapidem vix demum reliquerint.

231. Nam sua illa critica biblica eo ipsos sensim pertraxit ut Pentateuchum Moysi abjudicarent, plerosque historicos V. T. libros rejicerent, supposititia demum illustriora vaticinia decernerent (4). Eadem critices effrenata licentia in libros N. T. caussa fuit ut et quatuor Evangeliorum authenticitatem abolerent (5), ac plerasque epistolas s. Pauli, ut de reliquis libris taceamus, exploderent (6).

232. Nec diversas subiit vices doctrina de sacrorum inspiratione librorum, quam, ut vidimus, prius ipsi ita extenuarunt, ut ad solam immunitatem ab erroribus constrinxerint; deinde ad immunitatem ab erroribus gravioribus; demum et hanc ipsam abjicientes, tum erroribus haud levibus scatere libros sacros effutierint, tum omnem supernaturalis praesidii in iis conscribendis ideam penitus exterminarint (7).

233. Eundem progressum cernere est

(1) *Hermeneutica* perinde valet ac *ars* seu *facultas interpretandi*; est ab ἑρμηνεύω *interpretor*, *explico* etc.; latiori tamen sensu interdum hermeneutica accipitur pro ἑρμηνεία seu pro enarratione, doctrina etc. *Exegesis* vero *explicatio*, *enarratio* ab ἐξηγέομαι, *narro*, *expono*, *explico*, *interpretor*. Duo haec vocabula proinde interdum promiscue usurpantur ob significationis affinitatem: attamen proprie hermeneutica ad interpretationem ac versionem vocabulorum refertur; exegesis vero ad expositionem sententiarum.

(2) II. Timoth. III, 7.

(3) Cf. Bossuet *Hist. des variations* liv. V. § XXXI.

(4) Cf. quae superius diximus, necnon quoad vaticinium Danielis IX. quae scripsimus in tract. *de Incarnatione* p. I, cap. II, prop. III, § 2.

(5) Huc referuntur quae de Urevangelio, seu Evangelio Aramaeo, ac de auctore Evangelii Joannis paulo ante disseruimus.

(6) Cf. Bar. de Starck *Entretiens philosoph.* p. 133 seqq.

(7) Cf. superius dicta, tum Glaire op. cit. tom. I. pag. 535 seq.

apud protestantes, quoad hermeneuticam et exegesim sacram; nam ab initio pluris adhuc faciebant traditionis sensum; non dedignabantur patrum scripta consulere, ac primitivae ecclesiae doctrinam recolere. At enim non hic diu res stetit; sed cuncta illa adminicula deinceps spernentes sibi solos duces esse maluerunt. Exinde canones illi biblicae hermeneuticae quibus omnia ad interiora revocant argumenta, ad usum loquendi, quem praecipuum et exclusivum vocant rite Scripturas interpretandi medium, quem tamen usum non ex patribus qui proxime apostolicae floruerunt aetati, sed ex auctoribus profanis arcessere imprimis amant. Hinc perpetua illa comparatio inter dictiones et phrases scriptorum sacrorum, auctorumque profanorum, quo nil magis in istorum emicat scriptis (1). Ad parallelismum provocant continenter locorum, ad parallelismum poëticum, quamvis nondum satis firmas constituerint regulas ad ejusmodi parallelismos detegendos, utrum scilicet in verbis, an in sententiis, aut in utrisque simul sit reponendus: item ad principium quod *accommodationis* appellant quoad applicationem veterum vaticiniorum ad Christum (2), non ex parte dumtaxat apostolorum et evangelistarum, sed et Christi ipsius (3). Ad praeconceptas demum opiniones judaicas et pharisaicas Pauli, ac reliquorum apostolorum se convertunt (4). Quid proinde mirum si his aliisque ejusmodi canonibus unice recentiores exegetae protestantes instructi, iisque plane confisi eo commentariis suis devenerint, ut omnino esset exoptandum easdem ab iis regulas in sacris exponendis litteris servari, quas in profanis illustrandis scriptoribus consectantur? Numquam sane in commentandis Livio ac Tacito eam sibi libertatem permitterent, qua in exponendis evangeliis, aliisque scriptis sacris impune debacchantur. Quoties enim aliquid in iis offendunt quod cum opinionibus suis non congruat, lacerant, detorquent per violentas interpretationes, ita ut vel Straussius ipse illos irrideat (5).

(1) Perpetua fere est comparatio quae in protestantibus interpretibus cernitur inter phrases scriptorum profanorum et scriptorum sacrorum, adeo ut vix paginam percurras quin tibi ejusmodi comparationes magno numero occurrant, quasi nempe apostoli et evangelistae a Platone, Homero, Aeschine, Demosthene phrases suas mutuati fuerint, ita ut ad illas suae ipsorum exigi debeant. Nec vero reprehendimus absolute ejusmodi verborum aut phrasium parallelismos, sed illorum abusum, cum praesertim horum obtentu ecclesiae interpretationem excludere contendant novi isti interpretes et exegetae.

(2) Cf. Starck *Entretiens philosoph.* pag. 155 seqq.

(3) Uti Wegscheider passim, praesertim § 121 et 199.

(4) Apud Starck op. cit. p. 133 seq.

(5) *Vie de Jesus*, tom. I. *Introduct.* § VIII, IX, X. Speciminis gratia nonnulla describam ex § X. « Mais ce qu'il y a de plus criant en fait de contradiction, c'est ce qu'on lit dans une mythologie du Nouveau Testament, comme celle de Bauer: l'idée du Mythe est si peu comprise que, par exemple, il admet réellement chez les parents de Jean-Baptiste un mariage demeuré stérile: qu'il explique l'apparition de l'Ange à la naissance de Jésus par un météore enflammé; qu'il suppose, à son baptême, un éclair et un coup de tonnerre, en même temps que le vol fortuit d'une colombe au-dessus de sa tête; qu'il donne un orage comme fondement de la transfiguration, et que, des anges sur le tombeau de Jésus resuscité, il fait des linceuils blancs. Kaiser, lui qui se plaint que tant d'explications naturelles soient si peu naturelles, assure cependant que ce serait ne voir qu'un côté des choses que de vouloir interpréter tout le

234. Pronum hinc est inferre cujusnam modi fides protestantium esse queat, qui Scripturam unicam illius regulam esse clamitant. Primi protestantes qui tropice intellexerunt verba consecrationis ne cogerentur admittere realem Christi praesentiam in eucharistia obtendentes ejusmodi dogma pugnare cum recta ratione, viam aperuerunt socinianis ad tropice intelligenda illa omnia loca in quibus traduntur mysteria Trinitatis, Incarnationis, satisfactionis Christi et quaelibet alia mysteria idque ex eodem protestantium principio. His successerunt rationalistae, qui eidem principio innixi abjecerunt omnem actionem Dei immediatam, ac propterea revelationem, inspirationem, miracula, vaticinia, et quidquid demum supernaturale redolet. Donec hos exceperunt mythici, qui primum in V. T., deinde in Novo non deprehenderunt nisi mythos historicos, aut poëticos, aut morales, aut mixtos in plerisque sacris narrationibus. Sic historia creationis hujus universi est mythus primus, paradisus terrestris mythus secundus, casus angelorum et protoparentum mythus tertius, et ita porro historia diluvii, turris babelicae et confusionis linguarum, historia Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, Samsonis etc. (1). In Novo autem Foedere praeter mythum conceptionis et ortus Joannis Baptistae, historia Annunciationis exhibet mythum primum, ortus et infantia Christi mythum secundum, et ita de reliquis historiae evangelicae et apostolicae partibus (2). Tandem deismum professi non pauci ex protestantibus, larva sibi detracta, docuerunt philosophi munus esse totam ex proprio fundo religionem sibi effingere, ac Scripturam et religionem positivam, seu christianismum historicum non-philosophis relinqui debere (3). Talis et non alius erat exitus expectandus ab illis criticis et exegetis, qui profiteri non erubuerunt grammaticam esse fundamentum unicum suae ipsorum theologiae, fulcrumque firmissimum, imo ecclesiae lutheranae seu protestanticae sectae *Palladium* (4).

235. III. Itaque catholicos, qui neque in critica, neque in hermeneutica aut in grammatica fundamentum ac basim fidei suae collocant, sed fidem et omnia, quae sive ad eam referuntur sive illam supponunt, ab ecclesia tutissime accipiunt ac tenent, contrariam plane viam inire oportere in studiis biblicis persequendis apertum est. Rata illi, ut hominis catholici est, firma ac immobilia profitentur quae circa fidem et mores in aedificationem Christianae doctrinae ab ecclesia semel constituta ac san-

merveilleux du Nouveau Testament d' une seule et unique manière : et à l'aide de cette remarque il laisse subsister l' explication naturelle à côté de l'explication mythique. Pour peu que l' on connaisse, dit-il, que le vieil auteur a voulu raconter un miracle, l'explication naturelle devient souvent alors admissible : elle est tantôt physique, comme dans le lépreux dont Jésus *prévit sans aucun doute* le prochain rétablissement : tantôt psychologique, la renommée de Jésus et la confiance en lui ayant eu, chez plusieurs malades, la plus grande part à la guérison etc. » pag. 55 seqq. Sed velum adducamus super ejusmodi impietates.

(1) Cf. Glaire op. cit. tom. I, pag. 528.

(2) Ibid. Circa Scripturarum abusum ex parte Lutheri, eorumque asseclarum, qui primi reformatores fuerunt cf. *Histoire de la vie de Luther* par M. Audin ed. cit. tom. I, chap. XXII. pag. praesertim 380 seq.

(3) Quod hic vix innuimus plenius evolvemus in tertia hujus tractatus parte.

(4) Ita Georg. Bened. Winer in *Grammat. idiomatis N. T.* Lips. 1825. tom. I. in dedicat. et in praef. pag. XI.

cita sunt; ideoque circa Scripturarum canonem et inspirationem sacrorum Bibliorum, eorumque dogmaticam interpretationem, eo dumtaxat ferri debent illorum conatus, eo dirigi studia ut catholicam doctrinam illustrent, amplient ac tueantur.

256. Criticae proinde biblicae, quae theologum catholicum decet, id muneris esse debet, investigare et expendere instrumenta, quae vocant, quibus ecclesia innixa canonem suum probavit, nobisque proposuit; nec non lectiones quas admisit, librorumque partes quas retinuit aut rejecit; inquirere in historiam sacri textus tum quoad fontes, ut ajunt, originales, tum quoad antiquas versiones; lectiones praeterea comparare et variantes quae sive in codicibus sive in veteribus monumentis et patrum scriptis occurrunt; recensiones item et emendationes codicum quae identidem a viris doctis factae sunt. Et haec quidem omnia in eum finem dirigere debet, ut semper inde ecclesiae judicium confirmetur adversum intemperantes criticos illos, qui vix aliquid intactum reliquerunt.

257. Nec alio spectabit hermeneutica et exegesis catholicorum Scripturae cultorum; quorum scopus praecipuus esse debet dogmaticas praesertim ecclesiae interpretationes defendere ac tueri adversus profanas haereticorum et incredulorum novitates et aggressiones. Certum enim ratumque cum omnibus catholicis sit, ecclesiam errare in definitionibus suis non posse; quamvis subinde interpretes difficultates experiantur, quae molestiam creent, hae tamen eorum frangere animum nullatenus debent, cum veritas veritati nequeat esse contraria, atque oppugnari quidem possit, expugnari non possit. Acuere potius difficultates debent ingenium, studium promovere, diligentiam exstimulare in latebris omnibus perquirendis, ac momentis sive intrinsecis, sive extrinsecis quibus illae solvantur consectandis. Nec vero de felici horum laborum exitu ambigere quisquam potest. Experientia quippe tot seculorum ostendit ecclesiam numquam in decisionibus suis a veritate vel minimum deflexisse; nec raro protestantes ipsi fateri demum coacti sunt se deceptos fuisse etiam in iis quae uti inconcussa ab initio posuerant ad catholicae ecclesiae doctrinam oppugnandam (1). Plurimum porro conferent catholico interpreti ad verum Scripturae sensum statuendum non loquendi solum usus, aut parallelismus, sed potissimum ac praecipue sensus traditionalis, sanctorum patrum scripta, usus et praxis ecclesiae, quae, ex catholico principio auctoritatis, primum Scripturis rite interpretandis locum obtineant, opus est. Numquam patiantur catholici interpretes abripi se ab apparentibus et speciosis novatorum theoriis, quae temporis lapsu vanae ut plurimum ac fallaces deprehenduntur. Ad summum si quid illa boni continent, adminiculo esse possunt: ast fundamentum conficere hermeneuticae catholicae numquam debent.

258. Demum in exegesi sua catholici

(1) Pluribus exemplis id ostendi posset, nisi ageretur de re omnibus explorata. Ecquis enim nunc inter protestantes *orthodoxos*, quos vocant, docet bonis operibus injuriam irrogari meritis Christi? Omnia infidelium ac peccatorum opera totidem esse peccata? Justum peccare in omnibus operibus suis ita ut mereatur aeternam damnationem? Fures, fornicarios, homicidas, adulteros sola externa imputatione meritorum Christi aeque sanctos esse ac Beatam Virginem? Deum impellere ad peccatum, aliaque ejusmodi sexcenta quae cum Luthero et Calvino antiquiores protestantes profitebantur veluti firmissimas veritates?

Scripturae cultores animum intendant oportet ad analogiam fidei, itemque ad finem in quem nobis a Deo Scripturae datae sunt. Deus porro largitus nobis non est Scripturas aut ad otiosam quamdam animi curiositatem pascendam, aut ad inutiles fovendas disquisitiones, sed ad mentem iis quae credere oportet uberius informandam, animumque excitandum in amorem sui; ad opera praestanda, quibus sancti efficiamur eique grati; ad fovendam denique pietatem, ac omnimodam perfectionem consectandam. Quod quidem praeclare significavit apostolus II. Timoth. III, 16. dicens: « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus »; quibus verbis quatuor praecipua doctoris christiani officia complexus est, ad quae utilis est Scriptura. Haec nempe sunt primum *docere* veritatem fidei; secundum *refellere* errores fidei adversantes; tertium admonitionibus et correptionibus *depravatos mores redintegrare*; quartum *instituere ad justitiam*, ad vitae videlicet sanctimoniam (1). In commentariis proinde suis haec potissimum prae oculis habebit catholicus exegeta, ad quae facilius ac praeclarius obtinenda praesto ipsi erunt veluti opportuna subsidia tum antiquiorum linguarum notitia quibus libri utriusque foederis exarati sunt, cum valde hae conferant ad verum Scripturarum sensum assequendum (2); tum assidua sanctorum patrum lectio, nec non potiorum interpretum et expositorum crebra evolutio; morum et consuetudinum hebraici populi non secus ac aliarum antiquarum gentium cognitio; notitia chronologiae et geographiae sacrae; libri etiam thalmudici et rabbinici, qui pluribus Scripturarum textibus lucem afferre possunt, praesertim in allusionibus ad effata, ritus, consuetudinesque judaici populi; demum multiplex sacrae Scripturae sensus.

259. IV. Et ad hos quidem varios Scripturae sensus speciatim quod attinet, non me fugit, nonnullos ex recentioribus etiam catholicis se jam difficiles praebere in illis admittendis (3). Verum in hoc quoque, quemadmodum et in aliis omnibus discretione opus est, adeo

(1) Cf. Bernard. a Piconio in hunc loc.

(2) Cf. Corn. a Lapide in *Prooemio et encomio s. Scripturae* sect. 1. Cf. etiam Serarium in *Proleg. Biblic.* cap. XXI.

(3) Jahn in *Enchiridio hermeneuticae generalis tabularum Veteris et Novi Testamenti*. Vien. 1812. § 14. 15. et 16. quamquam admittat duplicem sensum *immediatum* seu litteralem et historicum, ac sensum *mediatum* seu symbolicum; coarctat tamen nimis istius usum, ac sensum mysticum quem patres consectati sunt, videtur plane excludere; imo quaedam habet quae parum abludunt a protestantium placitis. At ulterius etiam progressus est Arigler in *Hermeneutica Biblica generali*. Vien. 1813. qui non solum sensum mysticum omnino videtur rejicere, sed § 10. et seqq. argumenta evertere nititur quibus ille adstrui solet; insuper hac illac nonnulla interjicit quae cum sana doctrina haud consistere possunt. Satis hic sit speciminis gratia exscribere, quae habet § 12. « Addiscant *rationi supremas partes deferre*, qui effata ejus (Scripturae) numquam a se ipsis, sed ab aliena semper, et sublimiori quidem auctoritate suspendi vellent ». Haec porro dure nimis dicta videntur; taceo quae de sensu scribit Tridentini decreti circa sacr. Scripturarum interpretationem, quae de accommodatione V. T. Scripturarum ab evangelistis et apostolis Christo facta habet: talia quippe sunt ut a sincero catholico admitti nequeant. In omnibus est modus servandus, alioquin scopulis foede impingere opus est.

ut usum debeamus ab abusu secernere. Qui enim absque delectu ac sufficienti fundamento, aut ex arbitrio etiam hos sibi confingunt, adeo ut tribuant Scripturae sensum, qui proprius tantum eorum est, sunt procul dubio succensendi. Qui vero solidis rationibus innituntur, dummodo certo utantur temperamento, commendandi sunt dum varios Scripturae sensus detegunt et exponunt. Christus enim ipse et apostoli non uno in loco hujusmodi interpretandi rationis viam nobis aperuerunt. Cum typica siquidem fuerit antiqua lex: non solum apertis praedictionibus et vaticiniis Christum ejusque ecclesiam praenunciavit, verum etiam variis ritibus gestisque praefiguravit (1).

240. Distinguitur autem sensus in litteralem, qui etiam tropicus et metaphoricus est, et in mysticum seu spiritualem, qui rursum dividi consuevit in allegoricum, tropologicum, et anagogicum, qui tritis illis versibus comprehendi solent:

Littera gesta docet: quid credas allegoria:
Moralis quid agas: quo tendas anagogia (2).

241. Nostrum non est haec particulatim persequi; hoc tantum monemus,

(1) Hoc vel ipse Jahnius loc. cit. fatetur. Cf. etiam Glaire op. et loc. cit. p. 339 seqq.

(2) Nonnullis partitio haec sensuum biblicorum adductis versiculis expressa non uno ex capite peccare videtur; ac 1. quod unum sensuum biblicorum genus cum alterius generis speciebus simul numeretur; cum nulla ratio sit cur nomina *tropologicum* et *anagogicum* diversis speciebus sensus spiritualis significandis unice usurpentur. Scripturae siquidem etiam secundum sensum litteralem intellectae nobis ea exhibent quamsaepissime, quae ad *mores* spectant, atque ad *aeternam beatitatem*; 2. quod praeter vitia toti propositioni communia recensiti versiculi alia habeant sibi particularia. Male quippe *littera* definitur quae *gesta docet*, veluti si historiae dumtaxat, non autem et *leges* quoque et *morum praecepta*, atque ipsae admodum *prophetiae* litteralem sensum haberent. Neque *allegoria* ea solum est quae docet *quid credas*; allegoria enim *biblica*, quae permisceri non debet cum allegoria *rhetorica*, est series, ut ita loquar, *metaphorarum* biblicarum, eventuum scilicet ac rerum, quae aliud significabant, praeter id quod erant, ut ex verbis Pauli mox edicendis patebit. Porro, quamvis detur gesta haec fidei materiam objectumque esse, plura tamen horum gestorum ad spem excitandam quoque valere, et ad mores informandos ambigi nequit.

Ceterum quadruplicem hanc biblici sensus partitionem putarunt aliqui primo ab Augustino fuisse excogitatam, qui in lib. 1. *de Gen. ad litter.* cap. 1. scribit: « In libris omnibus sacris intueri oportet, quae ibi *aeterna* intimentur, quae *facta* narrentur, quae *futura* praenuntientur, quae *agenda* praecipiantur ». Ast s. Doctor his verbis nequaquam diversos Scripturarum sensus commemorat, sed totam illarum materiam dispertit. Eucherius tamen Lugdunensis, qui paulo post Augustinum, eodemque seculo V. floruit, non modo partitionem illam habet, sed ipsa nomina usurpat secundum eam notionem, quae etiam modo nominibus hisce inest in Praef. in lib. *Formular. spiritualis intelligentiae*, ubi haec habet: « Corpus Scripturae sacrae, sicut traditur, in *litera* sive *historia* est: anima in morali sensu, qui *tropicus* dicitur: spiritus in superiore intellectu, qui *anagoge* appellatur ». Bibl. PP. Col. Agripp. tomi V, p. 1, p. 741. Non meminit Eucherius, ut patet ex adductis verbis sensus allegorici, at hunc commemorat s. Paulus Gal. IV, 23. ita scribens de historiis Isaaci et Ismaelis: « Quae sunt per *allegoriam* dicta; haec enim sunt duo testamenta ».

sensum litteralem illum esse qui immediate oritur ex verbis ipsis Scripturae in nativa sua significatione acceptis, seu quem verba immediate exprimunt; sensum vero spiritualem esse mediatum, qui nempe ex rebus significatis eruitur (1). Omittentes porro quaestionem utrum unus idemque Scripturae textus duos possit sensus litterales pati (2) uti plures nec fortasse immerito contendunt (3), nos cum communi theologorum et interpretum sententia dicimus, solum litteralem sensum eum tandem esse qui argumenta praebere theologo possit ad dogmata evincenda ac vindicanda.

242. Et haec quidem generalia veluti monita nobis attigisse satis sit de exegetica seu scientifica Scripturarum interpretatione. Nam quod ad apparatum spectat eorum quae ad rectam Scripturarum intelligentiam requiruntur, nec non ad peculiares canones et regulas, quae prae oculis haberi debent ut germana habeatur expositio sive Veteris sive Novi Testamenti, et ad libros singillatim sumptos, nos ne in alienam messem, ut praemisimus, immittere falcem videamur, auditores nostros ad probatos auctores remittimus, qui de hisce data opera scripserunt (4).

CAPUT IV.

De Scripturae sacrae versionibus

243. Quae de sacrarum litterarum versionibus a theologis dicenda sunt, afficiunt potissimum vulgatam versionem latinam, ac versiones vernaculis linguis confectas. Hoc enim eorum postulat munus, tuendi nimirum quae ab ecclesia sunt constituta. Cum vero ecclesia authenticam declararit vulgatam latinam, pluraque de versionibus in lingua vulgari decreverint Romani Pontifices, consequitur theologi esse horum vindicias sumere adversus ecclesiae detractores, qui

(1) Aliqui paulo diversam notionem utriusque sensus litteralis et spiritalis exhibent; ita ut sensum *litteralem* dicant id quod in Scripturis *directe* ac *proxime* Spiritus Sanctus exprimere voluit, et verba *directe* praeseferunt sive propria sive figurata in quantum figurata sunt, sensum vero *spiritalem* id vocant, quod in Scripturis *directe* quidem, quamvis *remote* exprimere voluit Spiritus S., *oblique* tamen verba praeseferunt ex *typis* promanans atque in sensu *litterali* delitescens.

(2) Lutherus omnium primus unitatem sensus litteralis tuitus est, de quo scribit Millerus Georg. Augustae professor dogm. « Immortaliter meritus fuisse censendus est Lutherus noster, qui exploso pontificiorum de pluralitate sensus verbo lubrico, et subdolo commento, constanter unicitatem sensus litteralis asseruerit ».

(3) Cf. Cornel. a Lap. can. XXXVI. *in Pentateuch*. Qui huic adstipulantur sententiae duces sibi sumpserunt s. Augustinum qui *Confess.* lib. XII. capp. 18. 25. 26. 31. et 32. et lib. III. *de Doctr. Christ.* cap. 27. et alibi duplicem ejusmodi sensum adstruit; nec non s. Thomam 1. p. q. 1. a. 10. corp. Cf. quae in hanc rem scite animadvertit Czuppon op. cit. *Vindiciae vulgatae lat. edit. Biblior.* tom. 1, sect. 1, § VII, p. 24 seqq. Cf. tamen etiam Estium in *Oratione, an ejusdem Scripturae plures sint sensus litterales ?*

(4) Consuli inter ceteros possunt s. Augustin. *De Doctr. Christ.* lib. III., Salmeron, *Proleg.* VII-XX. Serarius, *Proleg. Bibliac.* c. XXI. Bonfrerius *Praeloqu. in totam Scriptur.* c. XX. Vasquez *in s. Thom. 1. p. q. 1. a.* 10. Huetius *Demonst. Evang.* prop. VII, §§ 1-6. *Biblia latino-gallica* vulgo *De Vence, préface génér. sur les livr. de l' Ancien Testam.* Paris 1827. tom. 1. p. 248. Glaire op. cit. tom. 1, chap. VI, p. 336-401. et iterum in append. au chap. VI, p. 470-493.

ingentes ea de causa clamores excitarunt. Quod enim attinet ad antiquarum versionum sive orientalium sive occidentalium recensionem, singularumque pretium, epocham, auctores, nec non ad recentiores versiones, editiones, earumque decora aut vitia, ea sibi sacrarum litterarum institutores referre, et expendere veluti proprium objectum assumunt.

244. Porro quoad vulgatam latinam Bibliorum versionem non paucae motae sunt controversiae; ac primo, quonam sensu a Tridentino declarata authentica sit, utrum scilicet cum textuum originalium detrimento, quod plures haeretici, non ita pridem, ut ecclesiam catholicam criminarentur, obtenderunt; an vero tantum comparate ad ceteras, quae circumferebantur, latinas versiones; secundo, an per suum decretum Tridentina synodus intenderit vulgatam versionem non a quovis solum errore circa fidem ac mores immunem declarare, sed etiam a quolibet alio vitio quod sive res et sententias sive ipsa verba attingat, ita ut ab omnibus mendis libera plane sit; tertio, utrum vulgata censeri debeat inspirata, ut nonnulli existimarunt (1), necne; quarto, utrum denique editio communis a Sixto V. et Clemente VIII. edita ita pura a mendis sit, ut ulteriori nequeat subjici emendationi.

245. Fere omnes ejusmodi quaestiones magna olim animorum contentione atque aestu agitatae obsoleverunt; nemo ut jam inter protestantes reperiatur qui hanc Tridentino mentem et consilium in suo decreto edendo fuisse contendat, vulgatam nempe versionem supra textum ipsum primigenium efferre, aut prohibere quominus quisquam ad ipsos, si opus fuerit, fontes originales accedat, uti plures iique gravissimi catholici auctores ostenderunt (2). Sic nemo ex

(1) Inter ceteros Petrus Sutor in op. *De translatione Bibliae* cap. x. Titelmanus in *Disput. pro editione vulgata* adjecta comment. in epist. ad Rom. Mariana in *Dissert. pro edit. vulgata* cap. xxii. et seq., Morinus *Exercitat. Bibl.* lib. i, c. xii.

(2) Cf. Card. Pallavicini *Storia del conc. di Trento* lib. vi, cap. xvii. ubi ostendit numquam mentem concilii fuisse vulgatam versionem supra textus hebraicum et graecum efferre, aut impedire quominus scriptores ad eos textus recurrant, cum opportunum judicaverint ad pleniorem sensus intelligentiam. Sane Salmeronius qui ipsi concilio interfuit, haec habet *prol.* iii. edit. Colon. Agrypp. 1602. p. 24. « Postremo accessit concilii Tridentini approbatio, quod videns nostri seculi haereticos palam contemnere Vulgatam, sive veterem Hieronymi editionem, novasque pro suo arbitratu quemque producere, tale condidit decretum . . . Jam secundo loco ostendamus, non ita fuisse Vulgatam Hieronymi editionem probatam, ut propterea rejecta sint intelligenda vel graeca, vel hebraica volumina: quod non est difficile ostendere. Nihil enim ibi de exemplaribus aut graecis aut hebraicis agebatur; tantum inter tot editiones latinas, quot nostra secula parturierant, quaenam ex illis praestaret, sermo erat . . . Liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas profundius meditantur, fontes graecos aut hebraeos, quatenus opus sit, consulere etc. » His consonant quae adversus Calvinum et Philippum Melanchthonem scripsit Andreas Vegas alter concilii Theologus lib. xv. *de Justif.* cap. ix, Colon. 1572. p. 692. ubi cum praemisisset concilium approbasse Vulgatam latinam expurgatam a mendis chalcographorum, nec eam tamquam a caelo delapsam adorari voluisse, aliaque ejusmodi, subdit: « Et hanc fuisse mentem synodi, nec quidquam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis, et ex aliis consuetis approbationibus concilii potes colligere. Et ne dubites de hoc, verissime possum tibi (Calvine) allegare pro his amplissimum et observantissimum Dominum Sanctae Crucis cardinalem . . . qui illi sessioni et aliis omnibus praefuit, ac pridie quidem, quam illud decretum firmaret, et po-

catholicis est, qui nunc inspirationem tueatur in latina vulgata adornanda, aut qui adhuc existimet ita eandem esse vulgatam editionem a quibusvis librariis aut typographicis mendis immunem, ut nequeat ulteriori subjici emendationi, id quod auctor ipse praefationis ad lectorem in editione Clementis VIII. fatetur (1). In eo tamen, unanimi prorsus sensu, catholici conveniunt omnes, nullum vulgata in editione errorem contineri in iis saltem quae ad fidem moresque spectant, aut etiam quae alicujus momenti sint in rebus atque sententiis (2). Quo sensu affirmant authenticam declaratam esse vulgatam latinam a Tridentino, cujus nimirum decreto factum est, ut latina haec versio originali textui plane conformis dijudicata fuerit, atque extrinsecam praeterea auctoritatem nacta sit: unde nos ex publico ejusmodi ac solemni ecclesiae judicio, certi efficimur de ea conformitate atque intrinseca consonantia, quam habet cum fontibus ipsis, ita ut ejus respui auctoritas a nemine possit. Nos ipsis adstipulamur; atque hoc sensu, reliquis jam obsoletis controversiis praetermissis, authenticam adstruimus adversus protestantes vulgatam latinam versionem.

246. Ne vero in obscuritate versemur, juverit heic verba ipsa praemittere Tridentini decreti sess. IV. quae ita se habent: « Eadem sacrosancta synodus considerans non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in pu-

stea, non opinor semel, mihi testatus est, nihil amplius voluisse patres firmare. Itaque nec tu, nec quispiam alius propter hanc approbationem vulgatae editionis impedit, quo minus, ubi haesitaverit, ad fontes recurrat, et in medium proferat quidquid habere potuerit, quo juventur, et locupletentur latini, et vulgatam editionem ab erroribus repurgent, et quae sensui Spiritus S., et ipsis fontibus sunt magis consentanea, assequantur ». Post haec supervacaneum puto ea adjicere quae scribunt Bellarminus in eundem sensum lib. II. *De verbo Dei* c. X. Rugerius Secretar. Apostol. lib. *De Script. canonic.* cap. XLIV. aliique bene multi: hos magno numero recenset Humfr. Hodius Oxoniens. in op. *De Bibliorum textibus* etc. Oxon. 1705. lib. III, cap. XV. Hic autem ubique infensissimum se praebet Rom. ecclesiae. Contrarium tamen contendit Melchior Canus *De locis* lib. II, c. XIII. seq. cum aliis, quibus a fortiori adstipulantur qui Vulgatam inspiratam censuerunt.

(1) Cujus auctor, ut mox videbimus, ipse Bellarminus est. Sane satis est oculos conjicere in alterum ex duobus libellis quos Lucas Brugensis card. Bellarmino obtulit, in quo specimen correctionum in IV. Evangelia exhibet quae in textu Vulgatae fieri possent. Opp. ed. Antwerp. 1606. tom. II, p. 1056. Item in duobus aliis libellis, qui ad calcem *comment.* Du-Hamel recusi sunt.

(2) Quoad errores qui rei substantiam non attingant, utrum reipsa nonnulli in Vulgata editione reperiantur affirmant alii, alii vero negant. Negant immunem omnino esse a levibus erroribus editionem vulgatam inter ceteros Cabassutius in *Diatriba ecclesiastica circa Trident. decretum de Vulgata Biblior. editione*; in *Notitia conc.* item Bellarm. in *Dissert.* quam ex Mss. an. 1749. in lucem protulit Windenofer; Simeon de Muis lib. *De auctor. textus hebr.* Serarius in *Proleg.* cap. XXI. Bonfrerius in *Praeloq.* Jo. de la Haye in prol. Nat. Alex. sec. IV. diss. XXXIX. Bossuet in *Projet de l' union*, etc. Affirmant alii, inter quos novissime Jos. Zama Mellini prof. Bononiens. in *Institutionib. Biblicis*. Bonon. 1833. p. I, diss. II, cap. III, art. 3. q. I, p. 162.

blicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat ».

247. Quod vero spectat ad recentiores versiones Bibliorum vernaculas, duo sunt apprime distinguenda, *versiones* videlicet in se, et illarum *lectio*. Nullo unquam tempore prohibuit ecclesia quominus Scriptura sacra in linguas vernaculas verteretur: et sane vel ab ipsis ecclesiae incunabulis et insequentibus seculis plures ejusmodi versiones sive in Oriente, sive in Occidente prodierunt, quin sese illis opposuerit ecclesia, imo quandoque eis usa est, ut constat de versionibus Aquilae, Symmachi ac Theodotionis (1). Nemo praeterea est, qui inficietur plurimum utilitatis in criticam biblicam, hermeneuticam et exegesin ex antiquis versionibus syriacis, arabicis, coptica, armena, persica etc. promanare, potissimum vero ex versione graeca Alexandrina, seu ut dicitur LXX. interpretum (2), quoad libros V. T. quam ecclesia adoptavit ac suam fecit. Attamen ecclesia numquam non invigilavit fidelitati versionum, praesertim postquam haeretici coeperunt sacram Scripturam in linguas vulgares vertere, seu potius corrumpere ad suos populis errores propinandos (3); improbavit enim ejusmodi versiones earumque lectionem fidelibus interdixit. Interim cum in dies hic morbus ingravesceret, postremis hisce temporibus, postquam institutae societates sunt vulgo *biblicae* nuncupatae, quarum scopus est Biblia in omnes linguas quae nunc vigent, translata ubique disseminare, ingenti christianae et catholicae fidei jactura, Romani Ponti-

(1) De quibus inter ceteros cf. Hodium op. cit. lib. IV, cap. I. qui fuse et erudite de ipsis peragit, nec non Jac. Le Long. *Bibliotheca sacra*. Paris 1723. tom. I, cap. III, sect. I.

(2) Innumera prope sunt eruditorum tum catholicorum tum protestantium de hujus versionis origine, auctore, sive auctoribus, aetate etc. sive adversantia judicia. Magna ex parte ea collegit Hodius op. cit. qui praemissa historia Aristeae graece et latine, toto lib. I. refert ac expendit auctorum utriusque communionis de hac versione varia placita; lib. II. suam profert sententiam de tempore, modo, ac ratione qua eadem confecta est, concluditque cap. VII. seqq. a judaeis hellenistis Alexandrinis solius Pentateuchi versionem adornatam fuisse; demum acriter impugnat Isaac. Vossium qui in libello *De translatione LXX interpretum* illam versionem probaverat. Richard. Simon in *Disquisitionibus criticis de variis Bibliorum editionibus* (perperam Lud. Cappello a nonnullis adscriptis), Londini 1684. cap. XV. censet nomine LXX. hanc versionem fuisse insignitam, quod probata fuerit a Synedrio quod constabat LXX. aut LXXII. membris. Eadem jam scripserat in *Hist. crit. Vet. Test.* lib. II, cap. 2. Sic alii passim. Attamen nondum lis finita est; siquidem doctus De Magistris in sua edit. *Daniel secundum LXX. interpretes*, quam ipse primum ex Chisiano codice vulgavit Romae 1772. vol. in fol. Hodio ceterisque septuagintaviralis versionis osoribus apologiam opposuit quam quinque prolixis eruditissimisque dissertationibus complexus est, eamque strenue tutatur. Eum adisis.

(3) Valdenses omnium primi fuerunt ex sequioribus haereticis, qui in Galliis Biblia in linguam vernaculam verterint, ac proinde corruperint: horum versionem damnavit Innocentius III. initio sec. XIII. epist. 142. lib. II. epist. edit. Baluzianae p. 432. Hanc altera excepit Novi Test. translatio in linguam vernac. seu gallic. adornata a sacerdote Lugdunensi Stephano de Ansa, vel de Emsa, studio et impensis Petri Valdensis post an. 1170 aut 1180. Cf. Le Long op. cit. tom. I, cap. IV, part. II, art. I, pag. 312. seqq.

fices iteratis decretis eas societates biblicas proscripserunt. Inter hos eminent Pius VII. et Leo XII. (1), qui episcoporum zelum excitarunt ut fideles sibi creditos ab ejusmodi moliminibus tutarent ac praemunirent. Contra vero protestantes, societatum harum architecti et inventores eas passim ad sidera tollunt, pecunia, industria, opera et qua demum cumque possunt ratione fovere ac disseminare satagunt, Romanosque Pontifices, qui eas improbarunt, ceu tenebrarum patronos atque humani ingenii progressus inimicos et hostes traducunt.

248. His ita expositis, superest ut accedamus ad vindicandum Tridentinae synodi decretum de vulgata latina editione, et Rom. Pontificum de societatibus biblicis judicium. De lectione autem Scripturae sacrae in lingua vernacula agemus in cap. insequenti. Heic enim ea dumtaxat complectimur quae ad versiones spectant. Sit igitur:

PROPOSITIO I.

Merito Tridentina synodus ex omnibus latinis editionibus quae circumferebantur sacrorum librorum veterem vulgatam editionem pro authentica habendam esse statuit et declaravit

249. Duo, ut paulo ante innuebamus, hoc suo decreto Tridentina synodus effecit, dum vulgatam versionem prae reliquis quae circumferebantur latinis editionibus authenticam statuit ac declaravit; nempe testata est ejus intrinsecam conformitatem cum textu primitivo non solum in rebus fidei ac morum, verum etiam in ceteris saltem quoad substantiam; eique contulit praeterea extrinsecam quandam auctoritatem, quam reliquis non contulit, imo nec contulit alicui textui originali sive hebraico sive graeco (2). Cum autem de hoc aperte constet ex decreto ipso, non est cur in hoc probando insistamus.

250. Conformitatem vero intrinsecam vulgatae editionis latinae cum textu primitivo, in sensu exposito, ita evincimus. Versio illa textui originali seu primigenio conformis censenda est, quae longo seculorum usu in ecclesia obtinuit; quae tulit ab adversariis ipsis suffragium; quae denique falsitatis et erroris nedum circa fidem et mores, sed et quoad cetera quae attingunt substantiam, argui numquam potuit. Talis porro est versio vulgata latina a Tridentina synodo probata.

251. Nam de usu ecclesiae latinae longo seculorum tractu res testatissima est, atque constat ex ipsa vulgatae editionis historia. Norunt siquidem eruditi viri ab ipso fere aevo apostolico latinam versionem adornatam fuisse ex V. Testamenti graeca versione septuaginta inter-

(1) Pius VII. epist. datis ad Archiepisc. Gnesnensem die 29. Jun. 1816. et ad Stanislaum archiep. Mobiloviensem die 3. Sept. ejusd. anni; Leo XII. in Encyclica ad omnes Patriarch. Prim. Archiep. et Episc. die 3. Maj. 1824.

(2) Ex hac distinctione inter authentiam *intrinsecam* et *extrinsecam* videtur omnino sublata controversia de praelatione a Tridentino data vulgatae editioni supra textus, aliasque versiones. Etenim concilium fontes antiquasque versiones non attigit, sed et illos et has reliquit in *statu quo*, ut loqui mos est, dimisitque eruditis de illis, istarumque intrinseco valore disceptare, cum ipsis decreto suo, ut testatur card. Pallavicinius loc. cit., ulla ratione detrahere noluerit. Contulit propterea editioni vulgatae latinae authentiam extrinsecam, qua certi efficeremur nihil in ipsa reperiri sive ad fidem sive ad mores, aut sententias pertinens quod dissentiret a fontibus primigeniis.

pretum (1), et ex graeco textu Novi Testamenti (2). Haec porro versio primatum semper obtinuit in ecclesia, quam s. Hieronymus *communem* et *vulgatam* (3), s. Augustinus *Italam* (4), s. Gregorius M. aliique *veterem* nuncuparunt, ut eam ab innumeris prope latinis versionibus secernerent quae per illam aetatem a privatis hominibus prodierant (5). Hanc translationem summis ecclesiae patres praeconiis extulerunt, praesertim vero s. Augustinus qui eam etiam reliquis omnibus eo nomine praeferendam censuit, quod esset « verborum tenacior cum perspicuitate sententiae (6) ». Atque ita quidem se res habuit, donec s. Hieronymus novam ex hebraico fonte librorum V. T. versionem adornavit, quae cum in dies principem sibi locum vindicaret, apud Gregorium M. *vulgatae novae* denominationem nacta est, comparatione illius veteris vulgatae, seu Italae versionis (7). Verum et haec ipsa nova vulgata *veteris vulgatae* nomine a Tridentino est insignita, eo quod et ipsa vetus evaserit, intervallo plus minus 1000. annorum quot nempe a tempore quo primum prodiit usque ad laudatum concilium defluxerant: eo vel magis, quod ex non usu vetus illa Itala vix oblivioni data non fuerit (8). Editio vulgata a Tridentino probata, maximam partem constat ex versione Hieronymiana, et ex libris illis, quos idem sanctus saltem recensuit et castigavit (9). Licet porro vulgata versio identidem a viris doctis ad verae lectionis integritatem revocata fuerit, et a mendis, quae ex

(1) Cf. Michaëlis *Introduct. au Nouveau Testam.* tom. 2. première part. sect. XXIV. et XXV. qui hoc ostendit non solum ex argumentis externis verum etiam ex internis; nec non Serarium *Proleg. Bibliac.* cap. XIX, q. 8. et Brianum Waltonum *Polygl.* Proleg. X, n. I.

(2) Cf. Millium *Novum Testam. Proleg.* Oxon. 1707. p. XLI. seqq. in eo tamen nobis hic auctor a vero abludere videtur, prout alias animadvertimus, quod nonnisi initio sec. II. statuat Novi Test. versionem sub s. Pio I. in quo non indulget nisi conjecturis; contrarium tenet Michaëlis loc. cit. cf. etiam Sabatier *Sacr. Bibl. antiquae vers. seu Vetus Italica* praef., tom. I, p. XI seq.

(3) *Comment.* in cap. XIII. s. Matth. v. 35. et in epist. CVI. ed. Vall. ad Sunniam et Fratelam n. 2.

(4) Lib. II. *De doctrin. christ.* cap. XV. Cur vero *Itala* nuncupata fuerit, juxta Ferrandum diaconum in *Summa Biblica* lib. III, cap. I., ideo est quia patres praesertim Itali ea utebantur. Cf. item Sabatier op. et loc. cit. p. XXXI.

(5) Etenim s. August. lib. II. *De doctr. Christ.* cap. XI, n. 16. « Qui Scripturas, inquit, ex hebraea lingua in graecam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari ».

(6) Lib. II. *De doctrina christ.* c. XV.

(7) Cf. Jos. Blanchinium op. cit. *Praef. Gener.* p. XXVIII.

(8) Doctus Sabatier monachus Maurinus ex codicibus Mss., ex veterum patrum, auctorumque ecclesiasticorum scriptis, Missalibus, Breviariis, aliisque monumentis in quibus veteris hujus interpretationis fragmenta et laciniae extabant, incredibili studio et patientia integram pene collegit et vulgavit, sex volum. in folio Remis 1743. Idem praestitit magna saltem ex parte Blanchinius in *Vindiciis*.

(9) Cf. *Praefat. ad lect.* editioni Clementis VIII. Si enim excipias Psalterium, Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum, duosque libros Machabaeorum, qui juxta antiquam versionem latinam retenti sunt, ceteri libri spectant ad versionem Hieronymianam, quam integram exhibent Martianaeus et Vallarsius in *Bibliotheca divina* ejusdem Sancti.

librariorum oscitantia irrepserant, expurgata (1), tamen aetate concilii Tridentini pluribus iterum maculis scatebat, quapropter concilium eadem sess. IV. decrevit et statuit, ut in posterum vulgata haec editio *quam emendatissime imprimeretur*.

252. Nihil intentatum reliquerunt Rom. Pontifices, praecipue vero Gregorius XIII. Sixtus V. Gregor. XIV. et Clemens VIII., institutis ad id muneris congregationibus, ut vulgata editio ad mentem concilii emendatissima prodiret in lucem, uti reipsa factum est. Cum igitur vulgata latina versio in usu fuerit tot seculorum lapsu in ecclesia occidentali, ac summis ss. patrum laudibus celebrata (2), cum eam adhibuerint oecumenica concilia, cum tot doctorum virorum curis ad hebraica et graeca exemplaria exacta fuerit, ac saepius adeo a mendis tum librariorum, tum calcographorum fuerit castigata, ac Romanorum demum Pontificum auctoritate prodierit, quin desipere velimus, fateamur necesse est, eam plane, non in iis modo quae ad fidem moresque pertinent, sed in iis etiam, quae saltem substantiam afficiunt, conformem esse fontibus primigeniis, seu originali textui, eidemque plene congruere.

253. Atque hinc illud accidit singulare quod protestantes, qui adversus decretum Tridentinum tot ab initio tantosque motus exciverant, primo illo deinceps animi aestu defervescente, coe-

(1) Nam praeter Cassiodorium qui sec. VI. (obiit enim magnus hic vir juxta verisimiliorem sententiam an. 575.) Biblia recensuit, cujus etiam complexiones vulgavit Marchio Maffejus; Alcuinus an. 802. novam recensionem suscepit; item Laufrancus an. 1089. Stephanus II. abbas Cisterciensis an. 1109. nec non card. Nicolaus diaconus s. Damasi an. 1150. Patres Dominicani Parisienses an. 1236. suum ediderunt celebre *Correctorium*, de quo fuse agit Fabricy Ord. Praed. in op. *Des tîtres Primitifs de la révélation*. Rome 1772. tom. II, p. 122 seqq. Postea vero alii id laboris sibi sumpserunt, praesertim card. Ximenes qui an. 1517. vulgavit suam Polyglottam, deinde Robertus Stephanus, qui an. 1528. et 1542. novas dedit Vulgatae editiones; demum Lovanienses, an. 1547. emendatiorem editionem vulgarunt, quae posterioribus curis magis adhuc expurgata est. Cf. Cl. Brunati diss. III. *Del nome, dell' autore, de' correttori, dell' autorità della versione volgata* inter *Dissertationes Biblicas*, quas vulgavit Mediolan. 1838. pag. 59. 60.

(2) Inter hos eminent s. Gregorius M. in *Ezech.* lib. I. *Hom.* X. n. 6. et *in Job. Moral.* lib. XX. n. 62. ubi, posteriori nempe loco, scribit: « Longe ab hac sententia vetus translatio dissonat . . . Sed tamen quia haec nova translatio ex hebraeo nobis arabicoque (Jobi) eloquio cuncta *verius* transfudisse perhibetur, credendum est quidquid in ea dicitur: et oportet, ut verba illius nostra expositio subtiliter rimetur »; s. Isidorus Hispalensis *Etymolog.* lib. VI, cap. IV, n. 5. ed. Arevali: « Presbyter quoque Hieronymus, scribit, trium linguarum peritus, ex hebraeo in latinum eloquium easdem Scripturas convertit, eloquenterque transfudit, cujus interpretatio, merito ceteris antefertur. Nam est et verborum tenacior, et perspicuitate sententiae clarior, atque, utpote a christiano interprete, verior »; et lib. I. *De Officiis* cap. XII, n. 8. praeterea haec habet: « De hebraeo in latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter sacras Scripturas convertit. Cujus editione *generaliter omnes ecclesiae usquequaque utuntur*, pro eo quod verior sit in sententiis et clarior in verbis »; alios plures cf. apud Maurin. edit. opp. s. Hieronymi in Prolegom. in *Divinam Biblioth.* Prol. II. ubi ostenditur ipsum s. Augustinum, qui prius novae versioni infensum se praebuerat, postea summis laudibus eam extulisse, ac in usum suum deduxisse.

perint decretum illud commendare, et vulgatam editionem laudibus prosequi, ceterisque versionibus anteponere. Longus nimis essem, si omnia, quae in hanc rem extant doctissimorum inter protestantes testimonia adducere hic vellem, Conradi Pellicani, utriusque Osiandri, patris scilicet ac filii, Theodori Bezae, Isaaci Casauboni, Hugonis Grotii, Jo. Drusii utriusque Buxtorfii, Ludov. De Dieu, Waltoni, Millii, Boisii, aliorumque passim (1). Satis propterea nobis hic sit unum aut alterum in medium afferre: « Annotavi autem, inquit Grotius, quae annotanda duxi ad latinam versionem, pridem receptam, quam semper feci plurimi, non modo quod nulla dogmata insalubria contineat, verum etiam quod multum in se habeat eruditionis, quamvis in dicendi genere satis horrido (2) » et iterum: « Tutissima omnium iis qui nec hebraice nec graece didicere, est vulgata versio, quae nullum habet malum dogma, sicut tot saeculorum et gentium consensus judicavit (3) ». Waltonus de doctis suis acatholicis scribens, ait: « Vulgatam ceteris latinis hodiernis in hoc praeferendam existimant, quod omnibus antiquior, et in ecclesia occidentali per mille annos publice recepta sit, unde merito magni facienda est, nec temere rejicienda, ut postea fusius ostendemus (4) ». Item Millius suffragium suum suffragio Boisii conjungens scribit: « Joannes Boisius nostras scripsit tractatum longe doctissimum . . . in quo versionis veteris (vulgatae) agit vindicias, ejusque loca quamplurima cum Bezae aliorumque versionibus collata recte omnino se habere demonstrat (5) ». Demum Jo. Dav. Michaëlis: « Praeiverat, inquit, Vulgata male deinceps ab aliis neglecta, cum sit versionum una omnium praestantissima . . . Ipsi enim auditores mei tam protestantes, quam pontificii, facile recordantur, quantopere ego Vulgatae usum tum criticum, tum exegeticum commendem, ejusque contemptum vituperem (6) ». Haec quidem doctiores protestantes veteres et recentiores, quibus plures alii addi possent: cum his vero si compares quae nonnulli neoterici catholici incaute ac temere de vulgata versione scripserunt, patebit quo ferant amor novitatis, cunctaque innovandi inconsulta lubido (7).

(1) Hos magno numero collegit Brunatus in cit. Dissert. pag. 73 seqq. alios quoque profert vel ipse Hodius op. cit. lib. III, cap. XVI. et Czuppon op. cit. *Vindiciae Vulgatae latinae edit.* tom. I, p. 33. et iterum pag. 89.

(2) In *praef.* seu monito ad lectorem praemisso comment. in libros V. T. *Opp. Theolog.* Amstel. 1679. tom. I.

(3) Cit. edit. tom. III, pag. 674. in *Voto pro Pace ecclesiastica*.

(4) *Proleg.* X, n. 10. p. 72. col. I. Eadem repetit et inculcat in fine ejusdem prolegomeni p. 74. col. 2.

(5) *Prolegom. in Nov. Test.* edit. cit. pag. CXXXVIII. Eadem fere scribit ib. p. CLXII. et p. LXXX.

(6) *Supplem. ad lex. hebraic.* p. III, p. 992, et *Biblioth. Orient.* tom. XXI, n. 311. Quae idem auctor scripserit in Introd. ad Nov. Testam. postea afferemus.

(7) Inter quos dolemus recensendum esse Hug cujus verba in gallicam linguam conversa exhibet Cellérier op. cit. *Introduction* etc. pag. 200 seqq. quae paulo post expendemus. Item connumerandi Jahn *Introd. in lib. Sacr.* § 65 et seqq. qui inter cetera commemorat Salmeronem qui *cum Bellarmino* interfuit concilio Tridentino, etsi Bellarminus longe post Salmeronem floruerit, nec unquam concilio interfuerit; et Gerg. Hermes qui *Einleitung* etc. seu *Introd. in Theol. christiano-catholicam* Par. Altera p. 437. falso tradit Decretum Tridentinum, legem disciplinarem fuisse, quae tantum per id temporis obligationem inferebat: idque hac ratione confirmat

254. Ex his jam sequitur quod tertio loco proposuimus ad decretum Tridentinum vindicandum, scilicet argui numquam potuisse aut posse hanc versionem alicujus erroris nedum in doctrina de fide et moribus, sed neque in iis quae rerum in ea contentarum substantiam attingant. Quod tum *positive*, ut ajunt, tum *negative* facile ostendi potest. Etenim id primum conficitur ex aperta protestantium confessione quos adduximus, qui palam profitentur nullum circa dogmata in Vulgatam errorem irrepsisse, quos inter Millius eo usque progressus est, ut scribere non dubitaverit: « Certe tantum abest, ut ad textum graecum excusum quamcumque (Vulgatam Novi Testamenti) reformatam velim, ut contra optime cum ea actum existimem, si manuscriptorum exemplarium diligenter collatorum ope, talis apud posteros prodeat, qualem eam edidit Hieronymus (1) ». Et sane si ex dictis constat de hujus versionis cum textibus primigeniis conformitate, fieri nequit, ut ipsa quidpiam contineat, quod illorum substantiae adversetur. Id ipsum praeterea probatur ex usu constanti ejusdem versionis per annos plus minus mille in universa occidentali ecclesia. Quî enim acciderit ut ecclesiae pars nobilissima, praesertim vero Romana, tot usa seculis fuerit versione vitiosa in rebus substantialibus? Quod quidem vidit Ludovicus ipse Cappellus, qui quamvis heterodoxus haec luculenta sane protulit: « Non est passus Deus in translationes quibus ecclesia sua usa est, et etiamnum hodie ubique utitur, gliscere varietatem seu alterationem momentosam, quae doctrinam ipsam immutet, atque corrumpat (2) ». *Negative* autem quod intendimus demum evincitur ex solutione difficultatum quas acatholici adversus Vulgatam identidem opposuerunt, quarum nulla est, ut ex inferius dicendis patebit, quae substantiam ipsam afficiat.

255. Sive igitur spectetur versionis vulgatae per tot secula in ecclesia usus, sive adversariorum ipsorum suffragium, sive denique impossibilitas quidpiam in ea reperiendi quod argui erroris queat in rebus fidei aut morum, aut quod substantiam quoquomodo attingat, patet quod evincere proposuimus, nihil videlicet in ea contineri quod textui primigenio plane conforme non sit; adeoque, quod consequens est, merito a synodo Tridentina latinam vulgatam editionem pro authentica habendam esse, statutum fuisse ac declaratum.

256. Verum et illud praeterea lucri ex Tridentino habemus, quod haerere haud amplius debeamus circa genuinam versionem, prout haerere necessario debent protestantes; qui cum noluerint agnoscere uti authenticam versionem vulgatam, fluctuant incerti in electione tot inter versiones, quae apud ipsos prodierunt (3). Et quamquam ipsi huic incommodo occurrere sategerint tum in

« Etenim hoc sensu acceptum (decretum illud) erat ordinatio quaedam ac medium illi tempori peropportunum in quo mutua conflictatio inter plures latinas versiones periculum orthodoxae doctrinae afferebat; ac proinde cessabat ipsa per sese statim ac ea conflictatio (atque haec quidem jamdiu desivit) et consequens inde verae christianae doctrinae periculum sublatum esset ».

(1) *Proleg. in N. T.* pag. CXLII.

(2) *Critica sacra*, Lutet. Paris. 1650. lib. VI, cap. V, § 10. pag. 403.

(3) Sane licet innumerae prope a protestantibus versiones tum ex hebraicis cum ex graecis fontibus adornatae fuerint, nulla tamen est apud ipsos communis versio, et quoties adhuc ab ipsis commentaria eduntur in Scripturam, toties novam exhibent versionem a se

synodo Dordrechtana (1), tum in synodo Lipsiensi cui subscripserunt Melanchthon, Pomeranius, Major, aliique (2), res tamen infecta est, aliis protestantibus obsistentibus, cum nulla ad id cogi auctoritate possent. Quo fit ut nondum convenerint in ulla admittenda communi versione, et adhuc de varietate et infidelitate versionum suarum conquerantur (3). Imo de genuino textu adeo certi non sunt, ut nondum inter se convenire potuerint in textu primigenio assignando, atque in vera determinanda lectione sive textus hebraici quoad Testamentum Vetus, sive textus graeci quoad Novum, post tot scilicet exantlatos labores, post tot criticas recensiones (4)!

DIFFICULTATES

257. I. Obj. 1. Obstupuerunt exteri, inquit Sarpius, quum acceperunt a conventu paucorum episcoporum, qui neque in theologia valde versati erant, definitum adeo gravem articulum fuisse (5). Nimis sane inconsulto ac leviter ejusmodi decretum editum esse constat ex ipsa rei qua de agitur natura. 2. Etenim vulgata latina versio non una, sed multiplex est; conflatur scilicet ex plurium antiquarum versionum mixtione quarum auctores ignorantur (6). 3. Quod si Hieronymo auctore emendata est ad fidem graecorum exemplarium, cito depravata fuit ejusmodi recensio et permixta ex versione antiqua corruptissima (7), 4. adeo ut in plurimis adhuc differat versio haec vulgata versione, quae est in Bibliotheca divina s. Hieronymi (8). 5. Quamobrem recte illam vocaveris centonem quendam ex diversis laciniis consutum, quin tuto affirmari possit ad quamnam antiquarum versionum pertineat (9). 6. Sed praeterea detrita est cum in locis minime paucis a textibus primigeniis tum hebraicis tum graecis dissentiat; ac in nonnullis abundet, in aliis vero desit, ac saepe 7. differat ab antiquis orientalibus versionibus praesertim vero Syriaca Peschito, quae purissima omnium censetur (10). 8. Satius proinde fuisset Tridentinae Synodo illo-

factam, ut patet ex editione Koppiana, ex *Scholiis* utriusque Rosenmülleri, ex *Commentar.* Kuinoelii; ex *Opusculis* Knapii aliisque passim ipsorum operibus.

(1) Cf. J. B. Branca *De sacr. libror. latinae vulgatae editionis auctoritate* Mediol. 1781. vol. I, lib. II, cap. III, pag. 203-205.

(2) Cf. Bellarm. *De verbo Dei* lib. II, cap. X, n. I.

(3) Cf. Branca op. cit. loc. cit. Sane vel ipse Grotius in *Voto pro pace* opp. edit. cit. p. 674. haec de protestantium versionibus scribit: « De versionibus Bezae, et Piscatoris, quorum eruditionem ego magni facio, et aliorum, quorum eruditionem non tanti facio, saepe eas detortas ad privatos ipsorum sensus monuere multi . . . et de Genevensi versione, quae tamen in locis non controversis non est spernenda, Rex Jacobus etc. ».

(4) Inter tot editiones criticas a protestantibus editas sive in Germania sive in Anglia, sive in Galliis tum Veteris tum Novi Testamenti a Beza et Roberto Stephano usque ad Michaëlisium, Griesbachium, et Lachmann nulla est quae cum altera plene consentiat, diversaeque lectiones, interdum etiam non parvi momenti reperiuntur, nec textus communis omnibus adhuc habetur.

(5) *Storia del conc. di Trento* lib. II. coll. Pallavicini *Istoria* etc. lib. VI, cap. XVII.

(6) Cf. Michaëlis *Intr. au Nouveau Test.* tom. II. première part. chap. VII. sect. XXIX.

(7) Ibid.

(8) Ibid. et sect. XXVIII.

(9) Ibid.

(10) ܦܫܝܛܐ *Peschito* idem ac *simplex, pura, litteralis.*

rum obtemperare consilio, qui hujusmodi incommodis permoti proposuerant, ut nova e fontibus versio fieret, quae authentica declararetur (1). Duplex exinde emolumentum percepissemus, alterum nempe, quod versionem elegantiorem possideremus, totque iis carentem barbarismis quibus Vulgata scatet, uti sperandum erat sec. XVI. quum graecae ac latinae litterae maxime florerent; alterum vero quod liberi essemus ab innumeris prope aucupandis variantibus lectionibus, quae reperiuntur ex collatione vulgatae versionis cum codicibus Mss. quibus abundant bibliothecae nostrae. Ergo.

258. Resp. Ad 1. *D.* Obstupuerunt haeretici et quidem immerito, *C.* catholici *N.* Huc pariter referenda sunt, quae adversus hanc ipsam difficultatem, quam Sarpius excitarat propter decretum a concilio editum de sac. librorum canonicitate, alibi reposuimus; sed et illud adjicimus episcopos Germaniae datis litteris suam aperuisse mentem quae plane conformis erat iis quae deinceps in concilio constituta sunt (2).

259. Ad 2. Resp. Esto; nec enim ex auctore, vel auctoribus vulgatae versionis de ejus dotibus judicium ferendum est, sed ex ejus fidelitate, seu intrinseca cum textibus primigeniis conformitate, atque ex diuturno plurium seculorum usu qui publice obtinuit in ecclesia, illam facto ipso probante, illique auctoritatem conciliante, quicumque demum sint qui eam confecerint.

260. Ad 3. *D.* In privatorum codicibus, *Tr.* vel *C.* in codicibus qui publico ecclesiarum usui inserviebant, *Subd.* qui tamen identidem emendati sunt a naevis, quos labente tempore contraxerant, *C.* secus *N.* Fieri certe non potuit in tanta exemplarium multitudine et varietate, ut quaedam vitia vel librariorum incuria et oscitantia, vel privatorum audacia aut imperitia non irrepserint in vulgatam editionem. Ast numquam defuerunt in ecclesia viri apprime docti, qui eam revocaverint ad suam integritatem, prout praestiterunt, ut paulo ante scripsimus, Cassiodorius, Beda, Alcuinus, Lanfrancus aliique subsequentibus aetatibus (3). Nulla fortasse versio est, quae tot recensiones et castigationes obtinuerit uti Vulgata, cujus puritati Rom. Pontifices consuluerunt donec eorum cura prodiit nova emendatio, quae in praesentibus editionibus cernitur.

261. Ad 4. *D.* Quia ecclesia noluit exclusive cujusvis peculiari versioni ita se addicere, ut si opportunum duceret, uni potius quam alteri lectioni adhaereret, *C.* alio sensu *N.* Quamvis enim ecclesia adoptaverit generatim versionem, ac recensionem Hieronymianam, non ea tamen ratione adoptavit, ut si judicaret in nonnullis retinendam esse antiquam lectionem, quam bonam aut meliorem esse deprehenderet, deberet eam abjicere, sicut reipsa fecit. Ecclesia siquidem vera depositaria est ac custos Sacrarum Litterarum, et verae lectionis judex. Ex hoc intelligimus non caeca

(1) Ita Sarpius loc. cit.

(2) Cf. Branca op. cit. lib. I, cap. III, § XIV.

(3) Cf. etiam Cellérier *Introduction* etc. pag. 199. necnon Cl. Ungarelli e Cleric. s. Pauli in diss. *Collectio Vulgatae latinae editionis correctionum juxta ss. concilii Tridentini decret. per summos Pontifices Sixtum V. Greg. XIV. et Clem. VIII. praestitarum. Prolegomena* § I. quae edita sunt in *Annali delle scienze religiose* vol. IV. num. 10. 11. ac 12. Ex egregiis viri multiplici eruditione ac veterum linguarum peritia praestantis laboribus haud parum fructus in rem hanc nostram derivavimus.

ratione ecclesiam se gessisse in electione versionis suae. Ceterum ejusmodi varietates nec multae sunt, nec magni momenti, uti ex Bibliothecae divinae s. Hieronymi collatione cum Vulgata nostra cognosci facile potest (1).

262. Ad 5. *D.* Id est, constat Vulgata latina diversis antiquarum versionum partibus quae legi consueverunt in ecclesia, *C.* informi et inconsulta collectione *N.* Uti jam animadvertimus, vulgata editio majore sui parte, imo praecipua ex versione s. Hieronymi coalescit, et ex versionibus quas ipse emendaverat ac recensuerat, nonnullis variantibus exceptis. Qua igitur ratione posset illa dici cento quidam ex diversis laciniis consutus? Elucet potius in illa summa puritas, ita ut meliores versiones antiquae, praesertim syriaca, et recensio occidentalis Alexandrina, ac Palaestinensis maxime eidem congruant: quo fit ut Michaëlis ipse haud affirmare dubitet, versionem latinam cunctis versionibus occidentalibus basim ac fundamentum constituisse (2).

263. Ad 6. *D.* Differt vulgata versio a textibus primigeniis, et quidem prout nunc habentur, in nonnullis accidentalibus, *Tr.* vel *C.* in iis quae ad substantiam pertinent *N.* Has varietates seu differentias jamdiu collegerant Bellarminus (3), Bukentop (4), Goldhagen (5), Czuppon (6), aliique passim (7). Ostenderunt porro auctores isti non solum in doctrina, sed neque in substantialibus rebus ullam reperiri discrepantiam inter versionem vulgatam ac primigenios textus, quod jam fatentur protestantes ipsi, quorum testimonia paulo ante attulimus aut indicavimus, iisdemque alia plura adjici possent, si opus esset. Hic praeterea omitti nequit nonnullos veluti discrepantem a textibus primigeniis versionem latinam eo nomine traduxisse, quod minime haec conveniat cum codicibus seu codicum familiis quas ipsi secuti sunt. Ast hi meminisse deberent versionem latinam pluribus seculis vetustiorem esse codicibus omnibus quos adhuc possidemus; et codices hodiernos comparari haud posse cum antiquioribus quos prae manibus habuerunt antiqui interpretes, in quibus diversae lectiones inveniebantur a recentioribus discrepantes (8), eaedemque judicio ecclesiae veriores. Quamobrem

(1) Cf. Prolegomena in Biblioth. divinam s. Hieronymi Martianaei et Pouget quae in edit. Parisiensi habentur vol. I. et in edit. Vallarsii tom. IX. Cf. etiam Jos. Blanchinium, *Vindiciae* etc. *Divina Bibliotheca, seu variantes lectiones V. T. juxta hebraicam veritatem translati*, et Novi *graecae fidei redditi a s. Eusebio Hieronymo.*

(2) *Introduct.* tom. II, chap. VII. sect. XXI. cf. etiam tom. I, chap. VII, sect. II. suiv.

(3) *De verbo Dei* lib. II, capp. XII. XIII, et XIV.

(4) In op. cui tit. fecit אוֹר מֵאוֹר seu *Lux de luce*.

(5) *Spicilegium Apolog. praecipuor. N. T. locorum quos novatores nostra in Vulgata accusant.* Ad calcem suae catholic. graeci N. T. edit. cum variantibus lectionibus, quae demonstrant vulgatam latinam ipsis graecis N. T. codicibus hodiedum authenticam. Mogunt. 1773.

(6) *Vindiciae vulg. lat.* sect. III, pag. 386 seqq.

(7) Morinus *Exercitation. Biblic. Blanchinius, Vindiciae* etc.

(8) Hoc luculenter patet ex iis, quae scribit s. Hieronymus ad Damasum, in quibus cum commemorasset codices Lucianaeos et Hesychianos quos reprobat, profitetur se Evangelia ad *Veteres* codices emendasse scribens: « Igitur haec praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia . . . . codicum graecorum emendata collatione, sed *veterum*; quae ne multum a lectionis latinae consuetudine discre-

non semel de vera lectione a versionibus illis quaeri debet ac statui (1). Ad summum dici potest editionem vulgatam nondum esse numeris omnibus absolutam, ita ut in rebus levioris momenti aliquot adhuc naevis aspergatur, quae ulteriori castigatione opus haberent, prout nonnulli etiam docti catholici fassi sunt, imo eam efflagitarunt (2). Quod quidem a sola publica ac legitima auctoritate, nempe Rom. Pontificis, minime vero a quopiam privato individuo praestari posset, ut ipsa rei qua de agitur natura exposcit.

264. Ad 7. *D.* Id est non convenit in omnibus vulgata editio cum quolibet peculiari codice, aut etiam cum qualibet singillatim familia, quae primitivum codicem repraesentet, *Tr.* non convenit cum iis simul sumptis, aut saltem cum iis quos prae oculis habebat s. Hieronymus, deinde vero Cassiodorius *N.* Difficile est reperire in Vulgata lectionem aliquam in qua discrepet a textu communi, cujus fundamentum non occurrat in aliquo aut pluribus etiam codicibus, aut in allegationibus patrum antiquissimorum, aut in versione aliqua pervetusta (3). Ope profundioris studii critici deprehenderunt demum non pauci re-

parent ». Isti autem veteres codices, sunt Palaestinenses quos collegerat et emendaverat Origenes, ut ipsemet profitetur Comment. in Matth. xxiv, 36., et in epist. ad Gal. iii, 1. ubi subdit: « Hoc quod in exemplaribus Adamantii non habetur, omisimus » quique reperiebantur in bibliotheca Caesareensi a s. Pamphilo collecta. Porro tum Veteris tum Novi Testamenti codices Mss. qui adhuc asservantur, si excipias Vaticanum et Alexandrinum, seu Londinensem, qui tamen Hieronymo posteriores sunt, pauci admodum ascendunt ad sec. vii. vel viii. reliqui omnes posteriores sunt. Cf. Czuppon op. cit. tom. i, p. 114 seqq. in nota.

(1) Quod nec diffitetur ipse Michaëlis *Introd.* tom. i, ch. vii, sect. xiii. et alibi. Sane hanc regulam secutus est s. Hieronymus ad repudiandos codices Lucianaeos et Hesychianos, ut legitur in cit. epist. ad Damas. « Quum multarum gentium linguis Scriptura ante translata, doceat falsa esse quae addita sunt ». Certe plures partes in N. T. reperiri in quibus Vulgata veriorem exhibeat lectionem quam textus ipse graecus, eruditi critici agnoscunt, praesertim in Actis apostolicis, adeo ut in his non Vulgata ad textum gr. sed graecus textus ad latinam vulgatam exigendus sit.

(2) Inter quos J. Bernardus De Rossi qui in *Introduzione alla sacra Scrittura*. Parma 1817. § lxxviii. quum plura disseruerit de vulgata editione quam, prout prodiit per Sixtum v. et Clementem viii., etsi emendatiorem esse affirmet cunctis anterioribus editionibus, haud tamen dissimulat naevos quibus adhuc infecta est, concluditque: « È dunque da desiderarsi, e vivamente desideriamo per decoro e splendore della religione, e della Volgata medesima, che sorga un nuovo Pontefice, il quale ce ne dia una nuova più corretta, e più accurata edizione, e renda più compito e più perfetto il benefizio di que' due suoi predecessori. Qual nuovo titolo di gloria non sarebbe questo per lui »! Jam retulimus Lucam Brugensem loca collegisse in quibus optabat Vulgatam emendari, quae non minus 400. sunt.

(3) Ne quis suspicetur exaggerata haec a nobis esse, testes assertionis dabimus auctores protestantes, scilicet Bezam, qui sic Erasmum arguit: « Quam immerito Erasmus multis locis veterem interpretem reprehendit, tamquam a graecis dissentientem. Dissentiebat, fateor, ab iis exemplaribus (graecis N. T.), quae ipse nactus erat. Sed non uno loco comperimus aliorum codicum et quidem vetustissimorum auctoritate eam interpretationem niti, quam ille reprehendit: quin etiam aliquot locis animadvertimus veteris interpretis lectionem, quamvis cum nostris graecis exemplaribus non conveniat interdum, tamen multo melius quadrare,

centiores protestantes nimis leviter et audacter vetustiores aliquos criticos aut sustulisse, aut in dubium revocasse plura loca, quae abundare videbantur in Vulgata (1). Syriaca porro Peschito, de qua nondum controversia absoluta est (2), in plerisque prae ceteris congruit cum Vulgata, etsi in nonnullis, ut fit, discrepet ab ea; verum semper prae oculis habendum est, versionem latinam ceteris esse omnibus anteriorem.

265. Ad 8. *N.* In hac enim hypothesi destitueremur versione critica, eaque antiquissima tot publico seculorum usu probata. Si concilium morem gessisset paucis illis, qui novam versionem e fontibus fieri consulebant, non effugisset censuram horum ipsorum, qui nunc eidem crimini vertunt id, quod veluti sapientem deliberationem doctiores ipsi protestantes celebrarunt. Inter quos Drusius: « Non male, inquit, meo judicio, patres concilii Tridentini receperunt in scholis interpretem vulgatum; nam utut errores aliquot habeat, habent et alii suos, longe fortasse plures quam ille (3) ». Huic Buxtorfius adstipulatur (4). Praetereo autem innumeras pene difficultates, in quas se conjecisset concilium, si illorum sententiae obtemperasset: debuisset enim prius textum tum hebraicum tum graecum authenticum determinare, quod in tanta lectionum varietate difficile admodum esse patet ex trium seculorum sive catholicorum sive protestantium laboribus, inquisitionibus, systematibus, quin tamen adhuc pertingere metam potuerint. Deinde in locis obscuris et ambiguis verum sensum debuisset eligere, quod pariter operosum est, ut eruditi norunt; neque sic tamen plurium offensionem declinasset. Adeo verum est faciles haud esse aures praebendas iis, qui praeter superficiem res non intuentur!

266. Ad primum autem emolumentum quod adversarii jactant, reponimus non tam de elegantia, quam de veritate ac fidelitate versionis nos sollicitos esse debere. Si neque Deus ipse hanc a scriptoribus quos inspiravit, requisivit, cur hanc nos curiosius consectabimur? Hoc plane esset a fine aberrare ob quem Deus nobis Scripturas dedit, ad nos videlicet instruendos et emendandos, non

nempe quod emendatius aliquod exemplar secutus esse videtur » apud Rich. Simon. *Hist. critique du Nouv. Test.* chap. XXV. et Morin. *Exerc.* II, cap. III, n. 3. Sic etiam Isaac Casaubonus de quo Walton *Prol.* x. in Polygl. num. ult. p. 74. scribit: « Notis suis ad Evangelia et Acta saepe vulgatam editionem graeci textus hodierni lectioni praefert, et cum antiquis graecis Mss. Vulgatam convenisse ostendit ». Satis etiam est ad hoc cognoscendum conferre Vulgatam cum pluribus lectionibus quae consonant cum iis quae offenduntur apud Irenaeum, Tertullianum, ac Cyprianum, quae tamen dissentiunt a lectione quae reperitur in graeco textu vulgato, aut in variantibus lectionibus quas subjecit suae editioni Oxoniensi Joan. Gregorius an. 1703. et longe copiosiores Griesbachius.

(1) Ex his maxima ecclesiae prudentia elucet, quae, non obstantibus tot criticorum clamoribus intactum textum suum conservavit. Si ipsis auscultasset, quoties immutare ac restituere quae abstulerit, debuisset?

(2) Cf. Bengel *Introd. in Crisin* N. T. Ridley *De syriacis versionibus* apud Michaëlis opp. cit. *Introd.* tom. I. première part. ubi etiam idem A. illorum sententias discutit chap. VII, sect. III, et IV.

(3) *Annot. in lib. Num.* cap. 159. apud Jo. Buxtorfium fil. *Anticritica seu Vindiciae veritatis hebraicae*. Basileae 1653. par. I, cap. VIII, p. 143.

(4) Ibid. subscribere enim se profitetur judicio Drusii quem summopere commendat.

autem ad emulcendas aures nostras. Quotquot proinde cum fidelitatis dispendio sec. XVI. et seq. elegantiam in versionibus biblicis aucuparunt, infelicem exitum sunt experti, cum nemini arriserint (1). Quamquam et illud addendum est, si in nonnullis Scripturae partibus barbarismi offenduntur, in maxima tamen parte non deesse latinae linguae puritatem. En quomodo de Vulgata Steuchus Eugubinus trium linguarum apprime gnarus disserat: « Tanta est, inquit, nostrae interpretationis elegantia, tanta proprietas, tam mirabili prudentia vitat hebraismum, seseque nostrae phrasi accommodat, ut alterius esse, quam eruditissimi Hieronymi minime ut credam adduci possim .... Si quid in hac nostra editione diversum ab hebraica veritate invenitur, perleve certo est, et quod uno apice resarciri possit ... Hanc quoties cum hebraica veritate contulimus, toties in magnas ipsius interpretis laudes erupimus, admirati tantam majestatem, tantam in transferendo prudentiam, tantum judicium, tantum leporem, tantam perspicuitatem etc. (2) ». Nec diversa ratione de lingua Vulgatae judicium tulerunt celebres protestantes.

267. Alterum vero quod praedicant emolumentum nullius pariter momenti est, tum quia variantes ipsae lectiones conferunt ad criticam et exegeticam, ac utiles proinde sunt (3); tum quia incurreremus in aliud incommodum; quandoquidem nova ejusmodi versio componi haud posset cum tot variantibus lectionibus textuum tum hebraici tum graeci, novaeque controversiae pullulassent.

268. II. Obj. Si historiam recensionis Vulgatae consulamus, quam imperfecta haec sit magis deprehendemus. Vix enim Tridentinum de vetere et vulgata editione *emendatissime* imprimenda decretum emisit, ut Rom. Pontifices ad sese illud negotii revocaverint, quod Lovanienses Theologi perficere coeperant (4). Pius IV. et Pius V. congregationibus ad id institutis correctionem maturandam tradiderunt; ast Sixti V. fervens alacritas omnis morae impatiens, ut cito absolveretur, effecit, et exitum evulgavit per constitutionem editam kal. Mart. 1589. Typographiam in palatio

(1) Cf. Czuppon *Vindiciae* etc. qui tom. II, sect. V. omnes ad suam usque aetatem catholicorum et acatholicorum versiones ab hebraicis ac graecis fontibus recenset et expendit una cum criticorum judicio, concluditque nullam hactenus effectam esse, quae cum Vulgata comparari possit ob innumeras exceptiones quas patiuntur non modo ex parte catholicorum, verum etiam heterodoxorum.

(2) Praef. ad lect. op. *Veteris Testam. ad veritatem hebraic. Recognitio*. Venet. 1829. et in op. *Vulgata editio an sit Hieronymi*. 1534. apud Brunati diss. cit. pag. 81.

(3) Hodius op. cit. *De Biblior. textibus original.* etc. lib. III, cap. XVI. commemorat Albericum Gentilem ex catholico protestantem, gente Italum atque in univers. Oxoniensi jurisprudentiae professorem, qui libellum edidit: *De latinitate Veteris Bibliorum versionis male accusata*. Obiit porro infelix hic apostata an. 1608. Michaëlis tom. II, ch. VII, sect. XXIV. ostendit haud exiguam utilitatem criticum ex verbis aut phrasibus latinae linguae, quae in Novi Testamenti versione reperiuntur haurire posse atque concludit: « Il n' est aucun motif pour traiter avec mépris la Vulgate, que je préférerais à la Bible de Castelio, pour la raison que je viens de dire. J' ai souvent parlé de ce sujet avec le célèbre Gesner, qui avait coutume de dire que la Vulgate était pour lui un livre classique, non qu' il pût apprendre d' elle un latin élégant, mais parce qu' elle lui donnait les moyens d' embrasser le latin dans toute son étendue ».

(4) Conc. Tridentinum decretum suum edidit die 8. April. 1546. Prima vero editio Lovaniens. prodiit an. mox insequenti 1547.

Vaticano instituit, et ipsemet emendationi mendorum typographicorum operam dedit: « Nostra, inquit, nos ipsi manu correximus, si quae praelo vitia obrepserant ». Prodierunt haec Biblia sic emendata an. 1590. Ast festinatus hic labor, qui venerationis sensum in omnibus conciliare debuisset, tum catholicorum, tum protestantium in satyras, et criticam statim offendit. Innumeris siquidem prope mendis scatebat haec editio, quae chartulis obductis, vel calamo celare nisus est Pontifex, sed perperam. Sixto interea perfuncto, Gregorius XIV. novam emendationem Bibliorum suscepit; ast morte praereptus, haec publicata non fuit nisi paucos post dies a coronatione, quam vocant, successoris ejus, Clementis VIII. Ast quomodo honori consulere Sixti V. et auctoritati pontificiae? Bellarminus hunc modum invenit, mediante praefatione typographi ad lectorem, quam ipsemet confecit, in qua menda omnia typographo adscriberentur. Haec praefatio causa potissima esse debuit *canonizationis* Bellarmini (1). Clementina haec editio quae pluries recusa est ac novis semper emendationibus aucta, cum in non paucis editioni adversaretur Sixtinae, occasionem praebuit James vulgandi libellum cui tit. *Bellum papale* (2), et Amamae suum *Antibarbarum Biblicum* (3). Ex praefatione porro Bellarmini videtur ex una parte fixum Pontificibus fuisse restituere veterem *communem et vulgatam* editionem, ex altera autem sibi proposuisse recensionem Hieronymianam tantum emendare, ut versio ecclesiastica esse posset, quamque reipsa censores uti basim emendationis elegerunt. Quae cum ita se habeant, ecquis est qui non videat informem adhuc esse vulgatae versionis emendationem? Ergo.

269. R. *D. A.* Si consulamus historiam recensionis vulgatae editionis prout fingitur, *C.* juxta rei veritatem *N.*

270. Nam 1. ideo ad se Rom. Pontifices totum hoc emendationis negotium revocarunt, quia solius publicae auctoritatis est id proponere quod communi ac publicae utilitati et commodo inservire debet; alioquin numquam posset litibus quae forte excitarentur, finis imponi. Talis porro est editio emendatae Vulgatae. Privati possunt laboribus suis conferre ad faciliorem rei exitum, non autem definitive rem ipsam proponere.

271. 2. Si ratio habeatur consilii Sixti V. in emendandis Bibliis, et canonum quos sequendos sibi et congregationi huic operi perficiendo institutae proposuit, patebit non inconsultae festinationi, aut morae impatientiae, sed aliis prorsus causis esse adscribendum, quem perperam adversarii malum exitum vocant, Sixtinae editionis. Quae ut intelligantur, sciendum est, a praecedentibus Pontificibus, praesertim vero a Gregorio XIII. jamdiu institutam fuisse congregationem ad Bibliorum castigationem, cui praefectus erat card. Caraffa, et canones quinque sancitos fuisse ad quorum normam delecti correctores laborem suum exigere debebant. Sixtus V. eandem congregationem ratam habuit, at alios octo canones suffecit, quibus immutata, ut ita dicam, est correctionis basis. Nam juxta priores canones plus indulgebatur collationi versionis et textuum (4); juxta posteriores plus tribuebatur communi lectioni, quae vigebat in ecclesia, etiamsi

(1) Ita Hug apud Cellérier op. cit. *Introduction* etc. pag. 210. seqq.

(2) De quo fuse scribit Hodius op. cit. pag. 504 seqq.

(3) Ibid. et pag. 494.

(4) Hos canones exhibet Cl. Ungarelli in cit. *Prolegom.* § 5.

in nonnullis a textibus discrepare videretur vulgata editio (1). Inde factum est, ut *Correctorium Caraffianum*, ut vocant, quod ad normam priorum canonum digestum erat, non arriserit Sixto V. ac plures praeterea emendationes omiserit in sua editione, ex iis quae in illo Correctorio notabantur, idque ex lege sibi praescripta. Interim licet nulla diligentia praetermissa fuerit, qua impressio typographica nullo vitio inficeretur, nonnulla tamen irrepserunt sphalmata, quae Sixtus V. emendavit, et chartulis glutine applicitis, admonuit quomodo se vera lectio haberet; sunt vero inquit cl. Ungarellius, loca hujusmodi ita correcta non ultra quadraginta (2).

272. Ex his patet neque adeo mendosam ejusmodi editionem evasisse, ut passim traducitur, neque Sixtum eam repudiasse, ut nonnulli vulgarunt, nec pauca adeo exemplaria impressa fuisse, ut vulgo fertur (3). Quod si Sixtus V. cogitavit sub finem pontificatus sui praelo iterum subjicere suam editionem, uti Bellarminus in allegata praefatione aliique testantur, non ob defectum correctionis ipsius Vulgatae, sed ob menda quae reipsa eam in editionem irrepserant, id animo consilii revolvit, quod morte praepeditus executioni mandare non potuit. Ceterum numquam Sixtum poenituit correctionis suae, quae adamussim canonibus sibi praestitutis respondit (4). Rumor autem qui in vulgus spargi coepit, quod Sixtus ante obitum abjecerit castigationem Bibliorum, magna ex parte originem habuit a correctoribus Caraffianis, qui aegre tulerunt Sixtum plures ex illis emendationibus quas ipsi proposuerant neglexisse (5), atque ita amplificata sunt menda Sixtinae editionis. Haec tamen magis accessit ad antiquam vulgatam editionem quam Clementina, uti testatur Alex. Geddes scribens: « Prior (editio Sixti V.) plus antiquae Vulgatae retinere videtur: melius illa Mss. auctoritate suffulta (6) ».

273. 3. E vivis sublato Sixto V. an. MDXC. VI. Kal. Septemb., nec non Urbano VII. eidem suffecto, utpote qui nonnisi tredecim diebus electioni suae supervixerit, ad thronum pontificalem evectus est eodem anno in finem vergente Gregorius XIV. Hic, pluribus urgentibus, novam Bibliorum emendationem suscepit, instituta in hunc finem congregatione cui pariter sui canones traditi sunt ad quorum normam emendatio fieret (7). Sicque diversa iterum

(1) Cf. ibid. § 12.

(2) Ibid. Quod et ego ipse expendi, cum exemplar Sixtinae ejusmodi editionis in nostra Collegii Romani bibliotheca habeamus. Si quae alia menda in Sixtina editione occurrunt minimi momenti sunt. Notandum adhuc est ex illis XL. mendis typographicis quae Aldo juniori exciderunt, nonnisi triginta fuisse chartulis obducta, eo quod graviora essent, ac sensum immutare viderentur; decem itaque nec omnia prorsus certa, absque correctione dimissa sunt, ut idem cl. Auctor observat § 15.

(3) Cf. ibid. § 13. et Marchand, *Amoenitates liter.* p. 438.

(4) Hoc fuse ac erudite ostendit Ungarelli loc. cit.

(5) Ibid. § 14.

(6) Apud eundem § 12. Quod et Bern. De Rossi confirmat in cit. *Introduzione alla sacra Scrittura* § LXXVIII. disserens de criticis qui scripserunt de editione Clementina: « Trovarono che non poche lezioni vi sono nella Sistina molto migliori e più consentanee ai testi originali di quelle della Clementina. Noi ne abbiamo dati in altra opera nostra degli esempj ». Nempe in libro *De praecipuis causis neglectae heb. litt. discipl.* pag. 93 seqq.

(7) Hos pariter refert Ungarelli § 16. Sunt autem numero quinque. Subjicit praeterea § 17. plures observationes circa ejusmodi emendationem.

basis per hos canones perficiundae emendationi constituta est. Brevi, e medio impedimentis a Pontifice sublatis, Zagarolae ad perfectum res deducta est (1). Editio sic emendata propediem in lucem vulganda erat, cum die 15. Oct. an. 1591. Gregorius XIV. fatis cessit; quare usque ad novi Pontificis electionem impressionis negotium dilatum est. Vix elapsis diebus 14. ab obitu Gregorii, electus est in Pontificem Innocentius IX. qui tamen sub finem Decembris ejusdem anni diem suum obivit. Post mensem creatus est Pontifex Clemens VIII. qui illico animum convertit ad Bibliorum editionem. Gregorianum Correctorium (2) Clemens p. Toleti S. J. judicio commisit, qui septimo vix mense transacto (3), opus sibi demandatum explevit, et exemplar Toletanum (4) praelo subjectum est ab Aldo Manutio Aldi abnepote in folio maximo atque iisdem characteribus quibus Sixtina Biblia iste jam impresserat, et ante illius anni 1592. finem in lucem prodiit, curante typographicam correctionem Angelo Rocca ex Augustiniana familia (5). Neque tamen haec impressio suis mendis typographicis caruit (6), neque item aliae, quae eam proxime subsecutae sunt, videlicet an. 1593. 1598. et 1624. (7). Interim si quis conferat inter se editionem Sixtinam et Clementinam, comperiet alteram alteri adjumento fuisse, plures retentas esse correctiones Sixti V. quarum nulla absque fundamento facta est, quamvis in

(1) Ibid. § 19.

(2) Hoc Correctorium Mss. adhuc Romae asservatur in Bibliotheca pp. Augustinianensium *Angelica* nuncupata una cum facti narratione Angeli Rocca, quae plurimum juvat ad rei veritatem agnoscendam.

(3) In postrema pagina suarum annotationum quas apposuerat Bibliis Sixtinis spatiosiis foliis impressis ad utrumque Testamentum usque ad Apocalypsim legitur: « 28 Augusti an. 1592. die sancti Augustini, Clem. VII. (sic) a. 1, perfeci annotationes has omnes ». Apud Ungarelli § 22.

(4) Hoc pariter exemplar manu Sirleti exaratum in bibliotheca Vaticana asservatur.

(5) Ut liquet ex litteris apostolicis Clementis VIII. quae ita se habent: Clemens Papa VIII. « Hanc Bibliorum editionem juxta correctionem a congregatione praestitam, imprimendam mandamus: et judicio p. Francisci Toleti e societate Jesu committimus, eique nostram hac in re auctoritatem impertimur: emendationem vero typographicam fratris Angeli Rocchensis Augustiniani a Camerino fidelitati et industriae demandamus — Clemens Papa VIII. »

(6) Sane editionis Clementinae principis quae an. 1592. prodiit, errata typographica octogenarium numerum excedunt, dum vix XL. reperirentur in editione Sixtina alicujus momenti. Hujus quoque exemplar habemus in bibliotheca Coll. Rom.

(7) Nam et ea quae 1593. edita est, teste Le-Long suis erroribus maculatur, et pluribus quam quae fuit anno superiore impressa, quae deinde castigata est editione 1598. in 4. min. Verum neque haec suis mendis caruit, eo praesertim quod tribus commune est, imo et illi quae an. 1624. ubi Genes. XXXV. 8. de nutrice Rebeccae legebatur quod fuerit sepulta *SUPER quercum* pro *SUBTER* prout recte legitur in editione Sixtina. Hic error postea casu *mere fortuito* deprehensus est ac sublatus a typographis Plantinianis. De illis editionibus prioribus Clementinis copiose egit Henricus Bukentop in cit: אור מאור seu *Lux de luce* p. 487-500. qui praeterea comparationem instituit inter lectiones universas Sixtinae editionis cum lectionibus editionis Clementinae; ex his porro colligitur loca mutata ex Sixtina editione in Clementina esse 2134. Egit insuper de Clementinis editionibus quae vulgatae sunt an. 1592. 1593. et 1598. Bonaventura a Magdalono in op. cui tit. *Triplex Biblico-critica demonstratio* in tom. I. Venet. 1760. pag. 45 seqq. Notandum

insequenti non omnes fuerint justas ob causas adlectae (1); comperiet praeterea diversitates inter utramque editionem exigui esse momenti, adeo ut vere scribere potuerit Bukentop. « Nulla est in utroque Pontifice repugnantia, nulla in utriusque Bibliis alia credendi aut agendi, nulla substantialis diversitas, sed accidentalis solummodo (2) ». Nempe ita Sixtina editio ad Clementinam se habet ut minus perfectum ad magis perfectum.

274. 4. Ex his patet insuper 1. perperam James aliosque protestantes inter se utramque editionem commisisse, perinde ac si invicem sibi adversarentur, atque ex solo aestu Romanam ecclesiam carpendi eo adductos esse (3). 2. Non ex praepropera festinatione et ex superbo Pontificis Sixti ingenio factum esse, ut mendis inficeretur ejus editio, sed vere ex typographi lapsu illa irrepsisse, quibus emendandis Sixtus chartulas glutine applicuit (4); 3. si praeter vitia typographica nonnullae lectiones immutatae sunt in Clementina editione, id contigisse ex eo quod diversam methodum secuti fuerint correctores Sixtini et Gregoriani, postea vero etiam Clementini (5); quod innuit Bellarminus in praefatione adjecta sacris Bibliis, qui non solum praeli vitia emendata tradit, sed immutata nonnulla praeterea docet in Clementina editione ad instrumentorum fidem et collectionem (6), quique et alia immutata consulto relicta esse

denique est editiones Clementinas constanter fuisse editas sub solius Sixti v. nomine; qui omnium primus in fronte Bibliorum apposuit nomen Clementis viii. videtur Antonius Laurens, cujus sumptibus prodierunt Lugduni Biblia Vulgata latina fol. an. 1675. cujus exemplum deinceps ceteri editores sequuti sunt.

(1) Cf. Ungarelli in cit. *Proleg.* § 15.

(2) In praefat. ad librum iii. op. *Lux de luce* p. 316.

(3) Ecquis non deprehendat protestantium furorem in ecclesiam catholicam dum ob exigui momenti correctiones adeo vehementer in eam insurrexerunt? Qui praeterea insanientes in Tridentinum decretum de Vulgata retinenda et emendanda, alii illud *prodigiosum* vocarunt, ut Amama in *Antibar.* lib. 1, cap. v, p. 37. alii *temerarium*, uti Hottingerus in *Thesauro philolog.* lib. 1, c. 3. p. 393. alii *infelicissimam temeritatem*, op. cit. par. ii, c. 14. p. 488., alii *indignissimum facinus*, ut Pfeifferus *Criticae sacrae* cap. 2. n. 5. alii *absurdum* ac *falsum* ut Leusdenus in op. *Philologus hebraeus mixtus* diss. 1, n. 6. alii demum *blasphemum* atque *impium*, uti Glasiius, *Philologia sacra* lib. 1. tract. 1. edit. Lips. 1705. col. 32. Ad haec quid dicemus? Illud ipsum quod regius Psaltes: « Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper ».

(4) Attamen Hug ut protestantibus velificaret scribere haud dubitavit: « Mais le Saint-Siége voulait se réserver ce travail: Pie iv. et Pie v. le confièrent à des congrégations nommées dans ce but. Sixte v. dont la bouillante activité ne pouvait supporter une marche aussi lente, le fit promptement terminer, et annonça ce succès par une bulle du premier Mars 1589. » Apud Célér. p. 202. Hoc vere est historiam scribere *a priori*. Hic praeterea ib. subdit: « *L' instruction*, *la véhémence et l'orgueil de Sixte*, rendent assez probable, que plus d' une fois il contraria les correcteurs et changea l'ouvrage brusquement, malgré eux, et de sa propre main ». Itane catholicus?

(5) Cf. Ungarelli in cit. *Proleg.* § 24.

(6) En ejus verba ex praef. ad lector. praemissa edit. Clementinae: « Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione, *in codicibus Mss. hebraeis graecisque fontibus, et ipsis veterum patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit*; in hac tamen pervulgata le-

admonet. Patet insuper 4. nomine *Vulgatae veteris et communis* Bellarminum significasse reipsa Hieronymianam versionem ac recensionem, ut constat ex orationis serie, secus ac insinuet Hug: omnes enim correctores tum Sixtinae, tum Gregorianae congregationis codicem gothicum Boeticum praeseferentem puriorem Hieronymianum textum uti instrumentum praecipuum adhibuerunt (1). Patet 5. Bellarminum non ut consuleret honori Sixti V. multo vero minus pontificiae *infallibilitati*, uti nonnulli protestantes adjicere solent, permiscentes opus *criticum* cum fidei definitione (2), illam praefationem confecisse, sed ut rationem redderet ipsius editionis (3). Patet 6. tantum abesse, ut haec prae-

ctione, sicut nonnulla consulto immutata, ita etiam alia, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt ».

(1) De insigni hoc documento quod primum typis vulgavit Cl. Blanchinius cf. quae doctissimus hic vir scripsit una cum praefatione Christophori Palomares, ex qua disces illud exscriptum esse ex codice Lucinii Boetici qui sex ad Hieronymum notarios miserat ad scribendum quidquid Hieronymus hactenus in sacras litteras exaraverat, et eodem s. Doctore dictante, fideliter scripserunt. Habet hic codex ad minus an. 900. antiquitatis et genuinum exhibet versionis Hieronymianae textum. Romam Rom. Pontificum cura advectus, eo deinceps tamquam instrumento praecipuo ad veram lectionem Vulgatae restituendam usi sunt tum correctores Sixtini, tum Clementini. Attamen vix unquam de hoc codice protestantes mentionem faciunt; ratio est quia continet celebre comma I. Jo. v, 7.

(2) Sic Michaëlis fanaticus admirator *magni* Lutheri, qui magnus non fuit nisi ea ratione qua *magnus* fuit Arius, ceterique heresiarchae *magni* fuerunt. Ceterum Michaëlis op. cit. tom. II, sect. XXIX, p. 31. scribit: « Mais, afin de respecter *l' infaillibilité* du souverain Pontife, on prétendit, que tout cela avait été fait à cause d' un ordre donné par Sixte v. »; et ante ipsum Hodius op. cit. lib. III, cap. XIV, n. 10. ut insultet catholicis: « Ne nescius, inquit, sit lector diligens quale fuerit illud inter duos Pontifices *infallibiles* bellum etc. » et ita porro ceteri minorum gentium scriptores, quin animadverterint Sixtum ipsum professum esse se evulgare latinam editionem *prout optime fieri potuit*, emendatam, ac proinde numquam sibi in critico hoc opere infallibilitatem tribuisse.

(3) Juverit integrum textum in medium afferre card. Bellarmini ex commentariolo vitae suae privatae, quod ipsemet conscripsit, diuque manuscriptum delituit, donec publicis typis vulgatum est, ex quo deprehendimus ejus consilium, ac ipsum, prout antea diximus, auctorem fuisse praef. Typographi ad lectorem, quae in Biblicis Clementinis habetur. Sic igitur ipse scribit: « Anno 1591. cum Gregorius XIV. cogitaret, quid agendum esset de Bibliis a Sixto v. editis, in quibus erant permulta perperam mutata, non deerant viri graves qui censerent ea Biblia esse publice prohibenda: sed N. (Bellarminus) coram Pontifice demonstravit, Biblia illa non esse prohibenda, sed esse ita corrigenda, ut salvo honore Sixti v. Pontificis, Biblia illa emendata ederentur: quod fieret, si quam celerrime tollerentur quae male mutata erant, et Biblia recuderentur sub nomine ejusdem Sixti, et addita praefatione, qua significaretur, in prima editione Sixti prae festinatione irrepsisse aliqua errata vel typographica, *vel aliorum*. Placuit consilium N. Gregorio Pontifici, et jussit ut congregatio fieret ad recognoscendam celeriter Bibliam Sixtinam (*sic*), et revocandam ad ordinariam Bibliam, praesertim Lovaniensem. Id factum est Zagarolae, in domo Marci Anton. Columnae, praesentibus cardinali ipso Columniensi, et Alano cardinali Anglo, nec non magistro sac. Palatii Apostolici, ipso N. et alii tribus vel quatuor: et post obitum Gregorii et Innocentii, Clemens VIII. edidit Bibliam recognitam sub nomine Sixti, cum praefatione, *quam idem N. composuit* ».

fatio causa extiterit canonizationis Bellarmini, ut neque Bellarminus unquam *canonizatus* fuerit, et haec ipsa praefatio occasionem dederit promovendi difficultates adversus illius canonizationem (1).

275. Si modo oculos conjiciamus in editiones vulgatae versionis quae ante Tridentinum prodierunt, easque comparemus cum editionibus quas deinde accepimus post tot Rom. Pontificum curas a s. Sede, fateamur necesse est, *in multis beneficiis, quae per sacram Tridentinam synodum (et sedem Apostolicam) ecclesiae suae Deus contulit, id in primis numerandum, quod ita emendata hac editione fruamur*.

PROPOSITIO II.

Jure optimo Romani Pontifices Societates biblicas nuncupatas veluti noxias et perniciosas iteratis decretis improbarunt

276. Jure optimo Romani Pontifices societates biblicas improbasse veluti noxias et perniciosas dicendi sunt si tales reipsa et earum origo ac natura, et spiritus qui in iis dominatur atque finis ipsis praestitutus, effectus denique qui ex iis profluunt, aperte illas patefaciunt. Jam vero ejusmodi esse societates biblicas a Rom. Pontificibus improbatas sic per partes ostendimus.

In sinu protestantismi vel anglicanismi prima biblica societas instituta est, in Anglia scilicet an. 1804. Cum enim fructus invido oculo cernerent protestantes et anglicani quos ubique locorum missionarii, quos vocant, catholici, ingentes sane referebant, quamvis antea vel hos spernerent, vel etiam proselytismi notam illis inurerent, coeperunt et ipsi de gentium conversione serio cogitare. Illico flagrarunt desiderio ad Christum, ut ipsi dictitabant, adducendi idololatras ac infideles ceteros, Judaeos scilicet et Islamitas. In hunc finem publica societas biblica Londini est instituta ad Biblia translata in linguas vernaculas singulorum populorum sine commentariis ac sine notis ubique disseminanda (2). In hanc societatem cooptatae deinde sunt aliae prope innumerae in utroque hemisphaerio institutae, quae et pecuniariis subsidiis, et versionibus Bibliorum societati primariae ad opus perficiendum adjumento essent (3). Hae omnes societates coalescunt ex membris omnium sectarum protestantismi, ex lutheranis videlicet et calvinistis orthodoxis, ut appellant, weslejanis sive methodistis, anglicanis, socinianis, arminianis, moravis, anabaptistis, quakeris etc. (4). Harum sectarum quaelibet in peculiari quam adornat versione Scripturam

(1) Cf. *Relationem Caroli Alberti card. Cavalchini ponentis in causa beatificationis, et canonizationis ven. servi Dei Roberti card. Bellarmini*. Romae 1753. p. 175. seqq. Quod nec dissimulavit Leander Van-Ess, qui et hanc causam assignat qua Bellarmini canonizatio difficultatem experta sit. Attamen, si credimus Cellérier loc. cit. p. 205. *Hug donne en note les preuves de cette double assertion*, quod scilicet Bellarminus fuerit auctor praefationis, *et causa ejus canonizationis!*

(2) Cf. Grégoire *Hist. des sectes* liv. VII, chap. IX, tom. IV. ed. Paris 1829. pag. 402.

(3) Centenae imo et millenae pene numerantur ejusmodi societates coalescentes ex omnibus sectis cf. ibid. p. 427 seq.

(4) Cf. Milner op. cit. lettre XXX, p. 399.

ad opiniones seu verius ad errores suos accommodat, ac si opus sit foede corrumpit, ut sic professionem fidei uniuscujusque propriam incautis propinet (1). Talis est societatum biblicarum origo, talia membra, talia denique elementa quibus constant, atque instrumenta quibus ad rei christianae propagationem, ut ipsae proclamant, utuntur.

277. Spiritus porro qui in ipsis dominatur, spiritus oppositionis est adversus ecclesiam catholicam, finis vero sive scopus, ejusdem destructio est ac eliminatio. Ne vero hasce societates calumniari videamur, juverit documenta afferre, quibus utraque assertio adstruatur. Sane spiritum hostilem adversus catholicam ecclesiam biblicis societatibus inesse fatetur ipsemet O' Collaghan auctor protestans, qui reperit in harum societatum institutione *Spiritum oppositionis adversus Romam*, seu adversus ecclesiam catholicam (2). Quidam minister cognomento Cottarel in publica concione habita an. 1813. in conventu cujusdam harum societatum significavit sperare se fore ut Bibliorum distributio plurimum conferat ad evertendam auctoritatem papalem (3). Distributio ipsa Bibliorum absque explanationibus ac notis scopum patefacit efficiendi ut praevaleat principium princeps ac fundamentale protestantismi de interpretatione privata, ac rejectione omnium dogmaticarum traditionum (4): hoc autem vel ipse furor declarat quo sectae omnes protestantismi istud promovent institutum nullis parcentes sumptibus (5), nullis laboribus, incommodis, translationibus, impressionibus Bibliorum, ita ut in conventu Novionensi an. 1828. societas gloriaretur quod viginti quinque annorum tractu Evangelium translatum fuerit et impressum nonaginta septem novis idiomatis, dum longa octodecim seculorum anteactorum periodo, nonnisi in quadraginta septem linguas fuerit conversum ac typis deinde vulgatum (6).

278. Quod vero ad finem spectat quem sibi proponunt ejusmodi societates, tum ex hactenus dictis patet tum ex modo quo ipsae Biblia sic translata, seu potius corrupta diffundunt. Nam non solum inter infideles aut idololatras

(1) Cf. ibid. et Grégoire pag. 407.

(2) Ita in op. *Thoughts on the tendency of Bible societies as affecting the established church.* by the Rev. O' Collaghan. London 1817. pag. 33.

(3) *The Orthodox journal*. Octob. 1813. pag. 179.

(4) Cf. Grég. loc. cit. p. 425.

(5) Recol. quae scripsimus in tract. *De vera relig.* p. II, prop. X.

(6) Cf. Grégoire op. et loc. cit. p. 442. ex illo tempore ulteriores jugiter progressus fecerunt biblicae societates; ex Ephemer. Asiatica eruimus collectam societat. in sola Anglia an. 1838. pervenisse usque ad ingentem summam 846. 316. libell. sterlin. nempe 21,000,500. circiter libell. gallican. Qui plus contulerunt fuerunt methodistae qui dederunt 83. 648. lib. sterl. Missio eccles. anglicanae libel. ster. 83. 447. Missiones *cognitionum christianar.* 84. 052. Missionarii Londinenses lib. ster. 70. 255. reliquum tribuerunt aliae sectae. Cf. *Journ. de Liège* tom. V. 1. Mars. 1839. Proventus societatis biblicae an. 1838. ascendit ad 1,000,600. lib. st. nempe supra 40,000,000. lib. gallic. quarum Anglia contulit 10,000,000. provinciae Foeder. Americae 10,000,000. reliquum contulerunt coloniae anglicae in quatuor mundi partibus, atque regiones protestantes in Europa. Cf. *Ami de la relig.* 6. Juin. 1840. An. 1839. numerabat societas 5,000. missionarios, 50. typographias, 300. adjutores missionarios ac ludimagistros, plura centena indigenarum ministrorum. Missionarii proprie dicti recensebantur in Africa 128. in Indiis 168. In insula Ceylan 28. in Archipelago Indico 81. in Indiis Occidental. 118.

ea disseminant, sed inter catholicos in Germania, in Galliis, in Hispaniis, in Lusitania, in Italia aliisque regionibus ad catholicos seducendos ac pervertendos (1). Patet praeterea id ipsum ex innumeris pene libellis, tractatibus, impiisque lucubrationibus quas una cum Bibliis aut gratis aut modico pretio inter opifices, villicos, plebeculam studiose distribuunt. Quandoque nec veritale sunt pseudepigraphis incautos decipere, libros ipsius christianismi eversivos porrigendo (2), ut silentio praetereamus artes fraudesque omnigenas quibus ad subvertendos neophytos catholicos utuntur in regionibus infidelium (3); persecutiones ac vexationes quas ubique locorum excitare satagunt biblici adversus missionarios catholicos; adeo ut illos vero lupos esse dixeris ad dissipandum mactandumque dominicum gregem immissos (4). Talis est spiritus, talis finis seu scopus ejusmodi societatum.

279. Fructus demum qui exinde dimanant apprime naturae ac indoli conspirantium istarum societatum respondent. Cum enim nusquam dixerit Christus: *euntes distribuite Biblia*, sed *euntes docete . . et praedicate*, cumque fides sit *ex auditu*, ut loquitur Apostolus, factum est ut tanta diffusione imo et prodigalitate Bibliorum nullum hactenus alicujus momenti societates biblicae vel apparentem felicem exitum attule-

(1) Societas Biblica instituta est, ut diximus, an. 1804., ab hoc anno ad an. 1840., id est spatio 36. ann., distribuit supra 12,000,000. exemplaria Bibliorum quae versa sunt in 148. idiomata. An. 1839. in solis Galliis distributa sunt 137,000. exempl. Conquerebatur *Caballerus* anglicus praefectus a societate distribuendis Bibliis quod Hispania, Italia et Austria solae regiones essent per quas circuire non poterat *opus divinum:* ast tandem aliquando nunc Hispania et ipsa feliciter invenitur in circulo nationum *liberarum*. Cf. Univers 6. Mars. 1841. Sane cito profecerunt biblici methodistae in Hispania; etenim a mense septemb. ad mensem januar. 1841. distribuerunt 100,000 exemplaria Biblior. in linguam hispanicam translat. vid. *Voce della Verità* 20. Genn. 1841. Imo officina typographica Barcinonae instituta est ad ea imprimenda. De Austria nihil certi scio; quod vero attinet ad Italiam prae manibus habeo varia exemplaria Bibliorum, quae italice impressa sunt et quidem corrupta ac mutila ex versione Diodati, hominis, ut videbimus, lue calviniana infecti, quaeque distributa sunt in his regionibus a viatoribus protestantibus.

(2) Ut plurimum tractatus mysticos qui una cum Bibliis diffunduntur in acceptis referre debemus faeminis, quae oblitae fusi ac filii digitis suis apprehenderunt calamum. Inter has eminet Ducissa de Broglie orta ex Staël, apologeta adulterii atque suicidii, abnepos boni illius Neker cui debitores sumus op. *Rationalité du Deisme*. Alias non commemoro ne invidiam subeam. Cf. opusc. cit. *Le ministre protestant aux prises avec lui-même*, pag. 13. Adeo progressi sunt protestantes in ejusmodi impietatibus, ut ad decipiendos villicos ex titulo veriti non fuerint distribuere *vitam Jesu Christi* doctori Strauss qua ipse evertitur christianismus. Vid. *Ami de la relig.* n. 2947-2948. 31. Mars. 1838. Vid. ibid. 6. Août 1840. qua ratione impresserint Biblia sub nomine Vulgatae a Clemente VIII. recognitae, mutila tamen atque corrupta de more, attamen uti *authentica* vendiderunt. Talis est *sincera protestantium fides!*

(3) Cf. *Annali della propagazione della fede* vol. II, pag. 417. seqq. Quoniam ejusmodi annales omnium manibus teruntur, ideo brevitatis gratia contentus ero indicare fasciculos quibus quae affirmo innituntur.

(4) Cf. *Annali* etc. fasc. LVI. pag. 204-206. ibid. 209-235. fascic. LVII. p. 258-262. fasc. LVIII. 372 seq. ibid. p. 375-400. fasc. LIX. p. 424 seq. fasc. LXI. p. 75. LXII. p. 95. 149. 154. LXIV. p. 310. LXV. p. 512-514. 530-532. etc. etc.

rint (1). Ad haec accedit profanatio cui ubique gentium exposuerunt atque exponunt hae societates sacra Biblia, quae usibus plane indignis ut plurimum saltem inserviunt (2) et irrisioni infidelium qui cachinnis quae non intelligunt, excipiunt (3). Verum exigua haec adhuc sunt, si cum zelotypia exterorum regiminum politicorum comparentur, qua factum est ut identidem harum societatum imprudentia saevissimae excitatae fuerint insectationes in christianos qui pace fruebantur cum turbatione quae indidem mota est animorum, qui ejusmodi Bibliorum distributione graviter offensi sunt (4), cum scandalo quod integri aliquando populi ex sacrae Scripturae lectione passi sunt, quam adeo contrariam praeconceptis suis opinionibus ac ritibus repererunt. Quamobrem pluribus in provinciis ac regnis inconsulta haec Scripturae sacrae diffusio animos magis aversos ab amplectenda religione christiana effecit (5).

280. Quae cum ita se habeant; si nempe spectata societatum biblicarum origine, natura, elementis, instrumentis; si perpenso hostili ipsarum spiritu ac fine aut impediendi progressus religionis catholicae, aut etiam, si quidem fieri posset, eae evertendae, quocumque id demum medio, malis artibus ac fraudibus obtineri posse ipsis videatur; si ratione habita pessimorum fructuum qui ab eis producuntur, luce ipsa meridiana profecto clarius apparet in perniciem eas cedere verae religionis, scilicet ecclesiae catholicae, quae unice vera religio christiana est, cui plane quaquaversus exitiosae societates biblicae sunt (6); recte concludimus Rom. pontifices quibus munus divinitus incumbit intemeratam incolumemque illam servare, jure optimo biblicas societates tamquam noxias ac perniciosas improbasse atque damnasse, Leonemque XII. epistola encyclica ad patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos data die 8. maj. 1824. proscriptionem illam rite iterum sancivisse et confirmasse.

281. Nunc coronidis gratia adjicimus non solos Rom. Pontifices, sed ex ipsis protestantibus et anglicanis haud paucos extitisse, qui, omnibus perpensis, biblicas societates improbarunt, eisque obstiterunt. Tales fuere episcopi *Prettisman* et *Carlisle* in Anglia (7). Talis cleri anglicani pars, quae conquesta est, quod cooptati in societatem biblicam fuerint *dissentientes* cujusvis communionis (8). Anno praeterea 1826. Herberts Marsh episcopus Anglicanus Novi Ebo-

(1) Recol. tract. *De vera relig.* loc. cit.

(2) Ibid. Cf. praeterea Grégoire op. cit. pag. 443. et Milner lettre XXX. p. 394. vid. etiam *Univers* 28. Octob. 1841.

(3) Cf. *Annali* etc. fasc. XIII. cui tit. *Delle bibliche società e delle missioni protestanti nell' Indie*, ubi referuntur epistolae D. Du-Bois.

(4) Cf. Ibid. fasc. LIX. p. 462. LXIII. p. 200. 202. 220. LXV. 390. 395. etc. In imperio Sinensi non ita pridem saeva persecutio in christianos excitata est ex Bibliis lingua Sinica projectis ad maris oram.

(5) Cf. cit. fasc. XIII.

(6) In secundo supplemento Ephem. Univers. 7. Avril. 1841. exhibetur *Mémoire sur l'état actuel de l'église Grecque-catholique dans le Levant*; ex hoc porro documento deprehendimus unionem *turcarum, graecorum, schismaticorum, anglicanorum, russorum et hebraeorum* adversus catholicos; istius unionis societatem biblicam animam veluti esse, biblicosque non esse nisi conspirationem generalem permanentem contra ecclesiam catholicam.

(7) Apud Grégoire loc. cit. p. 421.

(8) Ibid. p. 422.

raci (*New-York*) in provinciis foederatis Americae documentum pastorale edidit, quo *episcopales* a cooptandis in societatem biblicam alterius communionis hominibus deterreret (1). Jam vero si Anglicani reprobant societates biblicas ne extremam afferant perniciem ecclesiae anglicanae ob principium, ut ita loquar, dissolvens, quod ipsarum ope protestantismus spargit atque diffundit (2), quanto eas magis improbare debent Rom. Pontifices ob damna, quae inde adversus religionem catholicam promanarent? Attamen adversarii crimini vertunt Romanis Pontificibus, quod eas proscripserint, alte vero silent de anglicanis praesulibus, qui eadem sese ratione gesserunt.

DIFFICULTATES

282. Obj. 1. Nonnisi commendatione dignus zelus habendus est, quo flagrant biblicae societates deferendi *bonum nuncium* barbaris populis idololatris aut infidelibus, qui in tenebris et in umbra mortis sedent. 2. Qui saltem per Bibliorum lectionem desiderium possunt animo concipere inquirendae ulterius veritatis, etiamsi Biblia per se conversionis opus perficere nequeant. 3. Credibile porro non est, eos omnes, qui pecuniam in opus adeo salutare erogant et impendunt ab alio permoveri fine, quam ad lucrifaciendas Christo Domino tot miserorum animas. 4. Quod et de translatoribus et distributoribus Bibliorum, seu missionariis intelligi pariter debet. 5. Quamobrem spes magna affulget integre mores emendatum iri tum in christianorum, tum in infidelium regionibus ejusmodi Bibliorum distributionis subsidio (3). 6. Sane Deo pergratum esse biblicum institutum haud obscure ex felici ejusdem successu patescit; census enim annuus biblicae societatis eadem proportione auctus est, qua in eam insectationes sunt excitatae (4). 7. Soli igitur tenebrarum patroni, Romani videlicet Pontifices, ejusmodi societates improbare possunt ac *pestis* nomine infamare ut Pius VII. in *Brevibus* datis die 29. Jun. 1816. ad Arch. Gnesnensem, et die 3. Sept. 1816. ad Archiep. Mohilowensem, 8. in quo etiam prohibenda praecipitur versio Scripturae sac. polonica, jussu Gregorii XIII. confecta, quaeque approbante Clemente VIII. Cracoviae an. 1599. in vulgus jam prodierat; Brevia ista *ad hanc pestem avertendam* sancivit Leo XII. epistola encyclica die 3. Maj. 1824. (5). Ergo.

283. Resp. Ad 1. *D.* Si zelus iste esset secundum scientiam, atque ex fine deferendi *bonum nuncium* ortus reipsa esset, *Tr.* si contra inconsultus est, ex odio in Rom. ecclesiam profectus, et ex solo fine impediendi fructus quos referunt catholici *N.* Talem porro esse spiritum quo institutae sunt ejusmodi societates, talem sibi finem eas praestituisse paulo ante luculenter ostendimus. Profecto si zelo illo quem jactant reipsa flagrarent sodalitia biblica, impense fo-

(1) Ibid. p. 426. Hac de causa ad eundem episcopum Marsh epistolas gratulatorias dedit sacerdos catholicus Gandolphy ita inscriptas: *A congratulatory letter to the Rev. Herbert Marsh* etc. *by the* Rev. P. Gandolphy in 8. London 1812. et *A second letter* ibid. 1813.

(2) Certe vel ipse Hook anglicanus evidenter ostendit magnum protestantismi principium presse in praxim deductum allaturum plenam ecclesiae anglicanae dissolutionem. Cf. apud Milner loc. cit. p. 400.

(3) Ita Clark apud Milner ibid.

(4) Ita Gisborne, ibid.

(5) Ita Wegscheider § 45. not. (g).

verent missiones catholicorum qui et ipsi deferunt *bonum nuncium ;* cum autem ubique locorum eos exturbare adnitantur; cum principes populosque ad ejiciendos catholicos missionarios impellant (1); cum turbas cieant, et omnia moliantur ad eorum labores evertendos, evidens est non *boni nuncii* deferendi causa, sed iniquo prorsus animo ac invidentia illa permoveri (2). Deinde curnam infideles versiones catholicis obtrudunt ac detruncata Biblia (3), qui *bonum nuncium* longe melius quam istae societates noverunt? Eccur a catholica religione eos avertere tanto studio, tantoque molimine, impensis ac laboribus satagunt? Demum, ceteris omissis, sciscitari merito possumus a quonam suam hanc missionem acceperint: « Quomodo praedicabunt, interrogat Apostolus, nisi mittantur? » multo vero minus missionem habuerunt distribuendorum Bibliorum, cum Christus numquam medium istud elegerit. Profecto olim et isti sectarii illud audient: *numquam novi vos . . . Non mittebam eos et ipsi currebant* (4).

284. Ad 2. *N.* Vidimus siquidem ab experimento animos infidelium amoveri potius a religione Christiana, Bibliorumque lectione graviter offendi. Cum enim Biblia nullum religionis integrum systema offerant, fieri nequit ut rudes et efferati inde aliquid percipiant emolumenti. Attamen anglicani vellent ut illi exinde XXXIX. articulos ecclesiae anglicanae eruerent, methodistae suum *enthusiasmum*, quakeri spiritum interiorem, swendenborgiani somnia sua, et ita porro (5). Praeterea quomodo isti biblici suadebunt Tartaris, Iroquensibus, Indis etc. librum, quem porrigunt, divinitus esse inspiratum, ita ut ei iidem auscultent, concipiantque desiderium ulterius inquirendae veritatis, cum nec ipsi huic inspirationi credant?

285. Ad 3. *D.* Qui bona fide pecunias erogant, *C.* qui eas nempe emungunt ad pravos commemoratos fines *N.* Neque illud dubitem plures certo reperiri, qui decepti ac circumventi a concionatoribus suis putent obsequium se praestare Deo, atque ex sincero desiderio proximorum suorum saluti prospiciendi ad erogandas eleemosynas permoveri sumptusque faciendos; plurimi ex infima praesertim plebecula, cujusmodi sunt opifices, bajuli, famuli, ancillae non alium sibi finem praefigunt. Deus benevolentem istorum animum non despiciet. Verum de his nullus hic sermo;

(1) Hac ratione sese gesserunt in insulis Sandewicz, Gambier etc. seu ubicumque influxum aliquem exercere potuerunt; satis est ad haec cognoscenda oculos conjicere in singulos prope fasciculos *Annalium propagationis fidei*.

(2) Cum ministri novae Angliae satagerent pervertere Hurones et Iroquenses, aliosque silvestres populos ad religionem catholicam conversos, hoc ab illis acceperunt responsum: « Vos numquam verbum nobis annunciastis cum adhuc infideles essemus; nunc autem cum simus christiani quaeritis nos christianismo privare ». Cf. Milner loc. cit. p. 396.

(3) En quomodo scribat Mouliniè minister protestans in op. cit. *Notice sur les livres apocryphes*, pag. 6. « Les uns pour atteindre leur but ont travaillé pendant long-temps à éplucher chaque livre, chaque chapitre, et pour ainsi dire, chaque verset, chaque mot, pour voir tout ce qu'il serait possible d'amoindrir, pour l'accomoder à *leur point de vue*, et ils ont ébranlé le christianisme par où ils espéraient l'affermir . . . L'esprit particulier et exclusif se couvre du manteau du zèle ».

(4) Matth. VII, 23. col. Jerem. XXIII, 21.

(5) Cf. Grég. loc. cit. p. 426.

loquimur de societatum primoribus, qui bona illorum voluntate ac optima animi comparatione abutuntur, et contra illorum vota congestam pecuniam dilapidant, atque in pravos aut saltem inutiles usus convertunt. Qua de causa interdum ab ipsis protestantibus *fures* ac *latrones* appellati sunt (1).

286. Ad 4. Eadem esto distinctio. Etenim cum non pauci Bibliorum interpretes sint mercatores aut mercatoribus addicti, fieri utique potest, ut inter ipsos nonnulli inveniantur qui bonum sibi finem praestituant. Distributores vero ad victum sibi comparandum Biblia diffundunt. Ignorantia proinde excusari possunt.

287. Ad 5. *D.* Id est promittunt sibi absque fundamento successum quem neque habuerunt nec habere possunt, *C.* vera reipsa spes de felici exitu affulget, *N.* Istorum spes haud absimilis ab illa est, qua se decipiunt qui phtysi laborant, dum hac spe freti moriuntur. Si ex successibus quos hactenus biblici obtinuerunt conjicere licet id quod in posterum futurum sit, tuto affirmare haud veremur, nullum unquam fructum eos esse laturos. Verum dicta haec sint in istorum hypothesi, ceterum doctor Hook documentis ostendit tantum abesse ut societates biblicae Londini aut alibi institutae, emendationem morum obtineant, ut immo crimina ab institutione societatum septem annorum lapsu fuerint duplicata; ac deinceps usque ad an. 1817. ea triplicata fuisse adductis pariter documentis ostendit episcopus Milner (2). Ex his patet satius longe esse, si nullum omnino fructum ejusmodi societates producerent. Ecquos enim fructus nisi fructus mortis ac interitus exitialis protestantismus unquam protulit, aut proferre aliquando poterit?

288. Ad 6. *D.* Permisit scilicet Deus, ut ad tempus ejusmodi societates prosperarentur ad majorem ecclesiae suae gloriam atque triumphum, *C.* ad patefaciendum sibi eas pergratas esse *N.* Interdum permittit Deus, ut inferorum portae novum adversus ecclesiam suam (nempe catholicam) excitent conflictum, ut ostendat potentiam suam in ea regenda tuendaque, dum ad nihilum omnes illarum machinationes redigit. Duo sane haud exigui pretii emolumenta in rem catholicam ex societatibus biblicis provenerunt; alterum videlicet, ut ex comparatione inter uberrimos fructus quos Romanae ecclesiae apostolatus cunctis destitutus subsidiis quovis tempore, et hac praesertim aetate, superatis tot obstaculis, edidit et omnimodam sterilitatem sectarum, seu haereticorum omnium in unum conspirantium, discrimen patefieret ingens, quod inter opus Dei inanesque hominum intercedit conatus (3); alterum vero est institutio societatis *a fi-*

(1) Recol. quae scripsimus in tract. *De vera relig.* loc. cit.

(2) Tabulam progressivam confectam ab ipso D. Hook et ex *cronaca Londinensi* exhibet Milner op. cit. pag. 400. not. (1)

(3) Nulla comparatio institui potest inter fructus, seu potius illusiones biblicae societatis, et fructus uberrimos quos quavis aetate tulit ecclesia catholica. Etenim praeter viros sanctitate conspicuos quos ubique efformavit, quot martyres ejus gloriam non cumularunt? In imperio Sinensi, in regnis Abyssiniae, Siam, Tunquini, Cocincinae etc. vel a postremo seculo plura centena ac millena martyria sive indigenorum, sive Europaeorum numerantur. Cf. *Mémoires pour servir à l' hist. eccles. du XVIII. siècle.* Butler *Vies des saints* 5. Févr. In sola Japonia ex persecutione excitata per calvinistas Hollandiae, qua et christianismus illic extinctus est, juxta Bercastel *Hist. de l' église* tom. XX. 2,000,000. martyres numerantur, et heu quae martyria su-

dei propagatione nuncupatae, quae paucis ab hinc annis inter catholicos orta est, et angusto temporis lapsu copiosissimam protulit messem. In dies ipsa succrescit ac floret sub praesulum auspiciis, praesertim vero Romanorum Pontificum, qui eam indulgentiarum thesauro ditarunt. Dum haec floret, societates biblicae languescunt, ita ut problema jam fuerit a protestantibus ipsis propositum, magis ne expediat illas dissolvere (1). Neque vero alium exitum quispiam de illis sibi polliceri poterat.

289. Ad 7. *D.* Id est fidei assertores, qui nullo aptiori vocabulo poterant ejusmodi societatum indolem designare, *Tr.* vel *C.* secus *N.* Nam cum Romani Pontifices a Christo ipso custodes ac fidei assertores constituti sint, munere suo functi sunt dum tantae animorum stragi se se opposuerunt, quod nisi effecissent defuissent muneri proculdubio suo. *Pestis* autem nomine juremerito ejusmodi societatum molimina donata sunt, utpote quae cedant in animarum perniciem et exitium non secus ac pestilentia in corpora grassatur, iisque interitum affert. Nec enim sola, ut ita loquar, materialis Bibliorum distributio attendenda est, sed omnia insuper adjuncta spectanda et Bibliorum adulteratio, quae detruncata, atque corrupta porriguntur, et pessimi tractatus qui una cum illis distribuuntur, et finis qui intenditur, et effectus qui exinde promanant, quae omnia recensent Romani Pontifices, dum *pestis* nomine eas societates infamant (2).

stinuerunt? absque animi commotione et horrore legi haud possunt, adeo ut nil tale appareat in ipsis persecutionibus Persarum aut Romanorum. Cf. Bartoli *Storia della Compagnia di Gesù nell' Asia* par. II. *Il Giappone* lib. III seqq. Quandonam haeretici pro fide asserenda apud infideles, aut eorum proselyti guttam sanguinis effuderunt? Oh strenuos milites! Nunc vero isti sunt qui contendunt *bonum nuncium* afferre.

(1) Cf. *Annali della propagaz.* etc. fasc. LXVII. Nov. 1839. p. 660. seq.

(2) Speciminis gratia nonnullos tractus heic subjiciam ex Brevibus Pii VII. et ex Encyclica Leonis XII. Itaque haec habet Pius VII. in Brevi ad Ignatium Archiep. Gnesnensem: « Horruimus sane vaferrimum inventum, quo vel ipsa Religionis fundamenta labefactantur, adhibitisque in consilium, pro rei gravitate, venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, quaenam Pontificiae nostrae auctoritatis remedia ad eam pestem, quoad fieri possit, curandam delendamque opportuniora futura sint, omni adhibito studio et sollicitudine deliberavimus ». Et in Brevi dato ad Stanislaum Archiep. Mohiloviens. « Magno, inquit, et acerbo dolore confecti sumus ubi accepimus exitiosum consilium haud ita primum susceptum, quo sacratissimi Bibliorum libri novis ac praeter saluberrimas ecclesiae regulas editis interpretationibus, iisque *callide in pravos sensus contortis*, vernacula qualibet lingua passim pervulgantur. Namque ab aliqua jam ex perlatis ad Nos hujusmodi versionibus animadvertimus, eam in purioris doctrinae sanctitatem parari perniciem, ut facile fideles ex iis fontibus lethale ebibant venenum, ex quibus haurire debuissent aquas sapientiae salutaris . . . In id proinde pravas deterrimasque machinationes suas conferre in more habuerunt haeretici, ut editis vernaculis Bibliis (de quorum tamen varietate, ac discrepantia ipsi se invicem accusant et carpunt), suos quique errores sanctiori divini Eloquii apparatu obvolutos per insidias obtruderent ». Leo vero XII. « Non vos latet, VV. FF., scribit, societatem quandam dictam vulgo *Biblicam*, per totum Orbem audacter vagari, quae spretis ss. Patrum traditionibus, et contra notissimum Tridentini concilii decretum, in id collatis viribus, ac modis omnibus intendit, ut in vulgares linguas nationum omnium sacra vertantur, vel potius *pervertantur* Biblia. Ex quo valde pertimescendum est, ne sicut in aliqui-

290. Ad 8. *N.* Hoc enim putidum mendacium est; nusquam id praecipitur a Pio VII. qui solum praecipit Archiepiscopo Gnesnensi « Ut quam primum mittas, inquit, Biblia, quae commentariis subjectis edidit polonica lingua Jacobus Wickius, recentemque ipsorum (Bibliorum) editionem, quae sublatis adnotationibus, quae ex sanctis ecclesiae patribus, vel ex doctis catholicisque viris desumptae erant, in vulgus prodiit, et quid de ea sentias, proponas, ut ita ex ipsorum collatione, ac re mature perpensa, dignoscatur, *quinam errores insidiose ibidem obtegantur*, *et nostrum demum judicium ad rectae fidei incolumitatem pronunciemus* (1) ». Judicet nunc lector quid de hujusmodi hominibus sentiendum sit, qui per summam impudentiam publica ac solemnia documenta corrumpere eorumque sensum invertere haud verentur, ut Rom. Pontifices inter se committant. Si talia audent in publicis documentis quae omnium manu teruntur, quid non audebunt dum Biblia vertunt in peregrina idiomata, et in quibus longe facilius fraus furtive obrepere, securiusque obtegi potest? Ast protestantes biblici ejusmodi scrupulis non anguntur (2).

CAPUT V.

De sacrae Scripturae lectione in lingua vernacula

291. Omnibus indiscriminatim fidelibus necessariam Sacrae Scripturae lectionem ad salutem esse novatores sec. XVI. autumarunt, qui propterea in linguas vernaculas conversam summo studio eam propagare adnisi sunt (3). Eos sequuti sunt janseniani, qui pariter ejusdem lectionis necessitatem praedicarunt, prae-

bus jam notis, ita et in caeteris *interpretatione perversa de Evangelio Christi*, *hominis fiat Evangelium*, *aut quod pejus est*, *Diaboli* (s. Hieron. in cap. I. ep. ad Galat.) . . . En, VV. FF., quo haec spectet societas, quae insuper ut impii voti fiat compos nil intentatum relinquit. Non enim tantummodo versiones suas typis edere, verum etiam per omnes urbes cursitando in vulgus per se spargere sibi plaudit. Quin imo ut alliciat simplicium animos, qua venditare curat, qua dono dare insidiosa liberalitate gestit ». His praedecessoribus suis Rom. Pontificibus se adjecit in damnanda Biblica societate immort. GREGORIUS XVI. cujus Encyclicam refert *Ami de la relig.* in fasc. 24. Octob. 1840. n. 3350.

(1) Sane ob oculos habeo exemplar hujus versionis polonicae probatae ab apostolica Sede; verum ad singula capita subjiciuntur notae, quae textum explanent. Cf. de hac versione p. Alegambe, *Biblioth. scriptorum Soc. Jesu.* Antverp. 1643. pag. 214 seq.

(2) Scripserunt etiam de hoc argumento D. Rubichon in op. *De l'action du clergé*, et com. De Maistre in *Soirées de St-Pétersbourg*, Soir. XI.

(3) His novatoribus jam praeiverat hac in sententia Erasmus cujus articulos damnavit facultas Sorbonica an. 1527. die 17. Decembr. In articulo XII. qui est *De traductione sanctarum Scripturarum in linguam vulgarem* excerptae sunt ex praef. in Matth. et damnatae insequentes propp. I. « *Sacras litteras cupiam in omnes verti linguas*. 2. *Exclamant indignum facinus, si mulier, vel coriarius loquatur de sacris litteris*. 3. *Me auctore, sacros libros leget agricola, leget faber, leget latomus*. 4. *Neque Ezechielis Prophetae*, *neque Cantici Cantic.*, aut cujusquam librorum V. T. *lectionem ulli homini interdico*. 5. *Indecorum vel potius ridiculum videtur, quod idiotae et mulierculae psittaci exemplo psalmos suos et precationem Dominicam immurmurent, cum ipsi quod sonant, non intelligant*. »

sertim vero Quesnellus, cujus propositiones LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV. damnatae sunt in quibus vigentem ecclesiae improbat disciplinam, perinde ac perniciosum ac noxium sit, christianum velle a Scripturae lectione retrahere, ac fidelibus Christi os obturare, atque efficere, ut filii lucis quandam patiantur excommunicationis speciem (1). Quesnelli vestigiis, ut moris est, institit synodus Pistoriensis, cujus propositio LXVII. his verbis expressa: « Doctrina perhibens a lectione sacrarum Scripturarum, *nonnisi veram impotentiam excusare*, subjungens ultro se prodere obscurationem, quae ex hujusce *praecepti* neglectu orta est, super primarias veritates religionis »; a Pio VI. damnata est, uti *falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa etc.*

292. Neque his contenti novatores, ecclesiam calumniantur catholicam, quod subtrahat e fidelium manibus divina eloquia, ne ex eorum lectione ipsi detegant errores quibus maculatur (2). Ad incautos vero decipiendos interrogare passim solent rudes catholicos: *Cur ecclesia vestra interdicit vobis sacra Biblia* (3)? Imitantes videlicet serpentem sciscitantem ab incauta muliere: *Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi* (4)?

293. Ut igitur viam praecludamus omnem ecclesiae catholicae osoribus, eorumque depellamus calumnias, duo nobis praestanda sunt, *primo* evincere debemus sacrarum Scripturarum lectionem cunctis promiscue fidelibus haud necessariam ad salutem esse; *secundo* numquam ecclesiam absolute ac indiscriminatim prohibuisse filiis suis sacrorum Bibliorum etiam in lingua vernacula lectionem. Quae ut obtineamus sit:

PROPOSITIO I.

Sacrae Scripturae lectio christifidelibus indiscriminatim omnibus minime necessaria est ad salutem

294. Ut ex ipsa propositionis enunciatione liquet, de solis fidelibus hic loquimur, minime vero de pastoribus ecclesiaeque ministris, quibus onus incumbit alios instruendi, quibus potius dictum est: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus (5) ». Timotheo vero Apostolus inculcat: « Attende exhortationi et doctrinae (6) », ac innumerae pene ecclesiasticae sanctiones eam illis injungunt (7).

(1) Nonnullas ex his inferius dabimus.

(2) Ita inter ceteros stolidus ac furiosus minister Genevensis Dost, quem in superiore hujus tractatus parte, sect. II, cap. I. num. 498. not. (3), commemoravi, qui in cit. opusc. *Du Pouvoir de St. Pierre dans l' église*, ep. 1833. pag. 58. more suo ita scribit: « Prêtres de Rome! je vous le conseille; *continuez de cacher les Écritures au peuple! Entravez les sociétés qui les propagent!* empêchez l' instruction des hommes, et renversez les écoles! Car, vous le voyez vous -mêmes, il suffit de savoir lire la Bible pour ne plus croire à vos plus importantes traditions »!

(3) Ut passim legitur in *Ami de la religion.*

(4) Genes. III, I.

(5) Malach. II, 7.

(6) I. Timoth. IV, 13.

(7) Constitutiones et decreta conciliorum sive oecumenicorum sive particularium, incipiendo a conc. Hypponensi an. 393. celebrato usque ad Narbonense celebratum an. 1609., necnon decreta Rom. Pontificum ab Agapeto an. 530. usque ad Clementem VIII. an. 1596., quibus clericis et monachis sacrae Scripturae lectio praecipitur, exhibet eruditus P. Cherubinus a s. Joseph Carmelita discalceatus in *Apparatu biblico* Bruxell. 1704. tom. I.

295. Jam vero nulla teneri necessitate fideles ad legendas Scripturas sic ostendimus. Si ejusmodi eos urgeret necessitas, ea oriretur aut ex ipsa rei de qua agitur natura, aut ex aliquo praecepto positivo divino vel ecclesiastico. Ex neutro porro capite talis oritur necessitas.

296. Non exsurgit in primis ex ipsa rei natura, etenim per priora viginti ab orbe condito secula potuerunt homines salutem adipisci absque Scripturarum lectione, cum illae nondum extarent; a Moyse deinde ad Christum usque, absque eadem lectione potuerunt pariter salvari quotquot in ethnicismo ope fidei sibi ex antiqua traditione comparatae; et divina opitulante gratia legem naturalem servaverunt justeque vixerunt, qui fortasse pauci non sunt. Id ipsum dicatur de primis fidelibus post Christi adventum toto illo tempore, quo nondum scripta N. T. fuerunt exarata. Postquam vero libri sive V. sive N. Testamenti in lucem prodierunt, absque illorum lectione tot potuerunt obtinere salutem quot rudes et illiterati extiterunt et existunt, et ex quibus major semper constat generis humani pars, aut in quorum manus hi libri minime pervenerunt. Omissis porro Judaeis, de christianis barbaris ac rudibus, qui sine Scripturis fidem tenebant atque ad ejus normam mores suos componebant, notum est s. Irenaei testimonium quod alibi exscripsimus (1). Absurdum autem est innumeris ejusmodi fidelibus viam praecludere salutis hac una de causa, quod nequiverint aut nequeant Scripturas sacras legere. Hoc semper erit argumentum a quo numquam poterunt adversarii se expedire. Crescit vero ejusdem vis ex iis quae paulo post ostendemus, scilicet neque Scripturas ipsas *absolute* ad fidem atque salutem necessarias esse. Nam si Scripturae ad fidem salutemque *absolute* necessariae non sunt, quanto minus necessaria erit earundem lectio? Huc accedit quod si Scripturae lectio omnibus prorsus necessaria esset, ideo foret, quia ad fidem, pietatem, sanctitatemque in animis gignendam, fovendam, promovendamque lectio illa *absolute* requireretur; jam vero in hunc finem Scripturae lectio necessaria minime est, cum fides sit *ex auditu*, foveri autem promoverique possint pietas ac sanctitas tot aliis subsidiis quibus fideles abundant, instructionibus videlicet, exhortationibus, concionibus, tot libris asceticis, quibus ad omnimodam sanctitatem tuto informantur.

297. Restat proinde ut necessaria adstruatur Scripturarum lectio alicujus praecepti divini aut ecclesiastici vi. Nuspiam porro ejusmodi praeceptum reperiri, ex ipsa liquet adversariorum agendi ratione, qui licet saepe adeo provocati fuerint ad illud proferendum, hactenus, tametsi maxime voluerint, exhibere non potuerunt; quod melius adhuc patebit ex difficultatum solutione. Deinde si ejusmodi praeceptum alicubi existeret, certe pia antiquitas, ut adversarii loquuntur, illud comperisset; ast tantum abest, ut agnoverit, ut vel contrarium omnino supponant ecclesiae patres; atque concilia etiam aperte omnino id excludant. Contrarium quippe supponunt tot illis exhortationibus, quibus adnitebantur fideles inducere ad Scripturae sacrae lectionem, quin unquam praeceptum commemorent aut insinuent quidem (2). Aperte vero excludunt eorum-

Dissert. prooemiali quaest. III. art. V. sect. 3. p. 120. seqq.

(1) Ex lib. III. *Cont. Haeres.* cap. IV, n. 2. quod etiam iterum inferius dabimus cum sermo erit de Traditione.

(2) Patrum tum graecorum tum latinorum,

dem Bibliorum testimoniis. Ex innumeris prope quae adduci possent unum, aut alterum seligemus. Tertullianus: « *fides tua*, inquit, *te salvum fecit*, non exercitatio Scripturarum. Fides in regula (*Symbolo*) posita est (1) ». Quid senserit s. Irenaeus paulo ante diximus. S. Augustinus scribit: « Homo fide, spe, et charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt (2) ». Quomodo porro haec aliaque his similia, quae passim in patrum scriptis occurrunt conciliari possent cum aliquo sive divino, sive ecclesiastico praecepto, si hoc, reipsa existeret (3)? Quod vero attinet ad concilia, satis est percurrere eorumdem acta, ut quisque intelligat non semel in lingua vulgari Bibliorum lectionem vetitam fuisse. Ejusmodi sunt inter alia concilium Tolosanum, Narbonense, Cameracense, Mechlinense, de quibus inferius agendum nobis erit.

298. Cum igitur neque ex rei natura, neque ex praecepto aliquo necessitas legendi Scripturas, quam novatores ac jansenistae obtrudere vellent, quaeque omnes indiscriminatim adstringat, habeatur, concludendum est sacrae Scripturae lectionem Christi fidelibus indiscriminatim omnibus minime esse ad salutem necessariam, prout ostendere nobis assumpsimus.

DIFFICULTATES

299. Obj. Ex utroque capite exsurgit lectionis Scripturarum necessitas, quae omnes ac singulos obliget Christifideles. Sane ipsam rei naturam ejusmodi inducere necessitatem ex multiplici capite patet, ac 1. ex fine quem Deus sibi praestituit in leganda Scriptura hominibus, ut nempe suam eis patefaceret voluntatem; jam vero omnibus ac singulis munus incumbit hanc Dei cognoscendi voluntatem; 2. ex obligatione qua omnes tenebantur Judaei audiendi Moysen atque prophetas ipsos Dei nomine alloquentes, et qua adhuc tenerentur christiani Christum si nobiscum adhuc conversaretur, et Apostolos si et ipsi nobis concionarentur, audiendi; quae obligatio profecto non cessavit, cum et Christi doctrina et Apostolorum praedicatio libris sacris consignata sit; 3. ex consolatione quam nobis comparare ex Scripturarum debemus lectione, uti loquitur Apostolus dicens: « Ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus (4) »; 4. ex persuasione in qua erant Judaei quod in Scripturis vita

qui exhortationes habent ad lectionem sacrorum Bibliorum, et doctorum qui eos secuti sunt duplicem pariter copiosissimum indicem, adductis etiam singulorum verbis, similiter confecit P. Cherubinus op. et loc. cit. art. v, sect. II, et III. incipiendo a sec. I. a Clemente nempe Rom. usque ad sec. XVI. inclusive nempe usque ad an. 1597. Hoc ipsum jam praestiterat Jodocus Coccius, qui reipsa vere Thesaurum catholicum collegit 24. annorum spatio. Is itaque tom. I, lib. VI. art. XX. eundem catalogum exhibet usque ad an. 1510. Prior tamen auctor copiosior est, magis criticus, magisque accuratus, quia ipsi facile fuit ex anteriore proficere. In nonnullis tamen, quae ad severiorem criticam spectant, interdum et ipse labitur.

(1) *De praescript. haeret.* cap. XIV. ed. Rig.

(2) *De doctrina christiana* lib. I, cap. XXXIX, n. 45.

(3) Cf. Fontana, *Constitutio* UNIGENITUS *Theologice propugnata* tom. III. in propos. LXXIX. cap. I, et II. pag. 584. seqq.

(4) Rom. XV, 4.

haberetur aeterna, seu medium ad salutem a qua Christus eos minime abduxit, sed potius confirmavit illis verbis: « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere (1) ». 5. neque eximuntur ab hac necessitate rudes ac illitterati, quibus idcirco onus incumbit ejus lectioni adesse in templis ubi lingua vernacula ipsis legi debet; 6. aut saltem dicendum cum synodo Pistoriensi eos excusari ex sola impotentia, ut in pluribus aliis accidit. 7. Nec demum suppletur huic necessitati aut concionibus, aut libris asceticis, cum in his non praebeatur purum verbum Dei, sed immisceatur verbo hominum, nec raro per ineptas, quandoque vero etiam contortas ac absurdas Scripturarum expositiones. Ergo.

500. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Si nulla alia ratio suppeteret cognoscendi voluntatem Dei hominibus patefactam praeter Scripturarum lectionem, *C.* Si plures aliae rationes praeterea suppetant *N.* Has porro assignavimus in probationibus.

501. Ad 2. *D.* Tenentur homines Christum et Apostolos audire sive immediate, sive mediate, *C.* immediate *N.* Hoc enim absurdum est. Ceterum cum Christus generatim dixerit: « Qui vos audit me audit (2) » et « Ecce ego vobiscum sum (*docentibus*) omnibus diebus usque ad consummationem seculi (3), » apertum est, eos omnes Christum et apostolos audire, qui legitimos Apostolorum successores docentes praedicantesque audiunt. Christus enim jugiter vivit in ministris suis, ac per eos divina sua missio perennis fit, dicente Apostolo: « Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo (4) ». Eo vel magis quod non omnis Christi et Apostolorum doctrina per solam Scripturam ad nos pervenerit, verum etiam per traditionem, uti paulo post ostendemus.

502. Ad 3. *D.* Si Scriptura unica via esset ad patientiam et consolationem capiendam, *Tr.* Si plures aliae praesto sint *N.* Addimus motiva, quae ad homines salvandos et ad patientiam informandos conferunt, viva voce exponi posse ac tutius per legitimos Christi ministros, ut diximus, a fidelibus percipi.

503. Ad 4. *D.* Quatenus in Scripturis, ex parte saltem, divina revelatio continetur ad viam salutis hominibus commonstrandam, *C.* quatenus ex sola Scripturarum lectione ab unoquoque immediate illa hauriri debeat *N.* Responsio patet ex dictis; neque unquam Judaei in hac persuasione fuere.

504. Ad 5. *N.* Etenim si omnes prorsus et singuli ejusmodi necessitate adigerentur, omnes omnino etiam rudes ac illiterati ei parere deberent, ac propterea ad removenda obstacula quae ipsos impedirent quominus ei muneri satisfacerent, obligarentur. Nam qui ad finem tenetur, et quidem absolute, tenetur pariter ad media sine quibus necessarius finis nequit obtineri. Neque huic obligationi satisfieret per auditionem, cum juxta adversarios necessitas sit de lectione ipsa. Suspicari praeterea semper possent rudes ne in publica illa lectione non deciperentur aut per versionem infidelem, aut per mutilationem textus, aut alia demum ratione. Quod vero adjicitur de onere legendi Scripturas in templis lingua vernacula, quomodo id adversarii ostendunt? Nihil ejusmodi in Scripturis occurrit, quae juxta ipsos solam constituunt credendorum et agendorum regulam.

(1) Jo. v, 39.
(2) Luc. x, 16.
(3) Matth. xxviii, 20.
(4) II. Cor. v, 20.

305. Ad 6. *D.* Cujus propterea Synodi propositio, utpote erronea, damnata est, *C.* probata atque admittenda *N.* Accedit, quod haec sit glossa omnino gratuita, cujus nullum in Scripturis fundamentum habetur aut traditione, et in eum finem invecta, ut ab absurdis, quibus premitur adversariorum doctrina, se subducerent.

306. Ad 7. vel *N.* vel *D.* Nonnulli, *Tr.* omnes *N.* Jam vero numquam desunt in ecclesia operarii, ut vocat Apostolus, *inconfusibiles*, qui rite graviterque enarrent verbum Dei; episcopi excubant, ut concionatores suo recte fungantur officio. Sic numquam desunt libri ascetici ac mystici vero Dei Spiritu conscripti, quibus fidelium animi ad pietatem omnigenam mire excitantur, ac promoventur ad sanctitatem, sententiis ex sacris Litteris opportune et apte depromptis (1). Si quid vero aut inutile minus grave sive concionibus, sive libris illis inseritur, non ideo omnia vitiata dicenda sunt, sed in tanta qua illorum versamur copia potest quispiam illos seligere, quos magis idoneos experitur, ac sibi magis accommodatos.

307. Inst. Saltem tenentur fideles ad sacrarum litterarum lectionem ex praecepto. Nam 1. Deut. VI. 6. de mandatis Domini dicitur: « Ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntque et movebuntur ante oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuae ». 2. Christus vero Jo. V. hoc ipsum iterum inculcavit dicens: « Scrutamini Scripturas »; et Apostolus praecepit Colossensibus ut epistolam legerent, quam scripserat ad Laodicenos, ac vicissim ut Laodiceni eam legerent, quam direxerat ad Colossenses: « Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur: et eam quae Laodicensium est, vos legatis (2) ». 3. Ex his praeterea discimus fideles omnes praecepto adigi ad legendas epistolas quas scripserunt ad eos Apostoli; quorsum sane epistolas illi scripsissent, si fideles non tenerentur eas legere? Quod vero dictum est de epistolis, de reliquis Scripturarum libris Novi praesertim Testamenti intelligi per analogiam debet, cum juxta s. Gregorium M. ac reliquos patres Scriptura Sacra aliud non sit quam Dei epistola ad homines data; 4. Hinc Christus generatim dixit: *Quaerite et invenietis;* perinde ac si dixisset: *quaerite* in Scripturis veritatem et *invenietis* eam (3). 5. Quibus permotus s. Jo. Chrysostomus « Audite, inquit, obsecro seculares omnes, comparate vobis Biblia, animae pharmaca, si nihil aliud vultis, vel Novum Testamentum

(1) Praetermissis siquidem numquam satis commendatis asceticis operibus *De imitatione Christi*, *Philothea* s. Francisci Salesii, *De gemitu columbae*, *De arte bene moriendi*, *De ascensione mentis in Deum* V. card. Bellarmini, necnon tot eximiis operibus Bossueti, Fenelonii, card. Bonae, qui solide non minus quam pie animam christianam ad pietatem, perfectionemque perducunt; si quis oculos conjiciat in scripta s. Catharinae Senensis, s. Theresiae, s. Alphonsi, fieri non potest ut ex unctione quam ubique spirant non sentiat Dei spiritum in illis dominari, ac cor suum in Deum rapi imo et trahi. Haec speciminis gratia commemoravi, ceterum innumera prope sunt in ecclesia catholica ejusmodi opera, quae animum in Deum accendunt, quae frustra quaeras in protestantium scriptis quae glaciem potius adducunt. Sed in ecclesia est vita. Non semel factum est, ut protestantes rite dispositi ex illorum lectione commoverentur ac se reciperent in ecclesiae sinum.

(2) Coloss. IV, 16.

(3) Ita Monod apud cit. opusc. *Le ministre* etc. p. 15. seqq.

acquirite, Apostolorum Acta, Evangelia etc. (1) », ac demum concludit: « Non potest fieri, ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetua versetur in lectione spirituali (2) ». 6. Merito proinde vel ipse Van-Ess parochus catholicus ac professor in universitate Marburgensi affirmavit propagationem sacrorum Bibliorum inter omnes indiscriminatim fideles unicum medium esse efficiendi, ut denuo christiana religio efflorescat (3). Ergo.

308. R. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* De praeceptis Decalogi, *Tr.* universae legis mosaicae *N.* Absurdum siquidem esset asserere legem universam seu Pentateuchum scribi in liminibus et ostiis domorum, aut ferri quasi signum in manu. Sane Pharisaei qui ad litteram allegata verba ex Deuteronomio intelligebant in phylacteriis et vestis fimbriis nonnullos perpaucos legis mosaicae locos exscriptos deferebant; ad hunc autem morem alludens Christus Dominus: « Dilatant enim, inquiebat, phylacteria sua, et magnificant fimbrias (4) » ad ostentationem videlicet. Ceterum objecta verba figuratam locutionem praeseferunt qua Hebraeis praecipiebatur, ne unquam oblivioni traderent divina praecepta. Materialis interpretatio pharisaeismum sapit et rabbinismum. Perperam igitur afferuntur verba Deuteronomii pro adstruendo praecepto de Scripturarum lectione.

509. Ad 2. *D.* Et in hypothesi quod objecta Christi verba praeceptum contineant, solos pharisaeos, seu legis doctores ac sacerdotes afficiunt, *C.* indiscriminatim omnes *N.* In primis dubium admodum est utrum imperandi aut indicandi modi sit verbum ἐρευνᾶτε *scrutamini* ut inter ceteros s. Cyrillus Alex. contendit (5). Verum dato etiam, quod modi sit imperandi, non ad omnes promiscue Christus verba sua direxit, sed uti colligitur ex v. 33. eos alloquebatur, qui miserant ad Joannem, quique erant sacerdotes et levitae (Jo. 1. 19-24) (6). Jam vero etiam nunc ecclesia sacerdotibus, ac ministris suis eadem verba ingeminat: *scrutamini Scripturas;* fidelibus vero ac populo illa Ecclesiastici ingerit: « Altiora te ne quaesieris, et

(1) Ἀκούσατε, παρακαλῶ, πάντες οἱ βιωτικοὶ, καὶ κτᾶσθε βιβλία, φάρμακα τῆς ψυχῆς, εἰ μηδὲν ἕτερον βούλεσθε, τὴν γοῦν καινὴν κτήσασθε, τῶν ἀποστόλων τὰς πράξεις, τὰ εὐαγγέλια. Hom. IX. in epist. ad Coloss. n. I.

(2) Οὐκ ἔστιν, οὐκ ἔστι τινὰ σωθῆναι μὴ συνεχῶς ἀναγνώσεως ἀπολαύοντα πνευματικῆς. In Lazar. conc. III, n. 2.

(3) Apud Grégoir, *Hist. des sectes.* tom. IV, p. 412.

(4) Matth. XXIII, 5. Cf. in hunc loc. Jo. Lighfootum, opp. edit. Ultraject. 1699. vol. II, p. 356 seq. qui recenset locos a pharisaeis descriptos in fimbriis seu observatoriis, et vestium fimbriis; sunt autem hae quatuor legis periochae. Exod. XIII, v. 3-10. Exod. XIII, v. 11-16. Deut. VI, v. 5-9. Deut. XI, v. 13-21. Cf. quoque Ign. Weitenauer S. J. in celebri *Lexico biblico* saepius recuso ad vocem *Phylacterium*.

(5) Vadem damus hujus expositionis vel ipsum Kuinoellium qui in Jo. V, 39. haec scribit: « Ἐρευνᾶτε permulti interpretes, *neutiquam tamen idoneis de causis*, imperandi modo accipiunt, et verbum ipsum ἐρευνεῖν explicant, *aliquid cum* maxima ἀκριβείᾳ, *animi attentione, et magno animi conatu quaerere.* . . . sed ἐρευνᾶτε, ut jam Cyrillus vidit, indicandi modo accipiendum est, *vos inquiritis, scrutamini.* . . . Hunc enim modum orationis series flagitat, cum v. 40. sequatur καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν κ. τ. λ., cum infra v. 45. Jesus concedat Mosen ab iis magni fieri, sed frustra legi; atque in praecedentibus etiam indicativi modi legantur. »

(6) Cf. Eundem Kuinoellium ibid. ad v. 33-34.

fortiora te ne scrutatus fueris: sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper ... Non est enim tibi necessarium, ea quae abscondita sunt, videre oculis tuis .... Multos quoque supplantavit suspicio illorum. Et in vanitate detinuit sensus illorum (1) ».

310. Ad 3. *D.* In publico coetu et sub magisterio ministrorum ecclesiae, *C.* ab unoquoque privato et absque ulla subjectione *N.* Haud inficiamur quandoque esse utilem posse publicam lectionem sive epistolarum, sive Evangelii, aliorumve sacrae Scripturae librorum, prout ecclesia semper facere consuevit. Verum ut omni periculo via praecludatur, tractus seligendi sunt, qui omnium aedificationi inservire possint, et si qua alicubi difficultas in his deprehendatur, explananda est ab ecclesiae ministris, uti fit in ecclesia catholica per enarrationem Evangelii, aut epistolae, ac etiam ab iis, qui e suggestu lectiones habent ac explanationes Scripturarum (2). Numquam sane mens fuit apostolis, ut fideles absque subjectione praepositis suis epistolas aliaque ipsorum scripta legerent, eademque privato sensu interpretarentur. Ecquis enim fidelium absque erroris formidine legeret ac interpretaretur epistolam ad Romanos? Quod et de ceteris pariter dici opus est. Atque hinc responsio patet ad id quod adjicitur de universa sacra Scriptura, quae a s. Gregorio M. aliisque patribus merito vocata fuit epistola Dei ad homines (3).

311. Ad 4. *D. Quaerite* orando, *C.* legendo Scripturas *N.* Evidens est ex toto contextu agere hic Christum de necessitate atque efficacia orationis, cum dicat: « Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis »; in quibus nec verbum occurrit quod vel innuat praeceptum de Bibliorum lectione. Sed ita est; haeretici prius contorquent ad proprios sensus litteras sacras, deinde vero juxta privatam suam interpretationem, eas catholicis obtrudunt, ut quod contendunt quaquaversus evincere videantur (4).

(1) *Ecclesiastici* III, 22. 23. 26.

(2) Ut pateat quanta sollicitudine caverit concilium Tridentinum ut sacrae Scripturae lectio et explanatio vernacula lingua fieret populo christiano, satis est legere ejus decreta, quae sub Paulo III. an. 1545. sess. V. *De reform.* cap. I. edita sunt: « In ecclesiis, dicitur, in quibus praebenda . . . aut quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacrae Theologiae deputatum reperitur, episcopi, archiepiscopi, primates, et alii locorum ordinarii, eos . . . qui stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius sacrae Scripturae expositionem, et interpretationem, per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis episcopis . . . eligendum, *compellant.* De caetero vero praebenda aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis, et quae per seipsos id munus explere possint, conferantur ». Et aliis omissis, quae alias retulimus, sess. XXIV. sub Pio IV. an. 1562. *De reform.* cap. IV. Statuitur de episcopis et parochis, ut « saltem omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis; tempore autem jejuniorum quadragesimae, et adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas, divinamque legem annuncient ». In quos locos cf. Jo. Gallemart. Haec vero executioni mandari tum ex publico facto constat, tum ex Scripturae lectionibus, quae vernacula lingua ad populum habitae sunt ac deinceps ingenti populi fructu typis editae; atque ut in Italia nostra sistam, ecquis ignorat lectiones sacras Zucconi, Calini, Cattaneo, Nicolai, Rossi, Granelli, Roberti, Pellegrini, Martinetti, Barotti, Cesari, quique horum agmen claudit cl. Franc. Finetti, cujus decem jam volumina hac de re prodierunt.

(3) Cf. Fontana op. cit. in prop. LXX II. Quesnelli cap. IV, et V, p. 996 seqq.

(4) Vere quadrant adversariis nostris quae

312. Ad 5. *D.* Adhortando et quidem non absque aliqua amplificatione, *C.* presse praecipiendo *N.* Ut enim omittam non esse in unius tantum patris potestate praeceptum inducere quo omnes obligentur fideles, scopus ipsius est fideles a ludis, spectaculis profanorumque librorum lectione retrahere, eosque ad sacrae Scripturae lectionem excitare, ut paulo post ostendemus. Quod ut obtineat utitur interdum hyperbole et amplificatione, prout clare patet ex altero testimonio ab adversariis objecto. Fieri ne potest, ut s. Jo. Chrysostomus sibi persuaserit rudes omnes ac idiotas qui litteras non didicerint, assequi salutem non posse? Hoc neque adversarii contendunt (1).

313. Ad 6. *D.* Si privatorum individuorum judicium, Rom. Pontificum, imo et ecclesiae universae judicio esset praeferendum, *C.* secus *N.* Quid magis ad religionis christianae prosperitatem conferat, melius certe noverunt Rom. Pontifices, quibus illa ex divina institutione commissa est, aut, si lubet, ecclesia ipsa universa, quam privati homines qualescumque. Cum vero Rom. Pontificibus et cum illis universae ecclesiae constiterit non solum non expedire ad religionis Christianae incrementum aut nullo modo conferre, verum etiam maxime obesse inconsultam ejusmodi Bibliorum propagationem, nonne hominis tumentis est, ac intolerabilis arrogantiae illam propugnare tamquam unicum medium, quo christiana religio efflorescat? Hinc est quod juremerito plures Van-Ess castigaverint ejusque retuderint audaciam (2).

PROPOSITIO II.

Numquam ecclesia aut Rom. Pontifices universim prohibuerunt fidelibus sacrae Scripturae lectionem in lingua vernacula, sed modo improbarunt, modo probarunt prout temporum, locorum, aut personarum adjuncta ac fidelium utilitas exposcere videbantur

314. Hanc adstruimus propositionem tum ad vindicandam agendi rationem, quam diversis temporibus ecclesia ac Rom. Pontifices adhibuerunt circa lectio-

Tertullianus scribit de sui temporis haereticis, qui et ipsi, sicut sec. XIX. novatores, obtrudebant istud *quaerite et invenietis*, sic, inquam, scribit in lib. *De praescript.* cap. XIV. « Itaque tu qui perinde quaeris, spectans ad eos qui et ipsi quaerunt, dubius a dubiis, incertus ab incertis, caecus a caecis in foveam deducaris necesse est. Sed quum decipiendi gratia praetendunt se adhuc quaerere, ut nobis (catholicis) per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent: denique ubi adierint ad nos, statim, quae dicebant quaerenda esse, defendunt: jam illos sic debemus reputare, ut sciant vos non Christo, sed sibi negatores esse. Cum enim quaerunt adhuc, nondum tenent: cum autem non tenent, nondum crediderunt, non sunt christiani. Et cum tenent quidem et credunt, quaerendum tamen dicunt ut defendant: antequam defendant, negant quod confitentur se nondum credidisse, cum quaerunt. Qui ergo non sibi sunt christiani, quanto magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam a mendacio inducunt »? edit. Rigalt. Quam bene, quam graphice paucis his verbis omnium haereticorum cujusvis aetatis agendi ratio exponitur!

(1) Cf. Bellarm. *De verbo Dei* lib. II, cap. 16.

(2) Inter ceteros eminent Lienhard Argentoratensis et Kistemacher theologus Monasteriensis de quibus etiam loquitur Grégoire loc. cit.

nem sacrorum Bibliorum in lingua vulgari, tum ad repellendam protestantium, jansenistarum illorumque neotericorum calumniam, qui ecclesiam ac Rom. Pontifices incusant, perinde ac si universim prohibuerint lectionem Scripturae sacrae in lingua vernacula, ut hac ratione fidelibus os Christi obstruerent, atque eis modum adimerent illam intelligendi. Praemonemus porro heic agi de re disciplinari, quae propterea accommodari potest, immovero et debet diversis temporum, locorum ac personarum adjunctis, cum exploratum sit nonnulla alicubi et quadam aetate saluberrime constituta fuisse, quae, rerum adjunctis immutatis, tamquam noxia postmodum abrogata sunt, atque etiam vetita (1).

315. Quibus praemissis, ita accedimus ad thesim nostram evincendam. Ecclesiam antiquitus Scripturae sacrae lectione in vulgari lingua non interdixisse fideles ex iis liquet, quae paulo ante praemisimus de Scripturarum versionibus in omnes ferme linguas tunc temporis vigentes, quasque ecclesia numquam improbavit, quod et adversarii ipsi ultro fatentur imo et contendunt. Insequentibus vero seculis, cogentibus haereticorum fraudibus in vitiandis sacris litteris sub versionum vernacularum obtentu, sacrorum Bibliorum lectio in lingua vulgari interdici coepit fidelibus in Galliis a conc. Tolosano an. 1229 (2). Huic synodi constitutioni jam praeiverat Innocentius III. qui eadem de causa lectionem Scripturarum vulgari idiomate dioecesis Metensis fidelibus interdixit (3). Verum ejusmodi constitutiones locales fuerunt ac temporariae. Res ita se habuit, donec exortis haereticorum lutheranorum, zwinglianorum, calvinistarum innumerarumque illorum propaginum factionibus, qui ad unum omnes necessitatem proclamarunt legendi ab omnibus et singulis fidelibus sacra Biblia idiomate vulgari, quique certatim suis sacros codices versionibus corruperunt, ut malo imminenti occurreret Pius IV. prodiit ejus jussu regula quarta Indicis, qua sacrorum in lingua vernacula Bibliorum promiscua lectio severe interdicitur. Ast neque ob regulam istam omnibus Christi fidelibus ejusmodi lectio universim ac indiscriminatim prohibetur, cum ea relativa seu respectiva sit; siquidem quibus proficua esse deprehenderetur sacrae Scripturae lectio, iis judicio episcopi

(1) Plura hujus diversae agendi rationis pro diversis temporum ac personarum adjunctis congessit tum ex sacris litteris, tum ex historia ecclesiastica Spiritus Roterus in sua lucubratione hoc de argumento edita an. 1548. cap. XXX. quibus plura alia adjecit Fontana op. cit. in propos. LXXXIII, cap. IV, col. 848 seqq. quae illic recoli possunt.

(2) Can. XIV. « Prohibemus etiam, ne libros V. T. aut N. laici permittantur habere, nisi forte Psalterium, vel Breviarium . . . Sed ne praemissos libros habeant in vulgari translatos omnino prohibemus ». Apud Colletum in collect. Veneta concilior. tom. XIII. col. 1239. Celebratum porro hoc concilium est an. 1229. mense Novemb. prout etiam habetur ex Sirmondo, Dacherio, Martenio, non autem an. 1129. uti scribit Wegscheider, qui adducit auctoritatem Mansi. Ast Mansi in suo *ad concilia Veneto-Labbeana supplemento* tom. II. col. 963. nec refert quidem hujus concilii acta, sed solum pacta inter regem Francorum et Raymundum comitem Tolosanum inita, statuitque hoc concilium pariter an. 1229. Haec observanda erant circa epocham, ut pateat hanc prohibitionem factam esse adversus albigensium machinationes.

(3) Hanc refert Fontana op. cit. col. 591 seq. ubi etiam adnotat Innocentium importuno Metensium desiderio aliquas Scripturae partes minus difficiles permisisse.

aut inquisitoris, de istorum consensu illa permittitur (1). Ex nimia tamen hanc concedendi facultatem facilitate, qua haud pauci abutebantur, factum est ut Clemens VIII. eam facultatem ad sacram Indicis congregationem revocarit (2).

316. Ubi autem Scripturae sacrae lectio in lingua vernacula utilis visa est, non modo Rom. Pontifices eam non prohibuerunt, immovero et promoverunt; cum scilicet certiores effecti sunt de versionum fidelitate, atque difficilioribus in locis eam opportunis notis explanatam compererunt. Sic Gregorius XIII. auctor fuit P. Wiechio S. J. ut in linguam polonicam Biblia verteret, ejusque versio Clemente VIII. probante Cracoviae prodiit (3). In Germania praeter antiquiores, quae jamdiu a viris catholicis vulgatae erant (4), nova adornata est ab Emsero (5); in Anglia in usu est versio catholica Duacensis, quae edita fuit an. 1609 (6); in Galliis Fenelonius versionem gallicam N. T. plurimum provexit (7); in Italia, ut antiquiores

(1) En verba regulae IV. Indicis: « Cum experimento compertum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte *judicio episcopi, aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii*, Bibliorum a catholicis versorum, lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei et pietatis augmentum capere posse ». De hac regula Indicis prolixe egit P. Cherubinus op. cit. tom. IV, p. IV, pag. 489-558. adversus Arnaldum.

(2) Sunt autem hujus tenoris quae jussu Clementis VIII. addita sunt Regulae IV. Indicis. « Animadvertendum est circa supradictam Regulam quartam Indicis fel. record. Pii Papae IV., nullam per hanc impressionem et editionem de novo tribui facultatem episcopis, vel inquisitoribus, aut regularium superioribus concedi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita; cum hactenus mandato et usu sanctae Rom. et universalis inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias etc. ».

(3) Cf. Alegambe in *Biblioth. Script. Soc. Jes.* loc. cit.

(4) Etenim Olfriedus Wissemburgensis an. 870. Novum Testam. ac Psalmos metrice lingua teutonica reddiderat; Rab. Maurus et Walfridus universa Biblia in linguam germanicam verterant; versiones biblicae Augustana et Nüremburgensis prodierant sec. XV. Cf. Audin *Hist. de la vie de Luther*, ed. 2. tom. 1, p. 14. Quod tamen heic dicit Audin de versione germanica Rabbani Mauri et Walfridi *totius* scripturae ab aliis in dubium revocatur. Cf. *Apparatum biblicum* Cherubini vol. IV, p. 151 seq. Imo germanica versio quae jam typis prodierat ann. 1466. *sexdecim* vicibus edita est ante Lutheranam versionem an. plus minus 1534. Cf. *Versions of the Scripture* in Dublin Rewiew, vol. 1. July 1836.

(5) De hac versione Emseri agunt Cochlaeus in *Actis adv. Lutherum* an. D. 1522. Serarius in *Proleg.* p. 130. Possevinus in suo Apparatu tom. 1. Cf. Cherubinum op. et loc. cit. Emserus non vertit nisi Novum Testamentum, Eckius addidit versionem T. Veteris de qua praeter Gretzerum in Vindic. Bellarmini agit Rich. Simon *in Append.* p. 532. Juxta Sixtum Senens. lib. VI. *Bibl. sanctae* Eckius utrumque transtulit Testamentum an. 1540. Cf. tamen Le Long *Biblioth.* tom. 1, p. 307-382 seqq. edit. 1723.

(6) Vid. O'Connel op. cit. *A full Report of the Proceeding* etc. pag. 41 seqq. Haec versio quadraginta annorum labore adornata est a doctissimis viris et omnium praestantissima habetur.

(7) Sic enim ipse scribit in epist. 2. ad March. de Seignelai ex *Tremblade* 26. Febr. 1686. circa missiones *Saintogne:* « J'oubliais de vous dire, qu'il nous faudrait une très-grande abondance de livres, surtout de Nou-

versiones silentio praetereamus (1), celebris admodum est versio cl. Martini archiepiscopi Florentini, quae omnium pene fidelium manibus usuque conteritur (2), quamque etiam Pius VI. commendavit apposito Brevi dato 17. Mart. 1778. in quo inter cetera de sacris libris haec leguntur: « Illi enim sunt fontes uberrimi, qui *cuique patere debent* ad hauriendam et morum et doctrinae sanctitatem etc. (3). Quod et de nationibus reliquis dici debet, adeo ut vix aliqua sit, quae versione sua non utatur (4).

317. Sed et ante ita dictam reformationem longe lateque sacra Biblia disseminata erant. Quae primum vulgata sunt a celebri Faust post typographicam inventionem fuere sacra Biblia juxta versionem vulgatam, nempe an. LXX. antequam lutherana factio foras erumperet. Notandum porro est ea aetate, quotquot pene legere scirent, linguam latinam calluisse. Per idem tempus 800. plus minus editiones Bibliorum, aut N. T. ante reformationem prodierant; ac per universam Europam catholicam circumferebantur, antequam vel *protestantis* nomen agnosceretur. Et ex his, 200. versiones in linguis vernaculis diversarum gentium, penes quas vulgatae erant, omnium manibus libere versabantur (5).

318. Hisce ab historia depromptis jam constat de facti quod asseruimus veritate, numquam videlicet ecclesiam

veaux-Testamens, et des traductions de la Messe avec des explications: car on ne fait rien, si on n' ôte les livres hérétiques; et c' est mettre les gens au désespoir, que de les leur ôter, si on ne donne à mesure qu'on ôte »; et in ep. 3. ad eund. « Il faudrait aussi répandre des Nouveaux-Testamens *avec profusion* . . . Si on leur ôte leurs livres sans leur en donner, ils diront, que les ministres leur avaient bien dit, que nous ne voulions pas laisser lire la Bible de peur *qu' on vît la condamnation de nos superstitions, et de nos idolâtries*, et ils seront au désespoir » et alibi in ep. data ex Rocella « Je ne saurois vous dire le nombre de Nouveaux -Testamens dont on auroit besoin etc. » Cf. *Correspondance de Fénélon* ed. Paris 1827. tom. I.

(1) Cujusmodi sunt, Nic. Malermi, Ant. Brucioli, aliorumque de quibus agit Le-Long in cit. Biblioth. tom. I. Sisto in versione Jo. Diodati Lucensis, qui fuit minister calvinianus Genevensis, quique paraphrasten potius quam interpretem agit in sua versione, ac nihil non ad suae sectae placita pertrahit, quam versionem propterea suam fecerunt Genevenses. Porro haec versio ea est cujus jam plures editiones societas Biblica vulgavit atque inter nos disseminat ad deferendum *bonum nuncium*. Egregii homines! Historiam hujus versionis fuse praebet p. Cherubinus a s. Joseph in *Appar. Bibl.* tom. IV, p. 127 seqq. Nihil dixi de vers. Jac. de Voragine, quia critici eam in dubium revocant. Cf. Le-Long.

(2) Mirum est Glaire nullam hujus versionis mentionem fecisse, cujus tamen supra viginti editiones prodierunt; atque illud etiam notandum quod cap. V, quaest. X, § XXV, § XVII. loquens de versione Gothica Ulphilae, asserat ad nos non pervenisse istius versionis nisi Evangelia, et aliquot fragmenta epist. ad Rom. quae edita sunt a Knittel ex *Codice rescripto*. Attamen notissimum eruditis est ex palimpsestis Biblioth. Ambrosianae curis Eminentissimi doctissimique viri Angeli Mai, qui eas primum reperit, et Caroli Octav. Castillionaei vulgatas esse epistolas fere omnes apostoli Pauli una cum textu gothico, ejusdemque gothici textus versione latina una cum Glossario ab an. 1819. ad an. 1839. typis mediolanensibus. Refellit porro Castillionaeus in non paucis Hug cujus meminit Glaire.

(3) Cf. in edit. Rom. 1784 tom. I.

(4) De quibus agit Le-Long op. cit.

(5) Cf. O' Connel loc. cit.

aut Rom. Pontifices universim et absolute sacrae Scripturae lectionem in lingua vernacula fidelibus indiscriminatim omnibus interdixisse. Nunc praestat paucis jus adstruere, nempe ostendere prudenter omnino ecclesiam Romanosque Pontifices sese gessisse, dum pro opportunitate promiscuam illam lectionem fidelibus vetuerunt.

519. Duae sane cumprimis rationes concilia Romanosque Praesules ad avertendos fideles a vulgari Scripturarum lectione perpulerunt: periculum scilicet perversionis et adulteratio sacri textus in versionibus haereticorum. Hasce singillatim expendamus oportet.

520. Ac primo quidem perversionis periculo quod fidelibus instabat permota fuisse concilia Romanosque Pontifices ad illa decreta edenda, patet 1. ex aetate qua Tolosanus canon XIV. editus est. Eruperant tunc temporis albigenses ac waldenses, qui duce Petro Waldo contra clerum sese extulerant, et versione Scripturarum in gallicam linguam utebantur ad pervertendos catholicos quorum plures in dies decipiebantur ex perperam intellectis nonnullis Scripturarum oraculis; quapropter debuit concilium, prout jam praestiterat saltem ex parte Pontifex Innocentius III., contrahere facultatem laicis legendi Scripturam lingua vernacula, quo malum illud compesceretur (1). Id pariter insequentibus annis renovari debuit ex occasione beguardorum et beguinarum wicleffitarum et hussitorum, aliarumque magno numero sectarum, multo vero magis lutheranorum, calvinistarum una cum fecunda sobole ab illis progenita, qui ad unum omnes eadem arte utebantur ad errores suos in populum serendos propagandosque (2). Patet 2. ex adulteratione quae inducebatur, prout etiamnum inducitur sacri textus ab omnibus singulisque sectis in ejusmodi vulgaribus versionibus ut eas accommodarent ad placita sua. Atque ut de antiquioribus sileamus, exploratum est Lutherum, Bezam aliosque plures accusatos ab ipsis

(1) Hic me cohibere nequeo ab afferendis verbis auctoris protestantis, nempe Hurter, qui in vita Innoc. III. ed. cit. tom. III, lib. XIV, p. 36. agens de haereticis illius aetatis qui typi fuerunt haereticorum insequentium, scilicet protestantium, haec ad rem nostram praeclare scribit: « L'expérience avait appris que les hérétiques citaient quelquefois l'Ecriture sainte pour appuyer leurs opinions, non seulement l'interprétaient selon leur système, mais la traduisaient en langue vulgaire, et la communiquaient aux autres, sans s'inquiéter si la traduction en rendait fidèlement le sens. Si ceux dont la vie était consacrée à la science avaient été obligés de se livrer avec persévérance à beaucoup de travaux, de recherches et de méditations suivies, pour faire connaître exempte de toute erreur la vérité révélée, telle qu'elle est renfermée dans les saintes-Ecritures, combien ne devait pas paraître dangereuse l'idée de placer entre les mains de tout le monde, sans avoir égard à la capacité et à la droiture de volonté de chacun, un livre qui peut conduire l'homme aussi facilement à l'erreur que dans le chemin du salut? Une foule d'hommes et de femmes imitèrent a Metz ce que Waldo avait fait à Lyon: on leur traduisit la plupart des écrits du Nouveau-Testament, et plusieurs de ceux de l'Ancien-Testament, et ils en firent le sujet de conférences dans leurs réunions. Ils regardaient avec dédain ceux qui ne voulaient pas y prendre part, méprisaient les avertissemens des prêtres, cherchaient à se justifier par les sentences sacrées. Si un ecclésiastique s'entretenait avec eux des choses sacrées, ils lui répondaient: *Nous les connaissons mieux que vous* ».

(2) Innumera prope documenta cf. apud Fontana op. cit. tom. III. in propos. LXXXI. cap. I, col. 754. et iterum in propos. LXXXII, cap. V, col. 800. seqq.

protestantibus esse de ejusmodi corruptione (1). In Anglia primae quae post reformationem versiones prodierint, fuere 1. Tyndallii, 2. Coverdalei, quae sub Henrico VIII. adornatae sunt, 3. quae *ab Episcopo* nuncupatur, regnante Elisabetha edita est; ac LX. an. in usu fuerunt. Attamen postea ecclesiae anglicanae ministri supra mille numero, uno animo eas declararunt *erroribus gravissimis refertas, in nonnullis locis absurdas, in aliis detrahentes aliquid verbo Dei, pervertentes, obscurantes, vitiantes* (2). His propterea alia successit versio, quae a Jacobo I. *authentica* declarata est; porro gravissimi theologi protestantes seu anglicani Lowth, Newcombe, Wescefield, Bellami praeter plures alios, hanc ipsam versionem traduxerunt veluti pluribus erroribus maculatam, ac proinde inquiebant novam optandam esse versionem. Horne in sua recenti *Introductione ad studium criticum biblicum* illorum confirmat judicium (3). Cum igitur ingens fidelibus perversionis impenderet periculum ex tot quae, magna profusione vitiatorum Bibliorum versionibus fiebant ab haereticis, usa jure suo est ecclesia dum vulgares ejusmodi versiones prohibuit ad filios a venenatis hisce fontibus amovendos. Patet 3. ex malorum congerie quae provenerunt ab ejusmodi vulgaris Scripturae lectione; ut enim premamus silentio, quae anterioribus seculis orta sunt (4), protestantes Clarendon, Grey, Hey falsae Bibliorum interpretationi tribuunt belli civilis dissidia, suppliciumque Caroli I. (5). Hume testatur post reformationis initia debuisse ad tempus e populi manibus subtrahi versionem Scripturae in lingua vernacula ob controversias et fanatismum quem ejusmodi lectio excitarat (6). His alia plura testimonia adjecit D. Milner ex auctoribus protestantibus et anglicanis, qui ingemuerunt ob pravos effectus, ex vulgari Scripturarum versione consecutos (7). Sane exinde factum est,

(1) Cf. *General Preface to New Testament, translated by George Campbell, James Macknight, and Philip Doddrige, Doctors of the Church of Scotland*; item ejusdem Georgii Campbell diss. XI, p. II, p. 123. Mosheim, *Syntagma dissert. ad sanct. discipl. pertinent.* p. 166. Sed prae ceteris cf. eruditum P. Cherubinum a s. Joseph op. cit. tom. IV. qui ingenti labore versiones Lutheri ceterorumque haereticorum lutheranorum, calvinistarum, socinianorum etc. expendit accurate, prolatis etiam magno numero ipsorum protestantium judiciis, ex quibus evidenter conficitur eos omnes ac singulos qui versiones novas ediderunt, non modo saepissime lapsos esse, sed data opera Scripturas corrupisse. In sola versione Lutheri Hieronym. Emserus ostendit 1400. errores haereticos ac mendacia occultata ab illo haeresiarcha in ea fuisse. Sed ipsum adi Cherubinum a pag. 154 ad pag. 205. Nempe et de nostris haereticis protestantibus iterum ad litteram verum esse deprehenditur, quod de haereticis sui temporis scripserat Tertullianus: in lib. *De praescript.* cap. XXXVIII. « Illic igitur et scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas doctrinae invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinae. Alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quae docerent ». Ed. Rig.

(2) Apud O' Connel opusc. cit., et apud Grégoire *Hist. des sect.* tom. IV, p. 407 seqq.

(3) Ibid.

(4) Cf. Fontana loc. cit.

(5) Cf. apud Grégoire loc. cit. p. 415.

(6) Dav. Hume, *Hist. de la maison de Tudor.* lib. II, p. 246.

(7) Op. cit. *Eccellence de la relig. cathol.* tom. II, lettre XLVII, pag. 604 seqq. His juverit auctoritatem hominis haud suspecti, nempe Waltoni apponere, qui hactenus dicta

ut sutores, lanii, pistores, bajuli, apostatae etiam ac lenones lenaeque prophetarum atque doctorum gesserint partes, seseque adversum proprios suos pastores erigere haud dubitarint (1).

321. Postquam vero furor ille (*Bibliomaniam* vocant) ab haereticis excitatus sensim deferbuit, ac minus periculi fidelibus instabat, coepit ecclesia aliquid de hujus disciplinae severitate remittere, ipsique Rom. Pontifices commendarunt, ut vidimus, versiones vernaculas a piis prudentibusque catholicis viris adornatas, atque opportunis adnotationibus auctas ad difficiliora loca enucleanda.

322. Dum igitur protestantes adhuc sciscitari solent a plebecula: *Cur ecclesia vestra interdicit vos a Scripturarum lectione?* Duplex semper omnibus responsio in promptu esse debet: prima quidem: *Ne seducamur a vobis*, seu, *ne forte moriamur* (2); altera vero: *Vos calumniamini ecclesiam nostram*, *numquam enim ecclesia nobis absolute ejusmodi lectionem prohibuit*.

323. Juverit hactenus dicta confirmare confessione docti protestantis, qui haud dubitavit ecclesiam catholicam apud suos purgare, eam incusantes quod Biblia a cognitione fidelium subtraxerit « Nos quidem putabamus, inquit Abauzit, plenam super ecclesiam Romanam retulisse victoriam, liberam Bibliis circulationem dando. Verum hanc ipsam habet ecclesia; prohibitio siquidem ejus non *absoluta* est sed *relativa*. Ejusmodi porro prohibitiones relativae nihil aliud unquam fuerunt, quam prudentiae circumspectiones adversus infideles versiones, adversus arbitrariam interpretationem, quae viam aperit ad errores omnigenos, adversus usum se conjiciendi sine directione inexpertae juventuti, intemperantiae corruptae imaginationis, quae quavis re abutitur, lectioni librorum quorum natura mentis maturitatem, cordisque munditiem exposcit, ut possit esse proficua (3) ». Hactenus ille.

324. Constat ergo ex dictis quod ostendendum assumpsimus, numquam videlicet ecclesiam aut Rom. Pontifices universim prohibuisse fidelibus etc.

DIFFICULTATES

325. Obj. 1. Nemini licet eam adimere libertatem, quam Deus omnibus promiscue fecit adeundi haereditatem quam ipsis uti filiis reliquit; 2. Quare abripere e christianorum manibus Novum saltem Testamentum, est illis Christi os obstruere (4). 3. Interdicere christianis lectionem sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis

confirmat: « Aristarchus, inquit, olim vix septem sapientes in Graecia invenire potuit, et apud nos (ut verbis utar viri docti) vix totidem idiotas est reperire, omnes enim sunt doctores omnes caelitus instructi. Nullus est ex vilissima faece plebis fanaticus aut agyrta, qui non somnia sua pro verbo Dei venditet. Apertus enim videtur puteus Abyssi ex quo ascendit fumus qui coelum et stellas obscuravit, et exierunt locustae cum aculeis, *sectariorum et haereticorum* numerosa soboles, qui *omnes antiquas haereses* renovarunt, et plurima opinionum portenta de novo intulerunt; ex quorum vero castris prodierunt, omnibus notum. Hi sunt qui civitates, pagos, castra, domus impleverunt, imo ecclesias et pulpita occuparunt, et populum misere seductum in foveam secum praecipitant ». *Praef. in Polyglotta*.

(1) Cf. Poncetium ord. Bened. apud Fontana op. et loc. cit. pag. 728 seqq.

(2) Gen. III, 3.

(3) Apud Grégoire op. et loc. cit. p. 421.

(4) Ita Quesnellus, prop. 84.

filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis (1). 4. Nec refert nonnullos abuti Scripturarum lectione; neque enim aequum est, ut propter hos sive paucos sive multos malos, suo pii omnes bono priventur. Quemadmodum igitur non est penitus tollendus vini usus, quia multi vino abutuntur ad ebrietatem, sed severe compescendi sunt ebriosi, sic non debet interdici lectio quia nonnulli eam detorquent ad usus perversos, sed horum sacrilegium est serio vindicandum (2). 5. Quare Scriptura laudat Eunuchum legentem Isaiam prophetam (3); Petrus adhortatur fideles ut attendant prophetico sermoni tamquam lucernae lucenti in caliginoso loco (4); Paulus utilem docet esse Scripturam ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum (5); laudat Timotheum, quod ab infantia sacras litteras noverit (6); Psalmista beatos vocat, qui scrutantur testimonia Dei (7). 6. Post haec supervacaneum esset patrum agmina adducere, qui certatim satagunt fideles excitare ad Scripturarum lectionem. Satis sit verba describere s. Clementis Papae, qui fideles omnes ita alloquitur: « Scripturas diligenter inspicite, quae sunt oracula Spiritus Sancti . . . Sumite epistolam b. Pauli apostoli . . . Nostis dilecti, et bene nostis sacras Scripturas, et penitus in divina eloquia introspexistis: illa igitur mente et memoria recolite (8) ». Quod autem Clemens I. commendavit, proscripsit Clemens XI. Hic jam quaeritur utri fides adjungi debeat? 7. Illusio porro est sibi persuadere quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari foeminis lectione sacrorum librorum. Non ex foeminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, enataeque haereses sunt (9). Ergo.

326. Resp. Ad 1. *D.* Si haec libertas absoluta sit, ac prorsus independens *C.* Si ecclesiae auctoritati sit subjecta ac subordinata *N.* Jam vero, ut omittamus ecclesiam, seu ecclesiae pastores et praelatos immediatos sacri Scripturarum depositi custodes a Christo institutos esse, non autem fideles seorsum sumptos, fidelium libertas cohibita est ex Christi institutione ab auctoritate ecclesiae, quae tamquam provida mater ac tutrix fidelis decernere debet quidnam commodum aut incommodum, utilitatem aut detrimentum filiis suis sit allaturum. Filiorum porro bene moratorum est matris obtemperare praeceptis. Cum autem experientia didicerit ecclesia sive ex temporum calamitate, sive ex prava filiorum animi dispositione periculum fidelibus ingruere ex promiscua in vulgari lingua Bibliorum lectione, quamdiu illud imminere visum est, inconsultam illam libertatem coarctavit; sustulitque, cessante periculo, hanc ipsam coarctationem. In quo miram ejusdem piae matris bonitatem ac prudentiam quis non suspiciat (10)?

(1) Idem prop. 85.

(2) Ita Chamierius calvinista furiosus in *Controvers.* part. 1, p. 582. apud Fontana loc. cit. p. 724.

(3) *Act.* VIII, 28.

(4) II. Petr. 1, 19.

(5) II. Timoth. III, 16.

(6) Ibid. v. 15.

(7) Ps. CXVIII, 2.

(8) Epist. 1. ad Corinth. capp. XLV, XLVII. LIII.

(9) Ita Quesn. prop. 83.

(10) Cf. egregiam dissert. Spiritus Roteri ord. Praed. *De non vertenda Scriptura sacra in vulgarem linguam*. Tolosae 1548. cap. XI, p. 53 seqq. quae iterum cusa est in *Collectione auctorum Scripturae sacrae vulgares translationes damnantium*, ac reperitur pag. 123.

527. Ad 2. *D.* Si unica via ad Christum audiendum vulgaris esset Scripturae lectio, *C.* si innumerae prope aliae suppetant *N.* Possunt igitur fideles Christiani loquentem audire Christum in ministris suis, in lectione librorum asceticorum, in interiore ejus inspiratione, in publicis concionibus, Scripturarum explanationibus, aliisque ejusmodi mediis quibus vera Dei ecclesia abundat; alioquin rudibus et illiteratis, idiotis ac barbaris, innumeris nempe hominibus, Christi os obstructum plane esset.

528. Ad 3. Eadem esto responsio.

529. Ad 4. *D.* Si privatorum judicio decernendum esset quando expediat propter rei alicujus abusum, tollere seu verius rei ejusdem usum coercere, *Tr.* si a legitima auctoritate *N.* Verum est non semper usum esse adimendum alicujus rei in se innoxiae, imo bonae ac optimae, cujusmodi Scriptura sacra est, ob nonnullorum aut plurium etiam abusum. Ast certum pariter est interdum expedire ipsius usus remotionem, si quidem id rerum adjuncta postulent. Hoc enim vel ipsa regiminum civilium agendi ratio evidenter confirmat. Cum itaque ecclesia, omnibus mature perpensis judicaverit ad tollendos abusus necessariam fuisse ipsius usus coërcitionem, non est quod ulterius quaeramus.

530. Ad 5. *D.* Scriptura hanc lectionem commendat quoad eos, qui rite dispositi fructum et utilitatem percipere possint, *C.* absque debita ab ecclesia subjectione *N.* Profecto Petrus eam non commendat in ordine ad eos, qui epistolas Pauli ac ceteras Scripturas depravabant ad suam ipsorum perditionem (1), qui proprie erant *indocti et instabiles*, quos pariter unice arcet ecclesia ab earum lectione, ne illas depravantes exitium sibi consciscant. Numquam enim doctos seu saltem graecam latinamve linguam callentes legere Scripturas ecclesia prohibuit. Hinc concidunt, quae ex Actis apostolicis, Petri ac Pauli monitis objiciuntur, quibus ecclesia semper obsecuta est (2). Psalmista vero non de speculativa, seu theoretica scientia aut scrutatione legis divinae loquitur, sed de practica illius custodia, ut patet tum ex contextu, tum ex hebraicae vocis linguarumque affinium, syriacae et chaldaicae, vi, in quibus habetur: *custodiunt* (3).

531. Ad 6. *D.* Juxta disciplinam illorum aetate vigentem, *C.* secus *N.* Diversa rerum adjuncta diversam disciplinam exposcunt. Si aetate hac nostra illi ipsi viverent patres, in tanta videlicet versionum vulgarium colluvie, quae ab haereticis vitiatae sunt, in tanta plurimorum hominum levitate et arrogantia, qui velut judices insurrexerunt adversus ecclesiam, in tanta demum haereticorum vafritie, qui adulteratis hisce versionibus insidiantur quotidie fidelibus, post tot ecclesiae ac Rom. Pontificum decreta ad amolienda ejusmodi pericula, profecto patres pro amore quo flagrabant erga catholicam fidem, alia prorsus ratione et scriberent et loquerentur (4).

(1) II. Pet. III, 16.

(2) Cf. Fontana op. et loc. cit. in prop. LXXX, cap. V, col. 714 seqq.

(3) Cf. Polyglotta Walton in quibus hebraica vis exponitur per *Custodes*, nempe mandatorum Dei et in vers. syriaca exponitur per *conservant*, est enim נֹצְרֵי particip. in statu constructo. Cf. etiam Tirinum in hunc psalmum.

(4) Cf. Petrum Lizetium in opusc. *De sacris libris in vulgare eloquium minime vertendis;* quod pariter extat in cit. *Collect. auctorum s. Scripturae vulgares translationes damnantium.* pag. 27. necnon Aloysium Mozzi S. J. in op. *Il falso discepolo*

332. Hac ratione optime inter se componuntur s. Clemens I. et Clemens XI. Uterque studebat fidelium utilitati, sed diversa ratione, quia media quae idonea fuerunt primis christianis sub Clemente I., non solum inepta, immo vero perniciosa evaserunt sub Clemente XI, non quidem in se, sed respectu fidelium, ob adjuncta paulo ante commemorata. Utrique propterea parendum erat, ut filios decet parentibus morem gerere diverso tempore diversa praecipientibus.

333. Ad 7. *N.* Ad prob. *D.* Minus idoneae sunt mulieres ad haereses excogitandas, *Tr.* ad eas, ubi semel imbutae his fuerint, tenacius retinendas ac facilius disseminandas *N.* Quamvis enim haereses foeminae passim, ut quae ingenii tenuioris sunt, non primae excogitent, attamen illis, ubi semel imbutae fuerint, uti frequens docuit experientia, nihil est ad haereses promovendas magis idoneum. Praetermissis siquidem exemplis a s. Hieronymo commemoratis de nicolaitis, marcionitis, gnosticis, montanistis, arianis, qui constanter foeminis usi sunt ad suos propagandos errores (1), aetate nostra haud pauca suppetunt, quae aperte ostendunt quid foeminae valeant ad errores queis semel imbutae fuerint pugnaciter animo retinendos disseminandosque. Moniales Portus Regalis numquam dimoveri potuerunt ab erroribus jansenianis (2). Quapropter longe difficiliorem se praebet s. Sedes in concedenda facultate contrahendi nuptias cum haeretica, quam cum haeretico viro, quia experimento didicit, frequentius contingere, ut uxor haeretica virum pervertat, quam ipsa ab illo ad fidem catholicam adducatur.

334. Et has quidem difficultates ad abundantiam solvimus ad vindicandam ecclesiae et Rom. Pontificum agendi rationem, quam haereticis cogentibus, superioribus annis adoptarunt. Ceterum vix nunc temporis aliqua gens est, quae Biblia non habeat in vernaculam linguam conversa, iisque non utatur, probantibus, aut saltem non obnitentibus Rom. Pontificibus et episcopis, quum certiores facti sunt de versionum fidelitate, atque congruentibus explanationibus, queis perversionis periculum amoveatur.

SECTIO II.

DE TRADITIONE

335. *Traditionis* nomen amplissimam habet significationem; complectitur enim

di s. Agostino convinto di errore. Venezia 1779. part. I, cap. II. Item P. Cherubinum a s. Joseph in prolixa dissert. XV. *Circa versionum vernacularum lectionem omnibus indifferenter permissam ac debitam*, in *Apparatus biblici* tom. IV, p. 216 seqq. Sex continet partes in quibus haereticorum, Jansenistarum, Arnaldi praecipue in his quae apposuit regulae IV. Indicis, aliorumque illorum fautorum argumenta discutit, ac solvit copiosissime, usque ad pag. 648.

(1) Cf. in epist. CXXXIII. ad Ctesiphontem n. 4. ed. Vallars.

(2) Cf. Francisci Simonis, *De fraudibus haereticorum* p. I. *Fraude VI.* Item lepidas historias quas refert auctor op. cui tit. *Le véritable esprit des nouveaux disciples de s. Augustin*. Bruxelles 1706. praesertim t. I. lettre VII, XI, XVI. tom. II. lett. XVIII, XXIII, XXVIII. tom. III. lettr. XXXIV. Etiam Lutherus commendavit proselytismum cujusdam foeminae Agula nuncupatae, quae, ut refert Seckendorf *Comm. de Luth.* lib. I, § CXXVI, se exhibuit Inglostadii ad publice ex cathedra disputandum circa Scripturam tum latine tum germanice in favorem Lutheri. Cf. Audin, *Hist. de la vie de Luther*, tom. I, p. 428 seq.

institutum quodvis a primaevo aliquo fonte profluens, quod sive scripto, sive viva voce, aut praxi ad posteritatem pervenerit. Exinde partitio traditionis oritur in *scriptam, oralem* et *practicam*. Heic vero traditionis vocem usurpamus ad doctrinam significandam, quae aut fidem aut mores aut disciplinam afficit, ac viva voce, aut praxi etiam primum transmissa est. Si traditio habeat pro objecto fidem aut mores et a Christo atque ab apostolis ceu Evangelii praeconibus originem ducit, *dogmatica* et *divina* nuncupatur; si autem pro objecto habeat disciplinam, et ab apostolis prout fuerunt ecclesiae pastores, aut ab ecclesia repeti debet, *disciplinaris* audit. Res porro disciplinaris diversa ratione proponi cum possit, vel scilicet ut perpetuo vigeat, vel ut ad tempus; tum etiam vel per modum praecepti, vel per modum consilii; tum denique vel ut vim habeat in peculiaribus locis vel ut in ecclesia universa: exinde receptae ac tritae sunt penes theologos disciplinaris hujus traditionis multiplices divisiones. Nam ratione *auctorum* vel apostolica, vel ecclesiastica ab iis nuncupatur; ratione *durationis*, perpetua aut temporalis; ratione *obligationis* praecepti aut consilii; ratione demum *loci* localis aut universalis (1).

336. Controversia quae catholicos inter ac protestantes fervet, circa traditiones dogmaticas seu divinas versatur. Quamvis enim fateantur protestantes eodem pietatis sensu quo prosequimur Scripturas, excipiendas ac venerandas esse ejusmodi traditiones si existerent, inficiantur tamen illarum existentiam (2). Nam pro certo assumunt quaecumque ad fidem ac salutem necessaria sunt, sacris fuisse litteris consignata; cetera vero quae scripta haud sunt, veluti adiaphora saltem spectant.

337. Priusquam ulterius progrediamur, praemittere debemus, secernendam sedulo esse *traditionem* a *mediis* quibus traditio illa primaeva dogmatica et divina ad nos usque pervenit, et quorum ope eam cognoscimus. Prout enim traditionis existentia articulum fidei constituit, ex sola ecclesiae auctoritate, uti de Scripturis diximus, pendet, quae integrum fidei depositum a Christo accepit; ejusque auctoritati velut regulae fidei proximae innitimur, dum et hunc articulum profitemur; ac deinceps eadem traditione utimur uti fidei regula remota ac partiali ad reliqua dogmata probanda, quae per eam accepimus. Prout igitur theologi munus ac partes sustinemus, investigamus et in fundamenta quibus innixa ecclesia de-

(1) Ut haec exemplis illustremus, ad traditionem apostolicam pertinet disciplina circa ritum administrandi baptismum per immersionem, circa observationem dominicae diei substitutae sabbato; jejunium quadragesimale, permixtionem aquae cum vino in calice offerendo, quae etiam per modum praecepti et quidem *perpetui* ac universalis constituta sunt, si primum excipias; *temporalis* habetur exemplum in praecepto de abstinentia a sanguine et suffocato; per modum *consilii* ut professio caelibatus; ecclesiastica et localis traditio habenda est observatio e. g. jejunii in sabbato quae olim Romae obtinebat.

(2) Cf. Bellarm. *De verbo Dei* lib. IV, cap. II. et Walenburgicos tract. VI. *De testimoniis seu de traditionibus* cap. III. Quare non abhorrent novatores a definitione concilii Tridentini, qua anathema dicitur iis qui traditiones Christi ipsius, ore ab apostolis acceptas, vel ab ipsis apostolis Spiritu S. dictante quasi per manus traditas scienter contemnerent, dummodo a quaestione *facti* abstraheretur. Etenim ipsi non *jus* sed *factum* inficiantur, existentiam scilicet negant traditionum de iis quae ad fidem moresque pertineant, quaeque in Scripturis non contineantur.

cernit admittendas traditiones esse, et in media per quae traditiones de quibus loquimur ad nos profluxerunt, quibusque nobis innotuerunt, ut eas adstruamus adversus protestantes . . . Comperimus autem plura haec fuisse, imo et esse sive generalia, sive particularia quae deinceps enumerabimus. Ex his enim mediis ceu totidem quasi canalibus aut rivulis aquam, ut ita loquamur, primaevae traditionis divinae haurimus ac derivamus.

338. Haec propterea methodus erit, quam hac in quaestione consectabimur, ut prius vindicemus necessitatem et existentiam divinae traditionis; deinde investigemus media per quae traditio ad nos pervenit, sive haec generalia sint, sive peculiaria. In tria proinde capita sectionem hanc majoris perspicuitatis gratia dispertiemur.

CAPUT I.

De necessitate et existentia traditionis

339. Ut legitimus controversiae, quae agitatur cum protestantibus, status dignoscatur, animadvertendum est, ipsos non plane omnes rejicere traditiones, etiam quas divinas ac dogmaticas vocamus. Siquidem ipsi in primis fatentur ab initio sola traditione orali et practica universam Christi doctrinam in ecclesia viguisse, cum haud ignorent serius divinos esse libros conscriptos (1). Distinguunt praeterea duplicem traditionis speciem, etiam post quam sacrorum librorum completus est numerus, traditionem videlicet quam *inhaesivam* vocant, ac traditionem quam *declarativam* appellare consueverunt. Inhaesiva ab ipsis dicitur, quae dogmata ipsa eadem tradit, quae in sacris litteris continentur. Nam dogmata, quae sacra Scriptura exhibet, etiam ex communi fidelium sensu innotescunt, qui propterea adhiberi in confirmationem potest veritatis, non quod ille solus sufficiat, sed quod testimonium perhibere queat dogmati in canonicis libris expresso (2). Declarativa vero est quae disertius explanat quod sacrae litterae breviter aut minus perspicue docent (3). Haec traditio declarativa in eo

(1) Hoc fatetur vel ipse Shuttleworth rector novi collegii Oxoniensis in op. *Not tradition but Scripture*, seu: *Non traditio sed Scriptura*. Ed. 2. Lond. 1839. pag. 20. aliique admittunt apud Esslinger in opusc. saepe allegato: *Apologie de la religion catholique par des auteurs protestants* etc. § II. ubi *De Traditione*.

(2) Hujus rei exemplum ponunt in dogmate de Christi resurrectione, quod non solum ex sacris litteris verum etiam ex communi constat fidelium sensu, adeo ut si Scriptura periret, hoc dogma ex sola etiam traditione innotesceret. Hinc factum est, ut ecclesia non sola Scriptura, sed communi quoque fidelium sensu dogmata adstrueret. Nescio an Straussius qui resurrectionem Christi ad mythos relegat, huic principio acquiesceret. Ceterum Moëhler in *Symbolique* tom. II, § XXXVIII. apte hanc traditionem *subjectivam* appellat. Juverit ejus verba afferre, quae hoc argumentum mirifice illustrant: « Ce sentiment commun, *ait ipse*, cette conscience de l'église est la tradition dans le sens subjectif du mot. Qu'est-ce donc la tradition considérée sous ce point de vue? C'est le sens chrétien existant dans l'église, et transmis par l'église; sens, toutefois, qu'on ne peut séparer des vérités qu'il contient, puisqu'il est formé de ces vérités, et par ces vérités: en un mot, la tradition, c'est la parole de Dieu vivant éternellement dans le cœur des fidèles. C'est à ce sens catholique, qu'est confiée l'interprétation de l'Ecriture sainte; l'explication donnée par lui forme le jugement de l'église, et voilà pourquoi celle-ci est juge en matière de foi *(judex controversiarum)* ».

(3) Exemplo sit traditio de reali Christi

ab inhaesiva discriminatur, quod ista non doceat nisi ipsissima dogmata quae sunt in Scripturis expressa, illa vero sit uberior eorumdem expositio, quae in illis minus perspicue continentur. Jam vero novatores utramque hanc traditionis speciem admittere non abnuunt, cum demum in auctoritatem Scripturae resolvatur, ac subsidio tantum nobis esse possit ad dogmata in Scripturis tradita melius cognoscenda. Respuunt igitur traditionem a verbo Dei scripto *distinctam*, nullamque vim esse contendunt traditioni *per se* inspectae, et a sacris litteris separatae. Immo eam spectant veluti originem praecipuam foecundamque totius corruptelae quae juxta ipsos Romanam, sive catholicam ecclesiam coinquinat (1).

340. Dum itaque necessitatem et existentiam divinae dogmaticae traditionis adstruimus, de illa disserimus quae distincta est a verbo Dei scripto, eamque ex mente concilii Tridentini propugnamus, quod declaravit doctrinam catholicam contineri non solum in libris scriptis, sed « et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt (2); » ac deinde anathema in eum dixit, « qui traditiones praedictas sciens et prudens contempserit (3) ». Sit igitur :

PROPOSITIO

Praeter sacram Scripturam admitti necessario debent traditiones divinae dogmaticae ab illa plane distinctae

341. Complexi sumus in propositionis enunciatione traditionum divinarum ac dogmaticarum *necessitatem* et *existentiam*, cum ab invicem sejungi nequeant, ac probationes utrumque conficiant. Adjecimus autem vocem *dogmaticae* ad praecludendum illorum protestantium effugium, qui etsi fateantur non omnia in sacris litteris quae Christus, et apostoli Spiritu Sancto inspirante docuerunt, contineri, contendunt tamen ea, quae sacris libris non includuntur, adiaphora esse, minimeque ad salutem necessaria (4). Subjunximus praeterea admittendas ejusmodi traditiones *a Scriptura plane distinctas*, ad excludenda relata eorumdem placita circa traditiones mere *inhaesivas* ac *declarativas*. Quibus ita dispositis, sic accedimus ad assertae propositionis veritatem vindicandam.

342. Praeter Scripturas necessario

praesentia in eucharistia, qua eorum verborum: *Hoc est corpus meum*, sensus exponitur et determinatur; traditio item de eucharistia parvulis non necessaria, quae verba Christi Jo. VI. *Nisi manducaveritis* etc. ad solos adultos coarctat, et ita porro.

(1) Inter quos eminet Shuttleworth, cujus verba postea afferemus.

(2) Sess. IV.

(3) Ibid.

(4) Cum autem vel ipsi intelligerent litem moveri posse de legitimo Scripturarum sensu, ut huic incommodo occurrerent protestantes, distinxerunt alii inter dogmata *pragmatica* et *fundamentalia* religionis christianae, et *secundaria* ac inferiora pragmaticis; priora dixerunt clarissime sacris in litteris exprimi, posteriora vero affirmarunt secundum regulas interpretationis logicae ex sacris litteris erui *posse*. Qua in re non multum abhorrent a traditione *declarativa*, non ut per ipsam dogma adstruamus, sed ut illa utamur tamquam subsidio ad conclusionem ex sacris litteris eruendam. Si vero supersit in legitimo Scripturae sensu eruendo aliqua obscuritas, sinunt quempiam abundare in sensu suo, cum autument ad fidei unitatem sufficere eam quam vocant fidei concordiam in articulis fundamentalibus atque pragmaticis.

admitti traditiones divinae ac dogmaticae debent ab illis plane distinctae, si absque ejusmodi traditionibus nobis constare nequeat fide divina tum de numero, tum de canonicitate divinaque sacrorum librorum inspiratione, aut de dogmatico legitimoque eorumdem sensu, tum de pluribus aliis articulis fidei quos nobiscum protestantes profitentur; si talis praeterea constans fuit totius antiquitatis sensus; si id demum natura ipsa rei postulat, haud paucis ipsis doctioribus protestantibus assentientibus: atqui ita se res habet. Sic porro per partes minorem propositi argumenti ostendimus.

343. Ac 1. quidem protestantes nobiscum sacros libros admittunt, eosque uti divinitus inspiratos et canonicos habent (1), immo vero unicum fundamentum ac regulam credendorum agendorumque adaequatam illos esse contendunt. Porro fieri omnino nequit, ut sine divinis traditionibus certo ipsis ac fide divina constet quinam determinate sint ejusmodi libri, atque utrum fuerint nec ne divino Spiritu afflante conscripti, cum neutrum in ipsis libris contineatur, et si alicubi utrumque affirmaretur, nodus quaestionis nondum solutus esset, cum et de hoc ipso libro quaeri semper merito possit, unde certa fide constet eum tum sacrum tum divinum esse. Huic enim defectui suppleri nequit sive ope critices, sive aliis quibusvis humanis adminiculis, ut suo ostendimus loco (2), cum humana quaevis auctoritas numquam fidem divinam pariat, quae nulli errandi formidini subjaceat, ut patet ex fluctibus quibus quovis tempore protestantes etiam circa hunc articulum agitati sunt, et nunc maxime agitantur. Verumtamen heic agitur de fidei ipsius principio fundamentali et unico juxta protestantes (3).

344. 2. Sed nec minus necessariae sunt traditiones divinae ad sensum sacrorum librorum dogmaticum determinandum. Scriptura enim, ut paulo ante ostendimus (4), obscura in quampluribus locis est, etiam in iis ex quibus fidei veritates pendent (5). Nisi proinde in subsidium advocetur divina traditio,

(1) Loquimur, ut patet, de protestantibus quos orthodoxos vocant, seu de iis qui adhuc symbolismo adhaerent, siquidem de aliis, quid sentiant, diximus.

(2) Sect. I, cap. I, propp. I, et II.

(3) Sane Newman in op. *Lectures on the prophetical office of the church viewed relatively to Romanism and popular protestantism*, seu *Lectiones de officio prophetico ecclesiae spectato in ordine ad romanismum et ad protestantismum*. Lond. 1837. « Omnes sectae, scribit lect. I., nobiscum (anglicanis) conveniunt, ac differunt a romanensibus in spectandis Bibliis veluti vexillum appellationis in inquisitionibus doctrinalibus, quamvis unaquaeque diversam viam ineat in materia fidei. Hinc controversia inter protestantes *facilior* est, quoniam ad Biblia revocatur circa quae quilibet disputare potest sed non est *certior*, quia duo non inveniuntur, qui secum collineent quoad *interpretationem* Bibliorum, quoniam unusquisque interpretatur ea modo suo ». pag. 32 seqq.

(4) Sect. I, cap. III, prop. I.

(5) Afferamus iterum quae ibid. prosequitur Newman: « Biblia, inquit, ea ratione scripta non sunt, ut cogant lectorem ad eorum sensum assequendum: duae non reperiuntur sectae protestantes, quae conveniant in determinanda interpretatione, quae acceptari debeat; atque in hoc casu quaelibet suapte propriam praefert interpretationem, propriam doctrinam, propriam linguam, propriam revelationem. Quo fit ut viri acuto ingenio praediti viderint, ideam ipsam elementarem, quod Biblia sine notis aut commentariis sint solus judex *auctoritativus* in fidei controversiis, principium esse in se destructivum, ac practice involvere conclusionem, quod disputatio sit simul et desperata et inutilis, imo et absurda ». Exinde ostendit

nihil unquam certi constabit, controversiae indesinenter vivent, et unusquisque post inanes conatus in sensu suo abundabit, quin possit tum sibi tum ceteris certitudinem comparare. Talis est causa quare sociniani, methodistae, rationalistae, mythici tot inter protestantes nacti fuerint sectatores, cum nulla ipsis reliqua via sit, divinis neglectis traditionibus, evadendi ab illorum argumentis, nec eos unquam convictos ad silentium possint adigere (1). Quod vero hic de dogmatibus Trinitatis, Incarnationis, et satisfactionis affirmatur, de dogmatibus reliquis dici eodem jure debêt, cum nulla certa firmaque subsistere queant, nutabitque undique fides nostra, atque reipsa erit, ut ait s. Basilius « sine traditionibus non scriptis Evangelium purum nomen (2) ».

345. 3. Haud pauca insuper dogmata nobiscum admittunt protestantes de quibus silent prorsus aut vix aliquid obscure innuunt litterae sacrae: ejusmodi est baptismi valor ab haereticis aut ab infidelibus administrati; item valor paedobaptismi, quem frustra absque traditionum divinarum subsidio adversus anabaptistas propugnare adnisi sunt protestantes; idem dic de ejusdem sacramenti forma (3); de cessatione legis quoad abstinentiam a sanguine et suffocato, de dominico die diei sabbati substituto, aliisque non paucis (4).

346. 4. Hunc porro semper fuisse totius sacrae antiquitatis sensum in agnoscenda necessitate ac existentia divinarum traditionum, luculenter evincitur et ex patrum effatis, et ex eorum agendi ratione per secula singula.

347. Primo enim seculo divinarum traditionum assertores habemus Ignatium, Hegesippum ac Polycarpum. S. Ignatius, Eusebio teste, adhortabatur fideles « Ut sibi a pravis haereticorum opinionibus caverent...... hortatusque est, ut apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent (5) ». Hegesyppus vero, eodem Eusebio referente, apostolicas traditiones quinque libris comprehendit (6). S. Polycarpus apud eundem, verba referebat quae dicta a Domino ab apostolis ipse audierat, et de virtutibus ejus et doctrina (7).

348. Secundo seculo divinas et apostolicas traditiones commendat s. Ire-

quomodo ex ejusmodi principio saltem practice proveniat dubium generale, libertas illimitata credendi quidquid libuerit, ac vix tenendi divinitatem Bibliorum. pag. 34. 35.

(1) Sane protestantismus in Anglia et in America quotidie diffluit, ac pro recta aut prava animi dispositione plerique ex illius sectatoribus aut ad fidem catholicam se recipiunt, aut ad *unitarismum* seu *socinianismum* declinant, aut, ut in Germania potissimum contingit, in rationalismum ac mythicismum ruunt.

(2) Lib. *De Spiritu Sancto* cap. XXVII, n. 66. En ejus verba: « Si consuetudines quae scripto proditae non sunt, tamquam haud multum habentes momenti aggrediamur rejicere, imprudentes Evangelium in ipsis *rebus praecipuis* laedemus, *imo potius praedicationem ad nudum nomen contrahemus* ». Edit. Maur. opp. tom. III, p. 54.

(3) Etenim Christus jussit quidem baptizare in nomine Patris etc., verum haec vaga nimis sunt, neque ex illa Christi jussione colligi per se potest utrum verba adhiberi debeant in collatione baptismi.

(4) Cf. Card. Du-Perron, *Discours sur l' autorité et la nécessité des Traditions apostoliques* ed. Paris tom. I, p. 522 seqq. ubi plures articulos enumerat ad fidem spectantes, quique nonnisi ex traditione ad nos pervenerunt.

(5) *Hist. Eccles.* lib. III, cap. XXXVI. ed. Vales.

(6) Ibid. lib. IV, cap. XXII.

(7) Ibid. lib. IV, cap. XIV.

naeus praeclarissime scribens: « Traditionem apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre (1) ». Cum vero haeretici nescio quas arcanas traditiones jactarent, traditionem eis opponit publicamque doctrinam ab universa ecclesia receptam; subdit siquidem: « Haec (ecclesia) est enim vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones; propter quod oportet devitare quidem illos; quae autem sunt ecclesiae, cum summa diligentia diligere, et apprehendere *veritatis traditionem*. Quid enim? Et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et re liquidum est? Quid autem si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem caeli et terrae, et omnium, quae in eis sunt per Christum Jesum Dei filium (2) ». Nec minus luculenter Tertullianus sub finem ejusdem seculi traditiones commendat, cujus liber de *Praescriptionibus* totus de hoc argumento est; in eo enim provocat haereticos omnes ad doctrinam quae in ecclesia ante ipsos praedicabatur (3).

349. Seculo tertio, Clemens Alex. loquens de haereticis: « Gloriae, inquit, tenentur desiderio, qui ea quae conveniunt sermonibus divinitus inspiratis, *tradita a beatis apostolis* et magistris, voluntarie eludunt, per alias argumentationes, humanis doctrinis resistentes *divinae* traditioni, ut haeresim constituant (4) ». Eodem seculo Origenes Clementis discipulus certam volens regulam assignare ad secernendam veritatem, provocat discrepantes sectas ad praedicationem: « Cum multi sint, scribit, qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica, et apostolica discordat traditione (5) »: et iterum: « Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare (6) »: s. Cyprianus: « Admonitos, inquit, nos scias ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud

(1) *Cont. haeres.* lib. III, cap. III.

(2) Ibid. cap. IV, n. 1. et 2.

(3) Cf. potissimum capp. XIX. XX. XXI. XXII. Longum nimis esset hic omnia referre quae invictissime hoc de argumento adversus haereticos sui temporis scripsit Tertullianus, quaeque mutatis nominibus apprime haereticis nostri temporis conveniunt. Cf. etiam eundem in lib. *De corona* cap. III, et IV.

(4) Δόξης ἐπιθυμοῦσιν, ὅσοι τὰ προσφυῆ τοῖς θεοπνεύστοις λόγοις ὑπὸ τῶν μακαρίων ἀποστόλων τε καὶ διδασκάλων παραδιδόμενα, ἑκόντες εἶναι σοφίζονται, δι' ἑτέρων παρεγχειρήσεων ἀνθρωπείαις διδασκαλίαις ἐνιστάμενοι θείᾳ παραδόσει, ὑπὲρ τοῦ τὴν αἵρεσιν συστήσασθαι. *Strom.* lib. VII, cap. XVI. edit. Potterii, Venet. tom. II, pag. 896. Integrum caput de hoc argumento est.

(5) Praef. in libr. I. Περὶ ἀρχῶν seu *De principiis* n. 2. ed. Maur. tom. I, p. 47.

(6) *Comment. in epist. ad Rom.* lib. V. in cap. VI. opp. edit. Paris. 1572. pag. 352.

fiat a nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecerit ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur (1) ».

350. Seculo quarto, nobis sese offerunt divinarum traditionum assertores Eusebius Caesariensis, Epiphanius, Basilius, Jo. Chrysostomus, Ambrosius, et Hieronymus. Sane Eusebius cum dixisset, Christum in hominum mentibus doctrinam suam descripsisse, subdit: « Ejus vero discipuli . . . partim litteris, partim sine litteris quasi jure quodam non scripto, servanda, commendarunt (2) »; Epiphanius vero: « Traditione quoque, inquit, opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat: *quemadmodum tradidi vobis* (3) ». S. Basilius haec praeclare in rem nostram pariter scribit: « Ex asservatis in ecclesia dogmatibus, alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione apostolica: quorum utraque vim eandem habent ad pietatem (4) » s. autem Jo. Chrisostomus explanans illud Apostoli: *Tenete traditiones etc.* ait: « Hinc est perspicuum quod non omnia tradiderint (apostoli) per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. *Quamobrem ecclesiae quoque traditionem* censeamus esse fide dignam. Est traditio: nihil quaeras amplius (5) ». Et haec attulisse sufficiat; reliqua enim testimonia, quae ex Cyrillo Hierosolymit. ex utroque Gregorio Nazianzeno et Nysseno, Ambrosio, Hieronymo afferri possent, recoli potuerunt apud Bellarminum (6).

351. Ex seculo quinto, unum laudamus Augustinum, ne prolixiores simus; sic porro loquitur s. Doctor: « Illa au-

(1) Epist. LXIII. ad Caecil. ed. Maur. p. 104.

(2) Οἱ δέγε αὐτοῦ μαθηταὶ . . . τὰ μὲν διὰ γραμμάτων, τὰ δὲ δὶ αγράφων θεσμῶν φυλάττειν παρεδίδοσαν. *Demonst. Evang.* lib. I, cap. VIII. ed. Paris. 1638. p. 29. Ac rursum lib. I. cont. Marcellum Ancyrat. cap. I. mirifice traditionem ecclesiae catholicae extollit « aquae a fine ad finem terrarum diffunditur, *quae per non scriptam traditionem sacrarum Scripturarum* testimonia confirmat et obsignat ». Ibid. p. 9. sec. part. ejusdem volum.

(3) Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι, οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι· διό τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδωκαν οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι· ὡς φησὶν ὁ ἅγιος Ἀπόστολος. Ὡς παρέδωκα ὑμῖν. Haeres. LXI. ed. Petav. cap. VI. quae est *apostolicorum*. Sic enim veteres haeretici se *apostolicos* nuncupare gloriantur. Sed num arbitrariae appellationes poterunt rerum immutare naturam?

(4) Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων, καὶ κερυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς εγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα· ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν. lib. *De Spiritu Sancto* cap. XXVII. n. 66. ed. Maur. tom. III, p. 54.

(5) Ἐντεῦθεν δῆλον ὅτι οὐ πάντα δὶ ἐπιστολῆς παρεδίδοσαν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ἀγράφως· ὁμοίως δὲ κἀκεῖνα, καὶ ταῦτα ἐστιν ἀξιόπιστα. ὥστε καὶ τὴν παράδοσιν τῆς ἐκκλησίας ἀξιόπιστον ἡγώμεθα· παράδοσις ἐστι, μηδὲν πλέον ζήτει. *Hom. IV. in II. ad Thessal.* n. 2. ed. Maur. tom. XI. p. 532.

(6) *De verbo Dei* lib. IV, cap. VII. Cf. item Walemburgicos tract. cit. *De testimoniis seu traditionibus* ubi accurate singulorum patrum testimonia expendunt. cap. VI. nec non Gretzerum in op. *Defensio operum Bellarmini*. Edit. Ratisbon. tom. VIII. pag. 838 seqq. *Defensio* capitis VII. libri IV. *De verbo Dei*.

tem quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis apostolis . . . . commendata, atque statuta retineri (1) » et alibi passim (2). Quod spectat ad secula insequentia, nec adversarii diffitentur hanc de divinis traditionibus doctrinam obtinuisse (3).

552. Verum non solum verbis sed et factis pia antiquitas commune principium de traditione uti fidei regula patefecit. Ostenditur id apertissime ex patrum omnium provocationibus ad receptam in ecclesia doctrinam, ut haereticorum doctrinas refellerent (4), atque ex regula quam constanter synodi oecumenicae secutae sunt dum dogmaticas definitiones insurgentibus haeresibus opposuerunt, inter quas Nicaena synodus eminet, quae sic arianos refellit: « Ecce nos quidem a patribus ad patres per manus traditam fuisse hanc regulam demonstravimus (5) »; eandem regulam sectantur synodus ephesina (6), chalcedonensis (7), aliaeque omnes ad Tridentinam usque, ut silentio praetereamus synodos particulares sive nationales, sive provinciales.

553. 5. Naturam insuper rei, de qua agimus, traditionem veluti alteram fidei regulam postulare, patet 1. ex eo quod Christus et apostoli doctrinam suam viva voce tradiderunt. Quamvis vero apostoli data opportunitate atque a Spiritu Sancto excitati scripta ediderint, nisi evincant adversarii totam plane doctrinam dogmaticam in illis complexos eos fuisse, nihil proficiunt. Jam vero hoc ostendere impossibile ipsis prorsus est, cum nuspiam id habeatur, quin potius contrarium haec eadem apostolorum ac discipulorum scripta supponunt, immo vero declarant. Etenim Apostolus I. Cor. XI. 2. sic ad fideles scribit: « Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis: *et sicut tradidi vobis*, praecepta mea tenetis », et II. ad Thess. II. 14. « State, inquit, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram ». Qui iterum ita informat Timotheum quem praefecerat ecclesiae Ephesinae: « O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates (I. Timoth. VI. 20) » Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere (II. Timoth. II. 2.). » Eadem habet Joannes, qui his verbis epistolam suam II. absolvit: « Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum; spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui (v. 12.). » Iisdem pene verbis concludit epistolam III. Idem insinuat, imo declarat in Evangelio, quod postremum est apostolorum scriptum cap. XX. 30. 31. et cap. XXI. 25. Patet 2. ex eo quod omnis bene instituta respublica, ut ait Tullius, non tam lege scripta, quam non scripta, traditione nempe et consuetudine gubernetur; eo magis quod lex utut perspicue

(1) Epist. LIV. ad Januar. n. 1.

(2) Praesertim lib. V. *De Bapt. cont. Donatist.* cap. XXIII, n. 31. ubi scribit: « Sunt multa quae universa tenet ecclesia, et ob hoc ab apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur ».

(3) Uti Shuttleworth cujus verba paulo infra referemus.

(4) Hoc argumentum egregie evolvit Moëhler in cit. *Symbolique* tom. II, § XXIX.

(5) Apud s. Athanas. in *Epist. de decretis Nicaenae synodi* n. 27. et ibid. in append. *Fides in synodo edita*. Cf. quoque Theodoretum *Hist. Eccles.* lib. I, cap. VII. ed. Cantabrig. pag. 30.

(6) Cf. *Acta conc.* Harduini tom. II, col. 1354 seqq.

(7) Ibid. tom. III, col. 450 seqq.

exposita fuerit, in varios sensus facile trahitur, nec nisi consuetudine traditioneque, tamquam viva ac loquente voce, recta ac legitima mutae per se ac veluti mortuae Scripturae interpretatio in republica constat ac conservatur. Exinde enim illa oritur traditio *subjectiva*, seu sensus traditionalis, quo unaquaeque societas ab alia discernitur, et in casu nostro sensum patefacit non solum Scripturae, verum etiam traditionis *objectivae*, de qua disserimus. (1).

354. 6. Demum idipsum agnovisse doctiores protestantes manifestum est; ut enim antiquiores omittamus Pearsonium (2), Grabium (3), aliosque non paucos qui intentatum nihil reliquerunt, ut suos adigerent ad traditiones admittendas, nec non Grotium (4), Thomam Smith, Jac. Basnagium, aliosque plures (quorum testimonia fuse refert Benedictus Bachinius (5)) qui Christum ipsum et apostolos identidem traditionibus judaeorum allusisse fatentur, quod pluribus exemplis ostendit Richardus Simonius (6); satis nobis erit unum aut

(1) Cf. etiam hoc de argumento circa traditionum vim apud Hebraeos De-Voisin *Observationes* ad prooemium Pugionis fidei Ray. Martini § VI. edit. Carpzovii a pag. 6. ad 190. Nec non Moëhler op. cit. tom. II, § XXXVIII, pag. 40. ubi sic in rem nostram inter cetera scribit: « Au surplus, quand notre divin Sauveur établit l' église, son organe permanent, il ne fit que sanctionner une loi constante de l' ordre moral. Chaque nation porte un caractère distinctif. Enraciné profondément, ce type est empreint dans la vie publique comme dans la vie privée, dans les lois comme dans le langage, dans les sciences comme dans le arts; ce type en un mot sépare tout un peuple de tout autre peuple. C'est le génie tutélaire, l'esprit régulateur qui fut légué des pères aux enfans; c'est ici le souffle vivifiant de tout le corps ».

(2) Cf. ejus *Vindicias epistolar. s. Ignatii* apud Coteleriun: *Patr. Apostol.* tom. II, p. 238 seqq.

(3) Tum *In Spicilegio ss. Patrum et haereticorum I. II. et III. seculi* Oxon. 1714. tum in *edit. s. Irenaei*.

(4) In *Adnotatis ad consultation. Cassandri*, opp. *Theolog.* edit. cit. tom. III, pag. 628. et alibi passim ibid.

(5) In *Epist. Polemicis* tom. I, epist. II, § 12.

(6) In *Histoire critique du texte du Nouveau-Testam.* Rotterdam 1689. His plures alii adjici possent, cujusmodi sunt Scrivenerus, Jewel, Thorndyke, Collier, Sam. Parker, Bramhal, Dodwel, Waterland, Breveridge, Haremberg, Jarvis etc. apud Grégoire *Hist. des sectes* tom. IV, pag. 432 seqq. Klüpfel allegat alios auctores protestantes qui adstruunt traditiones in op. *Institut. theolog. dogmaticae*, Viennae 1807. tom. I, pag. 85. Johnes Hugues in sua edit. librorum s. Jo. Chrysostomi *De sacerdotio*, Cantabrigiae 1712. ad traditionem confugit ut adstruat adversus presbyterianos praeeminentiam episcoporum supra presbyteros, illorumque necessitatem, quod etiam praestitere alii auctores anglicani. Bullus innititur traditioni, ut adstruat consubstantialitatem filii in sua *Defensione fidei Nicenae*, et in peculiari Tractatu de divinitate J. C. adversus Dan. Zuickerum, eumque inscripsit: *Primitiva et apostolica traditio dogmatis in ecclesia catholica recepti de Jesu Christi Servatoris Nostri divinitate*. Item in alio op. *Judicium ecclesiae catholicae trium primorum ecclesiae seculorum de necessitate credendi*, *quod Dominus noster Jesus Christus sit verus Deus contra Sim. Episcopium aliosque*. Londini 1703. in qua editione accessere *Adnotata* J. E. Grabe. Item Abraham Calovius lutheranus prof. Wittemberg. in op. *Scripta Anti-Sociniana*, trib. volum. Ulmae 1684. traditione pugnat *haeresim illam pestilentissimam*, quam ta-

alterum ex recentioribus in medium adducere. Itaque Planck: « Si reformatores, inquit, id omne praevidissent, quod includebatur in illo principio, quod Biblia sint fons unicus fidei, omnesque magni hujus principii consecutiones, supra quod Lutherus statuit systema suum, tam illi quam Lutherus maluissent ei renunciare (1) ». Munscher vero scribit: « Patet ex omnibus disquisitionibus, quas hactenus fecimus, protestantes, dum se adversus traditiones declarant, non habere pro se impartiale testimonium historiae. Ecclesia catholica juremerito affirmat traditionem magnam auctoritatem penes primos habuisse fideles (2) ». Dellbruck professor Bonnensis: « Paucis, inquit, qui per solum Scripturae textum in ultima analysi determinare fidem contendit, eam talem efficere nititur qualis et juxta naturam suam esse non potest, et juxta Domini intentionem esse non debet, et, prout ipsamet declarat, esse non vult et primis christianae rei aureis temporibus profecto non fuit (3) ». Theremin « Duplex hic scopulus (rationalismi et mysticismi) declinari nequit, nisi fortiter ei inhaerendo, quod tamquam veritas divina admissum est primis christianismi temporibus, id est traditioni ecclesiae (4) ». Sic alii passim magno numero (5): potissimum vero universitas Oxoniensis cujus plura membra his annis opera ediderunt ad divinarum traditionum necessitatem et existentiam propugnandam, et quod consequens est, plura jam vi traditionis ipsius dogmata admittunt, quae non ita pridem veluti pontificia figmenta rejiciebant (6).

355. Quae cum ita se habeant, jure merito concludimus necessario divinas dogmaticas admittendas traditiones esse a sacris litteris plane distinctas, prout demonstrandum assumpsimus, quae eandem ac Dei verbum scriptum auctoritatem obtinent, utpote ipsum Dei verbum, quod, diversa a Scriptura ratione, ad nos usque propagatum est.

356. Ne autem difficultatum, quas adhuc nonnulli protestantes urgere solent adversus divinas quas vindicavimus traditiones, numero obruamur, et confusio inde ingeratur, majoris perspicuitatis gratia in classes dispertiemur, easque potissime afferemus quae a nuperrimis protestantibus opponuntur. Ad reliquas enim difficultates quod attinet, praeterquam quod non paucae, ut fieri solet, a recentioribus iteratae sunt impugnatoribus, facile penes antiquiores auctores expensae et disjectae inveniri poterunt (7).

men progenuit protestantismus. Casaubonus eo quod traditionem magno in pretio habuerit male audiit apud suos. Cf. *Perpétuité de la foi* tom. I, pag. 49. et tom. II, pag. 23.

(1) In *Historia dogmatis lutherani* vol. VI, p. 705.

(2) *Manuale histor. dogmatis*.

(3) In op. *Philippus Melanchthon, doctor fidei*, Bonnae 1826.

(4) *De regno Dei*, Berolini 1823.

(5) Cf. Esslinger opusc. cit. *Apologie de la religion catholique* etc. § II. Baro de Starck in *Convivio Theoduli*; Moore *Voyages d' un jeune homme Irlandais* etc. Paris 1836. pag. 403 seqq.

(6) Cf. Wiseman, *Dissertazione sullo stato attuale del protestantismo in Inghilterra*. Roma 1837. Verum ex eo anno ulterius adhuc anglicani oxonienses progressi sunt uti jam in prima hujus tractationis parte non uno in loco retulimus.

(7) Praeter auctores allegatos consuli possunt card. Gotti *La vera chiesa di Cristo dimostrata contro i due libri di Giacomo Picenini*. Bologna 1719. tom. II, par. I, art. IV. Bossuet, *Défense de la Tradition*

DIFFICULTATES

E Scriptura

357. Obj. 1. Scriptura sacra traditiones damnat Matth. XV. 3. seqq. Marc. VII. 8. ubi Christus pharisaeos arguit, quod reliquerint « mandatum Dei propter traditiones hominum ». 2. Vetat quominus aliquid addatur verbo Dei, ut patet ex Deut. IV. 2. « Non addetis ad verbum quod vobis loquor »; et Apocalyp. XXII. 18. « Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto »; et Apostolus Gal. I. 8. « Licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit »; qui propterea ad Coloss. II. 8. his verbis praemuniebat fideles adversus traditiones: « Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum ». 3. testaturque omnia in sacris libris quae ad salutem saltem necessaria sunt, contineri, ut liquet ex iis quae ipse scribit Apostolus II. Timoth. III. 16. « Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis (nempe *sufficiens*) est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus ». Profecto, qui solis scripturis *perfectus* evadere potest, et ad *omne opus bonum instructus*, nullo alio subsidio indiget ad salutem obtinendam. Sic etiam s. Lucas I. 3. scribit: « Visum est et mihi, *assecuto omnia* a principio diligenter, ex ordine tibi scribere ». 4. Quare tametsi daretur, non omnia prorsus in Scripturis contineri, quae Christus gessit aut docuit, illa tamen quae in sacros codices relata sunt, ad ea quae scitu et creditu necessaria sunt, abunde sufficiunt juxta illud Jo. XX. 31. « Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei: et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus ». Ergo.

358. Resp. Ad I. *N.* Ad 1. prob. autem *D.* Christus arguit pharisaeos eo quod admiserint traditiones humanas, seu potius consuetudines ex falsa Scripturarum interpretatione superinductas, *C.* traditiones divinas ac proprie dictas, quales tuetur ecclesia catholica *N.* Id patet ex substrata materia, quae est de tot lustrationibus, quas post babylonicam praesertim captivitatem una cum aliis ritibus frequentare coeperant. Dum vero plus aequo his insisterent, parvi faciebant, aut etiam extenuabant divinum mandatum de honore, quo filii parentes colere tenebantur (1). Quid vero ejusmodi consuetudines et ritus commune habent cum traditionibus dogmaticis, de quibus hic agimus? Traditiones porro in vera sua significatione acceptas supponunt et commendant sacrae litterae tum locis paulo ante allegatis, tum Act. VI. 14, Galat. I. 14. et alibi. Christum praeterea ipsum et apostolos allusisse

et des saints Pères. Opp. cit. edit. Versailles tom. v. Milner *Excellence de la relig. cathol.* tom. i. lettr. x. et xi. Lingard, *Strictures on Dr. Marsh comparative view of the church of England and Rome*, seu *Censurae in prospectum comparativum ecclesiae anglicanae et romanae a Doct. Marsh exhibitum*. Lond. 1815.

(1) Cf. Maldonatum in loc. cit. Matthaei, necnon Cornel. a Lapide. Hanc eandem interpretationem exhibet Kuinoel *Comm. in Matth.* xv, 2. 3. Fuse etiam de hoc argumento egerunt Schoettgenius *Horae hebraicae et chaldaicae*, Dresdae 1733. in cap. xv. Matth. pag. 136 seqq. et Lightfootus *Horae hebraicae et Talmudicae* in Evangel. s. Matthaei opp. edit. Ultrajecti 1699. vol. ii, pag. 330 seqq.

aliquando traditionibus judaeorum pluribus exemplis uti diximus, ostendit Richardus Simonius (1). Hinc Grotius cum Scaligero affirmat: « Si quis se speret legem Mosis intellecturum sine ope traditionum, eum imposturam facere et sibi et aliis (2) ».

359. Ad 2. *D.* Id est vetat quominus sacer textus vitietur quidquam addendo, aut detrahendo, *C.* quominus custodiantur traditiones, quas a Deo ipso fideles acceperint *N.* Vetat itaque Moses ne quavis ratione divina lex, quam Hebraeis dederat, ab illis unquam vitiaretur, sed praecipit ut eam, prout acceperant, fideliter custodirent intemeratam, ut patet ex verbis immediate insequentibus. Cum vero in hypothesi traditiones divinae sint ipsum Dei verbum, licet diversa ratione quam per scripta ad nos transmissum, nihil per traditiones eidem adjicitur Dei verbo, sed integrum potius custoditur (3); nec alius est sensus objecti loci ex Apocalypsi, ut liquet ex verbis ipsis. Apostolus autem ad Galatas anathema dicit illi, qui eos doceret *contra* seu *contrarium* aliquid ab eo quod ipse eos docuerat, prout vel ipse exponit Rosenmüller (4). In epistola vero ad Coloss. juxta eundem interpretem Paulus eos praemunivit a doctoribus judaizantibus, qui legum ritualium, et consuetudinum pharisaicarum obligationem in religionem christianam inducere adnitebantur (5).

360. Ad 3. *N.* Ad 1. prob. dato quod perperam adversarii assumunt, perinde valere *utile* ac *sufficiens*, resp. nimis eos allegatis verbis probare; sequeretur nimirum sufficere ad virum perfectum constituendum et ad omne opus bonum instructum Scripturas V. T. de quibus hic loquitur Apostolus, ut per se patet, et ex verbis praecedentibus; ait enim: « Et quia *ab infantia* sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem quae est in Christo Jesu ». Jam vero cum Timotheus adhuc infans erat, nullae extabant scripturae N. T. Eatenus autem Scripturae virum perfectum efficiunt, et omnia ad salutem necessaria continent, quatenus aut expresse aliqua dogmata tradunt, aut fontes aperiunt ex quibus ea quae in illis non continentur hauriri possunt. Tales porro divinae sunt traditiones juxta eumdem Apostolum II. Thess. II.

361. Ad alteram prob. quae ex Lucae verbis ducitur ea haud esse ad vivum resecanda admonet Kuinoël (6),

(1) Op. cit. praesertim chap. XXI, et XXII.

(2) *In animadvers. Riveti, opp. Theologic.* edit. Amstelaed. 1679. tom. III, pag. 648.

(3) Cf. Calmet in hunc loc. qui hunc textum exponit de exacta legis observatione. Idipsum sentit Grotius, qui in *Annot.* in eundem loc. scribit: « Hoc dictum neque traditionibus scriptum interpretantibus, neque praeceptis humanis legem sapientibus repugnat. *Diminuere* est, non facere quod jubetur: *addere*, aliter quam jussum est facere, infra 12, 32. » *In Criticis sacris* tom. II.

(4) *In schol.* in hunc loc. En ejus verba. « Παρ' ὃ h. l. non tam *praeter id* (Evangelium) quam *contra id*, *contrarium* ei, h. l. significat, ut Rom. XII, 3. »

(5) En rursum ejus verba: Hoc loco φιλοσοφία est profunda sapientia, exquisitior scientia, sed vana et fallax, quae falso jactatur. Intelliguntur errores judaizantium doctorum: κατὰ τὴν παράδοσιν-χριστόν. *Quae continetur traditionibus humanis, et primis rudimentis religionis non christianae*, vel Christo dignae . . . Doctores illi judaizantes commendabant legem ritualem judaicam, plenam traditionibus, contra quas Christus saepe disputavit, pharisaeos castigans. Ergo non fuit illa vana sapientia conveniens religioni christianae ».

(6) Cf. ejus *Comm. in lib. hist.* tom.

quum exploratum sit ex Evangelii Lucae cum Evangeliis reliquis collatione, praecipue vero cum Evangelio Joannis, plura eum praetermisisse ex dictis gestisque Christi Domini. Significat igitur se omnem adhibuisse diligentiam ad accuratam sibi eorum notitiam comparandam, quae erat scripturus, nec disjecta aliqua dicta aut facta, sed continenti serie Christi se vitam et doctrinam esse expositurum, ad illorum discrimen ad quos alludit v. I. qui memorabilia Christi in commentaria redegerant, quique veris falsa intermiscebant (1).

562. Ad 4. vel *N.* vel *D.* Scriptura omnia scitu et creditu necessaria ad salutem continet, sensu exposito, quatenus quae ipsa expresse non exhibet, unde ea sint derivanda patefacit, *C.* secus *N.* Non aliud quippe significat s. Joannes in allegato textu, quam se plura alia signa quae Christus fecerat, in sua narratione praetermisisse, utpote ea, quae retulerat, sufficerent ad id quod sibi proposuerat obtinendum, nempe ad probandum tum Jesum esse Messiam ac filium Dei, tum nonnisi per fidem in ipsum posse obtineri salutem (2).

563. I. Inst. 1. Atqui verissimum est *magnum protestantismi principium,* Scripturam videlicet absque Traditione sufficientem plane esse ad fidei doctrinaeque regulam constituendam. Nam 1. *Universus orbis* sacrorum admittit Bibliorum inspirationem. 2. Porro si Deus solidum supernaturale ac prodigiosum medium ad fidei conservationem homini praebuit, debet illud esse sufficiens. 3. Alioquin quaenam securitas de immunitate ab errore posset haberi in sacrarum litterarum studio, si istae non essent nisi *prospectus partialis* sensuum Dei erga homines? 4. Licet enim fateamur ecclesiae existentiam, tempore, scriptis apostolicis anteriorem esse, atque christianismi praecones *orali traditione* doctrinam communicasse, exinde tamen inferri nequit eosdem, cum eam scriptis consignarunt, *ex parte* tantum id effecisse, potuisseque Spiritum Sanctum iis incompletum opus dictare. 5. Sane si nos ipsos interrogemus, nonne videmur omnia in Scripturis reperire? 6. Dum vero libros inspiratos nominamus, solos significamus libros *canonicos* in sensu planiore et grammatico, nullo ad sectas aut factiones habito respectu. 7. Accedit, quod Christi religio (illa nempe Dei adoratio in spiritu et veritate) non tam in singularibus articulis, quam in principiis generalibus ac motivis sita sit. Hoc intendit Christus Dominus dum totam legem duobus praeceptis complexus est; hoc s. Paulus dum I. Cor. II. 2. affirmat se non aliud scire nisi Jesum Christum et hunc crucifixum: 8. Laeditur proinde Deus, dum confugitur ad praesumptarum traditionalium opinionum figmenta, de quorum authenticitate nullum aliud praeter propriam cujusque conjecturam suppetit fundamentum (3). Ergo.

564. Resp. *Neg. min. subs.* Ad I. prob.

II, in cap. I, v. 4. et tom. I. *Prolegom.* in Matthaeum pag. XXI seq.

(1) Ibid. S. Ambrosius in *Exposit. in Lucam* lib. I, n. II. haec praeclare inter cetera scribit: « Adsecutum se non pauca dicit, sed omnia: et adsecuto omnia visum est scribere non omnia, sed ex omnibus. Non enim scripsit omnia, sed adsecutus est omnia ». Ed. Maur. tom. I. col. 1269.

(2) Cf. Maldonatum in h. loc. Hae porro difficultates quas antiquiores adeo magni faciebant, urgebantque plena fiducia adversus catholicos, adeo leves esse deinceps compertae sunt, ut eas recentiores protestantes omnino deseruerint. Adeo verum est Scripturas uniuscujusque interpretationi relictas in omnem sensum detorqueri posse!

(3) Ita Shuttleworth op. cit. pag. 19. seqq.

D. Universus orbis sacrorum admittit Bibliorum inspirationem, *iis exceptis*, qui eam non admittunt, *C.* iis non exceptis *N.* Jam vero qui sacrorum Bibliorum inspirationem non admittunt, illi prorsus sunt ad quorum principium appellat adversarius quem impugnamus nempe recentiores magna ex parte protestantes, rationalistae omnes, omnes mythici (1). Quodque magis mirum est, eo ipso eam non admittunt, quia rejiciunt divinas traditiones ex quibus *solis* et sacrorum librorum integer canon et inspiratio nobis constare possunt. Ridiculum plane est aetate hac nostra provocare mundum universum ad adstruendam divinam Scripturae sacrae inspirationem, in qua si catholicam excipias ecclesiam, vix est inter sectas, qui eam profiteatur, et si qui adhuc eam profitentur, aut professi sunt, vi principii catholici hunc articulum retinent aut retinuerunt (2). Sublato autem hoc fundamento, jam concidunt superstructae ab adversario difficultates.

365. Ad 2. *D.* Debet esse sufficiens ad finem quem Deus in scriptoribus afflandis atque in Scripturis sacris praebendis hominibus sibi praestituit, *C.* absolute *N.* Responsio patet ex dictis, atque etiam ex inferius dicendis.

366. Ad 3. Resp. nullam prorsus securitatem reipsa habere illos omnes, qui Scripturam tamquam unicam credendorum agendorumque regulam sequuntur, seu quotquot *magnum illud protestantismi principium* (3) proclamant. Innumerae prope sectae antiquiores et recentiores ex protestantismo progenitae, ad unam omnes profitentur se Scripturam veluti adaequatam fidei normam assumere; porro hae ipsae sunt quae ineluctabile ac juge documentum praebent, Scripturam solam ab errore neminem servare immunem, imo ex ea solo spiritu privato intellecta occasionem homines sumere in plures eosque gravissimos ac absurdos errores prolabendi (4). Velint itaque nolint adversarii nostri numquam immunitatem ab errore

(1) Recolantur quae scripsimus sect. I, cap. II, prop. I, et II.

(2) Cf. Grégoire op. et loc. cit. art. *Eglise anglicane* pag. 434. seqq. Lingard op. cit. *Observationes circa prospectum comparativum* etc. ubi ostendit adversus episcopum anglicanum Marsh, nonnisi ex traditione ostendi posse sacrarum litterarum inspirationem; sed prae ceteris cf. Gretzerum in *Tractatu de quaestione: Unde scis, Scripturam tum generatim, tum speciatim hanc vel illam ejus partem, canonica auctoritate constare? Adversus Pareum, Rullum, Pappum aliosque calvinianos et lutheranos praedicantes illustrissimi card. Bellarmini calumniatores.* Opp. edit. cit. tom. VIII. pag. 961. seqq. copiosissime ac plene de hoc argumento heic disserit strenuus catholicae doctrinae propugnator, quem vere vocaveris sui temporis haereticorum malleum.

(3) Quam bene secum cohaereant doctores Oxonienses ex eo patet, quod eodem tempore diversi doctores ejusdem academiae aperte negent quod alii asseveranter affirmant. Hujus agendi rationis hic luculentum specimen habemus. Shuttleworth proclamat *magnum illud protestantismi principium* quod *verissimum* appellat, nempe Scripturam absque traditione *sufficientem* plane esse ad fidei doctrinaeque regulam constituendam. Contra vero Palmer ejus collega in cit. *Tractatu de ecclesia* vol. II, part. III, cap. III. negat ac vehementer negat principium *reformationis* fuisse, *sola Biblia religionem esse protestantium*. Nihil magis falsum est, ait ipse. Reformatio spectata in sua plenitudine agnovit et admisit appellationem ad auctoritatem traditionis catholicae, quamvis negaverit infallibilitatem patrum singulorum et conciliorum. pag. 60. 61 seq.

(4) Nullus extitit haereticus qui ab rei christianae initio usque in hodiernum diem,

sibi poterunt praestolari, nisi se ecclesiae catholicae subjiciant dogmaticae interpretationi, quae Scripturas juxta sensum a traditione acceptum exponit.

567. Ad 4. *D.* Inferri praecise nequit ex ecclesiae prioritate apostolos non omnia quae viva voce tradiderunt, scriptis postea haud consignasse, *C.* ex facto et ex ipsorum testimonio scriptorum hagiographorum, ac totius antiquitatis *N.* Gratis porro affirmant adversarii ex solo prioritatis capite nos inferre non omnia scripta deinceps fuisse ab illis antea praedicata; sed id adstruimus tum negative, provocando scilicet adversarios, ut ostendant omnia prorsus reipsa scripta fuisse, quod ipsi numquam praestabunt ex sacris Litteris, quas unicam fidei regulam esse contendunt; tum positive ex Scriptura, atque antiquitate universa. Nec tamen exinde colligere est opus Dei fuisse incompletum, uti adversarii autumant, cum illud omne habeat, quod sufficit ad finem a Deo intentum (1).

568. Ad 5. *D.* Si qui se ita interrogant sint ex aliqua protestantium secta, *Tr.* si sint catholici, seu qui integrum et positivum christianismum profitentur *N.* Transmisimus primum distinctionis membrum, quia ex dictis tametsi protestantes maxime connitantur sibi theoretice persuadere omnia contineri in sacris litteris, practice tamen ostendunt illas plane insufficientes esse (2). Ejusmodi proinde fictitia persuasio non est nisi turpis illusio. Ceterum nil mirum si protestantes ita sibi persuadeant, cum ipsi profiteantur christianismum solummodo dimidiatum et negativum, in quo tantum *protestantes* sunt; nam in parte positiva conveniunt cum catholicis, et cum illis tacite saltem traditiones admittunt (3).

569. Ad 6. *D.* Ita tamen ut caveat adversarius a libris canonicis recensendis, *C.* Secus *Tr.* Non enim parum experiretur difficultatis in censu librorum canonicorum instituendo juxta placita sectae suae. Quantum a se invicem protestantes discrepent circa canonem sac. librorum, superius vidimus; adeo-

utut gravissimos errores effutierit imo et absurdos ac immorales, alicui Scripturae textui non inniteretur ad eos cohonestandos. Plura jam dedimus exempla, quin alia illis adjicere necesse sit; atque hinc factum est, ut Scriptura vocata fuerit *liber haereticorum*. Sane vel ipse Palmer op. et loc. cit. pag. 50. seqq. postquam asseruit ostium deismo aperiri, si rejiciatur veterum auctoritas, prosequitur: « Ratio emancipata a quovis alio repagulo, pergit ad Biblia spectanda veluti humanum foetum et ad rejiciendum, vel adoptandum quidquid ei libuerit. Hinc quemadmodum ratiocinandi facultas variat in diversis individuis, nonnulli obtruncant, alii addunt Scripturae canoni. Textus effertur veluti interpositionum, errorum, absurditatumque plenus. Scriptores sacri accusantur ignorantiae, contradictionum, et fraudulentiae, sequiturque legitima ac irresistibilis conclusio, quod christiana religio non sit revelatio, Christus solum fuerit philosophus, atque homo relictus sit rationi suae suisque meritis quoad spes suas atque salutem ».

(1) Atque hic etiam obiter adversus Palmer qui haec ipsa objicit, Scripturam scilicet *fore imperfectam* si non omnia ad salutem necessaria, seu si universam revelationem non contineret, observo, hac ratione dicendum pariter esse *imperfectum* Vetus Testamentum, prout reipsa Shuttleworth pag. 23. et seq. *imperfectam* fuisse asserit Veterem legem; imperfecti fuissent libri singuli cum exarati sunt, eo quod non omnia continerent, quae in posterioribus libris conscripta sunt. En in quas angustias se conjiciant, qui ita in traditiones insurgunt.

(2) Id patet ex probationibus hujus propositionis nostrae.

(3) Cf. Moore op. cit. p. 406 seq.

que prudenter omnino se gessit adversarius, dum generalem illam formulam usurpavit *de sensu planiore et grammatico, nullo habito respectu ad sectas et factiones* (1).

370. Ad 7. *D.* Juxta socinianos et rationalistas, *C.* in se *N.* Illi utique profitentur, summam religionis christianae ad amorem Dei et proximi, atque ad fidem in Christum Dei legatum revocari. Christo tamen, apostolis et ecclesiae universae non ita visum est. Siquidem Christus dum misit apostolos, praecepit eis, ut gentes docerent servare *omnia quaecumque* ipsis mandaverat; apostoli autem expulerunt ab ecclesia quotquot vel in uno articulo a tradita ab ipsis doctrina descivissent (2). Apostolorum exemplum et institutum secuta ecclesia primitiva, eadem ratione se gessit cum novatoribus singulis, ac deinceps eadem ecclesia id ipsum praestitit insequentibus seculis, usque ad Lutherum et innumeros ab ipso surculos pullulantes usque in hodiernam diem. Ex hoc principio apprime dignoscimus quamnam fidem profiteatur adversarius; ejusmodi profecto fides sine traditionibus consistere potest.

371. Ad 8. *D.* Si standum sit gratuitae adversarii assertioni, *C.* si rei veritati *N.* Quaenam porro fundamenta sint, quibus divinae dogmaticae traditiones innitantur, satis exposuimus et evolvimus. Hic solum miramur adversarii fiduciam, dum adeo asseveranter ceu imaginationes praesumptarum opinionum ablegat traditiones, quas universa admisit antiquitas, et sine quibus universa labefactatur christiana religio.

372. II. Inst. 1. Dici saltem debet in VI. articulo ecclesiae anglicanae, jure merito ac sapienter constitutum esse, quod: « Scriptura sacra omnia continet ad salutem necessaria; ita ut, quidquid ibi non *legitur* nec *possit per eam probari*, non debeat ab aliquo exigi ut credatur veluti fidei articulus, aut censeri necessarium ad salutem (3) ». 2 Sane Scripturam omnia ad salutem necessaria continere facile colligere est ex natura ac fine Scripturae ipsius; articulus fidei est a Tridentino sancitus *Deum esse librorum omnium utriusque, veteris scilicet ac novi Testamenti, auctorem;* ob quem vero finem Deus dedit Scripturam? Certe ut conservaretur monumentum authenticum suae revelationis. Ergo *tota* Dei revelatio in Scriptura contineri debet, alioquin Deus solum ex parte, atque imperfecte finem obtinuisset creationis suae. Si vult legislator leges scripto consignare, ut authenticum in futuras omnes generationes memoriale permaneat, fingi nequit ipsum partem a codice suarum legum esse omissurum. Ipse certe providebit de modo seu ratione eas interpretandi atque executioni mandandi, ast numquam apposite omittet aliquam legum partem extra illud memoriale. 3. Praeterea si traditio *aliquot*, ut contendunt pontificii, articulos sola transmittit, quare non *omnes*? Cur praetensa incommoda quae ex Scripturis proveniunt declinata non sunt? Etenim aut veritates quae sola traditione transmissae dicuntur aeque necessariae sunt ac illae quae scriptis sunt transmissae, aut non; si primum dicatur, nulla apparet ratio quare Deus qui modo uniformi opera sua moliri solet, voluerit aeque necessarias veritates partim per Scripturam, partim per solam Traditionem transmittere; si alterum

(1) Hic etiam, ut vidimus, prudenter se gessit Palmer, dum cavit canonem sacrorum librorum recensere.

(2) Cf. quae scripsimus in tract. *De vera relig.* p. II, prop. VI.

(3) Ita Palmer op. cit. vol. II, cap. I.

dicatur, ergo si quae per Traditionem transmissae sunt veritates ad salutem necessariae non sunt (1). 4. Rursum si sola Traditio plene sufficiens fuit ad transmittendam doctrinam christianam in omnes aetates, supponi nequit exaratam ad hoc fuisse Scripturam, quia Deus sicut non deest in necessariis, ita non abundat in superfluis. E Scripturarum proinde existentia merito inferimus Traditionem solam minime sufficientem fuisse ad conservationem christianae doctrinae in ecclesia catholica per omnes aetates. 5. Scriptura nonnulla complectitur ad religionem haud essentialia, cujusmodi sunt e. g. ritus aliqui, pedum lotio, osculum pacis, prohibitio de nutrienda coma, aliaque id genus multa. Improbabile porro est Deum permisisse, ut talia in Scripturis continerentur, dum volebat nonnullos fidei articulos ex eis abesse. 6. Facto ipso ostendunt romanistae articulos fidei omnes in Scripturis contineri; nam juxta Trevern aliosque theologos paedobaptismus, ac baptismus per aspersionem soli innituntur traditioni; Bellarminus tamen ac Tournelyus eos ex Scripturis evincunt; juxta Milner et Melchiorem Canum invocatio sanctorum et cultus imaginum ac reliquiarum ex sola traditione constant; ast Milner ipse ac Wallemburgici hos articulos inveniunt in Scriptura, et ita porro de ceteris dicas articulis. Ex qua agendi ratione aperte illorum romanensium error deprehenditur, qui contendunt nonnullos fidei articulos in traditione reperiri, quatenus haec a Scriptura distincta spectatur. 7. Hunc errorem profecto non sancivit Tridentinum cujus decreto longe conformior est doctrina sexti articuli ecclesiae anglicanae, quam Romanorum theologorum. Quamvis enim illius concilii patres optime nossent agitatam tunc temporis controversiam, num ex parte solum veritates fidei in Scripturis continerentur, non eam tamen dirimere voluerunt definientes doctrinam christianam *ex parte* contineri in Scripturis, et *ex parte* in traditione; sed solum declararunt generalibus verbis: « Perspiciensque (Synodus) hanc veritatem, et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus »; id est *et in libris et in traditionibus* veritates fidei contineri, quod ecclesia anglicana non abnuit, et jam plerorumque theologorum Romanorum sententia est (2). Ergo.

573. Resp. Ad I. *D.* Si sextus ille articulus intelligatur eo sensu quod Scriptura omnia ad salutem necessaria contineat sive *immediate* sive *mediate C.* solum *immediate N.* Cum vero ex insequentibus verbis pateat articulum hunc comprehendere ea tantum quae immediate in Scripturis leguntur, aut quae per eas probari possunt, consequitur neque jure merito, neque sapienter eum constitutum esse, cum adversetur doctrinae ecclesiae catholicae. Eo autem sensu dicimus omnia ad salutem necessaria *mediate* in Scripturis contineri, quatenus in ea dogma de traditione habetur ex qua ea quae in Scripturis non leguntur, aut eis probari non possunt, derivamus. Adde aequivocum esse quod in eo articulo asseritur, omnia Scripturam continere *ad salutem necessaria*, cum intelligi possit et de iis, quae scitu stricte ad salutem necessaria sunt, et de iis quae spectant ad integritatem et plenitudinem fidei. Si in primo sensu accipiatur non solum in Scripturis, sed et in Symbolo apostolico, immovero et in duobus quos vocamus, principalibus articulis de Dei Unitate et Trinitate, atque incarnationis et redemptionis ne-

(1) Ibid. p. 8 seqq.

(2) Ibid.

cessaria ad salutem continentur; si accipiatur in secundo sensu falsa est propositio (1).

374. Ad 2. 3. 4. et 5. Resp. heic agi de *facto*; cum de ipso constiterit, omnes conjecturae contrariae concidunt, alioquin eisdem possemus revelationem ipsam supernaturalem eliminare, prout reipsa illis innixi increduli ac rationalistae eam aggrediuntur utpote superfluam ac Dei sapientia indignam (2). Itaque Deus tum per Scripturam tum per Traditionem voluit revelationem suam transmittere; si ita se gessit, rationes ita faciendi habuit dignas se; potuisset per solam Traditionem, potuit per utramque, et hanc viam tenuit. Quod nobis satis est.

375. Non sequitur igitur 1. si *tota* revelatio *immediate* non contineatur in Scripturis, Deum solum ex parte atque imperfecte obtinuisse finem suum. Scriptura enim habet rationem medii; medium autem perfectum est, cum fini qui intenditur est adaequatum. Scriptura esset medium inadaequatum, si Deus reipsa sibi proposuisset omnia ad salutem necessaria, in sensu exposito, immediate ad nos per illam transmittere, et nihilominus ea non nisi ex parte contineret. Probet autem adversarius si possit, hunc sibi finem Deum praestituisse. Certe id numquam efficiet. Exemplum legislatoris humani non est ad rem; siquidem huic non suppetit legislationis suae depositarius et custos indefectibilis ac infallibilis, prout suppetit Deo in ecclesia a se constituta (3).

(1) Cf. Card. Du-Perron in *Replique à la response du Roi de la grande Bretagne. Trois. observat.* chap. II, pag. 579. ed. cit. Ubi hanc ipsam difficultatem jamdiu propositam sibi a Jacobo Angliae rege pene iisdem verbis quibus eam reproducit Palmer, plenissime solvit, ostenditque merum esse sophisma miserae aequivocationi innixum. Necesse siquidem est ad salutem credere illa omnia quae a Deo revelata sunt; possunt nonnulla divinitus revelata ignorari; ast numquam fas est absque aeternae salutis dispendio aut rejicere, aut in dubium revocare quemlibet articulum quem constet esse a Deo revelatum.

(2) Hic est argumentorum achilles quo perpetuo utuntur rationalistae adversus supernaturalistas, ut patet ex iis quae attulimus in cit. tract. *De vera relig.* cap. II, prop. III, n. 95.

(3) Cf. Du-Perron loc. cit. cap. III. qui apposite utitur ad hoc declarandum exemplo legati cui princeps suus partim in scriptis partim viva voce referenda committit illi ad quem delegat, quaeque tamen eandem auctoritatem obtinent, statim ac legatus litteris credentialibus ostendit se esse legatum, pag. 581.

Sed praestat Palmerio opponere auctorem protestantem. Sic igitur ad rem nostram scribit Grotius in *Annotatis ad consultationem Cassandri* agens *de sufficientia sacrae Scripturae et auctoritate traditionis*. « Apostoli non scripto tantum, sed et ore docuere II. Thess. II, 5. I. Cor. XI, 1. et prius ore quam scripto; sicut et religio primorum seculorum sola traditione propagata fuit, et Jesus Christus ipse nec scripsit, nec scribendi praeceptum dedit, sed praedicandi. Et narrant veteres apud Indos Asiae ecclesias fuisse sine libris per centum annos. Non est autem dubium, quin parem auctoritatem habere debeant, quae apostoli scripsere et quae dixere. Augustinus et alii ab apostolis aut instituta, aut probata ea credunt, quae in omnibus ecclesiis recepta semper fuere citra conciliorum universalium auctoritatem. At in Scripturis Novi Testamenti, imo in solis libris Lucae et Joannis ea continentur, quae cuivis christiano, cognitu, speratu, factu sunt necessaria; quia hoc sibi fuisse propositum, alter in praefatione, alter in conclusione operis, profitentur. Sed praeter haec multa sunt scitu utilia, multa ad regimen ecclesiae etiam necessaria. Recte quoque dicitur Scripturae paratior auctoritas, quia traditionum probatio interdum est difficilior e

376. Non sequitur 2. quod si omnes veritates quae sive in Scriptura, sive in Traditione contineri dicuntur aeque ad salutem sunt necessariae, per alterutram tantum omnes transmitti debuerint; nam alioquin sequeretur et ipsas traditiones inhaesivas, quas adversarius propugnat, esse respuendas: quorsum enim hae traditiones, si omnia ad salutem necessaria in solis Scripturis immediate continentur aut ex ipsis probari possunt?

377. Non sequitur 3. quod e Scripturarum existentia inferri debeat traditionem solam haud esse sufficientem ad revelationis conservationem ex adversarii mente; quemadmodum inferri nequit ex traditionum existentia solam Scripturam minime fuisse sufficientem ad eundem finem, si Deo placuisset etiam per Scripturam revelationem suam ad nos transmittere. Utraque propterea sufficiens censeri deberet, si utramque vel alterutram respective eligere ad finem suum Deo placuisset.

378. Non sequitur 4. si Deus permisit nonnulla in Scripturis ad religionem haud essentialia contineri, velle ipsum haud potuisse nonnullos fidei articulos ex eis abesse; potuit siquidem Deus utrumque velle, cum nulla in eo sit repugnantia aut ullum inconveniens, uti ex facto patet.

379. Ad 6. vel *N.* vel *D.* Ostendunt catholici nonnullos ex controversis articulis contineri in Scripturis seu potius *insinuari* ac *probabiliter* ex iis erui, *C.* apodictice, et quidem *omnes N.* Itaque in objecta difficultate latet aequivocatio, sub qua, uti assolet, adversarius se tegit. Aliud quippe est in Scripturis aliquot articulos insinuari, atque, ut ita loquar, in semine contineri, aliud est eos aut expresse legi in Scripturis, aut ex iis apodictice demonstrari. Quando propterea recensitos articulos catholici in Scripturis reperiri ostendunt, non de plena atque apodictica propriaque demonstratione loquuntur, sed solum significant ex illis aliquo modo erui, atque demonstrationis vim in sola Traditione collocant, ut ex illorum lectione facile quisque comperiet. Deinde, aliud est de uno alterove articulo disserere, aliud vero de *omnibus;* aliqui enim articuli sunt de quibus in Scripturis immediate saltem, nihil prorsus legitur, quique ex iisdem nullatenus probari possunt. Exemplo sint quoad catholicos primatus Rom. Pontificis jure divino, quoad sectas autem ab ecclesia catholica separatas dogmata illa quae cum ista adhuc illae retinuerunt, cujusmodi sunt quae paulo ante recensuimus de canonicitate et inspiratione sac. Bibliorum, de baptismo infantium, de valore baptismi ab haereticis collati (1), de valore ejusdem administrati a laicis (2), de quibus

laboriosior. Ceterum etiam protestantes quae tuentur, ea non sunt omnia αὐτολεξεὶ *(ad verbum)* in sacris litteris. Dicunt admittendas consequentias. At ipsi consequentias saepe admittunt ex privato cujusque ingenio: unde tot et tam gravia inter ipsos dissidia et quotidiana divortia. Catholici vero eas admittunt consequentias, quas admisit vetus ecclesia antiquo et universali consensu. Atque ita stat omne verbum in duobus testibus, in Scriptura et Traditione, quae mutuo facem sibi allucent. Nam et scriptis libris *credimus testimonio ecclesiae*, ut vere dixit Augustinus, id est *propter traditiones*, et *traditiones apostolicas* Scriptura commendat . . . et Traditio interpretatur Scripturam ». Opp. cit. edit. tom. III, pag. 628.

(1) Hac de causa Palmer negat fidei articulum esse valorem baptismi ab haereticis administrati.

(2) Apud Matthaeum enim atque apud Marcum solis apostolis Christus collationem ba-

nihil in Scripturis legitur, nec ex eis probari valet (1). Si vero sermo sit de articulis qui vix in Scripturis insinuantur, quique nonnisi traditionis subsidio demonstrari ac invicte propugnari contra adversarios queunt, ii sunt fere omnes (2). Adeo firmum fidei munimen traditio est.

380. Ad 7. Tridentinum minime sancivit errorem ab adversario confictum, *C.* non sancivit catholicam veritatem quam propugnamus *N.* Tantum distat decretum Tridentinum ab articulo VI. ecclesiae Anglicanae quantum veritas ab errore. Ignoramus porro unde didicerit adversarius, concilii Tridentini aetate controversiam viguisse utrum aliqui articuli fidei habeantur de quibus nobis non constat nisi per Traditionem, concilium vero dirimere quaestionem noluisse. Nil ejusmodi legitur sive in actis, sive in historia concilii, ita ut neque Sarpius id commemoret. Discimus potius ex illis fontibus concilium Tridentinum sibi proposuisse definire tum Scripturas tum Traditiones divinas et apostolicas fundamenta constituere fidei nostrae adversus haereticos qui inficiabantur tale fundamentum etiam Traditiones constituere (3); nec ignorabant patres Triden-

ptismi demandavit, in Actis vero apostolicis a diaconis administratum baptismum legimus; ast de laicis altum in Scripturis silentium. Hinc Calvinus negat ab alio quam a delegato ministro conferri hoc sacramentum posse, ac nullum irritumque prorsus habet baptismum a foemina etiam in necessitatis casu collatum, ut suo loco diximus.

(1) Sane ut insistamus baptismo infantium, quem Palmerius, ex Scripturis ostendi posse contendit ne contradicere videatur articulo XXVI. eccles. Anglicanae, juverit referre anecdotum, quod legitur in documentis dom. Hutchinson. Haec mulier infantis mater effecta, dubiis angebatur circa valorem paedobaptismi una cum marito suo. Ad haec eliminanda ad convivium accivit omnes ministros proximorum locorum, iisque dubia sua atque anxietates patefecit. Cum nemo istorum potuerit justificare infantium baptismum ex solis Bibliis, nil reliquum habuerunt nisi ad ecclesiae traditionem ab origine sua confugere; quod cum parentibus non arrideret ita infans Hutchinson tinctus baptismo non est. Tunc ministri in furorem acti duobus conjugibus insultare coeperunt eos traducentes veluti fanaticos et anabaptistas. Cf. *Les Mémoires de Mistriss Hutchinson* in collectione Guizot, tom. II, pag. 126. Quid acturus esset Shuttleworth qui contendit hunc articulum ex traditione priorum seculorum non evinci?

(2) Id manifeste constat ex iis omnibus qui traditionem respuunt quoad articulos ab ipsis rejectos. Quamvis enim iidem in sacris litteris reperiantur, tamen eas ita isti homines eludunt, ut nulla prorsus ratione ex illis solis convinci possint, prouti patet ex anti-trinitariis, ac socinianis. Quid erit de articulis qui vix in Scripturis insinuantur?

(3) Satis est legere historiam concilii Trident. card. Pallavicini, ut luculenter pateat quid senserint patres de Traditionibus. Huc pauca verba describam ex lib. VI, cap. XIV. n. 2. ubi cum retulisset nonnullas difficultates propositas adversus decretum sanciendum, scribit: « Queste objezioni però non vinsero i più de' voti. Contro alla prima venne considerato, che le tradizioni in quel decreto congiungevansi alle Scritture *per esser l' une come l' altre fondamenti della fede* e per consequente rivelazioni di Dio ». Eadem repetit n. 3.; et cap. XVIII. refellens Suavium seu Paulum Sarpium n. 7. iterum scribit: « Due cose intese di far il concilio con quel decreto. L' una, dichiarare, che *i fondamenti della fede cattolica* non pur erano le Scritture, come i nuovi eretici perfidiavano; ma non meno le Tradizioni, dalle quali al fin dipende quanto abbiamo di certo sopra la legittimità delle Scritture medesime ». Nunc surgat Palmer et nos doceat quid intenderit Tridentinum in suo decreto.

tini nonnullos articulos fidei catholicae haberi qui soli innituntur Traditioni. Numquam igitur ea Tridentinis patribus mens insedit, prout autumat adversarius, ut solas Traditiones *inhaesivas* aut *declarativas* statuerint, sed sanciverunt vere Traditiones uti regulam ac fundamentum partiale fidei nostrae a Scripturis plane distinctum. Neque alio proinde sensu catholici theologi Traditiones divinas adstruunt: si qui vero affirmare videntur omnes fidei nostrae articulos in Scripturis contineri, eo id sensu affirmant, quem paulo ante declaravimus, in Scripturis videlicet omnia quae ad fidem pertinent reperiri sive immediate sive mediate, prout et nos ipsi sentimus ac profitemur (1).

DIFFICULTATES

Ex sanctis Patribus et Doctoribus

381. Obj. Patres non aliam agnovere traditionem praeter *inhaesivam;* de ea propterea loquuntur quoties traditionem commemorant. Id luculenter patet 1. ex s. Irenaeo, cujus palmaria verba haec sunt: « Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Evangelii, per quos et veritatem, hoc est, Dei filii doctrinam cognovimus. Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos *quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt*, fundamentum et columnam fidei nostrae futuram . . . Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua *Scripturam edidit Evangelii*. Marcus etc. (2) ». Tale est testimonium quo Irenaeus nos certiores facit opera *Scripta* a priscis illis christianismi magistris, quatenus summarium sunt christianae doctrinae, sufficientia esse atque completa. Adeo abest primitivus hic auctor ab assertione, quod aliquam apostoli suae doctrinae partem incerto commiserint purae Traditionis vehiculo, ut potius ejus verba vix cum ejusmodi supposito componi possint. Pergit porro Irenaeus: « Cum enim *ex Scripturis arguuntur* (haeretici) *in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum*, quasi non recte habeant, et quia varie sunt dictae, et *quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant Traditionem* (3) ». Ex his aperte discimus primos haereticos (gnosticos et valentinianos) illos fuisse qui appellarunt ad Traditionem, perinde ac si in illa continerentur fidei articuli, qui non inveniantur in Scriptura. 2. Dolendum sane post illos haereticos, alios viros *sanctiores* ac *meliores vexillum incertum atque aleae plenum* Traditionis, veluti auctoritatis *concurrentis* cum Scriptura, et *aeque obligatoriae* erexisse, dum Irenaeus *bonus pater* nuncupatus, *singularis ingenii* vir, pro certo haberet ad omnia Novi Testamenti Scripturas sufficere, qui propterea ajebat ideo quatuor esse Evangelia, quia quatuor mundi sunt partes (4). 3. Nec aliter sensit de Traditione s. Clemens Rom. qui in duabus epistolis suis nullam traditionis mentionem injecit, solis Scripturis contentus. Ita pariter se gessit Polycarpus, qui potius scribit: « Qui (Paulus) et absens vobis scripsit epistolas in quas si intueamini, aedificari poteritis in fide, quae data est vobis . . . . Si quis enim intra haec fuerit, manda-

(1) Cf. Card. Du-Perron op. cit. *Réplique* etc. pag. 576. seqq.

(2) Lib. III. *Praef.* et cap. I.

(3) Ibid. cap. II.

(4) Ibid. cap. XI, n. 8.

tum justitiae implevit (1) ». Sic etiam s. Ignatius in epistolis suis hortatur fideles, ut revertantur *ad id quod invenitur scriptum*, quoniam « haeretici, ut ipse loquitur, et implicatis inquinant Jesum Christum (2) »; ex quibus patet propositum Ignatii esse, nullam admittere Traditionem *non inspiratarum mentium.* Neque syllaba in actis ss. Polycarpi et Ignatii occurrit, quae vel innuat *duplex fidei vexillum*. Frustra quaeres in s. Justini scriptis indicium alicujus dogmatis obligatorii, quod *non memoretur*, aut *identificatum* non sit cum Scripturis; censet enim s. Martyr nos in Scriptura sola totam invenire substantiam ac fundamentum fidei nostrae. 4. Igitur longo centum quinquaginta annorum tractu ignota plane fuit a Scriptura distincta Traditio. Quare etsi III. et IV. seculo coeperit *in praxi* Traditionis usus insinuari, nullius valoris est, eo ipso quod ab apostolis non descenderit (3). Ergo.

382. Resp. *N. A.* ad 1. prob. *D.* Diversam seu contrariam in Scripturis non tradiderunt apostoli ab ea, quam oretenus praedicaverant, *C.* omnem doctrinam viva voce praedicatam scriptis suis complexi sunt *N.* Quae ut probe intelligantur, mens est expendenda ac scopus s. Irenaei. Gnostici et valentiniani quo suas novitates cohonestarent confugiebant ad nescio quam occultam secretamque doctrinam auribus nonnullorum ab apostolis commissam, eamque esse affirmabant quam ipsi tuebantur. Ad hoc propterea effugium ipsis eripiendum, reponebat s. Irenaeus non diversam aut contrariam apostolos doctrinam praedicasse ab ea quam postea Scripturis consignarunt, sed unam plane eandemque illorum esse doctrinam. Quod deinde probat ex Traditione quae in omnibus ecclesiis ab apostolis fundatis servabatur, penes quas nihil reperiebatur eorum, quae illi haeretici jactitabant. Quapropter eos provocat tum ad Scripturas, tum ad Traditionem, siquidem ejusdem omnino auctoritatis. En integra s. Irenaei verba, quorum partem detruncavit adversarius, dum ejus nobis objecit auctoritatem; « Cum ex Scripturis arguuntur (haeretici), in accusationem convertuntur Scripturarum... *Cum autem ad eam iterum Traditionem, quae est ab apostolis*, quae *per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur*, provocamus eos; adversantur Traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem.... Evenit itaque, *neque Scripturis* jam, *neque Traditioni consentire eos* (4) ».

383. Ex his porro discimus 1. tam catholicos quam haereticos in admittendis Scripturis et Traditionibus consensisse; 2. non in eo errasse haereticos quod ad Traditionem confugerent, sed quod secretas seu clancularias traditiones obtenderent diversas ab illis quas ecclesiae admittebant universae; 3. s. Irenaeum propugnasse existentiam Traditionis *distinctae* a Scriptura sacra, quippe haereticos et ad Scripturas et ad traditionem provocat; imo et parem in utrisque auctoritatem agnovisse cum ex utroque capite illos confutet, ostendatque eos novis suis doctrinis tum Scripturis tum Traditioni ecclesiae adversari. Hoc magis patefit ex ratione qua adversus illos disputat s. Pater; cum enim fusius disseruisset cap. III. et seqq. de Traditione

(1) Epist. ad Philipp. cap. III. apud Coteler. tom. II, pag. 185.

(2) Epist. ad Trallian cap. VI. Ibid. pag. 23.

(3) Ita Shuttleworth, op. cit. pag. 3 seqq.

(4) Lib. III, cap. II, n. 1. et 2.

apostolica, ad Scripturam unde coeperat reversurus, sic caput V. orditur: « Traditione igitur, quae est ab apostolis, sic se habente in ecclesia, et permanente apud nos, revertamur ad eam, quae est ex Scripturis ostensionem, eorum qui Evangelium conscripserunt apostolorum (1) ». Discimus 4. eos, qui ita scriptis patrum abutuntur ad impugnandam Traditionum existentiam et auctoritatem, animi candorem haud praeseferre, quo tamen maxime opus est ad veritatis inquisitionem. Quae cum ita se habeant, ulterius hic insistendum nobis non est ad convellendas adversarii consecutiones, quae, subruto fundamento, ex se concidunt (2).

584. Ad 2. *D.* Si *sanctiores et meliores* viri illi fuissent post haereticos, seu si haereticos secuti essent in adstruendis traditionibus, vere dolendum esset, *C.* si secuti sunt *bonum Patrem* ipsum, aliosque ejus praedecessores *N.* Responsio patet ex hactenus dictis. Etenim adversarius Irenaeum vere sugillat, dum affirmat eum pro certo habere ad omnia Scripturas N. T. solas sufficere; quod est aperte falsum, cum nuspiam id affirmet, immo vero contrarium plane doceat (3). Quod si s. Martyr plures rationes congruentiae, seu quas vocant mysticas profert ad ostendendum divina providentia factum esse, ut quatuor tantum fuerint scripta Evangelia, ideo eas affert, ut gnosticos perstringat, qui hunc numerum modo coarctabant, modo amplificabant (4). Ceterum ex traditione didicisse Irenaeum, quatuor tantum exarata litteris fuisse Evangelia, abunde liquet ex verbis ipsis ab adversario allegatis, in quibus ille ordinem persequitur et adjuncta quibus unusquisque Evangelista scripsit.

585. Ad 3. *N.* Nam et Polycarpus, et Ignatius, et Justinus toties ad Traditionem a Scripturis distinctam provocant, quoties admonent fideles ut in doctrina quae vigebat in ecclesia Dei firme permaneant. Sane s. Polycarpus inter cetera scribit: « Quocirca derelicta plerorumque (haereticorum) vanitate falsisque doctrinis *ad traditum nobis ab initio sermonem* revertamur (5) ». S. Ignatius vero praeterquam quod nuspiam habet quod ei adversarius affingit de reversione ad *id quod invenitur scriptum* (6), perpetuo et ipse inculcat adhaesionem doctrinae quae in ecclesia obtinebat, ut ab haereticorum novitatibus immunes fideles servarentur: « Studete igitur, inquit, ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum . . . cum dignissimo episcopo vestro, et digne contexta spirituali corona presbyterii vestri (7) » et iterum: « A talibus (haereticis) vos custodite. Quod fiet,

(1) N. I.

(2) Cf. quae hoc de argumento praeclare scripsit Massuetus in diss. III. quae est *De Irenaei doctrina*, art. III, pag. CXIII seqq. ubi copiose hoc argumentum evolvit, ac simul malam Gallasii fidem castigat, qui cum et ipse nimis Irenaei verbis perstringeretur, in summulis suis Irenaei sensum pervertit. Cf. praeterea Walemburgicos *Controv.* tom. I. in tract. *De Tradition.* pag. 811 seq. ubi jam refellerant quidquid hic nobis iterum opponit Shuttleworth.

(3) Cf. Massuetum diss. cit. art. II, n. 11-13. ubi confutat Grabium pervertentem et ipsum mentem Irenaei.

(4) Cf. Ibid. art. I, n. 6. pag. CIX.

(5) Διὸ ἀπολιπόντες τὴν ματαιότητα τῶν πολλῶν, καὶ τὰς ψευδοδιδασκαλίας, ἐπὶ τον ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παραδοθέντα λόγον ἐπιστρέψωμεν. cap. VII. apud Cotel. p. 187.

(6) Exinde dolus manifestus apparet adversarii quem impugnamus.

(7) Epist. ad Magnes. cap. XIII. Σπουδάζετε οὖν βεβαιωθῆναι ἐν τοῖς δόγμασιν τοῦ

si inflati non fueritis; et indivulsi manseritis a Deo J. C. et episcopo, et *praeceptis apostolorum* (1) » et alibi passim (2). Miramur porro nobis Justinum objici tamquam Traditionem respuentem, cum ei crimini vertatur nimia in ea admittenda facilitas, dum ex illa regnum Christi millenarium propugnat, uti paulo post videbimus. Certe cum s. Martyr in Apolog. I. ritum retulisset baptismi, subdit: « Hanc autem hujus rei rationem *ab apostolis accepimus* (3) » ut alia silentio praetereamus (4). Absonum autem est velle in actis martyrii ss. Ignatii et Polycarpi mentionem traditionis injici, cum in illis non de doctrina sed de martyrum gestis sermo sit. Verum et in his vestigia haud dubia extant de recepta in ecclesia catholica Traditione (5) tum circa Ss. Trinitatem, tum circa Sanctorum eorumque reliquiarum cultum (6), quae protestantes profecto utpote Traditionum hostes aversantur.

386. Quod si Clemens Rom. ad Traditionem expresse non appellat, siquidem scopus ac propositum suum id non ferebat (7), *facto* tamen eam apertissime commendat; nam ipse jugiter provocat Corinthios ad libros deutero-canonicos tamquam ad Spiritus Sancti oracula, uti suo vidimus loco; unde vero istorum librorum divinitatem agnovit nisi ex Traditione?

387. Ad 4. Neg. hanc adversarii conclusionem, utpote quae falso innitatur principio, falsoque supposito, uti ex allatis documentis luculenter patet. Viguit igitur divina Traditio a Scripturis distincta ab apostolis usque ad Christi an. centesimum quinquagesimum, et deinceps, fatente adversario, tertio et quarto seculo, theoretica et practica, eundemque proinde valorem habet, ac ipsa habet Scriptura.

388. Inst. Atqui utriusque, orientalis videlicet et occidentalis ecclesiae patres et doctores unanimes sunt in rejiciendis Traditionibus a Scriptura distinctis. Etenim 1. doctrina erat ecclesiae, Scripturam omnes fidei articulos continere. Origenes « In hoc biduo, scribit, puto duo testamenta posse intelligi, in quibus liceat omne verbum quod ad Deum pertinet (hoc enim est sacrificium) requiri et discuti, atque ex ipsis omnem rerum scientiam capi. Si quid autem *superfuerit*, quod non divina Scriptura cernat, nullam aliam tertiam Scripturam debere ad auctoritatem scientiae suscipi . . . sed igni tradamus quod super-

Κυρίου καὶ τῶν ἀποστόλων . . . . μετὰ τοῦ ἀξιοπρεπεστάτου ἐπισκόπου ὑμων, καὶ ἀξιοπλόκου πνευματικοῦ στεφάνου τοῦ πρεσβυτερίου ὑμῶν. Ibid. pag. 21.

(1) Epist. ad Trall. cap. VII. Φυλάττεσθε τοῖς τοιούτοις. Τοῦτο δὲ ἔσται ὑμῖν μὴ φυσιουμένοις, καὶ οὖσιν ἀχωρίστοις θεοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῶν διαταγμάτων τῶν ἀποστόλων. Ibid. pag. 24.

(2) Ut in epist. ad Philadelph. cap. VIII, et IX. cum not. Vossii. Ibid.

(3) Καὶ λόγον δὲ εἰς τοῦτο παρὰ τῶν ἀποστόλων ἐμάθομεν τοῦτον. n. 61.

(4) Cf. doctam praefationem Maran par. II, cap. XIII, § IV. n. I. seqq. pag. LXI.

(5) Cf. Acta s. Ignatii apud Ruinart. n. V, et VI. ed. Veron. 1731. pag. 18 seqq. ubi sermo est de veneratione reliquiarum s. Martyris.

(6) Cf. Ibid. Acta s. Polycarpi n. XIV, pag. 36 seqq. ubi apertissime doxologia Ss. Trinitatis exhibetur ad confundendos socinianos, et n. XVII. et seq. ubi pariter de sanctorum cultu sermo est.

(7) Propositum siquidem ei fuit Corinthiorum dissidia compescere, illosque ad debitam erga pastores suos subjectionem necnon ad mutuam charitatem revocare.

est, id est Deo reservemus (1) ». Athanasius scribit: « Sanctae ac divinae Scripturae ipsae per se satis sunt ad veritatem indicandam (2) ». Theophilus Alexandrin. « Ignorans (Origenes) quod daemoniaci spiritus esset instinctus, sophismata humanarum mentium sequi, et aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare *divinum* (3) ». Cyrillus Alex. « Quod sacra Scriptura non testatur, quanam ratione admittemus, atque pro veris habebimus (4) » ? 2. Eadem erat fides ecclesiarum orientalium. Basilius enim: « Crede, inquit quae scripta sunt; quae non sunt scripta, ne investiga (5) »; et alibi: « Manifestus a fide lapsus est, ac superbiae crimen, si quis aut quidquam eorum, quae scripta sunt reprobet, aut aliquid ex iis quae scriptis mandata non sunt, introducat (6) ». Nyssenus vero: « Cum id nullo Scripturae testimonio fultum sit, ut falsum improbabimus (7) ». Cyrillus Hierosolym. « Oportet, inquit, circa divina et sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divina Scriptura tradi (8) »; Chrysostomus denique de Scripturis ait: « Tamquam tutum ostium, haereticos ab ingressu arcent, nosque in securitate qua volumus constituunt, nec sinunt errare . . . Qui enim Scriptura non utitur, sed aliunde ascendit, id est, qui sibi aliam et non statutam viam aperit; hic fur est (9) ». 3. Eadem erat ecclesiarum occidentalium doctrina, omisso enim Irenaeo (10), Tertullianus « Adoro, inquit, Scripturae plenitudinem, qua mihi et factorem manifestat et facta. In Evangelio vero amplius et ministrum atque arbitrum rectoris invenio sermonem. An autem de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat vae illud, adjicientibus aut detrahentibus destinatum (11) » et alibi « Non recipio quod extra Scripturam de tuo profers (12) »; Ambrosius: « Lego quia primus est, lego quia non est secundus. Illi qui secundum ajunt doceant lectione (13) ». Hieronymus: « Ut haec quae scripta sunt non negamus, ita et ea quae non sunt scripta, renuimus. Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus. Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legimus (14) »; Augustinus: « Quidquid inde audieritis, hoc vobis bene sapiat: quidquid extra est, respuite (15) ». Supervacaneum foret allegare Clementem Alex., Hippolytum, Cyprianum, Optatum, Hilarium, Vincentium Lirinensem, Anastasium, Prosperum, Theodoretum, Damascenum, Theophylactum etc. quos colligerunt scriptores nostri (16). 4. Nec solum haec erat

(1) *Hom.* v. *in Levit.* tom. II, p. 212. edit. Bened.

(2) *Advers. gent.* tom. I. op. par. I.

(3) *Epist. Paschal.* II. *Biblioth. Patrum* 1618. tom. IV, p. 716.

(4) *Glaphyr. in Genes.* lib. II, p. 29 tom. I, op. 1638.

(5) *Hom. adv. calumn. Ss. Trinit.* op. tom. II, p. 611. edit. Bened.

(6) *De fide* cap. I, tom. II, p. 224.

(7) Lib. *De cognit. Dei* apud Eutym. in *Panoplia* par. I, tit. VIII. n. 4.

(8) Cat. IV, § 56. edit. Hilles.

(9) Hom. LIX. al. LVIII. in Jo. tom. VIII, p. 346. ed. Bened.

(10) Omisimus enim difficultates quas Palmer communes habet cum Shuttleworth, quasque modo excussimus ac dissolvimus.

(11) *Advers. Hermog.* cap. XXII.

(12) *De carne Christi* cap. VII.

(13) *De Instit. Virgin.* cap. II, tom. II, pag. 265.

(14) *Advers. Helvid.* Op. tom. IV, part. II, pag. 141. edit. Bened.

(15) *Sermo de Past.* cap. XI, tom. V, p. 238.

(16) Scilicet Usserius in *Respons. ad Jesuitam*, cap. II; Beveridge de XXXIX. *artic.*;

ecclesiae primitivae doctrina, sed eminentiorum etiam theologorum medii aevi doctrina fuit; doctus Gersonius scribit: « Attendendum in examinatione doctrinarum primo et principaliter, si doctrina sit conformis sacrae Scripturae . . . . quoniam Scriptura nobis tradita est *tamquam regula sufficiens et infallibilis* pro regimine totius ecclesiastici corporis et membrorum, usque in finem seculi. Est igitur talis ars, talis regula vel exemplar, cui se non conformans alia doctrina vel abjicienda est, ut haereticalis aut suspecta, aut impertinens ad religionem prorsus est habenda (1) ». Gregorius Arimin. « Constat quia quidlibet tale ut expressum secundum se continetur in s. Scriptura, vel ex contentis in ea deducitur, alioquin non ipsa sufficeret ad nostram salutem, et nostrae defensionem fidei, quod est contra Augustinum (2) »; Scotus: « Patet quod s. Scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori (3) ». Idem docent Rupertus Tuitiensis, Occamus, Cameracensis, Waldensis, Odo, Lyranus etc. (4). Ergo.

389. Resp. *N. Ant.* seu *min. subs.* ad allegatas probationes *D.* Patres adducti rejecerunt 1. aut traditiones ab haereticis confictas ac fidei ecclesiae catholicae adversantes; 2. aut interdum etiam *ad hominem* argumentum instituentes; 3. aut in particularibus nonnullis controversiis in quibus illis non indigebant traditionibus, *C.* absolute et in sensu quo nos eas adstruimus *N.* Si tres ejusmodi regulae prae oculis habeantur, difficile haud erit patrum quae nobis objiciuntur effata tamquam traditionibus adversantia disjicere. Quod ut clarius pateat, satis est eas singillatim applicare ad illa quae nobis opponuntur.

390. Ac 1. Origenes in objecto textu disserit de eo quod Deus nobis non revelavit, ac reservavit sibi, adeoque *tertiam Scripturam* nos requirere non debere ad curiositatem nostram pascendam de iis quae Deus scire nos noluit (5). Quid hoc commune habet cum traditionibus, quas ipse ubique adstruit adversus haereticos (6)?

391. 2. Athanasius scribit, Scripturas satis esse ad veritatem indicandam de qua agit, ad falsitatem scilicet ac stupiditatem idololatriae evincendam, ad quod certe traditione opus non est (7). Igitur nec iste ad rem profertur (8).

Tillotson in *Regulis fidei*; Newman *De Romanismo* lect. VIII.; Cary *Testimonia Patrum* ad XXXIX. artic. *Art.* VI.

(1) *De exam. Doctr.* part. II, cons. I.

(2) *In Sent.* Dist. I, q. I, art. II.

(3) *Proleg. I. Sent.* q. II. opp. tom. V, p. I.

(4) Ita Palmer cit. *Tract. de eccles.* p. III, cap. I, vol. II, cujus testimoniis nonnulla alia adhuc adjecimus.

(5) Sic enim prosequitur Origenes post allegata verba: « Neque enim in praesenti vita Deus scire nos omnia voluit, maxime cum et Apostolus dicat: *Quia ex parte scimus* etc. ».

(6) Sint exemplo quae scribit in lib. *De Princip.* Praef. n. 2. « *Servetur ecclesiastica praedicatio per successionis* ordinem ab apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens etc. » edit. Maur. tom. I, pag. 47.

(7) Insuper et ipse Athanasius in ipso loco nobis objecto subdit: « Extant quoque plurimi ea de re a beatis nostris magistris conscripti libri, quos si quis legerit, Scripturarum interpretationem quodammodo intelliget etc. »

(8) Ac propterea applicatur secunda ex traditis regulis. Ceterum s. Athanasius in vita s. Antonii refert et approbat monitum s. Abbatis: « Vos itaque puros ab illis (haereticis) custodite, *servateque patrum* traditionem » edit. cit. tom. I, par. II, p. 862. n. 89. Arianos in Nicaeno concilio traditione damnatos s. Athanasium retulisse paulo ante vidimus.

392. 3. Theophilus insurgit adversus Origenem eo quod juxta ipsum, Scriptura dimissa, imo contra Scripturae auctoritatem commentum suum effutierit de cessatione regni Christi aliquando futura (1). In quo nihil contra Traditionem.

393. 4. Cyrillus Alex. loquitur de fabuloso angelorum cum foeminis congressu de quo certe Scriptura non loquitur, neque ad hoc commentum refellendum traditione opus est (2).

394. 5. Basilius scribit, iis credendum esse quae scripta sunt, nempe quod « Deus *erat* Verbum » quibus exploduntur quae calumniatores *de suo*, quodque scriptum non reperitur, obtrudebant: *non erat*, et *non Deus*: in quibus Scripturae directe adversabantur (3). Rursum sciscitamur quid hoc cum traditione? In altero vero loco agendi rationem haereticorum arguit Basilius, qui pro libitu Scripturae aut detrahebant aut adjiciebant ad falsas suas sententias adstruendas, prout et haeretici hodierni facere consueverunt (4).

395. 6. Nyssenus eos improbat qui verba Genes. IX. *venite descendamus et confundamus linguas eorum* ad Angelos a Deo dicta autumabant; quod cum Scriptura non dicat, merito a Nysseno rejicitur (5).

396. 7. Cyrillus Hierosolym. illa habet per oppositionem, ut ibidem subdit, ad *disputationem commentitiam*, non autem ad traditionem, quam acriter propugnat (6).

397. 8. Joannes Chrysost. de illis loquitur qui aut Scripturam respuebant aut illa abutebantur uti antichristi et haeretici (7). Scripturae errare nos minime sinunt sub ecclesiae magisterio.

(1) En Theophili verba quae immediate praecedunt: « Equidem scire non possum, qua temeritate, Origenes tanta confingens, et non Scripturarum auctoritatem, sed *suum errorem sequens*, ausus sit cunctis in medium nocitura proferre etc. ». Deinde eundem Origenem arguit quod *Scripturarum auctoritate* nisus sit confirmare stoicorum dogma.

(2) Sic enim ibid. scribit s. Cyrillus: « Nugantur autem nonnulli et *vanis commentis* rem involvunt, *verisimilibus*, ut arbitrantur, *rationibus* (non *traditione*), id quod impossibile est, palliantes. Illapsos enim daemones in malos ajunt, ac per ipsos semina immissa etc. »

(3) Addendum, hanc homiliam a Maurinis editoribus rejectam esse in *appendicem*, seu inter opera quae *falso* s. Basilio adscripta sunt. Quod profecto Palmer ignorare non poterat; attamen velut genuinum s. Patris foetum nobis obtrudit.

(4) Quinimo profitetur sibi hic proposuisse s. Basilius solis Scripturarum verbis exponere fidem de qua agit.; n. 5. inculcat in fidei negotio recedendum haud esse a *sanctorum traditione et institutis*.

(5) Ita enim legitur loc. cit. « Quod si Angelos ministros allocutum responderis, sive omnes, quod absurdum est, sive paucos dixeris, cum id nullo Scripturae etc. ». Prostat porro hoc opus Euthymii etiam in *Biblioth. Patr.* edit. Lugd. 1677. tom. XIX, pag. 49.

(6) Satis est legere contextum ut germana s. Cyrilli mens appareat. Ceterum cum haereticus calvinianus Rivetus haec ipsa objecerit ex s. Cyrillo, quae objicit iterum hic Palmer ad adstruendam *Scripturae sufficientiam*, cf. quae copiose et erudite ad Rivetum refellendum habet Toutteus in dissert. III. *De doctrina s. Cyrilli* cap. XIII, n. 101 seqq. *De adjungenda Scripturae traditionis et ecclesiae auctoritate*. Hac fortasse de causa Palmer prudenter non allegat editionem Benedictinam.

(7) Paulo ante in eodem num. s. Jo. Chrysostomus significat quinam sint qui non utantur Scripturis, seu non ingrediantur per ostium, sed fures sint ac latrones, scribens:

398. 9. Tertullianus adorat *Scripturae plenitudinem* in quaestione adversus Hermogenem de rerum creatione ex nihilo. In altero autem loco rejicit quod *de suo* seu ex proprio penu Marcion adjiciebat. Ceterum nemo forsan validius Tertulliano traditiones adversus haereticos protuetur (1).

399. 10. Ambrosius legit in Scripturis Christum esse altitudinem divitiarum sapientiae et scientiae Dei, non legit autem secundum, inhiandum nempe esse hujus seculi divitiis cum salutis propriae dispendio (2). Adversarius autem noster hoc *secundum* intelligit de Traditione. Judicet lector de bona illius fide.

400. 11. Hieronymus jure merito respuit Helvidii blasphemiam de Mariae nuptiis post partum cum hoc neque Scripturae, neque Traditionis auctoritati innixus nebulo ille, sed cerebro suo gratis effutierit.

401. 12. Augustinus jubet respuere quidquid extra Scripturam est, id est quidquid Scripturae refragatur nec provenit *ex illis fontibus* ex quibus, ut ipse loquitur *manaverunt rivi praedicationis evangelicae, cum in omnem terram exivit sonus eorum* (3).

402 Certe post haec supervacaneum est alios adducere veluti traditionibus dogmaticis adversantes, quoniam ad canones superius constitutos si redigantur illorum dicta, eadem ratione dissolventur, prout praestitum jamdiu a catholicis est adversus illos qui traditiones impugnarunt quique laudantur ab adversario nostro (4).

403. Ad 4. *N.* Etenim Gersonius nihil aliud sibi vult in objecto loco quam doctrinas aut revelationes privatas ad Scripturas exigendas esse, ut ex illarum conformitate aut difformitate cum Scripturis ceu verae admittantur, aut uti suspectae, falsae aut erroneae respuantur, cum Scriptura sufficiens ac infallibilis regula sit, quatenus aut mediate aut immediate veritates continet omnes. Hanc esse ejus mentem tum ex orationis serie patet, tum ex apertis ejus verbis

« Hic porro et qui fuerunt, et qui futuri erant, indicat (Christus), Antichristum, falsos Christos, Judam et Theudam, et alios hujusmodi ». Quid senserit Chrysostomus de traditionibus, paulo ante diximus.

(1) Cf. P. La-Cerda in objecta Tertulliani loca.

(2) Etenim s. Ambrosius n. 70. cum attulisset ex *Eccles.* IV. *Cujus oculus non satiatur divitiis*, haec applicavit Christo in quo est altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei etc. et affirmavit Christo adhaerendum esse, non seculi divitiis inhaerendum.

(3) Opponit praeterea s. Doctor pastores bonos, id est, qui non solum bene docent, sed faciunt praeterea quae docent, malis pastoribus qui dicunt et non faciunt, seu male operantur; adhortatur propterea oves ne sinant se a malis istis pastoribus decipi, imitantes mala ipsorum opera, sed attendant ad ipsorum dicta, imo et ad Scripturarum doctrinam, in qua invenient nihil venenosum, nihil alienum ad uberrima pascua. Itaque in objectis verbis non opponit Scripturam traditioni, sed malis pastoris operibus. En novum specimen sincerae fidei adversarii nostri.

(4) Cf. propterea adversus illos quos Palmer recenset, si Newman excipias qui nihil novi in hoc argumento protulit, Walemburgicos in cit. Tractatu *De testimoniis seu de traditionibus*, ubi singula ab haereticis allata patrum testimonia accurate expendunt; nec non Toutteum in ed. opp. s. Cyrilli, Maran in praef. opp. s. Justini, Gretzerum tum in Tract. *De quaestione, unde scis hunc vel illum esse sincerum et legitimum Scripturae sensum?* cap. V. tum in *Examine tertiae disputationis Pappicae de sac. Scripturae sufficientia*, tum denique in opusc. *Trophaeum Pappicum constat Quinquaginta axiomatis, quorum pleraque sunt mendacia: quibus post verba D. Augu-*

quibus Traditionem divinam ac dogmaticam a Scripturis distinctam ipsis commendat (1).

404. Gregorius porro Ariminensis eatenus contendit in Scriptura aut formaliter, sive expresse veritates ad salutem necessarias contineri, aut ex ea mediate deduci, quatenus humanas excludit ratiocinationes, quae non innituntur revelationi, sed solius rationis principiis, atque has veritates solius rationis ope deductas non theologice, sed philosophice tantum probari affirmat, nimirum ad philosophiam, non autem ad theologiam spectare (2).

405. Scotus pariter affirmat, quod et nos dicimus, veritates omnes ad salutem viatori necessarias in Scripturis contineri vel mediate vel immediate, quia illae veritates, quae expresse in Scripturis non habentur, continentur in Traditione, ad quam Scripturae nos remittunt. Sane Scotus alibi scribit plures fidei veritates haberi quae per solam traditionem ad nos pervenerunt (3).

406. Eodem sensu Rupertus Tuitien-

stini subjunguntur alia mendacia, ut principium respondeat fini. Opp. cit. edit. tom. VIII. In his porro auctoribus comperiet Palmer omnia fuisse praeoccupata, ac soluta, quae a suis auctoribus adversus Traditionem prolata sunt.

(1) Sane *In declaratione veritatum*, quae in ed. Du-Pinii invenitur immediate post Tract. *De examine doctrinar.* in gradu secundo pag. 22. haec scribit Gersonius: « Secundus gradus est veritatum ab ecclesia determinatarum, quae *ab indubitata relatione apostolorum per successionem continuam devenerunt*. Est autem haec ecclesiae auctoritas tanta ut diceret Augustinus: *Evangelio non crederem* etc. Quamquam vicissim dici possit, ecclesiae non crederem, si non auctoritas Scripturae impelleret. Et ita diversis respectibus auctoritas utraque mutuo se confirmat ». Cf. praeterea *In propositionibus de sensu litterali sac. Scripturae* ibid. pag. 2. ubi scribit: « Quod Evangelium Marci sit Evangelium Christi plusquam Evangelium s. Thomae vel Nicodemi credimus *ex traditione ecclesiae* ». Et alibi passim eadem inculcat.

(2) Hic est scopus totius articuli secundi quem sic resolvit: « Respondeo quod discursus proprie theologicus est qui constat ex dictis sive propositionibus in sacra Scriptura contentis, vel ex his quae deducuntur ex eis, vel saltem ex altera hujus ». Itaque, ut patet, Gregorius Arim. non contradistinguit Scripturam a Traditione, sed ab humana ratione, alioquin ut ibidem docet, Theologia non esset scientia divina sed humana. Et sane nemo fortasse ex veteribus scholasticis magis urget s. Augustini auctoritatem quam Gregorius.

(3) Etenim lib. I, dist. XI, q. I. edit. Antverp. 1620. tom. I, pag. 210. haec scribit, quae si vidisset Palmer numquam auctoritatem Scoti nobis objecisset, « Dico quod Christum descendisse ad inferna, non docetur in Evangelio: et tamen tenendum est sicut articulus fidei, quia ponitur in symbolo apostolorum; ita multa alia de sacramentis ecclesiae non sunt expressa in Evangelio, et tamen *ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab apostolis*, et periculosum esset errare circa illa, quae non tantum ab apostolis descendunt per scripta: sed etiam, quae per consuetudinem universalis ecclesiae tenenda sunt . . . Multa igitur docuit eos Spiritus S., quae non sunt scripta in Evangelio, *et illa multa quaedam per Scripturam, quaedam per consuetudinem tradiderunt* ». Haec pauca verba totum labefactant Palmerii systema. Oh! quam melius scriptor iste ingenium et cognitiones quibus pollet consecrasset fovendae unioni inter ecclesiam *anglo-catholicam*, ut ipse vocat, et ecclesiam vere et unice catholicam, nempe Romanam. Meliorem profecto exitum habuissent ejus labores, contra vero, ut ceteris acatholicis omnibus jam contigit, oleum et operam perdidit in hac ecclesia oppugnanda.

sis, Occamus, Cameracensis, Waldensis, Lyranus aliique locuti sunt, quorum testimonia cum adversarius singillatim non allegaverit, ideo ab iis expendendis supersedemus. Ex analogia enim in eandem plane conclusionem deducimur.

407. Ex his specimen datur sollicitudinis adversariorum ecclesiae catholicae in corrogandis nonnullis patrum effatis a contextu divulsis, ut sibi blandiantur atque aliis illudant, cum persuadere nituntur patres divinarum Traditionum auctoritatem non admisisse; dum eas in suis operibus ubique apertissime adstruunt pugnantes adversus haereticos, quos etiam perpetuo provocant ad doctrinam in ecclesia universa receptam, quae cum Traditione, ut inferius dicemus, identificatur. Animadvertimus praeterea, patres ex quibus haec objecta sunt, *eos ipsos esse* de quibus fatetur Shuthleworth, *in praxi saltem, traditionem admisisse*, quasi nempe penes illos praxis a fide discrepasset.

DIFFICULTATES

Ex natura et incommodis traditionis

408. I. Obj. Dato etiam, non omnia quae apostoli praedicarunt scriptis esse consignata, non aliud sequitur, quam revelationem divinae voluntatis ad nos minime pervenisse. Stultum quippe est sibi persuadere intemeratam ad nos usque ejusmodi revelationem traditione orali pervenisse tot inter haereses, quae decem et octo seculorum tractu exortae sunt. Sane medio aevo, atque aetate praesertim Innocentii III. et Alexandri VI. quis sibi persuadeat puras ecclesiae Traditiones viguisse (1)? Ubi nam igitur in tanta corruptionum et obscuritatum foeditate, in qua Europa jacebat universa, verus servabatur christianismus? Profecto *in Scripturis, et in Scripturis tantum* (2). Igitur restat ut alterutrum fateamur, aut ab initio revelationem Scripturae quidem et Traditioni consignatam fuisse, atque hac Traditione medio aevo deperdita revelationem nonnisi in Scriptura sola superfuisse, aut Novum Testamentum *integram* esse, *plenam ac sufficientem Dei voluntatis manifestationem*, *fideique summarium*. Posterius vero hoc longe verisimilius videtur; nam ut *merae orales communicationes* verbo Dei scripto aequari possint, necesse est validioribus quo fieri potest externis testibus eas adstrui, quod tamen incredibile est, attenta doctrinalium traditio-

(1) Ita Shuttleworth op. cit. p. 34. seqq. quibus jam praemiserat et ipse, ut factum vidimus a Palmerio, quod si Scriptura non omnia ad salutem necessaria contineret, foret ipsa *incompleta* et indigeret *supplemento*, quasi nempe Evangelium Matthaei fuerit *incompletum*, eo quod non omnia scripserit, quae postea scripserunt Marcus et Lucas; aut istorum pariter evangelia essent *incompleta* eo quod litteris non consignaverint, quae postea consignavit Joannes, et ita porro. Deinde recurrit et ipse ad loca communia, nempe ad abusum indulgentiarum, ad credulitatem universae Europae medio aevo etc. etc.

(2) Ibid. p. 36. Ex quo infert vivificationem christianismi acceptam referri debere *Reformationi*, protestantiumque adhaesioni iis quae scripta invenerunt, ac profectum modernum scientiae theologicae. Infelix homo! Interroget Dammum, Semlerum, Tellerum, Eichornium, Baverum, Woltmannum, Paulusium, Straussium aliosque pene innumeros reformationis sectatores, quid demum factum sit de Scripturis et revelatione in reformatione. Verum de hoc argumento ex professo agemus in parte III. ubi etiam expendemus quod hic asseritur de profectu moderno scientiae theologicae.

num natura, quae de ore in os progredientes iis modificationibus subijciuntur, quas ex hominum ideis ac locutionibus subeant oportet. Ecquis unquam has appellaverit revelationem (1)? Quidquid pro traditionibus affertur in quaestionem venit. Non aliunde suam haec originem traxit persuasio, quam ab inanibus timoribus conceptis ex desiderio favorem divinum obtinendi, cujus intentiones postea ab antiquitate consecratae sunt. Ceterum nihil aliud traditiones sunt praeter quam *practicae aberrationes* a puritate et integritate doctrinarum christianarum, quae labente tempore incrementum accipientes constituerunt *papismum in deteriori tenebricosiorique forma* (2). Ergo.

409. Resp. Neg. illud consequi quod adversarius autumat. Posito enim quod Christus revelationem suam ad homines transmittere decreverit partim scriptis, partim viva voce, ipsius jam erat eam incorruptam servare, tum scilicet eam partem quam scriptis committi voluit, tum eam quam voluit oretenus propagari. Deo enim alterum altero difficilius non est. Fatetur sane adversarius Dei prodigio factum esse, ut Scripturae sacrae integrae conservarentur; cur igitur efficere Deus nequiverit, ut integrae pariter servarentur Traditiones (3)?

410. Verum cum tota difficultas ex praepostera oriatur traditionis notione, hac depurgata, difficultas evanescit. Existimat porro adversarius Traditionis nomine nos quasdam significare, ut ita loquar, verborum formulas, quae alicui individuo primum commissae ab eo ad aliud aut alia individua fuerint pariter transmissae, et ita deinceps. Ast in hoc vehementer errat. Traditionis siquidem divinae ac dogmaticae nomine catholici complexum significant illarum veritatum seu doctrinae illius quae viva voce ab apostolis Christi nomine praedicata est, nec ab auctoribus hagiographis fuit litteris consignata, conservata tamen est vivo ecclesiae magisterio cui commissa est. Quapropter non individuis seorsum sumptis, sed ecclesiae pastoribus ab apostolis institutis doctrina ejusmodi consignata fuit, seu totius ecclesiae corpori, quod, ut suo loco ostendimus, a

(1) Ibid. p. 37. Et hic amare queritur, quod hanc assertionem audiverit in ambitu ipso ecclesiae suae *(anglo-catholicae!)*

(2) Ibid. pag. 39. 40.

(3) Pag. 39. Sed praestat refellere Shuttleworth verbis ipsis auctoris non suspecti, ejusque collegae, nempe Palmerii, qui in *Tractatu cit. De ecclesia* vol. II, p. III, cap. I, pag. 20 seqq. cum sibi proposuisset argumentum ex *insufficientia traditionis*, scribit: « Alias oppositum fuit traditionem non scriptam obnoxiam esse corruptioni, ac improbabile omnino esse, quod Deus voluerit committere revelationem suam modo adeo incerto transmissionis ». Respondet autem: « Equidem si traditio christiana *esset omnino non scripta*, id est, si scripta non inspirata non superessent, quae sufficienter testentur universalem christianorum fidem ab aetate apostolica, haud aegre admitti posset, traditionem solam fore probationem incertam doctrinae christianae. Ast non videtur ullam inveniri *impossibilitatem* a natura traditionis, quod aliquae veritates revelatae potuerint illius ope transmitti, divinae gratiae subsidio. Sane, si nos insistimus incertitudini traditionis *in genere*, potest id consecutiones parere valde graves, *quoniam authenticitas et genuinitas sac. Scripturae librorum innituntur* (tandem aliquando fatetur) *in gradu haud parum notabili, testimonio traditionis primitivae*. Id asseritur ab Hookero, Witakero, Lardnero, Paleyo etc. etc. »; et pag. 48. « Si testimonium primitivorum doctorum christianorum, in hac facti quaestione rejicitur, externae probationes christianae religionis destruuntur ».

Christo infallibilitatis atque indefectibilitatis dotem seu praerogativam accepit. Ecclesia autem multiplici ratione, ut paulo post ostendemus, eam conservavit transmisitque ad nos usque, et inde conservabit atque transmittet usque ad seculi consummationem, prout ipsa circa canonicos libros praestitit. Hoc solum Scripturam inter et Traditionem intercedit discrimen, quod Scripturae in quibus veritates revelatae continentur sint divinitus inspiratae saltem quoad res et sententias; Traditio, seu verius media per quae veritates pariter revelatae ad nos transmissae sunt, non item (1). Ex his patet identificari divinas dogmaticas traditiones cum vigenti semper ecclesiae universae doctrina (2). Propterea eadem ratione qua infallibilitas ecclesiae requiritur ut certi efficiamur certitudine fidei de canone atque inspiratione sacrorum Bibliorum, ita supponi pariter haec infallibilitas debet in conservatione dogmaticae divinae Traditionis, cum totius verbi Dei custos et depositaria a Christo fuerit ecclesia constituta. Hinc nulla urgeri potest difficultas adversus integritatem divinae ejusmodi Traditionis quae intorqueri adversus sacrorum librorum integritatem non possit; nec ulla potest assignari ratio quare ecclesia infallibilis fuerit ac si in conservando verbo Dei scripto, fallibilis vero haberi debeat in conservando secernendoque verbo Dei tradito. Quacumque se adversarii vertant, numquam se poterunt ab hoc argumento expedire. Ad utrumque quidem munus divino subsidio ecclesiae opus est; at illud pollicitus est ei Christus cum dixit discipulis suis: *euntes docete...... Ecce ego vobiscum sum* (docentibus) *usque ad consummationem seculi*.

411. His positis jam sponte sua concidunt quae ab adversario congesta sunt, quin ea singillatim persequamur. Sane hoc ipso quod haereses omnes quae octodecim seculorum tractu exortae sunt, fuerint omnes ab ecclesia catholica damnatae ex hoc solo principio quod doctrinae suae divinitus acceptae adversarentur, liquet quomodo intemeratae dogmaticae traditiones fuerint conservatae.

412. Quaerimus deinde ab adversa-

(1) Etiam Palmer eodem modo huic objectioni respondet. Etenim pag. 57. scribit: « Nos respondemus omnibus eorum argumentis, haud appellare ad patres veluti ad *Scriptores inspiratos*, sed tamquam ad idoneos testes fidei, quam profitebantur christiani illorum aetate ». Exinde corruunt ea omnia, quae fusiori stylo Shuttloworth scribit de patrum erroribus, de differentia inter auctores biblicos et patres etc. etc. quae sunt totidem naeniae.

(2) Jam opposuimus Shuttleworthio verba Palmer; nunc circa notionem traditionis in sensu catholicorum opponimus eidem verba Newman, qui in op. cit. *Lectiones de Romanismo et Protestantismo*, lect. 1, pag. 6. haec in rem nostram scribit: « Ipsi (Romanistae) haud Scripturam rejiciunt, imo forte *magis ei addicti sunt, quam quilibet protestans*, ast tenent ipsam minime solum esse verbum Dei. Contendunt systema doctrinae suae descendere perinde ac Scripturam ab apostolis, quoniam si istae amitterentur, non idcirco periret revelatio. Jam vero, ad refellendos Romanistas opus est eos probe intelligere. Traditionis nomine, ipsi significant universum fidei systema, ac regulas quas receperunt a generatione praecedente, haec vero ab altera et ita porro. Ejusmodi traditiones in rerum temporalium negotio existunt profecto; hoc sensu traditio est mos seu consuetudo uniformis. Hinc cum Romanenses asserunt se traditioni adhaerere, significant se credere, et operari prout christiani semper crediderunt et operati sunt (p. 27. 39.) ».

rio, num medio aevo perierit ecclesia; si id ipse affirmet, quomodo ostendet intemeratas sine ecclesia conservatas fuisse divinas Scripturas? Ridiculum autem esset adserere conservatum fuisse christianismum sine ecclesia; quid enim est christianismus nisi ecclesia a Christo instituta? num christianismus in charta et in papyro consistit?

413. Itaque neutra periit, neque Scriptura sacra, neque dogmatica Traditio: et ideo utraque conservata est, quia numquam ecclesia juxta aeternas Christi promissiones defecit. Quibus autem ineluctabilibus argumentis ostenditur mere *orales communicationes* puras permansisse, iisdem plane demonstratur puras permansisse Scripturas sacras, juxta sensum quem modo exposuimus, non autem juxta adversarii figmentum de natura doctrinarum traditionalium humanarum. Quod si eae ab ideis locutionibusque hominum patiuntur modificationes, hae non attingunt veritates ipsas traditionales, sed modum eas exprimendi, seu formas, ut vocant, pro veritatum ipsarum evolutione (1). Falsum porro est in quaestionem venire quidquid pro traditionibus affertur, dummodo rite traditiones quas adstruimus intelligantur.

414. Quod demum adjicitur ab adversario de traditionum origine, earumque effectu, de penu suo depromptum est hariolando potius quam demonstrando. Piget vero hac aetate viros doctos et graves audire adhuc ingerentes accusationes de *papismo,* quem vocant, *cum sua deteriori forma*. Quid enim *papismi* nomine significant, nisi *ecclesiam catholicam* cui Christus in Petro ejusque legitimis successoribus caput praefecit, a quo regeretur, quodque, ut suo loco ostendimus, universa agnovit antiquitas? Merito proinde τοῦ ἀλογισμοῦ arguitur nova Oxoniensis schola, quae cum propugnet divinas traditiones, aliaque plura dogmata a protestantibus rejecta denuo admittat (2), pergat tamen inficiari divinum Rom. Pontificis primatum de quo non minus luculenter praeter Scripturam antiqua Traditio universa testatur (3). Licet tamen sperare, quod et votis omnibus optamus, non defuturos qui et hunc fidei articulum una cum ceteris adstruant. Ostium apertum est, cetera, Deo opitulante, exinde procedent.

415. II. Obj. 1. Patres utpote errori obnoxii nequiverunt puram ad nos Traditionem transmittere. 2. Eo magis quod patres criticismo plane destituti fuerint, ut ex illorum patet scriptorum apocryphorum allegationibus. 3. Haud paucae innovationes a patrum aetate introduci coeperunt, quae rapido deinceps cursu creverunt; exinde enim institutum monasticum, sacrificium, adoratio reliquiarum, exorcismi aliaque ejusmodi originem habuerunt. 4. Nec obstat, illud solum uti infallibile tenendum *quod semper ubique, ab omnibus* receptum est juxta Vincentii Lirinensis canonem: ecquid enim est, quod ita receptum censeri debeat? 5. Cum vero nimis extollere Traditionem perinde sit, atque Scripturam deprimere, prout contigit in ecclesia Romana, satis erit profiteri quendam erga antiquitatem reverentiae et grati animi sensum (4).

(1) Cf. Moehler *Symbolique* tom. II, § XL.

(2) Atque hinc factum est, ut *Puseysmus* definitus apte fuerit: *Papismus sine Papa*, Ephem. *Union catholique*, 14 Décembre 1841.

(3) Recolantur quae scripsimus in parte hujus tractatus prima sect. II, cap. I, prop. I, II et III. et iterum cap. II, prop. I, II et III.

(4) Ita rursum Shuttleworth a pag. 49 ad 71.

416. Resp. ad 1. *D.* Ita tamen ut testimonium patrum sit unum ex mediis per quae nobis Traditio innotescit, *C.* unicum *N.* Laborat itaque adversarii difficultas vitio haud exiguo, quod catholici videlicet patrum testimonium unicum esse doceant Traditionis transmittendae medium, atque eam cognoscendi, quod tamen falsum est. Nos plura alia praeterea assignabimus. Licet igitur patres singillatim sumpti errori obnoxii fuerint, inferri non potest idoneos illos testes non esse fidei doctrinae, quae illorum aetate in ecclesia vigebat; praesertim si unanimi id consensione testentur. Haec porro doctrina ea est quam nos Traditionem dogmaticam vocamus, quaeque et ex patrum testimonio, et ex aliis mediis ad nos pervenit nobisque innotescit.

417. Ad 2. D. Cui criticismi defectui, si qui fuit, aliis suppleri mediis potest, *C.* suppleri nequit *N.* Etsi enim daremus adversario nonnullos patres hoc defectu laborasse, perperam inde concludit haud potuisse ipsos puram ad nos Traditionem transmittere; ad hoc quippe efficiendum magna criticismi dote opus non est. Satis nobis est ut ii patefaciant doctrinam quae circa peculiarem aliquem articulum sua aetate in ecclesia obtinebat. Verum etiamsi in hoc decipi seorsum sumpti potuissent, abunde illorum deceptioni aliis mediis suppletur. Quando patres aliqui interdum allegant nonnulla apocrypha scripta, propriam opinionem manifestant, non autem sensum ecclesiae. Imo ex hoc perspicuum fit ecclesiae doctrinam minime a privati cujusque individui pendere sententia.

418. Ad 3. *D.* Innovationes *ex mente adversarii* patrum aetate introduci coeperunt, *C.* in se *N.* Quas adversarius innovationes vocat, quaeque IV. potissimum et V. seculo incrementum acceperunt, totidem fidei dogmata sunt, aut ecclesiae doctrina, cujus longe anteriora his seculis documenta prostant. Ut enim monasticum omittamus institutum, quod ad disciplinam tantum spectat, sacrificii aperta mentio occurrit apud apostolicos patres et apud Irenaeum, qui testatur in ecclesia illud obtinuisse per universum terrarum orbem, ipso fatente Grabio, ut suo loco ostendimus (1). Sic *adorationis, idest venerationis* reliquiarum mentio habetur in actis ss. Ignatii et Polycarpi (2), exorcismorum usum ab *antiquissima* aetate repetit s. Augustinus (3). Parum igitur *criticum* se prodit adversarius, dum obtrudit uti innovationes IV. aut V. seculi doctrinae articulos, qui ab aetate ipsa apostolica obtinebant. Ex hoc vero colligimus catholicam ecclesiam his seculis integrum christianismum, seu plenam christianam doctrinam tenuisse, prout et eam adhuc retinet, retinebitque in seculi finem; protestantismum autem cum sua negativa natura vix christianismi larvam et umbram retinere.

419. Ad 4. *D.* Si Vincentianus canon *positive* intelligatur, *Tr.* si *negative* *N.* Suo enim loco ostendimus hunc et non alium sensum esse objecti canonis, nempe illud quidem esse catholicum *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus* retentum est; ast non e converso, ita ut nihil admitti debeat uti fidei dogma ecclesiae catholicae, quod nec semper nec ubique, neque ab omnibus fuerit admissum. Hoc illustravimus exemplo petito ex libris deutero-canonicis, qui-

(1) In Tract. *De Euchar.* par. II, cap. I, prop. II, n. 270.

(2) Recolantur quae scripsimus in tract. *De cultu sanctor.* cap. IV, n. 86 seqq.

(3) *De nupt. et concupisc.* lib. II, cap. XXIX, n. 51. *Cont. Julian. Pelag.* lib. VI, cap. V, n. 11. *Op. Imp. cont. Julian.* lib. I, cap. 4. et alibi passim.

bus certe hic canon applicari non potest; attamen uti canonici ac divini nunc ab ecclesia catholica habentur (1).

420. Ad 5. Resp. postremam hanc difficultatem ad receptas protestantium strophas atque calumnias esse referendam. Ecclesia enim Romana seu catholica adeo non deprimit Scripturas ut iis in omnibus utatur, easque perpetuo commendet, eas sola integras servaverit, illarum editionem, quoad ejus fieri poterat, absolutissimam ediderit, damnaveritque protestantes eas mutilare volentes. Verum non est, cur putida haec prolixius persequamur (2). Illud dumtaxat animadvertimus, adversarium incon-

(1) Cf. quae scripsimus de hoc Vincentiano effato in tract. *De vera relig.* part. II, prop. III, n. 56. cum nota apposita. Quoniam vero adversarius nobis objecit auctoritatem Vincentii Lirinensis ut solam Scripturam veluti credendorum adaequatam regulam constituat, liceat nobis etiam proferre Vincentii verba quibus adversarius obruitur. Sic igitur in cit. *Commonitorio* cap. XXV. scribit: « Heic fortasse aliquis interroget, an et haeretici divinae Scripturae testimoniis utantur? Utuntur plane, et vehementer quidem. Nam videas eos volare per singula quaeque sanctae legis volumina, per Moysis, per Regum libros, per psalmos, per apostolos, per evangelia, per prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publice, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam pene de suo proferunt, quod non etiam Scripturae verbis adumbrare conentur... Cum coeperint divinas illas voces non jam proferre tantum, sed etiam interpretari, tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligetur, tunc novitium virus exhalabitur; tunc primum scindi sepem videas, tunc transferri patrum terminos; tunc catholicam fidem caedi, tunc ecclesiasticum dogma lacerari . . . Nam sicut tunc caput (Diabolus) capiti (Christo), ita nunc quoque membra membris loquuntur, membra scilicet diaboli membris Christi, perfidi fidelibus, sacrilegi religiosis, haeretici postremo catholicis. Sed quid tandem dicunt? *Si*, inquit, filius Dei es, *mitte te deorsum*; hoc est, si filius esse vis Dei et haereditatem regni caelestis accipere, mitte te deorsum; id est, ex istius te sublimis ecclesiae quae etiam templum Dei putatur, *doctrina et traditione dimitte*. Ac si quis interroget quempiam haereticorum sibi talia persuadentem: Unde probas, unde doces, quod ecclesiae catholicae *universalem et antiquam fidem* dimittere debeam, statim ille: *Scriptum est enim*. Et continuo mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat de lege, de psalmis, de apostolis, de prophetis, quibus novo et malo modo interpretatis, ex arce catholica in haereseos barathrum infelix anima praecipitetur ». Totum describi deberet, si omnia quae pulcherrime habet Vincentius de necessitate adhaerendi catholicae ecclesiae Traditioni et doctrinae, afferre quis vellet.

Heic vero omittere non possumus recens opus a Newman editum sub titulo *The Church of the Fathers*, seu *Ecclesia Patrum*. Londin. 1840. in quo cum plurima de Traditionis auctoritate habet tum praesertim integrum caput X. de Vincentio Lirinensi, ejusque circa Traditionem doctrina pag. 165-196. Proclamat porro Newman eo loci catholicam Traditionem « fuisse re vera fundamentum super quo antiquis temporibus servatum fuit strictum orthodoxiae depositum » pag. 174. Idque exemplis Ambrosii, Gregorii Naziaz., Athanasii, Hilarii, caeterorum patrum confirmat, sed praesertim testimonio Lirinensis, cujus per plures paginas verba luculentissima profert, ac summis laudibus extollit. Sed haec nimis jam sunt ad inanes Shuttleworthii ictus retundendos.

(2) Discrimen ingens inter venerationem quam quovis tempore catholici erga Scripturam sacram professi sunt, et sentiendi rationem seu potius contemptum quem pariter quovis tempore circa eandem haeretici tenuerunt fuse persequitur doctus P. Cherubinus a s. Joseph in *Dissertat. prooemiali* sui *Apparatus bi-*

stantiam suam patefacere, dum agnoscit erga antiquitatem profitendum esse reverentiae et grati animi sensum, cum tamen juxta ipsum antiquitas in causa extiterit errorum omnium *tenebricosi papismi*. Quomodo haec inter se componantur, ipse viderit.

421. Dices: Saltem in dubio de vero Scripturarum sensu, satis erit confugere ad *analogiam fidei*, quin necesse sit ad Traditionem recurrere.

422. R. *D.* Quando fides certo sancita est a legitima ecclesiae auctoritate, *Tr.* vel *C.* quamdiu ista incerta est ac fluctuat *N.* Catholici non abnuunt confugere ad analogiam fidei, cum de obscuro aliquo agitur Scripturae textu, ad eum nempe exponendum juxta certàm normam illam quam ab ecclesiae habent auctoritate. Verum protestantes ad illam se recipere non possunt tum quia 1. numquam inter eos convenit de communi aliqua fidei professione, neque ex eorum principio convenire unquam poterunt; tum quia 2. secta quaelibet ad fidem illam peculiarem confugeret quam sectatur, adeoque anabaptistae e. g. sociniani, methodistae, quackeri etc. ex hoc principio Scripturas exponerent cohaerenter ad suos errores; tum denique 3. quia nec individua singula protestantium semper consistunt in eadem fidei professione, cum hodie, abjiciant quod hesterna die fide tenuerunt. Ita enim necessario fert indoles negativa protestantismi (1).

CAPUT II.

De mediis generalibus quibus transmissa est primitiva dogmatica traditio, quibusque tuto cognosci potest

423. Jam ab ipso hujus sectionis initio animadvertimus haud esse permiscendam Traditionem dogmaticam de qua agimus, seu potius hujusmodi Traditionis objectum cum mediis per quae istud ad nos pervenit, aut quibus pervenisse nobis innotescit. Fieri enim potest, ut Traditio quidem viva voce transmissa fuerit, nec tamen integra ad nos usque promanaverit, sed pluribus saltem erroribus commaculata, uti reipsa Traditionis osores affirmant, quod paullo ante vidimus. Operae pretium exigit ut postremum hoc effugium adversariis eripiamus.

424. Jam vero inter haec media alia sunt generalia, alia vero particularia, seu quae peculiaribus documentis ostendunt quid ecclesia quovis tempore crediderit. De prioribus in hoc capite, de posterioribus in insequenti agemus.

blici, Digressio secunda, in qua agitur de ignorantia Scripturae quam catholicis objicere solent haeretici nostri sect. I seqq. et art. XII. *Haereticorum contemptus circa sac. Scripturam*, incipit porro a Simone mago omnium haereticorum parente, et prolatis semper documentis rem continenter ducit ad Lutherum, Calvinum atque utriusque asseclas usque ad aetatem suam. Capax porro esset hoc argumentum magni supplementi. Cf. tom. I, pag. 125 seqq. et pag. 229 seqq.

(1) In quo protestantes plane cum antiquis illis haereticis conveniunt de quibus sic scribit s. Irenaeus cont. haeres. lib. V, cap. XX. « Et ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur . . . Qui relinquunt praeconium ecclesiae, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt . . . . Tales sunt autem omnes haeretici, qui se plus aliquid praeter veritatem invenire putant; sequentes ea, quae praedicta sunt, *varie, et multiformiter*, et imbecille facientes iter, *de iisdem non semper easdem sententias habentes, velut caeci a caecis circumducuntur* ». Ita *bonus Pater*.

425. Inter media, quae generalia nuncupavimus, publicum ac perenne ecclesiae magisterium recensemus, acta conciliorum praesertim oecumenicorum, acta item martyrum, sacram liturgiam, ecclesiae praxim in sacramentorum administratione atque in cultu religioso, nec non scripta patrum, deinde vero scholasticorum antiquiorum, recentiorumque theologorum doctrinam, insuper ipsorum haereticorum, historiam denique ecclesiasticam. Unumquodque ex enumeratis mediis seorsum etiam spectatum magnam profecto vim habet, ac ineluctabile prorsus theologo suppeditat argumentum ad novatores profligandos: simul vero sumpta ad instar fluminis exundantis invadunt ac dejiciunt vel invitum et reluctantem animum.

426. Quoniam vero fieri nequit, ut in tractationis scholasticae angustiis pro rei gravitate de singulis late disseramus, satis nobis erit primoribus saltem, ut ita dicam, labiis ea delibare, quanti scilicet opus est theologiae candidatis, ut agnoscant in quibus postea se exerceant, si optatam velint metam attingere fidei catholicae hostes impugnando. Distinctis igitur paragraphis liberiorique methodo singula recensita media breviter percurremus, apposita interserentes monita, quae prae oculis in eorumdem usu habenda sunt.

§ I.

De ecclesiae magisterio

427. Christus Dominus, ut saepe adnotavimus, integrum fidei depositum contulit ecclesiae in apostolis eorumque legitimis successoribus sub Petri, ejusque successorum primatu, ipsisque mandavit, ut omnes sive convertendas, sive ad fidem conversas gentes docerent, pollicitusque est se iis, seu unicae ecclesiae suae in hoc ministerio usque in seculi finem affuturum. Ex illo sane tempore numquam ecclesia destitit ab hoc ministerio obeundo sive quoad gentes nondum ad fidem conversas, sive quoad eas quas jam in sinum suum ipsa cooptaverat. Licet porro aliqua, aut si magis lubet, magna etiam doctrinae pars, quae primum viva solummodo voce annunciata fuerat, successu temporis, data occasione atque Spiritu S. inspirante, ab apostolis nonnullisque eorum discipulis scripto consignata sit; praeterquam quod, ut suo loco ostendimus, haec quoque ipsa scripta *quoad nos* ecclesiae suffragio indigebant, ut tamquam canonica et inspirata vim obtinerent, non tamen cessavit ecclesiae praedicatio, et magisterium ideo quod nullum ex iis scriptis capere detrimentum potuit. Imo scriptum hoc verbum vitam, ut ita loquar, a jugi ecclesiae magisterio ac viva voce obtinuit et obtinet; ab hoc ejus sensus determinatur, et ab hoc completur quoad ea quae litteris mandata non sunt.

428. Quo fit ut 1. haec instrumenta solum vim habeant in ecclesia a Christo instituta, seu in sola ecclesia catholica, quae scilicet in legitima illorum possessione est, a qua haeretici penitus exciderunt. Haeretici, sectarii omnes, seu acatholici non habent nisi litteram quae occidit, non autem spiritum qui vivificat. Quo argumento jam aetate sua Tertullianus vehementer haereticos exagitabat omnes, et est prorsus invictum (1).

(1) En Tertulliani verba quibus apprime quae constituimus confirmantur: « Ergo non ad Scripturas provocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertae . . . Ordo rerum desiderabat illud prius proponi,

429. 2. Inde praeterea fit ut Traditio dogmatica identificetur cum ipsa ecclesiae doctrina, a qua separari nequit; quapropter etsi documenta deficerent omnia, solum hoc vivum ac juge magisterium satis esset ad cognoscendam doctrinam divinitus traditam, habito praesertim respectu ad solemnes Christi promissiones.

430. 3. Exinde insuper patet non vocem mortuam manuscriptorum codicum, sed vivam ac publicam ecclesiae vocem semper primam ac proximam fidei regulam esse, sive quoad infideles convertendos, sive quoad fideles conversos.

431. 4. Quodque propterea consequens est, ex hoc principio ecclesia constanter damnavit haereticos omnes eo quod innovare quidpiam voluerint contra eam fidem, quam actu ipsa praedicabat, ut ex omni retro antiquitate compertum est; neque unquam ipsa disputavit cum haereticis temerariis, qui eam insigni ausu erroris arguere in sua praedicatione veriti non sunt, sed unam eis opposuit auctoritatem suam eademque una illos protrivit (1). Quod si solet etiam adjicere vel Scripturae oracula vel Traditionis documenta, ita se gerit ad pusillorum instructionem, non autem quod aliqua ad id necessitate adigatur.

432. 5. Demum colligitur novatoribus omnibus jure merito posse theologum vigentem ecclesiae doctrinam opponere, cum perabsurdum plane sit, atque a bono sensu, ut ajunt, alienum affirmare, uti haeretici solent, ecclesiae auctoritatem valere quidem quoad priora tantum secula, non autem quoad posteriora. Nam vel numquam valorem habuit, aut si habuit aliquando, etiam

quod nunc solum disputandum est. Quibus competat fides ipsa: Cujus sunt Scripturae: A quo et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani; ubi enim apparuerit esse veritatem, et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum, et omnium traditionum christianarum. Christus Jesus Dominus noster, permittat dicere interim, quisquis est, cujuscumque Dei filius, cujuscumque materiae homo et Deus, cujuscumque fidei praeceptor, cujuscumque mercedis repromissor, quid esset, quid fuisset, quam voluntatem Patris administraret, quod homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipse pronuntiabat, sive populo palam, sive discentibus seorsum; ex quibus, duodecim praecipuos lateri suo adlegerat destinatos nationibus magistros . . . . Statim igitur apostoli (quos haec appellatio missos interpretatur) assumpto per sortem duodecimo Matthia in locum Judae, ex auctoritate prophetiae . . . consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes et eloquium, primo per Judaeam contestata fide in Jesum Christum, et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unam eandemque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae, ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiae fiant; ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. » *De praescript.* cap. XVIII, XIX, XX. et alibi passim in toto hoc libro.

(1) Quapropter Comes de Maistre in op. *Du Pape* liv. I. ch. I. sapienter scribebat: « L'église catholique n'est point argumentatrice de sa nature; elle croit sans disputer... Mais si l'on vient à contester quelque dogme, elle sort de son état naturel; étrangère à toute idée contentieuse, elle cherche les fondemens du dogme mis en problême; elle interroge l'antiquité; elle crée des mots surtout, dont sa bonne foi n'avait nul besoin, mais qui sont devenus nécessaires pour caractériser le dogme, et mettre entre les novateurs et nous une barrière éternelle. »

nunc habet, atque adeo usque ad mundi finem habebit. Cum vero plerique concedant eam contra anteriores haereticos valuisse, hoc ipso contra se sententiam dicunt (1).

§ II.

De Conciliorum praesertim oecumenicorum actis

433. Cum ex dictis in prima hujusce tractatus parte concilia oecumenica universam repraesentent ecclesiam, pronum est inferre illorum acta, sanctiones imprimis dogmaticas, totidem esse solemnia et publica illius fidei testimonia, quam ecclesia profitebatur, quando unumquodque eorum celebratum est. Eo vel magis, quod, ut vidimus, concilia potissimum urgerent adversus haereticos Traditionem, seu vigentem ecclesiae doctrinam, et huic insisterent potiusquam Scripturis, quae a novatoribus pervertebantur, et trahebantur, ad proprium ipsorum privatum sensum.

434. Cavere tamen debet studiosus ne quae a singulis, aut pluribus etiam interdum concilii patribus prolata sunt, cum iis permisceat quae communi suffragio in concilio statuta fuerunt (2).

435. Cavere praeterea debet, prout omnes theologi admonent, ne confundat *objectum*, ut ajunt, definitionis cum *motivo*; in illo enim concilii patres testes sunt ecclesiae fidei et Traditionis, ac judices etiam controversiarum, non in isto in quo obnoxii errori esse possunt: idem dic de quaestionibus incidentibus, aliisque ejusmodi (3).

436. Quod vero diximus de dogmaticis conciliorum oecumenicorum definitionibus, aequo jure de Rom. Pontificum dogmaticis decretis dici debet: ipsi enim organum praecipuum semper fuerunt Traditionis divinae ejusque testes publici, summaque pollentes auctoritate in proponenda tum ecclesiae Romanae, tum ecclesiae universalis Traditione. Quapropter tuto poterit theologus ejusmodi pontificia decreta spectare uti genuina media propagationis dogmaticarum Tra-

(1) Ridiculos profecto se produnt novatores recentiores dum scribentes de novatoribus anterioribus, aut etiam ejusdem aetatis sed a placitis quae isti propugnant dissentientibus, solent vocare *haereticos* quin cogitent se in eadem categoria inveniri. Quo enim jure, ut unico exemplo insistam, lutheranus Calovius suam habuit orationem inauguralem qua contendit demonstrare *haeresin neo-photinianam vel socinianam ceu novorum paradoxorum et horrendorum portentorum matrem et impietatum damnatarum filiam, rationis adversus Dei Verbum insanientis foetum, ac Diaboli s. Litteras impie conspurcantis exscrementum ut novissimum, ita foetidissimum fugiendum, detestandum et execrandum?* Cf. ejus op. cit. *Scripta Anti-sociniana* tom. I, p. I seqq. Si talis est photinianismus et socinianismus condemnatus ab ecclesia catholica, quid erit lutheranismus et protestantismus eodem jure eademque auctoritate ab ecclesia pariter damnatus? Si doctrina lutherana et protestans non est haeresis, neque talis erit photinianismi et socinianismi doctrina; si sociniani et photiniani sunt *haeretici*, quare *haeretici* non erunt protestantes?

(2) Cum discutiatur doctrina sancienda in conciliis antequam veniatur ad definitionem edendam, fieri potest ut a patribus ea proferantur quae minime probanda sunt. Praeterea cum Patres ante definitionem aliquid proferunt, id ut privati faciunt; decreta autem nomine totius concilii, ac proinde ecclesiae eduntur.

(3) Cf. Melch. Canum *De locis* lib. V, cap. V. ubi plura quae ad hoc argumentum referuntur, adnotat doctissimus hic auctor.

ditionum, illiusque fidei quam ecclesia quovis tempore professa est (1).

437. Adjecimus porro conciliorum *praesertim* oecumenicorum, ne excludere videremur concilia particularia quaecumque demum fuerint sive nationalia, sive provincialia. Exploratum siquidem est magnam esse istorum in ecclesia auctoritatem, plures haereses istorum opera fuisse damnatas et extinctas, quae in aliqua peculiari provincia erant exortae, ac propterea istorum acta totidem esse fidei ac Traditionis in peculiaribus illis regionibus vigentis documenta. Quod si fuerint haec concilia ab ecclesia universa recepta, probataque a Rom. Pontificibus, ob hanc ipsam susceptionem et approbationem, habenda erunt tamquam testimonia Traditionis ecclesiae universalis plane ineluctabilia (2).

§ III.

De Martyrum actis

438. Nemo inficias ibit antiqua ac genuina sanctorum martyrum acta nobis exhibere Traditionis dogmaticae certissima documenta, ex quibus quid circa plures fidei articulos, qui nunc in controversiam vocantur, senserit ecclesia, dignoscimus. Etenim praeter quam quod, ut scite animadvertit Ruinartius, cum ex divinis litteris habeamus, eorum dicta, cum praesidibus sisterentur, superno instinctu pronuntiata fuisse, fit, ut eorum responsa, quae in his actis ad praesidum quaestiones, continentur, pro sacris oraculis merito habenda sint (3); ea illi in suis responsis protulerunt quae ab ecclesiae pastoribus didicerant, ac merito proinde uti Traditionis et ecclesiae fidei, quae uniuscujusque aetate vigebat, testes locupletissimi habentur.

439. Immo vero et illud adjicimus peculiare istorum actis inesse pondus, quatenus ex illis discimus quaenam in domesticis ac publicis ecclesiae conventibus doctrina traderetur absque ulla privatae ac subjectivae, ut ita loquar, explicationis admixtione, quae quandoque difficultatem facessit in genuina patrum mente assequenda (4). Eo vel magis quod plures ex ipsis aut foeminae, aut vulgares rudesque homines essent ex laicorum coetu, qui candide et absque

(1) Etiam Constitutionibus dogmaticis Rom. Pontificum applicari debent quae de distinctione inter objectum definitionis ejusque motiva disseruimus. Ideo vero quae spectant ad concilia oecumenica et ad Romanos Pontifices complexi simul sumus, quia tam illa cum probata fuerint a Rom. Pontificibus, quam isti suprema gaudent auctoritate, et organa sunt divinae traditionis de qua loquimur.

(2) Luculentum hujus rei exemplum habemus in conc. Arausicano II. cujus decreta adversus pelagianos ac semipelagianos lata, uti dogmatica ab omnibus censentur.

(3) In *Praef. general. in Acta martyr. sincera* § I. n. I.

(4) Etenim patres, uti alias animadvertimus, veritates revelatas seu christianae fidei dogmata quoad modum ea exponendi subjiciebant, ut ita dicam subjectivis suis conceptibus juxta philosophiam quam profitebantur. Hinc receptae quaedam ab ipsis loquendi formae cum de mysteriis dissererent, quae obscuritatem ingerunt, ac difficultatem facessunt minus in illorum philosophandi ratione peritis, quod et experimur in scholasticis postquam isti aristotelicam philosophiam adoptarunt et quodam veluti connubio cum theologia conjunxerunt. Huc spectat quod Petavius in capitibus III. IV. et V. libri primi de Trinitate scripsit circa loquendi modum quo patres antenicaeni usi sunt agentes de Verbi divinitate, ejusque aeterna generatione.

fuco quid crederent exponebant ac profitebantur (1).

440. Huc accedit, quod horum actorum lectio fidelibus minime permitteretur quin prius ab episcopo illa recognita fuissent ac probata (2); quod legerentur in publica ecclesia praesulibus inspectantibus, quorum suffragium minime latura fuissent si quid a recepta ecclesiae fide absonum prae se tulissent (3). Hinc nihil validius nihil magis idoneum ad confundendos socinianos et unitarios circa ecclesiae fidem, quae tribus prioribus ecclesiae seculis de Trinitate, Verbi Incarnatione, divinitate Christi aliisque mysteriis obtinuerit, his actis proferri potest. Item adversus hagiomachos protestantes quoad sanctorum cultum et invocationem, reliquiarum venerationem, nihil potest aptius urgeri quam quae in martyrum actis passim leguntur, quae nobis ecclesiae catholicae fidem exhibent per id temporis de illis articulis invalescentem.

441. Quare non solum auctores catholici exinde argumenta sumunt ad Traditionem dogmaticam ecclesiae adversus fidei hostes evincendam, verum etiam sectarii ad pugnandum contra socinianos (4); qua tamen cohaerentia cum principiis suis id efficiant, quoque tandem exitu ipsi viderint.

§ IV.

De sacra Liturgia

442. Maximi faciendam esse auctoritatem sacrae Liturgiae, eamque habendam uti testem omni exceptione majorem Traditionis et ecclesiae fidei, is solus inficias iverit, qui non adverterit in illa ecclesiarum omnium exhiberi vocem ac testimonium, episcoporum, presbyterorum, et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata (5).

(1) Ejusmodi sunt responsiones sapientia plenae quae judicibus paganis datae leguntur in actis s. Symphorosae, ss. Felicitatis ac Perpetuae, aliarum sive foeminarum sive rudium virorum de quibus egimus in tract. de Trinitate et Incarnat.

(2) Cf. Ruinart loc. cit. n. 3. 4. 5.

(3) Ibid.

(4) Sane quoad auctores catholicos satis est oculos conjicere in celebre opus D. Maran: *Divinitas D. N. J. C.* praesertim lib. II, cap. IV. quod inscribitur: *Idem* (ecclesiae fides de Christi divinitate) *demonstratur ex testimoniis ss. martyrum*. Quoad sectarios vero id patet ex Calovio op. cit. tom. II, pag. 484 seqq. ubi hic adstruit fidem de ss. Trinitate ex actis martyrum qui decem primis persecutionibus mortem pro Christo sustinuerunt.

(5) Cf. Zachariam in *Dissert. de liturgiarum in rebus theologicis usu* cap. IV, § 2. Profecto s. Augustinus in disputationibus quas habuit contra pelagianos ac semipelagianos perpetuo urget argumentum ex ecclesiae liturgia desumptum tamquam validissimum ad ipsorum infringendos conatus; unum vel alterum testimonium s. Doctoris, speciminis gratia afferamus. Sic enim loquitur ep. CCXVII. al. CVII. ad Vitalem n. 2. « Exsere contra orationes ecclesiae disputationes tuas, et quando *audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei*, orare pro incredulis ut eos Deus convertat ad fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro fidelibus ut in eo quod esse coeperunt, ejus munere perseverent, subsanna pias voces etc. » et in lib. *De Dono perseverantiae* cap. XXIII, n. 63. « Utinam, inquit, tardi corde, et infirmi, qui non possunt vel nondum possunt Scripturas, vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quaestione disputationes nostras, *ut magis intuerentur orationes suas*, quas semper habuit et habebit ecclesia ab exordiis

443. Si quid propterea occurrerit omnium liturgiarum consensu firmatum, velut ecclesiae ipsius testimonium spectari debet. Ex liturgiis vero seorsum sumptis ea praeferenda est, quae nobiliori in ecclesia usu recepta est. Inter occidentales ecclesias primum locum obtinet liturgia Romana (1), deinde vero Gallicana (2), Hispanica vulgo Mozarabica nuncupata (3). Inter orientales principem locum sibi vindicat liturgia Jacobi omnium antiquissima, quaeque in usu fuit penes plerasque orientales ecclesias, et adhuc in pluribus viget (4); deinde veniunt liturgiae graecae quae a ss. Cyrillo, Basilio, Chrysostomo nomen habent (5), ac liturgia Armena (6).

444. Vix aliquod fidei dogma est ex iis quae catholica profitetur ecclesia, quod illae non antestentur. Talia sunt dogmata Trinitatis (7), divinitatis Verbi, et Spiritus Sancti (8), divinitatis Christi, veritatis Incarnationis, Deiparae non solum virginitatis, sed et *integritatis in partu* (9), primatus s. Petri

suis, donec finiatur hoc seculum ». Et alibi passim; sic etiam exinde depromit argumenta s. Hieronymus, Auctor libri *De vocatione gentium* aliique: cf. Card. Bonam *Rerum liturgic.* lib. I, cap. VII. § 3. cum eruditis adnotation. Rob. Sala tom. I, p. 106 seqq.

(1) Cf. Muratorium, *Liturgia Romana vetus*. Diss. *De rebus liturgicis*, cap. II. *De Rom. ecclesiae liturgia*.

(2) Cf. Mabillon *De Liturgia Gallicana*, Lutet. Paris. 1685. lib. I, cap. IV.

(3) Cf. card. Bona op. cit. lib. I, cap. XI, § I.

(4) Cf. Renaudotium, *Liturgiarum orientalium collectio*, Paris. 1716. tom. I, diss. I. *De liturgiarum orientalium origine et antiquitate*, cap. IV. Item Jo. Aloysium Assemanum in op. *Codex liturgicus ecclesiae universae*, Romae 1749. tom. IV, p. II. Praef. pag. XXV. adnotat, quod « Hierosolymitanam liturgiam amplexae sunt nedum omnes subjectae ecclesiae, verum et alienae quamplures, quin fere omnes orientales ad illam suas liturgias expresserunt, et accommodarunt. Syri ergo fere omnes illam probarunt, eaque etiam modo utuntur, quamvis in nonnullis pro diversitate locorum, et libertate episcoporum non omnes sibi consentiant ». Eadem fere repetit ibid. sect. VI, pag. LV.

(5) Cf. Renaud. Asseman. op. et loc. cit. nec non Le Brun, *Explication littérale, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la Messe*. Paris 1741. tom. II, et III.

(6) Cf. Le Brun op. cit. tom. III. diss. X. Liturgiam Armenam in linguam italicam conversam edidit cl. P. Gabr. Avedichian Mechitarista, Venet. 1832.

(7) Etenim in Missali gothico Thomasiano edit. Vezzosi Romae 1751. tom. VI, p. 243. legitur: « Qui unum Te Deum dominantem, distinctum nec divisum, Trinum nec triplicem, solum nec solitarium, consona laudamus voce »; et in Missali gallicano vetere ibid. « In Trinitate divina non est quod majus minusve credendum sit: si quid (*siquidem*, ex Mabillonio) ubi unus major dicitur, deesse minori aliquid indicatur. In hac ergo ipsa divinitate, si aliud majus quis aliud minus adserat: et ipse majestati contumeliam facit, quam majorem putat etc. »

(8) Cf. Sacramentarium Leoni M. tributum apud Murator. op. et ed. cit. p. 476. Item Sacramentar. Gelasian. ed. a B. card. Thomasio p. 4. ac pag. 46. et in Missali gothico p. 231. Libellum insuper orationum gothico-hispanum editum a Blanchinio p. 35.

(9) Quoniam nonnulli neoterici in Germania his annis haud erubuerunt docere B. Virginis uterum in partu reseratum esse, placet hic ex libello gothico-hispano nonnullos textus proferre ad eorum confusionem: sic igitur legitur pag. 35. « Salvator omnium Jesu Christe, qui novae operationis efficacia Virginem

Romanique Pontificis (1), infallibilitatis ecclesiae, supereminentiae episcoporum supra presbyteros (2), gratiae necessitatis, peccati originalis propagationis, sacrificii incruenti, realis Christi in Eucharistia praesentiae, transubstantiationis (3), purgatorii demum, et cultus invocationisque sanctorum (4).

445. Cavendum tamen est ab illis particularibus liturgiis, quae aut singularia, aut paradoxa, interdum etiam falsa aliqua continent, quae, hoc ipso quod a reliquis discrepent, minus idoneae ad auctoritatem faciendam sunt, praesertim quae apud antiquos haereticos reperiuntur (5), aut quae sequioribus aevis fuerunt interpolatae, aut mendis scatent. Oculo enim critico in his opus est, ac probati illi auctores adeundi, qui docte ac erudite operam in illis illustrandis posuerunt (6).

§ V.

De Praxi ecclesiae in publica et solemni sacramentorum administratione, et cultu religioso

446. Quamquam duo haec veluti partes integrales sacrae liturgiae spectari possint, nihilo tamen secius principem sibi locum vindicant et auctoritatem in re de qua agimus singularem. Nam liturgia proprie ad ritum spectat, quo publicus Deo exhibetur cultus, sacrificii praecipue oblatione; administratio autem sacramentorum publica ac solemnis ritus illos complectitur quibus divina haec gratiae instrumenta ab ecclesia in praxim deducta sunt; cultus vero religiosus sic generatim sumptus pro objecto praeterea habet festos dies, vigilias, aliaque ejusmodi, quae servari consueverunt.

447. Porro ut primum insistamus in sacramentorum administratione, cum in ea agatur de re in usu quotidiano posita, nemo sanus in dubium revocaverit ex illa testimonium publicum, perenne, universale et constans Traditionis dogmaticae erui circa eorumdem sacramentorum numerum, efficaciam, peculiares effectus, ac dispositionem ad ea rite suscipienda. Cum igitur ex omnibus deprehendamus graecorum, orientaliumque ecclesiarum euchologiis, atque ex occidentalium seu latinorum ritualibus ac sacramentariis septem ubique, quo-

per Angelum visitas, Verbo foecundas *habituram sine corruptionis injuria prolem*, *et permansuram cum integritate virginea matrem* etc. » pag. 27. « Intra ejusdem urbis Bethlemiticae septa Genitricem Mariam et materno honore sublimas, et virginitatis honore glorificas; cujus uterum *nec ingrediens reseras*, *nec egrediens violas* ». Similia leguntur pag. 28. 29. Item in Missali gothico p. 235, 256. Nec non in *Sacramentario Gelasiano* pag. 9. et in *Leoniano* col. 473.

(1) In *Sacram. Leoniano* col. 333. et in *Missali gothico* p. 315.

(2) In cit. *Sacram. Leoniano* col. 330. ac 334.

(3) Singulorum horum articulorum ex liturgiis veritatem ostendit, adductis auctoritatibus, Zacharias diss. cit. *Corollar.* x. et seqq. Cf. etiam Muratorium et Josephum Aloys. Assemanum in citt. dissert.

(4) Cf. Zachariam op. et loc. cit. *Coroll.* XVII, et XVIII.

(5) Exploratum enim est veteres haereticos nestorianos, eutychianos aliosque sectarios in articulis in quibus ab ecclesia catholica dissentiebant liturgiam corrupisse ac interpolasse eam accomodantes erroribus suis, quo factum est, ut in reprehensionem ob ejusmodi nefarium ausum apud veteres incurrerint. Cf. Le Brun diss. cit. Hac de causa eruditus Zacharias canones subjicit ad bene auctoritate liturgiarum utendum in rebus theologicis.

(6) Praeter citt. Auct. Cf. Grancolas, *Les anciennes liturgies* trib. volum. Paris

vis tempore fuisse sacramenta administrata, nonne audaciae, ne dicam amentiae protestantes arguuntur, qui ea ad quatuor terve, postremo ad duo redegerunt? Idem dic de gratia quae per ea conferri omnia illa pariter documenta testantur (1), de effectibus qui iis tribuuntur circa characterem, de infantium baptismate, de exorcismorum usu quo pelagianos jam aetate sua s. Augustinus premebat (2), de conscientiae puritate ad sacram afferenda synaxim, de confessionis auricularis usu, aliisque similibus (3).

448. Quod vero ad religiosum cultum spectat, quaenam fuerit primitivae ecclesiae doctrina exinde deprehenditur circa sanctorum venerationem, cum videamus institutos festos dies, celebrata jejunia ad sanctorum martyrum memorias recolendas vel ab ipsius ecclesiae incunabulis (4), circa venerationem reliquiarum et imaginum (5), circa aquam lustralem (6), quam adeo protestantes despiciunt, aliaque permulta, quae sin minus dogmata attingunt, plurimum tamen valent ad liberandam ecclesiam Romanam a toties in eam impacta calumnia de turpi superstitione in quam dilapsa sit, postquam medio praesertim aevo, *papismus*, uti loquuntur, deteriorem ac tenebricosiorem formam induxit. Ita strenue interdum protestantes nugantur!

449. Quum porro de religioso disseritur cultu, de eo disseritur qui in ecclesia universa receptus est, non autem de peculiaribus qui singulis in ecclesiis recepti sunt ritibus, quique spectari possunt ceu singulares cultus modificationes, quique valorem partialem habere possunt, pro eorumdem antiquitate et ecclesiarum nobilitate, in quibus observari consueverunt (7).

§ VI.

De sanctis Patribus.

450. Gravissimo sanctissimoque *Patris* nomine eos donavit ecclesia, inquit Natalis Argonensis (8), qui antiquitate, sanctimonia, doctrinaque in asserendis, vindicandisque ecclesiae dogmatibus famam et celebre nomen adepti sunt (9).

1699. Benedictum XIV. *De sacrificio missae*; *De Azevedo* S. J. *exercitationes liturgicae*, Romae 1750.

(1) Cf. Edmund. Martenium, *De antiquis ecclesiae ritibus* in iis quae circa sacramenta singula praemittit. Renaudotium, *La perpétuité de la foi de l' église catholique sur les sacrements*, tom. V.

(2) Recol. superius dicta.

(3) Cf. quae scripsimus in tract. *De Eucharist.*, et *De Poenitent.* Cf. praeterea Gabr. Albaspinaei, *De ecclesiae ritibus observationum libri duo.* Lutet. Paris. 1623. Jo. Bapt. Casalii *De veteribus sacris christianorum ritibus*, Romae 1647. Jos. Vicecomitis, *observationes ecclesiasticae*. Paris. 1618.

(4) Cf. *Constitut. apostol.* lib. V, c. VIII, et XIII. apud Cotelerium, tom. I.

(5) Vid. quae scripsimus in tract. *De cultu sanct.*

(6) Cf. *Const. apostol.* lib. VIII, cap. XXIX. cf. etiam Casalium op. cit. part. III, cap. XXXVII.

(7) Ejusmodi e. g. sunt ritus qui in usu sunt in ecclesia Mediolanensi quae adhuc servat ritum Ambrosianum. De his ritibus qui in peculiaribus ecclesiis recepti erant, fuse scribit s. Augustinus in duabus epistolis ad Januarium datis, quaeque in edit. Maur. sunt n. LIV, et LV.

(8) In op. *De optima legendorum ecclesiae Patrum methodo*. Augustae Taurin. 1742. par. I, cap. I.

(9) Quatuor igitur conditiones requiruntur, ut quis ecclesiae Doctor vel Pater renuncietur, doctrina scilicet eminens, insignis sanctitas, ecclesiae testimonium, ac demum nota-

In tres solent veluti aetates distribui, quarum prima tria priora complectitur secula, secunda tria secula insequentia; tertia demum a sec. VII. initio usque ad sec. XII. protenditur, usque nempe ad s. Bernardum, qui *novissimus Patrum* vocari consuevit (1). Hac enim aetate nova *scholastica* disputandi methodus sin minus invecta, longe saltem lateque diffundi coepit. Quare nec Patres ad scholasticorum ordinem referendi sunt, neque scholastici Patribus accensendi.

451. Duo in Patribus apprime secerni debent, quae passim permisceri consueverunt; qualitas nempe, ut ita dicam *testis*, et qualitas *doctoris*. Interdum enim Patres suis in scriptis se testes exhibent traditionis ac doctrinae ecclesiae, quae, aetate qua quisque floruit, obtinebat; interdum vero disputatoris ac theologi partes sustinent, qui fidei articulos enarrant, tuentur, ac multiplici ratione vindicant, doctrinam etiam ecclesiae illustrant, consecutiones deducunt, comparant, modum denique quo eadem doctrina ab ipsis subjective concipiebatur, tradunt, uti a doctoribus nostris theologiae explanatoribus fieri solet (2).

452. Porro diversa omnino ratione spectari Patrum auctoritas debet, quando se Traditionis ac fidei ecclesiae testes perhibent ab ea qua uti doctores circa eandem fidem traditionemque disceptant. In priori enim casu ineluctabilis prorsus est eorum auctoritas, si omnes aut plures etiam, aut pauci quandoque conveniant, quoties plures aut pauci isti ecclesiae suffragium pro se obtinuerint (3). Sic enim illorum auctoritas identificatur cum Traditione, imo et cum ipsa ecclesiae auctoritate (4). In posteriore autem casu quo Patres tamquam doctores se gerunt, venerationem quidem merentur tantam quantam uniuscujusque eorum antiquitas, doctrina ac sanctitas exposcit, talis nihilominus non est illorum auctoritas, ut si graves praesertim rationes id postulent piaculum sit, debita semper cum reverentia, ab eorum

bilis antiquitas. Quamvis porro Tertulliano et Origeni ecclesiae testimonium desit, vulgo tamen, in albo Patrum recensentur ratione habita antiquitatis, atque insignis doctrinae, quae in utroque fulsit.

(1) Egregiam s. Bernardi vitam duobus voluminibus in 8. novissime edidit cl. Theod. Ratisbonne, Paris. 1841. quae haud parum confert sive ad pietatem excitandam, sive ad ejusdem s. Patris scriptorum intelligentiam consequendam.

(2) Cf. quae praeclare hac de re scribit Petavius in *Proleg.* cap. II, § 2 seqq. ubi et ipse distinguit inter ea quae patres uti Traditionis testes scripserunt, et quae veluti doctores disseruerunt. Item Bolgeni in op. *Stato de' Bambini morti senza battesimo*. Macerata 1787. par. I. *Prelimin.* III, IV et V.

(3) Tales praecipue sunt quos divina providentia identidem excitavit adversus peculiares haereticos e. g. s. Athanasius adversus Arium, s. Cyrillus Alex. adversus Nestorium, s. Leo M. adversus Eutychen, s. Epiphanius adversus Aërium, s. Augustinus adversus Pelagium et ita porro.

(4) Quo sensu quinta synodus collat. III. seu ut placet Gennadio synodus VI. constituit: « In omnibus sequimur et sanctos ac doctores sanctos Dei ecclesiae . . . et omnia quae ab ipsis scripta sunt de recta fide, et ad haereticorum condemnationem admittimus ». Apud Gennad. p. 317. Item in synodo VII. hoc decretum editum est: « His qui rejiciunt sanctorum Patrum voces, quae ad confirmationem rectorum dogmatum ecclesiae Dei pronunciatae sunt, Athanasii, Cyrilli, Ambrosii . . . Augustini ac ceterorum; tum acta synodorum oecumenicarum, quartae, inquam, et sextae non amplectuntur; anath. sit ». Ibid. pag. 317. Graec. conc. Flor. Hinc Cyrillus Alex. in *Defens.* anathematismi VIII. affirmat Patres *luminaria fuisse, verbum vitae continen-*

placitis discedere (1). Sane haud paucae offenduntur in Patrum scriptis sive privatae opiniones, sive exegeticae Scripturarum expositiones, quae non omnibus probantur, immo etiam rejiciuntur. Patres quoque non semel inter se, salva charitate, conflictantur atque ab invicem dissentiunt (2). In his propterea ponderanda sunt rationum momenta, fundamenta inquirenda auctoritatum quas pro se adducunt, critica demum lance singula expendenda sunt (3).

453. Ad dignoscendum vero quandonam Patres censeri debeant veluti Traditionis, et ecclesiasticae doctrinae testes, nonnullae in promptu regulae seu principia habenda prae oculis sunt; ac 1. si id expresse affirment uti saepe ab ipsis fit; 2. si aliquod doctrinae caput tamquam certum et exploratum, et in ecclesia receptum exhibent; 3. si vix nova exorta sententia in illam statim exsurgant tamquam in errorem aut haeresim receptae in ecclesia doctrinae adversantem; 4. si illius auctorem exagitent veluti novatorem et haereticum: 5. si omnes aut plerique saltem ejusdem aetatis conspirent in proponendo aliquo articulo uti ecclesiae ac fidei doctrina, aut in dogmatica alicujus Scripturae textus expositione afferenda: quod et de moribus similiter, seu de doctrina morali debet intelligi (4).

454. Heic tamen sedulo animadver-

tes, et in epist. I. ad Successum de Incarnationis dogmate ac fide *doctos nos ait a divina Scriptura*, et *sanctis Patribus*, et in fine ejusdem epistolae « Sequentes, inquit, ubique orthodoxa sanctorum Patrum decreta, contra Nestorii dogmata librum conscripsimus ». Quocirca s. Martinus papa I. in Lateran. concilio dictum illud merito approbat Victoris Carthaginiensis, quo hortabatur « Nihil permittere dici noviter a quopiam, quod sanctorum Patrum traditio minime definivit ». Cf. Petav. loc. cit. Cf. etiam Natalem Argonensem op. cit. part. I, capp. IV seqq.

(1) Huc referuntur quae passim s. Augustinus prudenter inculcat, ut in epist. CXLVIII. ad Fortunatianum n. 15. ubi scribit: « Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte noverimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum »; lib. vero XI. contr. Faustum Manich. cap. V. cum de Scripturis sacris disseruisset quibus fides omnimoda adhibenda est, subdit: « In opusculis autem posterorum, quae libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimae canonicarum Scripturarum excellentiae adaequantur, etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen est impar auctoritas. Itaque in eis, si qua forte propterea dissonare putantur a vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditorve judicium quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit . . . si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur ». Demum, ceteris omissis, in epist. LXXXI. ad Hieronym. n. 3. commemorato eodem de Scripturis canonicis judicio, pergit: « Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt ».

(2) Illustre hujus rei exemplum habemus in ss. Hieronymo et Augustino, qui in nonnullis inter se disceptabant, salva charitate, ut patet ex utriusque Doctoris epistolis.

(3) Cf. Natal. Argonens. op. cit. *De opt. Legend. pp. Meth.* p. III. c. XI.

(4) Cf. Maran *Praef. in opp. s. Justini* part. II, cap. XIII, § IV, num. I seqq. et Melch. Canum, *De locis* lib. VII, cap. II seq.

tendum est, in scriptis quoque Patrum distinguere nos debere *objectum* fidei quod tamquam Traditionis testes propugnant a *motivo* seu etiam a modo quo illud adstruunt. In *objecto* enim fidei proponendo vere se testes produnt, in ratione autem qua illud defendunt aut vindicant, jam uti doctores sese gerunt; interdum debiliores probationes adducunt, quibus tamen infirmari veritas nequit ipsius *objecti* (1). Animadvertenda insuper diversa ratio est, qua Patres utuntur quando propriam sententiam adstruunt, ab ea qua fidei dogmata ex Traditione propugnant. Etenim cum propriam tuentur sententiam, sic disserunt ut nullam diverse sentientibus notam inurant, immo liberum ceteris relinquant proprium sectarii placitum, ut patet ex iis, qui contendebant iterum tingi debere ab haereticis baptizatum (2), ex iis, qui regnum millenarium adstruebant, aut inspirationem septuaginta interpretum, aliaque ejusmodi propugnabant (3); contra vero cum de fidei ageretur doctrina, nullum patiebantur aliter sentire, e. g. circa futuram corporum resurrectionem, divinitatem Verbi, vel Christi, inspirationem prophetarum etc.

455. Quae si prae oculis habeantur, facile erit os Patrum obtrectatoribus obstruere, dum vel eorum errores in critice, in physicis, in exegetica, in historia, in peculiaribus sententiis exaggerant (4); quamvis enim admittantur ejusmodi naevi in Patrum libris, non ideo extenuatur ipsorum auctoritas, quando juxta modo expositas regulas, veluti testes Traditionis atque communis fidei se praebent (5).

(1) Cf. Melch. Can. loc. cit. cap. II. et p. Kilber S. J. in op. *Principia theologica*, Wircenburgi 1771. Disput. III. *De principiis adjuvantibus* cap. I, art. I, et seq. ubi plura scitu digna adnotat circa sanctorum Patrum usum in re theologica.

(2) Cf. quae scripsimus in tract. *De sacr. in gen.* cap. III, n. 121.

(3) Cf. Maran loc. cit. n. 2. qui animadvertit Justinum ita regni terrestris commentum defendere, ut purae et integrae fidei testimonium adversariis tribuat, contra vero in *Dial. cum Tryphone* n. 80. christianos esse negat eos, qui resurrectionem non credunt; sic etiam quamvis idem s. Martyr septuaginta interpretum inspirationem tueatur, attamen longe diversa ratione id propugnat ab eo quo prophetarum asserit inspirationem. Judaeos enim in hoc tantum castigat n. 68. 71. 72. quod elaboratam apud Ptolemaeum interpretationem immutare et vituperare auderent; minime vero, quod divinitus inspiratam non crederent; et ita de aliis ejusmodi dicatur.

(4) Inepte prorsus ad Patrum auctoritatem minuendam ejusmodi errores ab haereticis objiciuntur ac novissime a Shuttleworth op. cit. pag. 46 seqq. cum nemo catholicorum sit qui regulas non assignet adhibendas in recto auctoritatis Patrum usu.

(5) Ex his quae hactenus circa Patrum auctoritatem constituimus refellitur quod ab Oxoniensibus refundi in catholicos solet, eos videlicet profiteri venerationem erga patrum auctoritatem in abstracto, sive theoretice, rejicere vero in praxi cum sibi adversantes experiuntur. Hanc accusationem inter ceteros promovent Palmer ac Newman: prior enim in cit. *Tract. de ecclesia* vol. II, par. III, cap. III, pag. 61. in not. hujus agendi rationis accusat Michaelem Medina, et Maldonatum; Newman vero incusat praeterea lect. II, pag. 62 seqq. Petavium perinde ac si confessores ac martyres antenicaenos una cum patribus heterodoxiae circa Trinitatem reos fecerit, item Bellarminum eo quod nonnullos patres circa purgatorium haud recte in omnibus sensisse affirmaverit. Dum talia obtrudunt Oxonienses quid intendunt? Si contendant catholicos patrum auctoritatem respuere prout testes illi sunt Traditionis, vehementer errant, cum hoc aperte

§ VII.

De Scholasticis theologis

456. Sanctos ecclesiae Patres in re de qua agimus Scholastici theologi exceperunt. Hi pariter dupliciter spectari debent, tum scilicet uti Traditionis testes et traduces, atque uti doctores, qui acceptam ab antiquitate doctrinam et propugnant et illustrant. Qui primum invexisse methodum scholasticam perhibentur, sunt s. Jo. Damascenus inter Graecos, et s. Anselmus Cantuariensis inter Latinos; eam deinde excoluerunt atque ad perfectionem adduxerunt potissimum Magister sententiarum, seu Petrus Lombardus, s. Thomas Aquinas ac s. Bonaventura, quos deinceps innumeri pene subsecuti sunt (1).

457. Nos sub priori adspectu hic scholasticos spectantes, eos magni faciendos existimamus praesertim ex eo quod ecclesiae doctrinam ad quaedam capita redegerint, ac formulis determinarint. Evidens porro est, quod cum ipsi ejusmodi doctrinae capita collegerint ac formulis determinarint secuti sint receptam in ecclesia doctrinam et Traditionem, non autem ex arbitrio ita se gesserint. Quando propterea docuerunt e. g. *septem* esse ecclesiae sacramenta, *tria* ex his imprimere characterem, Christi corpus esse *realiter* ac *substantialiter* praesens in eucharistia, quando *transubstantiationem* vocarunt modum quo Christus in eucharistia praesens fit, aliaque id genus multa miro plane consensu tradiderunt, dubium esse non potest, quin ea a majoribus acceperint; cumque suffragium ipsius tulerint ecclesiae, patet ineluctabilem esse hac in parte illorum auctoritatem. Quare inique prorsus se gerunt protestantes, qui cum has formulas hancque determinationem in sanctis antiquioribus haud reperiant, commenta scholastica inclamant. Hi non satis inter enunciatam veritatem distinguunt et enunciationis formam; haec siquidem scholasticis tribuenda est, veritas autem antiquitati et Traditioni.

458. Quod si scholasticos consideremus quatenus doctores sunt debemus ipsis a fortiori aptare, quod de patrum auctoritate disserentes diximus. Debemus videlicet in primis secernere objectum a motivo seu a rationum et argumentorum momentis quibus illud adstruunt ac propugnant; debemus praeterea dispescere quae proponunt ut fidei et ecclesiae doctrinam a singulorum aut

adversetur ipsorum doctrinae; si autem velint catholicos haud caeca ratione patrum auctoritatem sectari in iis quae fidem non attingunt, sed eos exigere ad quasdam normas, fatentur hoc ipso eos delectum quendam habere in eorum sententiis amplectendis. Ceterum, quidquid sit de Medina quem nostrates etiam temeritatis incusant dum aëriani erroris tot patres insimulat absque ullo vel levi fundamento, certe Newman ostendit se numquam legisse praefationem in sex capita distinctam quam libris de Trinitate praefixit Petavius. Sed hoc de argumento cf. Zachariam in Petavii apologia.

Praeter auctores citatos cf. circa patrum auctoritatem eorumque usum Thomassinum in tractatu I. *De theologiae prolegomenis*, qui prostat in *Dogmatum theologicorum* tom. III. Paris. 1689. item *Prodromum ad theologiam dogmatico-scholasticam* P. Gautier S. J. in *Thesauro* Zachariae tom. I, cap. II, art. VI. De Moissy, *La methode dont les Pères se sont servis en traitant des mystères*. Paris 1683. Quod postremum opus a Bossueto commendatum fuit.

(1) Cf. Kilber op. cit. *Disput.* III, cap. II, art. I. *De theologiae notione et historia*.

plurium etiam placitis et sententiis quas sequuntur; rimari fundamenta quibus innituntur, quo sensu vere scripsit Canus: « plurium auctoritas obruere theologum non debet: sed si paucos viros modo graves secum habeat, poterit sane adversus plurimos stare. Non enim numero haec judicantur, sed pondere (1) ». Sane cernimus interdum peculiarem opinionem aut communem, aut fere communem ad longum temporis tractum viguisse, quae postea veluti improbabilis, aut etiam falsa, rejecta ac eliminata est (2). Adjiciendum insuper est nos debere vitia plurium aut paucorum scholasticorum propria a methodo ipsa scholastica secernere. Haec bona est ac plurimum inservit ad haereticorum sophismata detegenda, ad statum quaestionis apprime determinandum, ad claritatem consectandam aliosque ad usus. Vitia autem quae irrepserunt ex illius abusu, quaeque Canus (3) acerrime insectatur, declinari debent, neque crimini verti methodo ipsi (4).

459. Ad haec: duplex scopulus vitandus est, et eorum nempe qui adeo scholasticam methodum extollunt, ut

(1) Lib. VIII, cap. IV, n. I.

(2) Exemplo sit sententia de materia essentiali sacramenti ordinis consistente in traditione instrumentorum, quae nunc vix obsoleta non est, apud Scholasticos tamen communis erat; idem non paucis aliis opinionibus contigit, quas longum esset singillatim enumerare.

(3) Lib. VIII, cap. I. ubi inter cetera scribit: « Intelligo autem fuisse in schola quosdam theologos adscriptitios, qui universas quaestiones theologicas frivolis argumentis absolverunt, et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderunt in theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidem, sed fere e puerilibus disciplinis scholastici tument, si superis placet, theologi vocantur: nec scholastici sunt, nedum theologi, qui sophismatum phrases in scholam inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum . . . Intelligo etiam in schola fuisse nonnullos quasi ad discordiam natos, qui tum optime disseruisse se putant, cum contra doctores dixerint, ut non tam verum invenisse velle videantur, quam adversarios convincere, concertationibusque et rixis totas chartas implere. Atque inter hos sunt in ecclesia multi, qui tamquam milites auctorati vel tuentur, vel impugnant, et tota eorum de re theologica disputatio partium studium est, contentio atque dissidium ».

(4) Cf. ibid. Canum, qui ita prosequitur: « Fuere autem sine dubio in schola multi, qui his vitiis declinatis, rem theologicam graviter sane ac modeste tractarunt . . . Propter paucorum vitia non est omnium corona traducenda; quod etsi plerique theologi, in his vitiis essent, iniqua esset adhuc ista calumnia. Quemadmodum enim nemo justus et prudens universos adolescentes accusat, quamvis plurimum sint libidinosi, quoniam libido non est omnium adolescentum, sed non proborum; sic quoniam ista scholastica pertinacia theologorum levium est, non omnium, inique profecto, ut modo dicebam, schola traducitur propter ea vitia, quae non sunt scholae, sed inertis, vanae, contentiosae scholae ».

Quae cum ita se habeant, juremerito a Pio VI. in *Constit.* AUCTOREM FIDEI Pistoriensis synodi prop. LXXVI. « Insectatio, qua synodus Scholasticam exagitat velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis*, *et inter se discordantibus systematibus*, *quoad veritates majoris pretii*, *ac demum adduxit ad probabilismum*, *et laxismum*; Quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt; declaratur et damnatur uti, *Falsa*, *temeraria*, *in sanctissimos viros*, *et Doctores*, *qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere*, *injuriosa*, *favens in eam haereticorum conviciis* ».

nisi videant agitari quaestiones, quae ab antiquioribus scholasticis disceptabantur, vocesque adhiberi quae penes illos in usu fuerunt, vix non despiciant ejusmodi lucubrationes tamquam jejunas, aridas ac theologo indignas. Immo nonnulli adeo progressi sunt, ut nisi iterum revocetur peripatetica philosophia cum formis aristotelicis clament vix actum non esse de ecclesiae fidei defensione. Hi profecto peccant excessu; sed et eorum cavendus est scopulus, qui nimium scholasticos eorumque methodum deprimunt, et extenuant (1). Scholastici passim parvipenduntur ab hominibus in politiori litteratura sane excultis, sed doctrinarum copia, atque profunditate longe inferioribus. Ajebat Leibnitius, res summi pretii delitescere sub rudiori scholasticorum cortice. Sane ab istis magna ex parte opus suum *De jure belli et pacis* Grotius delibavit. Barbeyracus plures confutavit errores Puffendorfii doctrinis scholasticorum (2).

§ VIII.

De Haereticis

460. Mirabitur fortasse quispiam nos inter Traditionis dogmaticae testes advocare haereticos ipsos ecclesiae doctrinae ac Traditionis acerrimos hostes; verum si is penitius rem introspiciat, nostram agendi rationem mirari desinet. Etenim haeretici vel inviti duplex semper nobis praebent luculentissimum verae fidei ac dogmaticae Traditionis testimonium, tum nempe in eo quod retinent cum sese ab ecclesia separant, tum in eo quod impugnant.

461. Ac primo quidem testes haeretici sunt ecclesiae fidei locupletissimi ac Traditionis in eo quod retinent, seu in laciniis antiquae fidei quas secum deferunt cum ab ecclesia abscedunt aut ob suam pertinaciam ab ea expelluntur. Etenim haeretici ante proprias innovationes in ecclesia catholica instituti sunt ac enutriti, cum vero nonnisi in quibusdam peculiaribus articulis quos aut negant aut invehunt a veritatis semita aberrent, his demptis, reliqua profiteri pergunt cum ecclesia catholica. Quapropter in articulis omnibus quos communes cum ecclesia habent, testes sunt avitae illius fidei quae in ecclesia obtinebat quando ipsi ab ea digressi sunt, aut ab ea fuerunt expulsi. Hinc quo antiquiores haeretici sunt, eo illustrius

(1) Inter hos non infimum tenet locum Petrus Tamburinus jansenistarum in Italia sub finem elapsi seculi et hujus initium coryphaeus, in op. *De fontibus sacrae theologiae*, Ticini 1790. vol. III, diss. IV. Sed Cf. contra eundem op. inscriptum, *La cattiva logica del giansenista D. Pietro Tamburini*. Torino 1795.

(2) Cf. Gerdil, *Saggio d' instruzione teologica* art. *Degli scolastici*. Opp. ed. Rom. tom. x, p. 267. nec non Muzzarelli, *Il buon uso della logica*. Opusc. IV. *Teologia* edit. Rom. tom. I. Item D. Boyer in op. *Défense de la méthode d' enseignement suivie dans les écoles catholiques*. Paris, 1836.

In scholasticis distinguenda sunt quae pendent ab ingenii ac ratiocinationis acumine ab iis, quae a positivis pendent documentis; in iis quae ad prima spectant nemo fortasse eos superavit, in aliis vero passim labuntur librorum potissimum ac documentorum inopia qua aetas in qua illi floruerunt, laborabat.

Cf. etiam Gener in Prodromo I. Theologiae scholastico-dogmaticae capp. I, II, III, et IV. ubi copiose historiam tradit scholasticae theologiae una cum ejus vindiciis, quibus addidit academiarum censum in quibus scholastica exculta fuit a sec. eccles. XII. usque ad an. 1767. et elenchum Scholasticorum qui singulis seculis floruerunt, eosque supra sexcentos enumerat.

testimonium perhibent veritatum quas ecclesia professa est. Quod ut exemplis illustremus, docetae nobis ex. g. divinitatis Christi professae ab ecclesia aetate sua tribuunt certissimum argumentum, dum Deo indignum esse asseruerunt cum natura humana vere copulari; ebionitae ac cerinthiani nobis pariter testes sunt, quod ecclesia in veram crediderit Christi humanitatem eo quod ipsi verum imo purum hominem Christum fuisse praedicaverint; gnostici testes sunt creditae per peccatum originale vitiatae naturae; ariani distinctionis personarum in Deo, eutychiani unitatis personae; nestoriani distinctionis naturarum in Christo, et ita porro. Cum retinuerint praeterea superstites antiquae sectae tum ecclesiasticam hierarchiam, tum sacrificii oblationem, tum sacramenta omnia, ex illis merito concludimus ecclesiam catholicam jam a quarto et quinto seculo eosdem retinuisse articulos quos posteriores haeretici veluti papismi innovationes recens inductas traduxerunt, sicque haereticos per haereticos refellimus atque confundimus (1).

462. Verum non minus luculentum antiquae ecclesiae catholicae fidei et avitae Traditionis documentum suppeditant haeretici in ea doctrinae parte quam ipsi adorti sunt. Quandoquidem nisi illa doctrina in ecclesia uniuscujusque peculiaris sectae aetate invaluisset, eam numquam impugnassent haeretici, neque uti novatores ab ecclesia damnati fuissent et rejecti. Quis enim inficias ibit ecclesiam tres in Deo professam esse distinctas personas quum sabelliani unicam personam in Deo trinominem excogitarunt? aut in Verbi divinitatem credidisse cum ariani idem Verbum divinum creatum effutierunt? aut non professam esse hypostaticam duarum in Christo naturarum conjunctionem ac proinde veram divini Verbi incarnationem, cum nestoriani moralem unionem invenerunt, et ita deinceps? Quapropter nobis satis est enumerare singularum sectarum antiquiorum errores, eosque aevi nostri unitariis, socinianis, rationalistis opponere ut pateat quaenam antiqua fuerit ecclesiae catholicae fides et doctrina circa articulos in quibus isti a fide nostra turpiter dissident (2).

463. Addimus insuper ex ipsa ratione qua antiqui haeretici impugnarunt veritatem aliquam catholicam, et ex difficultatibus quas sibi solvendas proposuerunt, deprehendi veram ecclesiae doctrinam, ac dogmaticam Scripturarum interpretationem sensumque traditionalem, qui et olim pariter uti et nunc in ecclesia viguit et viget. Ut unico insistamus exemplo, cum Tertullianus jam montanista effectus impugnavit indulgen-

(1) Hoc argumento egregie usi sunt D. Maran, et Renaudotius; ille in op. saepe cit. *Divinitas Domini Nostri Jesu Christi*, praesertim lib. III, cap. V, VI, et VII. iste vero in op. pariter cit. *La pérpétuité de la foi* tom. V. Profecto si omnia quae haereticae sectae singulatim sumptae profitentur seu professae sunt cum ecclesia catholica colligamus, plenam fidei catholicae doctrinam habebimus. Praeclarum, si quis unquam, catholicae veritatis triumphum!

(2) Isti enim haeretici omnes, perinde atque recentiores lutherani, calvinistae, ac generatim protestantes omnes defaecare ecclesiam contenderunt ab impura commixtione, atque ab abusibus qui ecclesiam infecerant, atque ad pristinum nitorem ac simplicitatem revocare, non exclusis, ut diximus, apostolis ipsis. Audaces homines qui opus Dei reformare non formidarunt. Verum ipsis fortiter semper ecclesia firma veritatis columna restitit, atque depositum fidei ab istorum dilapidatione servavit incolume, et haereticorum omnium conatus in nihilum redegit.

tias quae ad martyrum preces ab episcopis dabantur, atque urgebat valorem satisfactionis unius Christi ad excludendas satisfactiones martyrum, nonne illustre suppeditat testimonium de sensu ac doctrina ecclesiae catholicae, quae tertio ecclesiae seculo circa hos articulos obtinebat (1)?

464. Igitur vel obluctantes ac inviti haeretici omnes utroque modo ecclesiae catholicae causae patrocinantur, ejusque antiquae doctrinae ac dogmaticae Traditionis tabulas exhibent eo minus suspectas quod ab acerrimis ejus hostibus ac adversariis proferantur. Sunt nempe haeretici respectu ecclesiae catholicae, quod sunt Judaei respectu christianismi, quorum nempe libri nobis subsidio sunt ad ethnicos et incredulos confundendos; sic et illi nobis ad novos refellendos haereticos mirifice inserviunt (2).

§ IX.

De Historia Ecclesiastica

465. Historiam quae referat ecclesiae gesta plurimum conferre ad cognoscendam ejusdem fidem ac traditionem nemo is sapiat in dubium revocabit. Haec potissima ratio est cur Canus etiamsi illam prius inter loca theologica recensuerit, quae *adscriptitia* vocat, ac veluti ex alieno emendicata (3), postea tamen vix eam inter interna ac theologorum propria non enumeret (4). Profecto theologis magno adjumento esse ecclesiasticam historiam res ipsa per se profitetur. Ea enim est, quae continenti gestorum serie ob oculos ponit ecclesiae originem atque per totum terrarum orbem propagationem, successiones episcoporum, praesertim vero Romanorum Pontificum; ortum item et causas, incrementa, decrementa, extinctionem denique plerarumque haereseon; sanctorum praeclara facinora, auctorum scripta qui quovis seculo floruerunt sive ad impugnandam, sive ad propugnandam rem christianam; opiniones et placita quae per secula singula viguerunt; potissime autem varias ecclesiae vices, fidei firmitatem, ecclesiae mentem et christianum sensum (5).

466. Cum vero non omnes historici

(1) Cf. quae scripsimus in Tract. *De indulgentiis;* sane nihil aliud Calvinus ad impugnandas indulgentias protulit, quam quod Tertullianus adversus catholicos urgebat. Idipsum dicatur de argumentis quae sibi objicit idem Tertullianus, quibusque utebantur catholici ad ostendenda remissibilia omnia peccata esse; ex his enim intelligimus quaenam fuerit nonnullorum Scripturae textuum dogmatica ecclesiae interpretatio sec. III. Quod et de ceteris ecclesiasticae doctrinae impugnatoribus dici debet.

(2) Quod de haereticis diximus applicari etiam potest pseudepigraphis, cujusmodi sunt *Constitutiones Clementinae, constitutiones apostolicae, canones apostolici, libri Sibyllini;* aliaque ejusmodi opera, quae quamvis subdititia sint ac spuria, plurimum tamen valent ad fidem cognoscendam ecclesiae quae viguit illa aetate qua conscripta sunt, ac disciplinam quae tunc temporis obtinebat, praesertim cum pleraque eorum quae recensuimus spectent ad II, III, aut IV. sec. Numquam enim illorum auctores sperare potuissent se fucum facturos nisi quae vulgo tenebantur, his libris interseruissent. Theologus proinde iis uti ad rem suam poterit.

(3) Lib. I, cap. III.

(4) Lib. XI.

(5) Historia ecclesiastica Natalis Alexandri theologis prae ceteris utilis est, omnes enim enumeratas partes copiose exhibet; etenim non modo historiae synopsim per secula singula continet, quae satis sit ad rerum ecclesiasticarum

sint aeque graves ac veritatis sectatores; sed alii destinata malitia aut oscitantia, alii anticipatis judiciis praepediti aliisque de causis quas longum nimis esset singillatim persequi velle, non ea qua par est animi ingenuitate facta referant; sed prout diversimode affecti sunt causas nectant effectibus aut improbabiles aut falsas, et ab eventu de intentione judicium ferant, non se ad aetates quae praecesserunt, sed aetates illas ad se transferentes, ut deinde sententiam ex ideis, quae nunc obtinent, pronuncient; inde fit, ut iis qui animum ad historiae investigationem adjiciunt magna sagacitate, et arte critica opus sit.

467. Heic nostrum non est artis criticae praecepta dare quae penes probatos auctores inveniri facile poterunt(1); nonnulla tamen vel obiter monita subjicere non abs re erit. Critica ars genuina recte usurpata haud levia adjumenta affert; hac enim freti viri docti permulta e tenebris eruerunt, alia ad tenebras e quibus eruperant, relegarunt; plura facta, quae in dubium revocabantur plene illustrata sunt ac in tuto posita, contra vero inter fabulas amandata non pauca sunt, quae passim uti certa habebantur; discreverunt opera notha a genuinis, sincera ab interpolatis, aliaque ejusmodi praestiterunt quibus historia pluribus vitiata commentis ad suum lumen decusque est revocata. Verum et hic cautela adhibenda est; si enim ars critica prudens ac moderata sit, atque intra justos se contineat cancellos valde prodest; si immoderata fuerit, effrenis, ac in temerariam licentiam erumpat, noxia fit ac periculi plena. Quo vitio potissimum protestantes laborarunt (2). Imo nec pauci catholici seculo praesertim superiore ejusdem vitii incusantur(3).

468. Modus itaque servari debet in

cognitionem sibi comparandam, sed praeterea eruditissimis dissertationibus referta est criticis et polemicis quae iisdem usui esse possunt, et ex quibus rerum segetem uberrimam quisque haurire potest; dummodo tamen legatur cum animadversionibus Roncaglia, et adnotationibus Mansi. Idem dicendum de Historia Fleury, quae critica Marchetti castigata est. Omnibus semper et rerum copia et documentorum praeferendi sunt Annales Ven. Caesaris Baronii cum critica Antonii Pagii, ejusque continuatoris Oderici Raynaldi cum adnotationibus Mansi. Siquidem fieri posset, adeundi essent auctores ipsi antiqui, et ex ipsis fontibus aqua derivanda ob non pauca emolumenta quae ex ejusmodi lectione proveniunt.

(1) Plurimum ad hoc conferent prolegomena editorum Maurinorum ad opera ss. Patrum, item Petavii, Vallarsii, aliorumque ejusmodi eruditorum scriptorum; necnon Bollandianorum', in primis vero docti P. Danielis Papebrochii, qui ingentem arti criticae utilitatem attulit; item auctores Ephemeridum Trevulsiensium, Tillemontius aliique complures. Optime meritus est de re critica P. Honoratus a s. Maria in op. tribus voluminibus in 4. comprehenso cui tit. *Reflexions sur les règles et sur l' usage de la critique*. Paris 1713. Quod opus in latinum conversum prodiit Venet. 1788.

(2) De quibus ita scribit Fleury in *praefat. ad Hist. Eccles.* « Sur ce fondement ils ont donné dans l' extrémité opposée; ils ont outré la critique, jusqu' à ne laisser rien de certain; et la mauvaise émulation de paraître savant a entraîné quelques catholiques dans cet excès ». Sane Dallaeus eo progressus est ut tamquam spurias rejecerit epistolas s. Ignatii M. Le-Clerc in sua arte critica, et ipse fines transgressus est, aliique passim.

(3) Inter quos recensetur Erasmus qui nimia facilitate conjecturis indulsit sive ad abjudicanda non pauca opera a ss. Patribus quae postea maturiore examine illis restituta sunt, sive emendandis aut substituendis verbis quae ipsi non arridebant; item Richardus Simonius, Du-pinius, Mainbourg, Baillet, praecipue vero Launojus, aliique non pauci.

ejusmodi critice, ac 1. ne in illa se ingerat quae ad eam non pertinent, cujusmodi sunt quae spectant ad fidem, aut cum ea quoquomodo sunt connexa, et ab ecclesiae judicio dependentia (1), 2. ut sit prudens in iis expendendis ac dijudicandis quae eidem subsunt, nihil temere statuat praecipue contra communem antiquitatis sensum, et absque gravi momento, adeo ut neque levissimis conjecturis, neque puerilibus rationibus, aut ex argumento mere negativo ex eo deprompto, quod forte res aliter se habuerit, aut habere potuerit, ea in dubium revocentur, aut etiam negentur quae aliunde fidem obtinuerunt apud viros graves et prudentes, et communi calculo probata sunt (2); 3. debet esse modesta ac sobria, ita ut non refragetur communi patrum sensui, ecclesiae judicio, conciliorum aut Romanorum Pontificum decisionibus. Non enim defuerunt qui inanis cujusdam artis criti-ces obtentu, omnia pene religionis fundamenta subruere adnisi sint (3).

469. Tres canones profert statuitque Canus, quibus historiae auctoritatem complexus est, quatenus ea theologus uti in rem suam potest. Sunt autem. I. Praeter auctores sacros nullus historicus certus esse potest, id est, idoneus ad faciendam certam in theologia fidem (4). II. Historici graves, quales nonnulli sine dubio et in ecclesiasticis et in secularibus fuere, probabile argumentum theologo suppeditant, cum ad ea, quae sua sunt, corroboranda tum ad falsas adversariorum opiniones refellendas. III. Si omnes probati ac graves historici in eamdem rem gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum argumentum promitur, ut theologiae dogmata, firma etiam ratione constituantur (5). Ad secernendos autem veros a falsis historicis valde conferunt notae quas in unum congessit card. Baronius

(1) Huc refertur Mabillonii effatum, non esse breviorem viam ad perdendam fidem, quam ipsam fidem velle ad crisin revocare. Cf. ejus praeclarum opus cui tit. *Tractatus de studiis monasticis* ex gall. ling. in latinam versum, a P. D. Josepho Porta. Venet. 1745.

(2) Cf. quae scite adversus Launojum dissertat. *De auctoritate negantis argumenti* scribit P. Honoratus a s. Maria in op. cit. *Animadversiones in regulas et usum critices* tom. I. dissert. III, art. II. Tota Launojani aedificii moles quanta est, inquit perbelle Thiersius, in *Defens. adversus Launoji appendic. ad dissert. de auctoritate negantis argumenti*, neganti argumento, quo praesertim in sequentibus libris usus est Launojus, tamquam cardinibus volvitur ac revolvitur. Cf. *Prodromum Jo. Launoji operum* edit. Coloniae Allobrogum 1731. tom. I, pag. XIX.

(3) Jos. Gautier in cit. *Prodromo ad Theologiam*, diss. III, cap. III, et art. II. *De adminiculis historiae et artis criticae in theologia* ubi breviter inveniuntur collecta ex probatioribus auctoribus, quae ad praesens argumentum referuntur. Si quis vero uberiorem cognitionem exoptat, adeat auctores citt. praecipue vero Honoratum a s. Maria, qui copiosissime ac solide rem hanc pertractat.

(4) Lib. XI, cap. IV, conclus. I. Nonnulli tamen adnotarunt rei alicujus vel ab unico etiam historico relatae posse constare certitudinem, si ratio habeatur tum ad rei naturam quae narratur, quae e. g. sit publica, referatur ab auctore coaevo, et ex qua graves pendeant effectus sive consecutiones, tum ad circumstantias, quae tales sint, ut non potuerint confingi, et a nemine fuerint falsitatis reprehensae, tum ad gravitatem et sinceritatem auctoris. Sane nos non semel auctoritati unius auctoris acquiescimus, quando in eam talia adjuncta concurrant, quae omnem dubitandi suspicionem eliminent.

(5) Ibid. concl. II, et III.

scribens : « Non parum certe interest, in veritate historica disquirenda, auctorum, qui res gestas scripserunt, quo vixerint tempore, cujusve fuerint eruditionis atque existimationis, habere rationem; potissimumque, si hujusmodi scriptores rerum perspectarum, ac eorum aetate editarum, pietatem et virtutem cum doctrina et veritate conjunxerint; ut plane digni sint, quibus fides integra abhibeatur; soli sint, quibus ceteri assentiantur; soli denique sint, quibus reliqui quae sciverint, vel scripserint, tamquam ab iis accepta referant (1) ». Demum quisque ad historiarum studium se confert, ille meminerit utrumque deesse historiae oculum, ut ait Huetius, si illi chronologia desit et geographia.

CAPUT III.

De mediis singularibus quibus antiqua Traditio transmissa est atque cognoscitur

470. Hactenus media generalia expendimus per quae antiqua dogmatica Traditio ad nos pervenit quibusque internoscitur; his jam adjicere lubet media singularia seu particularia quibus magis ac magis deprehenditur catholicae fidei veritas quae ope documentorum propagata est. Praecipua autem sunt epigraphia, numismatica, picturae, sculpturae, sepulcreta, vulgo *catacumbae*, sacrae aedes, qua omnia negligi nullatenus a theologo possunt. Cum enim ejusmodi documenta ad primordia ipsa christianae religionis assurgant, vim praeseferunt ad persuadendum maximam, ita ut non pauci qui aut sanctorum patrum scriptis aut conciliorum decretis, aliisque id genus argumentis permoveri non potuerunt, victi demum antiquissimis his monumentis veritatem agnoverint, et ejuratis, quibus imbuti erant, erroribus, se ad ecclesiae catholicae sinu recepe-rint (2). Vix enim aliquod fidei catholicae dogma est ex iis quae protestantes veluti novitia inventa, et romanas praestigias, faedamque *papismi* corruptionem traduxerant, quod non firmetur his monumentis antiquitatis. Nobis hic propositum haud est de singulis modo recensitis monumentorum classibus ex professo pertractare, cum praestitutus nobis finis id non ferat, satis proinde erit ad scopum nostrum nonnulla saltem delibare, quae usui theologo et adjumento esse queant, ut hic ex Traditione hisce mediis cognita, felicius dimicare valeat adversus fidei catholicae oso-

(1) Ad an. Christi 34. n. CLXXIII. edit. Lucens. 1738. tom. 1, p. 176.

(2) Sic enim scribit Aringhius de opere celeberrimo Antonii Bosii ejusque continuatoris Severani cui titulus : *Roma subterranea* « Riportò poi tanto l'autore primiero, quanto esso straordinario applauso, massimamente appresso i paesi oltramontani, i quali tirati dalla curiosità, facendo a gara nel leggerla, per discoprirsi in essa i riti della chiesa nascente, il culto delle sacre immagini, e l'antica venerazione delle reliquie de' santi, alcuni eretici in leggendo convertironsi alla santa fede, ed abjurando l'eresia tornarono al grembo della chiesa ». Cf. Bottarium in praefat. op. *Sculture e pitture sacre estratte dai cimiterj di Roma*. Roma 1737. pag. v. Mabillonius quoque refert in suo *Itinere Ital.* pag. 134. edit. Paris., Batavum quendam, nomine Albertum, domi suae non ignobilem, qui Romam accesserat, ut suis ipse oculis subterraneos veterum christianorum receptus, ibique condita monumenta lustraret, adeo sectae, cui adhaeserat, poenituisse, ut severiorum Franciscalium se veste induerit, dumque Mabillonius scribebat, exasperrimis illorum legibus viveret.

res et hostes; quod ut facilius obtineat, prolatis opportunis exemplis, rem totam illustrabimus, ad probatos auctores quoad reliqua remittentes auditores nostros, ut cum opus fuerit, uberiorem sibi cognitionem comparare possint.

§ I.

De Epigraphia

471. Magni faciendam esse veterum inscriptionum christianarum auctoritatem ex eo facile colligitur, quod antiqui fideles summo cum animi candore lapidibus ad perennem memoriam consueverint fidem suam exhibere. Luculentissima proinde Traditionis ac fidei tunc temporis receptae, cum ejusmodi inscriptiones prodierunt, testimonia sunt, et eo pretiosiora, quod pauca omnino ex primis ecclesiae seculis patrum scripta ad nos usque pervenerint (1). Quare ejusmodi inscriptiones tamquam supplementum spectari debent librorum inopiae, quos vel vulgare patres tot pressi ethnicorum insectationibus non potuerunt, aut tempus edax nobis eripuit. Quod autem de inscriptionibus diximus earumque auctoritate et usu in rebus theologicis, ne saepius eadem iterare debeamus de monumentis reliquis intelligi debet. Nam quod de priscis Romanorum monumentis ajebat Tullius, et nos usurpare possumus: « Exempla ex vetere memoria et monumentis ac litteris, plena dignitatis plena antiquitatis. Haec plurimum solent et auctoritatis habere ad probandum, et jucunditatis ad audiendum (2) ».

472. Atque ut exemplis rem nostram illustremus, ex inscriptionibus, omissis quae ad Dei unitatem ac personarum Trinitatem, divinitatemque Christi confirmandam spectant (3), ut insistamus in maxime controversis articulis; in primis quoad infantium baptismum, innumeri pene suppetunt lapides in quibus perhibentur infantes recens tincti *fideles* ac *neophyti* nuncupati. Sic apud Victorium novem mensium puella, *Tecla fidelis* appellatur (4); item Victor dierum LXXX apud Boldettum *Neophytus* dicitur (5); nec non Apronianus qui *annum agebat, menses novem, dies quinque* cum *fidelis de seculo recessit* (6); item Achilliam *Neophytam unius anni mensium V.* exhibet Muratorius (7); ut alia silentio praetereamus (8). De Sacramento confirmationis a baptismo distincto

(1) Reipsa patrum latinorum scripta ex primo seculo nulla habemus, ex sec. II. unus superest Tertullianus, qui jam attingit secul. III. ex III. sec. praeter Cyprianum unus alterve floruit, quem allegare possimus; paucos etiam edidit sec. medium IV. Plerique vero eorum qui sub sec. IV. finem, aut sec. V. scripsere exteri sunt, christianae vero inscriptiones italicarum ecclesiarum, ac Romanae cum primis traditionem exponunt. Cf. Zachariam dissert. *De veterum christianarum Inscriptionum in rebus theologicis usu* cap. II.

(2) In Verrem act. II, lib. III, cap. 90. edit. Taurin. 1826. opp. tom. V.

(3) Has magno numero collectas atque in sua propria argumenta distributas reperies apud Gener S. J. in *Theologia dogmatico-scholastica*, Romae 1768. tom. II.

(4) *In dissert. philologica*, Romae 1751. pag. 48.

(5) *Osservazioni sacre sopra i cimiterii* pag. 807.

(6) Ibid. pag. 462.

(7) *In novo Thesauro veterum inscriptionum*, Mediol. 1742. class. XXV. pag. MDCCCXIX.

(8) Ex his aliisque monumentis quae ad primaevam ecclesiam spectant colligimus quid sentiendum sit de Shuttleworthii assertione, probari non posse baptisma parvulorum ex traditione, eo quod primis duobus seculis ab ecclesia baptismus collatus non fuerit *infanti-*

inter cetera occurrit inscriptio de *Picentia legitima Neophyta* (jamdiu baptizata), *die V. Kal. Sept.* CONSIGNATA *a Liberio P. F.* apud Gruterum (1). Nec minus illustria sunt quae occurrunt in veterum christianorum inscriptionibus de reali Christi praesentia in eucharistia, ut fidem facit graeca inscriptio Augustoduni nuper reperta (2); ita pariter de invocatione sanctorum eorumque cultu. Etenim praeterquam quod eos passim in epigraphis vocant *domnos* et *dominos* (3), ubique venerationis ac reverentiae causa, vota etiam ipsis persolvisse exhibentur christiani: sic *Camasius* et *Victorina* PAPRO et MAUROLEONI *sanctis martyribus* vota solvisse dicuntur (4); votum pariter s. Petro solvisse Agathum quendam docet Gruteriana inscriptio (5); quemadmodum et tabula marmorea a Fabrettio prolata exhibet votum oblatum Paulo (6). Sanctos etiam pie a fidelibus fuisse invocatos testatur inscriptio apud Maffejum: PETE PRO PARENTES TUOS (7), et altera apud Bonarotium: PETE ET ROGA PRO FRATRES ET SODALES TUOS (8), ubi observat cl. Guadagnius, quod etsi recta latinae locutionis structura his titulis desideratur, non minus est illarum pro nostro dogmate expressa sententia (9). Plura jam attulimus suo loco, quae patefaciunt pri-

bus. Certe ex hoc ipso ostendit hic auctor se parum versatum esse in studio antiquitatis christianae.

(1) Cf. Zachariam dissert. cit. cap. XII.

(2) Celebrem hanc inscriptionem quae reperta est an. 1839. qua evidenter realis Christi praesentiae fides penes christianos III, aut IV. ecclesiae seculo adstruitur, omnium primus suae integritati restituit ac illustravit Cl. collega meus Jo. Petrus Secchi in hac Universitate Gregoriana philologiae graecae professor in Dissert. quam legit in Academia Archaeologica die 11. Jun. 1840. typisque eodem an. vulgavit. Attamen protestans Franzius cum eam dissertationem ac illustrationem postulasset, et dono accepisset a cl. Auctore, in Germania deinceps post menses sex tacito nomine expilavit, ac sibi plausit tamquam primo inscriptionis illustratori, licet illam haereseos luteranae figmentis contaminaverit potius quam illustraverit; fatetur quidem non aliter explicari posse quam de reali praesentia, sed *impanationem* et *invinationem* lutheranam miserabiliter obtrudit, quamvis μετουσίωσις ex inscriptione quoque apertissime comprobetur. De hoc litterario negotio ex ipsa Germania insignis vir, qui dissertationem primam jamdiu acceperat a cl. Auctore, datis ad eum litteris 10. Febr. 1842. ita scribit: « Bibractensis tua inscriptio *nunc* per omnes Germaniae doctas ephemerides discurrit, sed non tuo nomine, ita sunt φίλαυτοι *haeretici*, verum Franzii et aliorum ». Quis non miretur post ea quae diximus, ignorari in Germania, quod tamen non ignorabatur in Anglia jam inde a Januario anni 1841. ut patet ex *The catholic Magazine* p. XLVIII. January 1841. London?

(3) Plura exempla profert Victorius in dissert. cit. pag. 28 seq.

(4) Eam protulit Zacharias in sua *Storia letteraria d' Italia*, vol. II. pag. 533. Venezia 1751.

(5) Apud Zachariam dissert. cit. cap. ult.

(6) *Inscriptionum antiquarum quae in aedibus paternis asservantur explicatio et additamentum*. Romae 1699. pag. 758. n. 639.

(7) In *Musaeo Veronensi*. Veron. 1749. pag. CCLXIV, n. 13.

(8) *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure trovati ne' cimiteri di Roma*. Firenze 1716. pag. 168.

(9) *Opuscoli postumi italiani e latini dell' avvoc. Franc. Guadagni Romano*. Roma 1838. *Orat. III. De dignitate et utilitate monumentor. christian.*, pag. 100. Hoc etiam spectat inscriptio quam non ita pridem in coemeterio viae Nomentanae ad s.

scam christianorum fidem circa lustricum carcerem, ac suffragium quod animabus in illo detentis affertur ex fidelium precibus (1); nunc addere juverit inscriptionem in Callixti seu Praetextati sepulchreto repertam in qua tituli conditor optat ac precatur defuncto, ut *illius Deus recordetur* (2). Hoc idem conficit Brixianum diptycum his verbis inscriptum: *Memento Domine omnium defunctorum Pontificum* etc. (3). Et haec speciminis gratia delibasse sufficiat, ut pateat quale emolumentum pro re catholica ex inscriptionibus derivare theologus possit.

473. Ut tamen utilior evadat ac fructuosior inscriptionum usus prae oculis regulae habendae sunt quas doctissimus Zacharias subjicit; ac 1. Lapidum, quorum testimonium adhibetur, aetas constare debet; 2. Antequam inscriptiones antiquae ad theologicam tractationem deducantur, legendae quam accuratissime sunt; 3. Curandum maxime est, ut recto, ac genuino sensu inscriptiones intelligas; 4. Cavendum ne phrases quaedam perperam accipiantur; 5. Ut firmum ex inscriptionibus ducas argumentum, unam cum alia conferre juvabit. 6. Cum aliis ejusdem aetatis certissimis monumentis inscriptiones conferto; 7. Demum: non inscriptiones solum sed earum quoque ornamenta perpendito, atque ex his ipsis seu illarum sensum colligito, seu novum argumentum ducito (4).

§ II.

De veterum Christianorum monumentis reliquis

474. Ne longius quam par est, ad ulteriora properantes, rem protrahamus quoad reliqua enumerata monumenta veluti totidem traditionis dogmaticae rivulos per quos ad nos dimanavit primaevae ecclesiae fides, quibusque certissime constat de recepta priscis illis christianae societatis exordiis eadem catholicae, quae nunc obtinet, fidei doctrina, superest, ut postquam de istorum monumentorum vi et auctoritate disseruimus agentes de inscriptionibus, jam peculiaribus exemplis ex qualibet monumentorum classe petitis rem nostram illustremus.

475. Ex pictura sane atque sculptura, ut ab his incipiamus, ad quas revocari possunt vitra, opera tessellata, gemmae, lucernae, sarcophagi, et id genus artificum et fabrorum labores, qui injuriam temporis nostrorumque hostium importunum furorem superarunt, plura

Agnetem reperit alter collega meus Rhetoric. Profess. in Coll. Rom. Cl. P. Jos. Marchi, quamque reposuit in Musaeo Kircheriano, ac latine ita se habet:

Dionysius. Puer. Innocens
Hic. Quiescit. Cum. Sanctis
Recordamini. Autem. Etiam
Nostrum. In. Sanctis. Vestris
Precibus. Et. Mei. Scilicet. Qui
Sculpsi. Et. Mei. Qui. Scripsi

Hanc graece prout reperta est, vulgabit illustrabitque in opere cui incumbit cl. Auctor circa monumenta vet. christianorum.

(1) In *Tract. de Deo Creat.* p. III. prop. cap. VI, ar. II.

(2) Apud Muratorium in cit. *Novo Thesauro inscript.* tom. IV. pag. MDCCCXXXVI. n. 6.

(3) Ex tom. XXVIII. *Veneti eruditor. Diar.* Maffejus in *Dicatione* cit. *Musaei Veronens.*

(4) Cf. Zachariam in dissert. cit. quae reperitur in ejus *Thesauro Theolog.* tom. I, p. 327. seqq. ubi singularum regularum rationem reddit.

erui posse veteris christianorum Traditionis documenta, nemo est, qui si vel leviter oculos conjecerit in opera Bosii, Arringhii, Bottarii, Victorii, Lupi, Maffeji, Boldetti, ceterorumque qui data opera monumenta illa collegerunt et expenderunt, inficiari queat. Ex his enim deprehendimus supremam Petri in ecclesiam potestatem constitui, et everti paradoxum de bicipiti ecclesiae capite Petro et Paulo, perinde ac si aequali potestate ambo apostoli societatem christianam rexissent. In musaeo siquidem Florentino aenea lucerna asservatur, qua navicula exhibetur ecclesiae symbolum referens apud veteres christianos usurpatum; in qua Petrus in puppi sedet, et clavum tractat, dum in prora stat Paulus eo gestu, illo ore, quo verba faciens orator sit exprimendus, quibus aperte significatur Petrus solus veluti supremus ecclesiae rector, qui ejus gubernacula teneat (1). Hoc ipsum confirmatur ex vitreo fragmento apud Bonarotium in quo uterque apostolus sedens exhibetur in nobili pariter at non uno in scamno, et in aliis etiam alter ab altero discriminatur. Nam Paulus pingitur diductis labiis loquens pro concione, Petrus vero dexterae manus tres digitos explicat, ritu episcopi populo fausta precantis, quo profecto superior Petri et in Paulum et gregem dominicum universum exprimitur potestas. Infallibile porro ecclesiae magisterium passim exhibent anaglypta navis ecclesiam referentis supra cujus malum Spiritus Sanctus sub columbae specie invisitur (2). Quomodo ex picturis ecclesiae Romanae fides circa libros, quos deuterocanonicos vocamus, aperte constet, suo loco ostendimus (3). Quid etiam conferant picturae, caelaturae, sculpturae ad avitam fidem patefaciendam circa imaginum usum in ecclesia sanctorumque venerationem alibi aperuimus (4); ut de aliis doctrinae catholicae dogmatibus sileamus, quibus illustrandis confirmandisque mirum est quanto adjumento ejusmodi documenta sint.

476. Numismata etiam conferre ad rem Christianam constabiliendam ex eo deprehendimus quod illorum ope librorum Machabaeorum veritas sit vindicata adversus protestantes qui autumarunt ineluctabile ex chronologia ad elevandam illorum auctoritatem argumentum opposuisse (5); idipsum dicatur de plu-

(1) Cf. Mamachium, *Antiquit. Christ.* tom. v, pag. 99. Lamium *De erudit. apostol.* cap. IV, p. 61. Fogginium *De Romano D. Petri itinere, exercit.* xx. De hac ipsa lucerna Maffejus in op. *Verona illustrata*, Verona 1732. par. III, cap. III, pag. 107. scribebat: « Sovvienmi d' una lucerna antica di metallo, osservata da me più volte nella galleria del gran Duca, e lavorata quando l'arti erano ancora di ragionevol grado: è in forma di barca, con s. Paolo in atto di predicar dalla prora, e s. Pietro che siede in poppa, e sta reggendo il timone. *Quel monumento parla più d' un libro* ». Ita quidem subdit Guadagnius loc. cit. Nihil pro Romani Pontificis juribus afferri hoc monumento ponderosius potest.

(2) In op. cit. *Tavol. XVI. fig.* I.

(3) Sect. I, cap. I, prop. I. Cf. D'Agincourt, *Pitture tav. VII.* n. 3. in qua exhibet picturas spectantes ad sec. II. ex coemeterio Priscillae. edit. Prat.

(4) In tract. *De cultu sanct.* cap. V. prop. II.

(5) Celebris est controversia quae adversus P. Frölichium S. J. mota est ex occasione qua ipse ad adstruendam veritatem utriusque lib. Machabaeorum contra protestantes, praeter anteriora, duo numismata protulit alterum cusum an. 184. aliud vero an. 185. sub nomine *Antiochi* in op. *Ad numismata Regum Veterum anecdota et rariora* p. 69. His aliud adjecit Jos. Eckhel ejusd. Soc. quod cusum perhibetur ΞΠΡ seu an. 186.

ribus aliis doctrinae christianae capitibus quibus illa haud parum inserviunt (1).

477. Sepulcreta porro ac sacras aedes in eundem finem collineare abunde ex eo liquet, quod ibidem reperiantur altaria erecta ad sacrificii celebrationem; imagines symbolicae quibus praecipua religionis nostrae mysteria adumbrabant primi christiani (2); imagines item Christi, Deiparae, sanctorum apostolorum ac martyrum quarum aliquae cum supra altare ipsum in quo divina peragebantur mysteria, reperiantur, argumento certissimo sunt non ad usum solum verum etiam ad venerationem eas fuisse adscitas (3): id ipsum luculenter evincunt cruces non supra altaria solum, sed etiam ad sacelli ingressum collocatae, ut eas christiani exoscularentur (4). Ex his ulterius edocemur, quae fuerint vasa sacra ad cultus christiani usum (5). Ipsa etiam aedium sacrarum structura indicat distinctionem quae intercedebat inter sacerdotum ministrorumque ceterorum consessum, et plebem (6). Cum praeterea in iisdem passim occurrant altaria quae ab ipsis martyrum sepulchris constituebantur, discimus quam antiqua sit colendi sacras martyrum reliquias consuetudo, et qua veneratione sanctos primi fideles prosequerentur (7). Ex eo siquidem factum est, ut altaria passim vocarentur *sepulchra martyrum*, *memoriae martyrum*, *martyria* sive *confes-*

regni Seleucidarum in *Sylloge I. nummorum veterum* Viennae 1786. pag. 87. et in *Doctrina nummorum veterum* Vindobon. 1792. tom. III, p. 236. Ex quibus solvitur difficultas deducta a protestantibus ex auctoritate scriptorum profanorum, qui in praelio occubuisse Antiochum Evergetem perhibent an. 182. aerae Seleucidarum, cum tamen ex lib. II. Machab. perhibeatur defunctus ad minus an. 186. Quare Eckel in cit. *Sylloge* I. p. 88. merito subdit: « Quod si nummum, quem coram proposui, vidisset (Frolichius), qui per an. ςΠΡ 186. uno adhuc anno est posterior, et qui annus idem ipse est, quem fuisse Antiocho VII. postremum praeclare et feliciter est auguratus? Habeant igitur pii ejus manes insigne istud industriae et eruditionis praemium, impletumque liberaliter hac iterum parte votum lubens gratulor, quo vir illustris stabilire historicam librorum Maccabaicorum fidem toto animo exoptavit ».

(1) Cf. Wiseman *Conferenze sopra la connessione delle scienze colla religione rivelata*. *Confer. IX. sull' Archeologia*.

(2) Talia sunt symbola *unius arcae* in qua salus esse potest; *ancorae*, et *sitientis cervi*, *piscis*, *columbae*, A. et Ω. de quibus fuse scribunt collectores antiquitatum christianarum superius commemorati atque in primis Boldetti lib. I, cap. VII, pag. 29 seqq. Mamachius *De moribus prior. christian.* lib. I, cap. I, § I. pag. 182. 191. 196.

(3) Cf. Boldettum ibid. cap. III. Guadagnium orat. cit. pag. 97. 98. Ego ipse imaginem Deiparae in coemeterio s. Agnetis via Nomentana supra altare depictam conspexi, in qua sacrificium celebrabatur, referendam ex periti pictoris judicio ad minimum ad sec. ecclesiae III.

(4) Ibid.

(5) Cf. Voigtium, *Thisiasteriologia*, sive *liber de altaribus veterum christianor.* per J. Albertum Fabricium in lucem editus. Hamburgi 1709. cap. XIII. Item Mamachium op. cit. lib. III, cap. I.

(6) Ara enim eminebat, ut quum sacrum fieret, esset sacrificii ordo ac ritus multitudini, inferiorem e regione aream implenti, conspicuus. Alae insuper, seu minores porticus, mediam aream utrinque stipabant; locus suus destinatus viris ac seorsum mulieribus. Cf. Guadagnium loc. cit. p. 96.

(7) Cf. Boldetti op. cit. lib. I, cap. VIII. pag. 29. et D'Agincourt, *Storia dell' arte dimostrata coi monumenti*. Prato 1826. vol. II, par. I, pag. 89 seq.

siones (1). Altarium demum in eadem ecclesia multitudo luculentissime pariter adstruitur recepta penes priscos christianos; adhuc enim cubicula invisuntur in sepulcretis in quibus, licet angustis, duo, interdum tria aut novem etiam erecta altaria habentur (2). Idem dic de locis ad confessiones excipiendas destinatis, quae ibidem passim occurrunt (3).

478. Quae cum ita se habeant, ecquis unquam inficias iverit ex antiquitatis monumentis validissimum ad catholica dogmata propugnanda argumentum promi, quo cunctis os obstruatur catholicae fidei obtrectatoribus, quum horum monumentorum pleraque ad tria priora ecclesiae secula spectent, ad secula nimirum illa, quae pura, imo aurea certatim protestantes vocare consueverunt? Ex iis enim dum perpetua ecclesiae traditio adstruitur circa praecipua fidei dogmata, quae a protestantibus in dubium revocata sunt, imo, uti totidem corruptelae recens inductae, rejecta, istorum arguitur a primaevae ecclesiae fide turpis defectio. Etenim per illa patefit in nullo prorsus fidei articulo ecclesiam innovasse, sed heterodoxos plane ab antiqua doctrina descivisse.

474. Ex hactenus constitutis de traditionis dogmaticae cognoscendae mediis sive generalibus sive particularibus, infertur insuper adversus illius osores quanam ratione integra conservari traditio potuerit, et ad nos usque intemerata dimanare. Ecclesia enim cui fidei depositum a Christo ejus conditore commissum est fideliter custodiendum, divina ope freta optime munere suo functa est in ea tutanda, non secus ac praestiterit circa libros sacros. Praepostera, uti vidimus, traditionis notio quam sibi protestantes finxerunt, causa extitit cur ipsis visum fuerit fieri numquam potuisse ut haec sine heterogenea, ut ita loquar, mixtione transmitteretur atque conservaretur (4). Autumant enim a catholicis traditionem concipi tamquam verbum quod alicujus auribus commissum sit, ut deinde ab isto alteri communicetur et ita porro. Ast quam immane a veritate distent in ejusmodi sibi commento confingendo perspicue patet ex ipsa rei de qua agitur natura. Etenim Christus doctrinam suam non uni vel alteri singulari commisit individuo, sed apostolis omnibus sive ecclesiae suae quam instituerat; apostoli item toti pariter ecclesiae seu episcopis, quos ecclesiis praefecerant universim, illam tradiderunt; ecclesia profiteri exinde coepit integram Christi doctrinam, ab ortu

(1) Ibid. pag. 36. seq.

(2) Et haec ipsa cubicula in quibus plura altaria adhuc existunt usurpavi oculis meis in commemorato coemeterio in via Nomentana. Ex his luculentissime refelluntur jauseniani dum contendere ausi sunt juxta venerandam antiquitatem, nonnisi singulare in qualibet ecclesia altare esse debere.

(3) Prout ostendet P. Marchi in sua illustratione monumentorum christianorum. Ex his patet Romam posse adversarios suos, qui eam nempe incusant quod desciverit a prisca patrum fide innovationibus quas tempore labente induxit, parietibus suis, lapidibus ac coemeteriis, picturis ac caelaturis ad silentium reducere, ac pudore suffundere. Siquidem adhuc de illa quod cecinit Propertius lib. III. *eleg.* XXII. verificatur:

Omnia Romanae cedant miracula terrae:
Natura hic posuit quidquid in orbe fuit.

(4) Si ad haec serio attendisset Shuttleworth, numquam ei excidisset quod op. cit. pag. 68. scripsit, tam fieri posse, ut traditiones orales admittere queamus uti probationem facientes, quam fieri possit, ut Jordanus purus egrediatur ex mari mortuo. Ita sec. XIX. Professor Oxoniensis!

nempe suo, eandemque deinceps insequentibus seculis professa est ad nos usque, atque ad mundi usque finem eandem profitebitur. Hujus perennis ac intemeratae professionis vadem, ipsum habemus Christum, qui ei propterea suum auxilium in eum finem pollicitus est; vades insuper habemus illa omnia media quae indicavimus tum generalia tum particularia, ad factum quod attinet. Ex illis enim constat praecipua dogmata institutionibus publicis alligata fuisse, usu perenni ac praxi consecrata, consignata monumentis, adeo ut fieri nequiverit quaelibet innovatio, aut corruptio, si praesertim simul omnia spectentur; siquidem omnia in adstruenda doctrina catholica mirifice conspirant.

PARS TERTIA

DE ANALOGIA RATIONIS ET FIDEI

1. Summi momenti quaestio est, quam heic tractandam suscipimus, eademque certe antiquissima, quippe quae ad ipsa pene rei christianae primordia revocari potest. Simul ac enim christiana fides praedicari ubique ac late propagari coepit, fieri non potuit quin humana ratio, philosophicis jampridem ethnicorum studiis exculta, inquirere aggrederetur, quidnam sibi ex ea fide superveniret, quid ista a se exigeret, quaque ratione principia illa quibus e nativo lumine suo ipsa potiebatur cum fidei dogmatibus conciliarentur. Hinc prouti haec inquisitio instituta est, diversum omnino peperit effectum. Nam qui animi anticipatis judiciis posthabitis veritatem consectati sunt, rectumque ipsum rationis lumen sunt secuti, fidei veritatem, maximumque inde rationi ipsi commodum promanans agnoverunt, omnemque ingenii sui aciem, ac philosophicam sibi partam doctrinam in christianae religionis defensionem impenderunt (1). Contra vero qui tumida superbia elati rationi suae veluti indecorum existimarunt eam in obsequium Christi ejusque doctrinae captivare, ex philosophia ipsa arma adversus fidem depromere adnisi sunt (2). Et quoniam una

(1) Exemplo sunt philosophi, iidemque ad christianam fidem conversi, qui apologetae ejusdem extitere praestantissimi, Clemens Alex., Justinus, Athenagoras, Quadratus, Arnobius, Minucius Felix etc. qui id expresse testantur in scriptis suis pro religione christiana editis.

(2) Exinde enim ortus est gnosticismus qui tot impia systemata effudit, pantheismum videlicet in Apelle, Valentino, Carpocrate, Epiphanio; manichaeismum in Saturnino, Basilide, Bardesane, Marcione, Manete etc. Hinc item erupit neo-platonismus seu syncretismus Alexandrinus, qui quidem philosophiam pythagoricam, platonicam, aristotelicam, ac etiam orientalem in unam congessit, ac simul permiscuit, quo sese fidei christianae propagationi opponeret; unde prodiere Porphyrius, Hierocles, Julianus etc. qui hanc ex professo impugnarunt. De hisce videre est inter recentiores Tennemann, *Grundriss der Geschichte der Philosophie, seu Adumbratio historiae philosophiae* Lipsiae 1825. § 200. pag. 188 seq. nec non De Gerando: *Histoire comparée des systèmes de philosophie*. Paris. 1804. tom. 1, cap. 3.

eademque semper extitit fidei natura, atque ea humanae rationis varia semper indoles fuit, ut duplici illo contrarioque plane motu, centripeto, si ita loqui fas est, ac centrifugo in fidem ferretur, hinc insequentibus etiam seculis de ratione in ordine ad fidem, atque utrum inter illas aliqua dari possit concordia, identidem dimicatum est.

2. Numquam vero magis haec ipsa ferbuit controversia quam ex eo tempore, quo recens protestantismi ortus rationem humanam aeque ac divinam fidem tantopere agitare, ac permiscere coepit. Atque ad hanc quidem componendam quaestionem praeclara ingenia non inter catholicos dumtaxat, sed etiam apud protestantes in aciem prodierunt, ac vario successu adlaborarunt (1). Aetate vero recentiore res multo magis implexa ac salebrosa effecta est ob tantam rerum philosophicarum conversionem, ob tot tamque opposita philosophiae systemata inde exorta, ob tam acrem demum animorum hac in re contentionem tum inter protestantes tum inter catholicos ipsos, vix ut ubi tuto pedem figere possis, invenias.

3. Sunt enim qui rationis humanae vim adeo deprimunt, ut illam enervem ac pene intermortuam velint: sunt qui tantopere eandem ipsam extollunt, ut de ipsis revelatis veritatibus judicium arbitriumque ei deferant; sunt denique qui sic scientiam ac fidem inter se committunt, ut simul consistere haud posse demum concludant oportet. Undique proinde syrtes ac latentes etiam scopuli, in quos pronum valde est navim infringere. Nimis igitur interesse junioris theologi debet, pelagi hujus quod ipsi transfretare opus est, pericula accurate dignoscere atque aliquam habere normam, qua cursum suum caute sapienterque dirigere queat. Quo fit ut in postrema hac tractationis nostrae parte de Locis Theologicis quidquid ad hanc controversiam attinet, negligere omnino non debeamus. Campus, qui nobis excurrendus hac in re sese offerret, esset quidem amplissimus, sed instituti nostri minime obliti, disceptationem hanc quibusdam veluti cancellis concludemus, ac ea tantum, quae ad rem nostram necessaria et accommodata sunt, sectabimur.

4. Haud vero nos latet magna hujus tractationis difficultas; eo vel magis quod fieri hac in re vix possit, ut dum pro suscepti instituti munere veritatem in tuto ponere ac tueri aggrediaris, nonnullorum etiam optimorum catholicorum, quorum abnormes hoc in argumento sententiae necessario sunt perstringendae, animos non offendas. Verum dum nos doctrinas ac placita libere ventilabimus, nihil inde illorum personis, quae religionis studio ac scientia praestant, de-

(1) Inter catholicos praeter antiquos scholasticos qui data opera de fide scripserunt, aliosque de quibus postea loquemur, eminent Nounnote, Houtteville, Bergier, Valsecchi, Spedalieri aliique non pauci qui fidei patrocinium adversus incredulos felici adeo exitu susceperé; inter protestantes vero id ipsum efficere aggressi sunt Leibnitius, Jaquelot, Turretinus etc. Ast difficile hoc omnino protestantibus est, nec nisi infelici exitu pertentare ejusmodi conciliationem ipsi possunt, cum adeo male perspectam habeant fidei naturam, totque erroribus detineantur in materia de gratia, de peccato originali, justificatione etc. prout suo loco exposuimus tum in tract. *De Deo Creatore* p. III. tum in tract. *De gratia* par. I, et II. Quapropter Leibnitius, eo ipso quod fidei catholicae valde accesserit, in eamque propensus magnopere extiterit, ut liquet ex egregio ejus *systemate theologico* quod saepius allegavimus, prae protestantibus reliquis potuit accuratius hoc de argumento disserere.

tractum iri volumus. Nec tamen ita de labore hoc nostro praesumimus, omnes ut hac de re controversias nunc temporis exardescentes dirimi inde facile posse confidamus. Illud tantum nobis proponimus, atque adeo assequi conabimur, ut juniores theologi quos erudiendos suscepimus, habeant demum perspectum quod sibi iter in via tam lubrica tenendum sit, ne cum fidei ipsius detrimento illos transiliant fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.

5. Duae porro erunt hujus postremae tractatus nostri partis sectiones, in quarum altera de rationis ac fidei analogia in se spectata, in altera de ejusdem applicatione, sive de methodologia disceptabimus.

SECTIO PRIMA

De analogia rationis ac fidei in se spectata

6. Ut omni qua par est perspicuitate progrediamur, quid heic per *rationis*, quid per *fidei* nomen intelligamus in antecessum aperiamus necesse est. Ac rationem quidem universim sumimus pro nativa atque essentiali animi humani facultate, seu facultatum collectione, quibus ipse verum cognoscit, deque isto judicat, quatenus idem intra naturae ambitum continetur (1). Dum vero fidem dicimus, significamus « liberum illum assensum quem intellectus divina gratia praeventus et adjutus praebet veritatibus, supernaturaliter revelatis ob Dei ipsius revelantis auctoritatem (2) ». Ex quibus generalibus notionibus per se jam elucet quid sibi proprium ac peculiare ratio, quidque sibi vindicet fides. Ratio siquidem per se objecta sua cognoscit, intuetur ac judicat. Fides vero objectis suis assentitur et credit. Porro cum fides naturalem rationem praesupponat, eidemque accedat, ac ratio tandem ea sit, quae objecta seu veritates apprehendit quas ei tamquam divinitus revelatas credendas proponit fides, hinc triplex generalis respectus seu relatio rationem inter ac fidem efflorescit. Ratio enim concipi ac spectari potest aut *ante* fidem, aut *cum* fide, aut denique *post* fidem: nimirum inquiri potest quodnam sit rationis officium sive antequam fidei assentiatur objectis, sive dum actu iisdem assentitur, sive demum postquam suum ipsis assensum praebuerit. Haec igitur triplex relatio rationem inter ac fidem, seu triplex rationis in ordine ad fidem munus viam nobis suapte natura sternit ad priorem sectionem hanc tria in capita dispertiendi.

(1) Rationem hic spectamus generatim, prout omnem humanae mentis cognoscendi ac judicandi vim complectitur, ac proinde etiam intellectum, non vero prout proprie facultatem dicit ratiocinandi, ac veritates alias ex aliis deducendi. Hoc posteriore sensu videtur eam spectasse Leibnitius, dum in sua dissertatione *De conformit. fidei cum ratione* § 1. rationem definit *catenam veritatum*; per *catenam* autem, prout exponit in nota (1) Lud. Dutens, « nihil aliud Leibnitius intelligit, quam *nexum*, quo quid continet rationem sufficientem coëxistentiae vel successionis alterius; per *veritates* vero veritates universales. Est definitio ab *objecto* cognitionis nostrae desumpta »; nimirum quatenus haec objecta ratione deducuntur.

(2) Hoc sensu, quo fidem usurpamus dicit ipsa actum, non habitum. In hac porro definitione distinguitur 1. subjectum quod fidem apprehendit, nempe intellectus ex imperio voluntatis; 2. objectum materiale fidei, scilicet veritates a Deo revelatae; ac 3. ratio formalis assensus, videlicet auctoritas Dei revelantis. De quibus suo loco disseremus.

CAPUT I.

De ratione ante fidem spectata

7. Humanam rationem, suis licet limitibus circumscriptam, non modo natura sua in verum ferri, sed illud assequi certo posse, communis hominum sensus semper agnovit, omnesque qui recte philosophari voluerunt nullo non tempore professi sunt. Et quamvis omni fere aetate extiterint sceptici illi qui de quavis re dubitarent, ac omnimodam *acatalepsiam* prae se ferrent, ii tamen nec plures numero, et secum ipsi pugnantes fuerunt; quandoquidem theoretice denegabant quod practice admittebant omnino; ac demum non tam rationibus, quam ipsa rationalis naturae voce perpetuo sunt profligati.

8. Non aliter de humana ratione sensit ac docuit christiana catholica religio; quippe quae tametsi hominem post protoparentum lapsum *secundum corpus et animam in deterius commutatum* agnoscat (1), numquam tamen ei quae ad humanae naturae essentiam pertinent denegavit, eumque propterea eo semper naturali lumine rationis praeditum asseruit quo verum a falso internoscere valeat, ac naturalis ordinis veritates vi sua detegere. Verum enimvero sec. XVI. cum nova primum protestantium placita eruperunt, aliter de humana ratione judicari coepit.

9. Lutherus enim cum hominem peccato originis in ipsis naturae essentialibus depravatum ac pessumdatum doceret, eo fere pacto quo liberum ejus arbitrium post lapsum sustulit e medio, ita etiam humanum intellectum obscuratum adeo et extinctum esse commentus est, ut nihil veri, sine fidei revelatae lumine, eidem reliquum esset. Hinc scholasticos doctores tantopere exagitavit, hinc in omnem philosophiam vehementer est debacchatus eamque ut fidei inimicam traduxit, hinc denique omnes philosophorum virtutes, vitia, omnesque scientias speculativas errores esse proclamavit (2). Ejusdem vestigiis plu-

(1) Cum ex hisce Tridentini verbis non pauci ex recentioribus occasionem sumpserint naturales hominis lapsi vires plus quam opus sit deprimendi sive in vero cognoscendo, sive in bono prosequendo, ideo revocari in mentem debet quod scripsimus in tract. *De Deo Creatore* p. III, cap. IV. cum dissereremus *De peccato originali ejusque effectibus*. Ibi enim animadvertimus, nihil hominem omnino amisisse per peccatum originis ex iis quae spectant ad essentialia naturae humanae; ac propterea quae dicuntur a conc. Tridentino de homine laeso, toto nempe Adam secundum corpus et animam propter peccatum in deterius commutato, intelligenda esse non *absolute* sed in *sensu relativo*, in ordine scilicet ad dona gratuita, quae Adam peccando et sibi et posteris suis amisit; ceterum naturam in se spectatam, non deteriorem nunc esse, ac fuisset, si Deus dona illa gratuita liberalitate homini minime adjecisset.

(2) Etiam Leibnitius in *Dissert. de conform. fidei cum ratione*. Opp. ed. Dutens, Genevae 1768. tom. 1. § 12. id fassus est, scribens: « Reformatores, ac Lutherus praecipue, locuti quandoque sunt, quasi philosophiam omnino rejecerint, fideique inimicam esse judicaverint », quamvis deinde hanc Lutheri notam emollire conetur. Verum nos postea alia documenta ad illam ipsam notam confirmandam afferemus. Ita etiam Bühle, in sua *Storia della filosofia moderna*. Trad. da Vincenz. Lancetti. Milano 1822. tom. V, sez. II, cap. IV. id ipsum de Luthero fatetur; repetit tamen in primis ex eo quod ipse ira in scholasticos ac Aristotelem ab illis secutum aestuabat. Verum, quamvis et hoc detur, contemptus ille omnis philosophiae ac humanae

res e protestantibus institerunt. Daniel Hoffmannus theologiae professor in universitate Helmstadtiensi mortale bellum indixit rationi, philosophiam *opus carnis* appellans, quodque in philosophia prout verum defenditur, in theologia falsum esse contendens (1). Plura adversus humanam rationem congessit Bernardinus Ochinus quum ad novatorum errores misere deflexit (2). Nec alio spectabat Calvinus dum liberi arbitrii immunitatem a quavis necessitate veluti philosophicum dogma irridebat, quod in Theologia esset posthabendum (3). Huc pariter Kemnitius dum non esse curandum edicebat, si fidei dogmata vindicantes in *absurditates philosophicas* incurramus (4). Huc demum, ut plura alia ejusdem generis silentio praetereamus, recidit doctrina illa cui tot protestantes juris naturae scriptores firmissime adhaeserunt, nullum intrinsecum in-

rationis depressio, seu potius, ut vocant, *nihilismus*, qui Luthero ac pluribus reformatoribus solemnis fuit, ab altiore fonte repetendus est; nimirum ex doctrina ipsa lutherana de homine paradisiaco, ac peccati originalis natura atque effectibus. Itaque *nihilismus* ille rationis semper necessarium est doctrinae illius lutheranae consectarium, quamvis non omnes protestantes illum revera professi sint. Nec vero inficiamur nonnullos paucos etiam ex catholicis, *nihilismum* illum admisisse, sed id certe ex catholicae doctrinae principiis non effecerunt, quibus directe prorsus adversatur. Frustra igitur Tennemann op. cit. p. 362. ut catholicos carperet scribebat: « Postquam Nicole et Bossuet cum pluribus aliis *scepticismo* usi sunt, ut in sinum catholicae ecclesiae protestantes revocarent, ac ut pondus auctoritatis ecclesiasticae extollerent, rationis incertitudinem ostendendo ». Allegat porro opus Franc. Turretini: *Pyrrhonismus pontificius*. Lugd. Batav. 1622. Id certe quod de Nicole ac Bossuetio asserit, falsum est, qui numquam *nihilismum rationis* docuerunt. Aliud autem est ostendere rationem humanam in rebus fidei infallibili norma, nimirum ecclesiae auctoritate indigere, idque ex ipsa incertitudine ac varietate cui religio divina subderetur, si ea fallacibus rationis placitis relicta esset; aliud vero rationi naturales ipsas vires ad verum in naturali ordine cognoscendum denegare. Illud verissimum est, ac protestantium facto comprobatum: hoc falsum est et a saniore catholica doctrina omnino improbatum.

(1) De his pertractat Jo. Franc. Buddaeus in *Isag. Histor. Theolog.* p. 234 seqq. Etiam protestans Paulus Slevogtius libellum ediderat: *Pervigilium de dissidio theologi et philosophi in utriusque principiis fundato*. De quo cf. Leibnit. diss. cit. § 13.

(2) Vid. *Prediche di Messer Bernardino Ochino Sanese*. *Pred.* III. Ochinus ex *nihilismo* rationis ad *ultramysticismum* progressus est; quippe rejecta ecclesiae auctoritate in rebus fidei, ac etiam neglectis s. Scripturis, veluti unica ac ultima credendi norma, hanc tandem in interiore Spiritus Sancti testimonio, immediata scilicet ac individua cujusque inspiratione collocavit. « Di poi, *inquit*, per testificarci, fermarci, et stabilirci nelle verità divine revelate et supernaturali, bisogni all' ultimo venire *all' interno testimonio dello Spirito Santo, senz' il quale non si può sapere quali Scritture sieno sante e quali no* ». *Pred. IV.* Adeo *nihilismus* rationis cum protestantismi principiis connexus est! Ceterum advers. Ochinum cf. *Le Mentite Ochiniane del Mutio Justinopolitano*. In Vinegia 1551.

(3) Cf. Petavium *De opif. sex dierum* lib. III. qui primus est *De libero arbitrio* cap. I, et IV.

(4) *Examen conc. Trid.* p. I, p. 266. Hoc accepit Kemnitius a Luthero cujus principium erat: *Quod verum est in Theologia non semper verum est in Philosophia*. Circa quod paradoxum dissertationem edidit Crusius: *Opuscul. philosophico-theolog.* Lips. 1750.

ter bonum ac malum morale dari discrimen, sed illud a libera tantum ac positiva Dei voluntate totum esse repetendum, unde consequitur ipsum ex positiva dumtaxat Dei revelatione posse innotescere (1). Ex quo illud verissimum exurgit, quod nempe dissidium ac bellum rationem inter ac fidem, quod a priorum aetatum haereticis identidem excitatum fuerat, opera protestantium acrius instauratum, multoque vehementius promotum fuerit. Atque hic habes quod maxime mireris: nam ii ipsi protestantes, qui ut fidem extollerent naturales rationis vires destruere et ad nihilum redigere conati sunt, iidem posthac rationem hanc ipsam veluti unicum ac infallibilem in rebus ipsis fidei judicem proclamare non sunt veriti, ac demum ad ipsius rationis apotheosin cum totius fidei jactura pervenerunt.

10. Et haec quidem protestantismus in christianae theologiae ambitu de humanae rationis viribus constituebat. Sed aliud ex eadem parte in ipso philosophiae campo rationi ipsi impendebat excidium: nimirum neo-scepticismus ille, qui ex Britannia primum prodiens, ac deinde ab Emmanuele Kantio veluti in systema redactus, tot opinionum peperit monstra, ac Germaniae praesertim scholas late pervasit. Philosophicae hujus cladis historia nimis jam comperta est. Nemo est qui nesciat Humium necessitatem *a priori* ac universalitatem principii, quod vocant *causalitatis*, e medio tollentem, illudque inter principia *a posteriori*, seu experientiae recensentem, fundamentum praecipuum realitatis objectivae humanarum cognitionum convellisse. Kantius vero dum omnem scientiam ad mera sensibilitatis phaenomena, ac subjectivas quasdam, easdemque necessarias intellectus formas reducit; dum nos tantum *phaenomena* scire, de rebus vero in seipsis seu *noumenis* nihil prorsus affirmare posse contendit; dum proprium ipsum *Ego* ad phaenomena amandat, de cujus videlicet realitate numquam constare queat, non modo cognitionem omnem plane *subjectivam* efficit, sed impossibilem et absurdam reddit, ac scepticismi culmen attingit. Haec philosophiae revolutio, seu potius humanae

(1) Haec fuit palmaris doctrina Puffendorfii, quam ipse a parente suo Luthero hausit. Eum sequuti sunt Coccejus, ac saltem ex parte Heineccius, Thommasius, aliique e protestantibus. Ita etiam Seldenus a positiva Dei revelatione totum jus naturale repetit. Hinc omnes isti protestantes juristae doctores scholasticos vehementer irrident ac exagitant eo quod intrinsecum boni ac mali moralis discrimen in ipsis rerum essentiis ac natura fundatum tuentur, ac legem aeternam in Deo a *libera* Dei voluntate independentem vindicant. Haud ergo satis mirari possumus quomodo philosophus Scotus magni inter recentiores nominis, Dugald Stewart, in praefatione quam praemisit volumini primo *Supplementi Britannicae Encyclopaediae* hanc Melanchthoni tribuere gloriam potuerit, quod nempe primus omnium docuerit distinctionem inter bonum ac malum morale, non a revelatione, sed ab intrinseca rerum natura dimanantem, sic, ut ipse subdit, catholici posthac ex protestantibus doctrinam hanc sint mutuati. Num haec ipsa doctrina non omnibus fere jam antea scholasticis communis erat, si Occamum, Nominalium parentem, excipias, qui tamen statim ac contrarium docuit, ceteros pene omnes scholasticos sibi adversos habuit, et a pluribus, quos inter a Jo. Duns Scoto invicte refutatus est? Num scholastici ob hoc ipsum tot a protestantibus, quos commemoravimus, injurias pati non debuerunt? Num contraria sententia quae morales distinctiones omnino tollit, non fuit a Luthero ejusque sectatoribus praedicata? Adeo praejudicia protestantismi philosopho ceteroqui commendabili, Stewarto, fucum facere potuerunt!

rationis sub nomine *criticismi* (1) subversio protestantium praesertim animos alte occupavit, et cum veritas semper ac certitudo ex eorum manibus elaberetur eos ad nova in dies absurdiora systemata summo studio adornanda propellit. Exinde enim *idealismus absolutus*, seu *egoismus metaphysicus* Fichtei; exinde philosophia *identitatis*, seu *realismus absolutus* Schellingii; exinde systemata Bouterwekii ac Bardilii pantheistica labe adspersa; exinde demum philosophica Hegelii doctrina, qui subjectum ac objectum in idea identificari ponens, ab ideae ipsius logica evolutione realitatem ipsam objectorum educit. Nimirum isti philosophi, Kantii principiis ac exemplo excitati, scientiam ejusque objecta *a priori* suo unusquisque modo, construere, ac ut proprio ipsorum vocabulo utamur, *creare* (2), in animum induxerunt. Ex quo factum est, ut ratio humana sive ad purum idealismum, sive ad putidum pantheismum, misero utrinque fato, dilapsa sit (3).

11. Ex neotericae hujus philosophiae

(1) Optime adnotatum fuit ipsum *criticismi* verbum tum temeritatem, tum absurditatem maximam praeseferre. Numquid enim in ullo homine aliqua alia ratio superior invenietur qua possit humanae rationis *criticismum* instituere? Aut si ipsa ratio *criticismum* sui instituit, quem valorem iste habebit? Quandoquidem quidquid certitudinem objectivam rationis destrueret, destrueret simul necessario *criticismi* ipsius certitudinem objectivam. In eamdem absurditatem incidit quaestio trascendentalis a qua philosophiam exordiri debere Kantius ejusque sectatores contendunt; nimirum *An sit possibilis cognitio?* Etenim ad hanc ipsam quaestionem ponendam opus est ut jam cognitio et possibilis sit et existat. Ita *Aprioristici* isti philosophiae creatores, seu potius eversores humanae rationi illudunt.

(2) « De natura philosophari, idem plane est ac naturam *creare* ». Ita inter ceteros Schellingius edixit in op. *Natur-Wissenschaft*, seu *scientia naturae* pag. 3. Omnia neotericae philosophiae Germanicae systemata eo demum spectant, ut velut e nihilo proprium *Ego*, *mundum* ac *Deum* ipsum educant. Hinc officium philosophiae ab ipsis proclamatum *das objectiviren des Ichs*, id est τὸ *proprium Ego* ex apparenti *objectivum*, seu reale efficere. Exinde etiam illa Fichtei satis nota jactatio, qua discipulis suis pollicitus erat se in proxima sua praelectione *Deum esse creaturum*. Alia id genus nobis occurrent.

(3) Nimis forte haec de recentiore Germanica philosophia a nobis acerbe dicta aliquibus videri possent, cum tot illa tum in Gallia, tum praesertim in Germania ipsa, admiratores sit nacta. Atqui nos nil dicimus de quo multo apertius nonnulli e germanicis ipsis scriptoribus jam palam professi ac conquesti non sint. Audiatur professor Baltzer in suis *Beyträge zur Vermittelung* etc. seu *Documenta ad conciliandum rectum judicium de catholicismo et protestantismo*. Fasc. II. Uratislaviae 1840. § 50. cujus titulus est: *Spiritus Kantiano-Hegelianus recentioris aetatis in suo mortali conflictu contra omnem fidem non philosophantis christianismi tum in ecclesia tum in civili statu*. Ita porro loquitur: « Qui noscit quem scopum sibi philosophia Germanica a Kantio inde usque praefixerit, et quomodo ipsa eum incessanter persecuta fuerit, eumque tandem in Hegelio attigerit, omni prorsus respectu ad communem ac rationalem humani generis veritatis sensum posthabito. . . . tantum abest, ut mirari queat tempestates excitatas a spiritu recentioris hujus aetatis contra quidquid *positivum* est, ut eas potius omnino naturales et necessarias agnoscat necesse sit. Germanica philosophia in tractando veritatis negotio prorsus a se rejecit objectivum veritatis vinculum, quod ecclesiam civilemque statum . . . simul colligat, seque in subjectiva vincula catenasque conjecit ». In fasc. autem I. ejusd. op. titulus § 6. ita se habet: *Ju-*

natura quid christiana religio sibi expectare deberet, pronum erat colligere. Juxta Kantii placita revelationis positivae ac supernaturalis possibilitas *noumenon* est, de quo nil sciri aut affirmari potest: quam vero ipse intra solius rationis limites statuit religionem, cujusmodi demum generis esse poterit, cum omni theoretico fundamento sit destituta, ac ratione tantum *practica* fulciatur? Haec enim caeca quadam ac subjectiva necessitate sibi veritates ipsas christianas veluti *postulata* quaedam creat, iisdemque, licet in se contradictoriis, fidem adjungit, ut nempe propriae suae libertati ac moralibus legibus credere possit. Quinam in philosophia Schellingii divinae revelationi esse posset locus, dum infinitum cum finito, Creatorem cum creatura confundit, atque unum idemque ex ipsis substantialiter efficit? Hegelius vero, qui etiam de christianae religionis mysteriis in sua philosophia pertractat, non aliam ipsis originem assignat, nisi *ideam* ipsam, quae in humano intellectu residet, et a cujus progressiva evolutione, veluti logici ac naturales foetus, eadem mysteria promanant (1). Neque vero ab eo valde differt religiosum Fichtei systema (2). De positiva igitur atque historica veritate religionis christianae juxta ipsos con-

venis Germania est veluti planta infecta veneno rationalismi Kantiani. In toto porro opere auctor eo spectat ut ostendat doleatque, prolatis documentis, excidia a neoterica philosophia Germaniae importata. Ab aliis scriptorum testimoniis allegandis hic supersedemus, cum alibi locum habere possint. Ad Gallias quod attinet ad quas philosophia haec penetravit, nota sunt nuperrime edita documenta pastoralia episcoporum, qui undique in eam veluti exitiosam religioni et statui insurrexerunt. Eminent inter ceteros arch. Tolosanus et ep. Carnutensis.

(1) Vid. Hegelii *Religions-philosophie* seu *Philosophia religionis*. De Hegelio ac Hegelismo plura alibi dicemus.

(2) Fichtius in op. *Die Anweirung zum seeligen Leben oder auch die Religionslehre*, seu *Directio ad vitam beatam aut etiam religionis doctrina*. Berol. 1828. Praelect. VI, p. 110. hoc religiosi sui systematis fundamentum jecit: « In religionis doctrina positio creationis est *primum criterium falsitatis*; negatio hujusmodi creationis, si haec forte ob aliquam praecedentem religionis doctrinam supposita esse deberet, est primum *criterium veritatis* hujusce religiosae doctrinae ». Unde subdit quod Joannes in suo Evangelio, ut judaicam de creatione doctrinam profligaret, incipit ab iis verbis: *In principio erat Verbum*, ut ea opponeret Verbo Moysis: *In principio creavit Deus*; quia nempe nihil creavit Deus, sed omnia in principio ex Logo suo, id est, ex se confecit, et quidem ex necessitate naturae suae, quia omnia ab aeterno ac necessario in Deo erant. Hinc concludit: « procul a nobis hoc phantasma creationis! » et pag. 117. palam affirmat philosophum independenter a christianismo easdem veritates necessario nexu habere, easque cum totali claritate intueri. Non id quod historicum, sed quod metaphysicum est hominem beatum efficere. In sec. praelect. p. 24. jam statuerat non *credere*, sed purum *cogitare*, et per puram cogitationem Deum immediate intueri ac possidere, religionem constituere. Hoc autem est Fichtianum illud opus in quo ipse, provecta jam aetate christianum ac religiosum se ostendere voluit. Ex his deprehendimus quibus ex fontibus neoterici Eccletismi sectatores in Galliis paradoxa sua deprompserint « *Dieu n'a point tiré l'univers du néant, mais l'a tiré de lui même. — Il est faux que Dieu soit incompréhensible. — C'est la raison que nous apportons en naissant, qui est le Verbe fait Chair, et il n'existe point d'autre révélation* ». Magni itaque isti philosophi seu potius increduli Galli non sunt nisi exscriptores incredulorum germanicorum protestantium.

clamatum est. Quare hae Kantii, Fichtei, Hegeliique philosophicae doctrinae in ipso protestantium solo enatae, altae atque enutritae in primis effecerunt, ut protestantismus latens principium suum destructionis magis in dies evolveret, ac eos rationalismi ac mythicismi fructus efferret, qui tandem in Straussio suam omnem vim propemodum exhauserunt (1).

12. Porro cum haec esset neotericae philosophiae conditio, cum ratio humana ejus principiis excitata ita christianae religioni infensam se praeberet, ii qui veritatis ac religionis tuendae necessitatem in se experti sunt, ita id muneris susceperunt, ut tamen diverso inter se modo de ratione ipsa, deque ejus officiis in ordine ad christianam fidem philosophati sint. Alii enim contenderunt non tam rationi ejusque veritatis detegendae capacitati, quam interiori ac religioso cuidam sensui esse fidendum, unde *sentimentalistae* aut etiam *mystici* audiunt (2). Alii rationem humanam per se nec veritates ipsas naturales sibique proportionatas (ut existentiam supremi Numinis, spiritualem animi naturam ejusque immortalitatem, justi atque injusti normam, aliaque ejusmodi) certo cognoscere posse existimarunt, sed in iis omnibus divina positiva revelatione indiguisse, quae reapse homini primitus data est, et posthac in humanum genus universum per constantem traditionem propagata. Hinc philosophiam omnem, quae positiva revelatione, illius veluti fundamento, minime praejacta, naturalium veritatum genesim, naturam, ac certitudinem demonstrandam aggreditur, tamquam *anti-christianam* aut *extra-christianam*, declarant: quare *supernaturalistae* appellari solent (3). Alii individuae hominis rationi vim certitu-

(1) Strauss ipse fatetur, systema suum mythicum quo *vitam Jesu*, critice, seu potius impiissime adornavit, ortum ac fundamentum in Hegeliana philosophia habere, idque confirmat locis ex ipso Hegelio in medium allatis. Cf. ejus *Scripta Polemica*. fasc. 3. pag. 57.

(2) Hujus *sentimentalisticae* scholae fundamenta jecerat Reidius Scotiae philosophus; sed qui eam recentius instauravit, ac ad quendam mysticismum evexit, fuit germanus Frid. Jacobi. Ipse enim transcendentalem philosophiam exhorrescens, principia scientiae philosophicae collocavit in quadam naturali fide (a supernaturali fide distincta) qua in rationali instinctu veritates quae supra sensus sunt, uti Deus, ejus providentia, libertas animi nostri, ejusque immortalitas, lex moralis etc. sine ulla demonstratione ac ratiocinio, sed immediate prorsus percipimus. Hinc adeo intellectus ac rationis usum ad veritatem assequendam deprimebat, ut asserere non dubitaret: « Omnino ethnicus quoad intellectum, christianus cum toto corde, ego duas inter aquas fluctuo, quae nullimode in unum simul coire volunt ». Cf. *Epist. ejus posthumas*, vol. II, p. 478. Doctrina Jacobi haud paucos in Germania sectatores habuit. De quo Tennemann op. cit. §§ 406-408. Aetate hac nostra, adhaerere eidem visus est prof. Klee, cujus aliquot testimonia alibi afferemus. Extat etiam in *Ephemer.* Tubingae *Theologische quartalschrift*, seu *Scripta Trimestralia Theologica* an. 1839. fasc. II. articulus *Ueber Glauben and Wissen* etc. seu *De fide ac scientia in relatione ad extremas, seu oppositas sententias ac tendentias aetatis nostrae*; cujus cl. auctor, doct. Kuhn, Jacobi philosophicam doctrinam iterum vindicat ac sectatur. Eidem etiam debetur opus *Jacobi und die Philosophie seiner Zeit*, seu *Jacobi et philosophia aetatis suae*.

(3) Hanc doctrinam jam doctissimus ceteroquin vir Petr. Daniel Huetius protulerat in libro qui vulgo eidem adscribitur: *Traité de la faiblesse de l' esprit humain*. Amsterd. 1723. quique a Lud. Ant. Muratorio confutatus est. Sed recentissima aetate eam magna

dinis denegantes, eam auctoritati totius humani generis, nimirum vel rationi universali, vel communi ac perpetuae traditioni contulerunt, sic ut auctoritas ista in ipso religionis negotio regula ac criterium esse deberet; hos *traditionales* propterea vocant (1). Sunt alii qui methodum *psychologicam* in philosophia veluti religioni infensam damnant, ac ab *ontologica* ordiendum esse contendunt, nimirum ab *immediata* et *concreta* Dei ipsius intuitione: unde *ontologistae* vocari queunt (2). Denique sunt etiam qui Kantii ac Fichtei principia non tam refellere quam expurgare ac perpolire ita aggressi sunt, ut talem inde tum naturalium veritatum, tum christianae fidei demonstrationem conficerent, qua Kantiani ipsi ac Fichtiani ad eam fidem amplectendam omnino cogerentur (3).

13. Ex historica hac praesentis controversiae de officio rationis ante fidem spectatae veluti adumbratione, liquet duas hinc inde extremas ac inter se oppositas opinandi rationes se offerre; alteram nempe eorum, qui nimis tribuunt rationi, alteram illorum qui rationis vim vehementer deprimunt aut etiam plane tollunt. Nos pro suscepto munere cum tot inter discrepantes sententias quid a ratione ante fidem, scilicet ad fidem cognoscendam et amplectendam praestari legitime possit, statuere debeamus, in duos articulos, quae disceptaturi sumus distinguimus, in quorum altero de recto rationis usu ante fidem, in altero de

eloquentia vi ac religionis studio suadere conatus est Ab. L. Bautain in op. *Philosophie du christianisme*, Paris 1835. nec non in praef. ad alterum suum opus, *Psychologie expérimentale* vol. I. Paris 1839. Hinc illa *Bautainismi* nomen accepit, ac non modo in Gallia, sed in Germania praesertim haud paucos religiosi animi viros in sui amorem allexit. Ceterum quas haec doctrina subierit vices, et quanta animi docilitate auctor ejus quod in ea potissimum improbandum erat, retractaverit, omnes norunt. Nos inferius ex professo de hac doctrina cum agere debeamus, documenta afferemus.

(1) Doctrinae hujus sectatores non multum inter se ac sibi ipsis constant; quandoquidem nunc ad rationem universalem humanam, veluti supremum veritatis criterium, nunc ad auctoritatem generalem totius humani generis, nunc ad traditionem constantem et perpetuam appellant. Quidquid sit eos *traditionalium* nomine appellamus. Huic scholae primordia dederat clariss. vir comes de Bonald, de re catholica optime meritus. Posthac vero novam nacta est formam in scriptis De La Mennais, unde *Lamennaismus* profluxit. Eidem adhaesit Laurentie in op. *Introduction à la philosophie, ou Traité de l'origine et de la certitude des connaissances humaines*, Paris 1826. D. Gerbet in op. *Des doctrines philosophiques dans leurs rapports avec les fondemens de la théologie*. Paris 1826. (qui tamen egregius vir ab illis placitis laudabiliter se recepit), aliique nonnulli etiam ex Italis. Adnotandum porro est hujus doctrinae asseclas cum altera schola, quae *supernaturalistica* dicitur, plura habere communia; quandoque proinde et *supernaturalistae* vocati sunt. Quod tamen inter *Bautainismum* et *Lamennaismum* intersit, exponit ipse Bautain in opusc. *Quelques réflexions sur la doctrine du sens commun*. Paris 1833.

(2) Ita praesertim recentissime cl. Ab. Vincentius Gioberti in opere « Introduzione allo studio della filosofia » Brusselle 1840. ubi ad Platonica seu potius ad Malebranchii placita instauranda totus se confert.

(3) Ad hanc classem pertinet Georgius Hermes cum sectatoribus suis. Hinc systema philosophicum Hermesianum *Nova Kantii editio a discipulo correcta* in Germania appellatum est; nonnullique etiam ex ejus asseclis fassi sunt, ut suo loco videbimus, Hermesium e Kantii ergastulis haud satis emersisse.

abusu rationis ante fidem pertractabimus (1).

ARTICULUS I.

De recto rationis usu ante fidem

14. Rectum rationis usum in religionis inquirendae et capessendae negotio vindicaturi, theologi nos partes agere non autem philosophi meminisse debemus. Nostrum proinde haud est rationis humanae vindicias suscipere adversus trascendentales ac idealistas, humanarumque cognitionum veritatem, certitudinem ac realitatem objectivam ostendere. Id recentiore hac aetate haud pauci clari nominis philosophi tum externi tum Itali, licet non una eademque via, praestiterunt, e quibus penitior rerum harum notitia erit haurienda (2).

15. Attamen cum de rationis na-

(1) Dum nos de rationis usu atque officio ante fidem pertractare aggredimur, longissime ab errore Hermesii abhorremus juxta quem unusquisque per hunc praevium rationis suae processum ad fidem pervenire deberet, suamque fidem, ut ita dicam, iterum construere, ut *rationabiliter* credere posset. Hoc christianae fidei plane esset eversivum, quandoquidem suspensionem assensus objectis fidei in animo ita comparato supponeret. Quaestionem igitur sub alio adspectu agitamus; nimirum 1. nimis interest theologi cognoscere discrimen inter ordinem veritatum naturalium ac veritatum supernaturalium, et num ordo logicus inter illas naturales veritates detur ita ut una ex alia probari queat, tametsi in ordine chronologico seu historico omnes per revelationem positivam primitus homini revera innotuerint; 2. quia et extiterunt et etiamnunc plures existunt gentes ad quas revelatio positiva non pervenit, ac proinde nimis quoad illas refert statuere utrum naturali lumine potuerint aut possint veritates, quae rationis captum haud exsuperant, ante fidem cognoscere; 3. quia haec distinctio ac logica veritatum *classificatio* omnino necessaria est ad eos qui revelationem positivam et christianam fidem negant refellendos, eosdemque ad hanc fidem adducendos; 4. demum quia id etiam ad confirmationem propriae fidei jam susceptae utile est, dum evidens fit rationem rite adhibitam ad christianam fidem veluti manuducere. Nos igitur viae insistimus illi quam insigniores christianae revelationis ac religionis apologetae perpetuo tenuerunt.

(2) De externis scriptoribus, qui hanc spartam adornarunt nimis longum esset dicere. Inter Italos enituit Caesar Baldinottus, qui primus forte in Italia cum kantiana philosophia parum adhuc esset comperta, eam brevi sed validissimo scripto profligavit. Cf. *De Kantii philosophandi ratione et placitis ut ad metaphysicam generalem referuntur. Append. ad Tentaminum philosophic. lib. tres*. Patavii 1817. p. 379. Recentius egregiam eidem rei operam navarunt Paschalis Galluppi, Ant. Rosmini, Salvator Mancino, Balthassar Poli, Aloysius Bonelli, aliique, quibus recentissime addi potest siculus P. Romano S. J. in op. *La scienza dell' uomo interiore e delle sue relazioni colla natura e con Dio*. Palermo 1840. vol. 1. Si quis uberiorem de philosophis Italis recentioribus cupiat notitiam, adeat opus cit. Willelmi Tennemann translatum italice a cl. Balth. Poli, qui opus illud magnis supplementis auxit, ac continentem ad haec usque tempora philosophiae Italicae historiam contexuit. Mirum porro est quinam Italicae res in hac tanta disciplinarum omnium cultura, ac frequentissimo gentium etiam inter se dissitarum commercio ab externis non paucis scriptoribus ignorentur. Prodiit superiore an. 1841 Viennae compendium historiae philosophicae sua haud carens laude, auctore profess. Leandro Josepho Stanke Benedictino Pannonio. Historiam suam ad nos usque ducit: de Hungarica, de Polonica, de Russica, de Hispanica, Lusitanica etiam philosophia aliquid profert. De Italorum philosophicis operibus altum silentium! Ita ne igitur ex philosophiae campo evanuit Italia?

tura ac vi identidem sit nobis agendum, cumque haud parum intersit theologi rectas hac de re ideas sibi comparare, ne falsas inde in ipsam theologiae provinciam inferat consecutiones, ipsamque fidei naturam pervertat, nonnulla heic ex philosophiae penu deprompta, juniorum praesertim theologorum commodo, praemittere necessarium ducimus, quae quandam veluti basim ac fundamentum infra disputandis constituant. Dum vero quae recta sunt ac saniorum philosophorum judicio quoad substantiam probata proferimus, haudquaquam nos intelligimus quaestiones mere ideologicas ac psychologicas dirimere. Ab hoc enim, si quidem illae Fidei veritatem non attingant, theologo temperandum omnino est. Sunt autem insequentia.

PRAENOTANDA

16. Humanae naturae *incredibilem veri visendi cupiditatem* inesse, ut praeclare adnotabat Tullius, unusquisque in se sentit atque experitur. Undenam porro hic animi sensus, haec veri et falsi qualiscumque notitia, si *verum* pro humana mente haud existeret, aut numquam illud assequi posset? Unde illa veri ac falsi distinctio, atque acris in homine falsum pro vero accipiendi anxietas atque formido, si numquam ipse primum ab altero valeret dignoscere? Hoc certe unum satis per sese ostendit, mentem cum objecto suo, scilicet *vero*, naturalem proportionem habere, ac ita proinde esse natura comparatam, ut cum eo, saltem aliquando, vi sua possit conjungi.

17. At enim id ipsum ex accurata mentis nostrae analysi luculenter elucet: talibus quippe mediis praesidiisque a natura, rectius a supremo naturae Auctore, illam instructam deprehendimus quibus veritatem tuto, saltem in aliquibus, certoque valeat attingere. Duplici enim humana cognoscendi facultas elemento sive ordine constat, ordine videlicet *empirico* ac *rationali*, sive ordine sensibili ac ideali, vel, si ita appellare lubet, ordine *psycologico* ac ordine *logico* vel *ontologico*. Unum tamen idemque est principium illud quod sentiens simul atque intelligens duplicem illum ordinem in se arctissime conjungit, eorumdemque nexum percipit ac intuetur. Quo fit ut veritas ac objectivitas realis humanae cognitionis, ac scientiae certitudo ex hac tantum diversorum ordinum seu elementorum conjunctione exurgere ac efflorescere possit. Nec vero tot illa absurda systemata, quae recentiorem philosophiam infecerunt, aliunde magis profecta sunt, quam ex violenta atque arbitraria prorsus ordinis sensibilis disjunctione ab ideali, per quam nempe ea quae natura intime copulata sunt ab invicem divellendo, vel ad abjectum empirismum atque adeo materialismum, vel ad purum idealismum deventum est.

18. Ex duplici hoc cognitionum ordine nonnullae diversi itidem ordinis essentiales, ac, ut ita dicam, fundamentales veritates dimanant, quae humanae certitudinis ac scientiae basim efformant. Ex ordine enim empirico sive ex factis internae experientiae habet humana mens intimum ac substantialem *sensum* sui ipsius, seu quod recentiores vocant proprii *Ego*: quippe cum animus sibi ipsi intime applicatus sit, seipsum perpetuo *sentiat* oportet sic ut numquam nos sine nobis esse ac vivere possimus (1). Hinc

(1) Si animus se ipsum non semper sentiret, si nos sine nobis unquam esse possemus, de identitate ac personalitate nostra certi ne quidem esse possemus. Opportune cl. Galluppius in *Saggio sulla critica della conoscenza*, Napoli 1819. tom. 1, p. 17. « Se

animus ideam existentiae suae, nullo alio rationis principio interposito, nullius ratiocinationis ope, sed omnino directe percipit: atque hinc propriae existentiae veritas demonstrationem non patitur, cum in facto consistat, sed eo ipso quod in dubium vocetur, affirmatur, eaque contumaciter denegata, nulli superest cognitioni, nulli cogitationi locus (1).

la coscienza, *inquit*, che io ho delle mie modificazioni non fosse unita al *sentimento* del mio essere, io non saprei certamente riconoscere, che ciò che mi è accaduto jeri, sia accaduto a me stesso: io non potrei certamente riguardarmi lo stesso essere nell' atto che le mie percezioni, i miei pensieri, le mie modificazioni si moltiplicano, cessano di essere, e si succedono incessantemente ». Exinde patet absurditas conceptus Fichtei juxta quem « *Ego ponit*, *creat* seipsum eo ipso identico actu quo ponit, seu creat *Non-Ego*, scilicet mundum ». Quasi nempe (ut ceteras absurditates de illa creatione praeteream) ut *Ego* sentiat se ipsum, egeret omnino ut simul sentiret illud quod *Non-Ego* est. Et quonam pacto *Ego* seipsum et mundum ponere posset, nisi jam prius haberet sensum sui? Hinc etiam absurditas doctrinae Schellinghianae. « Tò *Ego* (nempe primitivum *Ego*) non est ens, non est aliquid reale, nullam habet aliam proprietatem nisi hanc negativam (nempe ut nihil sit). Primum philosophiae problema est invenire id quod nequeat absolute cognosci tamquam *ens* ». *System des trascendentalen Idealismus*, seu *systema idealismi transcendentalis*. Tubing 1800. vol. III, pag. 43-49. Hinc demum perabsurdi conatus omnes neo-Germanicae philosophiae, quae duo *Ego*, alterum scilicet *phaenomenicum*, alterum *substantiale*, unum *subjectivum*, alterum *objectivum* distinguens, inquirit quomodo *phaenomenicum Ego effici substantiale* possit, quomodo ex *subjectivo* in *objectivum* ac reale transire. Nempe omnia haec ex abstractionis abusu profluunt, quo videlicet isti philosophi supra id omne quod est *subjectum* et *objectum*, se extollere volunt, ac ad *purum cogitare aut sentire*, nimirum omni prorsus *subjecto* ac *objecto* carens pervenire, quod quidem implicat in terminis. Jure proinde scribebat Bautain in cit. *Psychologie expérim.* tom. I, p. 229. « Il y a en général dans le mouvement philosophique de l' Allemagne plus d' imagination que d' intelligence, et il en sort plutôt des abstractions de la pensée, formulées en images ou représentées en symboles, que de véritables idées ». Haec tamen dum de hujus philosophiae indole pro veritate observamus, non ita intelligenda sunt, quasi Germaniam totam incusare velimus. Fervent utique ibidem utilium disciplinarum studia; egregia florent ingenia; optima in lucem opera prodeunt; ac in pluribus certe catholicis solida scientia cum sincerae religionis amore conjuncta viget.

(1) Hoc argumento potissimum jam usus erat Augustinus ad scepticos confundendos, de quibus ipse adnotat *De Trinit.* lib. XV, cap. 12. « Cum enim duo sint genera rerum quae sciuntur, unum earum, quae per sensus corporis percipit animus, alterum earum quae per seipsum, multa illi philosophi garrierunt contra corporis sensus, animi autem quasdam firmissimas per se ipsum perceptiones rerum verarum, quale illud est quod dixi, scio me vivere, nequaquam in dubium vocare potuerunt ». Sed cf. ibid. subtilem Augustini ea de re in academicos disputationem. Hoc ipsum argumentum multo ante adhibuerat Tullius *Tuscul.* lib. I, cap. 22. 23. ubi inter cetera scribit: « Sed si qualis sit animus, ipse animus nesciat, dic quaeso, ne esse quidem se sciet? Ne moveri quidem se? Sentit igitur animus se moveri, quod cum sentit, illud una sentit se vi sua, non aliena moveri ». Ita hanc veritatem propria quisque evidentia, ac communis hominum sensus semper agnoscere debuit ex ipso evidentissimo ac certissimo perceptionis facto, quo posito incompossibilis est ipsius non existentia. Nescio igitur cur si quis ad recentiores scepticos ac idealistas refellen-

19. Item ex hoc factorum empiricorum ordine sensum intimum seu conscientiam habemus earum quae in nobis accidunt affectionum, tum scilicet illarum quas in nobis a nobis ipsis excitari ac fieri sentimus, quarumque proinde nos ipsos principium agens esse intuemur, tum illarum quae in nobis quidem, sed non a nobis, immo nobis etiam invitis fieri persentimus, sic ut in iis principium tantum patiens nos esse evidenter cognoscamus. Hae porro omnes sunt veritates facti seu experientiae, quas propria cuique conscientia immediate revelat, et de quibus nemini possibile est dubitare. Sunt veritates objective reales, cum ordo sensibilis sit omnino realis et concretus, ordo sit existentiae, neque dum sentit animus fieri potest ut non sentiat.

20. At enim veritates ejusmodi, utpote in facto singulari et contingenti positae, necessitatem quidem habent, hypotheticam tamen; nequeunt proinde per se absolutam illam necessitatem atque universalitatem humanae cognitionis gignere, ex quibus scientia vere ac proprie conficitur. Haec igitur sublimiora cognitionis elementa ab altiore ordine, nimirum rationali atque ideali, sunt repetenda. Ad hunc porro spectant abstractae illae atque universales notiones, quae in omnibus ratiociniis inveniantur oportet, et sine quibus nullum unquam posset ratiocinium concludi. Ad hunc pertinent suprema illa rationis principia, quibus mens vere intelligens ac rationalis constituitur, quae evidentia sua semper fulgent, atque absolutam ceteris cognitionibus firmitatem impertiuntur (1). Haec vero principia evidentissima cum sint, ac logicam necessitatem praeseferant, nulla egere queunt probatione (2). Attamen propter intimum nexum quo

dos ex hoc indubitato facto primitivo philosophando exordiatur, apud nonnullos *rationalismi* et *extra-christianismi* notam incurrere debeat. Abusus certe abstractionis eliminandi sunt, sed non idcirco quod verissimum est debet improbari, atque ut christiana religio vindicetur, a certitudine propriae sui existentiae, quod plerique facere videntur, infirmanda initium ducere.

(1) « Certitudo scientiae, ait s. Thomas, tota oritur ex certitudine principiorum (*De verit.* q. XI, art. 1.) ». « Intellectus semper est rectus secundum quod intellectus est principiorum circa quae non decipitur (1. p. q. 12. ar. 3.) ». « Ea quae naturaliter rationi sunt insita verissima esse constat in tantum, ut nec falsa esse sit *possibile* cogitare (*cont. Gent.* lib. 1. c. 21.) ». « Per lumen naturale intellectus redditur certus de his quae lumine illo cognoscit, ut in primis principiis (ibid. lib. III, c. 15.) ». « Invenitur aliquid verum in quo nulla falsitatis apparentia admisceri potest, ut patet in dignitatibus, unde intellectus non potest subterfugere quin illi assentiatur (II. dist. q. 25. ar. 2.) ». Alia innumera ex s. Thoma colligi possent, ut eluceat contra nonnullos recentiores sive philosophos sive theologos, qui certitudinem principiorum rationis infirmant aut etiam convellunt, quantopere s. Doctor qui et philosophus et theologus perinsignis erat, ipsis adversetur. Necessitatem idearum universalium et axiomatum ad scientiam constituendam valide Leibnitius vindicavit contra Lockium in *Dialogues de Philalètes*. Egregia hac de re contra empiricos, nominalistas, conceptualistas veteres ac recentiores habet Baldinotti in op. cit. *Tentamin. Metaphysicorum* cap. IV. *de vero*.

(2) Haud recte proinde a Pascal in suis *Pensées* etc. secunda part. art. 4. *prima principia* indemonstrabilia esse dicuntur ob infirmitatem humanae rationis: « Cette impuissance ne conclut autre chose que la faiblesse de notre raison, mais non pas l' incertitude de toutes nos connaissances ». Non enim ex infirmitate rationis id provenit, sed ex ipsa natura principiorum illorum in quibus veritas intuitiva evidentia conspicitur, ita ut animus

veritates omnes absolute necessariae secum inter copulantur, analytice revocantur ad principium illud quod *contradictionis* dicitur, quo nempe *rem haud aliter esse posse* mens intuetur, siquidem esse simul ac non esse aequationem perfectam cum nihilo absoluto constituit, ut ne cogitari quidem possit (1). Hinc igitur humana ratio supremum lumen suum mutuatur; hinc normam ac regulam generalem habet, eandemque firmissimam veritatis secundum quam de statu animi sui in ordine ad cognitionem veri dijudicat (2). De quo tamen ut res rite explanetur, singillatim est aliquid declarandum.

21. Ac recte quidem certitudo potest definiri, *firma et rationabilis animi persuasio de veritate rei cognitae; firma* scilicet quae omnem errandi formidinem excludat, sic ut animus rei veritati adhaereat: *rationabilis*, quae ex legitimo judicandi motivo proveniat. Unde consequitur certitudinem omnem, si in se spectetur, *in indivisibili*, ut ita dicam, positam esse; siquidem firma illa ac rationabilis persuasio vel habetur vel non habetur, nil medium est; ac nullo propterea pacto potest certitudo cum probabilitate quantumvis maxima confundi. Porro cum ea rationabilis persuasio ex qua certitudo gignitur, non ex caeco quodam instinctu proficisci dicenda sit, sed ex ipso veritatis lumine, quae mentem collustrat, ejusque sibi suo jure vindicat assensum, semper ex evidentia, scilicet ex necessitate aliqua *propositionis* promanet oportet, qua mens ad veritatem agnoscendam et tenendam impellatur, dum *ita et non aliter* rem esse evidenter cognoscit (3). Eget proinde humana mens legitimis va-

nil in ipsis ultra possit requirere. Hoc ipsum docet s. Th. locis nuper allegatis. Ceterum nimis forte a Pascal naturalem humanae rationis certitudinem depressam fuisse adnotarunt de Gerando, Gallupius, Rosminius, *Opusc. Filosofici* Milan. 1827. vol. 1, p. 92. aliique. Pascalio haud parum usus est Lamennais in iis quae contra rationem individuam hominis congessit.

(1) Principium *contradictionis* (quod alii per principium *identitatis* exprimunt) est certe universalissimum omnium principiorum, atque omnium velut apex, cum ideam tantum *entis* praesupponat, quae quidem est objectum primarium ac universale intellectus. Ut enim scribit s. Th. *De verit.* q. 1, ar. 1. « Illud quod primo intellectus concipit quasi notissimum et in quo omnes conceptiones resolvit, est *ens.* »

(2) Criterium generale quod ultima norma sit veri distinguitur plane a criteriis particularibus quae variis praesunt fontibus atque instrumentis unde veritatum cognitio desumitur: hinc scholastici illud criterium *secundum quod*, hoc criterium *per quod* nuncupabant. Primo illo sensu posset *principium contradictionis* spectari veluti generale criterium seu norma veri, non quatenus ipsum *per se* tantum ullam *realitatem objectivam* probare valeret, non quatenus omnes veritates deberent ad *logicam necessitatem* illius principii, ut verae sint, revocari posse, quae quidem omnia essent falsissima: sed quatenus animus in illo supremo, evidentissimo, ac firmissimo principio habet unde judicet de *diversa* veritatum natura, ac de *diverso* certitudinis genere ex iis consequente. Nam dum animus in quacumque veritate firmiter conquiescit id ex eo provenit, quod *ita* et *non aliter rem esse* dijudicat, nimirum quia videt in *iis adjunctis* aliquam oppositi *impossibilitatem* nempe aut *metaphysicam*, aut *physicam*, aut *moralem* juxta diversum veritatum genus id quod magis ex dicendis declarabitur. Dici ergo posset hunc esse veluti characterem quemdam *evidentiae* ipsius, qui illam semper comitetur, ejusque naturam explanet. Hinc nos nullo pacto abhorremus ab iis qui in *evidentia* criterium hujusmodi collocant.

(3) « Certitudo, inquit s. Th. 3. dist.

lidisque motivis, quae illam necessitatem ostendant; et quoniam motiva ejusmodi pro diversa objecti quod animo obversatur natura, diversa esse queant, hinc certitudo diversi itidem generis, quod probe attendendum est, exurgit.

22. Haec porro motiva vel *intrinseca* sunt vel *extrinseca*. *Intrinseca* dicimus quae veritatem propositionis sive necessitatem nexus inter subjectum et praedicatum *intrinsece* ostendunt. Id quod dupliciter evenire potest, nimirum vel *absolute*, cum scilicet ostendunt necessitatem *absolutam* propositionis seu a *priori* ex ipsa objecti natura dimanantem (1): vel *contingenter* cum necessitatem *hypotheticam* seu *a posteriori* propositionis exhibent, quae videlicet ex aliquo facto contingenti profluit, quo posito fieri nequit, ut propositio necessario vera non sit (2). Praeterea motiva illa intrinseca sive necessitatem absolutam propositionis sive hypotheticam exhibeant, id aut *immediate* aut *mediate* efficere queunt. Aliae quippe propositiones sunt per se sive intuitive evidentes, aliae vero ad quas certo cognoscendas per ratiocinium adducimur, quaeque propterea veluti illationes ex primis veritatibus intuitivis eruuntur, unde conficitur *demonstratio*. Et quoniam primitivae hae veritates ex jam praejactis, duplicis ordinis sunt, scilicet vel logicae, vel psychologicae, duplex etiam demonstrationis genus datur, alterum nimirum a *priori*, alterum *a posteriori*, prout ab illis vel istis primis veritatibus ratiocinando concluditur. Utraque tamen si rite sit instituta, nempe si necessarium nexum inter veritatem intuitivam atque eam quae inde deducitur ostendat, *apodictica* dicitur et est, ac veritas proinde deducta ejusdem evadit certitudinis cum principio a quo deducitur.

23. Ex iis porro quae heic enucleavimus patet motiva *intrinseca* certitudinis, seu intrinsecos fontes cognoscendi ex quibus illa dimanant, esse *sensum intimum* quoad facta interna; *sensibilitatem*, quam vocant, *externam* quoad facta quae aliunde proveniunt, ac demum *rationem* quatenus vel prima necessaria atque universalia principia exhibet, vel alias veritates ex aliis jam certis ratiocinando deducit. Patet insuper certitudinem quam diversa ejusmodi motiva gignunt, esse vel *logicam* aut *metaphysicam*, vel *physicam* dumtaxat, prout certitudinis motiva ab uno alterove ex illis fontibus desumuntur (3).

q. 2. ar. 2., quae est in scientia et intellectu *est ex ipsa evidentia eorum* quae certa esse dicuntur ». Ea porro evidentia supponit *aliquam* necessitatem *propositionis* clare perspectam, qua fit, ut animus rationabiliter suum ejus veritati consensum denegare non possit. *Per propositionem* generatim hic intelligimus quamcumque veritatem sive *rationis* sive *facti*, quae nimirum, qualiscumque demum ea sit, per aliquam propositionem semper potest enunciari.

(1) Tales sunt omnes veritates mathematicae, axiomata etc. cujus videlicet necessitas ex ipsis idearum necessariis relationibus exurgit.

(2) Tales sunt veritates facti interni, quae scilicet ab ipsa interiore cujusque conscientia immediate revelantur, uti propria existentia etc.

(3) *Logica* ac *metaphysica* necessitas pro una eademque a veteribus accipiebatur ac etiamnunc accipitur. Plerique tamen logicam ad necessitatem intrinsecam ex relationibus idearum exurgentem, metaphysicam ad facta sensus intimi immediate referunt. Nos metaphysicam necessitatem dicimus, tum quae in intrinseca idearum convenientia vel repugnantia sita est, quaeque absoluta cum sit, cum logica necessitate identificatur; tum quae in facto sensus intimi immediato nititur, quaeque me-

24. Per motiva autem *extrinseca* certitudinis ea proprie intelligimus, quae nobis nullo pacto aperiunt veritatem intrinsecam propositionis, seu necessarium nexum quo subjectum ac praedicatum intrinsece copulantur, sed tamen nobis praebent indicium vel connotatum aliquod certum de nexu illo, ac proinde de ipsius propositionis veritate (1). Hujusmodi porro indicium potissimum est *auctoritas*, sive testimonium aliorum; quoties propterea certitudo habetur de connexione hujus indicii, nimirum *auctoritatis*, cum propositione de qua agitur, ac simul certitudo de illius indicii veritate, certi omnino reddimur de veritate ipsius propositionis (2). At quoniam haec certitudo non inde provenit, quod illius veritatis rationem intrinsece perspiciamus, sed ab extrinseco cognoscendi fonte, scilicet auctoritate, hinc nos veritati illi ob auctoritatem assentiri, id est, *credere* dicimur. Quo fit ut si auctoritatis veritas evidens sit, propositio quae per eam innotescit *evidenter credibilis* fiat. Auctoritas vero sive te-

taphysica *hypothetice* est. Certitudo physica duplicis est generis: quandoquidem talis est tum illa quae ex sensibilitate externa immediate provenit, tum illa quae partim nititur huic sensibili immediatae perceptioni, partim vero principio firmo rationis in legum physicarum constantia fundato. Ita dum corpus aliquod video, certus sum physice illud gravitate pollere, etiam ante omne experimentum.

(1) Egregie duplicem hunc cognoscendi modum ac certitudinis fontem intrinsecum et extrinsecum explicat cl. Gerdilius in sua *Introduz allo studio della religione* ed. Rom. tom. IX, p. 27. « Per conoscere la verità o la falsità di una proposizione conviene sapere, se l'attributo che si afferma o si nega convenire al soggetto, a lui conviene realmente o non conviene. Ora due sono le maniere d'investigare cotesta convenienza, l'una traendo dall'idea del soggetto e dell'attributo argomenti o evidenti, o verisimili, che una tal convenienza dimostrino o additino. L'altra maniera si adopera, quando nel soggetto e nell'attributo considerati verso di loro niente appare, che ne scuopra la lor convenienza, o ripugnanza, onde forzati siamo di ricorrere ad argomenti estrinseci, che di questa convenienza, o ripugnanza ne facciano certi. Nell'adoperare la prima maniera il giudizio che si fa della verità, o falsità di una proposizione, nasce dalla conoscenza diretta, che si ha della verità, o falsità di quella considerata in se medesima, voglio dire, che si vede, o s'intende in qualche modo la connessione o ripugnanza, che passa tra l'idea del soggetto e dell'attributo, e si sa pertanto non solo, ch'è vera, ma di più quale è la ragione, che intrinsecamente ne determina la verità. Colla seconda maniera si può saper soltanto, che sono gli estremi connessi, o ripugnanti, senza che aver si possa una diretta conoscenza della lor connessione, o ripugnanza: onde sta la sicurezza, che una cosa è vera senza veruna intelligenza della sua verità, giacchè la verità obbiettiva consiste nella connessione delle cose ». Hanc ipsam theoricam pertractat p. 135 et seqq.; eandemque applicat *mysteriis* christianae revelationis. Quamvis porro *auctoritas* praecipue pertineat ad hunc cognoscendi fontem extrinsecum, non ea tamen sola ipsum constituit: etiam quae dicuntur *apogogicae* demonstrationes seu *ab absurdo*, ab extrinsecis argumentis procedunt.

(2) Certe etiamsi e. g. quis numquam viderit Londinum, ac proinde haud videat quomodo attributum existentiae realiter conveniat ei civitati, tamen cum tanta testimoniorum ac monumentorum copia illam propositionem facti, quod *Londinum existit*, suffultam cognoscat, *extrinsece* quidem, sed omnimodam acquirit certitudinem, quod haec propositio facti verissima sit.

stimonium cum vel Dei ipsius possit esse vel hominis, fides vel divina erit vel humana.

25. At enim quamnam certitudinem de illius extrinseci indicii veritate, scilicet *auctoritatis*, assequi possumus, et quaenam inde necessitas assensus dimanat? Si auctoritas illa in Dei ipsius testimonio posita sit, absolutam ac metaphysicam certitudinem parere per se patet. At si de hominum testimonio circa sensibilia facta sit sermo, illud certe per se errori obnoxium esse posse quis neget? Attamen hoc ipsum testimonium adeo plerumque omnibus spectatis, ac praesertim si pluribus testibus confletur, ineluctabile evadit, ut firmam illam ac rationabilem de veritate rei cognitae persuasionem, propriam scilicet veramque certitudinem parere possit ac debeat. Ex una etenim parte probari plerumque potest testium *scientia* vel cognitio facti, quae nimirum certitudine physica nititur, quaeque connexionem testimonium inter et factum certissime ostendit: ex altera vero parte firmiter adeo potest probari eorum veracitas, ut evidenter constet eos illis in adjunctis non modo non esse mentitos, sed nec potuisse quidem actu mentiri. Id namque si quis negare aut in dubium revocare tunc velit, eo deveniat oportet ut effectum omnino sine causa dari posse asserat, ac principium proinde metaphysice certum inficietur (1).

26. Haec igitur veracitas in iis fundatur legibus quae naturae hominum morali alte insident, quasque constantissimas esse ex perpetua omnium aetatum ac locorum circa mores agendique rationem hominum observatione est apertissimum. Hinc certitudo *moralis* vocatur, quae quidem in humana vita latissime patet, cum non fides modo omnis historica, sed scientiae politicae, legislativae, judiciales, oeconomicae quibus humana societas gubernatur, suum in ipsa habeant fundamentum. Humana igitur auctoritas, licet saepe probabilitatis fines non excedat, plerumque ad veram certitudinem assurgit, quae non possit ab homine ratione utente respui, quin sibi, saltem quandoque, haud minorem inferat vim, quam si veritatem aliquam logica necessitate pollentem oppugnet (2). Quare omnino rejicienda veluti hujus certitudinis eversiva ea est philosophica doctrina, quae illam dumtaxat repetit ex officio morali, quo nos hisce in casibus, propter rationis practicae dictamen, tenemur ad assensum testimonio aliorum praestandum (3). Nam quamvis id daretur, cum veritas hujus testimonii probabilitate tantum constat, qua quidem una in plerisque vitae negotiis homines prudenter agere possunt, falsum tamen de vera morali certitudine esset. Haec enim theoretice etiam, scilicet in ratione ipsa theoretica persuasionem illam ingerat oportet, quae

(1) Rem hanc mirifice illustrat cit. Gerdilius in *Saggio d' instruzione Teologica* art. *Della storia umana:* cit. ed. tom. x, p. 270. Cf. etiam *Défense du Christianisme* ou *Conférences* etc. *par Mg. Frayssinous. Du Temoignage*, nec non egregias *Philosophicas institutiones* cl. collegae mei nunc in Greg. coll. theol. dogm. profess. P. Aloysii Dmowski, Lovanii primum cusas, ac postea Romae recusas: tom. I. logicae pars. II, art. x. *De auctoritate*.

(2) Recol. superius dicta in nota. Verissime iterum adnotat Gerdilius, quod cum agitur de probabilitate licet maxima, persuasio animi potius fertur ad *facilitatem* quod factum ita se habere possit; sed in certitudine morali, judicium animi fertur directe in ipsam *existentiam* ac *veritatem* facti, atque in ea conquiescit. Cf. *Diss. dell' orig. del senso morale:* tom. II, opp. pag. 201.

(3) Hanc esse G. Hermesii doctrinam nemo est qui nesciat, de qua alibi fusior erit sermo.

firma et rationabilis sit, quaeque omnem errandi formidinem, omneque dubium excludat (1). Nam si in ratione theoretica semper maneret mera probabilitas licet summa, ac nonnisi per rationis practicae seu moralis dictamen vera fieri deberet certitudo, jam numquam ad hanc certitudinem perveniretur, quippe per meram illam practicam acquiescentiam nec rerum immutaretur natura, nec theoretica ratio firmam illam persuasionem, quae dubium omne amovet, umquam assequeretur.

27. Patet itaque 1. certitudinem sive logicam ac metaphysicam sive physicam, sive moralem in natura verae certitudinis aeque convenire: 2. pro diversa tamen objecti natura ac diverso motivo ex quo gignitur non eandem, sed *diversam* propositionis *necessitatem* requiri: 3. ea quae sive intrinseca necessitate *a priori*, sive necessitate intrinseca in ipso immediato sensus intimi facto fundata nituntur, ejusmodi intuitiva evidentia fulgere, ut intellectus assensum omnino rapiant ac extorqueant: quae vero ex primis veritatibus intuitivis longiore deductione eruuntur; item quae physica vel morali certitudine tantum constant, non eandem immediate vim in intellectum habere, propterea in iis assentiendo voluntatis influxui magis aditum patere posse (2): 4. *scientiam* ac *fidem* in eo praesertim discriminari, quod in illa intrinsecam propositionis veritatem, seu rationem ejusdem clare pervideamus, ac rem proinde per causas suas cognoscamus; in hac vero nullatenus perspiciamus intrinsece, sed indicium dumtaxat, certum tamen, habeamus ex quo nobis *extrinsece* propositionis veritas constat.

28. Non igitur scientia ac fides simul sunt permiscendae: quod quidem facere videntur, qui nuperrime statuunt scientiam omnem sine fide satis haud esse ad realitatem objectivam rerum constituendam (3): scientiam seu *scire* nonnisi necessitatem cogitandi et cognoscendi gignere posse, sed non necessitatem pro vero ac reali objectum cogitatum ac scitum tenendi: hoc tantum haberi cum

(1) Certitudo non potest nisi ad rationem *theoreticam* pertinere, atque ex hujus firma persuasione progigni, unde ratio *practica* nil certi imperare potest nisi in ratione theoretica fundatum sit. Secus non erit nisi mere practica *fides et acquiescentia*, quam etiam sceptici et acataleptici ultro admittebant, quamque recentiores Kantiani, Fichtianique ultro ac libentissime veluti naufragii tabulam arripiunt.

(2) Certe dum intellectus *directe* percipit ea quae intuitiva evidentia pollent, nil potest in iis voluntas: tamen quoad illas ipsas veritates in cognitione *reflexa* posset voluntas saltem conari intellectus evidentiam obscurare, aut certe alio ejus attentionem divertere, ne veritatum illarum fulgore percellatur. Ita porro agunt sceptici omnes, si quidem eo dementiae progredi queunt, dum primitivas ipsas veritates rationis et facti in dubium revocant. Cum autem veritas immediate non fulget, cum ratiocinatione opus est, et praesertim si haec plurium factorum contingentium examini nitatur, voluntas, si male comparata sit, potest multo facilius ordinem idearum perturbare, ita ut veritas intellectui satis non appareat. Ita in certitudine praesertim morali fieri potest. Hinc est quod ut sani omnes philosophi docent, ad inquisitionem veri nimis interest, ut voluntas recte ac sincere procedat. Fuse distinctionem inter *directam* et *reflexam* cognitionem enucleat cl. Rosmini in op. *Origine delle Idee*, Romae, vol. IV, pag. 303.

(3) Haec doctrina ex Hermesii fontibus fluxit, uti suo loco videbimus. Attamen eam magis evolvit ac illustravit prof. Baltzer a nobis jam citatus, qui nempe eam omnino necessariam existimat ut absurda Kantiana, et Fichtiana principia de certitudine objectiva convellantur. Cf. op. cit. fascic. 1. § 14. *Glauben und Wissen*, seu *credere et scire*.

scientiae praeviae accedit, veluti novus ac omnino distinctus psychologicus status, *fides* qua credimus firme veritati illius cognitionis, ac objectorum per eam cognitorum realitati (1). Unde certitudo non ex scientia licet intuitivae evidentiae, sed ex accedente illi fide suam psychologicam genesim, ut loqui adamant, agnoscit. In eo vero fidem *scientiae*, ac fidem *auctoritatis* seu historicam discrepare, quod una sit fides *sciens* ac proinde necessaria, altera fides *non sciens* ac propterea libera. Ex quibus arguunt, scientiam seu *scire* semper in quavis cognitione fidei subordinari (2). Haec certe nobis probari non possunt; 1. quia scientia cum fide, *scire* cum *credere* proprie dicto confunditur, idque non sine aliquo saltem fidei supernaturalis periculo: 2. quia a sensu vocabulorum ab omnium philosophorum ac theologorum, quin immo ab ipso communi hominum judicio ac usu firmato receditur: 3. quia supponitur *scire* nil aliud esse nisi purum cogitare ac cognoscere. Atqui, quidquid de transcendentalibus sit, certe *scire* est judicium de aliqua re firmum ob perspectas intime rationes habere, quod necessario mentis assensum veritati ac realitati rei debet includere; qui quidem assensus non a fide, sed ab ipsa veritatis intelligentia progignitur (3).

(1) Ita exemplo rem explanat prof. Baltzer: « Cum ego ex. gr. cogito simpliciter quod *Deus existat*, nil hactenus habeo nisi *cogitationem*, *ideamque Dei* in conscientia mea, ac consequenter *cognosco* et *scio* Deum, quatenus homines de eo *loquuntur* veluti de ente quod praesupponunt a se ipsis dualistice contradistinctum, sed nondum habeo *praesuppositionem* in me *realitatis* Dei quem cogito. Haec realitas tantum mihi praebetur ex *Fide* quae ad cogitationem superaccedit, in qua quidem fide ego *determinor* ad realitatem Dei cogitati tenendam, tamquam entis revera extra me existentis ». Ibid. pag. 66.

(2) Certe ut eodem exemplo utar Auctoris, cum ego scio *Deum existere*, non *cogito* dumtaxat de Deo, illumque cognosco velut ens quoddam *possibile et abstractum*, sed ex principio metaphysico causalitatis cognosco illum veluti ens revera ac necessario existens, ac evidenter video impossibile metaphysice esse ut non existat. Igitur in hoc *scire* de Deo includitur judicium ac proinde assensus intellectus realitati ipsius. Verum est quod ad hoc ut persuasio hac de re firma et immota maneat, adhaesio etiam ex parte voluntatis in actibus *reflexis* requiratur: sed cum judicium illud quod intellectum directe determinat ad assensum, sit evidentibus rationibus suffultum, voluntas, nisi suam rationalitatem oppugnare velit, eidem adhaerere debebit; quod cum faciat non ex *fide*, sed ex veritate evidenter cognita, id facere voluntas dicenda est. Falsum suppositum hujus systematis in eo videtur esse quod assensus realitati objectivae tantum voluntati, non etiam intellectui tribuatur, quod falsum est.

(3) Sic etiam Aristoteles de primis principiis ait: « Sunt enimvero haec, et vera et prima, quae non ab aliis, sed a seipsis *fidem habent* » (*Topic.* lib. I.), unde Aligherius noster Aristotelis cultor:

« . . . Fia per se noto
A guisa del ver primo a che l'uom *crede* ».
(Parad. II. v. 44.)

Ita etiam Tertullianus *lib. de Testim. animae* ajebat: « ut et naturae et Deo credas, crede animae »; sed haec lato modo dicta esse apparet. Certe Augustinus cujus auctoritatem ad se prof. Baltzer trahere vellet, semper inter scientiam et fidem apprime distinxit. « Quod intelligimus debemus rationi, quod credimus, auctoritati ». *lib. De utilit. cred.* cap. XI, n. 25. Sed magis philosophice rem attingit *Retract.* lib. I, c. XIV. ubi scribit: « Proprie quippe quum loquimur id solum *scire* dicimur, quod *mentis firma ratione* comprehendimus. Cum vero loquimur verbis

Quamobrem, licet latissimo quodam modo et conscientiae aliquid interius revelanti et principiis ipsis intuitivis, et rationi necessarias illationes inde deducenti, ac demum, ut ajebat Augustinus, veritati ipsi nos *credere* dici possimus (1), haec tamen verborum latitudo ac *improprietas* amovenda est, cum notiones proprie ac philosophice debent constitui ac definiri; nec ex eo quod criticistae ac trascendentales nil nisi *scire* admittant, eoque pessime abutantur ut *fidem* omnem rejiciant, debet verum inter fidem ac scientiam discrimen elevari.

29. Ex hactenus declaratis ad nonnullas philosophicas notiones enucleandas, quae nimis arcte cum re nostra conglutinantur, liceat nobis quaedam inconcussa principia statuere, quae fundamentum tractationis nostrae sint, et sine quibus quaevis de rationis officio ejusque recto usu ante fidem disputatio haud rite susciperetur. Sunt autem:

30. 1. Humanam rationem non ad falsum, quod intrinsece absurdum esset, et Auctori suo injuriosissimum, sed ad verum natura sua comparatam esse, illudque proinde naturalibus mediis quibus pollet, posse saltem in aliquibus tuto assequi.

31. 2. Aliquas dari primitivas veritates sive *facti* sive *rationis*, quae intuitiva evidentia omnibus fulgent; quae a nemine, quin naturam suam rationalem oppugnet, in dubium revocari queunt; quae non ideo verae sunt quia ab omnibus necessario agnoscuntur, sed ideo ab omnibus necessario agnoscuntur, quia verae sunt; quaeque cum iis judiciis quae facile ac sponte veluti consectaria inde fluunt communem hominum sensum rationalem constituunt.

consuetudini aptioribus, sicut loquitur etiam divina Scriptura, non dubitemus dicere scire nos, et quod percipimus nostris corporis sensibus, et quod *fide dignis credimus testibus, dum tamen inter haec et illud quid distet intelligamus* ». Ex quo patet tantum abesse ut Augustinus, omne *scire* ad *credere* revocet, ut potius, juxta communem loquendi modum, *credere* ipsum ad *scire* revocari posse fateatur, quamvis philosophice loquendo omnino inter se discriminentur. Nil opus est de s. Thoma dicere fideli Augustini discipulo, quique certe inter *scire* et *credere* eandem distinctionem accurate servavit, prout luculentius ex dicendis patebit.

(1) Prof. Baltzer confidit se posse hoc systemate Kantii principium convellere, qui in scala, ut ita dicam, psychologica primo *opinari* posuit, deinde *credere*, tertio *scire* tamquam supremum statum psychologicum. Certe hoc principium falsissimum est ex ea parte quod tantum *scire* dare possit nobis realitatem objectivam (quamquam in Kantiano systemate *scire* ipsum nonnisi phaenomena exhibeat); cum etiam *credere*, dum ex validis extrinsecis argumentis fiat, nos de realitate rerum objectiva certos reddere queat. Quis enim non aeque certus sit de existentia objectiva ac reali urbis Romae si eam propriis oculis videat, ac proinde *sciat*, aut si ex tot testium auctoritate cognoverit, ac proinde *credat?* Igitur ex hac parte *scire et credere* in eodem psychologico gradu sunt. Verum quis neget relate ad vim intelligendi, *scire*, cum intimas rerum rationes aperiat, nobiliorem cognoscendi esse modum? Hinc certe in ipsis religionis mysteriis quae nunc per *speculum* et in *enigmate*, nimirum per fidem contemplamur, in altera vita, Deo dante, *intelligentia* comprehendemus, quantum nempe licet finitae menti. Videat ceterum Baltzer, quamvis optimo hac in re animo procedat, ne dum Fichtei principia extollit (in quo Hermesium nimis imitatur) qui in *fide* tantum, non autem in scientia *realitatem objectivam* collocavit, hanc ipsam realitatem infirmet. Nam, quamvis ipse inter se et Fichteum hoc statuat discrimen, quod huic *fidei* etiam *scire* necessarium praecedere debere ipse supponat (id quod Fichteus non agnovit), nimis tamen Fichtiano placito affine

32. 3. Non igitur de omnibus ratiocinandum esse, non omnia demonstranda (1): quando nec omnia demonstrationis capacia sunt, et si res ita se haberet, nulla unquam ratiocinatio, nulla foret possibilis demonstratio.

33. 4. Licet certitudo, cum subjectivus animi status sit, possit relativa etiam esse, dari tamen pro humana ratione in aliquibus certitudinem *absolutam*, quae nimirum pro omnibus certitudo esse debeat, eademque prorsus *objectiva* quae scilicet fallibilis esse nequeat; quod qui negaret, nae ille rationis ipsius naturam ex dictis destruere, de ejus Conditore sapientissimo male sentire, ac latissimam scepticismo non philosophico tantum, sed etiam religioso viam aperire dicendus esset (2).

34. 5. Hanc *absolutam* certitudinem posse in aliquibus dari in *ordine cognitionis* seu *psychologice* independenter ac *praecise*, ut scholae vocabulis utar, etiam ab ipsa Dei cognitione, Deique veracitate, quamvis in *ordine essendi* seu *ontologico* a Deo ente necessario

ac periculi plenum est contendere, realitatem quamcumque objectivam etiam in intuitiva evidentia fundatam, non posse demum nisi per *actum credendi* tuto certoque arripi.

(1) Optime s. Th. *De verit.* q. 1. art. 1. « Sicut in demonstrabilibus, inquit, oportet fieri reductionem in aliqua principia per se intellectui nota, ita investigando quid est unumquodque; alias utrobique, in infinitum iretur, et sic periret omnis scientia et cognitio rerum ». Sapienter itaque Baldinotti: « *Ratione* quidem, scribit, semper utendum est, *ratiocinio* non semper: id est impossibile: basis namque et fundamentum ratiocinium habere opus est: non autem in alio ratiocinio, quod ad progressum in infinitum cogeret. Aliquid igitur est de quo ratiocinandum non est »; qui deinde pergit ostendere tales esse primitivas veritates tum rationis tum facti, quas ut mens assequatur, rationem non debet exercere; sufficit ut percipiat, cum in hoc simplici ac primitivo perceptionis facto veritas ipsarum affulgeat, atque inde earum certitudo firmissima oriatur. op. cit. cap. VII. *De vero* pag. 248. Hinc satis apparet absurditas trascendentalium, qui dum nullam primitivam ejusmodi veritatem agnoscere volunt, ac philosophiam, quam dicunt *Voraussetzunglos*, omni scilicet *praevia suppositione carentem*, inquirunt, aut in scepticismum ruunt, aut demum ad aliquid omnino *gratuito* ac *falso* supponendum necessario deveniunt, super quo totum posthac suum philosophicum systema construunt. Ita Fichteus ab *absoluto Ego* supponendo profectus est; ita Schelling *intuitionem immediatam absoluti* gratuito supponit; ita Hegel in ipsa idea *subjectum et objectum*, *cogitare et esse* identificari prorsus admisit. Ita e contra philosophi alii, qui rationis vim infringunt, evidentiae intuitivae primarum veritatum certitudinem subtrahentes, eam gratuito prorsus tribuunt vel caeco cuidam instinctui, vel naturali cuidam fidei, vel demum auctoritati.

(2) Si omnis profecto certitudo *relativa* esset, num aliqua pro omnibus hominibus veritas in quocumque ordine certa ac firma daretur? Male porro argumentantur qui dicunt omnem rationis certitudinem esse *humanam*, in Deo solo scire et esse identificari, ac proinde absolutam certitudinem dari. Esto enim quod hominis ratio *humana* sit, ac proinde *fallibilis*, num propterea nil infallibiliter poterit cognoscere? Num, ut loquar cum D. Thoma *divini luminis impressionem* non habet? Et quae haec esset impressio, si nil certi *absolute* posset cognoscere, si ne quidem se existere, se percipere absolute hac certitudine sciret? Ad rem Malebranchius quem adversarii veluti testem non rejicient: « De là il est évident qu'il y a du *vrai* et du *faux*.... et cela à l'égard de toutes les intelligences. Que ce qui est vrai à l'égard de l'homme, est vrai à l'égard de l'Ange et à l'égard de Dieu même ». *Traité de morale*, prem. part. Lyon 1707. pag. 5.

atque absoluto omnia entia necessario pendeant. Humana quippe ratio, sicut quidquid aliud est entis contingentis, certe non existeret *ontologice* nisi Deus esset; sed dum *psychologice* cognoscit, non posset vel Deum ipsum ut existentem ac veracem certo cognoscere ac tenere, nisi absoluta certitudine sese ipsam existere sciret (1).

55. 6. Nexum illum, de quo tantopere transcendentales secum certant, inter subjectum et objectum, in ipsa sensibili ac intelligente hominis natura fundari: quandoquidem humanus animus ex duplici quem habet cognitionum ordine empirico atque ideali, dum seipsum sentit ac percipit, fit necessario certus de realitate sua objectiva: atque in seipso actibusque suis invenit intrinsecam rationem principiorum illorum necessariorum *a priori*, quod non datur *accidens sine substantia*, nec *effectus sine causa*; quae proinde principia non *synthetica* a priori, sed prorsus *analytica* et *identica* sunt, non *logica* tantum, sed *metaphysica* ac *ontologica*, et ad realitatem objectivam demonstrandam firmissima (2).

56. 7. Demum eam semper prae oculis habendam esse philosophicam distinctionem quae inter ordinem *logicum* ac ordinem *chronologicum* cognitionum, atque ordinem factorum *historicum* intercedit (3). Ordo quippe *logicus* intrin-

(1) « Dei veracitas et existentia, ut probe adnotat Baldinotti, veri fons est et causa omne verum comprehendens, non est cognitionis humanae criterium »: op. cit. p. 214. Duplicem hunc ordinem *essendi* ac *cognoscendi* apprime semper distinxere scholastici omnes. Certe si principium contradictionis ac evidentiam ex Dei veracitate probemus, unde nam statuemus Deum esse veracem? An quia evidenter percipimus absolutam oppositi impossibilitatem? Atqui hic esset *diallelus* ille seu circulus vitiosus in quem Gassendus, aliique, ac recentius etiam Bühle Cartesium incidisse contendebant. Quamquam immerito id opponebatur Cartesio, quippe qui numquam certitudinem existentiae suae, ac intuitivam evidentiam ex Dei veracitate probandam duxit, ab eaque sese accusatione defendit in *Réponse aux secondes objections*. Cf. quae hac de re habet egregie Galluppius *Saggio* etc. tom. I, pag. 331 seq.

(2) Qui cum laude inter recentiores ideologiam excoluerunt conveniunt omnes principium *substantiae* ac principium *causalitatis* esse quidem *a priori*, quippe non ab experientia ac inductione pendeant, uti Humius contendebat, sed tamen ea esse omnino *analytica*, cum notio accidentis et notio effectus non connectantur cum notione substantiae et cum notione causae ex quadam *caeca* rationis *synthesi*, ut Kantius asseruit, sed ex ipsa intima earum relatione, qua fit ut unam in altera includi, seu unam cum altera veluti praedicatum cum subjecto necessario connecti, ratio pervideat: notiones vero illas non mere abstractas ac logicas esse, sed *concretas*, ac *psychologicas*, quandoquidem in ipsa nostri conscientia *substantiae ideam* invenimus, ac in ipsis actibus nostris activis tum intellectus (uti ex. gr. in ratiocinatione), tum praesertim voluntatis habemus notiones reales *caussae* ac *effectus*. Si igitur haec principia logicam necessitatem habent, cum sint *a priori*, et tamen in ipsa realitate objectiva fundantur, quoties legitime quidquam ex ipsis infertur, necessario ad objectivam realitatem adducunt. Non sunt enim merae leges *subjecti* percipientis, sed omnino *objectorum* perceptorum sunt leges. Haec attigisse pro re nostra sufficiat, nos ceterum remittendo ad eos egregios philosophos qui hac de re ex professo pertractant, ac varios modos probandi realitatem mundi externi adversus idealistas ac trascendentales expendunt.

(3) Ordo chronologicus cognitionum veritatum est *relativus*, siquidem pendet ex subjecto, quod earum veritatum notionem acquirit, ac ex variis adjunctis quae facultati co-

secum inter cognitiones nexum persequitur, quomodo una ex alia pendeat, una in altera contineatur, edocet, ac proinde an et quomodo ex suis quaeque veritas principiis demonstrari possit, ostendit. Ordo autem *chronologicus* exhibet naturalem genesin cognitionum; scilicet undenam illarum derivatio incoeperit, et quomodo ipsarum evolutio gradatim ac sua veluti sponte facta fuerit. Primus est ordo cognitionum philosophicus ac abstractus, alter ordo facti atque concretus. Ordo vero factorum *historicus* non respicit ordinem *cognitionum* in mente, sed facta generatim quae in humanitatis historia successive evolvuntur. Harum vero distinctionum usus ex dicendis luculenter patebit.

57. Haec nos praenotanda ac statuenda esse duximus, ut rectum rationis usum ante fidem, id est ad religionem inquirendam ac capessendam expenderemus. Quod quidem nunc aggredimur per continentem seriem propositionum, ut veritas suo in lumine collocetur, atque ab erroneis hinc inde doctrinis defendatur.

PROPOSITIO I.

Plures veritates naturalis ordinis, quae tamquam praeambula fidei spectari possunt, absque supernaturalis revelationis subsidio, recta ratio omnimoda certitudinè cognoscere potest

58. Praeambula fidei cum s. Thoma (1) ac communi saniorum theologorum consensu vocamus praecipuas illas veritates quae tum animi humani naturam spiritualitate, libertate, immortalitate praeditam ostendunt, tum Dei existentiam, ejusque perfectissima attributa demonstrant, tum demum legem moralem circa actiones intrinsece bonas vel malas versantem, qua homo ad ultimum finem suum naturaliter dirigi debet. Naturales porro hae veritates sunt, quia hominem in ordine dumtaxat naturae spectant, ac ab ordine supernaturali omnino praescindunt.

59. Instituitur haec propositio adversus *supernaturalistas* (2) quos vocant,

gnoscendi subsidio vel impedimento esse possunt. Ordo logicus veritatum est *absolutus*, quippe statuit intimas idearum relationes ac nexus, quae ex ipsa rerum natura exurgunt. Ut exemplo rem declarem: potest quaeri quonam pacto homines primitus ideam ac certitudinem veritatis alicujus acquisierint: et praeterea num haec veritas talis sit, ut queat ratione cognosci, ac probari. Hae sunt quaestiones plane distinctae, ac independentes. Altera ad facta, ad historiam, ad traditionem pertinet; altera ad idearum naturam, ac humanam cognoscendi vim. Itaque etiamsi ex. gr. probaretur, homines ex facto per alia media ad eam veritatem certo cognoscendam pervenisse, hoc non conficeret quod ratione cognosci ac probari absolute non possit, cum haec quaestio alterius ordinis sit, et ex ipsa rei natura pendere debeat. Hinc traditio historica ac ratio sunt veluti duae lineae parallelae, quae confundi non possunt, sed quaenam vera inter ipsas relatio detur accurate statuendum. Haec in antecessum sint dicta.

(1) 1. p. q. 2. ad 1. « Deum esse et *alia hujusmodi*, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1. non sunt articuli fidei, sed *praeambula* ad articulos ».

(2) Cum *supernaturalistarum* nomen aequivocum sit, et tum in bonum tum in deteriorem sensum sumatur, ne minus peritis confusionem ingeneret duplex ejusdem acceptio, animadvertere debemus, quod si cum rationalistis ac mythicis res sit, *supernaturalistae* vocantur qui divinam immediatam ac supernaturalem revelationem et inspirationem divinarum Scripturarum propugnant: si vero agatur de quaestionibus quae modo agitantur circa ra-

qui omnium hujusmodi veritatum fontem ac criterium esse divinam positivam revelationem primitus homini factam, ac deinde per traditionem in omnes homines propagatam contendunt. Itaque juxta istos humana ratio, revelatione illa seposita, numquam *per se* pervenire potuisset aut posset sive ad cognoscendas sive ad demonstrandas fundamentales illas veritates, sic ut quaevis earum scientia a positiva fide suum agnoscere principium debeat ac fundamentum. Rationem ajunt impotentem plane esse cuicumque metaphysico problemati apodictice resolvendo: rationales discussiones ad quidpiam certi ac absoluti non ducere; quidquid a ratione argumentis logicis probari queat, ejusdem generis argumentis oppugnari ac destrui facile posse. Quare philosophiam omnem quae ex meris rationis principiis proficisceretur, numquam veritatem asseculuram, atque christianae fidei indoli adversantem decernunt (1).

40. Nimis porro longum esset et a nostro instituto alienum quod contendimus ostendere de singula quavis ex recensitis naturalibus veritatibus; hinc nos ad unam tantum probationes nostras coarctabimus, ad naturalem cognitionem scilicet, ac demonstrationem existentiae Dei, quae sane veritas et praecipua inter illas est, et potissimum argumentum fuit contra quod adversarii machinas suas admoverunt. Et quamvis hac de re satis superque in Tract. de Deo disputaverimus, heic tamen directe oppugnamus eos qui negant eam nativo

tionis vim et officium, *supernaturalistarum* nomine ii significantur, qui omne adimere vellent rationi jus et officium, ac omnia transferre in solam supernaturalem revelationem ac fidem. Hac porro posteriore significatione hoc vocabulum heic usurpamus.

(1) Tales sunt D. Bautain et qui hanc in re ejus placitis adhaerent. Jam admonuimus D. Bautain commendabili plane docilitate se recepisse ab ejusmodi doctrinis in cujus rei testimonium heic subjicimus declarationem quam subscripsit una cum sociis suis Paris. 8. Septembris 1840. sibi oblatam a novo coadjutore Argentoratensi D. Raess his verbis expressam: « Désirant nous soumettre à la doctrine qui nous a été proposée par Mr. l'Évêque, nous soussignés déclarons adhérer, sans restriction aucune, aux propositions suivantes: 1. Le raisonnement peut prouver avec certitude l'existence de Dieu et l'infinité de ses perfections. La foi, don du ciel, suppose la révélation; elle ne peut donc pas convenablement être alléguée vis-à-vis d'un athée en preuve de l'existence de Dieu. 2. La divinité de la révélation mosaïque se prouve avec certitude par la tradition orale et écrite de la synagogue et du christianisme. 3. La preuve tirée des miracles de J.-C. sensible et frappante pour les témoins oculaires, n'a point perdu sa force avec son éclat vis-à-vis des générations subsequentes. Nous trouvons cette preuve en toute certitude dans l'authenticité du N. T., dans la tradition orale et écrite de tous les chrétiens; et c'est par cette double tradition, que nous devons la démontrer à l'incrédule qui la rejette, ou à ceux qui, sans l'admettre encore, la désirent. 4. On n'a point le droit d'attendre d'un incrédule qu'il admette la résurrection de notre divin Sauveur, avant de lui en avoir administré des preuves certaines; et ces preuves sont déduites par le raisonnement. 5. Sur ces questions diverses la raison précède la foi et doit nous y conduire. 6. Quelque faible et obscure, que soit la raison par le péché originel, il lui reste assez de clarté et de force pour nous guider avec certitude à l'existence de Dieu, à la révélation faite aux juifs par Moïse; aux chrétiens par notre adorable Homme-Dieu ». Post haec, tantum abest ut putemus eidem cl. Auctori quidpiam detrahere nostra hac confutatione ejus systematis, ut potius ei ex corde gratulemur, ac rem ipsi gratam nos facere confidamus, ne ceteri tali doctrina abutantur.

rationis lumine cognosci ac demonstrari posse; id quod et Scripturarum oraculis adversans, et constanti patrum doctrinae oppositum, ac denique revelationi christianae infensum sic esse probamus.

41. Ac primo quidem Scripturarum oraculis adversari novum hoc systema exinde evincitur, quod istae perpetuo supponant hominem ex adspectabili hoc universo assurgere posse, imo et *debere* in cognitionem Dei. Etenim Job XXXVI. 25 legitur: « Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul (1) »; Sap. XIII. 1. luculentius adhuc dicitur: « Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: et de his, quae videntur bona *non potuerunt intelligere* eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex »; et rursum: « A magnitudine enim speciei et creaturae, *cognoscibiliter* poterit creator horum videri (2) ». Quapropter Apostolus Act. XIV. 14. seqq. « Qui fecit, inquit, caelum et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt. Qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem *non sine testimonio semetipsum reliquit*, benefaciens de caelo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra ». Jam vero inane prorsus esset ejusmodi testimonium quod de se Deus hominibus in creaturis reliquit, si homo ratione sua ex ipsis ad Deum cognoscendum assurgere non posset. Ast ratiocinatione opus non est, cum quod intendimus idem Apostolus aperte declaret in epist. ad Rom. I. 20. dicens: « Invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas; *ita ut sint inexcusabiles:* quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt..... dicentes enim se esse *sapientes*, stulti facti sunt ». Ex quibus postremis verbis intelligimus Paulum de philosophis praecipue hic esse locutum, qui non solum cognoscere Deum, verum etiam ejus existentiam ratione ostendere ac demonstrare potuerunt (3). Omittimus porro brevitatis gratia non pauca similia Scripturarum eloquia quae eandem veritatem confirmant (4).

42. Nec alia insedit patribus sententia: uno siquidem animo omnes prorsus docent hominem ex creaturis bene ratione utentem potuisse ac debuisse de Deo ejusque unitate cognitionem sibi comparare. Ne prolixiores simus unius aut alterius afferemus testimonia, remittentes quoad cetera studiosiores ad auctores qui data opera illa collegerunt. Itaque s. Irenaeus: « Hoc ipsum, inquit, omnia cognoscunt, quando *ratio* mentibus infixa moveat ea ac revelet, quoniam est unus Deus omnium Dominus (5) ». Tertullianus vero scribit: « Deum habere testimonia totum hoc

(1) In quem loc. cf. quae docte scribit Jo. De Pineda S. J. circa naturalem Dei cognitionem ex creaturis haustam. *Comment. in Job.* Venet. 1604. tom. II, pag. 507.

(2) Ibid. v. 5. Ex quibus patet non de *probabili* Dei agi cognitione, ut nonnulli autumant, sed de cognitione omnino *certa* hauriendu ex creaturis. Vid. etiam Corn. a Lapide *Comment.* in hunc locum.

(3) Cf. card. Toletum *Comment. in epist. ad Rom.* Romae 1602. in hunc loc.; item Salmeronem *Comment. in epist. B. Pauli.* Colon. Agrip. tom. XIII. *in epist. ad Rom. diss.* XIII. Estium in hunc loc.

(4) Ps. XVIII, 2. Ps. CII, 22. Ut in aliis in quibus propheta creaturas omnes invitat ad laudandum Dominum, scilicet *objective* per propriam existentiam, ordinem et pulchritudinem. Item Job. XII, 7 seqq. etc. etc.

(5) *Cont. haeres.* lib. II, cap. VI. num. I.

quod sumus et in quo sumus (1) »; qui praeterea luculenter distinguens inter cognitionem Dei supernaturalem seu salvificam quam habemus ex revelatione positiva, et naturalem quam habemus ex creaturis, haec habet: « Nos definimus, inquit, Deum primo *natura* cognoscendum, dehinc *doctrina* recognoscendum; *natura ex operibus*, doctrina ex praedicationibus (2) ». S. Cyprianus ethnicum alloquens ait: « Haec est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis (3). S. Basilius aut saltem antiquus auctor comm. in Isaiam sic Deum loquentem inducit: *Me non intellexit*, quem coelum commonstrat, quem terra et mare declarant, quem sol et luna, stellae et omnes res creatae indicant (4) »; et s. Greg. Naz. « Nimis, inquit, hebes et stolidus est quisquis non huc usque sponte sua progreditur, *naturaliumque demonstrationum* vestigiis insistit atque adeo hoc sibi persuadet ne id quidem Deum esse, quod vel imagine quadam animo concepimus, vel informavimus (5) ». Sic ceteri passim, quin ullus excludi possit (6). Neque his contenti plures ac varias de Dei existentia demonstrationes metaphysicas, physico-theologicas ac morales confecerunt (7), imitantes hac in parte ethnicos ipsos philosophos, qui pariter plura argumenta ex ratione petita ad Dei existentiam evincendam attulerunt (8).

43. A patrum autem vestigiis non recesserunt scholastici, ex quibus satis nobis sit commemorare s. Anselmum, et s. Thomam, quos reliqui passim secuti sunt (9). Etenim s. Anselmus fortasse omnium primus demonstrationem dedit de Dei existentia *a priori* vulgo nuncupatam (10); s. Thomas non solum quinque demonstrationes de Dei existentia proposuit (11), verum etiam data opera eos refellit, qui docebant « quod Deum esse non potest per rationem inveniri, sed per solam viam fidei et revelationis est acceptum » et vocat *errorem* (12). Quae quidem doctrina identica plane cum sit cum doctrina adversariorum nostrorum, patet quod in antecessum de ea protulerit judicium s. Doctor. Atque cum eundem *errorem* renovaverit Socinus cum nonnullis asseclis suis non solum nostrates, verum ipsi etiam protestantes in illum insurrexerunt (13).

(1) *Advers. Marcion.* lib. I, cap. x.

(2) Ibid. cap. XVIII.

(3) *De idolor. vanit.* ed. Maur. p. 227.

(4) In cap. I. Isa. n. 15. De quo auctore cf. admonit. edit. Maur. tom. I, opp. p. 377.

(5) Orat. XXXIV. quae est II. *de Theologia* n. II. cit. ed. Paris. tom. I, p. 540.

(6) Cf. De Valentia *Comment. Theologic.* tom. I, disp. I, quaest. 2. Puncto 2. *Quibus modis probari possit Deum esse. An non solum ex fide, sed etiam evidenter.* ed. Lugd. 1603. p. 66 seqq.

(7) Cf. apud Petavium *de Deo* lib. I, cap. I, et II. et praesertim apud Thomassinum *Theologic. dogm.* tom. I, lib. I, cap. XXI seqq.

(8) Cf. ibid.

(9) Si unum fortasse excipias Aegidium Columnam qui negavit ullo argumento, et card. De Alliaco ac perpaucos alios qui censuerunt *probabili* solum argumento demonstrari Dei existentiam posse, quique a reliquis omnibus refelluntur et impugnantur, ceteri unanimes sunt in adstruenda Dei existentia per veram demonstrationem.

(10) In *Proslogio* cap. II. seqq. Hanc, ut compertum est, adoptavit Cartesius.

(11) I. p. q. 3. ar. 3.

(12) *Contr. gent.* lib. I, cap. 12. ubi late hunc *errorem* pluribus argumentis refellit.

(13) Sane Socinus in *Miscellan.* respons. ad objection. 5. Culten. scribit: « Homo ipse per se nec seipsum, nec Deum, ejusque voluntatem cognoscere potest, sed *necesse est*,

44. Demum revelationi Christianae infensum esse ejusmodi systema, ex eo facile liquet, quod nisi Dei existentia tamquam fidei praeambulum, ut loquitur Angelicus doctor, supponatur, nequeat valide factum ostendi revelationis, quae Dei existentiam praeexigit; seposita enim Dei existentia, revelatio divina ne concipi quidem potest. Si quis porro incredulo Dei existentiam inficianti, hanc veritatem suadere vellet, num id ex sola revelatione conficiet? Atqui hoc veluti petitio principii ab incredulo illo repelleretur, siquidem jam Deum existentem necessario supponit revelatio. Qui igitur autumant ex sola fide seu revelatione posse Dei existentiam constare, validam e medio tollunt viam incredulum de ipsa revelatione convincendi (1).

45. Itaque seclusa positiva Dei revelatione atque ante fidem dari potest ac debet *naturalis* eaque *certa* cognitio ac demonstratio existentiae Dei, qua posita, ex ipso conceptu entis necessarii ac infiniti omnes ejus perfectiones seu attributa sua veluti sponte dimanant, id quod s. Thomas continenti eoque firmissimo ratiocinio in libris praesertim contra gentes ostendit. Quod vero de naturali Dei cognitione ostendimus, id ipsum de animi humani spiritualitate, libertate, ac immortalitate, deque immutabili justi atque injusti norma nativo rationis lumine cognita dicendum est; quandoquidem hae veritates ex primitivis sive facti interni sive rationis veritatibus, ex rationali hominis natura, atque ex ipsius Dei attributis necessario nexu deducuntur, prouti innumeri philosophi atque apologetae qui hac in re versati sunt, egregie praestiterunt (2).

ut haec illi Deus aliqua ratione patefaciat ». Et in *Praelect. theolog.* cap. 2. cum proposuerit receptiorem sua aetate sententiam de cognitione Dei homini ejusque animo naturaliter insita, eam rejecit etiam his argumentis: 1. quod Deus ab initio creationis se primo homini patefecisset: « qui primus homo cum nongentis triginta annis vixerit, posteros suos facile divinitatis opinione imbuere potuit ». 2. Quia « Si divinitatis opinio cunctis naturalis esset, *certe ea non esset ex fide:* atqui *ex fide* eam esse docet epistola ad Hebraeos XI, 6. » Deinde pergit aliorum exponens sententiam, et ea est de qua hic agimus, scribit: « At sunt qui dicant, id saltem negari non posse, ex sola hujus mundi machina, si quis animum advertat, posse quemlibet, non solum Deum esse, manifeste cognoscere, verum etiam rebus humanis eum prospicere, plane percipere. Immo complures addunt, ex eadem machina omnes satis intelligere, quidquid opus est ad eam Dei notitiam, ex qua omnis religio proficiscitur. Sententia ista similiter vel ex eo *falsitatis arguitur* etc. » in *Biblioth. fratrum Polonorum*, tom. I, pag. 537 seq. Hinc Ostorodus socinianus in *Instit. relig. Christ.* cap. I, p. 10. haec habet: « Quantum homines de Deo, aut deitate sciunt, id non habent a natura, neque *ex consideratione creaturarum, sed ex auditu*. Ab initio enim Deus se se hominibus patefecit ». Porro ex nostris hanc doctrinam socinianam confutarunt quotquot Dei existentiae demonstrationem confecerunt. Ex protestantibus inter ceteros ex professo refellit hanc sententiam Calovius op. cit. *Scripta anti-sociniana*, tom. I, p. 51. in diss. *De existentia Dei ejusque naturali cognitione*.

(1) Hinc apposite observat s. Jo. Chrysost. apostolum Paulum Athenienses de divinis alloquentem non ex Scripturis, sed rationibus atque ex principiis ab illis ethnicis admissis processisse, *Hom. III. in Ep. ad Tit.* Praeterea revelatio praeter Dei existentiam supponit Deum esse certo locutum, hominesque morali officio omnino obstringi ad hoc Dei verbum suscipiendum. Atqui nisi haec independenter a revelatione cognoscenda probentur, quonam innitentur fundamento?

(2) Eminet inter istos Gerdilius in cujus

DIFFICULTATES

46. I. Obj. Dei notitiam una cum loquela non potuit primus homo sibi comparare nisi per Dei ipsius manifestationem, ejusque locutionem. Ille utramque filiis, seraeque posteritati transmisit. Ergo ad eum modum quo lingua a protoparentibus, sic Dei notitia propagata est in omnes populos via traditionali. 2. Hinc si quis in silvis natus esset ac enutritus extra ceterorum hominum societatem, numquam ex sola terrae caelique inspectione Dei notitiam mutuaretur, sed stupidus ac sine loquela adolesceret, intueretur que omnia quae illum circumstant objecta brutorum animantium more, prout experientiae facta ostendunt; multo vero minus Dei existentiam sibi *demonstrare* poterit humana ratio; 3. quippe demonstratio jam praesupponit veritatem cognitam ab eo qui eam conficere nititur, ac *optatam creditamque* ab eo in cujus gratiam demonstratio fit. 4. Hoc magis elucet, si naturam et conditiones ratiocinationis spectemus; ratiocinari enim est vel *deducere* vel *inducere*; porro *deductio* supponit principium cognitum atque antea constitutum ab eaque independens, siquidem est ejus basis; *inductio* vero quae ex consequentiis ad principium, ab effectibus ad causam ascendit, anteriorem includit factorum quibus innititur cognitionem. Porro quis principium praebet in priori casu, quis factorum tribuit cognitionem in posteriori? Seu unde proveniunt *majores* omnium ratiocinationum? Nonne in his *majoribus* praecontinentur certitudo et veritas conclusionum, quae ut legitimae sint contineri debent in praemissis nec eas excedere? Jamdiu igitur habebatur veritatis certitudo ante ratiocinationem, seu quod idem est, scientia, quam in praesenti habet homo, fundatur in fide in primum principium, in *majorem* absolutam, at-

praeclaris philosophicis operibus tot extant de metaphysicis istis ac moralibus veritatibus demonstrationes eo principiorum nexu, eo ratiocinii severitate confectae, ut omnimodam certitudinem pariant, ac plurimae mathematicam fere evidentiam praeseferant. Utinam perillustris hujus ac vere christiani philosophi opera magis hac aetate, apud exteros praesertim, cognita ac in honore essent! At enim quis non mirabitur dum audiat Gerdilium ab aliquo e recentioribus supernaturalistis ac traditionalistis *rationalismi* incusari, quod scilicet legitimam rationi vim cognoscendi tribuerit? Sunt vero complures alii quos Germanicae philosophiae abstractiones magis delectent, et nimis antiquam existiment eam philosophiam, quae in illis veritatibus demonstrandis operam impendit. Sic porro Hegel in sua *Wissenschaft der Logik* seu *Scientia logicae* vol. I. Nürnberg 1812. pag. III, IV. praefatur: « Id quod ante hanc aetatem metaphysica dicebatur, fuit, ut ita dicam, e solo radicitus evulsa, ac ex scientiarum numero evanuit. Quis amplius modo sibi quidquam oggeri pateretur de veteri ontologia, de psychologia rationali, de cosmologia, aut etiam de theologia naturali temporis anteacti? Investigationes ex. gr. de animi immaterialitate, de causis mechanicis et finalibus, ubi possent adhuc studium excitare? Etenim illae quae dicebantur demonstrationes existentiae Dei, afferuntur tantum historice, aut ad fovendam aedificationem, animique excitamentum. Haec facti res est: studium partim quoad *substantiam*, partim quoad *formam* antiquae metaphysicae, partim vero quoad *utrumque*, omnino extinctum esse ». Adeo ne igitur veritates metaphysicae et morales etiam *quoad substantiam* viluerunt, ut veluti *obsoletae* haberi possint? Hegel vero ejusque sectatores in *Logica* toti versantur, ac totam metaphysicam ac ontologiam in ea collocare videntur, quasi nempe per mere *dialecticum* processum *a priori* omnia entia ipsa objectivo-realia sint constituenda.

que ut recte dictum est, *fides est principium rationis*. 5. Sane, ratio admittit necessario principia et axiomata absque illorum demonstratione; sunt igitur axiomata ac principia totidem *postulata* quae praeexigit ratio ut possit exerceri; fides proinde in principia anterior est cognitione, ratione ejusque exercitio; est praeambulum necessarium, prout s. Augustinus ipse adnotavit scribens: « Naturae quidem ordo ita se habet ut, cum aliquid discimus, rationem praecedat auctoritas . . . . Auctoritas fidem flagitat, et rationi praeparat hominem (1) ». 6. Quare, quod consequens est, demonstrationes omnes existentiae Dei totidem sunt paralogismi, quia Deus *ens entium* est principium absolutum totius existentiae, et affirmatio τὸ *esse*, *major* est absoluta cujusvis ratiocinii, ac proinde necessario praesupposita in omnibus propositionibus ad eam adstruendam adscitis. 7. Demum ejusmodi demonstratio est *logice* impossibilis; etenim si fiat per *deductionem* unde sumet principium suum, quaenam erit altior idea ex qua inferri possit existentia Dei? Si vero fiat per *inductionem*, quomodo concluderet ex finito ad infinitum? Nonne conclusio magis pateret quam praemissae? (2) Ergo.

47. Ad I. *D. Cons.* Propagata est Dei notitia una cum lingua per traditionem, *Tr.* vel *C.* ita propagata est ut homo per solam rationem eam sibi comparare non potuerit aut possit *N.* Duo hic permiscentur quae distingui apprime ab invicem debent, ordo scilicet *chronologicus* sive etiam *historicus*, ac ordo *logicus*. Aliud est primum hominem ad supernaturalem statum evectum Dei notitiam ex ipsa Dei manifestatione, atque etiam, si lubet, excitationem ac veluti rudimenta quaedam ad determinatum loquelae usum a Deo habuisse, ac inde propterea una cum lingua Dei notitiam ad posteros pervenisse: aliud vero quod ratio *per se* sola potis non fuerit aut sit ad certam Dei notitiam assurgere. Primum est historicum factum et quidem verissimum; alterum est logica affirmatio, quae falsa omnino convincitur; 1. intrinsecis rationibus, quippe et necessitas causae necessariae, et contemplatio hujus universi, et natura rationalis ac moralis hominis ipsius totidem invicta suppeditant argumenta existentiae Dei; 2. rationibus extrinsecis nam, ut vidimus, ea assertio Scripturae, patribus, theologis omnibus quibus praeclare consonat catechismus Romanus (3), nec non christianae revelationi adversa fronte refragatur. Nec vero duo illi ordines historicus et logicus, traditio nimirum et ratio, inter se pugnant, sed veluti duae lineae parallelae ab ipso humani generis

(1) *De morib. eccl.* cap. II. et *De vera religione* cap. XXIV.

(2) Ita Bautain in opusc. cit. *Quelques réflexions sur la doctrine du sens commun*, pag. 13 seqq. ubi systema suum paucis sed dilucide exponit. Eadem fusius inveniuntur passim in *Philosophie du christianisme*.

(3) Haec enim habet *Catechismus Rom. Praef.* sect. I. n. I. « Ea est humanae mentis et intelligentiae ratio, ut cum alia multa, quae ad divinarum rerum cognitionem pertinent, *ipsa per se*, magno adhibito labore et diligentia, investigaverit, ac cognoverit ». Et part. I. *De symb. fid.* cap. 2. n. 6. « Haec quidem (hujus seculi sapientia) *naturalis tantum luminis* ductu ab effectibus, et ab iis quae sensibus percipiuntur, paulatim progressa, nonnisi post longos labores, vix tandem invisibilia Dei contemplatur, primamque omnium rerum causam, et auctorem *agnoscit atque intelligit* ». Alia ejusmodi testimonia inferius dabimus.

exordio progressae, optime cohaerent mutuoque se juvant. Nam ex una parte traditio facilem ac veluti familiarem Dei notitiam diffundebat: ex altera ratio id, quod ex traditione acceperat, nativo lumine suo verum ostendebat magisque firmabat; atque ubi aut traditio deficeret, aut obscurata esset ac corrupta, potuit ipsa ratio hominem ad certam germanamque supremi Conditoris sui notitiam revocare, sic ut teste Apostolo *inexcusabiles* facti sint qui ejus lumen in se extinxerint aut obscurarint (1).

48. Ad 2. *D.* Ex defectu exercitii atque evolutionis propriae facultatis rationalis, *Tr.* ex defectu insito facultati ipsi *N.* Cum loquimur de facultate qua pollet humana ratio Deum cognoscendi ejusque existentiam demonstrandi, eam significamus satis exercitam atque evolutam, quod fit ope societatis atque adminiculorum quae in societate reperiuntur, quaeque certe sibi comparare haud potest qui extra ceterorum hominum consortium nutritur et adolescit. Qui in silvis natus esset, illius exercitii et evolutionis defectu, non modo Dei notitiam, ut liberaliter etiam adversariis demus, sed neque ceterarum rerum ad vitae cultum spectantium cognitionem et usum acquireret, quas nemo tamen dicet per solam rationem obtineri non posse. Nimis ergo probat hoc exemplum, ac nihil propterea probat.

49. Ad 3. *D.* Praesupponit demonstratio, ex parte illius qui eam conficit, veritatem rei demonstrandae *hypothetice C. absolute N.* Hic enim effectus est demonstrationis. Sic etiam: ex parte illius in cujus gratiam fit demonstratio, veritas tenetur ut *demonstranda C.* ut *demonstrata N.* Antequam enim alicujus veritatis demonstratio fiat, potest ejus qualiscumque haberi cognitio de qua aliquis dubius ac incertus existat: at postquam vim demonstrationis percepit, eam quodammodo ratione sua intuetur, convincitur et omnimodam certitudinem assequitur quam antea non habebat, aut saltem non habebat nisi ab *extrinseco*

(1) Ceterum fundamentum praecipuum quo totum adversariorum systema nititur, nempe *impossibilitas physica* et *metaphysica* quod homo loquelam per se instituere potuerit (unde ex facto quod homines loquantur, argumentantur ad primitivam extrinsecam Dei revelationem) haud paucis difficultatibus obnoxium est. Ac 1. ut haec ipsa impossibilitas certo constet nonne opus est, ratiocinio eoque firmissimo illam probare ad hoc ut certa sit haec praemissa ex qua tota conclusio pendet? Ergo oportet jam supponere in homine per se *valida* ac *certa* cognoscendi media, quod adversarii non concedunt. 2. Impossibilitas illa quoad institutionem loquelae articulatae est quaestio philosophica, quae jamdiu ab egregiis philosophis hinc inde magna contentione agitatur: et quamvis praesertim cl. De Maistre, ac de Bonald, nec non recentius Rosmini *Opusc. filos.* cit. tom. 1, p. 57 et seqq. et Dmowski *Instit. philos.* tom. 1. *Psychol.* pag. 372. seqq. aliique validis sane argumentis eam evincere studuerint, non pauci tamen inter recentiores, religiosi etiam philosophi, uti Galluppius, Bonellius etc. refragantur, ac praesertim Cl. Forichon in op. *Le matérialisme et la phrénologie combattus dans leurs fondements*. Paris 1840. pag. 216 seqq. Bonaldi et de Lamennais argumenta infirmare conatur. Num igitur in quaestione admodum implexa fundamentum realitatis ac certitudinis humanarum cognitionum collocari poterit? 3. Licet admittamus argumentum ex origine loquelae depromptum utiliter posse veluti in subsidium advocari ad hominis veram originem philosophice evincendam, non adeo tamen ineluctabile videri posset ac adversarii existimant. Sed hoc etiam concesso, num non erit vera philosophica ac rationalis demonstratio de supremi Numinis existentia, id quod adversariorum principia satis per se convelleret?

cognoscendi fonte, scilicet auctoritate vel traditione, non vero ab *intrinseco* veri criterio, quod intimas rei rationes patefacit. Nihil porro refert quod aliquis *optet* aut *credat* veritatem quam sibi vult demonstrari; alioquin fieri non posset aut optari demonstratio alicujus theorematis, quod aliquis aliunde scit esse verum, sed ejus demonstrationem ignorat (1).

50. Ad 4. Transmissa illa argumenti parte, quae afficit *deductionem*, cum post s. Thomam theologi ac philosophi plerique inficientur posse efficaciter *a priori* ostendi Dei existentiam, aliis tamen refragantibus (2); negamus quoad alteram partem, quae *inductionem* attingit, qua nempe ex effectibus argumentamur ad causam. In hac porro argumentatione debet utique assumi ut certa anterior cognitio factorum contingentium, quae ostenduntur esse totidem effectus, ut procedi inde possit ad ostendendam certam existentiam causae necessariae. Ast haec cognitio haberi potest ac debet independenter a cognitione existentiae Dei, constituitque *majorem* illam quam exigunt adversarii (3). Quod si quis realem corporum existentiam in dubium idealistice revocare vellet eaque ut mera phaenomena spectare, num ipsa phaenomena, quae certe si apprehenduntur nihil non sunt, ac ipsa saltem proprii *Ego* existentia, quae a nemine oppugnari potest, quaeque in se necessariam rationem essendi habere nequit, satis haud essent ad necessitatem causae absolutae et necessariae demonstrandam (4)? Concludamus falsum esse, certitudinem veritatis demonstrandae ante demonstrationem nos habere: nam tunc psychologice ac logice nonnisi certitudinem alicujus facti, ac principiorum universalium rationis habemus, quibus ut medio rite utimur ad demonstrationem. Haec autem facta et principia non fundantur *in fide;* quandoquidem ea non ex aliorum auctoritate, non ex criterio extrinseco cognoscendi, sed et sensu intimo, et externa sensibilitate, ac firmissimis rationis judiciis intrinsece percipimus (5).

51. Ad 5. *D.* Axiomata non demonstrantur, quia in ipsa enunciatione eam immediatam evidentiam praeseferunt qua patet falsa esse non posse, *C.* quia ob

(1) Atque hic animadvertendum est, hanc ipsam difficultatem sibi jamdiu proposuisse s. Thomam *Contr. Gent.* lib. 1. cap. 12. arg. 2.

(2) Recolantur quae scripsimus in tract. *de Deo* p. 1, cap. 1, propos. 1, n. 21. cum nota apposita.

(3) Hanc pariter difficultatem sibi objicit s. Th. loc. cit.

(4) Hoc ipsum argumentum evolvit egregie Edmundus Cantuariensis in *Speculo Ecclesiae* cap. 27. « Quilibet homo, ait, bene potest videre in se quod ipse est, quod habet esse et quod non semper fuit: et ex hoc bene scit quod initium aliquando habuit. Tunc sequitur quod aliud tempus erat in quo ipse non fuit. Sed quando non fuit, tunc nullo modo se ipsum facere potuit. Ideo oportet *necessario* quod una res sit quae dat omnibus esse, hoc est a qua omnia sunt etc. ». Ceterum patres maxime delectati sunt iis argumentis ad evincendam Dei existentiam, quae ex ipsa animi humani natura ac dotibus depromuntur. Ita Basilius in homilia ad illud *Attende tibi ipsi*, tom. 2. p. 16. Ita Athanasius in *Orat. contra Gent.* tom. 1, n. 30., ita Nyssenus in *Orat. VI. de beat.* Praeclare Auct. lib. *De inter. domo* Bern. adscript. « Praecipuum et principale speculum ad videndum Deum est animus rationalis inveniens se ipsum. Si enim *invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur*, ubi quaeso quam in ejus imagine cognitionis ejus vestigia expressius impressa reperiuntur »?

(5) Cf. *praenotanda* quae paulo ante praemisimus.

aliquam auctoritatem credantur *N.* Certe axiomata ab omnibus qui velint ratiocinari, admitti debent; sed ideo admittuntur quia fieri nequit ut ineluctabilis veritatis vis declinetur, cum ea immediate menti elucescit. Ea igitur praeexigit ratio, at non supponit tamquam gratuita postulata nec fidem illis adhibet, quasi ex caeco quodam ac subjectivo instinctu, multoque minus ex positiva quavis auctoritate; sed uti animadvertimus (1), ea immediata evidentia intuetur, intrinsecam et ultimam rationem illorum pervidet, eaque se aliter habere non posse certissime cognoscit (2). Perperam autem auctoritas urgetur s. Augustini. Etenim s. Doctor in primo ex allegatis textibus loquitur de praeeminentia auctoritatis supra rationem in ea quaestione quam adversus manichaeos circa mores versabat ecclesiae (3). In altero vero contrarium aperte docet ei quod adversarii contendunt; immediate enim post allata verba subdit: « Ratio *ad intellectum cognitionemque perducit*. Quamquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur cui sit credendum, et certe *summa est ipsius jam cognitae atque perspicuae veritatis* auctoritas ». Suas igitur partes Augustinus rationi, suas tribuit auctoritati, ac inter eas ut ratio discernat cui auctoritati credendum sit, adeoque per ipsum praecedit auctoritatem ratio, non autem sequitur. Dum igitur dicit: *Auctoritas fidem flagitat, et rationi praeparat hominem* non aliud significat, quam fidem praeparare hominem ad ea cognoscenda, seu potius intuenda, quae nunc per fidem et auctoritatem credit, scilicet in caelo; et si agatur de cognitione aliqua imperfecta, etiam in terris (4).

52. Ad 6. *D.* Ex principiis adversariorum *C.* ex doctrina Scripturarum, sc. patrum, theologorum eorumque agendi ratione *N.* Deum esse ens entium, principium absolutum, veritatum omnium primam imo et fontem in ordine ontologico et essendi nemo inficias iverit, neque de hoc agitur; sed agitur de ordine psychologico et logico seu cognoscendi quoad nos. Quaeritur enim *utrum* et *quomodo* hominum ratio possit certo cognoscere ac sibi demonstrare entis entium, principii absoluti ac necessarii existentiam. Atqui nos contendimus ex probatis, hoc fieri a ratione posse, idque per logicam necessariam illationem, licet perfacilem et cuique ratione utenti perviam, quae aliquo facto psychologico innixa sit. Ergo oportet quod facti istius licet *minimi* cognitio, ut ex. gr. propria

(1) In cit. *praenotandis*.

(2) Cf. s. Th. 2. 2. q. 1. art. 5. ubi scribit: « Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa, et ideo oportet quaecumque sunt scita, aliquo modo esse visa ». Eadem habet in 3. dist. q. 2. ar. 2. q. 3. O. et alibi passim; praesertim *Contr. Gent.* l. 3. c. 154. *De verit.* qu. II, art. I.

(3) Totus siquidem in eo est Augustinus hoc in libro, ut evincat discrimen inter veram fucatamque virtutem qualem profitebantur manichaei. Incipit vero ab ostendendo quaenam sint verae virtutes tum ex ratione, tum ex auctoritate librorum N. T. quos solos admittebant illi haeretici, quamvis hac in re dicat s. Doctor satius fuisse incipere ab auctoritate: ut tamen eis morem gerat, exorditur a ratione. Cf. ejusdem libri caput I. in quo suum aperit consilium Augustinus.

(4) Quod patet ex totius orationis serie, et scopo quem sibi heic proposuit s. pater. Sane ipse in ep. CXX. ad Consent. n. 3. ita scribit: « Si rationabile est, ut ad magna quaedam, quae capi nondum possunt, fides praecedat rationem, procul dubio quantulacumque ratio quae hoc persuadet, *etiam ipsa antecedit fidem* ».

sui existentia, *certa* in ordine *logico* et *psychologico per se* sit, etiamsi nondum *certitudo* de Dei existentia supponatur. Nulla igitur repugnantia si ordinem *essendi* ab ordine *cognoscendi* apprime distinguas (1).

53. Ad 7. *N.* Fit autem demonstratio inductione ab effectibus ad causam, quae nondum *immediate* deprehenditur infinita, sed *mediate*, spectata nimirum primae causae necessariae natura, quae nequit ullo esse limite circumscripta. Atque ita occurritur objecto incommodo, quod nempe contra logicas regulas magis conclusio pateat quam praemissae (2).

54. II. Obj. Quousque humana ratio ope reflexionis suae sensilibus perceptionibus, ac logicis abstractisque notionibus tantum innixa, certam sive Dei sive aliarum veritatum cognitionem sibi voluerit comparare; 1. semper in *formalismi* ac *intellectus abstracti* laqueis haerebit, quin ad realitatem ac veritatem perveniat. 2. Numquam poterit ipsa *vitalem* Dei cognitionem assequi, sine qua nec poterit sese in *vitali* ac intima relatione cum prima et maxima veritate collocare. 3. In hoc porro philosophia *pagana* essentialiter differt a *christiana* philosophia: nam illius tantum proprium fuit veritates omnes e suo veluti fundo promere velle, atque ita mundum in ordine morali ac religioso perdidit. 4. Christiana vero philosophia pro inconcussa basi conscientiam luce veritatis revelatae edoctam, et jam in *vitali* relatione cum aeterna veritate positam assumpsit; quo factum est ut ratio ac revelatio sese mutuo compenetrarint. 5. Amicum hoc foedus ad Cartesium usque perseveravit, a quo tandem per summum nefas dissolutum est. 6. Inde rationis *autonomia*; inde ratio ac religio ab invicem separatae, ac hostiles effectae. 7. Undenam enim pullularunt tum *sensismus* ac *materialismus*, qui *empirismo sensibili* innituntur; tum *idealismus ac pantheismus spiritualisticus*, qui in *empirismo psychologico* fundantur; tum *kantismus, hegelismus, rationalismus*, et alia id genus monstra, nisi ex principio quod debeat humana ratio *per se*, ac ex proprio ipsius penu, independenter a positiva revelatione, veritatem invenire? Qualem profecto Deum sibi hoc modo poterit effingere ratio, nisi 8. entitatem pure logicam (3); 9. subjectam ipsi creaturae, quod maxime Creatorem dedecet (4); 10. idolum

(1) Vid. *Praenotanda*. Hinc nobis probari non potest quod in cl. prof. Klee nuper vita functi *Dogmatica* Mogunt. 1835. tom. 1, p. 9. seq. legitur: « *Sine fide in rationem primam* a qua nostram existentiam, ac rationem habemus, possibilis non est ulla rationalis fides in *rationem nostram* ipsam quoad suum sive theoreticum, sive practicum munus, ac proinde ne quidem ulla fides exteriori mundo ». Ex quibus verbis sequi videretur, quod nos ne *de existentia* quidem *nostra* certi esse possemus, nisi prius Deum certo existere crederemus. Hinc omnis de Dei existentia probatio concideret. Caeterum quod contendimus independens est a quaestione utrum Dei *idea* sit *mediata* vel *immediata*, *congenita* vel *acquisita*: quidquid enim de hoc sit, quod non definimus, semper dari debet efficax modus Dei existentiam probandi.

(2) Hoc jam sibi objecerat ac solverat s. Thomas 1. p. q. 2. ar. 2.

(3) Ita Bautain, *Philosophie du christianisme*; tom. 1, p. 192.

(4) Ita Klee op. cit. vol. II, pag. 4. « In sententia quod Deus possit ac debeat demonstrari, jam hoc ipso negatur. — Quatenus enim ille non agnoscitur tamquam *primum postulatum*, inconditionatum et continens conditionem omnium, et quatenus debet *sine voluntate sua et contra ipsam* deduci ad cognitionem nostram et aliorum, eatenus Deus exponitur, et *subjicitur creaturae* ».

demum, coram quo posthac homo tamquam operi suo prosternitur ac thus adolet (1)? 11. Abjiciamus ergo rationales omnes ejusmodi demonstrationes, quarum inanitatem *antinomiae* kantianae evidenter ostendunt (2); 12. ac praeterea factum ipsum probat: nam si illae logicam necessitatem inducerent, quinam dari possent qui de hisce veritatibus dubitarent? Atqui tamen plerique sunt (3). Ergo.

55. *Resp.* Ad 1. *D.* Si ratio reflexione et abstractione abutatur, *C.* si omnia cognoscendi media rite adhibeat *N.* Abusum intellectus ac mere logicarum abstractionum veritati ac realitati assequendae in primis infensum esse, in eoque maximum neotericae philosophiae germanicae vitium consistere, libenter cum adversariis agnoscimus et dolemus (4). Idcirco amicum foedus inter ordinem empiricum et rationalem, inter facta concreta experientiae et abstracta rationis principia numquam satis inculcandum est. Quod quidem si rite servetur nullus erit mero *formalismo* locus. Ast adversarii ex eo quod trascendentales *intellectu* pessime abusi sunt, illum veluti veritatis hostem traducunt, et perpetuum conflictum inter illum ac *rationem* expavescunt. Quasi nempe intellectus et ratio realiter distinctae facultates, et non potius una eademque essent cognoscendi facultas licet diversum munus obeuntes; quasi intelligendi vis ad verum comparata suapte natura non esset; ac ea facultas qua homo a brutis essentialiter secernitur, Deoque maxime assimilatur, falsitatis ac perditionis instrumentum *per se* esse deberet (5).

56. Ad 2. *D.* Si per *vitalem* cogni-

(1) Ita Bautain op. cit. tom. 1, p. 195. cui consonat apprime Klee: « Deus demonstrandus et tantum vi demonstrationis agnoscendus, de suo gradu dejectus sub axiomate finito finiti proprii *Ego*, existens per finitam operationem in demonstratione ac determinatione, *non est Deus*, sed vanum, confictum *idolum*, coram quo nulla rationalis creatura adorando procidere potest ». *Dogm.* loc. cit.

(2) Ita Bautain op. cit. pag. 172.

(3) Quas hactenus attulimus difficultates communes omnes sunt Bautainio caeterisque fautoribus systematis quod refellimus tum in Galliis tum in Germania, ut patet ex eorum operibus typis vulgatis.

(4) De hoc abstractionum abusu in neo-germanica philosophia plura jam diximus. Nonnulli ex ipsis philosophis Germanicis id repetunt etiam ex vernaculae linguae in philosophando abusu. Ita Ancillonius « En mettant l'article devant un infinitif ils changent (les métaphysiciens allemands) ce qu'il y a de plus indéterminé dans un être déterminé, et l'on ne croirait pas, au premier coup d'œil, quelle influence décisive cette facilité, quelquefois utile, si souvent funeste, a eu sur la philosophie ». *Essai de Philosophie*, *tom.* 1, *pag.* 327 *seqq.* Vide etiam quae Krug habet in suo scripto *Schelling und Hegel.* Lips. 1835. Quid? quod ipse Schelling aperte fassus est ». Speculationes ac lingua Germanorum semper magis recesserunt ab eo quod generatim est intelligibile, ac gradus istius recessionis a communi cogitandi et loquendi modo tandem quodammodo effectus est veluti philosophici ingenii *mensura* ». *Praefat.* ad Cousin etc. Stuttgart 1834.

(5) Nos non abnuimus in *operandi modo* aliquid concipi discrimen debere intellectum inter ac rationem. Intellectus, ait D. Th. 1. p. q. 79. ar. 8. *veritatem intelligibilem apprehendit*, ac intuetur, ratio vero *de uno intellecto ad aliud ad veritatem cognoscendam procedit*. Sed illud semper certissimum est, quod una eademque sunt potentia intellectus et ratio; id cujus philosophi neoterici videntur obliti. Eodem ipsi pacto rationem *theoreticam* ac *practicam* ita dividere ac scindere solent, perinde ac si *duae* revera *rationes* in homine existerent. Quid igi-

tionem Dei intelligas *specialem* ac vere *salvificam* cognitionem, *C.* si generalem, imperfectiorem ac naturalem *N.* Semper in eo sunt adversarii ut confundant duplicem hanc theologiam alteram nempe supernaturalem ac vere salutarem, alteram mere naturalem ac veluti paedagogicam; quam sane distinctionem a Scripturis, a patribus, a theologis omnibus catholicis, atque a catechismo Rom. aperte et constanter traditam probavimus. Hoc autem quid aliud est nisi naturam et gratiam undequaque permiscere? Hinc ut ostendant rationem per se nec Deum certo cognoscere nec ad eum se extollere posse, ad ecclesiae decreta adversus semipelagianos edita, praesertim a conc. Arausicano II. cap. V. VI. et VII. recurrunt. Atqui haec decreta omnia quo alio spectant, nisi ad eam cognitionem Dei qua *credimus, speramus*, ac *diligimus sicut oportet*, nempe ut *justificationis gratiam consequamur* (1)? Haec igitur ad ordinem supernaturalem pertinent, neque cum cognitione mere naturali Dei de qua agimus, quidquam habent commune; quae certe hoc sensu *vitalis* non est, nec nos in *vitali* cum Deo relatione ponit, quippe haec beneficia nonnisi a Christi reparatione, atque in eos qui ejusdem participes sunt, dimanant.

57. Ad 3. *Neg.* in primis *intrinsecum* illud discrimen inter philosophiam *paganam* et *christianam*: una quippe, si rei naturam spectes, semper debuit esse philosophia sive ab ethnicis, sive a christianis exculta, scientia nempe veritatis in ordine naturali, recto rationalium facultatum usu comparata. Magna tamen fatemur huic ipsi scientiae ex christiana revelatione commoda accessisse, de quo inferius. Interea falsum est *pagani* mundi perditionem philosophiae esse adscribendam, sed humanis tantum cupiditatibus, praejudiciis, opinionibus, ac, si adversarii volunt, philosophiae etiam ipsius abusibus. Vera autem, licet ethnicorum, philosophia, in tanta illa humanarum mentium caecitate et corruptela, plures veritates ad theologiam naturalem, legesque morum spectantes, nativo rationis lumine agnoscere potuit, id quod Apostoli etiam eloquia testantur. Quod si philosophi illi veritatem cognitam *in injustitia detinuerunt*, id humanae perversitatis ac malitiae, non philosophiae vitium fuit. Hinc Clemens Alex. scribere non dubitavit: « Atque erat quidem ante Domini adventum philosophia Graecis necessaria ad justitiam: *nunc* autem *est utilis* ad pietatem cui necessario praemittenda est ab iis qui fidem ex demonstratione percipiunt (2) ». « Magna et praeclara haec sunt, ait Catechismus Rom., quae

tur dicendum cum audias ab istiusmodi philosophis decerni, « philosophiam debere omnino in *contradictione* cum *intellectu* sitam esse? » Cf. Baltzer op. cit. fasc. 1, pag. 61.

(1) Satis erit oculos conjicere in objecta capitula, ut pateat haec nihil commune habere cum quaestione quam hic agitamus: etenim ut constat ex ipsis concilii verbis illic agitur de *initio fidei*, *ipsoque credulitatis affectu* quo in eum credimus qui justificat impium; de misericordia qua *credamus*, *velimus* ceteraque praestemus *sicut oportet* per infusionem et inspirationem Spiritus Sancti; de gratia qua cogitemus *ut expedit* ad salutem; quae omnia ad ordinem supernaturalem spectant. Confer etiam Tridentini quae huc pertinent loca sess. V, et VI. Nos autem agimus ut patet de cognitione mere naturali naturalium veritatum.

(2) Lib. 1, *Strom.* § V. ed. Potterii Venet. tom. 1, p. 331. Quamvis haec recto sensu intelligenda esse, observavimus in tract. *De gratia* p. 1.

de Dei natura...ex rerum effectarum investigatione philosophi cognoverunt (1) ». Et post haec, aliaque ejusmodi, quae afferri possent testimonia, philosophiam, quamvis paganam, damnare quisquam audebit?

58. Ad 4. *N.* Tametsi enim per aliquot secula apud christianos philosophia ac revelatio simul conjunctae fuerint, numquam tamen sua rationi jura denegata fuerunt, nec illa philosophiae ac revelationis compenetratio contigit quam praedicant adversarii. Num enim quisquam ex revelationis fonte processit ad veritates immediata evidentia fulgentes admittendas, uti existentiam sui, axiomata etc.? Veritates ipsae metaphysicae ac morales licet revelationis etiam praesidio firmari identidem solerent, tamen argumentis e sola ratione petitis praecipue evincebantur; cujus rei testimonio est luculento ipse s. Thomas in cujus operibus perfecta de rebus philosophicis rationalibus tractatio, a revelatione plane independens, invenitur (2). Semper igitur haec inter philosophiam ac revelationem cognita fuit distinctio, semper rationi vis objecta naturae suae proportionata cognoscendi ac demonstrandi tributa (3).

59. Ad 5. *N.* Nam partim falsa, partim exaggerata sunt quae passim nunc temporis in Cartesium congeri solent (4). Quidquid tamen sit theologi non est hu-

(1) *De primo artic. symb.* n. 6. Sed cf. totum hunc locum Cathechismi Rom. quo nil luculentius. Quantopere philosophi illi in veritate pervidenda progressi essent, ostendit August. Steuchus Eugubinus in op. de *Perenni philosophia*. Sed longe exactius ad critices leges rem totam expendit cl. Gerdillius in op. *Introduzione allo studio della religione* tom. IX. opp. Excessus igitur hac in re omnino sunt vitandi. Nec enim ita philosophia sive rationalis sive moralis ethnicorum illorum collaudanda est, ac si ea perfecta esset et absoluta, longe quippe ab hoc illa abest; nec ea deprimenda ac si philosophi illi nil nisi errores protulerint. Hanc mediam viam a patribus constanter servatam esse egregie probat p. Balthus in op. *Jugement des ss. Pères sur la morale de la philosophie payenne*. Hinc nobis probari non possunt sive veteres sive recentiores, qui philosophos illos omnes veluti *atheos* aut *pantheistas* traducunt id quod Socinus jam praestitit. Cf. l. c. cap. 4. Optabile porro fuisset ut cl. ab. Maret in egregio suo opere : *Essai sur le Panthéisme dans les sociétés modernes*, Paris 1840. hunc scopulum cautius declinasset.

(2) Hinc Prof. Cousin ipse Summam d. Thomae appellat « Un des plus grands monumens de l'esprit humain au moyen âge, et qui comprend avec une haute métaphysique un systême entier de morale et même de politique ». *Hist. de la Philosophie* tom. I, pag. 312.

(3) Ita jam s. Thomas I. p. q. I. ar. I. O. res accurate distinxerat: « Necessarium fuit ad humanam salutem esse doctrinam quandam *secundum revelationem* divinam *praeter philosophicas* disciplinas, quae *ratione humana* investigantur ». Ita quidem in edit. Rom. 1570. tom. X. Nam in reliquis editionibus quas contuli legitur *praeter physicas*; si vera haec lectio esset, non in alio sensu hanc s. Doctor vocem usurpavit quam in generali *philosophiae naturalis*, ut patet ex contextu.

(4) Certe in Cartesio aut doctrinam, aut methodum spectas. Si doctrinam, eo omnino religiosa, ac ut modo loquuntur, plane *spiritualistica est*, eamque philosophi religiosissimi cum christianae fidei emolumento sectati sunt. Quod si impius Spinozae pantheismus e castris Cartesianae philosophiae prodiisse dicatur, satis est legere quae jamdiu Gerdillius scripsit in sua dissert. *Incompossibilité des principes de Descartes et de Spinoza* opp. tom. IV. ac recentius Galluppi, *Lettere filosofiche*, Napoli 1838. ut contrariam principiorum naturam quibus illi philosophati sunt apprime elucescat.

Si vero de Cartesii methodo loquaris, ac

jus vel illius philosophi vindicias suscipere. Quod si Cartesii nomine impetitur realis ipsa ac essentialis distinctio inter scientiam philosophicam mere naturalem, et scientiam theologicam revelatam, negamus omnino eam a Cartesio primo invectam fuisse, cum semper in christiana traditione agnita fuerit (1). Haud abnuimus ex analytica Cartesii methodo qua psychologica facta ad crisis regulas exactius revocata sunt, novam in hac parte formam philosophiam induisse. Sed praeter quam quod hujus psychologicae analyseos specimina in ipsis patribus ac praesertim in Augustino inveniuntur, nil ea per se exhibet improbandum. Immo quo magis animi humani natura ac proprietates investigentur, quo magis intimi ejus sensus ac ingenitae propensiones consulantur, fieri non potest quin animus ipse ad supremum suum Conditorem agnoscendum alacrius impellatur. Hinc Cartesius in ipso pene philosophiae suae vestibulo ad Deum recta contendit, atque ex hac veritatum omnium fonte reliquas veritates aut deducit aut firmat. Haec certe cujusque philosophiae vere psychologicae, quae nempe ad empirismum non deflectat, sed cum principiis ontologicis rite connectatur, spontanea progressio est. Si qui ea abusi sunt, viderint ipsi.

60. Ad 6. Negamus proinde quod heic objicitur de rationis *autonomia*, ac de fidei cum scientia dissidio; nam haec omnia non a Cartesio repetenda sunt, sed potius a philosophis protestantismi, Humio scilicet, qui scepticismi jecit fundamenta, Lockio, qui nimis ad empi-

de generali sua *dubitatione*, certe prima veluti fronte reprehendenda illa videtur. Sed si mentem Cartesii perspexeris, dubitatio ejusmodi nonnisi *fictitia* ac *hypothetica* esse patet, qua nempe ille usus est ut animum in rebus philosophicis a praejudicatis opinionibus expurgaret, ut veritatem severiori illo examine magis liquidam exhiberet, utque aliquo inconcusso fundamento humanae cognitionis praejacto, scepticos confundere posset, haud aliter quam adversus academicos philosophice processerat Augustinus. Hinc in secunda ipsa meditatione jam dubium omne a se rejecerat, ac positive omnino postea progreditur. Quid? quod Cartesius ipse in lib. de *Methodo* § 3. has sibi leges praescripserat? « Ut legibus et institutis patriae obtemperarem firmiterque illam religionem retinerem, quam optimam judicabam et in qua Dei beneficio fueram ab ineunte aetate institutus. — Postquam vero me his regulis instruxissem, illasque simul in rebus fidei, *quae semper apud me potissimae* fuerant, reservassem, quantum ad reliqua quibus olim fueram imbutus non dubitavi quin mihi liceret omnia ex animo meo delere ». Quae igitur nimis certe singularia in prima praesertim ejus meditatione occurrunt, sunt juxta hanc normam intelligenda. Caeterum *hypothetica* haec dubitatio, quae inservit ad analysim cognitionum instituendam, innocue a plerisque adhibita fuit, ac ipsi scholastici D. Thoma praeeunte illa passim usi sunt. Ast non negamus, eam ex humani ingenii licentia, et nova systemata cudendi, omniaque veteris sapientiae fundamenta convellendi lubidine, apud neotericos quandoque perniciosam effectam esse.

(1) Augustin. praesertim in lib. *De magistro*, nec non s. Thom. loc. modo cit. atque alibi. Bautain ipse agnoscit hanc distinctionem invaluisse in scholis christianis longe ante Cartesium. Sic enim scribit in *Philosophie du Christ.* tom. I, p. 267. « La dialectique s'était glissée . . . dans les écoles chrétiennes *du moyen âge*, et elle avait réussi à faire croire *presque généralement* que l'homme pouvait, par la seule force de son esprit, *s'élever à la connaissance des vérités fondamentales de la métaphysique*, telles que l'existence de Dieu, l'immortalité de l'âme etc. »

rismum declinans fundamenta etiam revelationis philosophice infirmavit (1), Kantio autem potissimum ceterisque neo-germanicae philosophiae parentibus, qui per abstractionis ac phantasiae abusum rationem humanam non solum fidei hostilem, sed secum ipsam pugnantem effecerunt. At enim adversarii per *autonomiam* rationis intelligunt nativam ac legitimam ejus vim in veritatibus demonstrandis, omnemque ita vellent metaphysicam destruere, ac philosophiam eliminare, quod ferendum sane non est, et fidei tantum hostibus opportunum posset accidere.

61. Ad 7. *D.* Omnia recensita philosophica monstra ex falsis philosophandi principiis, falsaque methodo prodeunt, *C.* ex ipsa rationis ac philosophiae natura, uti adversarii contendunt, *N.* Etenim si 1. sensibilia tantum facta ac realia objecta spectes, notiones vero universales veluti arbitrarios mentis foetus, ac principia rationalia veluti inanem *tautologiam* rejicias, statim sensismo ac materialismo patebit aditus (2): 2. si philosophiam omnem *a priori* construere volueris, nulla *factorum* habita ratione, ac semper ratiocinari, quin in aliqua necessaria ac per se evidenti veritate insistas, in scepticismum prolabaris oportet (3): 3. si immediatam ac concretam absoluti ac infiniti intuitionem pro tuae philosophiae sumas exordio, viam in pantheismum facile sternes (4): 4. si hominem, tamquam *Ego purum* et *abstractivum* in tota philosophia considerari debere contendas, rationalismus vel idealismus consequetur (5). Atqui si omnia illa philosophica commenta excutiantur, ea uno alterove ex his vitiis intime invenientur affecta, ac proinde ab ipsa

(1) Praeter dubium de animae immaterialitate ac immortalitate, ea Lockius tum in suo *Specimine humani intellectus*, tum in suo *Christianismo rationabili* principia de morali certitudine ac traditione ponit, quae fundamenta religionis christianae omnino convellunt.

(2) Id probat empirismus Lockii, ac multo magis Condillachii, qui tandem in Helvetio, Cabanisio etc. ad purum materialismum decidit. Certe nil est quod magis animi simplicitatem ac spiritualitatem ostendat, quam facultas percipiendi notiones universales, cum sensus corporeus nonnisi id quod singulare est et individuum possit attingere. Haec veritas philosophicam s. Thomae mentem minime effugerat.

(3) Ita trascendentales idealistae vellent *a priori* rationem logicam de ipsis veritatibus *facti* seu existentiae habere, ac semper frustra quaerunt illud *aliquid inconcussum* ex quo possit philosophia exordiri.

(4) Hoc fuit initium ac postulatum philosophiae Schellingii, Bouterverkii aliorumque trascendentalium realistarum, qui proinde scientiam Dei *absolutam* e sola natura rationis hujusque intuitu *immediate* provenientem sibi vindicarunt. Hinc Schellingius statuerat: « *Deus est* est principium maxime omnium *indemonstratum*, ac maxime *indemonstrabile*, ac maxime *sine omni ratione;* ita sine ratione, quemadmodum supremum principium Criticismi: *Ego sum* ». *Philos. Schrift.* seu *scripta philosophica* Landshut 1809. p. 152. Pantheisticae horum auctorum ex his principiis deductiones satis notae sunt.

(5) Distinguunt trascendentales inter *Ego purum*, positum in *puro conceptu* ac in *ente mere cogitabili*, et *Ego empiricum* seu concretum et existens. Contendunt porro in philosophia unice de *Ego puro* institui posse sermonem. Ipse Krugius, qui tamen idealismum ac criticismum refellit, et synthetismum profitetur, philosophiam nil aliud esse vellet nisi *scientiam formae originariae puri Ego.* Numquam ergo homo realis, ens nimirum rationale ac sensibile in ista philosophia attingitur. Cf. inter ceteros Imre, *Amicum foedus rationis cum experientia. Philos. pars* 3. *Metaph. applic.* pag. 302-306.

recte philosophante ratione damnantur omnino; minime vero eo nomine quod revelationem divinam pro basi philosophandi non assumpserint illorum auctores. Atque hic paululum declarandum est principium illud, quod *ratio philosophica debeat in proprio fundo veritatem invenire*, quodque ut omnino *anti-christianum* adversarii traducunt. Id enim vel *absolute* vel *hypothetice* intelligi potest. Atque ii quidem qui christianam revelationem ignorant, *absolute* profecto opus est ut in proprio etiam rationis fundo veritates naturales quaerant ac inveniant, quandoquidem ad id homini a supremo opifice Deo indita recta ratio est (1). Christiano autem philosopho nonnisi *hypothetice* ea competere inquisitio potest atque detectio. Cum enim ipse probe sciat veritates ipsas naturales sive metaphysicas sive morales a divina revelatione clarius, uberius, firmiusque patefactas esse, num poterit illas in dubium positive revocare, ut illas dein in proprio rationis fundo longo labore inveniat? Absit. Ille igitur maximum inde manans naturali ipsi rationis lumini emolumentum ac praesidium libenter profitebitur: intelliget in antecessum quo demum rationales suae omnes inquisitiones, veluti ad fixam ac definitam metam spectare ac dirigi debeant: sciet veluti peritus nauta quinam sibi cursus tenendus sit, ut tuto portum attingat; normam demum habebit ad quam inquisitiones illas pure philosophicas redigat, ac ita ab omni errore, si forte irrepserit, tutetur. Interea tamen *hypothetice* eas ipsas veritates in proprio rationis fundo quaerit, ut nempe earum principia, fundamenta, ac probationes ibidem detegat, ubi certe delitescant oportet, eo ipso quod illae naturalium ac rationalium veritatum naturam non excedant. Ita psychologice et logice procedit: ita unamquamque veritatem suo in gradu ac lumine collocat: ita philosophiam suam independentem a revelatione construit, quamquam ignorare non possit hanc ipsam revelationem magno illi adjumento fuisse ad rectum rationis iter semper ac tuto tenendum (2). Haec philosophiae ac revelationis concordia est, integris cujusque juribus, atque huic tot praeclari philosophi cum magno rationis ac religionis fructu quovis tempore institerunt.

62. Ad 8. *D.* Si animus rationalis qui sentit se existere, se cogitare, se velle, totusque hic mundus adspectabilis enti-

(1) Id quod de iis qui revelationem ignorant affirmamus, de iis quoque dici opus est, qui ex perversitate animi mentisque caecitate fidem in revelationem jam cognitam et susceptam amiserunt. Quamvis enim isti magnopere inde culpandi, num melius non erit ut ratione sua veritates ipsas naturales de Deo, de animae natura, de lege morali investigent, quam in omnimoda incredulitate permaneant?

(2) Ubi maxime adnotandum est longe difficilius esse veritatem *invenire*, quam aliquo modo cognitam *demonstrare*. Ita geometrae cum aliquas veritates *practice* ac *empirice* jam sciant, industria ac investigatione modum tandem inveniunt eas *scientifice* demonstrandi, quod forte assecuturi haud essent nisi *practica* illa veritatis cognitio antecederet. Haud aliter contingit christiano philosopho, qui nempe veritatum naturalium in rebus metaphysicis ac moralibus firmissimam demonstrationem invenit, quam tamen vix aut ne vix quidem in pluribus certo assequeretur, nisi a christiana revelatione de illis prius fuisset edoctus. Egregie de hoc disserit ipse Lockius in op. *Christianismo rationabili* cap. XIV, unde concludit maximas revelationi grates habendas. Hinc certe ingratos se produnt nostrae aetatis philosophi illi qui hoc revelationis subsidium non agnoscunt, et multo magis culpandi sunt, si cum tot prae ethnicis philosophis habeant praesidia, in veritatis perniciem ratione sua abutuntur.

tates pure *logicae* essent, *C.* si sint *reales N.* Ex effectibus qui sint entia *realia* legitime ac necessario argumentamur ad causam non logicam, sed *realem;* siquidem nexus effectum inter et causam *realis* est; innititur namque principio necessario *a priori,* analytico quidem uti adnotavimus, at in reali natura rerum fundato. Quoniam vero omne ens contingens rationem existentiae suae in se habere non potest, necessitate metaphysica inferimus existentiam causae necessariae *realissimae,* nempe Dei.

63. Ad 9. *D.* Subjicitur Deus creaturae, id est cognitio certa Dei supponit *logice* in creatura aliquod principium cognoscendi, *C.* fit Deus *ontologice* pendens a creatura *N.* Nimis futile sophisma hoc est; quandoquidem dum Deum demonstramus existere, hoc ipso demonstramus omnia alia entia ab illo necessario pendere; quin imo ex hac ipsa necessitate, qua fit ut creaturae utpote contingentes debeant ab alio quidquid habent repetere, cognoscimus eas habere debere ultimam existendi rationem in Deo. Quod si ut hoc percipiamus aliquo indigemus ratiocinio, ac proinde aliquo principio *logico* utimur, non Deum subjicimus nobis, non contra ejus agimus voluntatem, sed ea adhibemus cognoscendi media, quibus nos Deus ipse ad eum facile cognoscendum liberaliter instruxit.

64. Ad 10. *N.* Piget, doctos ac religiosos viros serio haec proferre. Num enim dum Scripturae oracula, dum patres ecclesiae nos provocant, ut ex contemplatione creaturarum ad certam Dei notitiam assurgamus, ad idololatriam rationis nos provocant? Num recta ratio dum in seipsa ac in operibus naturae supremi Auctoris sui vestigia recognoscens, eum existentem certissime discernit et colit, idolum sibi confingere dicenda est? Dicant id porro adversarii de iis tantum philosophis delirantibus, qui se creare Deum jactant, aut dum naturae illum identificant, proprium *Ego* ad absolutam naturae divinae conditionem superbissime extollunt.

65. Ad 11. *D.* Si Kantianae antinomiae rationis purae essent verae ac reales, *C.* si apparentes tantum *N.* Nimis compertum est antinomias illas non praeseferre nisi dialecticas argutias ac sophismata jam pluries sub aliis vocabulis prolata, quae quisquis in rebus philosophicis mediocriter exercitatus facile dissolvere potest (1).

66. Ad 12. *D.* Si humana perversitas veritati, saltem non *immediate* evidenti, refragari utcumque non posset, *C.* secus *N.* Non omnes quidem, licet firmissimas, ac plenam persuasionem inducentes, probationes quibus evincitur existentia Dei, apodicticae evidentiae capaces esse concedimus; sed eam certe, quae *metaphysica* dicitur, qua nempe *ex ente ab alio* necessitatem *entis a se* inferimus apodicticam omnino esse et geometricae posse demonstrationi aequivalere confidenter asserimus; quippe ad principium revocatur contradictionis. Nec

(1) Quonam pacto ex. gr. Kantius rejicit argumentum *metaphysicum* (quod ipse vocat cosmologicum) pro existentia Dei? Quia nempe resolvitur in argumentum ipsum *a priori*, quod appellat *ontologicum*. Atqui nil magis falsum. Esto enim, quod ex mero conceptu entis perfectissimi nequeat probari realis ejus existentia. Ast dum ex effectibus realibus contingentibus ad causam necessariam argumentamur, non amplius in mero ac *abstracto* conceptu sistimus; utimur nempe eo ratiocinio *mixto* ex facto reali et ex principio rationis *a priori* conflato, quod proinde ad realitatem omnino ducit, et cujus mathematicae physicis applicatae innumera ac ineluctabilia exhibent exempla.

mirum tamen si huic tam evidenti veritati aliqui obluctari valeant. Nonne enim sceptici prima etiam principia, ac existentiam sui in dubium revocarunt? Nonne Sextus Empiricus, in libris adversus mathematicos, geometricam ipsam evidentiam oppugnavit? Nonne Hobbesius demonstrationes mathematicas esse fallaces posse contendit? Addimus praeterea heic agi non de veritate *immediate* evidenti ac *per se nota*, quae statim ac termini intellecti sint, mentis extorquet assensum; sed de veritate *mediate* evidenti, quae deductione scilicet ac ratiocinatione conficitur. Unde etiamsi ad apodicticam demonstrationem pertingat, potest ei humana voluntas aliquo modo ex perversitate animi refragari.

PROPOSITIO II.

Ratio, etiam individualis, ac propterea absque consensus generis humani subsidio, potest sibi in pluribus veritatibus certitudinem comparare

67. Si de quaestione mere philosophica circa veritatis criterium heic ageretur, eam ultro philosophis excutiendam dimitteremus. Verum cum ejus fautores commenti fuerint non alia nos ratione, quam per consensum generis humani posse certiores fieri de veritatibus tum naturalis, tum supernaturalis ordinis; cum praeterea hunc eundem consensum supremam ac unicam esse credendorum et agendorum regulam proclamaverint, sic, ut ista veram constituat basim christianae religionis ac theologiae, nostrarum esse partium ducimus falsum hoc perniciosum systema refellere (1).

68. Et quoniam illius propugnatores saepe vocabula immutarunt, ac docuerunt modo ad certitudinem assequendam opus esse *consensu* vel *auctoritate generis humani*, interdum *consensu communi*, aliquando *sensu communi*, quandoque etiam *ratione universali*, eademque ambiguitate laborarunt circa notionem *rationis individualis* quam passim commiscent cum notione *spiritus privati*, nonnulla ad perspicuitatem praemittenda sunt (2).

69. Itaque *consensus generis humani* significat conspirationem omnium hominum cujusvis aetatis in re aliqua adstruenda, aut rejicienda. Minus vero patet *consensus communis*, siquidem coarctari potest ad plurimorum aut etiam plerorumque conspirationem in eandem sententiam; *sensus* demum *communis* dicitur ea naturalis animi propensio quam omnes invincibiliter experiuntur ad quaedam evidentia judicia constantia, ac uniformia circa aliquas veritates sive rationales sive morales efformanda.

70. Sic *ratio individualis*, est ratio quae unicuique homini inest, quaeque si rite adhibeatur non modo nos in errorem non ducit, sed potest plerumque omnimodam veritatis certitudinem afferre; quo fit ut rationis individualis vox in bonam partem accipi soleat. Contra vero *spiritus privati* nomine significatur illa animi dispositio, qua quis peculiarem animi sui sensum opponit aut etiam praeponit auctoritati legitimae ad quaestiones fidei dirimendas a Deo constitu-

(1) Vulgatum est sectatorum hujusmodi systematis adagium: « La foi catholique n'est que le sens commun dans les choses de Dieu ». Cf. *Catéchisme du sens commun*, p. 66.

(2) Ad rem Bautain observat: « Le sens commun, dans la doctrine du sens commun, est un Protée qui revêt mille formes et qu'on ne peut saisir sous aucune ». *Quelques réflexions sur la doctrine du sens commun*, pag. 25.

tae, catholicae nimirum ecclesiae; numquam proinde nisi in deteriorem partem usurpatur.

71. Profitemur porro nos haud agere de sensu totius naturae communi, quem libenter admittimus velut unum ex criteriis saltem extrinsecis veritatis (1); ita etiam concedimus certitudinem gigni quandoque posse ex totius humani generis moraliter sumpti consensione (2). Negamus vero ejusmodi sive *sensum* sive *consensum* requiri absolute ad obtinendam certitudinem; multo vero magis inficiamur illam regulam supremam credendorum et agendorum constituere aut basim christianae religionis, ac theologiae. Dum autem de ratione loquimur individuali, eam in communi significatione accipimus, quatenus nempe a spiritu privato proprie discriminatur.

72. Quibus ita compositis sic ad thesim evincendam accedimus. Si humana ratio, quatenus individualis est, haud posset sibi, absque subsidio istiusmodi consensus generis humani, veritatis certitudinem ullo modo comparare, necessario de quacumque veritate incerta ac dubia fluctuare deberet. Atqui hoc esset in absurdum scepticismum dilabi. Ergo. Major luculenter ostenditur. Auctoritas ac proinde testimonium generis humani, sensus ipse naturae communis, ac universalis etiam, si placet, ratio, sunt totidem veritates objectivae, quae scilicet sicut alia quaevis veritas, nequeunt in subjecto certitudinem gignere nisi ab ipso apprehendantur, atque ita apprehendantur, ut eas *ita et non aliter* esse evidenter cognoscat, ac proinde omni dubitatione seclusa eisdem rationabiliter ac firmiter adhaerere debeat. Porro si humana ratio independenter ab illo generis humani sensu vel consensu, nequiret per ullum aliud cognoscendi medium, nec per sensum intimum, nec per sensus externos nec per immediatam conceptus evidentiam, nec per rationem, certam illam firmamque ullius veritatis cognitionem acquirere, jam non posset nec de illo sensu vel consensu communi, nec de illa auctoritate generali, quam dicunt, et infallibili fieri certa; ac proinde in maxima cujuscumque veritatis dubitatione fluctuare necessario deberet, seu in pleno scepticismo versari (3).

73. Tanti ponderis argumentum ejusmodi est, ut nulli det locum effugio: quare supervacaneum est pluribus hoc

(1) Ita scepticos ipsos ad sensum naturae communem utiliter provocamus: non quod judicia sive rationalia sive moralia quae illius objectum efformant, evidentia *per se*, ac *intrinsece* non sint, ut quisque proinde ratione sua individua possit illa non pervidere, iisque refragari; sed quia hac veluti extrinseca norma adhibita, eos qui nativum rationis lumen ita in se extinguere potuerunt, ad illud in se denuo excitandum ac adhibendum impellamus.

(2) Certe cum agitur de nonnullis veritatibus quae, licet ratiocinio aliquo nitantur, tamen ex naturalibus principiis sive facti sive rationis legitime dimanant, si consensio humani generis moraliter sumpti in iis habeatur, hujusmodi consensio non potest veritatibus illis novum saltem *extrinsece* robur non addere. Nam tunc magis elucet, veritates illas in ipsa rationali hominis natura fundamentum habere. Sic etiam consensio illa quoad facta historica, ac traditionalia maximae auctoritatis vim habet.

(3) Sane quot jam veritates firmiter certas praeexigit generalis hujusmodi auctoritas? Nam opus est ut quivis homo jam certo sciat et se existere, et alios existere homines; ut eorum testimonium generale suscipiat; ut hujus testimonii sensum probe intelligat; ut demum certo teneat homines illos in eo veraces esse, ac proinde quidquid ab ipsis generali illa auctoritate asseritur, omnino esse infallibile. Atqui haec omnia quibusnam veri criteriis apprehendentur?

systema impetere. Nihil igitur dicemus de fluctuatione in qua perpetuo adversarii versantur dum volunt sive constabilire numerum, pondus, qualitatem eorum qui concurrere debent in aliquo asserendo ac antestando, ut dici possit consensus generis humani, communis consensus etc. (1); sive determinare organum, interpretem, ac tribunal ejusdem humani generis a quo quae occurrent tolli tuto possent ac dirimi controversiae (2); sive assignare originem et fontem infallibilitatis, auctoritatisque quam eidem consensui tribuunt aut tribuere debent, ut cogere homines possit ad assentiendum. Nec demum cetera persequemur quae ex ejusmodi systemate, absurda plane ac exitialia, sua veluti sponte dimanant (3).

74. Potius juverit hoc alio argumento disciplinae nostrae magis proprio idipsum, quod proposuimus, conficere. Si ratio individualis independenter a consensu generis humani haud posset certitudinem assequi, Deus tum in veritatibus revelandis, tum in mediis quibus usus est, ut credibiles fierent, perperam egisset, quod impium est affirmare. Sane Deus veritates suas manifestavit singularibus individuis, Adae scilicet, Noë, Abrahae, Moysi, prophetis etc. Christus in universam terram apostolos misit ad praedicandum gentibus evangelium suum (4); Paulus pariter et Barnabas missi a Spiritu Sancto ad idem sunt ministerium (5). Ut autem sibi fidem conciliarent, data ipsis potestas est prodigia patrandi (6). Jam vero semel admissa absoluta necessitate consensus generis humani ad veram certitudinem assequendam, imprimis qui immediatam revelationem habuerunt, nec certi de illa esse, nec Deo revelanti credere potuissent aut debuissent. Cur enim suspicari ac timere non potuissent aut debuissent se esse deceptos? Quomodo potuissent itidem aut debuissent aurem fidemque praebere populi apostolis evangelium annunciantibus cum universum pene humanum genus, quippe polytheismo ac idololatriae addictum, eorum praedicationi adversaretur? Prodigia vero ab illis patrata nonne veluti totidem praestigias aut magicas operationes jure aspernari potuissent? Cum igitur hoc systema totam evertat divinae revelationis sive immediatae sive mediatae oeconomiam, plane consequitur et in se falsum esse et divinae revelationi contrarium.

DIFFICULTATES

75. I. Obj. 1. Ratio individualis est

(1) Cf. Bautain opp. cit. *Psychologie expérimentale*, préface pag. XLIV. et seqq. nec non *Quelques réflexions* etc. pag. 25. 26. ubi etiam allegat loca ex *Essai*, *Défense*, *Catéchisme du sens commun*.

(2) Etenim ad dirimendas controversias inter alia *jurisdictio* requiritur, nec non tribunal; porro ubinam existit hujusmodi tribunal in quo nomine totius generis humani controversiae dirimantur? In rebus vero fidei et morum ad infallibilem controversiarum decisionem requiritur praeterea divina *adsistentia*, quae cum soli Christi ecclesiae promissa ac concessa sit, ipsa quoque sola in iis judex est controversiarum.

(3) Inter cetera illud sequeretur, quod cum ecclesia catholica non sit nisi pars generis humani, ab eo mutuari deberet suam infallibilitatem. Pleraque alia hujus systematis absurda fuse persequitur laudatus Bautain, locis citatis, ubi ostendit illud esse anti-philosophicum, anti-catholicum, immorale, anti-politicum etc.

(4) Matth. XXVIII, 19. Act. I, 8.

(5) Act. XIII, 2.

(6) Marc. XVI, 17 seqq.

essentialiter finita, proindeque fallibilis, quare nisi fulciatur medio aliquo infallibili, numquam poterit non esse errori obnoxia. 2. Hoc porro medium aliud esse nequit quam generis humani consensus, seu ratio universalis, quae sola infallibilis est et auctoritas suprema, quippe quae aliud non sit nisi *emanatio rationis* Dei, imo *ratio Dei ipsius* (1). 3. Sine ista de nulla unquam re, nec de propria sui existentia ratio individualis certa esse potest. 4. Multo vero minus poterit actum fidei elicere, secus enim ratio fallibilis eliceret actum infallibilem, quod implicat. 5. Praeterea ipsa Dei existentia, immortalitas animorum, aliaeque ejusmodi veritates, quae naturalis ordinis dicuntur a cujusque individualis rationis arbitrio penderent, his vero inniteretur fides veritatum quae supernaturales vocantur. Id vero quid esset nisi basi luteae statuam auream imponere? (2) Ergo.

76. R. Ad 1. vel *N.* vel *D.* Ratio individualis fallibilis est hoc sensu, quod interdum falli, ac decipi *possit*, *C.* quod semper et in omnibus falli ac decipi *debeat*, *N.* Nam ad eum modum quo individua ratio essentialiter fallibilis est, individua voluntas est natura sua peccato obnoxia. Porro quis inde inferet, voluntatem semper et in omnibus peccare (3)? Itaque in proposito argumento adversarii plura inconsulto permiscent: ac 1. *infallibilitatem* cum *certitudine*, quasi nempe eadem utriusque ratio esset, in quo tamen oppido oberrant. Infallibilitas enim in suo conceptu plenam importat immunitatem in omnibus ab errore, ipsaque errandi possibilitate, neque propria est nisi unius Dei, cujus essentia veritas est; per participationem vero potest etiam creaturis intelligentibus inesse, quibus et eo modo quo eam Deus communicare voluerit. Certitudo autem in suo conceptu non postulat nisi rationabilem, plenam, ac firmam persuasionem alicujus veritatis, quam quis pro veritatis natura e pluribus cognoscendi fontibus haurire potest. Quo fit ut aliquis possit esse infallibiliter certus de aliqua veritate quin sit per se infallibilis, quamvis non possit esse infallibilis nisi certus existat, quippe infallibilitas latius patet quam certitudo. 2. Attributum permiscent essentiale cum acciden-

(1) Ita De Lamennais op. cit. *Essai sur l'indifférence* vol. II, p. 93. cujus verba haec sunt: « Noble *émanation de la substance* de Dieu, notre raison n'est que *sa raison*, notre parole n'est que *sa parole* ».

(2) Ita D. Gerbet, *Des doctrines philosophiques sur la certitude* etc. Paris 1826. p. 31 seqq. Jam professi sumus, nolle nos detrahere cl. Auctori dum ejus doctrinam refellimus, quum notum sit, ipsum ab his placitis recessisse. Caeterum citatum opus valide ac docte confutatum fuit a P. Rozaven S. J. in libro *Examen d' un ouvrage* etc. *Avignon* 1833. ad quem libenter remittimus lectores nostros pro pleniori hujus controversiae cognitione.

(3) Sed praestat hic audire Bautain ipsum egregie hoc systema refellentem « Mais tout en reconnaissant que la raison individuelle est faillible, qu' elle se trompe souvent, s'ensuit-il qu'elle se trompe toujours nécessairement et sur toutes choses? De ce qu'elle peut errer faut-il qu'elle erre sans cesse? De ce que l'homme a par sa liberté le pouvoir de faire le mal, est-ce une nécessité qu'il ne fasse que le mal? La raison humaine pourrait-elle dévier, si elle n' était capable de rectitude? Mais à quel signe l' homme reconnaîtra-t-il qu' il est dans le vrai? . . . Qui le lui dira? La lumière naturelle qui le met en rapport avec les objets naturels, les lois de sa raison qui président à sa pensée, la conscience qu'il a de son sentiment intime etc. » *Psych. Exp.* préface pag. XLVII.

tali seu dono superaddito; *infallibilitas* non est essentialis creaturae rationalis proprietas, adeoque ei non competit neque in singulis individuis neque in tota illorum collectione, unde genus humanum, ratio generalis etc. per se fallibilia sunt. Quod si alicui sive individuo, sive hominum coetui competit, id ex libera Dei communicatione contingit, prout scimus hoc donum in iis omnibus quae ad fidem moresque pertinent, fuisse a Deo communicatum ecclesiae quae confundi nequit cum genere humano. 3. *Subjectivitatem* confundunt cum *objectivitate;* subjectum enim et quidem individuale illud solum est quod apprehendere deberet ac suum facere medium (nimirum auctoritatem generalem) quo juxta adversarios certum fieret ac infallibile: porro quidquid de medio sit, subjectum haud posset suum facere ejusmodi medium nisi per facultates suas. Quid igitur si in hisce numquam a deceptione ac errore tutaretur? (1).

77. Ad 2. *N.* In ordine namque naturali praesto sunt rationi licet per se fallibili plura media, quibus rite pro cujusque veritatis natura adhibitis, potest sine ulla erroris formidine sibi certitudinem comparare. In ordine vero supernaturali medium universale, perpetuum, infallibile quod constituit regulam fidei proximam, non est nisi sola ecclesia Christi (2). Asserere autem, rationem universalem emanationem esse rationis ac substantiae Dei, immo rationem ipsam Dei, pantheismum omnino redolet (3).

78. Ad 3. *N.* Hoc scepticismi culmen est, quod jamdiu s. Augustinus refellerat in academicis validissime (4).

79. Ad 4. *D.* Si ratio fallibilis deberet per se sola fidei actum elicere, *C.* si divinae gratiae auxilio praeventa et adju-

(1) Optime Bautain perstringit auctorem hujus systematis « Qu'est-ce donc que cette raison générale à laquelle vous accordez si libéralement le privilége de l'infaillibilité? Est-ce la raison de tout le monde, ou au moins du plus grand nombre? Elle se compose donc de la totalité ou de la majorité des raisons particulières. Mais celles-ci vous les reconnaissez faillibles et de plus vous les déclarez incapables de science, de verité, de certitude. Est-ce en rassemblant toutes les incertitudes des raisons privées que vous obtiendrez une certitude générale, et la collection des erreurs de tous les hommes finirait-elle par former la vérité »? loc. cit. p. XLVII.

(2) Prout ostendimus tum in prima hujus tractatus parte sec. I, cap. IV, ar. 2. prop. I. tum in secunda sect. I, cap. II, prop. I, n. 116 seqq. Tum denique in tract. *De vera relig.* p. II, prop. II.

(3) « Si c'est là (apposite scribit Bautain) le dernier mot du système, certainement son auteur ne l'a pas compris; il aurait reculé devant l'abomination du panthéisme. C'est à cet abyme que sa doctrine aboutit, aussi bien que l'éclectisme. Comme lui elle fait peu cas de l'homme individuel, elle déprime la raison particulière pour exalter la raison générale, comme lui elle déclare absolue, nécessaire, infaillible cette idole de l'esprit propre . . . C'est la voix de Dieu se révélant infailliblement par la raison générale. C'est Dieu lui-même incarné, pour ainsi dire, dans le sens commun de tous les hommes ». loc. cit. p. LIV.

(4) In tribus libris *contr. Academicos*, praesertim lib. III. item in lib. XV. *de Trinit.* cap. XII. et alibi saepe. Ceterum praeclare observatum est in systemate quod refellimus, asserere individualem rationem per se de omnibus, ac de propria existentia incertam esse nisi accedat consensus generis humani, perinde esse ac si caeco surdo ac muto a nativitate praeberetur optimus codex ut eo sapiens efficeretur. Cf. *Annales de philosophie Chrétienne* n. 13. an. 1841. *Plan d'une démonstration du catholicisme*, art. I, p. 26 seqq.

ta *N.* opportunior de hoc inferius occurret sermo.

80. Ad 5. *D.* Id est, posset ratio ita has sibi demonstrare veritates ut certa de illis redderetur, *C.* posset illas pro lubito admittere aut respuere *N.* Quid porro sibi volunt adversarii dum affirmant quod naturales illae veritates ab arbitrio cujusque penderent? Num quod in hominis voluntate positum esset nativo rationis lumine vel recte uti, vel pessime abuti, atque iis veritatibus, quae saltem evidentia per se immediata non fulgent, per summam posse perversitatem refragari? id quidem verissimum est, et alibi jam declaravimus. Sed si intelligant in hominis esse arbitrio, non per sophismata, sed per solidas rationes vim demonstrationibus adimere, quibus illae veritates probantur, negamus omnino. Nec enim in potestate hominis est efficere ut illud verum non sit, quod in se verum est, quippe ex indubiis principiis legitimo nexu promanat. Falsum vero est et illud quod additur, fidem supernaturalem illis veritatibus inniti; sed illis suppositis tamquam fidei praeambulis, ut loquitur s. Thomas, progreditur homo ad motiva expendenda credibilitatis quibus certior fiat Deum esse locutum; credit vero quae Deus revelavit innixus Dei ipsius revelantis auctoritati, praeventus nempe atque adjutus divinae gratiae subsidio.

81. II. 1. Obj. Atqui si ratio individualis habere posset certitudinem eorum quae objecta etiam fidei sunt, nullum amplius meritum haberet in actu fidei. 2. Esset independens ab auctoritate ecclesiae ac judex constitueretur *veritatum omnium* quarum numerum aut restringeret aut amplificaret, prout autumaret se assequi certitudinem posse demonstrationis via; 3. Porro quodnam medium nisi universalis ratio potest nobis suppeditare testimonium infallibile eorum quae Deus manifestavit? 4. Immo ex facto ipso aperte constat non alia ratione, quam per consensum humani generis voluisse Deum ut singulis individuis veritates omnes quas ipse revelavit innotescerent; Adam enim eas filios suos docuit, filii docuere nepotes et ita porro, idque ex divina plane ordinatione. 5. Alioqui nulla ad fidem ac proinde ad salutem via suppetiisset iis omnibus ethnicis, qui ante Christi vixerunt adventum. 6. Post Christum vero haec divinae oeconomiae ratio immutata non est; siquidem fides in ecclesiam non est nisi applicatio principii *auctoritatis generalis*, quae fundamentum constituit certitudinis. 7. Quid enim ecclesia catholica aliud credendum proponit nisi *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est*, quodque solum *catholicum* est juxta celebrem Vincentii Lirinensis regulam? (1) Ergo.

82. Resp. Ad 1. *D.* Si haberet cognitionem ac evidentiam intrinsecam de veritate horum objectorum *Tr.* si extrinsecam tantum, nimirum quatenus cognoscit a Deo certo revelata esse *N.* Sublata hac aequivocatione difficultas per se concidit; imo addimus certitudinem quod Deus ea revelaverit, esse omnino necessariam; alias posset elici actus fidei innixus probabilitati, quod est absurdum ac damnatum (2).

83. Ad 2. *D.* Id est posset ratio independenter ab ecclesiae auctoritate sibi comparare cognitionem et certitudi-

(1) Ita Gerbet in cit. op. p. 34 seqq.

(2) Ut patet ex prop. XXI. inter damnatas ab Innocentio XI. « Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus ». In quam thesim cf. Viva § VII seqq.

nem veritatum ordinis naturalis, *C.* ordinis supernaturalis *N.* De his certe posterioribus nulla esse quaestio potest, cum homo eas credat ob auctoritatem Dei revelantis et ecclesiae proponentis; de primis vero nihil vetat quominus illas ratio individualis etiam per se cognoscat et vi demonstrationis certo teneat, ut in praecedenti propositione ostendimus, quamvis necesse non sit ut omnibus per hanc demonstrationis viam innotescant. Quod vero adjicitur de judicio *veritatum omnium* earumque coarctatione aut amplificatione ex arbitrio cujusque paulo ante disjecimus (1).

84. Ad 3. *N.* Media enim quibus ratio individualis potest certo cognoscere existentiam revelationis plura esse queunt: potest nempe per visum e. g. per auditum, per testimonium hominum, per illa demum omnia credibilitatis motiva quibus evidens illi reddatur factam reipsa a Deo revelationem esse. Si vero sermo sit de certitudine, quae singulos afficiat articulos, vel collectionem articulorum qui revelatione continentur, ea certe haberi unice potest per ecclesiae infallibilis auctoritatem.

85. Ad 4. *D.* Id est voluit Deus ut veritates protoparenti a se revelatae transmitterentur ad seram usque posteritatem per traditionem sive domesticam, sive publicam *C.* per traditionem publicam tantum, seu per consensum generis humani tamquam unicum medium ad earundem assequendam certitudinem *N.* Haec duo apprime secernenda ab invicem sunt; primum enim verissimum est, quamvis non omnes parentes suo functi munere sint; ex quo repeti debet penes plures populos primaevae revelationis corruptio aut etiam obliteratio (2); alterum vero est falsum, alioquin cum deperdita aut saltem foede corrupta penes plerosque populos fuisset primaeva revelatio, nulla reipsa in adversariorum hy-

(1) Sane distinctio inter veritates naturales ac supernaturales in ipsa veritatum natura fundatur; naturales enim illae sunt, quae rationis nativam intelligentiam non excedunt, supernaturales quae illam superant. Rursum ex naturalibus aliae sunt quae ceterarum veluti fundamenta sunt, uti Dei existentia, justi atque injusti lex, poenae vel praemia in altera vita retribuenda; quas facile quisque attingere potest. Ceteras autem primis illis subordinatas, quo majori vel minori quisque ingenii vi, quo magis vel minus extrinsecis subsidiis est instructus, majori vel minori numero, nativo rationis lumine potest cognoscere ac demonstrare. Atque hic divina bonitas, ac maximum revelationis beneficium se prodit, quod nempe Deus ut omnium bono aeque prospiceret, eas etiam veritates quas *absolute* humana ratio cognoscere posset per positivam etiam revelationem patefecerit; uti egregie declarat s. Th. *Cont. gent.* lib. 1, capp. 3. et 4. Quo etiam referuntur quae praeclare docet Catechismus Rom. p. 1, cap. II, n. 6. ubi postquam celebravit quae philosophi ex sola naturae contemplatione nativo rationis lumine de Deo ejusque attributis disseruerunt, pergit: « Quamquam in eo etiam caelestis doctrinae necessitatem agnoscimus, si animadvertamus, fidem non solum hoc praestare, quemadmodum supra dictum est, ut quae viri tantum sapientes longo studio consecuti sunt, ea rudibus quoque et imperitis hominibus statim pateant, atque in promptu sint: verum ut rerum notitia, quae fidei disciplina comparatur, multo certior, atque ab omni errore purior in mentibus nostris insideat, quam si eas ipsas res, humana sapientia comprehensas, animus intelligeret ».

(2) Nec ideo dicendum est, illos populos destitutos exinde omni salutis medio fuisse; nam, uti ostendimus in tract. *De gratia*, p. 1, c. 3. n. 238. Deus semper praesto est auxilio suo interno, et subsidiis etiam externis omni facienti quod in se est, adeo ut nullus unquam perierit, aut pereat nisi culpa sua.

pothesi individuis illius certitudinem assequendi superfuisset via nec ulla propterea ad salutem perveniendi.

86. Ad 5. *D.* In adversariorum hypothesi juxta dicta, *C.* in sententia nostra *N.* Nam satis erat domestica traditio praeter alia media quibus identidem divina providentia usa est ad primae revelationis notitiam disseminandam (1).

87. Ad 6. *D.* Quatenus immutari nequit quod numquam extitit, *C.* secus *N.* Vidimus Deum prius singularibus hominibus veritates suas patefecisse ea lege, ut a parentibus in filios continenter propagarentur. Cum vero illi passim officium ejusmodi negligerent, aut veritates illas turpiter commacularent, ne prima penitus oblivioni daretur revelatio, peculiarem sibi familiam selegit Deus in Abraham, quae custos fidelis illius revelationis existeret. Cumque haec ipsa familia in populum crevisset, eundem constituit suae revelationis depositarium, eique speciali prorsus providentia prospexit, ne muneri deesset suo per successionem prophetarum, donec *venit plenitudo temporis in qua misit Deus filium suum.* Christus porro instituit ecclesiam quam infallibilitate communivit, ut usque in seculi finem revelationem plenam atque integram intemerate custodiret, et omnibus gentibus annunciaret. Hic et non alius divinae providentiae extitit ordo in revelatione sua sive conservanda, sive propaganda. Itaque ecclesia est quidem organum Christi, non autem generis humani, quod est perabsurdum.

88. Ad 7. *D.* Ecclesia nihil aliud proponit credendum nisi quod *semper* etc. ab ecclesia catholica, *Tr.* ab universo humano genere, et quidem a mundi primordiis usque nunc *N.* Etenim praeterquam quod ut saepe alias animadvertimus (2), Lirinensis effatum habet sensum *positivum*, non autem *negativum*, nequit illud accipi nisi de eo quod creditum est in ecclesia catholica, minime vero de eo quod a genere humano creditum est. Hoc commentum utpote novitium plane ignotum patribus fuit. Ceterum nec illud dimittendum, esse quidem regulam a Vincentio traditam unum ex criteriis cognoscendi catholicam veritatem, sed neque *unicum*, multo vero minus *praecipuum ac supremum* esse. Tale enim non est nisi juge ac semper vivens ecclesiae magisterium (3); cetera omnia huic subjecta sunt ab eoque pendent.

---

89. Vindicavimus hactenus rationis etiam individuae vim, qua ad veritates intra ordinem naturae conclusas, quaeque veluti praeambula spectari queunt, valeat per se sola *absolute* ac quidem cum proprie dicta certitudine pertingere: ac proinde probavimus dari inter eas naturales veritates intrinsecum ordinem *logicum*, quo una ex alia legitimo principiorum nexu possit argumentando deduci.

90. Sed aliud est de *absoluta* rationis potentia disserere, aliud de ejusdem potentia *morali*: illa quippe ad ordinem *logicum* pertinet, haec pertinet ad *historicum*. Nimirum potentia moralis complectitur illa omnia elementa

(1) Tales fuere frequentes hebraici populi apud plures gentes captivitates, migrationes judaeorum apud dissitas nationes, dispersiones, commercium etc. quibus vicissitudinibus facile fieri poterat ut notitia revelationis ad varios populos perveniret.

(2) Praesertim in tract. *De vera relig.* part. II, prop. III, n. 56. cum nota adnexa.

(3) Recolantur quae scripsimus paulo ante cum ageremus de Traditione cap. II, § I.

facti, in quibus humana ratio seu potius hominum genus non *abstractivo*, sed *concreto* ac reali modo spectatum ac moraliter simul sumptum, juxta consuetum rerum ordinem versatum sit ac per se debeat versari. Huc porro spectant ea omnia sive intrinseca sive extrinseca impedimenta quae semper hominibus collective sumptis in cognitione illarum ipsarum veritatum per solum rationis lumen assequenda obstare debuerunt. Huc spectat maxima difficultas in veritatis investigatione, quae semper longa et implexa est, constanter ex rectis rationis legibus procedendi, ardentes cohibendi animi cupiditates, ac veritatis unius studium sectandi ita ut, quod praeclare evolvit s. Thomas, nonnisi pauci ac post longum tempus atque cum admixtione multorum errorum eas veritates, quae etiam ratione investigari possent, assequerentur (1). Huc demum spectat *factum* ipsum, in quo haec omnia implicite continentur, indubitatum, universale, perpetuum ex omnium populorum historiis depromptum, quod scilicet nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, ac in absurdos contra sanae ethices errores delapsus non sit; quod nulla humana sapientia aut industria ab universali illa defectione revocare homines valuerit; quod humana denique ratio ex se motiva sufficientia non praebeat ad homines in officio continendos atque a vitiis retrahendos. Ex hisce porro omnibus exurgit non utilitas tantum sed necessitas, *moralis* tamen, non autem *absoluta* (2) illius extraordinarii subsidii, divinae nimirum positivae revelationis, qua hominum moraliter sumptorum indigentiae in ipsis etiam naturalibus veritatibus provisum esset. Hac porro via nos ipsi in Tractatu *de Vera Religione* per varias propositiones arcte simul connexas processimus: unde supervacaneum heic esset ostendere peculiari propositione, rationem individualem posse per se possibilitatem, utilitatem ac necessitatem divinae revelationis certo cognoscere ac demonstrare.

91. Illud unum tantum hic adnotamus, quod consequitur ex dictis, *moralem* hanc *necessitatem* revelationis exurgere ex connexione inter ordinem *logicum* ac *historicum*: quandoquidem *lo-*

(1) *Contr. Gent.* loc. cit.

(2) Diximus necessitatem *moralem* exurgere positivae revelationis, non autem *absolutam*; siquidem absoluta ejusmodi necessitas ex nullo capite potest probari. Non ex necessitate instaurationis hominis lapsi in ordinem supernaturalem ex quo per peccatum exciderat, cum haec instauratio *gratuita* prorsus sit, nec homini debita; non ex conditione sua naturali, alioquin si homo absolute indiguisset revelatione ad cognoscendas veritates naturalis seu moralis ordinis, praeterquam quod videretur destitutus aliquo essentiali suae naturae constitutivo, Deus absolute obstrictus fuisset ad eam homini dandam, cum tamen omnes fateantur revelationem positivam gratuitum Dei esse beneficium: non denique ex infirmitate quam per haereditariam noxam contraxit; ut enim cetera praeteream, adstrueretur necessitas revelationis adversus incredulos et naturalistas ex ipsa revelatione, in quo haberetur manifesta petitio principii. Urgere possem statum infidelium negativorum, qui destituti essent medio *absolute* necessario ad consequendum suum finem; possibilitatem praeterea status purae naturae, aliaque ejusmodi, quae aperte ostendunt *absolutam* positivae revelationis necessitatem adstrui nullo modo posse. Ex quo patet haud satis sanae theologiae ac religionis bono prospicere eos, qui nimio forte ejusdem religionis amore abrepti, vellent *absolutam* revelationis necessitatem propugnare. *Ne quid nimis*, ut vetus fert adagium.

gicus ille ordo ostendit quid *absolute* ratio humana efficere potuisset; sed logicus ille ordo cum *historico* comparatus ostendit quid reipsa humana ratio praestiterit, atque adeo quid *moraliter* efficere potuerit aut possit. Rationalistae in humana ratione nonnisi potentiam *logicam* spectant, nempe hominem tantum in *abstracto* et *a priori* considerant: sed qui vere ac complete philosophantur, hominem etiam in concreto spectare debent, nimirum in iis circumstantiis positum quas perpetuo *historia* revelat. Id autem multo magis theologi erit officium, cujus est omnes, naturales etiam, cognoscendi fontes rimari. Hinc nullimode secum ipse pugnabit theologus, dum ex una parte nativam rationis tuetur vim, ex altera vero necessitatem moralem divinae revelationis ostendit. Atque ita etiam deteget nexum, et quandam veluti conciliationis viam patefaciet inter sententiam illorum, qui totum *logicae methodo* deferunt, atque oppositam illorum qui *methodo historicae* nimium adhaerent.

PROPOSITIO III.

Potest humana ratio certo cognoscere motiva, quae vocant credibilitatis, ac per ea sibi comparare certitudinem existentiae divinae revelationis

92. Haec propositio quae veluti legitimum corollarium fluit ex propositionibus hactenus vindicatis, duas complectitur partes, tum scilicet humanam posse rationem, et quidem *certo*, cognoscere motiva, seu quas etiam nuncupant *notas* divinae revelationis, tum per haec credendi motiva ad plenam posse certitudinem de illius revelationis existentia pervenire. Impetit proinde directe sententiam 1. illorum qui nimium rationi detrahentes existimant, aut numquam illam valere ita de ejusmodi motivis fieri certam, ut omnem errandi formidinem ac dubitationem a se amoveat, aut motiva illa apta per se non esse ad talem certitudinem gignendam; 2. illorum qui rentur hanc certitudinem ab ipsa natura veritatis revelatae repelli, quippe cum ista liberum exposcat assensum, negant sine dispendio fidei de veritate christianae revelationis confici posse *demonstrationem*: licet hoc alterum, ubi in secundo capite agemus de fide, peculiari modo refellamus.

93. Interea ex principiis praejactis ac vindicatis ita progredimur: potest ratio per se cognoscere tum veritates logicas, metaphysicas, psychologicas, morales, physicas, tum earundem plenam saepe certitudinem assequi, diversi nimirum generis prout diversa illarum natura, ac varius cognoscendi fons patitur aut expostulat. Atqui credibilitatis motiva constant partim ex veritatibus facti, quae sive sub sensuum experientiam cadunt, sive ex indubio humanae auctoritatis testimonio accipiuntur, partim ex principiis logicis ac metaphysicis quae illis facti veritatibus legitime applicantur; consequitur ergo veram a ratione de illis motivis haberi certitudinem posse.

94. Sane cum Deus hominibus voluerit revelationem suam evidenter credibilem efficere, ut tuto cognosceretur, et a quavis secerneretur hominum fraude, talibus illam necessario debuit argumentis communire, quae ab omnibus recta ratione utentibus facile ac tuto possent agnosci, ac firmiter teneri deberent. Rursum: nisi Deus ejusmodi argumentis suam firmasset revelationem, quisnam teneretur illam uti divinam admittere? Quamnam moralem induceret obligationem, ac quomodo qui illam respueret gravis culpae reus esset, aeternoque addicendus supplicio?

95. Praeterea assensus qui divinae revelationi praestari debet, prudens ac

rationabilis sit oportet. Atqui si firma illa atque indubia motiva credendi deficerent, imprudens omnino foret: ac deberet voluntas firmiter veritati illius adhaerere, dum tamen intellectus in dubio aut in mera tantum probabilitate, quod Deus sit revera locutus, versaretur; quod tamen, ut vidimus, falsum damnatumque est (1).

96. Facile autem esset, siquidem in re tam manifesta esset opus, hoc ipsum tum sacris litteris, tum sanctorum patrum auctoritate firmare. Cum enim Deus Moysen misit ad populum suum atque ad Pharaonem, ut fidem apud eos obtineret, potestatem ei contulit signa ac prodigia patrandi: ad prodigia item in Aegypto patrata Hebraeos perpetuo provocat Deus, ut de aetatibus insequentibus sileamus. Christus vero miraculis omnigenis ac vaticiniis tum eventu jam comprobatis tum in posterum comprobandis, divinam suam missionem ostendit. Ad haec motiva constanter incredulos adversarios suos provocat (2), immo vero profitetur immunes eos a peccato in sua incredulitate futuros fuisse, nisi signa fecisset (3). Patres et interpretes in hoc unanimes plane sunt (4). Hinc s. Thomas in lib. cont. Gentes ejusmodi motiva ad ethnicos convincendos adhibuit; ac merito concludebat in *Summa* loquens de fidei objectis: « Non *crederet* (homo) nisi *videret ea esse credenda*, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi (5) ».

97. Haec vero jam evincunt etiam alteram propositionis partem. Nam cum ea motiva necessario nexu cum divina revelatione conglutinentur, aperte conficitur posse per ea humanam rationem certam omnino fieri de ejusdem existentia revelationis. Sane veri nominis miracula, ac vaticinia, quaè praecipua credibilitatis motiva constituunt, cum nonnisi a Deo vel ejus nutu edi possint, si semel proinde homini certo constiterit patrata aut edita fuisse ad alicujus missionem comprobandam, dubitare is amplius nequit ex Dei nomine illum loqui, qui duplici illa facultate a Deo auctus sit; praesertim si adjuncta omnia tum intrinseca tum extrinseca in id concurrant. Haec autem majorem adhuc firmitatem accipiunt ex motivis illis, ut ita dicam, subsidiariis, quae in omnium oculos incurrunt, cujusmodi sunt 1. sublimitas et praestantia doctrinae, quae ex Dei nomine enunciatur; 2. jugis illius conservatio et propagatio, frustra semper obnitentibus utrique cupiditatibus

(1) « Certitudo fidei, adnotat Suarez, non est tantum *practica* sed *speculativa* et ideo requirit etiam certitudinem speculativam de credibilitate sui objecti: nam impossibile videtur hominem determinari ad credendum aliquid firmiter et certo, si cum formidine tantum et non certo judicet esse credibile ». *De fide disp.* IV, *sect.* 2.

(2) Matth. IX, 6. Marc. II, 10. Luc. V, 23. Jo. X, 37. 38; XIV, 10. etc.

(3) Jo. XV, 24.

(4) Cf. Salmeronem, *Comment. in Evang.* tom. IX. tract. LXI. in cit. verba: *Si opera non fecissem*, nec non card. Toletum *Comment. in Joan.* in cap. III. *Annot.* II. ubi fuse agit de hoc argumento.

(5) 2. 2. q. 1. ar. 4. ad 2. Ad rem in hunc locum d. Thomae animadvertit Suarez: « Notanda est distinctio et variatio illorum verborum *credere* et *videre*: nam prius dicit obscuritatem, unde posterius, ut condistinctum ab illo, dicit claritatem et evidentiam, neque illa duo repugnant, quia versantur circa diversa; nam *creditur* aliquid sub ratione *veri*, *videtur* autem sub ratione *credibilis* ». Ibique citat plura patrum testimonia. Cf. *De fide disput.* IV. *sect.* 2.

humanis ac perpetuo adversantibus acerrimis hostibus domesticis et externis prope innumeris, idque fere absque mediis tanto molimini idoneis; 3. constantia demum et fortitudo martyrum in suis omnibus adjunctis spectata: haec porro omnia prout sunt totidem objecta vaticiniorum quae in dies complentur, eandem vim ad probandum obtinent ac vaticinia ipsa; imo eorundem vaticiniorum totidem sunt adimplementa totidemque probationes, quae licet *intensive* ejusdem semper sint roboris, *extensive* tamen novam in dies firmitatem acquirunt. Quae sane omnia fuerunt suo loco satis abunde exposita et vindicata (1).

DIFFICULTATES

98. I. Obj. Facta extraordinaria quae miracula dicuntur nexum necessarium non praeseferunt cum existentia divinae revelationis; tum quia miracula ipsa sunt objectum divinae revelationis adeoque nequeunt esse ejusdem credibilitatis motiva (2); tum etiam quia assumere miracula uti credibilitatis motiva est petere principium. Siquidem veritas evangelicae revelationis (idem dic de Mosaica), quae miracula enunciat, nequit *rationaliter* per miracula probari; ex altera vero parte assumendo apostolos, qui tamen *homines* erant, non potuisse decipi aut decipere, debet supponi factum non minus extraordinarium, quam sint miracula ipsa, quae illi referunt (3).

99. Resp. *N.* Ad prob. Nihil obest miracula divinae esse revelationis objecta; talia quippe sunt quoad eos qui jam revelationi credunt, minime vero quoad illos qui nondum credunt. Pro his enim sunt solum motiva seu media quibus cognoscere valeant revelationem, quae Dei nomine proponitur, reipsa divinam esse, prout etiam ex adductis s. Thomae verbis constat. Itaque miracula possunt esse et *motiva* et *objecta* divinae revelationis, sed diverso plane respectu. Falsum autem est peti a nobis principium, dum assumimus miracula veluti motiva credibilitatis; nec enim ea assumimus uti talia, quatenus ab auctoribus inspiratis ac propterea infallibilitate praeditis referuntur, sed in se, seu quatenus visa sunt et oculis usurpata ab iis quibus suadebatur et ostendebatur *immediate* divina missio. Quoad eos vero qui miracula immediate non conspexerunt, alio iidem modo potuerunt aut possunt certiores de illis fieri, nempe aut traditione, aut certissimis historicis monumentis, aut ipsorum confessione adversariorum, aut testimonio fidelium, aut etiam omnibus hisce simul sumptis, ut suo loco ostendimus (4), quae moralem certitudinem proprie dictam pariant. Cum vero per ejusmodi certitudinem semel constiterit de veritate factorum extraordinariorum, quae miracula dicuntur, assurgitur ad expendendam *rationaliter* illorum naturam, utrum nempe notas illas omnes habeant et conditiones quae ad miraculum constituendum stricte requiruntur. His expensis, ex certitudine et veritate miraculi jure omnino infertur divina illius missio, qui talia edidit signa ad eam credibilem faciendam. Talis est processus qui legitime hac in se instituitur, quin in ulla petitione principii versemur.

(1) In Tract. *De vera relig.* p. I, cap. IV, prop. I seqq.

(2) Ita Bautain, *Lettre à Monseigneur Lepappe de Traverne* etc. Strasbourg 1837. p. 3.

(3) Ita in *Avertissement sur l' enseignement de M. Bautain*. Strasbourg 1834. pag. 22.

(4) In cit. tract. p. I, cap. III.

100. II. Obj. Quidquid de iis sit qui miracula ipsa immediate viderunt, res profecto aliter se habet quoad eos, qui ea nonnisi *mediate* cognoverunt. Etenim 1. isti unde cognoscunt nisi auctoritate ducti humana, quae nempe humanam tantum certitudinem, plurium aut paucorum innixam testimonio, praebere potest, ac numquam proinde certam ac infallibilem? 2. Argumenta omnia licet validissima, ratiocinationes omnes etsi rigorosissimae, quoties innituntur factis sensibilibus, non habent nisi valorem relativum ac pure humanum. 3. Quapropter cum creditur resurrectioni e. g. Christi Jesu, ejusque in caelum ascensui, credi quidem debet ob solum apostolicum testimonium, ast non prout vulgo fertur, ideo quia apostoli non erant deceptores aut decepti, quod ostendi absolute nequit. 4. Atque ut resurrectioni Christi insistamus, ea miraculum non fuit ceteris simile, quod operatus sit Jesus coram testium multitudine. Resurrectio Christi testes alios non habuit nisi seipsum, neque postea redivivus apparuit nisi solis discipulis suis; agens simul fuit et subjectum operationis divinae (1). Ergo.

101. Resp. *N. A.* ad 1. prob. *Neg.* illationem, numquam scilicet certam ac infallibilem esse auctoritatem humanam, quandoquidem si necessariis conditionibus polleat, talem certitudinem quandoque parit, quae ad firmam ac rationabilem quod attinet animi adhaesionem cum ipsa metaphysica certitudine comparari queat, uti in *Praenotandis* satis declaravimus. Perinsignes omnes cujusque aetatis philosophi, atque ii etiam, qui in ipsis mathesibus maxime excelluerunt, in hoc communi hominum sensui fuerunt plane concordes (2).

102. Ad 2. *D.* Si Kantiana principia de humanarum cognitionum realitate quidquam valoris haberent, *C.* si secus *N.* omnino. Certe si admittatur rationem theoreticam numquam de veritate ac realitate objectiva rerum esse certam posse, nil nisi *phaenomena* attingere, principium ipsum causae nonnisi subjectivam cathegoriam seu formam intellectus esse, qua nempe intellectus ex caeca quadam et subjectiva necessitate *synthetice* et *a priori* idea effectus cum causae idea conjungit, opposita difficultas id quod contendit evinceret. Sed haec nimis jam a praeclaris philosophis explosa sunt, uti in *Praenotandis* exposuimus.

103. Ad 3. *D.* Ostendi absolute nequit apostolos non fuisse deceptores in facto resurrectionis testificando, si gratuito assumatur eos fuisse infallibilitate praeditos, ut objectio supponit, *C.* adjunctis omnibus testimonii illorum spectatis *N.* Primum utique esset principium petere, ac viam praecludere veritatem incredulis ostendendi evangelicae revelationis, quae facto illi praecipue saltem innititur. Alterum vero non item ut suo loco ostendimus (3). Tota haec difficultas pendet ex jam refutato principio,

(1) Ita in *Philosophie du christianisme*, tom. I, pag. 300. 303. tom. II, pag. 408. et alibi.

(2) Cf. Leibnitium tum in cit. diss. *De conform. fidei cum ratione*; tum in *Tent. Theodiceae* p. I, § 54 seqq. et alibi; item Eulerum in *Lettres à une Princesse d'Allemagne*. Paris 1812. tom. II. *Lettres* CXV.—CXX. quae omnes sunt de hoc argumento. Recentius vero egregium mathematicum Paulum Ruffini in op. *Riflessioni critiche sopra il saggio intorno alle probabilità del signor Conte Laplace*. Modena 1821. *Memoria* IV. p. 100 seqq. necnon cl. pariter italum mathematicum Nic. Fergola in *Teorica de' miracoli*. Napoli 1839.

(3) In Tract. *De vera relig.* p. I, cap. IV, prop. I.

quod numquam auctoritas humana veram possit progignere certitudinem. Deinde adjicimus apostolos ad fidem obtinendam in testimonio quod reddebant Christi resurrectioni penes gentes, communitos fuisse miraculorum dono, quo omnem ab istis dubitationem removebant.

104. Ad 4. *D.* Et probatio quae petitur ex resurrectione Christi innititur illi tantum instanti quo haec contigit, prout videtur falso supponi, *N.* innititur apparitionibus subsequentibus *C.* Probatio namque ex facto resurrectionis deprompta suam habet firmitatem in multiplicibus ejusdem Christi redivivi apparitionibus quibus se ostendit vere ad vitam rediisse, se discipulis suis palpandum praebuit, manducavit ac bibit cum ipsis, idque non semel, ut omnem ex illorum animis dubitationem depelleret, ac demum iisdem conspicientibus caelum ascendit. Nisi igitur omnis vis sensibus adimatur ad physicam certitudinem producendam, quînam discipuli in eo decipi potuerunt? Porro quod viderunt, aliis testati sunt, eaque firmitate ac constantia, ut se omnium odio, insectationibus, ac morti demum ipsi exponere non dubitarint. Num ejusmodi testium qualitas sufficere non debet ad moralem pariendam certitudinem? His adjicienda miracula, quae ipsi ad fidem faciendam de veritate sui testimonii, quod paulo ante adnotabamus, innumera pene patrarunt.

PROPOSITIO IV.

Potest pariter humana ratio certo verae Christi ecclesiae cognoscere existentiam

105. Et haec propositio sequitur ex praecedente atque cum ea est arctissimo nexu consociata. Nam si potest humana ratio certo cognoscere motiva credibilitatis, ac per ea certitudinem assequi de existentia divinae revelationis, poterit profecto eadem certitudine existentiam cognoscere ecclesiae, societatis nempe a Christo institutae ad custodiendam conservandamque revelationem suam: ex ejus autem essentiali constitutione ac notis quae ex illa profluunt, eam discernere a quavis spuria societate quae ecclesiae sibi nomen usurpet.

106. Sane Christus ita suam debuit ecclesiam condere quae facile dignosci possit a Satanae synagogis atque ab humanae malitiae ac superbiae monumentis; alioquin excusari possent qui se in ejus sinum recipere detrectarent sub obtentu quod vera ecclesia a spuriis coetibus distingui nequeat. Attamen Christus cunctis praecepit hominibus illam ingredi, ejusque fidem profiteri ac mandatis obtemperare sub interminatione aeternae poenae. Eam comparavit civitati in monte constitutae quae omnium pateat adspectui. Quae quidem, aliaque ejusmodi aperte ostendunt ecclesiam ita constitutam ut facile ac tuto ab omnibus rite animo comparatis cognosci possit atque discerni.

107. Id ipsum vero ex principio illo constabilitur, quod in prima tractationis hujus parte firmiter constituimus de identitate christianismi et catholicae ecclesiae, adeo ut iisdem plane motivis simus catholici quibus christiani sumus (1). Motiva siquidem credibilitatis *praecise* militant pro ecclesia catholica, seu ecclesia Christi, cum Christus vere et proprie non instituerit ac fundaverit christianismum veluti in *abstracto*, sed ecclesiam christianam, eamque unicam,

(1) Cf. quae scripsimus in hujus tractatus p. 1, prop. 1. Cf. praeterea Bossuet, *Instruction Pastorale sur les promesses de l'Eglise, pour montrer aux Rèunis, par*

universalem, visibilem atque perpetuam, quae nec est nec esse potest nisi sola ecclesia Catholico-Romana, uti suo loco ostendimus (1). De hac ecclesia unice et constanter loquitur Christus in Evangelio, de hac unice loquuntur Apostoli, de hac patres et scriptores omnes antiquitatis (2). Si igitur ex demonstratis in praecedente propositione potest humana ratio certo cognoscere motiva credibilitatis, et per se acquirere certitudinem de existentia divinae revelationis, poterit simul certitudinem obtinere de existentia ecclesiae Christi.

DIFFICULTATES

108. Obj. Si propositiones hactenus statutae verae essent, sequeretur omnino 1. posse humanam rationem per continentem *logicam* veritatum connexionem, ac proinde per veram demonstrationem ab existentia proprii *Ego* ad ipsum factum revelationis ac ad veram Christi ecclesiam ascendere. 2. Atqui hoc est quod in Hermesii systemate ab apostolica Sede damnatum est; 3. Quid enim aliud Hermesius voluit in sua *Introductione* sive *philosophica* sive *positiva*, quam *fundamentum* ponere *ad demonstrandum christianismum tamquam revelationem datam a Deo*, ac demum *catholicismum tamquam verum christianismum?* 4. Sane hoc est naturam fidei pervertere, quae tota supernaturalis est, donum Dei, ac nova veluti hominis *creatio ex nihilo;* tunc autem redderetur per eam demonstrationem *merus effectus naturae quae sese vi sua evolvit*. 5. Hoc est *theologiam dogmaticam* plane pessumdare, quae tunc suum fundamentum necessarium haberet in ipsa philosophia, ac fieret *aedificium veluti quoddam purorum principiorum theoreticorum*. 6. Nec dicas fontes dogmatum theologicorum esse plane diversos a fontibus philosophiae: nam hoc etiam agnoscit Hermesius, nec tamen ob id systema ejus minus anticatholicum et antitheologicum est. 7. Unde saniores ipsi protestantes hoc systema damnant ac rejiciunt (3).

109. R. Ad 1. *Per logicam connexionem* etc. *D.* veritatum *diversae* tamen naturae *C.* ejusdem naturae *N.* Ut qualis sit logicus iste nexus dignoscatur, apprime diversa natura veritatum est discernenda. Aliud enim est loqui de veritatibus naturalibus, quae animam humanam, Deum, legem moralem etc. spectant, aliud de iis quae motiva credibilitatis, ac existentiam sive divinae revelationis sive ecclesiae respiciunt. Illae enim cum ex factis internae experientiae atque ex immutabilibus rationis principiis pendeant, necessario, intrin-

l' expresse parole de Dieu, que le même principe qui nous fait chrétiens, nous doit aussi faire catholiques. Opp. ed. Versailles tom. XXII, p. 375 seqq.

(1) Tum in Tract. *De vera relig.* p. II, prop. IV. tum in hujus tract. par. I, sect. I, cap. III.

(2) Cf. ibid.

(3) Haec ipsi nobis objicimus quippe haud pauci praesertim in Germania, res haud sedulo distinguentes ex damnatione doctrinae Hermesianae occasionem capiunt ita argumentandi. Vide inter caeteros articulum jam citatum in Ephem. Theol. Tubing. 1839. *Ueber Glauben und Wissen*, seu *de scientia et fide* etc. pag. 439. Cujus quidem auctori licet scientiae et pietatis laudem deferamus, non possumus tamen principiis ejus integre subscribere, sive circa probationes divinae revelationis, sive circa existentiae Dei demonstrationem, quam ipse, immediatae cuidam naturali fidei juxta Jacobium adhaerens, vix, aut ne vix quidem, in communi theologorum sensu, admittere videtur.

seco ac metaphysico nexu copulantur. Istae vero factis *extrinsecis* totae innituntur, quae sive sub sensus *immediate* aliquorum hominum ceciderunt, sive ex indubio aliorum hominum historico testimonio accipiuntur: hinc nexus inter has veritates, licet valido cognoscendi medio suffultus, ac proinde etiam logicus, nonnisi tamen *extrinsecus* est, ac *moralem* tantum certitudinem gignit. Sed nil id officit naturae verae *demonstrationis*, quae nempe firmam ac rationabilem mentis adhaesionem veritati rei cognitae gignat, nisi si quis sophistice contendere velit nullam aliam dari et vocari demonstrationem posse, quam quae mathematica sit, in quo merus esset lusus verborum (1).

110. Ad 2. *N.* Nam si hac proprie de causa Apostolica Sedes damnasset Hermesii systema, damnasset simul apologetas omnes christianae et catholicae religionis, qui eundem sibi finem proposuerunt, nempe *demonstrationem evangelicam*, *demonstrationem christianam* aut *catholicam* conficere. Quod quidem absurdum, ac ab Apostolica Sede maxime alienum. Methodus igitur plane singularis ac periculi plena, qua Hermesius demonstrationibus a ceteris datis omnino rejectis, novam cudere intendit juxta principia sibi propria ac nimis kantismum redolentia, ita ut motiva ipsa credibilitatis non tam constitueret, quam infirmaret, causa fuit, ex hac parte, illius damnationis. Ast de hoc alibi.

111. Ad 3. *D.* Juxta methodum tamen ac principia sua quae nec christiano philosopho, nec theologo probari queunt, *C.* juxta methodum christianae veritati illustrandae, ac adserendae opportunam *N.*

112. Ad 4. *N.* Haec enim, aliaeque ejusmodi difficultates ex eo proveniunt, quod natura, et analysis fidei supernaturalis haud rite perspecta habeatur. Nihil quippe tota ejusmodi demonstratio

(1) Perbelle huc referas, quae doctus habet Petavius *De Deo* lib. I, cap. I. § 4. ad rem nostram: « Atque illae quidem omnes (probationes) inquit, non idcirco contemnendae erunt, quia *singulae* non necessario, et ἀποδεικτικῶς evincunt; neque ex anterioribus, primisque sunt petitae; sed eo magni faciendae, quia *collectae in unum*, *et coacervatae* necessariam propemodum fidem faciunt apud eos, qui et sui compotes sunt, et rationis habent aliquid, ac judicii. Etenim probationes illae, quibus prudens assensio nititur, quas *morales* ideo vocant, quod ad gubernandos mores adhibentur, *plerumque non minus certam in suo genere fidem faciunt*, *quam in rebus naturalibus*, *aut mathematicis demonstrationes quaelibet exactae* ». Opportune etiam cl. Valsecchius in op. cit. *Dei fondamenti* etc. cap. ult. animadvertit, christianam revelationem eo posse sensu *geometrice* demonstrari, quod haec demonstratio formam geometricam, strictam nimirum ac contextam ratiocinationum, habere queat, non vero naturam quantitatis geometricae, secus enim Deus ac revelatio objecta mere rationalia essent, prout sunt matheseos objecta. Suam hac arte idem auctor conficit demonstrationem de facto revelationis, eo nempe metaphysico nisus principio, quod si detur complexus plurium factorum indubiorum, quae quidem omnia ubi aliquod principium ponatur, rite ac perfecte explicantur, ubi vero principium illud tollatur e medio, nulla omnino eorumdem factorum explicatio suppetit, evidenter probetur connexio factorum illorum cum illo principio. Eum adesis l. c. Huetius ipse, qui certe in rationis ac rationalium demonstrationum vi extollenda nimius non fuit, demonstrationem hanc christianae revelationis *apodicticam* dicere non dubitavit, in suae *Demonstr. Evang.* Proleg.

cum fide supernaturali habet commune; nec enim fides, quae gratuitum donum est, tali demonstrationi, veluti principio et *motivo formali* credendi innititur, quum possit esse cum illa et sine illa, sitque ab ea omnino independens. Potest utique aliquis credere sine demonstratione (1); potest e contra cognoscere demonstrationem, et non credere; potest credere naturali quadam fide, illius demonstrationis vi, et tamen fide supernaturali ac divina, nempe *sicut oportet* ad salutem, non credere. Hinc falsum prorsus quod fides tunc foret merus naturae sese vi sua evolventis effectus. Nisi enim Deus gratia sua adesset, tota haec evolutio numquam ad fidem, de qua agimus pertingeret, quae in alio prorsus ordine constituta est. Haec, ut confidimus, in capite insequenti, suo in lumine collocabuntur, ac ibi etiam novus Hermesiani systematis error patebit.

113. Ad 5. *N.* iterum. Theologia enim suum habet fundamentum in veritatibus a Deo revelatis, et ab ecclesia propositis, nec ulla prorsus ratione a philosophia aut ab ullo philosophico systemate pendet. Verum est quod sicut fides divina, ut loquitur s. Thomas *cognitionem naturalem praesupponit*, ita etiam theologia aliquod naturale certi ac veri criterium, aliqua naturalia principia, ac veritates supponere debeat. Sed haec non sunt theologicae disciplinae fundamenta; sunt quaedam veluti conditiones ac praerequisita, quibus theologia in rem suam opportune utitur. Ita cum opus est, philosophicis etiam argumentis obluctantes illa refellit atque convincit.

114. Ad 6. *D.* Ita tamen ut firmitatem horum fontium a philosophico suo systemate pendentem omnino faciat Hermesius, ac ipsorum valorem, debitumque inter ipsos ordinem rite non constituat, *C.* secus *N.* Aliquid de hoc paulo post attingemus; ut nil praeterea dicamus de erroribus theologicis Hermesii in applicatione illorum fontium ad singula dogmata.

115. Ad 7. *Resp.* hoc tantum ostendere, quod cum a trita, regia omnibusque theologis ac apologetis probata via receditur pro novitatis cujusdam lubidine, neque catholicis, neque ipsis protestantibus satis fiat.

---

116. Ex iis porro quae hactenus in praecedentibus propositionibus vindicavimus, hanc veluti rerum summam jure optimo colligimus qua disputationem nostram de recto usu rationis ante fidem concludimus.

117. 1. Potest humana ratio per *metaphysice* certam veritatum naturalium (quae sunt veluti praeambula fidei) cognitionem, nec non per *moraliter* cer-

(1) Assensus fidei supponit utique tamquam praeviam necessariam conditionem non solum *practicam*, sed *speculativam* certitudinem, quod Deus sit locutus. Sed haec certitudo opus non est ut ex demonstratione exurgat. Quodcumque motivum, etiam unicum, quod reddat *evidenter credibilem* revelationem Dei, satis ad hoc est. Atque illud etiam adnotandum, posse Deum in rudibus intellectibus gratia sua ita supplere quidquid ex parte evidentiae rationalis motivi deesset, ut inde ea firmitas persuasionis enascatur sic ut etiam rudes rationabiliter ac prudenter credant. Cf. Suarez. de Fide Disp. cit. Haec certe haud rite intellexit Hermesius cum *demonstrationem* et quidem *(Zweifelsüchtig) dubia studiose conquirentem* asseruit *radicem esse piae fidei et conditionem*. *Introd. phil. Monast.* 1819. p. XVII.

tam cognitionem eorum credendi motivorum, quibus et revelationis et ecclesiae existentia nititur, ad hanc veritatem facti certo tutoque agnoscendam pervenire.

118. 2. Potest hinc jure optimo theologus per eamdem viam *logica methodo* ratiocinio factisque contexta, demonstrationem quae plenam probandi, ac adversarium convincendi vim habeat, conficere; unde nil vetat, quominus sana ac solida philosophia quaedam veluti praeparatio, ac quasi *propedeutica* ad fidem dicatur.

119. 3. Quoniam vero christiana ac catholica veritas sub pluribus variisque aspectibus utiliter inspici ac probari potest, ne rejicienda quidem est *methodus* quam dicunt *historicam*, qua nempe per continentem historicam omnium populorum, religionum, sectarum philosophicarum comparationem ostendatur, christianam et catholicam religionem eam tantum esse quae hominis, humanaeque societatis universae necessitati, ac destinationi plenissime ac perfectissime respondeat (1).

120. 4. Omnes tamen ejusmodi, licet validissimae, sive magis logicae, sive magis historicae probationes sint, voluntatem in religionis veritate inquirenda, bene ac sincere comparatam requirunt. Quare nil magis quam rectae ejusmodi animi dispositiones sunt cuivis a theologo inculcandae, ut philosophia, quae donum etiam Dei est, suum recte munus verae divinae fidei cognoscendae praestare queat (2).

ARTICULUS II.

De abusu rationis ante fidem

121. Abunde satis de recto rationis usu ante fidem hactenus disseruimus; superest ut juxta praestitutum nobis ordinem de ejusdem ante fidem rationis abusu nonnulla saltem breviter adjiciamus. Rationis porro ante fidem abusus nomine scientifica illa placita systemata philosophica significamus, quae cum susceptione fidei componi nullatenus possunt; sive quia *directe* viam in antecessum illi omnino praecidunt, sive quia *indirecte* id ipsum efficiunt dum basim, ut ita dicam, ac fundamentum latenter subruunt ac demoliuntur cui illa inniti debet, ac subjectum ineptum reddunt ad eandem fidem suscipiendam. De utraque ejusmodi placitorum classe distinctis paragraphis agemus, in quarum altera de philosophicis illis doctrinis dis-

(1) Digni sunt qui legantur hac super re duo articuli in *Annales de philosophie Chrétienne* n. 13. Janvier et n. 16. Avril. 1841. *Plan d'une défense du Christianisme*, *et plan d'une démonstration du catholicisme par la méthode historique*, auctore prof. ab. H. De Valroger. Longissime porro hic auctor abest a legitima rationis vi infirmanda, quin immo refellit placita Lamennejana, ac probat omnino methodum ratiocinii seu *logicae deductionis* quam tot apologetae utiliter secuti sunt. Sed tamen pro varietate ingeniorum, ac temporum nostrorum ratione quae studiis historicis imprimis delectatur, hanc novam defensionis methodum magis *historicam* (licet et altera historiae etiam innitatur) veluti in subsidium adsciscit. « En un mot, ait, l'histoire tout entière peut devenir une préparation et une démonstration évangélique dans des proportions colossales »: art. 1, p. 31.

(2) Hinc cl. Gerdilius sapienti consilio operi suo philosophico « Introduzione allo studio della religione » aliud praemiserat: « Delle disposizioni dello spirito nello studio della religione » quod utinam pervulgatum esset apud illos aetatis nostrae philosophos qui christianismum nescio quem *a priori* sibi confingunt.

seremus quae *directe* fidei susceptioni opponuntur, in altera vero de illis, quae *indirecte* eidem obsistunt. Quum autem ex praejactis *Praenotandis*, atque ex iis quae in totius praecedentis articuli decursu constituimus, facile innotescant ejusmodi systemata, hinc ut brevitati prospiciamus, soluta methodo in classes ea redigemus, opportunas interserendo animadversiones quae junioribus theologis commodo ac usui esse poterunt. Nec enim nobis propositum est systemata ejusmodi philosophica ex professo refellere, cum haec aliorum provincia sit; sed unice ea spectare debemus in relatione quam habent ad fidem.

§ I.

De philosophicae doctrinae placitis, quae directe fidei susceptioni adversantur

122. Nihil dicemus de atheismo *formali* tum quod ratum habeamus nullos dari atheos posse speculativos, tum quod si reipsa darentur spectari deberent veluti rationalitatis humanae monstra: nec aliter sentiendum de iis qui talem Deum admittunt qui Deus non est, cui scilicet providentiam denegant, bonitatem ceterasque divinitatis proprietates. His igitur dimissis quos suo loco refellimus (1), de pantheismo, materialismo, fatalismo ac, ut vocant, *determinismo*, pauca singillatim delibabimus (2).

I. *De Pantheismo*

123. Pantheismus qui quovis tempore plus minus philosophiam infecit, aetate hac nostra longe lateque diffusus est, ita ut vere *haeresis seculi XIX.* fuerit nuncupatus (3). Multiplices porro sunt formae sub quibus modo aperte se prodit, modo occulte se tegit, semper tamen idem deprehenditur velut fidei eversivus, ejusque irreconciliabilis ho-

(1) In tract. *De Deo* p. I, cap. I, prop. I. et p. IV, cap. I. prop. unica.

(2) Nihil heic speciatim de *Rationalismo* proprie dicto attingimus, eo quod debeamus inferius de illo agere, ejusque genesim ac varias veluti phases exponere. Tantum adnotamus, rationalismum esse vel stricte *theologicum* vel pure *philosophicum*. Primum impetit fundamenta revelationis, miracula, prophetias, inspirationem sacr. librorum, ac singula dogmata christianae fidei. Alterum pertinet ad illud philosophandi genus, quod progreditur ex puris conceptibus abstractis intellectus atque ab iis *realitatem objectivam* rerum a priori educit. Hinc *comprehensionem* cujusque rei scientiamque *absolutam* exigit; *logicam* demonstrationem in primis ipsis principiis ac internis factis requirit: certitudinem omnem praeter *mathematicam* rejicit: quidquid positivum ac historicum est repudiat. *Philosophicus* iste rationalismus qui vel ad idealismum, vel ad pantheismum ducit, cum rationalismo *theologico* intime connexus est, ut per se patet.

Atque haec de vero *rationalismo*. Nil enim opus est dicere de pessimo illo, maximeque dolendo abusu quo ejusmodi vox aetate hac nostra usurpata est in illos qui *legitima* rationis jura circa veritates metaphysicas ac morales, nec non circa credendi motiva revelationis vindicant. Ex quo consequeretur Patres ac doctores ecclesiae *rationalistas* fuisse, ac ecclesiam ipsam per plura secula in scholis suis philosophicis ac theologicis *rationalismum* ubique doceri impune tolerasse!

(3) Cf. Maret, *Essai sur le panthéisme dans les sociétés modernes*. Paris 1841. *Préf.* p. XVI. in quo quidem opere plura sunt valde utilia et commendanda, licet non omnia nobis probentur. Maximum porro argumentum pantheismi aetate hac nostra invalescentis sunt praeconia queis impius Spinoza ejusque atheis-

stis. Ejus enim characteristicae notae sunt, identificatio finiti cum infinito, cujusvis limitatae intelligentiae cum absoluta, confusio Dei cum mundo, unitas substantiae etc. Ex quo suapte natura dimanant necessitas ac fatalismus, boni ac mali moralis destructio, aliaeque ejusmodi non minus absurdae quam impiae consecutiones. Ad tres praecipuas species revocari pantheismus potest; est enim aut *rationalisticus*, aut *historicus*, aut *mysticus*.

124. Pantheismus rationalisticus ex principiis rationalibus *a priori* procedens, sese per *immediatam* ac *concretam* intellectualem intuitionem illico transfert in *Esse* realissimum absolutum in quo invenire sibi fingit identitatem absolutam omnium entium, naturae ac spiritus, τοῦ *Ego* et *Non-Ego*, subjecti et objecti, puri cogitare et puri esse. Hinc de scientia rerum omnium *absoluta* ac de ipsius *Esse* absoluti *comprehensione* sibi blanditur. Ad hanc pantheismi speciem facile jam inducebat systema *absoluti Ego* uti fontis cujusvis realitatis a Fichteo excogitatum; ast notum est Schellingium, illum fuisse qui ad oppugnandum idealismum, constituendumque realismum absolutum, systema theoretice invexit *identitatis*, asseruitque *naturam esse fundamentum existentiae Dei* (1), eamdemque in Deo *consubstantialem* esse *spiritui*, quamvis in externa tantum manifestatione ac forma sit ab illo diversa. Verum materialistica ejusmodi philosophia naturae, utpote omni philosophico fundamento destituta, uti poesis potius quam philosophia habita a plerisque est, et ab auctore ipso prius varie modificata, demum etiam, saltem ex parte, reprobata fuisse videtur (2).

125. Ast longe subtilior est panthei-

mus philosophicus tum in Germania, tum in Galliis extollitur. Recte dixeris hanc esse veluti normam quandam infallibilem qua de pantheistica tendentia scriptorum judicare possumus. Sane Schleiermacher vocat Spinozam « *Sanctum repudiatum* . . . qui ideo solus relictus est, quia plenus erat religione ac Spiritu Sancto etc. » haec aliaque ejusmodi habet in *Reden über Religion*, seu *Sermones de religione* 1841. IV. edit. Sic Ahrens, *Cours de philosophie*, Paris 1838, Spinozam ab atheismo ac pantheismo mordicus defendens, hanc accusationem ab iis proficisci dicit, qui « s' enfoncent dans une ignorance complète sur la nature de Dieu, et qui veulent ainsi attaquer de l' ignorance dans les choses divines le savoir de Spinoza, ou qui, *comme Hegel dit très-bien, veulent combattre avec leur rêve de Dieu* Spinoza *éveillé en Dieu* »: tom. I, p. 237. Lerminier suspicit in Spinoza sublimem divinitatis adoratorem. Quis demum non miretur, cum audiat Cousin ipsum (de cujus doctrinis nullum ferre volumus judicium), in suis *Fragmens philos*. Paris 1838. tom. 2. pag. 164. seq. dicentem: « Loin d' être un athée, comme on l'en accuse, Spinoza a tellement le sentiment de Dieu, qu' il en perd le sentiment de l' homme . . . Ce livre est au fond un hymne mystique, un élan, un soupir de l' âme vers celui qui seul peut dire légitimement: *Je suis celui qui suis* . . . . l' auteur auquel ressemble le plus ce prétendu athée, est *l'auteur inconnu de l'Imitation de Jésus-Christ* ».

(1) Cf. Schelling, *Philosophische Schrift.*, seu *Scripta philosophica* pag. 429. Baltzer op. cit. *fasc.* I, pag. 42 seqq.

(2) De variis hisce Schellingianae doctrinae vicibus praeter *Revue du Nord*, Paris 1835. Amand Saintes in *Histoire critique du rationalisme en Allemagne*, Paris 1841. p. 324. haec habet: » Dans la suite la doctrine de Schelling a subi diverses transformations; on assure qu'il ne donnera qu' à la fin de ses jours le dernier mot de ses enseignemens.

smus spiritualisticus Hegelianus qui quoniam magnum adhuc in Germania et in Galliis influxum exercet, nec paucos etiam catholicos sinceros ad quandam sui admirationem illexisse videtur, absonum haud erit lineamenta saltem quaedam illius heic designare. Hegel itaque non *naturam* uti Schellinghius, sed *spiritum* in Deo quaesivit, ipse non spectavit Deum velut *Ens* quod existit ab aeterno in absoluta identitate sua, sed veluti *Ens* quod evolvitur, quodque in diversis hujus suae evolutionis gradibus, diversos constituit ac successivos existentiae, seu entium ordines. Deus in *logica* concipitur *in se*, in aeternitate suarum essentiarum fundamentalium. Ast cum in hoc statu consistere non possit, necesse est ut sese evolvat *extra se* in multiplicitate externa entium naturae; hinc habetur *philosophia naturae*. Verum neque potest in hoc statu *exterioritatis* ac transitionis subsistere, sed opus est ut ex hac multiplicitate se iterum recipiat in unitatem sui esse, et *Spiritus* evadat; exinde oritur *philosophia spiritus*. Tunc demum Ens absolutum acquirit cognitionem, *conscientiam sui*, fitque personalitas infinita. Talis est *Trinitas logica continua* Hegelii. Deus hoc logico processu prius seu *immediate* revelat se naturae universae, deinde *immanenter* in hominis conscientia et hic se complet; ita ut, asserente Hegelio, *sine homine et mundo Deus completus non esset, neque adhuc esset Deus* (1). Pantheismus hujus systematis evidens est quin illum pluribus evincamus (2).

126. Pantheismus *historicus* est necessaria Hegeliani systematis emanatio. Quippe cum Hegel Deum in continua evolutione sui in mundo et in humanitate spectet, sequitur historiam hominis complecti necessarias manifestationes Dei ipsius. Hinc historia scientiam omnem continet, totam vitam, moralitatem, religionem, artem, in formis multiplicibus suis consideratas; proindeque errores quoque omnes morales ac religiosos, quos refert historia, non sunt nisi necessariae Dei evolutiones. Idcirco historia nuncupata fuit *inflexibilis geometria* in qua omnis epocha, omnisque doctrina lege quadam fatali immutabiliter evolvitur. Exinde apotheosis errorum omnium hominis in Deo. Deus est in omnibus, omnia efficit, est omne (3); exinde sy-

C' est attacher peu d' importance à la vérité que de tarder à en faire jouir ceux qui ne peuvent bien vivre que par elle ».

(1) Hegels *Religions philosophie*, seu *Philosophia religionis*, opp. tom. XI, pag. 140; tom. XII, pag. 151. 330.

(2) En quid Germanicus auctor Weisse a Baltzer relatus habet de pantheismo Hegeliano: « In Hegeliana philosophia videmus pantheismum ad eum apicem perductum, in quo necesse est ut ipse se talem, qualis revera est, aperte declaret, dum prius poterat quodammodo se abscondere sive in ideae *(absoluti)*, quae ejus fundamentum est, *indeterminatione* nondum scientifice superata, sive in difficultate partiali eam cognoscendi». In *Religiöse Zeitschrift* etc. seu: *Ephemerides religiosae pro catholica Germania* 1833. tom. I, fasc. I, pag. 40. Ipse Ahrens, qui quidquid de se asserat, pantheistice omnino philosophatur, tale de Hegelio profert judicium op. cit. p. 60. « Quand Hegel dit que la nature aboutit à l' esprit, comme à sa conclusion, il ouvre un large champ à l' imagination, après l' avoir fermé à l' intelligence. De quelque manière qu' on veuille représenter cette idée, jamais si on n' adopte pas les hypothèses matérialistes, on ne fera concevoir comment la nature pourra se développer à devenir esprit ». Unde patet quod omnes istae *spiritualisticae* doctrinae pantheisticae in abjectum demum materialismum omnino recidant.

(3) « L' esprit humain (ait Lerminier, qui hanc theoricam historicam exhibet) est une

stema *progressus indefiniti*, *perfectibilitatis indefinitae* humanitatis; exinde denique lex jugis transformationum, et immutationum, uti mediorum progressus, quam adeo depraedicat Lerminierius (1).

127. Pantheismus *mysticus* innititur vago et indefinito cuidam interiori sensui *(sentimento)* quo animus immediate apprehendit vitam suam *consubstantialem* in Deo, qui utpote infinitus amor se manifestat in spiritu et natura. Idcirco haec pantheismi species non in speculatione tantum metaphysica sistit, uti *rationalisticus*, sed sese effundit in mentis enthusiasmum, atque jugem animi activitatem (2). Ejusmodi pantheismus constituit doctrinam essentialem sansimonianismi, qui in ea fundat novam illam *reconstructionem* seu *reordinationem* societatis humanae, illumque neo-christianismum cui jugiter adlaborat (3). Ex sansimonianismi sinu alia prodivit schola ad pantheismum item declinans juxta quam vita hominis constituitur in *traditione vivente et actuali humanitatis*, et in hac traditione fundatur magnum progressus et perfectibilitatis continuae dogma (4).

128. Jam vero pantheismus sub quo-

perpétuelle et nécessaire révélation de Dieu. Dieu ne paraît sur cette terre que dans l'homme, et que par l'homme. Dieu renouvelle sa face à des époques fatales etc. ». Cf. Maret op. cit. pag. 41 seqq.

(1) « Le droit, *ait ipse*, la sociabilité, la science se développent en se détruisant d'époque en époque . . . La religion est à la fois et successivement une philosophie, un gouvernement, une tradition . . . Quand la religion s'arrête, la philosophie poursuit et prépare pour les sociétés *d'autres croyances et d'autres symboles* etc. ». Cf. Maret l. c. p. 43. qui cl. auctor praeterea persequitur ibi theorias historicas ab ecclectismi sectatoribus, a Michelet, aliisque gallicis scriptoribus adornatas, ac ostendit eas omnes ab Hegelianis fontibus promanasse, ac pantheistica labe corruptas esse.

(2) Hoc pantheismo mystico infecti fuerunt medio aevo non pauci sectarii uti Amaurus Carnotensis, David de Dinando, Beguardi, Lollardi, fratres ac sorores *spiritus liberi*; aliique. Cf. Moëhler, *Symbolique* tom. I, p. 274. necnon seculo XVI. Zwinglius cujus in hanc rem plura profert luculentissima testimonia hic idem auctor op. et loc. cit. Eidem doctrinae adhaerere visus est recens Schleiermacher, praesertim si ejus doctrinae cum iis quae de Spinoza praedicavit connectantur. Cf. Saintes op. cit. *Hist. critique* etc. pag. 362. Moëhler postquam ostendit Lutherum ad errores gnosticorum, Zwinglium ad placita pantheistarum declinasse, ac proinde systemata philosophica gnostica et pantheistica recentius prolata non esse nisi sequelas necessarias principiorum quae ab illis reformatoribus constituta sunt, concludit : « Schleiermacher, malgré ses nombreuses déviations de la doctrine de ses maîtres, est à notre avis le seul vrai disciple des apôtres de la réforme ». Ibid. p. 282.

(3) Cf. quae scripsimus de Sansimonianismo in tract. *De Deo* par. II, cap. I, prop. III. Cf. etiam Maret op. cit. pag. 54 seqq.

(4) Talis est philosophica et historica doctrina quae dicitur *Du progrès continu*, quae prius se prodebat in ephemeridibus sansimonianis *La révue encyclopédique*, sed recentius systematice evolvitur in nova encyclopedia *l'Encyclopédie nouvelle* a Leroux, Reynaut aliisque redacta, veteris Encyclopediae Gallorum incredulorum emulatrice. Hoc porro opus est indigestus quidam ac informis syncretismus e placitis philosophicis neo-germanicis, ex mythicismo ac symbolismo, ex materialismo ac spiritualismo conflatus. Quae de vita ac evolutione humanitatis, de infinitate, ac aeternitate mundi etc. ibidem proferuntur purum redolent pantheismum. Vide praesertim artic. *Ciel.* Optime L. Montet auctor articuli circa opus : *Etudes sur le Timée de Platon par*

vis triplicis hujus formae respectu consideretur, non obstante enthusiasmo, ac religioso affectu in quem interdum videtur erumpere, directe ducit ad destructionem divinae naturae, proindeque et ad fidei impossibilitatem, Hinc omnia systemata pantheistica hujus aetatis in Germania et in Galliis eo demum tendunt ut considerent christianismum tamquam Dei manifestationem, quae jam praeteriit, ut locum cedat novae manifestationi divinae perfectiori, hominisque indigentiae magis accommodatae. Veritas semper mobilis est, varia, et progressiva. Religio novis continenter formis induitur (1).

129. Post levem hanc veri pantheismi adumbrationem aequitas postulat ut catholicos aliquos viros a nota vindicemus quam nonnulli nimia facilitate eis inurunt tendentiae ut vocant pantheisticae, eo quod illi interdum minus caute locuti sint, aut quod illecti praesertim ex systemate Hegeliano, quod fertur immediate in Deum ac Deum ubique intuetur, ad aliquas Hegelii ideas philosophando accesserint (2). Certe majore ipsis cautela ac magis perspicua doctrinarum suarum explanatione opus fuisset ne suspicionem de se ingererent: verum cum aliunde constet de recta ipsorum fide ac religione, nulla est ratio quare ob inconsideratas loquendi formulas ubique pantheismum videre debeamus, ac

M. Henri Martin. Paris 1841. inserti *Bibliothèque Universelle de Genève* n. 73. Janvier 1842. adnotat de pantheisticis placitis universim: « Tous ces systèmes, qu'on les prennent soit en Allemagne, soit en France, soit en Hégel ou dans M. Leroux, ont pour point de départ une hypothèse, et reposent sur un fait . . . . que le fini et l'infini ne sauraient exister en même temps ». Quod principium pantheismi fundamentum, ut notum est, constituit.

(1) Uno verbo neoterici isti humanitatis instauratores eo spectant, ut ad novam philosophiam, novum bonarum artium genus, novam societatem, novam religionem, christianismum nempe *humanitarium*, creandam perveniant. Horret porro animus referre blasphemias quae in religionem christianam ab istis evomi solent. Auctores Novae Encyclopediae qui in *traditione* vitam humanitatis collocant, historicam interea veritatem destruunt, omniaque mythis symbolisque complent. Christianam religionem a *connubio* enatam esse ajunt *orientalium dogmatum cum graeca philosophia*; art. *Alexandre* tom. I, p. 264. Item *ethnicismum incunabula ejusdem fuisse*; art. *Arianisme*; tom. I, pag. 811. Alibi clare decernunt: « La philosophie a triomphé du christianisme en l'attaquant par son côté faible, c'est-à-dire en pulvérisant ses mythes et ses symboles »; art. *Christianisme* tom. III, p. 556. Egregie auctor cit. articuli *Bibliothèque univers. de Genève*, postquam retulerit clamores neotericorum istorum incredulorum: « Le christianisme est fini, il a fini son temps, il a dépensé ses forces à nous mener au point où nous en sommes » concludit « comme si le soleil pour l'avoir éclairé six mille ans, ne jetait pas encore au monde ses flots de lumières ».

(2) Prof. Baltzer totus in eo est ut opere suo pluries a nobis citato ostendat pantheismum praesertim Hegelianum nunc temporis non modo apud protestantes sed etiam apud plures catholicos in Germania, late grassantem. Hinc pantheisticae alicujus tendentiae haud paucos etiam scientia ac pietate commendatos viros, Staudenmayer, Klee, Drey, Oehler etc. locis eorum in medium allatis, incusat, licet ingenue profiteatur se nolle quidquam religioni illorum detrahere, sed tantum naturam et consectaria persequi doctrinarum. Nos aliquid damus Baltzerio, uti ex iis quae heic proferimus patet. Attamen illud etiam addimus, plura ex allatis ab ipso locis, posse saniori sensu intelligi: ac praeterea Baltzerium non aliud philosophandi genus ut legitimum admittere quam suum (ab Hermesio nempe haustum, licet

non potius eas ad rectiorem sensum pertrahere (1).

150. Sic ab omni pantheismi suspicione multo magis alieni dicendi sunt, qui cum Petavio praesertim ac Thomassinio (2) tenent Deum, seu Spiritum Sanctum conjungi cum anima justi οὐσιῶδες, ipsa nimirum substantia non autem efficientia dumtaxat ac gratia uti qualitate quadam creata. Haec enim *substantialitas* ad Deum ipsum qui se communicat, non autem ad *unionem* refertur perinde ac si anima fieret *consubstantialis* Deo, aut Deus cum ipsa *hypostatice* uniretur, quae absurda sunt, et a patrum ac doctorum mente qui illam sententiam tuentur, omnino abhorrentia. Haec enim quantumvis arctissi-

haud parum reformatum) quo fit ut in iis qui secus philosophantur, facile pantheismum ubique sibi videre videatur.

(1) Certe cum aetas nostra adeo ad pantheismum prona sit, nil catholicis scriptoribus antiquius esse deberet, quam eas locutiones haud satis determinatas, aut etiam placita devitare, quae pantheisticae huic tendentiae ansam praebere possunt. Ut aliquid hac de re singillatim attingamus, nobis satis probari non possunt affirmationes hujusmodi, quae in aliquibus egregiis Germaniae ac etiam Galliae scriptoribus catholicis occurrunt. 1. Quod conscientia *nostri Ego finiti* identificetur cum conscientia *infiniti et absoluti*, nempe Dei, ita ut nisi percipiamus *immediate* absolutum ne quidem percipere possimus *nostrum Ego*. Hoc recidit in principium philosophiae eclecticae, quod in primo actu perceptionis anima percipit se, mundum et infinitum veluti *Trinitatem quandam in unitate*. 2. Quod *finitum* non sit nisi *mera negatio infiniti* ac proinde *Non-ens*, quo innui videretur finitum ac conditionale ne existere quidem, atque hinc ad placitum neo-Germanicae philosophiae deveniretur, quae nempe confundens τὸ existere *per se* et existere *a se*, affirmat quidquid non existit *per se*, id est, *absoluto* modo, non esse, unde consequitur unam tantum substantiam per se existere, scilicet *absolutam*. 3. Quod naturalis illa revelatio Dei aut Verbi, quo sive per animae rationalis lumen, sive per opera externa mundi se manifestat, sit *incarnatio* Verbi, τοῦ Λογοῦ, in quovis homine ac in mundo. Hinc nonnulli ex dictis auctoribus loquuntur de una *magna* et *universali*, ac de altera *particulari* incarnatione τοῦ Λογοῦ; hinc eo deveniunt, ut asserant *altitudinem*, *latitudinem*, *longitudinem ac profunditatem universi esse magnam illam cosmicam incarnationem Verbi*. Haec certe intemperantis ingenii seu potius phantasiae sunt ac reprobanda. Et quoniam nonnulli variis modis abutuntur hac naturali revelatione, seu *illuminatione Verbi, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, libet praeclarum s. Cyrilli Alex. locum exscribere, qui *Comment. in Jo.* ed. cit. Parisiens. 1638. opp. tom. IV, p. 76. ita rem explanat. « Dei Verbum, inquit, illuminat omnem hominem venientem in mundum, non *docendo* ut Angeli, verbi gratia, vel homines, sed potius ut *Deus, creando*; unicuique rei in ortum eductae sapientiae, sive cognitionis divinae semen indit, et *intelligentiae radicem* inserit, atque ita rationale animal efficit, naturae illud suae particeps reddens, et ineffabilis sui splendoris lucidos veluti quosdam vapores ejus animo immittens ea ratione ac modo quo ipse novit . . . Illuminat igitur ut opifex Filius ». Ubi etiam attendendum ex Cyrillo Verbum non διδασκαλικῶς, sed δημιουργικῶς, id est, non *magistraliter*, sed *creative*, scilicet creando animam illuminare, per naturale lumen rationis. Plures aliae animadversiones fieri possent circa locutionum saltem intemperantiam, quae etiam in optimae mentis scriptoribus offenduntur, sed nec prolixi, nec acerbi nimis esse volumus.

(2) Petav. *De Trinit.* lib. VIII, cap. 5. 6. 7. Thomass. *De Incarn.* lib. VI, a c. 10. ad 20.

ma unio semper manet et est *accidentalis*. Quapropter immerito nonnulli qui timuerunt ubi non erat timor in adversam forte sententiam prolabi visi sunt, non aliam fere gratiam sanctificantem admittentes quam quae consistit in favore quodam Dei ac benevolentia juxta placita lutheranorum.

131. Neque pariter incusari pantheismi possunt quos in philosophia sectari delectat aut systema de ideis innatis, aut systema platonicum aut malebranchianum (1). Quidquid porro de ejusmodi placitis philosophicis sit, quorum nostrum non est heic ferre judicium, qui professi sumus ea nos haud spectare nisi qualenus relationem habent ad fidem, non possumus tamen eos non improbare, qui horum systematum obtentu vellent omnes existentiae Dei demonstrationes quae ex creaturis efficiuntur veluti *rationalisticas* eliminare (2).

(1) Cum nobis propositum sit eas tantum philosophicas doctrinas attingere quae absque fidei dispendio sustineri nequeunt; heic ad rem nostram animadvertimus 1. Doctrinam a non paucis etiam theologis olim praesertim defensam de aliquibus ideis humanae menti congenitis nil habere quod ne leviter quidem pantheismum redoleat; patres etiam quandoque Dei cognitionem *naturalem* dixerunt: etsi ipsorum loca commode explicari queant de facillima, ac veluti spontanea hujus notionis acquisitione, juxta s. Thomae expositionem. 2. Qui ideas saltem universales immediate a Deo ipso animae exhiberi defenderet, aut unicam in mente hominis universalem ideam existere tueretur, quae instar cujusdam supremi luminis a Deo inditi ceteris ideis efformandis facem veluti praeberet, nil etiam cum pantheismo haberet commune. 3. Malebranchii demum placitum, quodque etiam a Thomassinio jam fuerat defensum, quo res in ipso Deo nos videre contendit, scilicet in ideis ipsis archetypis Dei, si illae explicationes prae oculis habeantur quibus Malebranchius ipse suam mentem aperuit, ac praesertim eo sensu quo a Gerdilio fuit explanatum, pantheismo immune est; nec possumus effatum illud Cousinii non improbare, dum vocat Malebranchium *le Spinoza chrétien*. Attamen magna certe cautela ac praecisione idearum opus est, ne qui tale systema sectantur pantheismo adytum aliquem aperiant. Certe Malebranchius numquam docuit, quod nos absolute Dei substantiam, aut ipsam essentiam videamus, quinimmo id a se repulit (Cf. Gerdil *Défense de Malebranche* opp. tom. IV, p. 164.); quod tamen nonnulli recentiores sibi permittunt.

(2) Hoc porro fere commune videtur iis qui Hegelianis placitis etiamsi ad meliorem sensum revocatis in Germania praesertim adhaerent. Cum enim ipsi ex ea quam vocant immediata *immanentia* objecti seu Entis absoluti ac infiniti proficiscantur, ac tantum ex ea nos posse ad Deum, immo ad quidquam certi cognoscendum assurgere affirment, hinc argumentum metaphysicum ex creaturis contingentibus ope principii caussalitatis deductum, vel etiam argumentum physicum ad Dei demonstrandam existentiam parvi aut nihili faciunt. Hi porro animadvertere deberent, id certe in Hegelio, iisque qui cum ipso pantheismum sectantur plane cohaerere, quippe qui finitum cum infinito, conditionale cum absoluto identificare conantur; unde etiam Ahrens *Cours de Philosophie* tom. 2. p. 159-266. illa argumenta infirmat, ac nonnisi ex analysi ideae absoluti ac necessarii cum Krauser vere ad Deum ascendi posse contendit. Ast in catholicis philosophis ac theologis, qui certe verum inter Creatorem et creaturam *dualismum* admittere debent, ac quamvis pantheismi speciem exhorrere, quid magis incongruens esse potest quam illorum argumentorum vim cum Kantianis atque Hegelianis elevare? Certe qui umquam inter catholicos vel ideis innatis adhaesere, vel etiam platonica aut malebranchiana placita aliquo modo amplexi sunt, non ob id demonstrationes illas existentiae Dei repudiarunt, sed eas uti validissimas adhibuere. Possent hic recenseri inter ceteros Bossuet,

In quo isti aperte se opponunt, ut patet ex dictis, tum Scripturis, tum agendi rationi quam patres, et doctores hactenus tenuerunt. Hoc vere esset philosophiam cum theologia committere, imo cum sensu traditionali sacrae totius antiquitatis, quod christiano philosopho multoque magis theologo cavendum maxime est (1).

II. *De Materialismo*

132. Materialismum qui totum hominem ad meram, ut vocant, *organizationem* revocat, cum fide haud posse consistere, seu verius adytum omnem fidei praecludere evidens est, quin pluribus id persequi sit opus.

133. Materialistica philosophia, si ita licet doctrinam quae omnem destruit philosophiam, appellare, longe lateque seculo elapso dominata est, illique innitebantur systemata fere omnia quae religioni christianae erant infensa eamque oppugnabant. Quamvis porro ob tendentiam spiritualisticam quae obtinuit praesertim in Germania, aetate hac nostra minus diffusa sit materialistica doctrina, non idcirco tamen destitit ab omni progressu atque a fructibus exitialibus producendis. Circumvallavit se quippe in scientiis naturalibus, saltem in physiologia, ac medicina; hinc istae identificare se omni ope vellent cum ipsa psychologia; quo fit ut adhuc in non paucis ejusmodi disciplinarum libris purus doceatur materialismus (2). Progressus insuper craniologiae ac phrenologiae sub specie novi cujusdam fontis scientifici parum aut nihil hactenus comperti, haud parum contulerunt ad doctrinas materialisticas disseminandas. Cum igitur valde intersit juniores theologos praemunire adversus influxum quem pessime exercent novae theoriae physiologicae ac phrenologicae, juverit heic aliquid summis saltem labiis ex illis attingere.

134. Errores omnes physiologiae materialisticae proveniunt inprimis ex eo quod ejus cultores nolint distinguere 1.

Fénélon, Du-Hamel, Gerdil etc. aliique permulti, ut de patribus, ac praesertim Augustino, sileamus.

(1) Cf. superius dicta.

(2) « Sous l'empire du matérialisme philosophique la médecine elle même, depuis une vingtaine d' années est devenue toute matérialiste, toute anatomique ». Ita cl. Debreyne *Pensées d' un croyant catholique, ou considérations philosophiques, morales et religieuses sur le matérialisme moderne;* Paris 1839. p. 44. Cf. praesertim *Introduction.* Consonat ipsi cl. Forichon: « Le matérialisme ne fut jamais aussi positif qu' aujourd' hui; il a ses chaires et ses feuilles publiques; il veut contribuer à l' enseignement du peuple et participer aux progrès de la science ». *Le matérialisme et la phrénologie combattus dans leurs fondemens etc.* Paris 1840. Préface p. 100. et seqq. Caeterum ne opera Darwinii, Richerandi aliorumque nominemus, utpote jam nimis antiqua, in *Manuel de chimie organique* de Raspail sermo est « du fluide qui alimente la pensée et détermine la volonté: « la volonté est le résultat d' une combinaison athomistique entre deux élémens subtils et impondérables ». In *Magazin für Seelenkunde*, seu *Collectio pro scientia psychica* a doct. Friedreich redacta 1830. fasc. 3. p. 57. legitur: « ce qu' on appelle *âme* n' est que l' activité du cerveau, et en général des parties superieures du système nerveux; le cerveau pense comme l' estomac digère ». Sed ne nimis prolixus sim sat est citare « Journal des applications de la physiologie animale à la physiologie sociale par l'observation exacte »; periodicas ephemerides trimestruales Parisiis editas ab an. 1837.

inter *sentire et intelligere*, res nimirum essentialiter diversas (1) 2. inter *impressionem* ac *sensationem* 3. inter principium *sensiferum* et principium *sentiens*; quo fit ut permisceant physiologiam cum psychologia, facta item istius cum factis illius, idest facta simplicia et immaterialia spiritus cum factis materialibus materiae organicae. Jam vero physiologia attingere nequit nisi *observationem externam*, ac medium quod recipit impressionem, eamque utpote *sensiferum* transmittit; ast nullo pacto potest attingere *observationem internam*, facta *conscientiae*, *sensationem* proprie dictam, quae propria est principii sentientis, quod scilicet nequit nisi simplex esse, ac immateriale. Totus proinde hic secundus rerum ac elementorum ordo spectat ad psychologiam. Verum quidem est ambos ordines juvare se invicem posse ob arctam communicationem et commercium quo duae substantiae unde oritur humanum compositum, secum inter copulantur. Hinc damus physiologum ac medicum sedulo posse effectibus ac habitudinibus studere quas super organicam substantiam interiores affectiones facultatesque animi intellectuales producunt: ast id nonnisi *indirecte*, quoniam *directa* cognitio exclusive deferenda ad psychologum est. Sic etiam utiliter potest psychologus iis studere quae pertinent ad physiologiam quippe ex variis habitudinibus ac functionibus corporis organici cognoscere valebit relationes quas illae habent et influxum quem possunt super functiones intellectuales ac morales spiritus exercere: ast pariter hoc nonnisi *indirecte*, quia cognitio *directa* physiologo exclusive est tribuenda. Igitur campus proprius observationis *externae*, adeoque physiologiae est *corpus*; campus proprius observationis internae adeoque psychologiae *spiritus* est, nec debent hae duae scientiae inter se umquam confundi, cum habeat unaquaeque objecta adeo essentialiter inter se distincta, immo oppositae planae naturae (2).

135. Phrenologia definiri potest *doctrina de multiplicitate organorum cerebralium, ac locatione aut sede facultatum intellectualium ac moralium.* Haud dubium est eam inservisse et adhuc inservire ad fovendas doctrinas physiologicas materialisticas; siquidem ipsa alligat tot diversis organis functiones ipsas multiplices *intelligentiae ad eum plane modum* quo alligatae ipsis sunt functiones *sensationis*. Quidquid porro de intentione fuerit praecipui hujus doctrinae fundatoris, doctoris Gall, qui se ab impactis notis materialismi ac fatalismi purgare adnisus est (3), nihilominus post egregia opera quae circa phrenologiam

(1) Nonnulli e recentioribus a Kantio repetunt accuratiorem distinctionem inter *sensum et intellectum* ac functiones cujusque proprias. Quidquid sit de hac *indirecta* utilitate ex Kantiana philosophia, quae tamen per se recta ad empirismum ac materialismum ipsum ducit, distinctionem illam accurate ipsi scholastici doctores tradiderant, sed praesertim s. Thoma: « Imaginatio, ait ipse, non est nisi corporalium et singularium, cum phantasia sit motus factus a *sensu* secundum actum, intellectus autem *universalium* et *incorporalium est* ». *Cont. Gent.* l. II, c. 67, et alibi passim.

(2) Vide Rosmini, *Origine delle Idee* sect. V, part. V, cap. XVI. art. IV. *Linea di confine tra la fisiologia e medicina e la psicologia*.

(3) In opere *Fonctions du cerveau*, tom. 1, p. 231 seqq. Certe principia a Gall posita saltem periculi plena sunt. « Les facultés spirituelles, *ait ipse*, n'agissent que par le moyen de la matière »: quamvis igitur has facultates ab organismo distinguat, ita ta-

recentissime edita sunt, insequentes veritates colligi posse videntur (1). Ac 1. quod phrenologia, pluribus etiam ex factis quibus innititur admissis, non existat uti *scientia* (2): 2. quod naturalistae praestantiores aetatis nostrae nihili eam fecerint (3), 3. quod veris adversetur sanae psychologiae principiis, atque ab ipsis observationibus pathologicis evertatur (4); 4. quod stulta sit phrenolo-

men pendentes ab illo facit, ut nullam immaterialem operationem praestare eae posse videantur; quemadmodum vis attractionis, vis vegetativa etc. Alibi affirmat « que la liberté morale ne saurait exister qu' avec la pluralité des organes. *Fonctions du cerveau* tom. I, p. 307. » Siquidem Gall necessarias voluntati ad agendum impulsiones organorum existimat, ac sine iis eam nullo se pacto ad quidquam determinare posse: addit praeterea quod istae impulsiones « *finissent par l' emporter* » ibid. p. 281. aliaque hujusmodi, quae nisi mentem auctoris, doctrinam saltem ejus valde suspectam reddunt.

(1) Inter opera recentiora quae phrenologicum systema refellunt, eminent tum illud cl. Debreyne tum illud cl. Forichonii jam a nobis commemorata: qui quidem auctores cum scientiam anatomicam ac physiologicam apprime calleant, imo profiteantur, iidemque sincero religionis studio praestent, magnae hac in re esse debent auctoritatis. Recensendum etiam est opus doct. L. Cérise *Exposé et examen critique du système phrénologique*, in quo plura utilia habentur; at enim auctor sansimonismo addictus falsa ac absurda principia sua ibidem admiscet, unde et a Debreyne, et etiam in articulo inserto in *Journal historique et litteraire de Lièges* fasc. 1. Nov. 1838. ob id opportune censura notatus fuit. Demum etiam Ahrens, cujus philosophiam pantheisticam vehementer caeterum improbamus, habet satis validam refutationem systematis phrenologici in op. cit. t. 1, p. 221 et seqq.

(2) Aliud est enim loqui de singulis factis, aliud de *modo* illa explanandi, ac de *legibus* constantibus universalibus, necessariis quas phrenologi vellent inde colligere. Caeterum ex ipsis factis observatis, plura legibus istis temere confictis refragari ostendunt citati auctores.

(3) « La phrénologie . . . comme système psychologique, c' est une conception contradictoire, comme théorie anathomico—physiologique c' est une hypothèse complétement dénuée de preuves . . . Il est notamment remarquable qu' aucun des zoologistes français de ce siècle, qui ont si profondement étudié l' organisation des êtres vivants et la haute physiologie, ne s' en soit occupé. Cuvier n' en a jamais parlé qu' avec dédain. MM. Blainville, Geoffroy, Saint-Hilaire, Serres, Flourens, Dutrochet, Dumeril, tous les physiologistes enfin dont le nom est connu en Europe, y sont restés étrangers. En Angleterre il en est de même, sauf M. Combe . . . En Allemagne berceau de l' organologie, cette prétendue science n' est guère connue que de nom »: ita *Gazette medicale de Paris* 1836. apud Debreyne op. cit. p. 260. ubi vide etiam praeclarum aliud testimonium celebris physiologi Magendie qui phrenologiam vocat *pseudo-scientiam*, eamque lepide irridet: *Physiologie*, Paris 1836. tom. I. p. 246. seqq. Potest etiam alius addi egregius physiologus Bérard, *Doctrine des rapports du physique et du moral* etc. qui saltem indirecte eam refellit.

(4) Quantopere phrenologica facultatum intellectualium ac moralium divisio, juxta varia organa cerebralia, arbitraria sit, ac anti-psychologica ostendit egregie Forichon op. cit. p. 112. et seqq. nec non Ahrens *Cours de philosophie* tom. 1. p. 246 et seqq. Ad facta pathologica quod attinet, plura afferuntur ab eodem Forichon quibus probatur 1. Laesionem contigisse organorum cerebralium sine laesione facultatum intellectualium. 2. Facultatum istarum amissionem cum laesione organica, sed aliis plane punctis ab iis quibus organa respectiva a phrenologis assignantur: ibid. pag. 138 -148. Vide etiam ap. Debreyne epistolam

gorum praesumptio dum se contendunt posse tali systemate veram construere scientiam humanae naturae, novam ethicen creare, melioremque humanae societatis institutionem, atque ordinationem adducere (1); 5. quod ejus tendentia facile sit fatalistica ac materialistica, cum adeo prona sit ad confundendam passivitatem organicam cum intellectuali et morali hominis activitate (2); 6. demum, quod si ex fructibus de arbore judicandum sit, aperte pateat in manibus recentiorum phrenologorum eam omnino materialisticam effectam esse, ab ipsisque spectari veluti scientificam quamdam materialitatis animi demonstrationem (3).

136. Quae cum ita se habeant, quamvis nos haud velimus quidquam a theologo rejici quod vere scientificum sit, aut ad utilitates scientiarum etiam naturalium quovis modo conferre valeat; quamvis vehementer optemus ut facta quaeque observationis et experientiae, quum certe de ipsis constet, libentissime excipiantur, nihilominus inclinamur in judicium saniorum scriptorum qui in eo conveniunt, ut systema phrenologicum complexive spectatum veluti falsum ac perniciosum traducant.

III. *De fatalismo ac determinismo*

137. Cum animae humanae libertas totius moralitatis fundamentum sit, cumque ipse salutaris assensus divinae revelationi ab ea procedere cum divina gratia debeat, satis per se patet quamcumque doctrinam scientificam, quae illam quoquomodo labefactet, fidem divinam impossibilem efficere. Sed in hoc accurate attendendum. Systema enim illud quod fatali hominem necessitati subdit, quodque *crassus fatalismus* audit, utpote nimis absurdum haud plures forte, praesertim recentioribus aetatibus, nactum est sectatores. Ast aliud est fatalismi genus, subtilius quidem ac latentius, quod *deterministae* profitentur, qui nempe animum immunem tantum a *coactione* agnoscunt, sed eum rationibus internis queis resisti non possit, semper et necessario determinari volunt. In hoc haud pauci philosophi vel animi perversitate, vel inconsulto inciderunt (4). Nil porro de absurda dicemus

ad ipsum d. Spurzheim conscriptam de quodam singulari facto systemati phrenologico directe adversante l. c. p. 261.

(1) Ipse Ahrens ait de hoc systemate « que ses prétentions . . . . ne sont qu' un témoignage de son ignorance profonde sur les choses qu' il veut réformer »: l. cit. p. 246.

(2) Fuse haec tractantur in opp. citt. tum Forichon, tum Debreyne, nec non apud ipsum Ahrens qui praeterea addit: « la phrénologie tend à faire de l' homme un pur animal en animalisant presque toutes ses facultés »: l. c. p. 240. Cl. Forichon eam appellat « Cette doctrine, mortelle pour la science autant que pour la morale »: pref. p. XVI.

(3) Sat est nominare doct. Broussais, ejusque scholam. Contra recentiores istos phrenologos praesertim insurgunt egregii duo auctores galli memorati, eorumque putidum materialismum in lucem adspectumque proferunt.

(4) Essentialis in hoc est, ut suo loco probavimus, distinctio inter actus spontaneos, voluntarios ac liberos, quam qui neglexerunt, libertatis humanae naturam funditus everterunt. Hinc merito improbata est definitio libertatis tradita recenter ab italo Romagnosio « *Introd. al diritto pubblico*, p. 2. c. 1. § 115. » Activitas entis intelligentis quatenus in actibus suis *ab obstaculis immunis* est ». Hoc enim libertatis genus *necessitatem internam* minime excludit, optimeque aptari posset voluntati in bonum universim, seu in propriam felicitatem tendenti, quae certe in hoc vere libera haudquaquam est. Inter deterministas fuit germanicus Basedow.

Kantii et Kantianorum sententia, qui dum animum, ut *phaenomenon* spectatum, liberum practice dicunt, utrum tamen ut *noumenon* consideratum seu theoretice liber sit, ignotum plane ajunt: quo fit ut libertatem *metaphysicam* ac *transcendentalem* quam ipsi vocant, veram nempe libertatem, nisi subtrahunt animae, *problematicam* saltem relinquant (1).

158. Nimis igitur interest cum catholici hominis tum praecipue theologi, ut in quavis quae profertur philosophica doctrina apprime dispiciatur utrum natura humanae libertatis recte sit definita ac statuta, utrum vera eligendi vis ac αὐτοεξουσιά in tuto posita. Id quod eo magis necessarium evadit ob pessimas ac absurdas novatorum sec. XVI. doctrinas, quae magnos ubique influxus habuerunt. Ipsi enim veluti ex condicto libertatem animae humanae tamquam errorem philosophicum adorti sunt, indeque tot errorum monstra deduxerunt. Id praesertim Lutheri proprium fuit, id Melanchthonis, licet suam postea sententiam revocarit (2), id Calvini ejusque asseclarum; atque ex hisce corruptionis fontibus nunc aperte nunc latenter in Bajana, Ianseniana, Quesnelliana placita virus dimanavit: quae omnia suo loco fuerunt a nobis disputata (3).

159. E recentioribus vero philosophis sunt qui ita libertatem animae humanae cum Dei praescientia committunt, ut si logice procedere vellent alterutram negare dicendi essent (4). Sunt qui dum libertatem homini vindicant, in Deo tollere videantur (5). Ab aliis adnotandis supersedemus, quippe auditores nostros

(1) « Distinguere animam, ait apposite Imre, in *phaenomenon et noumenon*, ac ita ut supra de ejus libertate statuere mihi idem videtur ac animae, in quantum noscitur, libertatem denegare, attribuere vero in quantum non noscitur; anima enim qua *noumenon*, est = x; est aliquid indeterminatum quod tantum cogitari per praedicata negativa, sed cognosci numquam potest: et tamen ut *substratum* suo *phaenomeno* quod liberum non est, invenitur ». *P. III. Metaph. applic.* p. 236.

(2) Cf. Möehler *Symbolique*, tom. I, pag. 56 seqq.

(3) In tract. de Deo Creatore p. III. cap. 5. num. 482 seqq. nec non in tract. de Gratia p. II, cap. I, num. 472 seqq.

(4) In hunc scopulum impegisse videtur recens eclecticae scholae sectator Damiron, *Psychologie* t. II, p. 75. qui *hominem* ac societatem quibusdam, quas vocat, *epochis fatalibus* subjicit, quae nempe divinae praescientiae subsunt: in iis contra quae homo libere agit, independenter omnino a divina praescientia eum agere affirmat, ac Deum juxta humanas operationes successivas consilia sua moderari. Cf. quoad hoc systema atque consectaria quae inde manant, egregium opus cl. p. Aloisii Taparelli Soc. Jes. « *Saggio teoretico di diritto naturale*. Palermo 1840. vol. I, pag. 25. et 164. ubi etiam auctor optime ac philosophice veram libertatis indolem explanat, ac a variis erroribus tuetur.

(5) Creatio divina rerum in tempore ex nihilo absoluto est haud paucis qui nunc philosophantur magna errorum occasio. Siquidem isti non distinguentes activitatem ac vitam essentialem ac necessariam Dei *ad intra* et activitatem liberrimam vitamque ejus extrinsecam in operibus *ad extra*, timent ne si Deo libertatem in mundo creando tribuant, omnem illi auferant vitam atque activitatem: itaque nonnisi *necessitatem* in omnibus actibus divinis agnoscere volunt. Accedit quod iidem nolint secernere libertatem in se quae simplex perfectio est, ab iis imperfectionibus, quae libertatem comitantur in homine, et proinde ne aliquid imperfectionis in Deo admittant, libertatem ei sustollunt. Cf. de his erroribus Galluppi *Lettere filosofiche*. Napoli 1838.

ad seniores philosophos, qui ex professo hoc de argumento tractant, remittimus.

§ II.

De placitis philosophicis, quae indirecte Fidei susceptioni obsistunt

140. Jam satis declaravimus, quid nos per ea systemata, quae *indirecte* christianae fidei viam praecidere possunt, intelligamus. Nunc ut de iis aliquid singillatim attingamus, ne ex una parte nimis prolixi simus, ex altera vero quod nostrorum temporum ratio postulare videtur omnino non omittamus, animadversiones nostras ad tria tantum philosophandi genera coarctabimus, nempe ad sensismum mysticum, ad empirismum, ac demum ad hermesianismum philosophicum.

I. *De sensismo mystico*

141. Ex satis abunde in priori articulo vindicatis liquet *scepticismum religiosum* aut *mysticum*, illum scilicet quo nativa rationis vis aut extenuatur aut penitus destruitur, quasi nempe facilior hac via fidei acquisitio ac susceptio redderetur, e converso tendere ad evertenda fundamenta probationesque christianae revelationis (1). Quapropter opus non est diutius immorari in ejusmodi *nihilismo* quem ostendimus originem suam ex fontibus trahere priorum reformatorum. Juverit proinde agere potius de alio systemate, de *sensismo* nimirum seu potius (sit venia verbo) *sentimentalismo mystico*, de ea videlicet doctrina, quae intellectus ac rationis viribus diffidens, constituit certitudinem veritatis praesertim *suprasensibilis* cujusmodi est existentia Dei, immortalitas animi, lex moralis etc., ac proinde veritatum ad religionem spectantium in interiore quodam ac religioso animi sensu.

142. Ut ea tamen qua par est perspicuitate progrediamur, praemittimus nos haud ablegare ex homine interiores illos sensus (*sentimenti*), quos beneficus generis humani Conditor indidit hominum cordi ad illud facilius suaviusque perducendum in id omne quod verum, rectum, ordinatumque est. Admittimus sensum quemdam *rationalem* vi cujus animus ad veritatem impellitur in ejusque acquisitione vehementer delectatur; admittimus *moralem* sensum quo suapte natura approbat sibique complacet de actionibus intrinsece rectis et honestis, ac pravas aversatur ac damnat (2):

p. 307. seqq. sed praesertim egregium articulum philosophi siculi Salvatoris Mancino in *Ephem. Siculis* n. 76. Januar. 1840. p. 23. circa sententiam Cousinii de libertate divinae voluntatis.

(1) Placet heic egregium Leibnitii locum afferre, quo nil opportunius. « Comme l'on peut dire que la raison est une révélation naturelle dont Dieu est l'auteur, de même qu'il l'est de la nature, l'on peut dire aussi que la *révélation* est une raison surnaturelle, c'est-à-dire une raison étendue par un nouveau fond de découvertes émanées immédiatement de Dieu: mais ces découvertes supposent que nous avons le moyen de les discerner qui est la raison même; et la vouloir proscrire pour faire place à la *révélation*, ce serait *s'arracher les yeux pour mieux voir les satellites de Jupiter à travers un téléscope* ». *Nouveaux Essais sur l'Entend. hum.* liv. IV, c. 19.

(2) Ad rem ajebat Augustinus: « Habemus enim alium interioris hominis *sensum* isto (scilicet sensu *corporeo*) longe praestantiorem quo justa et injusta sentimus . . . . Ad hujus sensus officium non acies pupillae, non

admittimus sensum, ut ita dicam, *aestheticum*, quo homo pertrahitur ad amandum, ac gustandum quidquid pulchrum, decorum, debitisque proportionibus dispositum est. Hinc qui ex humano corde hos sensus convellere niteretur quos Deus ipse inseruit, quique oriuntur a duabus iis generalibus ac insuperabilibus propensionibus quas homo secum fert in *verum* ac *bonum* (1), nae ipse humanam naturam parte sua essentiali destitutam, ac veluti mutilam redderet. Ast ex altera parte pro certo tenendum est, si ejusmodi sensus utilia subsidia sunt, haud tamen esse criteria, seu *normam supremam semperque tutam* cognitionis, et operationis humanae. Rationi quippe atque intelligentiae divinus Conditor impressit participatione sui divini luminis, ut loquitur s. Thomas, imaginem ac similitudinem suam (2). Haec proinde solum esse possunt criteria suprema ac tuta in ordine naturali, quae dirigere hominem debent circa verum et honestum; atque etiam in ordine supernaturali Deus intelligentiae ac rationi proponit revelationem suam tot characteribus seu motivis credibilitatis praeditam, ut illam istorum ope cognitam, cum divinae gratiae subsidio, rationabili obsequio amplectatur. Quapropter *sensismus mysticus*, qui alia via incedit, quin faveat susceptioni fidei, ejus fundamenta plane labefactat.

143. Sane 1. *Sentimentalismus mysticus* res est caeca, subjectiva, instinctiva; idoneus proinde non est ad certo agnoscendum quod *objectivum* est, multo vero minus cum agitur de veritatibus non immediate evidentibus, cujusmodi sunt veritates quas memoravimus. Hae siquidem exposcunt ratiocinium quod constare debet ex pluribus etiam factis contingentibus. 2. In *sentimentalismum* phantasiae bis immediatum exercet influxum, qua nihil validius reperitur ad mentis illusiones procreandas confovendasque. 3. Ipse *se solo* nequit probare, validamque reddere veritatem quam sentit, quippe qui proprius cum sit subjecti, quod eam sentit, utpote individualis nequit eam sensui alterius communicare. 4. Idem consequenter efficit veritatem mere relativam, ac mutabilem,

foramen auriculae, non spiramen narium, non gustus faucium, non ullus corporis tactus accedit ». *De Civit. Dei*, lib. I, c. XXIII.

(1) Nemo magis philosophice ac luculenter id ostendit quam cl. Gerdilius in satis nota *Dissertazione sull' origine del senso morale* etc. opp. tom. 2.

(2) « Ipsum enim lumen intellectuale, ait d. Thomas, quod est in nobis, nihil est aliud quam quaedam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes aeternae ». I. p. q. 84. art. V. « Ab ipso (Deo) anima humana lumen intellectuale participat, secundum illud: signatum est super nos lumen vultus tui, Domine » I. p. q. 79. art. IV. Illud porro adnotandum, numquam s. Thomam scientiam ex *instinctu* aut caeco interiori sensu repetere, sed semper assurgere ad *intelligendi* facultatem, ad *lumen* nempe *intellectuale*, ad notitiam *primorum principiorum*, quae sunt quasi *quaedam seminaria scientiarum*; *de verit.* q. XI. III.; « Ad conceptiones universales quae statim lumine intellectus agentis cognoscuntur per quas sicut per universalia principia judicamus de aliis, et ea praecognoscimus in ipsis ». *ibid.* q. X. art. VI. Quae quidem aliaque id genus innumera quae afferri possent etiam ex aliis doctoribus sanctisque patribus, ab iis perpendi vellemus, qui se putant veritatis caussae tunc demum prospexisse, cum *intellectum* humanum, nobilissimam nempe potentiam, divinique intellectus imaginem, non modo infra *rationem* perinde ac si ista *realiter* distincta ab illo esset, sed infra instinctivam quamdam sensionem depresserint.

viamque propterea scepticismo, etiam cum agitur de revelatione, latissimam sternit.

144. Haec quidem rationibus intrinsecis assumptum evincunt. Ast facile id ipsum esset experientia multiplici confirmare. Liceat nobis ad ipsum provocare Joan. Fridericum Jacobi qui, uti alibi innuimus, veluti princeps hujus *sentimentalisticae* doctrinae haberi potest (1). Hic porro statuit veluti principia 1. quod *instinctus, utpote rationis energia*, ad Deum tamquam *suam personalitatem habentem* agnoscendum impellat; sed *intellectus* impellat directe ad *pantheismum* ac *nihilismum*: 2. quod scientiae intersit dissolvere atque *annihilare realitatem*, cum haec sola possibilis sit via vere ad hanc perveniendi; siquidem *objectum* e medio tollatur oportet, ut *sciri* illud possit (2). Ex his porro principiis in *nihilismum* et *idealismum* etiam religiosum idem ipse, logica saltem consequentia, dilapsus est. Hinc asseruit veram religionem destitui debere quavis *exteriore forma* (3); indifferentem plane rem esse, utrum Christus realis fuerit necne (4); hinc pariter fidem historicam

(1) Haud nos fugit, quae de Jacobi dicturi sumus haud paucis praesertim in Germania permolesta fore, qui nempe philosophum hunc in deliciis habent. Nec vero nos eidem omne meritum demere volumus: scimus illum haud parum contulisse ad excitatam in Kantium ac criticismum admirationem evellendam: scimus eum praeclarae indolis optimique ingenii fuisse, ac sincero animo philosophatum esse. Sed haec omnia naturam systematis sui minime immutant. Nos porro quoniam opera Jacobi ad manum habere nequivimus, loca ex eo allata decerpsimus ex opusculo germanico cujus titulus « *Aphorismen über Nichtwissen und absolutes Wissen in Verhältniss zur christlichen Glaubenserkenntniss*, seu *Aphorismata circa nihil scire et absolutum scire in nexu cum cognitione christianae fidei*, auctore Carolo Frid. G... l. Berolini 1829. Neque vero ob id hujus auctoris Berolinensis doctrinam probare ullo pacto intendimus.

(2) Jacobi *Von den Göttlichen Dingen*, seu *De divinis rebus* pag. 152. Item epist. *Jacobi ad Fichte* p. 14. opusc. cit. p. 18. Ut res clarior fiat, juvat animadvertere quod cum scientia ex nexu inter *subjectum* et *objectum* exurgat, philosophi neo-germanici contendunt non posse dari scientiam nisi *subjectum et objectum* simul compenetrentur, sed in hoc oppositam inter se viam ineunt. Alii enim volunt *objectum destrui* debere in cognitione ut transeat in *subjectum*; atque ita Jacobi: alii e contra quod *subjectum* debeat destrui ac transire in *objectum* ut cum illo identificetur, ita Schelling, Hegel etc. Inde tot absurda utrinque sive *nihilismi* ac *idealismi* sive *pantheismi*. Certe si objectum ac subjectum identificari deberent in cognitione, cognitio impossibilis redderetur, quippe quae dicat per se *dualitatem*, nempe distinctionem inter subjectum cognoscens et illud quod cognoscitur.

(3) Jacobi *Von den Göttlichen Ding.* p. 61 seqq. En ejus verba « Verae religioni tantum abest ut adscribi possit *externa* aliqua *forma* sicut *forma unica et necessaria*, quin e contra pertinet ad ejus essentiam, *nullam* talem *formam* habere ». Opusc. cit. p. 22.

(4) « Utique, quantum ad *essentialem* veritatem meae conceptionis, est mihi indifferens quid Christus *per se fuerit extra me*, utrum conceptui meo *in realitate responderit* vel *non responderit*. Quid *in te sit*, hoc est quod tantum interest: ac in te est Ens vere divinum, quia quidquid homo divini intueri potest, Christus *imagine* ac *nomine* id repraesentat. *Von den Göttl. Ding.* pag. 63. opusc. cit. pag. 23. Ubi haec praeterea ex Jacobi doctrina deducuntur: « Homo revelat Deum sicuti Jesum, dum se spiritu su-

christianismi confregit (1); Deumque se manifestare extra animam hominis potuisse negare visus est (2), aliaque id genus plura. Habes porro hic totidem assertiones christianismi essentiae eversivas: quae quidem undenam suapte natura profectae sunt nisi ex eo mysticismo quo egregius aliunde iste philosophus rationalem instinctum in perpetua ad intellectum oppositione constituit, negavitque posse rationem prout intelligens ac ratiocinans est sibi Dei existentiam ejusque attributa, animi immortalitatem, credibilitatem positivae revelationis aliasque ejusmodi veritates demonstrare?

145. Idem contigit recentiori alteri scholae *sentimentalisticae* sectatori, Schleiermacher, qui ex suis principiis inductus est ad affirmandum, religionem esse *infinitam*, nec sub aliqua forma determinata concipi oportere, sed sub quacumque nobis illa demum appareat, religionem cujusvis individui expressionem esse sublimis veritatis, eo quod statum actualem sensus interni exprimat in homine religioso (3). Nec aliter evenit De Wette alteri *sentimentalistae*, juxta quem *revelatio* universim non est, nisi *praesensio* quaedam regiminis illius quo Deus gubernat mundum in evolutione historica religionis; quod vero christianismus sit manifestatio religiosa divina, est mere receptus fidei articulus, id est *judicium pure ideale*, quod nulli rationali fundamento potest inniti (4). Alia recentiorum Germaniae scriptorum adduci possent exempla qui Christum historicum nonnisi in sensu interno mystico quaerunt, atque ita in rationalismum theologicum praecipites ruunt (5).

146. Ad hanc *sentimentalistarum* classem praeter Jo. Jac. Rousseau revelationis hostem acerrimum, pertinuit etiam Benjaminus Constant, qui conflictum perpetuum instituit rationem inter et interiorem mysticum sensum (6): con-

pra naturam extollit, uti Jesus; ast Jesus non est Deus ipse: in ipso habitavit plenitudo divinitatis, uti in unaquaque creatura Dei quae nequit negare Creatorem suum ». Citatur ob hasce assertiones Jacobi *Von den Göttl. Ding*. p. 189, 63.

(1) Jacobi in epist. ad Lavater vol. II, 55. « In quantum christianismus est *mysticismus*, est ille mihi unica religionis philosophia, quae concipi potest; ast eo minus ego in *fide historica* invenio unde proficiam ». Alibi fatetur se « omnem theologiam in sua parte mystica pro aeque vera, in parte sua non mystica pro *aeque erronea* habere, aut etiam in alio respectu pro aeque *insulsa* ac *perniciosa* » vol. II, p. 146. conf. 558. opusc. cit. p. 28.

(2) « Tam parum potest Deus falsus esse extra animam humanam, quam *Deus verus potest extra ipsam apparere*. » cf. opusc. cit. pag. 32.

(3) Cf. quoad Schleiermacher op. cit. *Histoire critique du rationalisme* p. 364. seqq. ubi auctor varias persequitur phases quas illius doctrina subiit, seu varia potius *velamina* quibus *Schleiermacher* suam doctrinam obduxit.

(4) Cf. *Histoire critique du rationalisme* pag. 382. seqq. ubi doctrina rationalistica ipsius De Wette expenditur, ac adnotatur eum fuisse discipulum philosophi Fries cujus placita philosophica « se rapprochent de ceux de Jacobi par la valeur qu'il accordait à la foi et au pressentiment de l'éternelle vérité ». Subditur porro quod De Wette « place le sentiment au dessus de la certitude scientifique ».

(5) Cf. op. cit. *Histoire critique* etc. cap. XXI, XXII. *Théologie spéculative fondée sur le sentiment:* ex quo patebit non solum ex nimia virium rationis exaggeratione, sed etiam ex nimia illarum depressione viam ad rationalismum patere.

(6) In op. *De la religion considérée*

tenditque sensum istum religiosum homini connaturalem principium esse religiosum omnium; eas proinde omnes totidem esse hujuscemodi sensus formas, qui suapte natura evolvitur in homine, tenditque ad suam perfectionem. Hinc homo haud recipit religiones ex rationali animi persuasione aut quia sunt *objective* certae ac verae, sed eas sibi creat quia illis indiget, et veluti naturale germen ex illo interno sensu necessario efflorescunt (1).

147. Ex eodem plane principio profluxit jampridem *pietismus* inter protestantes (2) ac *quackerismus* quoque ad illum veluti ad fontem suum revocatur (3). Jacobus Böhme, Swendenborg aliique visionarii ab hoc mysticismo permoti sunt ad religionem christianam modo suo construendam (4). Ex quo evidenter patet mysticismum sentimentalem nimis esse verae fidei non minus ac ipsi scientiae infensum. Vera siquidem scientia omnes complecti debet hominis facultates, neque quod magis est essentiale ac praestans, cujusmodi intelligentia est, excludere (5). Caeterum quae de mysticismo hactenus scripsimus, falsum, ut per se patet, *mysticismum* impetunt; nec quid habent commune cum religioso animi affectu qui scripta etiam philosophica maxime decet; nec cum vera mystica theologia, seu *sanctorum scientia*, quam patres etiam tantopere coluerunt, quaeque rationem quin destruat, supra seipsam mirifice attollit.

II. *De empirismo*

148. Dum empirismum improbamus haud certe mens nobis est quidquam detrahere propriae dictae *experientiae* ac sedulae factorum observationi, quam non modo utilem, sed necessariam esse saepe diximus ad philosophiam constituendam, cum haec non ex meris notionibus abstractis sed ex amico foedere rationem inter et experientiam debeat

dans sa source, *dans ses formes et ses développemens*, ubi scribit: « Tout ce qui est du ressort du raisonnement est variable et contestable par son essence. La logique fournit des syllogismes pour et contre toutes les propositions ».

(1) Ibid. p. 83. « Les dogmes, *inquit*, les croyances, les pratiques, les cérémonies sont des formes que prend le sentiment intérieur, et qu'il brise ensuite »; deinde subdit ibid.: « Observez comme toutes les notions se groupent autour du sentiment religieux, et dociles à un moindre signe se modifient et se transforment pour le servir ». Hoc systema refellit cl. Rosmini in op. *Frammenti di una storia dell' empietà*, quod fuit gallice translatum. Lyon, 1837.

(2) Vide *pietismi* historiam in op. cit. *Histoire critique du Ration.*

(3) De hoc cf. Möehler *Symbolique* tom. II, lib. 2. cap. 2.

(4) De Swendenborg cf. Möehler *Symbolique* tom. II, lib. 2. cap. 4. Nec non quae alibi de eodem scripsimus. Jacobus Böhme vir fuit plane singularis, e sutore philosophus. Ejus scripta rudi sed ingenuo stylo exarata ac mysticismo plena (sic tamen ut fidei mysteria praesertim Trinitatis eleventur) fuerunt recentiori hac aetate in Germania iterum in lucem prolata, ac valde decantata. His delectatus est vehementer F. Baader qui et ipse ex mysticismo suo a recto religionis tramite late aberravit.

(5) Apposite, quamvis protestans, auctor cit. *Hist. crit. du ration.*, p. 384. ubi de rationalismo *sentimentalistico* disserere incipit, scribit: « C'est sur l'ensemble des facultés humaines qu'il faut élever l'édifice de la vérité, si l'on ne veut pas qu'il s'écroule d'un côté, pendant qu'on l'édifie de l'autre ».

exurgere. Unde gratulandum est recentioris aetatis philosophis quod magis accurate ad hanc experimentalem philosophiae speciem non modo in scientiis naturalibus sed in rationalibus etiam animum applicuerint.

149. Itaque heic tantum reprehendimus veluti religioni saltem *indirecte* noxium illud philosophandi genus quod in meris factis experimentalibus sensus sive externi sive interni sistit, in iisque totam scientiam collocat, abstractas autem ac *ontologicas* notiones ac principia universalia rationis veluti futilia ac nullius roboris ablegat: quo fit ut facile confundat *intelligere* cum *sentire*, ac proprietates sensus ad cognitionem transferat; omnia ratiocinia *a priori* aut excludat, aut cum ratiocinio *a posteriori* permisceat; ratiocinia e conceptibus abstractis ac axiomatibus in principiis identitatis fundatis eruta de noto ad ignotum detegendum ducere unquam posse neget; atque, ut verbo dicam, exinde fit ut quaevis *ontologia* implicite aut explicite a philosophia eliminetur.

150. Ad saniores philosophos, qui data opera hujus philosophiae intrinseca vitia persequuti sunt, auditores nostros remittentes, ad rem nostram adnotamus, empirismum hujusmodi, 1. humanae rationi dignitatem omnem demere, quae nempe non in meris factis sensibilibus percipiendis consistit, sed in intrinsecis idearum nexibus detegendis, in principiis universalibus intuendis factisque applicandis, ac novis inde veritatibus deducendis; quae omnia in alio sublimiore ordine quam experimentali sita sunt: 2. scientiam proprie dictam e medio tollere. Facta enim etsi innumera ac sedulo observata semper in *individuo* versantur: nequeunt ergo nec universalitatem, nec necessitatem illam gignere quae ad veram scientiam omnino requiruntur (1). 3. Ex quo etiam consequitur, veritates maximi momenti metaphysicas de anima ac de Deo ita in hujusmodi empirica philosophia constitui, ut facili negotio concutiantur ac concidant. Quid vero de morum scientia dicendum? Illud certum est omnia moralitatis systemata, quae inde prodeunt, morales leges earumque obligandi vim ex mera utilitate, ex hujus vitae felicitate, ex amore socialitatis, ex societatis perfectibilitate dimetiri; numquam altius assurgere; ordinem intrinsecum ac immutabilem in ipsis rerum essentiis constitutum, absolutum humanae voluntatis bonum positum in ordinatione etiam naturali ad Deum veluti principium ac ultimum finem suum, in iis empiricis systematibus plane ignorari. Quod sane nil aliud est, nisi veram et intrinsecam moralitatem ac naturalia hominum officia specie tenus adstruere, re penitus eliminare (2). 4. Quam facilis demum ex hoc empi-

(1) Cf. quae diximus in *Praenotandis*. Addimus in ipsis scientiis physicis quae ab experientia totae pendent, non qui plura facta observarunt optime de illis meritos fuisse, sed qui notionibus ontologicis, ac logicis criteriis melius utentes, leges naturae universales ex factis colligere ac recte stabilire potuerunt. Quanto autem id magis in scientiis quae *rationales* vocantur, contingere opus est!

(2) Certe si doctrinae morales eorum omnium qui audiunt *utilitarii* ac *socialistae* expendantur, uti Benthami, Romagnosii etc. eas in *theoretico* empirismo de quo loquimur fundatas comperies. Hoc sensu verum est quod gallicus explanator Kantii, idemque kantianus Villers profert « dès qu'on eut placé *les sens* sur le trône de la métaphysique, l'analogie conduisit *l'intérèt* sur celui de la morale ». Philosoph. de Kant, Metz, 1801. pag. 159.: licet hoc improbemus in sensu *puristarum* Kantianorum qui virtutem moralem destrui docent, si homo ex proprio, licet *ve-*

rismo ad materialismum ipsum sit descensus, jam fuit a nobis adnotatum: hinc in ipso Kantio, empirismus suus phaenomenalis cum materialismo arctissime copulatur (1).

151. Quantopere porro ecclesiae patres ac doctores ab hac tam abjecta philosophandi ratione abhorruerint compertum est. Augustinus sane, qui tum ingenii acumine tum diuturno veterum studio in rebus philosophicis adeo valebat, si ad observationem factorum interiorum solerter provocat, scientiam tamen tum metaphysicam tum moralem non ex illis tantum sed praesertim ex principiis et notionibus ontologicis repetit, ac rationis in eo praestantiam et cum divina mente veluti cognationem ostendit (2). Inter Graecos Basilius in primis, Athanasius, Damascenus etc. quoties vel de anima vel de Deo, vel de morum lege philosophantur eidem insistunt viae: inter Latinos posteriores doctores Anselmus in *Prosologio*, et *Monologio*, s. Bonaventura (3), atque, ut ceteros omittam, s. Thomas, licet magis Aristotelis, quam Platonis placita sectaretur, semper principia rationis, ac universales notiones ontologicas veluti necessaria scientiarum rationalium elementa adhibet (4). Detur igitur psychologiae empiricae quod revera ipsi tribuendum est, sed vera ontologia non sejungatur ab ea, nisi non tam philosophiam, quam philosophiae umbram habere quis velit, quae proinde christianae ipsi fidei exitialis existat.

III. *De Hermesianismo philosophico*

152. Nimis jam comperta est historica genesis illius philosophicae doctrinae, quam Georgius Hermesius haud multis ab hinc annis invexit (5). Hermesius enim superiorum philosophorum ac theologorum scientiam pauci aut nihili faciens, cum theologiam omnem in tenebris jacere putaret (6), ac in gravissimis jamdiu de anima, de Deo, de revelata religione dubitationibus versaretur (7), cumque ex philosophicis scriptis Kantii et Fichtei, quibus inprimis dele-

rae, felicitatis suae amore, non ex mera legis reverentia honeste agat.

(1) Hoc jam attigit Baldinottus op. cit. *Tentam. Metaph. Appendix*, *de Kantii philosophandi ratione* § 925. Sed intimos nexus inter Kantianismum et materialismum in apertissima luce collocavit cl. Galluppius, *Saggio critico* etc.

(2) Cf. lib. x. *De Trinit.*, libros III. *contra Academicos* sed praesertim lib. II. *De libero arbitrio* cap. VII-XII. ubi Augustinus in dialogo cum Evodio de numerorum ac unitatis ideis philosophando, ostendit scientias morales ac metaphysicas aeque incommutabilibus ac aeternis principiis inniti ac res geometricas.

(3) « Retinet, ait egregie s. Bonaventura, (mens) *scientiarum principia* et *dignitates* ut sempiternalia et sempiternaliter, quia numquam potest sic oblivisci eorum (dummodo ratione utatur) quin ea audita approbet et eis assentiat, non tamquam de novo percipiat, sed tamquam sibi innata et familiaria recognoscat ». *Itin. mentis* etc. c. III.

(4) Cf. supra pag. 452. nota 3. Haud inficiamur aliquos e scholasticis esse conceptibus abstractis abusos, ac ontologiam saepe non tam realem quam *nominalem* sectatos fuisse: sed abusus rei veritati minime officiunt.

(5) Quoad Germanicos, plures jam de hoc argumento conscripserunt. Quoad Italos cf. si lubet articulos duos jam a me editos ac insertos in *Annali delle scienze religiose* vol. VII, fasc. 19. et vol. IX. fasc. 27.

(6) *Philosoph. Einleit.* seu *Introductio philosophica*. Monasteri 1819. praef. p. IV.

(7) Ibid. p. IV, V. « Et tamen ego, inquit, nondum *fundamentale dubium (Grundzweifel) utrum reapse Deus sit* mihi professus eram, usque dum tandem conscientia

ctabatur, acrius se ad ejusmodi dubia excitari persentiret, novam philosophandi viam, nullius ante pede tritam, pertentare aggressus est. Post diuturnas plurium annorum commentationes emersit e dubio (1); ac systema tandem illud philosophiae confecit, quod scientiae metaphysicae ac morali iterum construendae, revelationi christianae et catholicae religioni demonstrandae, ac demum ipsis theologicis dogmatibus aedificandis unice aptum ac firmum judicavit. Illud porro in sua *Introductione philosophica* fuse exposuit. A ceteris hujus doctrinae philosophicae vicibus commemorandis, utpote jam notis, heic supersedemus; sed quoniam tractationis nostrae ratio id postulat, nonnullas animadversiones instituemus 1. circa *methodum;* 2. circa *naturam;* 3. circa *applicationes* hujus philosophici systematis quod ex nativa origine ac instituto suo arcte cum fide ab auctore ipso conjunctum est.

155. 1. *Methodus*. Quoad methodum incipit Hermesius a *dubio*, per *dubium* perpetuo progreditur, ac perseverat in *dubio* quousque vel minima dubitandi ratio supersit. Dubium porro istud hermesianum est 1. *universale*, quippe complectitur quamcumque veritatem, nulla excepta, etiam primitivam, etiam evidentissimam sive facti, sive rationis; respicit ipsum principium contradictionis, ipsam existentiam ac realitatem objectivam nostri *Ego*, factum ipsum *immediatum conscientiae*, etiam *subjective* tantum spectatum (2). 2. Est *serium* ac *positivum*, quia de ejusmodi dubio expresse loquitur Hermesius: profitetur se ex tali *serio* dubio philosophando processisse; declarat se pro iis scribere qui eodem *serio* dubio (3) laborant; hortatur alios ad *hoc ipsum* dubii genus in seipsis data opera excitandum (4). 3. Est *illimitatum*, siquidem dubia in omnibus et undequaque conquirenda sunt, per *omnes dubii ambages* transeundum (5), eaque retinenda ac fovenda nisi omnino *necessitas absoluta rationis* tandem cogat ad aliquid pro vero admittendum vel tenendum; secus nihil unquam verum ac certum esset, sed omne aequo jure affirmari negarive posset (6). Hoc igitur *dubium* quod basis ac fundamentum sy-

meo, aut quocumque tandem aptiori eam modo appellare quis velit, vis illa insuperabilis interior quae me impellebat, ita me iterum iterumque atque acriter increpabat de mala fide, qua ego me super *fundamento rerum omnium* illudere volebam, ut me tandem determinavi ad hanc ipsam etiam quaestionem aperte aggrediendam etc. »

(1) « Et nunc tandem, ait, (gratiae ob id *sint Deo meo quem iterum inveni*) persuasionem illam nactus sum quam tantopere expetebam ac quaerebam: ego nunc tandem certus sum *Deum existere*, me exstiturum ac vitam habiturum aeternum: certus nunc sum christianismum esse revelationem divinam, et catholicismum esse verum christianismum » ib. p. XII. « Sed dum ego doceo ac vindico fidem meam numquam ullo modo illam existimationem, quae debetur caeteris diversis confessionibus, violabo. Quum aliquis sine ulla requie obluctatus est per *viginti et amplius annos* ut *persuasionem* acquireret, eamque *coram tribunali rationis* firmiter stabiliret . . . iste sane indulgens erga omnes evadit. » pag. XIII, XIV.

(2) Id ex doctrinae hermesianae analysi inferius patebit.

(3) Ibid. pag. XI, XIV.

(4) Ibid. pag. XV.

(5) Ibid. loc. cit. ubi affirmat Hermesius eum qui praeceptor religionis esse debet prius *in labyrinto dubii per omnes suas ambages oberrare oportere*.

(6) P. X, XI. Hermesii loca afferuntur in artic. 2. nostro italico jam citato ad quem remittimus.

stematis hujus est, limites prorsus omnes excedit illius *dubii* mere *hypothetici*, seu potius illius *methodicae ignorantiae*, qua philosophus ad cognitionum analysim instituendam, easque suo in ordine collocandas, fingit se nescire quod inquirendo tandem detegit ac demonstrat. Hermesius contra data opera intendit ad omnes possibiles ac serias dubitationes quoscumque qui secum philosophantur de quibuscumque veritatibus impellere. Et quamvis demum ex dubitatione ad dogmatismum assurgat, ita tamen methodo suae dubitativae mordicus adhaeret, ita res evidentissimas omnibus dubii ambagibus obnubilat, ita dum aliquid certi te arripere putas, in dubii pelagus iterum te demergit, ut qui ejus premit vestigia perpetua dubitatione fluctuet oportet. Hinc ex hac methodo factum est, ut Hermesius ipse in iis quae de veritatis ac certitudinis criteriis se demonstrasse putat, contradictiones haud effugiat, ac in *circulo vitioso* circumagatur, id quod probaturi sumus. Nimis igitur evidens est nihil esse ac methodo ad scepticismum fovendum aptius. Quid vero si cogites hanc *methodum* ipsam dari tamquam *necessariam conditionem et radicem christianae fidei*, eamque ad revelatae religionis veritatem demonstrandam ab Hermesio ordinatam fuisse (1)?

154. 2. *Natura systematis*. Ad hanc dignoscendam opus omnino est paucis exhibere summam primae illius inquisitionis quam veluti ceterarum basim Hermesius instituit. Cardo versatur in eo, an detur pro humana mente *certitudo proprie dicta de veritate ac realitate objectiva rerum* (2)? Duplex juxta

(1) *Introd. phil.* praef. pag. XVII. Certe ex hoc ipso cernitur discrimen inter dubitationem methodicam Cartesii, de qua superius locuti sumus, et eam ab Hermesio statutam. Cartesius professus est se methodo sua quidquid ad fidem pertinet sartum tectum plane relinquere velle; Hermesius a sua methodo *rationabile* ipsum *obsequium fidei* pendens omnino facit. Cartesii dubitatio revera fuit philosophica quaedam, vel etiam verius dixeris, velut *poëtica* fictio, quam ipse statim deserit, ut veritatem avide arripiat, firmiterque stabiliat. Hermesius in omnibus dubii ambagibus serio diuque circa omnem etiam primitivam veritatem versatur teque ita haerentem ac suspensum detinet, ut quo tandem evasurus sis nescias: ita vero tandem ad aliquid firmi pervenit, ut dubitationes omnes ex animo ita jam ad dubitandum assueto minime dispellantur. Cartesius ad Deum citissime ascendit: Hermesius non modo *mundum internum*, scilicet nostrum *Ego*, sed etiam *mundum externum*, ac legem ipsam moralem perfecte obligantem jam demonstrata exigit antequam de existentia Dei loqui quisquam possit. Plura alia urgeri possent: non quod nos omni ex parte velimus defendere methodum Cartesianam, quae abusibus obnoxia esse potest, sed ut eluceat, quod etiamsi Hermesius suam dubitationem a Cartesio hauserit (nisi ea verius *indigena* hermesiani criticismi planta dicenda sit) eam certe extra omnes cancellos protruserit ac maxime saltem periculosam effecerit. Ex hoc factum est ut Prof. Baltzer vitium hujus methodi, in praeceptore suo Hermesio aliqua ex parte dissimulare non potuerit. « Qui vult Hermesium considerare, debet principia ejus, non *formam* assumere... Forma apud Hermesium debet absolute ob plures rationes dici gravis ac implexa *(schwerfällige)* id quod necessario consequi opus erat ex methodo euristico-analytica ita severe persecuta, quemadmodum in Hermesio contingit obluctante cum reliquiis Kantianae haereditatis », op. cit. fasc. 259. Quod attinet ad *principia* Hermesii posthac videbimus, aliasque ab ipso Baltzerio confessiones ingenuas excipiemus.

(2) Hermesius ita rem proponit: « Estne pro homine determinatio aliqua super veritate quae tuta sit - per quas vias enascitur illa - ac una ex illis potest necne aptari ad demonstrationem christianismi »? Introd. Phil. p. 83.

Hermesium hujus certitudinis psychologica origo esse potest: vel enim determinatio animi circa veritatem nobis *necessario* imponitur et dicitur *tenere pro vero*; vel *libere* a nobis admittitur, et dicitur *admittere pro vero* (1). De utraque ergo in duplici sectione inquirit Hermesius.

155. Porro *tenere pro vero* (2) est ex *necessitate immediata*, si enascitur in mente ex mera repraesentatione subjecti ac praedicati et nexus inter utrumque, quin tamen intelligatur realitas talis nexus, quin ulla intercedat *cognitio*: est vero ex *cognitione* (3) ac proinde ex *necessitate mediata* si illius nexus realitas intelligatur quod tamen contingere potest ex vi aut *intelligentiae*, aut *phantasiae*. Prius ergo quaerit Hermesius utrum detur *tenere pro vero* tutum ac firmum ex *cognitione*, quae procedat ab *intelligentia* aut *evidentia* rei (4). Cum autem haec *intelligentia* aut *evidentia* possit esse vel *immediata* scilicet *intuitiva*, vel *mediata* scilicet *demonstrativa*, quaestio de utraque occurrit (5).

156. Tota vero haec quaestio post longas ambages hac conclusione absolvitur: e sola *cognitione intellectiva* seu ex *evidentia*, sive sit *intuitiva* sive sit *demonstrativa*, nullum omnino dari posse *tenere pro vero tutum* (certitudinem) nec *objectivum* nec *subjectivum*. Quippe non datur 1. nec ex cognitione seu evidentia, quae ab intuitione sensibili externa procedit; 2. nec ex illa quae ab intuitione sensibili interna dimanat; 3. nec ex illa quae exurgit ex intuitione necessariarum inter ideas relationum; 4. nec demum ex illa quae profluit ex testimonio propriae conscientiae circa sui ipsius immediatam existentiam (6). Ratio juxta Hermesium apodictica hujus con-

(1) « Ibid. p. 86. Illud *nobis imponitur* ita ab Hermesio effertur *wird uns angethan*.

(2) « *Tenere pro vero (das Fürwahrhalten)* consistit in hoc quod nos *teneamus* (non tantum *cogitemus*) judicium nostrum consonare cum veritate, ac proinde *realiter* existere *relationem* cogitatam inter *subjectum* et *praedicatum*). ibid.

(3) *Aus Erkenntniss*.

(4) Hermesius vere exorditur inquisitionem a *cognitione* ex vi *phantasiae*; sed quoniam eam statim rejicit, quippe nullam ut per se patet certitudinem veram gignere potest, eam partem inquisitionis omittimus. Cf. hic artic. nostrum 2. pag. 36.

(5) Quam nos dicimus *intelligentiam*, seu etiam *evidentiam* rei, dicitur ab Hermesio *Einsicht*, atque ita alibi eam explicat « *Einsicht* est ea cognitio qua perspicimus *(einsehen)* rectitudinem, aut non rectitudinem alicujus judicii, estque vel *mediata* vel *immediata* prouti ad *sciendam* illam rectitudinem vel non rectitudinem requiritur aliud *scire* vel non ». p. 130 (nota). Potest illa fortasse ad *claram ac distinctam ideam* Cartesii revocari. Quidquid sit, nos *intelligentiae* aut *evidentiae* vocibus eam exprimimus, sic tamen ut sensum Hermesii heic determinemus. Ceterum ex *immediata intelligentia* nos juxta Hermesium putamur tenere pro *veris* cognitiones *intuitivas (Anschauungen)* tum *a posteriori* uti intuitiones *sensus externi* aut *sensus intimi*, tum *a priori* uti *axiomata* geometrica p. 89. Contra vero ex *mediata intelligentia* putamur *tenere pro veris theoremata* geometrica, et quidquid demonstratione indiget, unde *demonstratio* dicitur *medium intelligentiae* seu *evidentiae*. Tota porro haec psychologica divisio ex neo-philosophia Kantiana et Fichtiana desumpta est. Hinc axiomata ipsa geometrica ex *necessitate* non immediata sed tantum *mediata* pro veris haberi deberent. Cf. animadversiones quas fecimus de hac re in artic. nostro secundo.

(6) « Verbo, ait Hermesius (per hanc viam) nos nequimus *tuto* admittere uti *rea-*

clusionis haec est, quia tametsi in cognitione *directa* illa intelligentia seu evidentia determinet mentem ad *tenendum pro vero*, tamen in cognitione *reflexa*, seu accedente reflexione, *evidentia* illa numquam nos reddit certos utrum illa directa cognitio, sive *objectiva* sive etiam *subjectiva*, necessaria sit. Itaque cum quivis actus *reflexus* cognoscatur per alium actum *reflexum*, daretur progressus actuum reflexorum *in infinitum*, quin unquam ad *necessariam* cognitionem quae determinaret ad aliquid *tenendum pro vero*, perveniretur.

157. Haec pars Hermesianae inquisitionis quae omnis videtur certitudinis destructiva, est quaedam veluti machina ab Hermesio contra Kantium admota. Kantius enim posito principio quod nulla detur certa cognitio nisi sit *necessaria*, nulla autem *necessaria*, nisi haec necessitas *intelligentia* percipiatur, *logicam* demonstrationem a *priori* in omnibus exigebat. Hermesius contra cum ex vi *cognitionis* et *intelligentiae* nihil certi nos tuto tenere posse psychologice se demonstrasse putet, gloriatur se hoc pacto principium *logico-syllogisticum* Kantii suis ipsis armis profligasse (1). Verum heic plura contra Hermesium occurrunt.

158. 1. Ille idem qui principium Kantii *logicam* demonstrationem in omnibus quaerentis refellit, in hujus principii laqueos se conjicit, quippe omnia reapse logice *demonstrare* vult, factum ipsum *immediatum* conscientiae, ipsam actualitatem nostri *Ego*, ut melius ex insequentibus constabit.

159. 2. Hinc procedit contra Kantium semper *problematice*, nimirum supponendo *factum immediatum* conscientiae, sed numquam admittendo ejus realitatem sive *objectivam* sive *subjectivam*; quinimmo in dubium identidem revocando, ut suae universali dubitationi semper adhaereat (2).

160. 3. Kantianus posset in Hermesium facile regerere: si tuum argumentum quo probas ex *intelligentia* et *cognitione* non dari ullam certitudinem, validum sit, jam hoc ipso probatur aliquid certi posse e sola *intelligentia* et *cognitione* probari (3).

lem ne quidem *existentiam* nostrae *immediate conscientiae*, nec nostrum *necessarium scire* et *cogitare* de illa »: ibid. p. 130. Si quis avet cognoscere totum processum quo Hermesius ad hanc conclusionem devenit, consulat artic. nostrum secundum de Hermesii philosophia.

(1) Hinc Hermesius certitudinem rerum etiam geometricarum, quatenus ex intrinseca illarum *evidentia* provenit, eliminat, easque nullum *objectivum valorem* habere, sed tantum *purum* ac *subjectivum cogitare necessarium* esse statuit. Ita vero se putat causam christianae theologiae contra Kantium plane vindicasse: siquidem, ipse ait, si certitudo ex sola vi *intelligentiae rei* haberi non potest nec in metaphysicis, nec in mathematicis ipsis rebus, nil habet Theologia unde illis cedere debeat, si hanc certitudinem assequi non potest. Sed vide art. nostrum secundum citat.

(2) Absurdum certe est disputare philosophice vel dubitando de veracitate testimonii *immediatae conscientiae*, vel illam tantum *problematice* supponendo: quidquid enim ratiocinando effeceris cujusnam valoris erit nisi *dubii*, aut *problematici* quale est testimonium unde illud deducis? Heic aptari potest illud praeclarum Augustini. « An aliter scires te habere rationem, nisi id ratione perciperes »? *De lib. arbitr.* lib. II, c. 38.

(3) Hanc instantiam eludere vellet Hermesius, dum p. 134. fatetur hanc ipsam demonstrationem suam nullum prorsus habere valorem *objectivum*, sed tamen pro iis saltem valere debere, qui (uti Kantiani) admittunt *tenere pro vero* certum ac firmum ex *in-*

161. 4. At quod caput est, Hermesius 1. inutilem plane operam in Kantium suscepit (1): etenim principium *rationalisticum* Kantii satis per se concidit, dum ostenditur Kantium ipsum ex facto *immediato* conscientiae tamquam indubitato profectum esse atque super hoc totum suum systema *formalismi* superstruxisse: unde ipse etiam convincitur aliquid *rationaliter* ac *rationabiliter* admisisse, etiam sine *rationali* demonstratione (2). 2. Non tam Kantium refutavit, quam scepticismum juvare videtur Hermesius. Ex eo enim quod falsissimum sit principium Kantii nil certi nisi per logicam demonstrationem *a priori* admittentis, non sequitur non dari ullam *necessariam* cognitionem ex cujus *intelligentia per se* animus tutissime ad verum determinetur. Cum enim *evidentia* immediate fulget, cum animus *ultimam* rationem propositionis pervidet, cum in factis internis *immediatis*, in ipso perceptionis facto cognoscit rem aliter se habere non posse, (quippe dum sentit aut percipit animus fieri ne-

telligentia (Einsicht). Sed isti iidem ipsi urgebunt semper quo jure tu potes evertere certitudinem *intelligentiae*, nisi ex *intelligentia?* Et si revera efficis quod contendis, ergo aliquid certi *intelligentia* per se necessario deprehendet.

(1) Fatetur candide ipse Baltzer Hermesium in tota hac parte inquisitionis suae oleum et operam perdidisse. « Hoc potest sufficere ad patefaciendam *primam Kantianam reliquiam* in Hermesio manentem: ex ea quippe ipse adactus fuit ad *criticas* inquisitiones, quas ipse ceterum ex via puri facti paucis paginis absolvere potuisset », loc. cit. pag. 122. « Quum igitur Hermesius admissa suppositione Kantiana se confert ad refutandam Kantianam philosophiam *ope proprii hujus* (philosophiae) *principii*, fuit hoc si rei substantiam spectes, labor inutilis et parum meritorius . . . ac eo minus meritorius quod iste ipse secundus articulus, modo non adeo explicatu facilis, talem subiit interpretationem ac si Hermesius vellet ibi ad exitum perducere *suam ipsius philosophiam*, dum tamen ipse tantum intendit » refellere principium Kantii. Ita Baltzerius p. 164., ac inter caeteros qui ita Hermesium interpretati sunt, me etiam ibi recenset in meo secundo articulo Anti-Hermesiano. Ego vero Baltzerio, quoniam ipse sincero procedit animo, reponam *non me quidem fugisse*, Hermesium in ea parte inquisitionis suae, dum *tenere pro vero* necessarium ex vi *intelligentiae (Einsicht)* adeo acriter impugnat, Kantium impugnare velle. Id apertis verbis tradidi non uno in loco; ac scriptum meum ita absolvebam ut monerem lectores, Hermesium post illud *opus destructionis*, ad *aedificium suum philosophicum construendum* demum accedere. Igitur omnes animadversiones meae eo tantum spectabant ut ostenderem, Hermesium, quo Kantium profligaret, ad ipsam *legitimam intelligentiae* ac *evidentiae vim* profligandam progressum esse: id quod et nunc iterum affirmo ac enucleatius declaro. Scio ne hoc quidem Baltzerio arridere posse, quippe qui in *necessitate credendi*, seu in *necessaria fide* omne criterium verae certitudinis reponit: sed illa *fides* aut ex ipsa *evidentia* rei oritur, et tunc saltem esset *improprietas* loquendi (vide *Praenotand.* n. 28 seqq.): aut est *coeca* et *subjectiva*, et illam plane rejicimus.

(2) Rem quoad Kantium egregie jam adnotarat Galluppius: « Kant esplicitamente non ammette *l' aliquid inconcussum* poichè egli pretende che la sua critica sia una scienza assolutamente *a priori*; ora non sarebbe tale se ella partisse dai dati sperimentali della coscienza, ma essendo intrinsecamente impossibile di filosofare, senza ammetter il fatto della coscienza, egli *implicitamente* ammette *l' aliquid inconcussum*, poichè questo filosofo non ha alcun timore delle contradizioni ». *Lettere filosofiche* etc. p. 296.

quit ut non sentiat, aut non percipiat) habetur certe *necessaria* cognitio metaphysica, sive absolute et *a priori*, sive hypothetice et *a posteriori*, sed quae firmissimam ac rationabilem, nullo autem modo mere *coecam* ac *subjectivam* certitudinem de veritate rei gignit (1). Quaerere vero in actibus reflexis perpetuo ulteriorem rationem illius ipsius rationis in qua mens immediate *veritatem* intuetur, seu quaerere *rationem eorum quorum non est ratio*, hoc humani intellectus et rationis non est, sed delirantis ingenii. E contra Hermesius, dum ad alterum extremum deflectit, dum ex ipsa *intelligentiae*, ex ipsa *evidentiae* vi suum *tenere pro vero* tutum exurgere numquam posse, nequidem de testimonio immediato conscientiae, contendit, quo alio poterit certitudinem omnem, nisi in coeco quodam ac subjectivo facto, seu *fide* invenire, quo nil scepticismo opportunius? Rem porro ita esse inquisitionis Hermesianae progressio ostendet.

162. Profligata quoad certitudinem, seu *tenere pro vero* tutum omni *cognitionis* ac *intelligentiae* vi, aggreditur Hermesius alteram inquisitionis partem, an scilicet ea certitudo detur ex *necessitate immediata*, e subjecti nempe et praedicati eorumque nexus mero conceptu, sine ulla cognitione aut judicio de nexus ejusmodi veritate, ita tamen ut etiam in actibus reflexis talis *persuasio perseveret* (2). Adnotat hic porro quaestionem hanc, post philosophicam Kantii crisin, versari totam circa principium *rationis sufficientis* (3), unde inquirendum an istud talem certitudinem revera ex *necessitate immediata* progignat (4). Quaerit ergo Hermesius in

(1) Necessitas quippe illa oritur ex *immediato intuitu* veritatis: nec aliud quam ipsa *cognitio veritatis* potest humanam mentem *necessario* ad assensum determinare ». Praeclare id declarat Gerdilius: « Quando è lo spirito consapevole a se stesso della evidenza con cui conosce una verità, egli non può non dirsi a se stesso riflettendo, che la cosa è realmente quale egli la vede, poichè non si può conoscere intuitivamente ciò che non è. Laonde riguardo a quel particolare oggetto si acquieta perfettamente la voglia che ha lo spirito di sapere; voglia che nasce dalla inclinazione che lo spinge a rintracciare il vero, finchè l' abbia scoperto, che vale a dire, finchè gli rimane qualche cosa da conoscere . . . La conoscenza è dunque la norma naturale del giudizio: cioè la conoscenza è ciò che naturalmente determina il giudizio ». *Dell' origine del senso morale* pag. 278. tom. 2. opp. Roma.

(2) Hoc efformat objectum *articuli tertii Intr. Phil.* p. 145 et seqq.

(3) Germanice *Der Satz von Grund*, seu *principium fundamenti*, quod continet in se juxta Hermesium, veluti principia *subordinata*, tum principium *substantiae*, tum principium *causae efficientis*. Hinc nos pro *ratione sufficienti* usurpabimus quandoque vocem *fundamenti (Grund)*.

(4) Adnotat Hermesius, quod ante Kantianam instaurationem etiam alia principia, uti illa *identitatis*, *contradictionis*, *exclusi medii*, *communiter existimabantur* nos determinare ex *immediata necessitate* ad ea pro *veris* habenda tum in cognitione *directa*, tum in *reflexa*. Ast post Kantium non amplius ea philosophice spectari nisi veluti *meras leges cogitandi:* hinc, ait Hermesius, eos qui adhuc illa appellant *principia formalia veritatis* verbis ludere: quia « principium *formaliter verum* non est nisi recta *cogitatio* sine *ullo respectu* ad *veritatem*, ac principium *veritatis formalis* nil nisi *lex cogitationis* »: loc. cit. p. 150. Ex quo patet haec *rationis principia* nullum *valorem objectivum* juxta Hermesium habere: de quo alibi. Tantum de *principio causali*, pergit Hermesius, est adhuc quaestio inter *realistas*, qui valorem illi *objectivum* ac *realem* tri-

hoc principio: « omne quod existit debet habere *fundamentum* unde sit » 1. *quid* cogitemus; 2. *quomodo* cogitemus (1). Detegit porro quod haec mentis functio qua cogitatur *fundamentum* seu *ratio sufficiens* alicujus entis percepti non pertinet ad *intellectum*, quia jam supponit hanc facultatem suum intelligendi actum plene *implevisse*, et illi *supervenit* ad hoc ut ens perceptum *reale* reddatur, ac *tutum* contra *negationem* realitatis (2). Ergo ea functio pertinet ad aliam plane diversam facultatem nempe *rationem* cujus propria est *synthetica* operatio *fundandi* seu *stabiliendi* (3). Hinc ratio cogitat diverso omnino modo ac intellectus. Iste *analytice* ac *logice*, illa *synthetice*. Iste *intelligit* et *plene* quidem intelligit, illa nihil intelligit et tamen *fundat* ens ut vere sit. Iste cogitat necessario objectum aliquod: illa necessario cogitat *fundamentum a priori*, *superaddendum* objecto quod cogitat intellectus. Quid vero compellit rationem ad illud fundamentum cogitandum? Est necessitas naturae rationis quae ut admittat aliquid existere, debet posse cogitare *quomodo illud esse queat*. Hoc vero non est *cogitare logicum;* est *comprehendere*, ex quo sequitur rationem ad id impelli ex necessitate *comprehendendi*, ac proinde ratio definiri enim potest *comprehendendi facultas* (4). Ast hic porro

buunt, et *idealistas*, uti Kant et Fichte, qui etiam illud inter *formalia* principia seu inter meras *leges cogitandi subjectivas* amandant. Ergo de hoc tantum, concludit, potest heic quaestio institui. ib. p. 151.

(1) *Intr. Phil.* p. 153.

(2) « Haec nova igitur cognitio non est ullus actus *intellectus (des Verstandes)*, quia nil in ea *intelligitur*, nec etiam ullus *intelligendi* actus per illam procuratur aut promovetur: sed ea praesupponit τὸ *intelligere* et quidquid pertinet ad illud veluti *completum (vollbracht)*, et supervenit tunc ejusmodi *actui cognoscendi completo* veluti novus omnino ac ab eo diversus cognoscendi actus, ad hoc ut *ens* seu *objectum* in primo actu jam cognitum reddatur *subsistens*, ac *tutus fiat* a *non-esse*, uno verbo, ut *fundatum* sit *(damit es begründet werde)* ». loc. cit. pag. 154.

(3) *Ratio* seu *facultas fundandi* est *Vernunft* « *Ratio*, ait Hermes, est facultas *absolute* distincta ab *intellectu*, etsi cum isto adhuc a tam magnis philosophis aetatis nostrae *quoad substantiam (dem Wesen nach)* fuerit identificata ». p. 159. Licet porro *aliqua distinctio* inter has facultates admitti possit, ut alibi diximus, an haec tamen *substantialis* distinctio, in ipsa illarum *essentia* posita, detur, sanioribus philosophis judicandum relinquimus. Ceterum *functionem rationis* dum *enti fundamentum superaddit (hinzudenkt)* esse *syntheticam* juxta Hermesium, evidens est ex ipsis terminis. Baltzer Hermesium explanans plane *syntheticam* vocat loc. cit. pag. 225. Hinc Hermesius hoc sensu *actum cogitandi* rationis vocat *creativum (das schöpferische Denken)* l. c. p. 157., quia nempe *a priori ex suo fundo* educit *fundamentum* illud *(Grund)* scilicet conceptum *realis* substantiae aut *realis* causae, quo *fundat*, *stabilit*, ac *reale* reddit objectum seu *ens illud* necessario perceptum ab *intellectu*, quod secus in mero *formalis cogitationis* statu maneret.

(4) « Ratio, ait ipse, *debet cogitare posse, quomodo illud (ens) esse possit*. Patet, hoc non significare ullam *logicam cogitationem*. (Et quînam aliunde, prosequitur Hermesius, posset haec fieri possibilis per superadditam cogitationem alicujus *fundamenti?* Aliquid *logice* non est cogitabile solum propterea quia continet in se contradictionem, et *logice* cogitabile fit per *meram remotionem contradictionis)*. Significat ergo *intime perspicere (einsehen) comprehen-*

detegitur, rationem tunc solum adstringi ad fundamentum cogitandum si prius admittat *ens*, necessario cogitatum ab intellectu, esse jam *reale*. Ergo necessitas rationis est tantum *conditionata* et *mediata*; id est pendet a praevio judicio rationis *tenendi* seu *admittendi* aliquid *pro vero* ac *reali*. Posito hoc, jam ratio non modo cogitat *necessario fundamentum* superaddendum objecto, sed hoc *fundamentum* ipsum *pro vero ac reali tenet* (1). Itaque Hermesius rejicit quod principium *rationis sufficientis* determinet ad *tenendum pro vero* ex necessitate *immediata*. Nihil igitur adhuc, concludit Hermesius, circa objectum praecipuum inquisitionis, nempe certitudinem de *objectiva* veritate, effectum est. Quippe ratio nil potest efficere nisi jam admittatur *realiter* esse quod *cogitatur* existere. Quid ergo restat? Hoc unum: quod nempe in nobis determinatio ad *tenendum pro vero ac reali* existat jam *ante reflexionem*, atque ita ut post reflexionem, per quoscumque actus *reflexos irrevocabilis* omnino maneat (2). Haec est unica conditio a qua exitus totius pendet inquisitionis: in eam ergo in quarto distincto articulo toto animo incumbit Hermesius, realitatem aliquam, sicubi dari potest, tandem arripere cupiens (3).

163. Quoties, sic ille fere argumentatur, videre mihi videor aliquid *necessario cognoscere* sive *immediate* sit sive *mediate*, me ipsum in sensu intimo *persuasum* invenio de realitate objecti; dum e contra si *cognitio necessaria* non est, sed aut a phantasia aut a voluntate dimanat, *cognitionem* utique invenio, ast *persuasionem illam* non item (4). Haec porro *ante reflexionem omnem* mihi indita est, quippe cum illo conscientiae actu quo *primum cognosco me cognoscere* jam simul conscientiam habeo me *persuasum* esse de objecti cogniti realitate. Ergo est *necessarium tenere* sive *persuasio*, non autem *sic volita admissio*. At enim, instat Hermesius, num ego debeo tantum *scire* et *cogitare* me habere ante quemcumque actum *reflexum* illam *persuasionem*, aut revera

dere (begreifen) » l. cit. pag. 161. 162. Heic iterum Hermesius excludit quod ratio, adhibendo principium *causale*, *analytice* judicet: sed interim animadverte *contradictionem* Hermesii, quam inferius melius patefaciemus. Ratio debet *intime perspicere* juxta Hermesium quomodo *possibilis* res sit, et *possibilem* non judicaret *nisi haberet rationem seu causam sufficientem unde sit*. Ergo ratio hoc judicium efformat ex *principio ipso contradictionis*, ergo *per remotionem contradictionis*, ergo *logice* et *analytice a priori* quamvis *realiter*. Cf. *Praenot.* n. 35. *(nota)*.

(1) *Intr. Phil.* p. 178. seqq. Semper insistit Hermesius in hac distinctione inter *necessarium cogitare* et *necessarium tenere*. Ast hic posset urgeri adversus illum: si ratio *tenet* pro *vero et reali* fundamentum quod ipsa *necessario cogitat* estne hoc ob aliud *fundamentum?* Et hoc aliud estne iterum propter aliud *ulterius?* Atque ita in infinitum. Quod si affirmet rationem *tenere* pro *vero ac reali* illud *fundamentum* per se, quia scilicet *comprehendit*, *perspicit intime (einsieht)* illud *fundamentum* esse intrinsece *necessarium*; ergo, aliquis concluderet, datur *tenere pro vero* id est *persuasio* tuta ex vi *perspicientiae*, seu *evidentiae* rei *(aus Einsicht)* quod Hermesius omnino negat.

(2) Loc. cit. pag. 181.

(3) Loc. cit. pag. 184.

(4) Semper *germanice* est *Fürwahrhalten* seu *tenere pro vero*. Nos tamen ne semper hybridis his vocibus utamur, quandoque claritatis ergo dicimus *persuasionem*, quae idem fere significare videtur.

necessariam persuasionem habeo *illam* habendi (1)? Nam si primum esset, jam ego in secundo actu conscientiae haud amplius determinarer, ad illam primitivam *persuasionem* uti *existentem* habendam, sed illam uti mere *phaenomenicam* spectare possem, ac nihil proinde nacti fuissemus. At enim in secundo illo actu conscientiae non ego *scio* tantum et *cogito* necessario existentiam illius *persuasionis*, sed invenio simul in me conjunctam novam *persuasionem* de *realitate* ejus quod *scio* et *cogito*. Et sic actus iterando invenio semper *persuasionem* de *persuasione*, quod mihi ante quemcumque actum reflexionis *persuasio* de realitate objecti data fuerit, idque in infinitum (2). Ergo jam sumus circulum *necessariae cogitationis* emensi, et sumus *necessariae persuasionis* campum assecuti.

164. Verum *persuasio* ista qua objectum *habeo pro reali* est mere *subjectiva*, et ceterae *successivae persuasiones reflexae* circa *illam* usque in infinitum non sunt nisi *subjectivae*: quinam ergo certitudinem de *existentia objectiva* dare queunt (3)? Fateor, reponit Hermesius, sed quid inde? Num alia potest ab homine aut quaeri, aut obtineri quam *maxima certitudo subjectiva de realitate* objecti? Amplius homini datum non est, imo plane esset repugnans. Inde vero non sequitur *necessarium* illud *tenere* (persuasionem) nullam majorem certitudinem dare quam det *necessaria* tantum *scientia, cognitio*, aut *cogitatio* rei: quippe cum *necessaria cognitione* stat adhuc possibilitas *tenendi contrarium*: at cum necessario illo *tenere* nequaquam. Et quamvis denegare haud valeam *possibilitatem quod aliter in se res se habeat*, imo quod ipsum meum *tenere* seu persuasio *nonnisi apparens* sit, tamen ego illam et istud pro *reali omnino tenere* cogor, et hoc debet sufficere (4).

165. Est ne igitur confecta inquisi-

(1) Loc. cit. pag. 187.

(2) Loc. cit. pag. 188, 189. Quod ego transfero *persuasionem* de *persuasione* est apud Hermesium *das Halten des Haltens*, seu *tenere de tenere*, nimirum iteratio actuum reflexorum circa primum *tenere* directum. Verbo, tota rationalis certitudo juxta Hermesium circa objectivam realitatem illius *directae* persuasionis est in hoc progressu posita: *teneo quia teneo*, et sic in infinitum. Baltzerius hic loci vitio dat Hermesio quod *formale* cum *reali*, *subjectivum* cum *objectivo* confuderit loc. cit. p. 240 et seqq.

(3) Hoc sibi objicit Hermesius ipse pag. 189. et seqq.

(4) Nimis interest afferre verba ipsa Hermesii « Cum ego, scribit in *Introd. Philosoph.* p. 191. et 192., aliquid debeo *tenere* (habere pro vero) non possum tunc certe denegare *possibilitatem quod res se habeat in se aliter ab eo quam ego eam teneo*: attamen ego non habeo possibilitatem *tenendi*, quod res aliter sit, aut possibilitatem ipsam *non tenendi* quod ita sit. Eo autem modo quo ego illam *tenere debeo*, *taliter* illa mihi est, et *talis* debet pro me manere quousque illam ego debeo habere *pro tali*, quidquid demum *res esse possit in semetipsa*. Hoc vero non contingit circa *cognoscere necessarium*. — Istud ipsum necessarium *tenere* (persuasio) potest utique in se esse merum *phaenomenon (Schein)*: nos non possumus oppositum demonstrare, aut cognoscere: sed quaevis oppositi cognitio aequivaleret non-cognitioni, et illud unice quod supra non-cognitionem se extollere posset, esset necessarium *tenere* de re cognita in illa: et hoc nobis datum est ». Jam prius p. 147. dixerat « Utcumque sit *in se verum* aut *falsum* id quod ego *pro vero debeo tenere*, si ego invenio quod ego illud *pro vero debeo* tenere, atque aliter nequeo, tunc *est* et *manet verum* pro me. »

tio? Minime subdit Hermesius: nil aliud hactenus nacti sumus quam *persuasionem reflexam* quod nos habuerimus ante reflexionem *persuasionem* directam de *realitate* rei perceptae. Sed num necessitatem habemus in *reflexionis statu* agnoscendi quod illa *directa persuasio* fuerit revera *necessaria*, seu *vera* ac *realis*, aut non potius a *phantasia* aut a *voluntatis arbitrio* promanans? Uno verbo estne illa *directa persuasio* per actum *reflexum revocabilis* aut *irrevocabilis?* Haec erat altera pars inquisitionis, qua infecta, nil esset factum omnino. Igitur ad ultimum inquisitionis stadium devenimus, a quo nimirum pendet utrum meta attingi tandem possit necne (1). Ita porro rem ad syllogismum revocando, conficit Hermesius. *Major :* ad hoc ut *in reflexione* possimus illam *persuasionem de realitate objecti* revocare, opus est *inquirere in nobis fundamentum* seu *causam* illius, *ac expendere* utrum revera nos adstringat ad ita *tenendum*, aut utrum *mere phaenomenica* necessitas illa fuerit, sic ut nos huic apparentiae ante reflexionem ex mero defectu cognitionis nosmetipsos tradiderimus (2). *Minor :* atqui nos possumus in nobis hoc *fundamentum* seu *causam* invenire ac expendere nisi *fidentes immediatae conscientiae nostrae*: id quod *nullo modo* fieri potest, siquidem probavimus *dictamen immediatae conscientiae* ante quamvis aliam *persuasionem*, non posse *certum* esse, ac proinde ne persuasionem quidem de hoc *dictamine* tutam esse posse (3). *Consequentia :* ergo ne quidem possumus valido modo sive invenire, sive expendere in *actibus reflexis fundamentum* seu *causam* persuasionis illius quae nobis ante reflexionem data est: ac proinde ea persuasio manet certe *irrevocabilis*. Quod erat demonstrandum.

166. Ita demum sibi gratulatur Hermesius se basin metaphysicae invenisse: primam scilicet realitatem ac primam veritatem nempe: *realitas rei cujus immediatam conscientiam habemus; et veritas dictaminis immediatae conscientiae testantis id quod in nobis est* (4). Habes, optime lector, totam hujus inquisitionis summam: nunc ex pluribus quae animadverti in illam possent, pauca haec accipe.

167. I. Argumentum postremo allatum cui tota innititur machina duplici vitio laborat. 1. Primum heic Hermesius qui psychologica investigatione, non logica demonstratione, ubi Kantius, procedere profitetur, in ipsum principium Kantii palam incidit, dum *demonstratione* syllogistica probare contendit factum ipsum de *irrevocabilitate reflexa persuasionis directae* immediatae conscientiae. 2. Quod magis est; circumagitur aperte in *diallelo*, seu vera *petitione principii* (5). *Major* nititur *veracitati* conscientiae immediatae; *minor* et *con-*

(1) Loc. cit. pag. 192. § 36.

(2) Unde nam *major* haec constat Hermesio, nisi ex testimonio *immediatae conscientiae?* Ergo fidem, *implicite* saltem, ejus veracitati habet.

(3) In hac *minori* iterum *subtrahit* Hermesius fidem omnem jam implicite praestitam *immediatae conscientiae*; et *consequentia ipsa* ex vi tantum hujus *negationis* deducitur.

(4) Intr. Phil. pag. 198.

(5) Ut res luculentius pateat adsciscimus hic testimonium ipsius Baltzeri, qui de hac petitione principii fuse agit in § 64. op. cit. ubi scribit: « Si vir veluti Hermesius, qui utpote empiricus psychologus *circulos vitiosos* in philosophicis principiis systematum Kantii et Fictei detexerat, ac ita suam psychologiae viam primus straverat, si talis vir nihilominus in principio fundamentali sui proprii

sequentia fundantur in eo quod nulla potest *tuta fides* huic ipsi testimonio haberi. Argumentum praeterea eo recidit: nos debere fidere *immediatae conscientiae directe* percipienti, ac persuasionem habenti de *realitate objectiva* ex hac proprie ratione, quia *reflexe* non possumus ullo pacto fidere *immediatae ipsi conscientiae*. Quisquis porro totum Hermesii processum rimetur, videbit eum in perpetuo circulo versari, dum nunc testimonium immediatum conscientiae *problematice* sumit, ut *ambiguum* vel *gratuitum*, nunc *sceptice* ut *fallax*, nunc *dogmatice* ut *irrevocabile* et *infallibile*.

168. II. Quum philosophus aliquis post suas omnes inquisitiones eo deveniat, ut declaret se talem humanae cognitioni, ac realitati objectivae rerum certitudinem tutari, quae firmissimam persuasionem tibi pariat, sed ita ut *res possint* nihilominus *esse in se aliter* omnino, nempe *non existere*, dum tu tamen debeas *persuasus esse illas existere*; ac ipsa eadem haec *persuasio* quae te cogit ad ita et ita tenendum *possit esse merum phaenomenon*, num hoc non est *certitudinis objectivae* causam tibi plane desperatam declarare? Hoc porro agit Hermesius (1).

169. III. In *objectivitate facti* immediatae conscientiae primam *veritatem* ac *realitatem* locat Hermesius. Optime: sed quaenam est *objectivitas* illa nisi animus in ipsa habeat *actualitatem* ac *realitatem* proprii *sui Ego*? Atqui hoc negat mordicus Hermesius, qui nimirum id ad alteram plane distinctam quaestionem rejicit, ubi longam ac implexam

systematis . . . philosophice constabiliendo in *petitionem principii* prolabitur; potest inde colligi quam *proditorius* esset *labyrinthus* ille in quo Germanorum mens debebat *punctum saliens* philosophiae invenire, posteaquam ipsa perdidisset filum ariadnaeum empiricae psychologiae, atque inter ambages *logici arbitrii* se oberrare sivisset ».

Ita vero pressius ad rem p. 252. « Eodem prorsus pacto, inquit, *persuasio illa de persuasione (das Halten des Haltens)* ab Hermesio declarata, non est nisi *phaenomenica*, minime vero *realis*, id quod Hermesius ob furtive in eo illapsam *illusionem* non vidit. — Postquam ergo ita ostendisset Hermesius illam *persuasionem de persuasione* veluti (supposititie) *realem*, procedit ad quaestionem de *irrevocabilitate reflexa*, atque heic *infidelis evadit principio suo psychologico*, *et necessitate impulsus iterum in logicam demonstrandi methodum Kantianam* praecipitat. Erat quippe ipsi impossibile illam *persuasionem de persuasione* in interiori immediata conscientia, veluti irrevocabilem invenire, quando hujus conscientiae *certitudo* (seu *veracitas*) adhuc ipsi *problematica* erat: hinc *volens nolens* debuit quaerere illam irrevocabilitatem ope alicujus *argumenti*, id quod fieri non poterat quin recurreret ad *principium causale*. Attamen *argumentum* ipsum ope illius principii poterat vicissim tantum institui per *immediatam internam conscientiam* quae illud comitatur; ac proinde, cum istius (conscientiae) veracitas nondum stabilita esset, solum uti argumentatio in circulo versans poterat se exhibere: id quod Hermesium effugit. Iste error eo notabilior est, quia in formanda hac argumentatione habetur in *Majori* fiducia implicita interiori *immediatae conscientiae*, et statim postea in *minori* insistitur in illius veracitate *veluti non probata* ad inferendam inde consequentiam syllogismi. Ergo hic unum idemque medium cognitionis adhibetur diversis, sibique plane contradictoriis modis, et sumitur tamquam probans *pro fine positivo et negativo* in una eademque re ». Postea rem uberius adhuc declarat.

(1) Recolantur superius exposita pag. 474. nota (1).

demonstrationem conficit ut probet istud *Ego* esse *reale* et *objectivum* (1). Ergo quidquid hactenus de *objectivitate reali* conscientiae, ac de *principio causae* probavit, in *Ego* mere *phaenomenico* fundatur. Et quomodo *Ego phaenomenicum* potest ad quidquam quod non sit mere *phaenomenon* jure concludere (2) ?

170. IV. Principium *caussale* hermesianum de cujus *realitate* contra Kantium detecta maxime gloriatur Hermesius, sibi ipsi pugnat. Nam 1. est judicium *syntheticum a priori :* siquidem asseritur esse functionem plane *syntheticam* qua ratio producit, ac ex ipsa *natura sua creat fundamentum*, quod ipsa *superaddit* enti *percepto necessario* ab intellectu, idque sine ulla objecti *cognitione ;* ergo superadditur a ratione *coeco modo* quin cognoscat utrum *praedicatum* illud *fundamenti* subjecto conveniat necne. Ergo *synthetice* omnino et a priori *Kantiano modo* 2. Est simul judicium *analyticum a priori :* siquidem asseritur, rationem superaddere fundamentum ex necessitate *comprehendendi*

(1) *Intr. Phil. Secunda Inquisitione*, obi ad conficiendam demonstrationem existentiae Dei, prius fuse demonstrare aggreditur Hermesius *realitatem mundi* tum *interni*, tum *externi (der Innen-und Aussenwelt)*. Ita porro in *articulo primo* quaestionem proponit « *Debet ne ratio reflectens habere pro reali internum mundum nobis apparentem* » *?* quam ut resolvat, nimirum ut *fundet realitatem nostri Ego* fere quadraginta pagellas insumit. Objicit sibi porro in limine ipso, quod posita *necessaria realitate objectorum* qualia *apparent* in conceptu nostro, deberent etiam uti *reales* admitti *modificationes* του *Ego*, ac implicite proinde videretur etiam admitti debere ipsum *Ego* uti *reale*. Subdit tamen « Qui huic *apparentiae credit*, debet etiam judicare, jam illico simul inventam esse *realitatem* του *Ego* ... Neque rarum est ita judicari ex tali *apparentia (Schein)* valde revera *deceptrice*. Cui nota non est illa celebris adeo demonstratio pro *realitate* του *Ego : Ego cogito ergo existo*. Et quid aliud haec est nisi illa *illusoria demonstratio ?* Utique jam ista . . . eo vitio laborat quod assumitur *actualitas cogitationis* ex *testimonio immediatae conscientiae* quin prius *necessaria certitudo istius testimonii per aliquid aliud fuerit ostensa*. Sed hoc etiam vitio seposito, semper admitteretur propter *definitam realitatem cogitationis*, id est propter *realitatem modificationis* του *Ego*, *realitas* ipsius *Ego* . . . . Ad detegendam hanc *fallacem illusionem* etc. » p. 280, 281. Plura inde patent 1. Hermesius exigit demonstrationem pro ipsa *immediata conscientia*. 2. *Illusionem* existimat ex *realitate affectionis* nostri *Ego* statim concludere ad *realem nostram existentiam*. 3. Nullum *sensum* sui ipsius animo essentialem agnoscit. 4. *Duo Ego* admittit, *phaenomenicum* unum, alterum *substantiale*. 5. Ut fiat legitimus ex primo ad alterum transitus longam ac implexam ratiocinationem exposcit deductam ex *successivis permutationibus* nostri Ego, ex principio *substantiae*, ac ex principio *causalitatis*, quae jam admitti debent uti principia *non formalia* sed *realia* ante *realitatem* ipsius *Ego* qui illa percipit. Istane est philosophia quae incipit a *realitate ;* aut non potius *(Philosophie de Verstandes) philosophia illa abstracti intellectus*, quam tamen Hermesius se primum valide oppugnasse prae se fert ?

(2) Videtur hoc Baltzerium non effugisse, si mentem ejus rite assequimur, dum ait « ita Hermesius in cognitionem venire potuisset, quod illud *Ego* a se praesuppositum in *interiori veluti animi fundo* non solum debeat esse *Ego formale*, seu *Ego-subjectum*, sed etiam *Ego reale* seu *Ego-objectum :* quia secus in se non *posset habere potentiam* detegendi *fundamentum* aliquod *reale* et *formale*, id est aliquod *Non-Ego* substantiale, *objectum* simul et *subjectum* » l. c. p. 236.

quomodo res cogitata necessario ut realis ab intellectu, possibilis sit. Ergo ratio cognoscit *impossibilitatem oppositi;* ergo videt quod principium, *nil est sine fundamento,* revocatur ad principium *contradictionis;* est ergo judicium *identicum*, ac proinde *analyticum a priori* (1). Quae major pugna?

171. V. Hermesius nedum *essentialiter* rationem ab intellectu distinguit, sed perpetuam inter illa pugnam inducit. Intellectus, Kantiano modo, non est per eum nisi facultas conceptuum, mera facultas *necessario cogitandi*, ac est *per se* fallax, quae nihil potest *tenere* ut *verum* ac *reale*. Ratio contra est *unica* facultas *realitatis* et *veritatis:* quae debet *necessario dubitare* de *realitate* cujusque rei quae ab intellectu ut *realis* percipitur (2): quae sola potest *tenere* ac *admittere* aliquid ut *reale* ac *verum*. Quid magis anti-psychologicum?

172. VI. Hermesius modo item plane Kantiano *intellectui formas* seu *cathegorias* suas *a priori* vindicat: solum *intuitiones* sensibiles *spatii* et *temporis* quas Kantius *a priori* item admiserat, rejicit Hermesius, easque *a posteriori* esse posse asserit, minime tamen ostendit id quod ad Kantismum refellendum praecipuum caput esse videbatur (1).

173. VII. Magnum psychologicum

(1) Recolantur tum quae in *Praenotandis* de hoc principio *causali* monuimus, num. 35., tum quae de principio causali Hermesiano jam adnotavimus paulo ante p. 471. not. (1). Ex his et ex praecedentibus potest colligi quanti faciendum sit meritum quod tribuitur Hermesio a sectatoribus ejus, quod nempe primus omnium principium *causale* psychologice demonstraverit ut vere *reale* adversus Kantium. Quid? quod Baltzerius ipse qui magnas ob id Hermesio grates habendas profitetur, in § 63. *fasc.* 2. *cit.* expresse ostendendum assumit propter alias rationes, quas non est hujus loci referre: « Hermesium principia sive *existentiae (cum Seyn)* sive *causae (vom Grund)* quae veluti *realia* prius invenerat, postea ob *psychologicum errorem* inter objectum *formale* et *reale*, scientifice perdidisse, et solum uti principia *formalia* in sua metaphysica construenda adhibuisse ». Quod quidem semper recidit in vitium fundamentale Hermesiani systematis, quod in circulo mere *formali* ac *subjectivo* perpetuo versetur.

(2) « Statim ac, ait Hermesius, accedit reflexio, ac *ratio* investigat cogitationem *intellectus* ens uti *reale* exhibentem *(das realisirende Denken)* tantum abest ut *ratio debeat* amplius pro *reali* habere illud quod *intellectus* cogitat ut *reale*, quin potius necessario *dubitare* debet de *realitate* hujus cogitationis *intellectus* . . . Atque ista dubitatio potest utique repelli per actum voluntatis *rationi* ipsi *contradicentem*, ac proinde coram ejus tribunali *repudiabilem*, sed numquam *tolli* ». p. 181. Etiam hoc loco possumus provocare ad testimonium Baltzeri qui eamdem psychologicam *antilogiam* in magistro suo Hermesio inter intellectum et rationem dolet; tametsi ipse ex *aliis principiis* ad hoc deveniat. Vide op. cit. §§ 65. 66. ubi ostendit Hermesium *locupletasse rationem cum praejudicio intellectus;* dum ex altera parte *intellectum modo Kantiano cum dispendio rationis locupletavit;* ac praeterea functiones *intellectus* ac *rationis* non tam *logice distinxisse*, quam *psychologice* contra naturam rerum ab invicem *separasse*, aut potius hostiles effecisse.

(1) Satis est consulere Hermesium *Intr. Phil.* pag. 156. ubi scribit: « Etiam intellectus efformat *a priori* puros conceptus suos *realitatis*, *qualitatis*, *substantiae* ac caeteros (nempe Kantianas cathegorias). Mentem Hermesii explanat Baltzerius, ac queritur de hac Kantianismi reliquia in illo pluribus locis. « *Intellectum* (ait) considerat Hermesius, Kantiano plane modo, uti meram facultatem cogitandi, et quidem a *priori* p. 262. Si quis porro congereret omnia loca in quibus

inventum quo Hermesius se metaphysicae basim detexisse putat, est distinctio illa inter *necessarium cogitare et scire*, et *necessarium tenere*: dum necessario cogitat ac scit *intellectus* objectum *uti reale*, nondum, ait ipse, illud est *verum* ac *reale* pro me: est *logica* cogitatio, cujus *oppositum* possum *tenere*. Ast cum *ratio* necessario tenet pro *vero* ac *reali* objectum, impossibile plane est, me aliter illud *tenere*. (1) Age vero, ad analysin revocetur illud *tenere* Hermesii. Quid est nisi necessaria *persuasio* animi *rem ita et non aliter esse?* Et ea persuasio a quonam gignitur nisi a necessario *assensu* alicui necessariae propositioni seu judicio? Nunc quaerimus: necessarius *assensus* ille perficiturne ex *caeco* impulsu et instinctiva lege an vero a cognitione veritatis? Si primum dicit Hermesius: ergo illud *tenere suum* non est nisi *caecum* ac *subjectivum*, quod nullam certitudinem legitimam tutari potest, planeque caecis Reidii *instinctibus* aequivalet. Si alterum: ergo cognitio *veritatis* est causa generatrix omnis assensus, omnis persuasionis ac certitudinis: ecquid reapse nisi *veritas* mentem potest ad assensum necessario determinare? Admittimus ergo quod certitudo ex tribus elementis *logice* distinctis constet cujusmodi sunt 1. veritas in objecto; 2. persuasio firma in subjecto: 3. motivum, seu *ratio* evidens quae illam persuasionem de veritate gignit (2). Sed cur *psychologice* res scindit Hermesius? Quia nempe, regerit ipse, si *necessario cogitamus* tantum, semper possumus *tenere* oppositum saltem *reflexe*. Atqui negamus plane: etenim, si vere *necessaria* est cognitio ac judicium, talis erit etiam in actu *reflexo*: quia nimirum veritatis intuitus semper aeque invincibiliter determinabit assensum nostrum, nisi nobis ipsis vim maximam inferre, ac ipsi possibilitati cogitandi valedicere velimus (3).

174. Plura adhuc superessent adno-

Baltzer amore veritatis ductus profitetur, Hermesium « laqueis Kantianis irretitum adhuc fuisse, reliquias Kantismi veluti haereditarias conservasse, Kantismum nonnisi dimidiate superasse, subjectivum pro objectivo, formale pro reali assumpsisse, demum nonnisi *semirealismum* assecutum esse », is certe plures paginas ex iis conficeret. Ita auctor iste qui omnes hujus systematis rimas perlustrarat.

(1) Hinc Hermesius, referente Baltzer, affirmare solitus erat, philosophiam Kantii, esse philosophiam *cognoscendi*, suam vero esse philosophiam *tenendi*. Hinc idem Hermesius collaudat Fichteum eo quod solus hoc philosophicum dictamen protulerit: « A scientia, seu scire *(Wissen)* ad objectum scientiae transire, impossibile plane esse: idcirco aut nos debere statim a realitate incipere posse, aut numquam nos posse ad realitatem pervenire ». Sed num Hermesius huic principio fidelis existit, dum demonstrationem exigit pro realitate testimonii immediatae conscientiae, multoque magis pro actualitate objectiva nostri *Ego?* Cf. quae modo adnotavimus.

(2) Hic vero adnotandum quod cum veritas in propositione, seu intuitione aliqua immediate fulget, tunc ipsa veritas objecti, et motivum quod in nobis persuasionem firmissimam gignit de illa, identificantur: quia tunc veritas ipsa est ultima ratio logica in cujus immediato intuitu non possumus non plene conquiescere eidemque non firmiter adhaerere.

(3) Sane quid sibi vult psychologica sua distinctione Hermesius? An quod dum quis necessario cogitat ac cognoscit tantum, impossibile idem simul esse et non esse, aut effectum non posse sine causa existere, oppositum *tenere* possit? An quod dum ex testimonio immediato intimi sensus, cognoscit necessario se cogitare, sentire, velle ac proinde existere, possit tamen sibi contrarium persuadere; aut dum se *passive* affectum sentit;

tanda de empirismo hujus systematis (1), aliisque non paucis; sed haec satis pro re nostra dicta sint: aliqua tantum de altero certitudinis hermesianae fonte, de *admittere pro vero* brevissime attingamus.

175. *Tenere pro vero* de quo hactenus, est persuasio illa quae oritur ex *ratione theoretica; Admittere* autem *pro vero* est quae enascitur ex *ratione* mores praescribente, seu *practica* (2). Dictamen legis moralis exurgit juxta Hermesium ex ea facultate, qua quisque approbat illud omne quod *vis* est (3), seu quod ratio necessario agnoscit uti *reale*, ac maxime illas *vires* quae dignitatem hominis supra cetera entia terrestria ostendunt, uti *intelligentiam*, *libertatem*, *beneficentiam* in ceteros etc. et reprobat contraria. Hinc ratio practica suum supremum *imperativum cathegoricum* ita profert: « Exhibe pure et serva in te et in aliis *dignitatem humanam* » (4). Hinc imponit fines pra-

se non ab aliquo objecto, quodcumque tandem sit, a se distincto affectum *tenere?* Quis hoc affirmabit? « Nullus, ajebat hoc sensu s. Thomas, potest cogitare veritatem non esse ». *De Verit.* q. x. art. 12. « Ea quae naturaliter rationi sunt insita verissima esse constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit *possibile* cogitare ». *Contr. Gent.* I, VII. « Scire est causam rei cognoscere et quoniam impossibile est aliter se habere ». *Ibid. de Ver.* q. cit. art. 10. Fatemur in certitudine morali, ut jam monuimus in *Praenotandis* n. 27.; sed posse voluntatem majorem habere influxum, ita tamen ut quandoque aeque rationabilis ac ineluctabilis inde persuasio exurgat. Sed quid praeterea significat illud Hermesii? « Cum ego *teneo* aliquid pro vero ac reali, jam impossibile est quod ego oppositum teneam ». Certe, scholasticus regereret, in *sensu composito* verissimum est, quia dum assentior non possum non assentiri. Sed quaestio est utrum quis debeat necessario in eo assensu, in eo *tenere* perseverare. Atqui si admittitur, illum qui necessario tantum aliquid cognoscit, posse semper contrarium hujus *tenere*, jam poterit etiam revocare necessarium assensum sive quodcumque *tenere*. Quid porro aliud sceptici efficere saltem conantur? Sed nos hisce reponemus cum Jo. Duns Scoto: « Si quis proterve neget illos actus inesse homini, non est cum eo ulterius disputandum; sicut nec cum dicente non video colorem: sed illi dicendum tu indiges sensu quia caecus es. Ita quia quodam sensu interiori experimur istos actus in nobis, si istos neget, dicendum est eum non esse hominem quia non habet illam visionem interiorem quam alii experiuntur se habere ». *In lib.* IV, *Sent. dist.* XLIII. q. 2.

(1) Remittimus nos ob id ad articulum nostrum secundum jam cit.

(2) Distinctio rationis in *theoreticam* et *practicam* antiquissima est, et cum ab ipso Aristotele tum saepe a s. Thoma ac scholasticis caeteris usurpata: sed illud etiam verissimum, *unam* tantum rationem ab iis agnitam fuisse, quae nempe si in mera contemplatione speculativa veri sistit, *theoretica*, si autem cognitionem veri ordinat ad opus, ac mores proinde moderatur, *practica* dicta est. Hinc quidquid a ratione practica decernitur, semper in ipsa ratione theoretica suum debet fundamentum habere. Instaurationi, vel eversioni Kantianae debetur ea essentialis distinctio qua ratio humana in duas veluti partes est scissa, quae simul confligant oportet, dum ratio *practica* illud debet admittere ex officio morali ut postulatum, aut practice verum, quod *theoretica* ratio aut respuit, aut de cujus veritate aequo jure dubitare potest. Hermesium porro non reprehendimus quod eam scholasticam distinctionem sectatus fuerit, sed quod Kantianis principiis indulgens, saltem ex parte in vitia illa, uti nunc ostendemus, delapsus sit.

(3) Germanice est *Kraft* l. c. p. 204.

(4) Adnotat Hermesius, quod si agatur de *perficienda* hac humana dignitate, tunc ratio practica non imperat, sed hortatur et consulit.

cticos seu morales *necessarios ;* hinc *necessitatem* moralem, strictam scilicet obligationem parit: quippe ratio est *legislatrix* legemque suam sanctione communit, nempe *reprobatione* vel *repudiatione sui ipsius* in eos qui illam violant (1).

176. Nunc igitur quaerit Hermesius num detur « *tutum admittere pro vero* ex motivis finium moralium *necessariorum* », seu clarius: « num ex *practica ratione obligante* possit unquam dari necessitas *admittendi* aliquid (aliquam *cognitionem*) *pro vero* quod *theoretice* sit *dubitabile* »; en hujus secundae sectionis objectum. *Affirmative* quaestionem resolvit Hermesius ex istis principiis: Omne *imperativum* seu officium *absolutum* rationis *practicae* exigit observantiam, ac proinde omne id sine quo observari *non posset :* atqui sunt plura principia seu officia moralia universalia *absoluta* quae, nisi *admittas pro veris* illas circumstantias *licet theoretice dubitabiles* in quibus unice illa obligant, seu officia *absoluta* sunt, jam non possent impleri: ergo ratio *practica* imponit in iis casibus necessitatem *admittendi pro veris circumstantias* illas (seu illam cognitionem), licet *theoretice dubitabiles* (2).

177. Nimis praestat expendere exempla quibus rem illustrat Hermesius. Ex posito supremo moralitatis principio (quod continet etiam *obligationem* adhibendi media necessaria ad illum finem) suapte consequitur 1. *officium absolutum* quo tenemur ad vitam proximi praesertim periclitantem omni ope servandam, puta, si quem videamus in aquis jamjam se submergentem; atqui nisi tunc *admitteretur pro vero testimonium sensuum externorum*, quinam illi umquam posset officio satisfieri? Ergo licet *theoretice dubitari semper de ejusmodi testimonio queat*, ratio *practica* imponit tunc officium *admittendi pro vero* illud testimonium (3). 2. *Officium absolutum* vitam

(1) « Practica ratio, ait, est legislatrix (*Gesetzgeberin*); sensualitas autem nequaquam ». p. 210. « Ipsa imperat: *tu debes* . . . Per accedentem poenam repudiationis sui ipsius (homo quippe *reprobat se ipsum*) accipiunt imperia rationis practicae sanctionem legum, aut . . . quod idem est, imponunt nobis moralem necessitatem, ea implendi ». p. 209. Plura hic occurrerent notanda de hoc morali systemate hermesiano, ubi ratio est *autonoma*, educit e fundo suo legem strictamque obligationem, imperat sibi ipsi et obedire debet. Quid moralem Kantii doctrinam exhibet fidelius? Sed innuisse sat esto.

(2) Longam disputationem Hermesii ad hunc syllogismum revocari facile posse nobis visum est. Hic porro primum adnotes velim rationem *moralem* seu *practicam* numquam esse criterium posse certitudinis ac veritatis, sed hoc jam praesupponere. Omnis quippe *certitudo*, cum a persuasione firma ac rationabili, sine formidine oppositi, producatur, debet a ratione *theoretica* manare: et quidquid demum ratio *practica* directe vel indirecte praescribit, eatenus *validum* esse potest, quatenus *theoretica* ratio illud uti verum ac reale habet: secus homo numquam se moraliter obstrictum sentiret. Ergo ratio *practica* nil per se addere potest circa veritatem objectivam rerum, quae nempe aut *certa*, aut *dubia*, aut *probabilis* manet, prout ratio *theoretice* judicat. Ac ipsum judicium *reflexum* quo *theoreticum* seu speculativum dubium directum saepe tollimus et practica securitate operamur, num non *theoreticum* est, et in ipsa *theoretica* ratione vim exerit persuadendi.

(3) Loc. cit. p. 227. « Vere, ait Hermesius, ratio *theoretica* in hoc casu ob suam necessitatem comprehendendi est jam necessitata ad *tenendum* pro reali illud quod nos per externum sensum intuemur »: sed, addit, hoc non excludere necessitatem *admittendi* illud pro vero ex morali officio, quia in iis

nostram *mediis omnibus* conservandi; atqui nisi quis, dum infirmatur, *admitteret pro vero medicum habere scientiam necessariam*, ac *nullam voluntatem necandi*, numquam posset satisfacere officio quo alienam opem eo in casu tenetur adhibere. Ergo tametsi semper *theoretice* dubitare queat de scientia ac honestate medici, debet ex *practicae* rationis imperio utrumque *admittere pro vero* (1). 3. *Officium absolutum* quod nos confugere obstringit, ut finem moralem assequamur, ad *experientiam* aliorum in subsidium nostrum adsciscendam. Sed quoniam exigentia mediorum non potest mensuram excedere necessitatis, exigentia alienae *experientiae* dimetienda ex necessitate est. Hinc si satis alicui sit *experientia coaevorum*, *ratio practica* hanc tantum praescribit: si vero quis etiam *experientia* aetatum *anteactarum* indigeat, ratio *practica* imperat illi ut ad hanc etiam assurgat. Sed quomodo posset hoc medium necessarium adhiberi, nisi *admitteretur pro vera* cognitio temporis anteacti? Et quid est ejusmodi *cognitio* nisi *historia*, quae scilicet temporum omnium monumenta servat? Ergo ex imperio rationis *practicae* iis in casibus tenemur *admittere pro vero* testimonium *historiae* licet *theoretica ratio motiva dubitandi de illo* numquam non habeat (2). 4. Ratio *practica* imperat absolute ad aëris incolumitatem morumque custodiam tuendam, ut sepeliantur aut comburantur corpora defunctorum. At istud praeceptum impleri numquam posset nisi *indubitate admitteremus pro vero* aliquem *revera esse mortuum*: aliunde vero *theoretica ratio* numquam adigitur necessario ad *tenendum pro vero*, quod corpus *mortuum apparens, iterum victurum non sit*. Ergo ex vi *moralis imperativi tenemur admittere pro vero*, illum qui *mortuus videtur*, *mortuum revera esse* (3).

circumstantiis semper potest *rationabiliter (mit Grund)* dubitari *theoretice* de veracitate illius sensationis, ac utrum ea sensibilis cognitio non sit nisi mera *illusio* »: p. 228.

(1) Hoc aliaque hujus generis exempla quae affert Hermesius (ex. gr. nos debere saltem *aliquos* pro vere *pauperibus admittere*; secus numquam satisfacere possemus *praecepto morali* eleemosynae etc.) ostendunt eum *probabilitatem* cum *vera certitudine* confundere. Probabilitas quidem, praesertim si maxima sit, in plerisque vitae negotiis satis est ad prudenter agendum. Si enim ex. gr. antequam vescaris exigeres certitudinem *metaphysicam*, aut etiam stricte *moralem*, quod cibi veneno infecti non sint, eam aut numquam, aut nonnisi longo tempore assequereris et fame interea perires. Tunc igitur ratio ipsa ex *theoretico* illo judicio dictat *practice* prudens esse ex probabilitate illa, praesertim si maxima, agere: quippe aliter fieri non potest. At quid hoc commune habet cum vera certitudine seu physica, seu morali, qua *theoretice* et omni dubio remoto, certus quis est, rem sensibus suis rite dispositis percipere, aut a fide dignissimis testibus accipere, quaque in ea evidentia sive physica sive morali tutissime conquiescit?

(2) En hermesianum criterium pro auctoritate historica, pro illa scilicet auctoritate cui tota posthac inniti debet demonstratio religionis christianae. *Theoretice* ait Hermesius de omnis historiae veracitate dubitandum est: *practice* tamen admittenda, si officium morale obstringit ad experientiam antiquitatis consulendam. Ergo, qui nullo ejusmodi tenetur officio, nullum validum motivum haberet unde ex. gr. persuasus esset, Caesarem olim extitisse; ergo nullam *theoreticae* rationi ipsi vim inferret si hoc denegaret? Cetera inferius.

(3) En hermesianum criterium pro miraculo quovis ac speciatim resurrectionis a mortuis dijudicando. Cf. *Introd. Phil.* p. 587 seqq.: ita probari debet Lazarum fuisse re-

178. Ita Hermesius conficit rationem suam *practicam* saepe efficere ut ex morali officio debeamus *admittere pro vera ac reali* aliquam *cognitionem*, quam ratio *theoretica* non potest *tenere* uti *veram* atque *realem*, sed *semper de illa dubitare potest* (1). Verum ut totam hanc theoriam plene teneas, magni momenti sunt canones hermesiani insequentes, queis in subjectis notis brevitatis gratia animadversiones nostras interserimus.

179. I. Homo de nulla re *moraliter certus est*, nisi de eo quod ratio *moralis obligans* imperat *admitti pro vero*; ut nempe detur locus *possibilitati implendi aliquod ipsi indeclinabile officium morale*. Ista *practica* persuasio *imperata* reddit hominem *moraliter certum*. Nihil praeterea (2).

180. II. *Admittere* aliquid *pro vero* plane distinctum est a *tenere pro vero*. Est nempe purum *admittere* ad hoc ut possimus agere in reflexione perinde ac si *teneremus* rem *pro vera*. Hinc potest semper *dubitari* de illa *theoretice*, licet numquam haberi illa possit *pro falsa* (3).

181. III. In ea *practica* persuasione nulla urget nos necessitas physica (ut contingit in *persuasione theoretica*) sed necessitas est mere *moralis*, id est *obligamur* (4).

182. IV. Neque *immediate* obligamur, sed *mediate*, scilicet ut aliquid velimus vel agamus. Hinc, si *praescindere omnino* possimus a veritate *cogni-*

vera mortuum, ac postea revocatum ad vitam. Non igitur *theoretica* ratio est quae certa sit, ex indubiis naturae legibus, cadaver quatriduanum extinctum omnino esse: sed ratio *practica* imperat id admittere propter publicam incolumitatem. Sed num ratio practica imperaret cadaverum sepulturam, si ratio theoretica non haberet ea vere pro mortuis?

(1) Animadvertimus tamen Hermesium, non de quacumque cognitione *theoretice dubitabili* hoc affirmare: sed tantum de iis casibus in quibus *ratio dubitandi theoretice* exurgit ex motivis *universalibus*, ad ipsam rei naturam generatim pertinentibus, non vero si exoriatur ex aliquo *peculiari* motivo superaccedente. Ex. gr. si haberes *peculiarem* rationem dubitandi, quod iste vel ille medicus omni scientia careat, aut malo animo sit contra te comparatus: tunc enim Hermesius negat moraliter posse a ratione practica imperari admissionem scientiae et honestatis in eo medico, contra illud dubium *theoreticum*. Hoc porro vocat *criterium generale admittendi pro vero* pag. 237. seqq.

(2) Novum *moralis* certitudinis genus invehit Hermesius ad quam nempe debet ipsa *physica* certitudo revocari, quaeque non adest nisi *urgeat morale praeceptum*, quae hanc persuasionem imperet. Ergo quoties praeceptum tale non datur, dubitabit quisquam ex. gr. an existat Roma, quam numquam vidit, aut etiam si vidit, quia sive de testimonio quocumque aliorum, sive de testimonio sensuum externorum semper *rationabiliter (mit Grund) theoretice* est dubitandum.

(3) Ita Hermesius, qui jam *rationem* et *intellectum* ab invicem sciderat, nunc iterum *rationem* ipsam in se scindit, Kantiano semper modo. *Theoreticum dubium* de reali veritate in una rationis parte; *practica acquiescientia*, perinde ac si veritas certa esset, in altera parte rationis. Dico *partes* quia si nonnisi diversae functiones ejusdem identicae facultatis essent, quînam haec posset simul de eadem re dubitare et conquiescere?

(4) Sed num non quandoque talis est evidentia sive alieni testimonii, sive historicae auctoritatis ut moralis certitudo inde enascens *metaphysicae* plane aequiparari possit? Num non eamdem quandoque vim, si eam oppugnare velimus, rationalitati nostrae inferre debemus, sive certitudinis motivum *intrinsecum* sit sive *extrinsecum*?

tionis ac interim in *theoretico dubio* manere, licitum id nobis est: sed tamen *practice* ita debemus *velle* et *agere* sicut in casibus in quibus habemus *theoreticam* indubitatam persuasionem (1).

183. V. Nos possumus utique eam *practicam* persuasionem *imperatam* a ratione *practica*, sicut quodvis aliud morale officium, repudiare, eo ipso quod opus libertatis est, sed repudiatio ejusmodi est violatio *officii*, ac proinde inseparabilis ab illo est sanctio *reprobationis sui ipsius* (2).

184. VI. Demum, concludit Hermesius, ista persuasio *practica* validissimum criterium *certitudinis* est. Quippe talis est 1. si tantum spectetur veluti *securitas practica:* nam quomodo magis absolute *tuto* agere possumus, quam id agendo ad quod *moraliter* tenemur (3)? 2. Si referatur etiam ad *objectivam* veritatem rerum: nam si in reflexione velim cogitare quod ratio *practica* me decipiat, et quod e contra *dubium* illud *theoreticum* quod ex ejus imperio *practice* contemnere debeo, rerum veritati respondeat, jam deberem admittere simul istam sublimissimam facultatem finium moralium, etiam dum *morali* necessitate dirigit, me contra *objectivam* rerum *veritatem* ducere (4). *Hoc certe possibile est* (5), sed ego nequeo illud

(1) Tunc igitur *practice* operaremur manente dubio *theoretico* speculativo: at quid si hoc dubium respiceret honestatem moralem actionis? Quid si spectaret veritatem *Fidei?* Ergone sufficeret *practice* velle et agere ac si christiana fides haberetur *pro vera*, et tamen dubium *theoreticum* in mente habere an ea vera sit? Et potest ne unquam praesciudi a *veritate* cognitionis, si *theoreticum* dubium de illa perseveret? Meminerint qui talia defendunt numquam licitum esse operari *moraliter* cum dubio speculativo de liceitate actionis: ac assensum fidei stare non posse cum mera *probabilitate* speculativa quod Deus sit locutus.

(2) Ex hoc sequeretur quod quicumque certitudini morali refragaretur, *quaecumque* tandem sit *res* de qua agatur, et in *quocumque* casu graviter *peccaret*. Verum tamen est quod juxta Hermesium hoc non esset *peccatum* nisi *philosophicum*, nempe contra *rationem autonomam*, ac infligentem poenam *reprobationis* sui ipsius *(der Selbstverwerfung)!*

(3) Aliud est securitas *practica moraliter bene* agendi, aliud *certitudo* de veritate et realitate objecti. Illa exigit tantum persuasionem quod actio hic et nunc *licita* sit; ista persuasionem firmam ac rationabilem quod res *ita et non aliter* sit. Illa quandoque cum probabilitate, praesertim maxima, de veritate rei, stare potest, quin imo saepenumero agendum est, quin *certitudo* possit haberi; haec vero plane distincta a *probabilitate* est, et veluti in *indivisibili posita*. Cf. *Praenotand.* n. 21. et 26. Ex quo consequitur quod ubi *certitudo* et non mera *probabilitas* exigitur ad *moraliter* agendum (uti ubi agitur *de veritate Fidei*), *securitas* illa *practica* non esset nisi falsa securitas.

(4) Sed si revera ratio *practica* quidquam praescribit directe vel indirecte refragante ratione *theoretica*, quid prohibet quod illa uti deceptrix habeatur? Atqui juxta Hermesium, qui conflictum inducit inter utramque, res ita plane se haberet. Si igitur supponi nequit quod ratio *practica*, dum aliquid imperat necessitate *morali* praestandum, nos ducat contra veritatem objectivam rerum, idcirco est, quia nil ipsa edicit, nisi ratione *theoretica* suffragante, seu ut clarius loquamur quia ratio *una metaphysice* est, nec sibi ipsi pugnare potest, quod Hermesium effugit.

(5) En igitur quo semper recidit tota certitudo Hermesiana ex duplici fonte rationis sive *theoreticae*, sive *practicae* hausta. Ratio *theoretica* cogit *physice* ad tenendum aliquid pro *vero* ac *reali*, sed tamen semper *possibile est* ut objectum in se *verum ac reale* non sit. Ratio *practica* cogit *mora-*

admittere; quemadmodum quoad persuasionem *rationis theoreticae, possibile est contrarium;* sed ego illud *tenere* nequeo. Hactenus Hermesius cujus theoriam paucis sed fideliter retulimus (1).

185. Jam vero si quis hanc doctrinam de *morali certitudine* sedulo scrutetur, si animadversiones illas quas in notis adjecimus ob oculos habeat, si consideret hoc *admittere pro vero*, seu *practicam* hanc persuasionem licet cum *theoretico dubio* de opposito conjunctam, esse demum fundamentum cui innititur certitudo *miraculorum* ac *prophetiarum*, certitudo *historica* existentiae realis Christi et Apostolorum, certitudo de ipsorum *veracitate*, certitudo *historica* sacrorum librorum, uno verbo certitudo omnium *motivorum credibilitatis* christianae revelationis, ac proinde tota *demonstratio* de hujus revelationis veritate ab Hermesio confecta, is demum agnoscat oportet quam labili fundamento tota haec sit machina superstructa (2). Id certe luculentius pateret, si omnem hujus demonstrationis veluti texturam singillatim heic persequi atque enucleare possemus; sed hoc eos limites quos nobis in hoc volumine praefigere debuimus, longe nimis praetergrederetur.

186. Satis igitur sit principiorum philosophicorum exposuisse naturam; quod idcirco a nobis paulo forte fusius quam theologicae praelectiones expostulare viderentur, praestitum est. Verum cum haec principia ab auctore ordinata sint ad christianam fidem demonstrandam debuimus ita referre, ut ex iis posset quisquam arguere cujusmodi haec esse debeat demonstratio. Ut tamen aliquid de *applicationibus* hujus systematis phylosophici delibemus, pauca de *Theoso-*

liter ad *admittendum* aliquid pro *vero et reali;* sed tamen *possibile semper est* quod objectum in se *verum ac reale* non sit: nempe quod utraque ratio nos perpetuo illudat atque decipiat.

(1) Totam inquisitionem suam de ratione *theoretica* et *practica* concludit Hermesius eas ad unitatem principii revocando, nimirum ad *Fidem. Intr. Phil.* § 44. Si quidem juxta ipsum *Fides* amplectitur tum *tenere pro vero* (persuasionem *theoreticam*) tum *admittere pro vero* (persuasionem *practicam*): ex primo exurgit *Fides necessaria*, ex altero *Fides libera:* ita ut in omni objecto sive scientiae sive auctoritatis *Fides* sit *verum motivum* certitudinis, est illa quae nobis tutatur veritatem et realitatem objectivam; est, ipse dicit, ultima meta quo philosophus possit pertingere. De hoc fusius postea; interea tamen Cf. *Praenotanda* n. 28.

(2) Jam *Intr. Phil.* pag. 121. profitetur aperte Hermesius, se *aliam* plane veritatem doctrinarum christianarum quaerere ac illam cui hactenus christiani unice vim tribuerunt. Hanc porro invenit in imperativo *rationis practicae* quae supplet totum id in quo Christiana revelatio deficit *theoretice* a certitudine. Verbo, tota certitudo hujus revelationis *theoretica* non est nisi *probabilitas*, maxima etiam si vis, sed nihil praeterea. Veritas historica aut physica miraculorum *summe probabilis* est; veracitas Christi et Apostolorum *summe probabilis* est, et ita porro: sed hoc non impedit ut *theoretice* semper dubitare queamus num revera illa facta *extiterint*, num fuerint *supernaturalia;* num Apostoli, num Christus ipse *decepti* aut *deceptores fuerint*. Hoc *dubium theoreticum*, juxta Hermesium, ratio *theoretica* a se depellere non potest. Ideo confugiendum omnino est ad rationem *practicam*, quae ex *morali* imperio nos cogat ad ea omnia uti *vera ac realia* admittenda, frustra ratione *theoretica* obsistente et reluctante. Ratio igitur *practica* tantum potest demonstrationem de veritate objectiva religionis christianae conficere. En clavis totius Hermesianae philosophiae ac theologiae.

phia, seu naturali Theologia hermesiana juverit postremo exhibere.

187. 5. *Applicationes*. Ex *theoretica* demonstrata realitate mundi, quem vocat, *interni* ac *externi* progreditur Hermesius ad quaestionem: utrum ratio reflectens debeat *tenere*, quod Deus existat, quaeque illi attributa adscribere (1). Et quoniam ratio *theoretica* ac *practica* est, de utraque inquirit. Expeditissima porro res est quoad *practicam* rationem, quippe quae cum ex positis principiis *legislatrix* per se sit, omnia moralia officia ex fine necessario *humanae dignitatis* exigat, *stricte* ac *perfecte* obliget, suasque leges *sanctione* communiat quid ipsa, inquit Hermesius, Dei existentiam postulare posset (2)? In ratione vero *theoretica* invenit *necessitatem causae primae* ob contingentiam rerum: atque hinc demonstrationem suam petit ac fuse evolvit. Hoc unum porro argumentum firmum ac legitimum declarat: cetera rejicit, quin imo eos carpit qui plura congerunt ad Dei existentiam probandam argumenta, quippe quae nil aliud efficiunt nisi illud etiam quod firmum est, *suspectum reddere, atque ita irreparabile detrimentum* afferunt (3). Ad argumentum physico-theologicum quod attinet, opus esset, adnotat Hermesius, ut ratio adigeretur admittere, quod iste ordo, ac finium convenientia in universo, nonnisi opus *intelligentiae* esse possit. Atqui hoc numquam ratio sola satis evincere valebit (4). Ex Hermesii igitur mente *theoreticae* rationi minime repugnat, quod admirabilis hic rerum ordo complete spectatus, causarumque finalium constans subordinatio mero casui fortuito adscribatur.

188. Circa divinam *essentiam* exigit ratio quod Deus sit ens per se existens veluti *substantia; vis creatrix una, unica, aeterna, absoluta, personalis;* ac demum quod mundus *mutabilis* nequeat esse *subjectum* vis hujus, neque *substantia* Deus (5). Si quis vero quaereret, subdit Hermesius, utrum divinitatis aliquod *subjectum* detur, et an istud sit *mundus ipse nobis immutabilis apparens, tellus haec nostra, et corpora*

(1) *Introd. philos. Inquis.* II. sect. 2. ar. 1.

(2) § 65. p. 415.

(3) Sunt verba Hermesii p. 413. ubi praemiserat: « hactenus a me persecuta hac de re tractatio saltem aperte ostendet, haud certe non esse rem adeo expeditam istud fundamentum omnis theologiae valide demonstrare, atque hinc dum aliquis tot probationes putat se habere in promptu, poterit jam suspicionem habere de omnibus quae tales existimantur etc. »

(4) Ita porro argumentatur Hermesius: « Quum urgetur, productionem operum humanarum, veluti e. g. *domus*, numquam a caecis viribus operantibus repeti posse, parum inde probatur. In effectione operum humanarum debet *natura* non *suos ipsius* sed *nostros* fines ad exitum perducere: id ergo quod ipsa non efficit, ubi nos ipsi finem praefigimus, potuit utique eadem efficere, ubi *suos proprios* fines, si ita loqui fas est, persequebatur: quando quippe non ista vel illa vis, sed tot vires (quantas quis scit?) suam activitatem exercebant. Quis porro nos cogit admittere quod natura statim, primo veluti jactu, opus suum absolverit? Num ipsa non potuit multas sine numero edere productiones, quae omnes in ordine ac finium convenientia deficerent, ac proinde nullam firmitatem haberent, quousque tandem una ex illis (et quis dicere posset post quot transformationes?) bene cesserit, quae nempe hoc ita bene ordinatum, aptisque finibus constans universum constituerit, atque hinc in se fundamentum stabilis durationis habuerit »? p. 411.

(5) P. 395 seq.

caelestia ab omni quod mutabile sit segregata (1), reponi deberet, id *numquam demonstrari posse* (2). Attamen illud etiam verum est, quod ratio talem hypothesim, si quidem gratuito in medium proferretur, ne quidem omnino posset ob aliquod peculiare fundamentum uti *erroneam* repudiare! *Revelatio* nobis ostendet quod *quidquid extra Deum est, est creatura Dei* (3), atque ita quamcumque indeterminationem, quae superest hac in re, tollit e medio (4). Sed estne Deus in *tempore* ac in *spatio*? negat Hermesius omnino quoad *tempus*; utrum vero non *compleat spatium*, ratio nil habet unde hoc negare cogatur. *Revelatio* tamen ostendet Deum esse *spiritum* in oppositione ad *corpora*, et ad omnem extensionem, id est eum esse *puram vim*, atque ita demum spatium ab existentia ejus eliminatur (5). Ex istis Hermesii locis sequitur rationem *theoreticam impossibile* omnino non invenire, quod Deus non sit *purus spiritus*, non *omni extensione* careat, non *occupet spatium* etc.

189. De attributis vero Dei quid statuit Hermesius? Considerat ratio *theoretica* Deum 1. relate ad creationem mundi; 2. ad ordinem et causas finales in operibus suis; 3. ad felicitatem creaturarum, praesertim hominis (6). Hinc necessario agnoscit in Deo 1. *potentiam incomprehensibilem*; 2. *scientiam incomprehensibilem*; 3. *incomprehensibilem bonitatem*: sed an haec attributa in Deo *infinita* sint, ratio juxta Hermesium non docet. Nescit ergo utrum Deus *omnipotens* sit: sed hoc unice scit *Dei potentiam* longe humanam omnem potentiam superare (7). Itidem nescit *theoretica* ratio utrum *omnisciens* sit, sed solum scit scientiam ejus humanam longe transcendere (8). Quoniam vero Deus voluntate sua mundum creavit, hinc ejus, seu creaturarum naturam intelligere debuit, ac proinde etiam *ordo* et *finium convenientia* in ipsis velut opus intentum a Deo haberi debet (9). Sed tamen *ratio theoretica* non cogitur hoc *tenere*, nisi relate ad *ordinem* et *convenientiam* finis inter diversas partes cujusque *singularis*

(1) Num id quod *contingens* natura est a toto eo quod *mutabile* est segregari posse putat Hermesius?

(2) Verba sunt omnia Hermesii p. 399.

(3) Ibid. p. 400.

(4) Ergo ne revelatio tantum? Ratio ergo per se *possibile* agnoscit quod aliquid *extra Deum* non sit creatura Dei?

(5) Ibid.

(6) Pag. 451 seqq.

(7) En locum opportunissimum Hermesii: « Si quisquam quaerat a me an Dei potentia sit *infinita*, aut *omnipotentia*, fateri cogor, me sine revelatione supernaturali id probare non posse: quia mundus creatus finitus, *unica cognitionis fons* quam heic habeo, nullum necessitans motivum huic affirmationi praebet... Vere *vis creatrix* debet mihi *infinita* apparere; quippe omnes meos conceptus transcendit sed num idcirco ista *realiter infinita* est? . . . Ego igitur ita me cohibeo ut nil hac de re sciam nisi quod . . . . . . potentia Dei ratione extensionis quidem suae maximam admirationem excitet, et quod ob intimam naturam suam, siquidem *potentia creatrix* est, est illa maxime sublimis, cujus hominis ratio habeat ideam, sed respectu cujus intellectus hominis nullum amplius habet conceptum ». p. 456.

(8) « Si etiam hic quaeratur, inquit, an facultas cognoscitiva Dei *infinita* sit, ac utrum ejus cognitio sit *omniscientia*, debeo iterum, sicut feci de *potentia* Dei, respondere, me id sine supernaturali revelatione probare non posse, idque ob eamdem rationem ut supra ». p. 462.

(9) Ibid. p. 457. Ex eo quod heic affirmat Hermesius de necessitate spectandi mundum velut opus profectum ex intelligentia Dei, minime revocat quod supra asseruit de infir-

entis, non vero relate ad *connexionem finiumque subordinationem* unius entis ad alterum. Etenim fieri absolute potuit, ut Deus intenderit *res ipsas* et *intrinsecas* earum relationes, *extrinsecae* vero rerum inter se sint opus plane *fortuitum*, nullimode intentum a Deo (1). Nihilominus ratio *practica* nobis imperat, ut eas etiam *extrinsecas* relationes admittamus pro effectu intelligentiae divinae (2). Demum ratio *theoretica* non potest affirmare quod Deus *futurum omne* sciat, sed tantum illud *quod spectat creaturas suas* (3).

190. Atque haec in Deo attributa exigit *theoretica* ratio: *practica* vero quid? 1. *Sanctitatem*, quae quidem natura *absolute* perfecta in Deo esse debet, sed *extensive* tamen *limitibus circumscripta* esse potest (4). 2. *Amorem* liberum et *bonitatem* erga alios, quae item absolute in se *perfecta* sunt, sed *extensive limitata* esse queunt (5). Ex hisce attributis practica *ratio* determinat in Deo, seu potius moraliter praescribit Deo finem quem ipse sibi praestituere debuit in creatione ac destinatione hominis. Nimirum Deus creare debuit *hominem propter hominem*, et quidem propter istius felicitatem (6), eandemque maximam possibilem (7): si vero Deus ullo pacto gloriam suam in creatione mundi intendisset, hoc *philautiam* in Deo argueret, ac propterea ratio *practica* id nequit admittere (8).

191. Haec theosophiae veluti lineamenta ex sola introductione philosophica Hermesii desumpsimus. Quid si in illud dogmaticae christiano-catholicae pelagus ingredi voluerimus, in quo multo fusius de Deo ejusque proprietatibus pertractatur (9)? Interim tamen quae de me-

mitate argumenti physico-theologici. Ibi enim agebatur de probatione existentiae ipsius Dei deducenda ex *ordine cosmico:* heic vero, posita jam existentia Dei, deducitur tantum quod debuit creare mundum voluntate et intelligentia.

(1) Ibid. p. 458.

(2) Gravissimam rationem affert Hermesius. « Si namque, ait ipse, nos non modo in aliquo speciali casu, sed in amplis naturae regnis universe ac sine exceptione . . . . admitteremus tales *fortuitos* effectus, contradictorium esset exigere usum intellectus et rationis in arcto circulo practicae nostrae vitae ad similes effectus longe tenuiores obtinendos, illumque praescribere veluti indispensabilem ad instituendam, et ordinandam moralem conformationem animi nostri ». p. 458.

(3) Pag. 463. En rationem Hermesii: « Quia hoc *(futurum)* si reale fiat, sciunt etiam homines: quanto magis ergo debet illud cognosci a Deo, cujus cognoscitiva facultas adeo longe humanam exsuperat, quique creator est »!

(4) Ita Hermesius p. 475. « *Sanctitas Dei* est, ut vidimus, juxta naturam suam intrinsecam *absolute perfecta;* sed *extensive* potest utique esse *limitata (beschränket)*. Siquidem demonstratum est Deum velle *omne morale bonum*, quod ipse *cognoscit:* sed *illimitationem* cognitionis suae nos probare non possumus. Hinc possibile semper est, quod haec sit *limitata*, et consequenter quod aliquid *moraliter bonum foret pro ipso* (Deo), si illa esset *illimitata*, quod *nunc non datur pro Ipso* ».

(5) « Quoad extensionem pergit ipse, possunt illa (amor et bonitas) semper *limitata* esse, quia possibile quidem est quod cognitio Dei limitata sit, et quia proinde possibile utique est, quod Deus *non cognoscat omnem felicitatem* cujus *ens extra eum capax esse possit* » p. 476. Cf. etiam pag. 490. ubi fusius id ipsum declarat Hermesius.

(6) Pag. 479.

(7) Ibid. pag. 495.

(8) Cf. quae hac de re diximus in *Tract. de Deo Creatore*.

(9) In *Introduct. Phil.* Hermesius declarat se non attingere Dei attributa nisi qua-

thodo, de principiis, de applicationibus hujus systematis *philosophice* spectati persecuti sumus, satis, ut arbitramur, esse queunt ad probandum utrum nos aequo jure hoc systema iis accensuerimus, quae *objective*, seu *per se* (nil enim *subjective* seu de personis decernere volumus) verae fidei susceptioni saltem *indirecte* obsistunt.

CAPUT II.

De ratione cum fide

192. Rationem humanam hactenus ante fidem consideravimus: vidimus quippe quid illa recte adhibita ad hanc capessendam conferre valeat, quoque illa pacto viam divinae fidei sternere, atque ad ejus, ut ita dicam, vestibulum, ducere possit ac debeat. Nunc quae rationis partes sint, investigandum, dum ipsum fidei templum ac veluti penetralia ingressa, objecta ejus amplectitur ac profitetur. Ne vero quidquam idearum claritati desit in difficili ac salebroso admodum argumento, caput istud in duos item articulos dispertiemur, quorum alter intrinsecam fidei naturam ac constitutiva persequetur, alter vero de nexu fidem inter ac scientiam ac mutua relatione disceptabit.

ARTICULUS I.

De fide in sua natura spectata

193. Tametsi propositi nostri haud sit tractatum de fide conscribere, quod non pauci praeclarissimi auctores summa cum laude jamdiu praestitere (1), necessarium nihilominus existimamus ad analysin varia ejusdem fidei *constitutiva* revocare ob multiplices errores, qui etiam in bonum finem postremis hisce temporibus oborti sunt illarum occasione controversiarum quae in Germania potissimum et in Galliis agitari caeperunt. Etenim qui humanae rationis imbecillitatem absolutam adstruunt, quique contendunt scientias ac veritates rationales a fidei principiis dependere, ecquid efficiunt aliud quam fidei naturam cum scientia commiscere, et commune veluti quoddam *formale* principium in iis agnoscere? Sic qui a fide ipsa praeviam omnem demonstrationem, seu evidentiam credibilitatis objecti excludere conituntur, perinde ac si id libertati assensus objectis fidei praestandi officeret, veram fidei pervertunt naturam. Item qui inficiantur dari de eodem objecto posse fidem ac scientiam, perniciosas ipsi fidei inde inferunt consecutiones. Ex altera vero parte, qui demonstrationes illas, seu credibilitatis motiva veluti ultima fidei actus *resolutiva* spectant, hanc pure rationalem ac humanam efficiunt. Rem igitur valde opportunam nos facturos judicamus, si in praesenti articulo continenti propositionum serie veram fidei naturam, ejusque constitutivorum analysim breviter complectentes, eam a contrariis erroribus pro virili tutemur.

tenus id inservit scopo suo revelationis veritatem demonstrandi. Cetera ad dogmaticam remittit. Ex dictis porro patet quam merito ab Apostolica Sede Hermesii doctrina damnata sit circa Dei essentiam, sanctitatem, justitiam, retributionem praemiorum et poenarum inflictionem, circa Dei libertatem etc. etc.

(1) Complures ex erroribus qui aetate hac nostra circa hoc argumentum, quamvis etiam ex optima quandoque intentione, exorti sunt, profluxerunt ex neglectu horum fontium, in quibus apte pertractatae reperiuntur pleraeque quaestiones, quae tamquam novae magna idearum confusione reproducuntur. Scholastici illi qui hodie parvi adeo fiunt ac negliguntur, intimos recessus hujus materiae penetrarunt. In-

PROPOSITIO I.

Fides in natura sua ac principio formali *spectata essentialiter a scientia distinguitur*

194. Vix opus esset hanc propositionem attingere post ea, quae fuse sumus in primo capite persecuti legitima rationis jura independenter a fide vindicantes. Sed tamen quoniam hic directe non rationis sed fidei natura in tuto ponenda est, rem sub alio adspectu breviter tractandam aggredimur.

195. Sic igitur propositam thesim evincimus: *fides* ex dictis est assensus liber quem praebet intellectus divina gratia praeventus et adjutus, ex imperio voluntatis a gratia item excitatae, veritatibus divinitus revelatis ob Dei ipsius revelantis auctoritatem; quo fit, ut fides plane supernaturalis sit 1. *ex principio* eam gignente, nempe ex gratia quae supervenit naturae, quaeque prorsus gratuita est (1); 2. *ex objecto* quod constituitur ab omnibus et solis veritatibus quas Deus homini patefacere dignatus est modo peculiari ab eoque plane distincto quo seipsum in naturae operibus manifestat; 3. *ex motivo*, quod vocant *formali*, quodque aliud non est aut esse potest quam Dei ipsius revelantis auctoritas, quae includit summam ejus sapientiam, bonitatem ac veracitatem, quibus ipse nec decipi nec decipere potest; 4. *ex fine* demum ad quem datur, qui consistit in supernaturali beatitate, seu in intuitiva Dei visione ac fruitione, ad quam assequendam fide homo praeparatur una cum reliquis virtutibus supernaturalibus, quae ab ea veluti a radice ac fundamento dependent (2). Contra vero *ratio* ex qua naturalis scientia acquiritur 1. homini insita est ab ipsa constitutione sua, cum hic natura sua sit ens intelligentia ac ratione maxime praeditum; 2. objecta habet huic intelligentiae plane consentanea sibique propria, id quod a nobis in primo capite pluribus vindicatum est; 3. cognitiones ordinis sui acquirit per exercitium intelligentiae suae; 4. nec tandem se attollit nisi ad abstractivam Dei cognitionem ac naturalem amorem (3). Fides igitur ac ratio, ac proinde scientia natura sua ab invicem toto caelo discriminantur.

196. Rursum: si fides ac scientia essentialiter non distinguerentur, in plura dilaberemur absurda. Etenim 1. quoties peccaremus in scientiam, toties in fidem ipsam peccare dicendi essemus. 2. Homo sine revelatione facultatibus suis naturalibus uti non posset, atque a dono superaddito et adventitio omninoque gratuito scientiae mere naturalis principia unice dimanarent.

197. Accedit quod ecclesia supponat

ter eos praeter s. Thomam omnium principem, Suarezius, Vasquezius, Valentia, De Lugo, ceteris omissis, optime de ea meriti sunt, uti ex dicendis planum fiet.

(1) Haec fidei catholicae doctrina est quae adstruitur adversus pelagianos, uti ostendimus in Tract. *De gratia*, et constat praeterea ex non paucis damnatis propositionibus Baji, praecipue vero prop. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 9.

(2) Cf. Suarez tract. *De triplici virtute theologica*, tract. *De fide* disp. 1, sect. 1. et 2. necnon Bolgeni *L' economia della fede cristiana*. Brescia 1790. cap. 1, art. XI.

(3) Huc etiam refertur prop. 34. Baji, qui utrumque ordinem confundebat dicens: « Distinctio illa amoris (ac proinde duplicis cognitionis Dei naturalis ac supernaturalis), naturalis quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata ».

dari infideles negativos seu omni prorsus supernaturali revelatione destitutos. Atqui si isti in omnimoda veritatum metaphysicarum ac moralium ignoratione versarentur, id quod consequitur ex sententia quam refellimus, exleges omnino essent, nec unquam vere peccare possent. Haec autem rationis non minus lumini adversantur quam sanae catholicae doctrinae.

198. Demum id ipsum conficitur conditione revelationis supernaturalis inspecta. Post protoparentum lapsum divino beneficio data est homini revelatio ut in eo repararetur status ille gratuitus supernaturalis justitiae a qua exciderat per peccatum (1). Haec porro revelatio utpote tota objectiva ac superaddita poterat homini dari vel non dari, data vero ab homine conservari poterat aut amitti, uti plures imo plerique eam reipsa amiserunt aut saltem foede corruperunt, quin propterea omnis in iisdem naturalium veritatum cognitio defecerit. Quamvis enim primitiva revelatio, praeter objecta solius ordinis supernaturalis, plura complecteretur, quae natura sua ordinis naturalis sunt, id tamen non *absoluta* necessitate factum est, quasi homo in *physica* fuerit impotentia objecta ejusmodi per se cognoscendi; sed ex divina plane dispensatione, quae hoc pacto hominum plerorumque consuluit sive ingenii tarditati, sive deceptionis facilitati, qua veris saepe falsa intermiscentur, sive impedimentis quibus major hominum pars a profundo veritatis detinetur studio, aliisque demum ejusmodi difficultatibus aut incommodis benigne prospexit: ex quibus omnibus juremerito inferunt theologi *moralem* revelationis necessitatem etiam quoad naturalis ordinis veritates. Ceterum revelatio veritatum presso sensu supernaturalium ea est, quae hominem ex parte objecti ad supernaturalem ordinem elevat, quibusque credendis fide theologica opus est. Cum igitur haec gratuito supervenerit homini, atque ab eo amitti aut respui possit, aperte consequitur eam omnino rationalem transcendere naturam, nec ab ea posse veritates illas sive metaphysicas sive morales pendere, quarum si omnis homini detrahatur cognitio, natura ejus rationalis ac intelligens destruatur necesse est. Veritates proinde supernaturales homo *credit*, naturales autem *cognoscit etiam*, aut saltem cognoscere potest.

199. Uberrima tum sacrarum Litterarum, tum patrum auctoritate haec firmare possemus: ast haec jam a nobis praeoccupata fuerunt in superiore capite; ne proinde actum agamus ad ea loca remittimus. Ob eamdem plane rationem, atque ut brevitati studeamus, difficultates quae in hanc thesim urgeri possent, omittimus. Eae quippe in illas fere reciderent, quae propositae in cit. capite fuerunt, ac satis abunde ibidem solutae.

PROPOSITIO II.

Licet motiva credibilitatis extrinsecam pariant objectorum fidei evidentiam, numquam tamen constituere possunt motivum formale actus fidei

200. Eos impetit propositio, qui

(1) Quum de revelatione homini lapso facta heic disserimus, haud intendimus excludere revelationem quae facta homini fuerit ante peccatum. Certum enim est Deum se modo supernaturali manifestasse homini innocenti, eumque fuisse allocutum; sed cum illa revelatio non sit ad propositum nostrum, ideo coarctavimus sermonem nostrum ad revelationem homini datam post lapsum, quia haec sola spectat ad ordinem reparationis humanae de quo disserimus.

perperam praerequisitam motivorum credibilitatis cognitionem et persuasionem ad prudentem praebendum fidei assensum cum fide ipsa confundunt, ejusque *formali* motivo, quasi nempe fides ipsa in se spectata in extrinsecam illam objectorum evidentiam resolveretur, aut *formale* motivum actus fidei ab eadem evidentia constitueretur. Porro toto caelo istos a vera fidei notione abludere facile colligitur ex iis quae in praecedenti propositione de *principio*, *effectu*, *motivo formali* ac *fine* fidei theologicae disseruimus.

201. Etenim cum actus fidei debeat necessario, et ab intrinseco *supernaturalis* esse, fieri numquam potest ut constituatur aut eliciatur tamquam ex principio *formali* ab evidentia motivorum credibilitatis, quae ex se tota naturalis est, et naturalem parit certitudinem aut persuasionem.

202. Insuper actus fidei talis est, ut infallibilem objectivamque certitudinem secum ferat, quae naturalem quamvis superet certitudinem. Jam vero ejusmodi certitudo fructus esse nequit humanae cujuscumque disquisitionis, aut industriae, sed nonnisi a divina gratia, seu principio supernaturali produci in nobis potest, innitique prorsus auctoritati debet divinae.

203. Huc accedit, quod ejusmodi credibilitatis motiva, quaecumque demum sint, nonnisi extrinsecam evidentiam, ut innuimus, efficere queant; actus vero fidei feratur in objecta, quae non intrinseca modo evidentia destituta sunt, sed sunt nobis obscura ac rationi nostrae impervia, cum eam excedant, cujusmodi sunt mysteria, et objecta spei nostrae, quae in futura scilicet expectatione consistunt. Qua de causa fides ab Apostolo definita est, *sperandarum substantia* (gr. ὑπόστασις) *rerum*, *argumentum non apparentium*; quibus propterea intellectus noster firmiter assentire debet eisque adhaerescere perinde ac si intrinsecam ipsorum evidentiam haberet, eaque intuitive cerneret.

204. Demum, si fides theologica, de qua disserimus, resolveretur in evidentiam motivorum credibilitatis tamquam in *formale* motivum, conceptus ipse fidei theologicae destrueretur; siquidem in principium humanum ac naturale resolveretur; ac fides esset prorsus philosophica ac rationalis; hinc jure merito rationalismi neoterica schola quam impugnamus, accusata est, quin unquam ab ejusmodi accusatione se liberare potuerit. *Credere sicut oportet* non amplius donum Dei esset, secus ac definitum fuerit ab Arausicana synodo; sed esset in cujusvis hominis docti aut philosophi potestate eam sibi propriis viribus comparare, prout pelagiani haeretici, ac semipelagiani effutierunt.

205. Quae cum ita se habeant, concludamus necesse est, fidem theologicam resolvi in Dei gratiam tamquam in *principium* suum, et in auctoritatem Dei revelantis tamquam in suum motivum *formale* seu in totam et *adaequatam* rationem cur credatur; numquam vero in evidentiam motivorum credibilitatis quae fidei extrinseca sunt, ac solum praerequisita; quae *varia* pro diversis hominibus esse possunt; quaeque demum *absolute* necessaria non sunt, cum fieri queat ut sine illis vera possit fides haberi, ut identidem contingit, in rudioribus praesertim, qui ejusmodi motivorum examinis saltem accuratioris incapaces plerumque sunt, quibusque gratia supplere potest ac supplet.

DIFFICULTATES

206. Obj. 1. Fides est quidam status in nobis existens quo persuasi sumus de realitate objectiva rei cognitae, et in quo constituimur aut per *necessarium tenere pro vero rationis theoreticae*, aut per

necessarium admittere pro vero rationis practicae, quaecumque demum sit *causa* seu *motivum* ex quo status ejusmodi in nobis producatur: unde sublimi mentis intuitu Apostolus affirmat: « Fides est sperandarum *substantia* (id est *realitas*) rerum, argumentum non apparentium (1) ». 2. Ergo fides omnis natura sua *rationalis* est, quippe quae ex necessitate vel *physica* vel *morali rationis* enascitur, atque hinc fides ipsa in divinam revelationem quae una ex *formis* seu *speciebus* fidei est, atque speciale suum *credendi motivum* in *divina auctoritate* (2) habet, resolvitur in necessarium actum rationis sive *tenendi* sive *admittendi pro vero* omne id quod uti revelatum proponitur. 3. Certe rationalis *demonstratio* est verae *fidei radix* (3), seu generatrix; at vero in quodnam fides debet ultimato resolvi nisi in illud a quo suam *genesim* agnoscit? 4. In hoc porro humilitas fidei consistit, quod admittat ea, *quae non videt*, hanc solam ob causam, quia *ratio id postulat*, ac proinde quia homo se *totum tradit rationi* (4). 5. Necessaria utique est gratia; sed ad quam fidem? Ad eam nempe quae *efficax* est, quae *tantum vere theologica* est, quae *nos attollit* supra *terrestres res*, *quam sequitur perfecta et libera voluntas diligendi Deum nosque ad perfectum ducit legis et spiritus supra carnem domi-*

(1) Ita Hermes in *Introd. Phil.* § 44. Cf. quae superius diximus. Magnifica porro habet Hermesius de hac rationis *fide*, quae nobis sola *realitatem objectivam* tutatur, sive objectum sit *rationale* sive *supernaturale*, et quodcumque sit *motivum* unde procedit, nempe aut sensus intimus, aut sensus externus, aut ratio, aut auctoritas vel humana vel divina etc. Hinc juxta haec varia motiva exurgunt totidem *species* seu *formae* diversae fidei. Itaque Hermesius in hac sua definitione fidem ipsam *theologicam* comprehendit, ut patet etiam ex verbis Apostoli, quae allegat; imo acerbe theologos omnes carpit ob communem fidei definitionem, asseritque eos qui *fidem* ad auctoritatem coarctant, ejus naturam plane destruere!

(2) Adnota in hermesiana schola *auctoritatem Dei revelantis* vocari *motivum credibilitatis*. Ita auctor libri *Acta Hermesiana* p. 61. Hoc ipsum hausit ex eadem schola Baltzerius. Vid. op. cit. fasc. 1, p. 89.

(3) *Intr. Phil.* praef. p. XVII. « Falsum est, dicit Hermesius, quod inter humilem fidem et *demonstrationem* dubia studiose . . . adsit oppositio: e contra *ista dubia conquirens demonstratio, radix et conditio est piae fidei* ». Sed neque hic sistit Hermesius: nam non ad veritatem fidei generatim, sed ad *singula objecta* fidei requirit tamquam fidei *radicem* idest *conditionem sine qua non*, hanc ipsam demonstrationem. « Distinctio *objectorum* fidei, et demum examen *rei* propositae est ergo juxta vestrum proprium judicium (loquitur Hermesius adversariis suis) requisita ad piam fidem possibilem reddendam. Sed quinam poteritis aut audebitis acquiescere *uni* rei propositae, atque *alteri* nequaquam, ac consequenter objectum *unum* admittere, *alterum* vero repudiare, quin hanc electionem vestram ope severae *demonstrationis* rectam ostenderitis »? Ibid.

(4) Ita Hermes *Introd. Phil.* praef. p. XVIII. En verba Hermesii: « Non in hoc quod credatur sine *praevia demonstratione*, sed in hoc consistit humilitas fidei quod assumatur illud quod non videtur *solum propterea quia ratio exigit* illam *admissionem* et quod ratio talem admissionem exigat, id ostendit *praecedens demonstratio*. Ista *traditio (Hingebung) sui ipsius ductui rationis*, quae in cogitatione et in actione credentis se prodit (sive quod ejus fides habeat *pro objecto rem religionis*, sive quidquid aliud) non est tenuis abnegatio jurium nostrae sensualis naturae etc. ».

nium (1). Demum credendi motiva, cujusmodi sunt e. g. miracula, cuinam auctoritati innituntur nisi humanae? Ergo cum ipsa nos permoveant ad assentiendum fidei, patet fidem ultimato in humanam resolvi auctoritatem. Quod si contendas illa divinae auctoritati niti, ecclesiae scilicet infallibilis, quae illorum factorum veritatem testatur, necessario in circulum prolaberis, quo veritas et infallibilitas ecclesiae per miracula probaretur, veritas autem miraculorum per infallibilitatem ecclesiae; quo nil absurdius. Ergo.

207. Resp. Ad 1. *D.* Juxta placitum Hermesii, *C.* juxta theologos ac philosophos saniores omnes *N.* Jam utique improbavimus conatum istud philosophicum Hermesii, *scientiam* et *auctoritatem*, evidentiam *intrinsecam* et *extrinsecam*, *immediatam* et *mediatam*, *visionem intellectualem* et proprie dictam *fidem* ad unum principium revocandi, nimirum ad *fidem rationalem* quae juxta varium motivum distinguitur ab illo in *necessariam* et *liberam*. Haec neoterica fidei notio nil facit, nisi *verae fidei* divinae naturam permiscere cum scientia, eamque proinde totam *rationalem* reddere (2). Id probat ipse hermesianus abusus auctoritatis Apostoli. Nam praeterquamquod ὑπόστασις seu *substantia* vertitur ab Hermesio *realitas*, quum Apostolus ea voce significaverit subsistentiam, basim, fundamentum rerum sperandarum, ut liquet ex orationis serie, ex aliis ejusdem locis ubi eandem vocem usurpat, atque ex patrum et interpretum catholicorum expositione (3); num eam definitionem generaliori illi fidei *rationali* ab Hermesio invectae unquam aptare cogitavit Apostolus? Num Apostolus non de ea tantum fide locutus est, quae est *ex auditu*, quaeque in divina auctoritate revelante unicum suum habet fundamentum?

208. Ad 2. *N.* Heic enim omnes verae fidei notiones pervertuntur. Siquidem 1. assensus quem intellectus a gratia praeventus et adjutus, ex imperio voluntatis a gratia item excitatae, praebet fidei objectis ob *solam auctoritatem* Dei revelantis permiscetur cum praerequisitis, seu cognitione illa quae *ordinarie* hunc debet praecedere assensum, ut prudenter praestetur. Haec porro cognitio *extrinseca* prorsus est, ut diximus, actui fidei theologicae, neque *absoluta* necessitate ad illum requiritur; est tota praeterea naturalis, ac humana industria comparari potest; proinde numquam eam appellaveris actum fidei, aut recte dixeris illi inniti actum fidei supernaturalis, quin incidas in doctrinam uti haereticam ab ecclesia damnatam (4). 2. Persuasio realitatis objectorum fidei in ista sententia proveniret *efficienter* ac *formaliter*, ut cum schola loquamur, sive ex *ratione theoretica*, sive saltem ex *ratione practica*, cum tamen illa ex Dei gratia velut *principio suo* et ex auctoritate Dei revelantis uti adaequato *motivo formali*, suam genesim unice habeat. 3. Hinc auctoritatem Dei revelantis vocare *motivum credibilitatis*, est *motivum* unicum *formale intrinsecum*, ob quod credimus, confundere cum extrinsecis adminiculis seu praerequisitis, quae suadent credendum esse, Deum hoc in casu esse locutum, quaeque di-

(1) Ita idem A. in *Theol. dogm.* III, pag. 469-471.

(2) Cf. quae in *Praenotand.* jam monuimus num. 28.

(3) Cf. Estium in hunc loc. ubi copiosisime et erudite totum hunc Apostoli textum exponit et evolvit.

(4) Huc enim spectat can. III, sess. VI. conc. Trid.

versa pro diversis hominibus et multiplicia esse possunt.

209. Ad 3. *D.* Si talis esset relatio demonstrationis praeviae ad actum fidei, *C.* si secus *N.* Certe consequentia sua veluti sponte descendit ex praemissa illa hermesiana, qua demonstratio constituitur veluti fundamentum et *radix fidei*. Sed quis theologus catholicus hoc ferat? Num actus fidei est illatio syllogistica quae sequitur necessario ex praemissis? Absit. Adde absurditatem illius affirmationis ex eo etiam nomine, quod nonnisi ex *demonstratione* fides pia gigni statuitur, cum nonnisi *propositio sufficiens* ac *motivum* credendi requiratur, quod varium pro variis individuis esse potest; ac nulla praeterea ratio habetur de habitu fidei per baptismum infuso, in iis qui in christiana religione nascuntur, quo fit ut sine *demonstratione*, et tamen rationabili obsequio credant, ac pie firmiterque credant (1).

210. Ad 4. *D.* In sensu hermesiano, *C.* in sensu vere catholico *N.* Admittimus certe hominem ratione ipsa duci ad credendum, eo sensu nempe quod ratio non crederet, nisi cognosceret esse credendum, ut loquitur s. Thomas: sed hoc non probat nisi necessitatem adminiculorum, seu praerequisitorum ad actum fidei de quibus hactenus. Nimirum necessaria est propositio sufficiens fidei, necessarium extrinsecum aliquod evidens motivum credibilitatis, aut saltem quod gratia suppleat in rudioribus intellectibus quidquid desit ex parte evidentiae hujus extrinseci motivi. Sed dum aliquis *actu credit* non sese *rationi totum* tradit, quia secus mere rationalis fidei actum eliceret; sed se totum divinae infallibili auctoritati ut revelanti tradit atque committit, rebusque ejus nomine propositis licet in se obscuris atque humanum captum excedentibus inhaeret, tum assensu plenissimo intellectus, tum adhaesione firmissima voluntatis: id quod fieri non potest nisi divinae gratiae afflatu intellectum illustrante ac voluntatem hominis permovente.

211. Ad 5. *N.* Ecquis umquam catholicus dixerit ad solam fidem *efficacem* gratiam necessariam esse? Numquid non vera fides erit, *fides mortua* qualis in peccatoribus reperitur? Numquid non erit donum Dei ac proinde ex gratia proveniens? Quid dicemus de illis omnibus, quae fidei actum praecedunt, quibus scilicet Deus cor hominis pulsat, movet et inclinat (2)? Confunditur igitur in allegatis verbis fides *vera* cum fide *viva* informata a charitate; at haec duo valde inter se differunt, ut theologis omnibus notum est (3).

(1) Cf. quae scripsimus in tract. *De baptismo*, cap. IV, prop. II. Id vero non officit quominus etiam in credentibus motiva ipsa credibilitatis ad fidem roborandam inserviant. Hoc sensu ajebat Augustinus: « Tenet me in Ecclesia consensus omnium populorum, tenet me veritas miraculorum etc. ». *In Ep. Fundam.* cap. 4.

(2) Sane quoties non solum infideles verum etiam peccatores tanguntur hujusmodi gratiis actualibus, eisdemque resistunt? Quoties saltem illis permoventur ad orandum, ad resistendum cupiditatibus quin tamen se omnino liberent a statu peccati? Numquid isti actus, siquidem his gratiis peccatores obsequantur, aliique ejusmodi non erunt salutares, ac proinde virtute actualis gratiae eliciti? Nisi hoc diceremus, in propositiones incideremus quesnellianas atque bajanas ab ecclesia proscriptas.

(3) Hic praestat in medium adducere verba ipsa Helvenichii qui in op. cit. p. 105 seq. dum contendit liberare Hermesium a pelagianismi aut semipelagianismi macula haec scribit: « Omnis quaestio de gratiae *actualis* quam theologi vocant, necessitate, referenda est *ad salutis operationem*. Operamur autem sa-

212. Ad 6. *D.* Credendi motiva prout praerequisitum, praeambulum, aut conditionem denotant ad prudenter assentiendum revelationi tamquam divinitus datae, innituntur auctoritati humanae, *C.* in illa resolvitur fides nostra tamquam in motivum adaequatum *formale N.* Nisi enim gratia accedat, qua permoveamur ad actum fidei supernaturalis eliciendum, numquam in istum erumperemus; persuasio autem aut convictio quae in nobis gignitur ex evidentia motivorum illorum tota naturalis est, nec ad actum fidei spectat, multo vero minus motivum ejus *formale* constituit.

213. Quo praejacto fundamento, jam evanescunt quae adjiciuntur tum de fide in vera miracula ob auctoritatem humanam, aut auctoritatem ecclesiae, tum de circuli vitiosi labyrintho. Etenim juxta analysin fidei ex principiis a nobis constitutis, nos prius perducimur per motiva credibilitatis tamquam praeambula et praerequisita in certam cognitionem verae Christi ecclesiae (1), quae est fidei regula proxima; deinde per

lutem, si lex spiritualis carnali superior facta in nobis est, idque tam firme et constanter, ut omnes et appetitiones et actiones nostras dirigat ad honesta (moraliter bona) perficienda, hoc est, eo dirigat, ut et velimus omnia, quae vult Deus, et fugiamus omnia, quae ab ipso aliena sunt, atque hoc modo, servantes mandata divina nosque ad similitudinem Dei plane conformantes disponamur et apti fiamus ad adipiscendam salutem seu beatitatem aeternam. Ex his jam facile apparet, quid per *actus salutares*, itemque per *opera salutaria* intelligendum sit. Videlicet actus salutaris is est, quo sive *proxime* sive *remote* efficitur, ut lex spiritualis superior fiat vel etiam superior maneat, majoremque vim accipiat, atque ita disponat nos ad salutem. His propositis definitionibus Hermesius primum generatim demonstrat (p. 449 seqq.) gratiam actualem, supernaturalem et internam etiam justificatis omnino necessariam esse ad salutem operandam, et quidem eo modo, ut haec salutis operatio sine gratia illa neque inchoari, neque continuari, neque perfici queat, id est, ut lex spiritualis sine gratia illa neque impetrare principatum, neque constanter obtinere, et exercere possit ». Porro ut patet juxta Hermesii hermesianorumque istorum de gratia theoriam, 1. gratia solum afficeret *voluntatem* non autem *intellectum*; ast gratia quae necessaria est ad fidem, *etiam* intellectum, imo potissime afficere debet, cum fidei actus proprie ad assensum intellectus pertineat, quae firmam in eo ac supernaturalem certitudinem persuasionemque gignat; 2. confunditur hic et ubique ab his auctoribus gratia quae *elevationis* dicitur cum gratia *medicinali* seu reparationis; 3. juxta hanc theoriam, Adae in statu innocentiae in quo nullam ille concupiscentiae luctam experiebatur aut alia impedimenta, gratia ad credendum *salutariter* non fuisset necessaria; 4. demum, ut cetera praetermittamus, quid sibi volunt ille principatus *superior*, lex illa spiritualis quae *superior* fieri debeat *carnali* etc. de quibus hic constanter sermo est ad mentem Hermesii? Illud vero maxime adnotandum est quod auctor iste p. 68. reprehendit cl. D. Liebermann eo quod dixerit « quamvis *fidei nostrae assensus uni nitatur auctoritati divinae*, et *propria fidei causa sit interior Dei afflatus*, qua movemur ad assentiendum Deo, requiruntur tamen externa adminicula etc. ». En porro censuram hermesianam. « Nam quod credendi actum suspensum facit (Liebermann) ab *auctoritate divina* et propriam fidei causam in *interiore quodam Dei afflatu* positam esse declarat, in eo scilicet a se ipso desciscit, et aut *fallaciter agere*, aut *parum considerate* judicandus est ». Itane in Hermesii schola concipitur natura fidei divinae?

(1) Id autem vel *explicite* vel *implicite* contingere potest, ut opportune adnotat Greg. de Valentia, qui ostendit praeterea, cum *motivum* seu *inductivum* ad credendum non *unum* sed *varium* sit, propositionem tamen

Dei gratiam elicimus actum fidei de vera ecclesia et infallibili ejusdem auctoritate; ab ecclesia accipimus Scripturam et Traditionem, objecta denique reliqua fidei, quae in eisdem continentur. Falsum propterea est nos credere, fide scilicet divina, ecclesiae ob motiva credibilitatis; falsum nos ab ecclesia certiores fieri de veritate ac divinitate miraculorum; falsum denique fidem nostram inniti auctoritati humanae (1).

PROPOSITIO III.

Demonstratio cujus capax est veritas christianae fidei, aut motivum quodcumque credibilitatis non officit libertati illi qua voluntas actum fidei imperare debet

214. Est adversus eos qui autumant, quod si vera detur christianae fidei demonstratio, assensus qui ex ea promanat, jam liber non sit sed plane necessarius, ex quo inferunt positivam de veritate christianae fidei demonstrationem admitti non posse, quin fidei naturae ac merito derogetur, ac quaecumque motiva credibilitatis posse tantum *obices removere* ut credatur, non vero persuasionem ullam inducere, quod credendum sit.

215. Ut igitur ad rem ipsam accedamus; quamvis admitteretur proprium scientificae demonstrationis esse, ut necessario ad assentiendum cogat intellectum, talem nihilo secius vim illa non habet, nisi cum evidentia demonstrationis circa *objectum* ipsum *immediate* ac *intrinsece* versatur, non item vero cum solum ejusdem afficit credibilitatem (2). Porro demonstratio quae de fidei veritate in genere fit, aut de fidei articulis etiam singillatim, minime *immediatam* seu *intrinsecam* evidentiam objectorum fidei attingit, sed *extrinsecam* tantum atque *mediatam*, eorum videlicet *credibilitatem*, ac propterea intellectum ad assensum praebendum haudquaquam per se cogere valet.

216. Hoc autem luculentius adhuc firmatur ex eo quod hic agatur de ejusmodi demonstratione, quae non parit per se evidentiam *metaphysicam*, quamvis in eam quandoque resolvi possit per principia, ut ajunt, *reflexa* (3). Ceterum evidentia quae haberi potest per motivorum credibilitatem non est, nisi plerumque *moralis*, aut interdum *physica*, pro iis nempe qui signa ac prodigia oculis suis usurparunt. Moralis porro evidentia ex morali certitudine exurgens, pendet, uti alias adnotavimus, ex accurata consideratione plurium factorum contingentium, in qua proinde haud parum valet dispositio ipsa subjecti animum ad rem sedulo applicantis, ac rationum vim rite percipientis (4). Quod si quis signum aliquod suis sensibus immediate percipit, certitudinem quidem ac evidentiam *physicam* factorum illorum acquirit; non ea tamen evidentia videt nexum qui intercedit inter facta illa ac Deum revelantem, neque

infallibilem ecclesiae, esse *conditionem necessariam* et quidem *unam* pro omnibus, quia fides *una* est. Cf. *De fide* disput. I, quaest. I, punct. 4.

(1) Cf. Bolgeni op. cit. *L'economia della fede* cap. I, art. X. item Suarezium *De fide*, diss. III. sect. I, num. 5.

(2) Duo haec ab invicem discriminanda sunt, cum alia sit *evidentia rei*, alia *evidentia credibilitatis*, ut scite animadvertit Suarez l. c. sect. VII, n. 2. item sect. V, n. 6 seqq. Cf. etiam *Praenotanda nostr.* n. 24.

(3) Recolantur quae scripsimus in tract. *De vera relig.* p. I, cap. III, n. 174 seq.

(4) Cf. *Praenotand.* num. 27. et quae paulo ante jam diximus.

videt revelata objecta quae inevidentia omnino ac obscura manent. Accedit quod assensus objectis fidei divinae praestandus longe firmior sit ac difficilior proinde quocumque naturali assensu. Cum igitur tota evidentia aut certitudo quae ex fidei extrinseca demonstratione oritur, talis profecto non sit, quae necessario intellectum ad assensum praebendum pertrahat, voluntatis est ejusmodi assensum intellectui imperare; siquidem sola evidentia metaphysica, uti animadvertimus, ea est quae immediate rapit intellectum ad assentiendum. Quapropter licet metaphysice evidens sit Deum esse summe veracem, imo veritatem ipsam, quae proinde nec falli nec fallere potest; licet etiam metaphysice evidens sit Deo revelanti fidem esse adjungendam; nihilominus utrum Deus sit reipsa locutus, hoc illudve revelaverit, nobis non constat nisi per motiva credibilitatis, quae cum possint semper obnoxia esse non paucis neque exiguis difficultatibus, uti ex illorum inspectione et consideratione planum fit, voluntatem etiam rite ad veritatem dispositam requirunt (1). Exinde idcirco sequitur haud esse necessarium posse *physice* et absolute ejusmodi assensum praebere.

217. Sane experientia jugis id apertissime ostendit. Atque ut ex ipsis sacris litteris auspicemur, pharisaei certe conspexerunt miracula Christi, nec illa sunt inficiati; immovero quandoque admirati sunt; potuissent propterea ac debuissent Christo credere (2); attamen: « Pontifices et pharisaei dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit (3)? »; cum praeterea ad confirmandam divinam Christi missionem Petrus et Joannes insigne ac publicum patrassent miraculum, iterum iidem dicebant: « Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Hierusalem: manifestum est, et non possumus negare (4) » nec tamen assensum praebuerunt; nempe, ut loquitur s. Augustinus: « collegerunt Pontifices et pharisaei concilium et dicebant, quid facimus? nec tamen dicebant, credamus (5) ». Plures nihilominus melius dispositi crediderunt in Christum « videntes signa ejus quae faciebat (6) ». Quod si ita se gerebant illi ipsi qui spectatores fuerunt miraculorum Christi et apostolorum, quanto magis possunt cohibere assensum ii quibus miracula non constant nisi per auctoritatem historicam? Id ipsum dic de credibilitatis motivis reliquis, de vaticiniis eventu comprobatis, de doctrinae excellentia, de martyrum testimonio, de propagationis modo christianae seu potius catholicae religionis, deque ejusdem inter tot conflictus conservatione, aliisque ejusmodi. Ex quo inferunt theologi praeter evidentiam credibilitatis ad praebendum assensum fidei veluti divinae, opus esse interiori gratiae subsidio quo cor docile efficiatur, alioquin illa non obstante credibilitatis evidentia, homines non assentiuntur.

218. Quare optime s. Thomas in quaestione: « Utrum credere sit merito-

(1) Satis est oculos conjicere in difficultates quas attulimus adversus argumenta quibus ostendimus dari notas divinae ac supernaturalis revelationis in tract. cit. *De vera relig.* cap. III, et adversus ea argumenta quibus adstruximus existentiam ejusdem revelationis ibid. cap. V.

(2) Cf. Luc. V, 24-26. Jo. X, 25. et alibi passim.

(3) Jo. XI, 47.

(4) Act. IV, 16.

(5) Tract. XLIX. in Jo. n. 26.

(6) Jo. II, 23. III, 2. XI, 45. etc.

rium », cum sibi objecisset: « Ille qui assentit alicui rei, credendo, aut habet causam sufficienter inducentem ipsum ad credendum, aut non. Si habet sufficiens inductivum ad credendum, non videtur hoc ei esse meritorium, quia non est ei jam liberum credere et non credere. Si autem non habet sufficiens inductivum ad credendum, levitatis est credere, secundum illud (Ecclci XIX. 4.): *qui cito credit, levis est corde;* et sic non videtur esse meritorium. Ergo credere, nullo modo est meritorium ». Cum haec, inquam, sibi objecisset s. Doctor, ita respondet: « ad tertium, dicendum quod ille qui credit, habet sufficiens inductivum ad credendum. Inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae: et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis. Unde non leviter credit. Tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum; et ideo non tollitur ratio meriti (1) ». Quibus breviter, ut solet, complexus est quae nos fusius exposuimus (2).

219. Concludamus igitur, demonstrationem cujus capax est veritas fidei, aut motivum quodcumque credibilitatis non officere libertati illi, qua voluntas actum fidei imperare debet, prout ostendendum nobis proposuimus.

DIFFICULTATES

220. Obj. Nullatenus consistere potest actus fidei liber cum objecto evidenter cognito. 1. Evidentia enim, ipso Suaresio fatente, cogit *convictionem* (3); jam vero idem dici debet de evidentia quae versatur circa credibilitatis motiva. Nam si evidentia cogit invincibiliter convictionem circa objectum evidenter cognitum, non minus eam coget circa motiva credibilitatis evidenter cognita; ideo nullo modo potest esse liber assensus qui exinde emittitur, nec propterea meritorius. 2. Deinde qua ratione fides, seu fidei objectum possit esse evidenter credibile concipi nequit; siquidem vel aliquid evidenter credibile dicitur ob fidem humanam seu naturalem, qua quis cognoscit motiva credibilitatis esse in se evidentia, vel ob fidem divinam. Porro si primum adstruitur, actus qui eliceretur, esset fidei tantum humanae, qualis nempe de aliis etiam humanis objectis naturaliter habetur. Repugnat autem posterius, quia quod aliquid sit evidenter credibile fide divina nequit supponi, cum hoc donum sit internum, quod proinde esse nequit evidenter credibile. Ergo.

221. Resp. *D.* Objecto cognito sub ratione *evidentis in se C.* sub ratione *credibilis. N.* Et pariter ad 1. prob. *D.* evidentia objecti intuitive cogniti cogit intellectum, *Tr.* vel *C.* evidentia credibilitatis *N.* Jam adnotavimus diversa omnino ratione disserendum esse de evidentia, aut de cognitione evidenti metaphysica, et intuitiva qualis ex. gr. est illa principiorum seu axiomatum; et de cognitione moraliter evidenti, aut etiam, si cum Suaresio loqui velimus, de mere abstractiva

(1) 2. 2. q. 2. ar. 9. ad 3. Paulo aliter leguntur haec verba in ed. Rom. 1586.

(2) Cf. Suarez *De fide* diss. IV, sect. V, num. 6. ubi inter cetera scribit: « Dico in primis, hanc evidentiam (credibilitatis) non impedire actum fidei circa res sic credibiles, quia semper fides retinet suam majorem certitudinem ac perfectionem: nam in superioribus dictum est, etiam evidentiam veritatis, si sit inferioris ordinis, non impedire verum actum fidei ejusdem veritatis: ergo multo minus impediet evidentia credibilitatis, quae semper relinquit obscuram veritatem ipsam ».

(3) Disp. VI, sect. 8.

et scientifica (1). Si de priore sermo sit, facile damus illam extorquere necessario assensum intellectus nostri, neque in his liberum esse hominis assensum, sub quo respectu Suaresius affirmat solam evidentiam cogere intellectum posse (2). Si vero de posteriore loquamur, negamus talem esse ejusmodi evidentiam, ut necessario, nempe necessitate absoluta, et *physica*, praesertim in rebus fidei divinae, ei sit adhaerendum; in hoc enim intellectus influxui voluntatis haud parum subest, quae si rite disposita non sit, ac veritatem oppugnare velit, potest facilius lumen intellectus obscurare, ac ad assensum negandum pertrahere. Porro posterioris generis est evidentia quam gignunt motiva credibilitatis naturaliter cognita. Exinde, ut diximus, et ex natura objectorum credendorum fluit necessitas gratiae qua permoveantur intellectus et voluntas ad firmiter assentiendum illis ipsis veritatibus, de quarum credibilitate homini evidentia naturali constat (3).

222. Ad 2. Resp. aliquid posse sub diverso respectu aut naturale esse aut supernaturale; naturale prout *cognitum*, supernaturale prout *creditum*. Naturalis igitur erit actus si judicium intellectus quod voluntatem praecedit potest elici ac reipsa elicitur vi naturalis ratiocinationis, aut cognitionis signorum, quae efficiunt illa objecta evidenter credibilia; supernaturalis autem erit, si illustratione et inspiratione Spiritus S. superveniente perfundatur intellectus permoveaturque voluntas ad actum fidei eliciendum circa illud ipsum objectum quod erat naturaliter cognitum ut quis credere possit *sicut oportet* juxta catholicam doctrinam (4). Uti enim animadvertit Suarez, supernaturalis illa superveniens illustratio intellectus quae praecedit voluntatem credendi, non est necessaria ad judicium credibilitatis efformandum, sed so-

(1) Etenim prima est *immediata* quae consistit in intuitione principiorum quae ferunt secum evidentiam immediatam e. g. totum est majus sua parte; impossibile est idem simul esse et non esse, aliaque id genus multa; contra vero altera, nempe scientifica et abstractiva ea est quae comparatur ope discursus, et ratiocinationis per longam etiam deductionem ex principiis, ac propterea vocatur *mediata*. Cf. Suarez disp. II, sect. 4. num. 9. et disp. III, sect. 9. n. 3. seqq. tum disp. IV, sect. 6. n. 5. et alibi passim.

(2) In primis animadvertendum est, verba Suaresii loc. cit. num. 2. haec esse: « Sola evidentia cogit *intellectum* ». Deinde haec verba praecise profert Suaresius inter dubia quae proponit; resolvit vero quaestionem et suam profert sententiam n. 12 et seqq. ubi ponit tres conclusiones quae ibidem videri possunt.

(3) Cf. Suarez disp. IV, sect. 5, n. 6 seq. et disp. VI, sect. 8. n. 11. nec non card. De Lugo in tract. *De virtute fidei divinae* disp. II, sect. 1. n. 104. Cujus verba haec sunt: « Objiciunt, quia assensus fidei debet esse liber: quando autem objectum evidenter constat, non assentitur libere intellectus, sed ex necessitate: ergo non erit assensus fidei. Ad hoc facile respondetur ex dictis; actum fidei semper esse liberum, quia licet aliunde necessitetur intellectus ad assentiendum illi objecto, numquam tamen necessitatur ad credendum illud ex motivo revelationis divinae quod sufficit, ut actus fidei liber sit, non quidem in se, sed in causa, nempe in voluntate imperante, sive sit voluntas imperans solum assensum ad veracitatem, et revelationem, quo assensu stante necessitetur intellectus ad credendum objectum revelatum propter divinam auctoritatem, sive requiratur etiam voluntas alia imperans alium assensum praeter assensum praemissum ».

(4) Cf. Suarez disp. VI, sect. 8. n. 18.

lum praerequiritur propter supernaturalem actum (1). Hac ratione omnia rite componuntur quae videntur sibi invicem adversarit; siquidem ex una parte judicium quod fit ab intellectu ob motiva naturaliter cognita, naturale *quoad suam substantiam est*; ex altera parte ob superveniens gratiae subsidium fit supernaturale *ratione modi*, quo elevatur, et movet supernaturaliter voluntatem, ut imperet assensum supernaturalem intellectui circa fidei objecta. Haec planiora adhuc fient ex insequente propositione.

PROPOSITIO IV.

Potest de uno eodemque objecto haberi simul scientia ac fides

223. Eosdem perstringit propositio adversarios quos superiore propositione adorti sumus, qui verentur ne fides penitus pereat aut saltem debilitetur per scientiam, verenturque propterea ne si ulla detur demonstratio circa aliquid eorum quae fides docet, haec e medio tollatur aut detrimentum capiat. Perperam autem eos ita sentire sic luculenter ostendimus.

224. Ex dictis in prima ac secunda propositione distincta prorsus ab invicem sunt fidei ac scientiae principia; scientia enim innititur principiis naturaliter cognitis, fides vero auctoritati innititur Dei revelantis, quae constituit propterea motivum seu objectum formale ipsius fidei. Cum igitur revelatio non solum complectatur ea quae captum rationis nostrae superant, verum etiam veritates quae naturalis ordinis sunt, adeoque absolute rationis nostrae aciem minime excedunt, consequens est posse ex diversis principiis idem objectum cognosci, seu quod idem est, posse fidem ac scientiam in eodem subjecto de eadem re simul amice consistere seu de uno eodemque objecto simul scientiam ac fidem haberi (2).

225. Sic possumus sola ratione duce cognoscere e. g. Deum existere, unum esse, pluribusque iisque infinitis attributis esse praeditum, quae necessario competere debent primo enti, causae necessariae, aeternae, independenti ac existenti necessitate naturae suae, seu enti quo nihil majus nihilque melius excogitari potest. At haec ipsa ex divina novimus revelatione. Idem dic de animorum immortalitate, ac libertate, de praemiis aut poenis quae pro meritorum diversitate nos manent in altera vita, aliisque ejusmodi non paucis veritatibus quas et fide tenemus et ratione etiam cognoscimus ac demonstramus. Alioquin nisi hoc admittatur, sequeretur, hominem, quo doctior evadit eo magis de fide amittere, cum tamen ab experientia contrarium constet (3). Si quidem conspicimus viros doctissimos symbolum fidei profiteri, quamvis Deum et quidem unicum et omnipotentem esse, coeli terraeque conditorem etiam demonstratione per principia rationis cognoscant. Melior praeterea dicenda foret in adversariorum hypothesi rudiorum quam doctorum conditio; quod nemo nisi absurde affirmaverit.

(1) Ibid. n. 12. 13. 14.

(2) Cf. quae scribit Estius in cap. XI. epist. ad hebr. in v. 1.

(3) Huc refertur quod scribit Apostolus: « Accedentem ad Deum oportet *credere quia est* ». Si accedat quis philosophus ad Deum, quem scientia seu demonstratione cognoscit existere, numquid ut credat debebit amittere aut rejicere scientiam?

226. Quapropter comperimus illos eosdemque ecclesiae patres ac doctores, qui plures easque solidissimas dederunt de Dei existentia ejusque attributorum demonstrationes, ut veritates ceteras silentio praetereamus, inculcare fidei necessitatem in illas easdemque veritates a Deo revelatas. Etenim s. Cyrillus Hierosolym. in catech. IV. adstruit necessitatem credendi in Deum, ejusque attributa fide tenendi, e. g. potentiam, sapientiam, libertatem etc. (1), quae tamen per rationem cognosci queunt; sic etiam s. Augustinus, qui op. *de Civitate Dei* docet officium fidei « primum et maximum esse, ut in verum credatur Deum (2) »; et alii passim (3). Hinc eximius Suarez pluribus ostendit posse ab eodem de una eademque veritate haberi simul cognitionem etiam evidentem et fidem (4); et ante ipsum s. Thomas docuit credenda esse quae naturali ratione probari possunt (5).

227. Sive igitur diversa spectemus principia ex quibus eaedem veritates dimanant, sive earumdem naturam, sive denique sentiendi et agendi rationem quam ecclesiae patres et doctores tenuerunt, patet quod proposuimus, posse videlicet de uno eodemque objecto scientiam simul ac fidem haberi.

DIFFICULTATES

228. Obj. Scientia et fides in eodem subjecto de eadem veritate se invicem excludunt, imo implicat eas posse simul consistere. Nam 1. scientia exposcit cognitionem, eamque saltem in suis principiis intuitivam et evidentem; fides vero in sua notione negationem involvit cognitionis intuitivae ac evidentis; cum autem aliquid ab eodem simul videri et non videri repugnet, repugnat igitur proposita thesis. 2. Adversatur praeterea Scripturae; fides enim ex Apostolo « est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (6) ». Si non apparent quae fide creduntur, nequeunt hoc ipso esse scita aut visa. 3. Huic auctoritati innixi ecclesiae patres constanter docent fidem de iis esse quae non videntur. Inter ceteros s. Augustinus: « Quid est, inquit, fides, nisi credere quod non vides (7)? » et clarius adhuc fidem ex eo commendat, quia « quod creditur non videtur (8) »; et iterum: « Quod intelligimus, scribit, debemus rationi, quod credimus, auctoritati (9) ». Sic etiam s. Gregorius M. ad ea Christi verba: *Quia vidisti me Thoma, credidisti*, cum fides sit de non apparenti-

(1) Num. IV, V. et VI. edit. Toultei pag. 53. 54. et iterum catech. VI. quae est *De uno Deo*.

(2) Lib. IV, cap. XX.

(3) Uti Ruffinus *in exposit. symboli* n. 4. s. Jo. Chrysost. aliique quos refert Greg. de Valentia in op. citato. Hinc s. Th. 2. 2. q. 2. ar. 4. O. docet necessarium esse homini accipere per modum fidei non solum ea, quae sunt supra rationem, sed etiam ea, quae per rationem cognosci possunt. Cujus doctrinae tres affert rationes, quarum postrema est, « propter certitudinem, ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens . . . Ut ergo esset indubitata et certa cognitio apud homines de Deo; oportuit quod divina eis per modum fidei traderentur quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest ».

(4) Disput. III, tota sect. IX.

(5) Ut patet ex textu modo adducto, et praeterea I. p. q. I, ar. 6. et 7. et contr. Gent. lib. I, cap. IV.

(6) Hebr. XI, I.

(7) Tract. XL. in Jo. n. 9.

(8) Tract. LXXIX, n. I.

(9) Lib. *De utilit. credendi* cap. XI, n. 25. superius cit.

bus respondet: « Quia (Thomas) aliud vidit, aliud credidit . . . Hominem ergo vidit, et Deum confessus est (1) »; pro certo sumens non posse idem credi et videri. 4. Horum vestigiis insistens Angelicus Doctor, veluti principium firmum ubique statuit minime posse in eodem subjecto aliquid esse *visum* seu cognitum, et *creditum;* ex innumeris prope locis qui ex ipso afferri possent; iste sufficiat: « Manifestum est, quod imperfectio cognitionis est de ratione fidei; ponitur enim in ejus definitione: *fides* enim est substantia *sperandorum* etc. et sic imperfectio cognitionis est de ratione fidei. Unde manifestum est, *quod fides non potest esse perfecta cognitio, eodem numero manens* (2) », aut etiam apertius: « omnis scientia, scribit, habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa et ideo oportet quaecumque sunt scita, aliquo modo esse visa. *Non autem est possibile quod idem ab eodem sit visum et creditum*. Potest tamen contingere, ut id quod est visum vel scitum ab uno, sit creditum ab alio (3) ». Qui propterea docet, quod « Deum esse et alia hujusmodi quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1., *non sunt articuli fidei sed praeambula ad articulos* (4) ». Nec obstat ejusmodi veritates in symbolo contineri; siquidem respondet s. Doctor semper sibi constans: « Ea quae demonstratione probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de iis simpliciter sit fides, apud omnes, sed quia prae exiguntur ad ea, quae sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem praesupponi ab his, qui eorum demonstrationem non habent (5) ». Ergo.

229. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D. min.* Repugnat idem videri et non videri ab eodem subjecto *per eundem actum, Tr. per diversos actus N.* Repugnare utique videtur eodem actu quempiam simul videre et credere, seu videre et non videre; ast non est repugnantia seu contradictio quod quis diverso seu distincto actu, itemque per diversum medium aut principium cognoscat et credat. Sic implicat aliquem eodem simul actu pedibus et curru iter facere; si autem diverso aut distincto actu, non item. Jam vero cum alius sit actus, aliudque principium quo aliquis naturali facultate cognoscit seu intuetur, alius autem quo idem fide supernaturali aliquid credit ob divinam auctoritatem, patet minime repugnare sub diverso respectu distinctoque actu quempiam aliquid cognoscere et credere (6). Hoc vero magis in casu nostro pro substrata materia patefit ex eo quod non agatur de visione seu cognitione intuitiva, sed de cognitione et visione abstractiva, qualis per scientiam obtinetur, quaeque proinde capax est firmioris certitudinis aut saltem firmioris adhaesionis intellectus imperatae a voluntate ob Dei auctoritatem, quam habeat adhaesio illa qua intellectus et voluntas in objecto conquiescunt per solam cognitionem quae acquiritur per scientiam (7).

(1) Hom. XXVI. *in Evang.* n. 8. opp. edit. Maur. tom. I.

(2) 1. 2. q. 67. ar. 3. O.

(3) 2. 2. q. 1. ar. 5. O.

(4) 1. p. q. 2. ar. 2. ad 1.

(5) 2. 2. q. 1, ar. 5. ad 3. Alia plura ejusdem s. Doctoris testimonia cf. apud P. Rozaven op. cit. edit. prim. p. 110. et 130.

(6) Cf. De Lugo op. cit. disp. II, sect. 3. n. 105 seqq. Item sect. 2. n. 66. Cf. etiam Vasquez in 3. p. s. Th. disp. LIII, cap. I, n. 5. et disp. LXII, c. IV, n. 33. Suarez l. c. n. 119.

(7) Cf. Auct. citt. loc. cit. et De Lugo sect. 2.

Deinde permisceri nequit scientia cum scientiae principiis: principia siquidem utpote per se nota, ac immediatam evidentiam praeseferentia movent necessario intellectum ad assentiendum absque ullo voluntatis influxu, non item vero conclusiones, quae ex iisdem principiis longa saltem deductione trahuntur; in quibus nempe cum talis evidentia, plerumque saltem, haud affulgeat, intellectus non adeo invincibiliter cogitur; unde relinquitur voluntati ejusmodi vis, ut illum ex rationum pondere determinare queat ad assensum (1).

230. Ad 2. *D. fides est sperandarum* etc. prout subsunt fidei, *C.* prout scientia cognoscuntur *N.* Responsio patet ex dictis; nam si distincto actu ac medio aliquid possit credi et cognosci, sequitur actum cognitionis non adversari actui fidei. Hoc accedit scientiam haud nobis praebere *apparentiam* seu cognitionem rerum divinarum prout in se sunt, sed solum, uti diximus, abstractivam, quae proinde illam relinquit obscuritatem quam fides supponit (2).

231. Ad 3. Eadem esto distinctio; quandoquidem eodem sensu loquuntur patres; sane in objectis testimoniis ss. Augustinus et Gregorius M. exponunt naturam fidei, quae in suo conceptu postulat, ut assentiatur auctoritati, secus ac scientiae notio exposcat.

232. Ad effatum autem s. Gregorii M. speciatim adnoto, ipsum rationem eorum habuisse, quae sub sensus cadebant apostoli Thomae, in quibus certo non habetur fides, non autem voluisse excludere fidem illius circa substantiam, quae latebat sub apparentiis, cum citra dubium sit, tum apostolum Thomam, tum apostolos reliquos non minus credidisse in veram Christi humanitatem, cum et hujus veritas fidei articulus sit.

233. Ad 4. *D.* Statuit s. Thomas non posse in eodem subjecto aliquid esse simul visum et creditum in sensu exposito, *C.* alio sensu *N.* Nec aliud evincunt allegati textus, aliique magno numero qui facile adduci possent. Hi enim probant dumtaxat tenuisse Angelicum Doctorem, minime posse sub eodem respectu haberi scientiam, aut si lubet, cognitionem evidentem simul et fidem, quae illam excludit. Ceterum s. Thomam haud existimasse fidem et scientiam de eadem veritate in eodem subjecto absolute repugnare, constat ex ejus doctrina, qua tenet habitum fidei habitum scientiae non excludere, seu scientiam

(1) Cf. Suarez disp. III, sect. 9.

(2) Huc referuntur quae scribit Estius in cap. XI, v. 1. epist. ad Hebr. ubi exponens illud apostoli *argumentum non apparentium* haec habet: « Haec quippe fidei laus est, propter auctoritatem divinam assensum firmissimum praebere iis quae non apparent; utcumque reclamet sensus noster carnalis. Quamquam contingit *et ea quae apparent*, si testimonium habent divinum, *a nobis credi:* sed in iis credendis non elucet fidei virtus; quia *etiam* sine ejusmodi testimonio recipiuntur, velut sensu vel experientia, et humanis testimoniis, abunde cognita; ut Jesum crucifixum et mortuum esse; Davidem regnasse; Paulum gentibus praedicasse. Quo referenda sunt *etiam* ea quorum haberi potest scientia demonstrativa: ut unum esse Deum optimum maximum, et alia hujusmodi. Non ergo sentit Apostolus id omne quod creditur, esse *non apparens;* sed fidem esse eam animi qualitatem, qua propter Dei verbum ac testimonium certissime recipimus *etiam* ea quae non apparent, quaeque sensus humanus credere refugit. Haec enim sunt quae *per se* sub objecto fidei continentur; cetera non item ». Cf. etiam De Lugo op. cit. disp. II, sect. II, n. 98. ubi fuse propositam difficultatem solvit.

et fidem de eadem re simul consistere posse (1); tum etiam ex eo quod pro certo adstruat sive angelos sive primum hominem ante peccatum simul habuisse abstractivam Dei cognitionem longe ea perfectiorem quam nos per scientiam comparare possimus, una cum fide (2). Removet proinde solum a fide cognitionem intuitivam ipsius Dei quam in patria, uti speramus, consequemur (3). Igitur nisi velimus Angelicum Doctorem secum ipsum committere, in eadem et ipsum sententia fuisse, fateamur necesse est (4).

ARTICULUS II.

De nexu ac mutua relatione fidem inter ac rationem

234. Satis pro re nostra naturam et constitutiva fidei in se spectata enucleare sategimus: nunc quomodo fides ipsa in actu credendi ejusque objectis ad rationem se habeat, investigandum. Plures in hoc enim errores profligandi sunt. Nam praeterquam quod increduli omnes philosophorum sibi nomen adsciscentes, quavis aetate, ac recentiore etiam nostra proclamare haud destiterint, admissa fide, actum et conclamatum de ratione hominis esse, haud parum est disputatum utrum fides aliquid credendum quod nativis rationis ipsius principiis adversans sit proponere queat, aut revera proponat. Jam supra commemoravimus haud paucos e protestantibus, Luthero duce, in ea stetisse sententia, quod inter fidem et scientiam, theologiam et philosophiam bellum existere oporteat, ac aliquid utique dari *theologice* verum quod *philosophice* falsum sit et e contra (5): quinimmo plures eo pervenerunt, ut illud Tertulliani *credo quia absurdum*, veluti fidei tesseram constituerint (6). Neque pro veritatis amore omittere volumus aliquot etiam ex theologis nostratibus arbitratos esse principia prima evidentia ac universalia rationis vim omnimodam probandi habere in rebus naturalibus; in rebus tamen fidei non item, utpote quae cum rationis fi-

(1) Apud Suarez disp. III, sect. 9. n. 4. et patet praeterea ex iis, quae paulo ante ex s. Doctore attulimus.

(2) 2. 2. q. 5. ar. 1. O. Cujus haec sunt: « Illa sola manifestatio excludit fidei rationem per quam creditur apparens, vel visum id, de quo principaliter est fides. Principale autem objectum fidei est veritas prima, cujus visio beatos facit, et fidei succedit. Cum ergo Angelus ante confirmationem et homo ante peccatum non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur, manifestum est, quod non habuit sic manifestam cognitionem quae excluderetur ratio fidei. Unde quod non habuit fidem, hoc esse non potuit, nisi quia penitus ei erat ignotum id de quo est fides ».

(3) Ibid. in resp. ad 1. « Potest dici, inquit, quod contemplatio, quae tollit rationem fidei, est contemplatio patriae, qua supernaturalis veritas per essentiam videtur. Hanc autem contemplationem non habuit Angelus ante confirmationem, nec homo ante peccatum; sed eorum contemplatio erat altior quam nostra, per quam magis de propinquo accedentes ad Deum, plura manifeste cognoscere poterant de divinis effectibus, et mysteriis quam nos possumus ».

(4) Cf. Salmeronem in cap. XI. epist. ad Hebr. diss. XX. ad 10. dub. opp. tom. XI, p. 764. et Greg. De Valentia disput. 1. *De fide* q. 1, puncto IV, § 2. opp. edit. Lugd. 1063. tom. III, pag. 68 seqq.

(5) Cf. num. 9. hujus Partis III.

(6) Hoc etiamnum ab aliquibus Germaniae protestantibus, qui dicuntur *orthodoxi*, quippe symbolicos libros suos contra ratiocinalistas tuentur, veluti fidei professio tenetur.

nes undequaque excedant iis non sunt principiis rationalibus dimetienda (1). Nos igitur legitimam inter fidem et rationem concordiam tuentes, propositionibus insequentibus id praestare conabimur.

PROPOSITIO I.

Fides neque extinguit naturale rectae rationis lumen, neque illi umquam potest adversari

235. Statuta thesis hoc facile argumento conficitur. Si fides nativum rationis lumen extingueret, eique adversaretur, hoc fieret vel quia ipsa caecum omnino a ratione exigeret objectis credendis assensum, vel quia rationi quidquam credendum proponeret quod cum ejus principiis adversa fronte pugnaret. Atqui neutrum consistit.

236. Primum porro evincit quidquid hactenus disceptavimus de necessitate praeviae illius cognitionis naturalis et quidem certae circa *credibilitatem* divinae revelationis ad actum fidei ope divinae gratiae supernaturalem eliciendum. Si namque fides ipsa, veluti *praerequisitum* exigit ut ratio intelligat aliquo modo *quid* credendum sit (2), ac ut praeterea videat *quare credendum;* si talia evidentis credibilitatis motiva fides exhibet, quae illam rationabili plane modo inducere valeant ad fidei objecta amplectenda, nonne rationis jura nedum non destruit, sed sarta tecta tuetur? Irrationabiliter ergo ageret ratio, si positis illis extrinsecis credendi motivis intellectum captivare in obsequium primae veritatis revelantis, Dei, detrectaret (3).

(1) Mirum porro est Anton. Genovesi hanc anti-philosophicam doctrinam sectatum esse. Ipse enim 3. part. *Elem. metaph.* cap. v, § 18. asserit cum universali quidem infinitaque ratione dictata omnino divinae fidei cohaerere; at pronunciata humanae rationis divinorum ad mysteriorum materiam non pertinere, porrigique tantummodo ad naturam rerum factarum: id porro etiam de *axiomatibus* dicit, unde concludit. « Naturam itaque Dei non attingunt: ergo inde nec pro nec contra argumentum duci potest. Itaque eos hoc in loco probo scholae theologos, qui perspectissime prorsus respondent hoc (scilicet: *quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*) et similia alia axiomata in creatis rebus locum habere, non in divinis ». Hanc falsam doctrinam optime refellit alter egregius sane Italus philosophus Caesar de Horatiis jam in Romano Archigymnasio professor in libro *De universali methodo philosophandi*, *officioque philosophi*. Romae 1778. cap. xx.

(2) Jam rite Augustinus adnotavit, non omnia in mysteriis cadere sub fidem, sed quaedam in iis nos satis noscere unde aliquam credentes de mysterio ipso notionem concipere possumus. « Credimus, ait s. Doctor, Jesum Christum natum de Virgine, quae Maria vocabatur. Quid sit autem Virgo, quid sit nasci, et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus ». *De Trinit.* l. viii, c. 8. Idem dic de ceteris mysteriis, unde falsum est quod oggerunt increduli, mysteria nil nisi vanum verborum sonum esse, omni conceptu destitutorum.

(3) Apposite heic ita rationem ipsam alloquentem inducit Duguet: « Ecoutez un maître qui m'est supérieur et n'écoutez que lui. C'est par mon ordre que vous me quittez, et c'est ma lumière qui vous conduit à une autre. Il est juste que je sache si c'est Dieu qui révèle ses volontés et ses mystères, parce que je ne dois croire que lui, et ne me fier qu'à sa vérité; mais quand je suis certain que c'est lui qui parle, je n'ai plus qu'à l'écouter et me taire ». *Des principes de la foi*, tom. i, cap. i.

237. Sed alterum etiam aeque invicte probatur: revelatio enim, quae fidei objectum est, ac naturalis ratio nonne Deum pariter habent auctorem? Nonne duo veluti radii ejusdem luminis indefectibilis sunt, duo veluti rivi ab eodem inexhauribili fonte manantes? Quinam igitur pugnantes inter se poterunt esse? Quomodo veritas veritati unquam poterit contradicere? Aut Deus sibi ipsi contrarius esse ut contraria per diversa illa media nos doceat? Certum igitur est nulla divina dogmata adversari rationi posse: tali nempe rationi quae recte et ex lege naturae suae procedat non vero quae utcumque quaeque contra rationales suas leges temere peccet (1).

238. Praeterea veritates a fide propositae aut captui rationis accommodatae sunt, aut illum prorsus exsuperant. Quoad primas nulla est oppositio pertimescenda: siquidem talia veritatis germina, licet firmiora atque uberiora, ratio inde percipit a fide, quae in suo, ut ita dicam, solo ratio ipsa aut jam detexerat, aut absolute detegere potuisset, quaeque nunc illa per fidem etiam edocta poterit facilius nativo lumine suo evolvere, novisque ejusdem ordinis veritatibus locupletare. Quod si de veritatibus rationem excedentibus seu de mysteriis agatur, numquam ratio intrinsecam in iis repugnantiam percipere valebit: haec enim cognitio supponeret perfectam *subjecti* et *praedicati* ac *intrinseci* eorum nexus notitiam: quod quidem ipsa mysterii natura excludit (2). Quid est enim mysterii propositio nisi notitia rei, quam dari nonnisi a dicente seu revelante cognoscere poteramus, et quae quoad *existentiam* quidem constat, sed quoad *modum* existendi, et quoad omnes qualitates non declaratur, immo nec innotescere potest? Omnis igitur repugnantia erit tantum apparens, quam ratio recte instituta dispellet (3). Hoc jamdiu animadvertit s. Thomas (4). Hoc declaravit expresse synodus Lateran. V.

(1) Nonnisi ex prava philosophandi methodo oriri hanc oppositionem posse, ostendit solide Caesar de Horatiis op. et cap. jam citt., atque in eo totus est ut rectam methodum philosophandi commonstret, cunctisque philosophis suadeat. Plura porro ibidem ad religionis dogmata tuenda opportuna comperies.

(2) Egregie declarat hoc argumentum Cl. Gerdilius in op. *Introduzione allo studio della religione*, exemplis etiam ex mathematicis adductis. Cf. p. 135 seq. atque etiam si lubet Tract. nostrum *De vera religione* tom. I, c. I, prop. III.

(3) Argumenta *physice* tantum aut *moraliter* certa ad fidei dogmata labefactanda nihil valere possent: quippe cum illa non absolutam sed *hypotheticam* necessitatem habeant, divinam nequeunt naturam attingere. Metaphysica tantum principia quae in principio *contradictionis* fundantur, ad divinam quoque naturam pertinere dubium non est, ac proinde oppositum illorum absolutam in Deo ipso impossibilitatem certissime evincerent: quod qui negent theologi, jam omnem certitudinem evertunt, ac tollunt possibilitatem ipsam humanae rationi quidquam de Deo ejusque proprietatibus statuendi. Ast nullum est mysterium quod principio ejusmodi metaphysice adversari ostendi possit: nulla difficultas in hoc quae solubilis non sit; nec omnes incredulorum conatus aliud effecerunt, nisi distortum ac sophisticum suum ratiocinandi modum patefacere.

(4) Lib. I. *contr. Gent.* toto cap. VII. ubi hoc copiose evolvit. Satis hic nobis sit ea adducere quae habet n. I. « Ea enim, inquit, quae naturaliter sunt insita: verissima esse constat, intantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare; nec id quod fide tenetur, cum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est, impossibile est illis principiis quae ratio naturaliter cognoscit praedictam veritatem fidei contrariam esse ».

illis verbis: « Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati fidei contrariam, omnino falsam esse definimus (1) ». Hoc demum ipsum nos quoque in toto praelectionum nostrarum decursu, ubi de mysteriis fidei nostrae singillatim est actum, conficere adnisi sumus.

DIFFICULTATES

239. I. Obj. Nulla dari major oppositio potest quam fidem inter ac rationem. Nam 1. Fides est caecus assensus objectis in quibus nil ratio intelligit ac videt. Ratio autem nonnisi in evidentia quiescit, atque absolutum jus habet cuncta inquisitioni suae subdendi ut de veritate aut errore novissimum proferat judicium. 2. Hinc satis celebrari nequeunt, qui cogitationem philosophicam ab auctoritatis jugo emancipare conati sunt: quo factum est ut cuique jam integrum sit de magnis illis problematibus, quae Deum, hominem ac naturam respiciunt, libere disceptandi. 3. Id vero quin ullam impietatem redoleat, Deum ipsum rationis auctorem extollit, quippe ea sola obedientia rationabilis est, qua ratio legibus certisque principiis suis unice obtemperat (2). Ergo.

240. Resp. *N. A.* ad 1. *D.* fides est caecus assensus quoad *intrinsecum* in mysteriis subjecti ac praedicati *nexum*, *C.* quoad motiva *extrinseca* firmum assensum praebendi *N.* Ea est humanae rationis natura, ut nil sine firmo ac rationabili motivo pro vero et certo habere queat, ac tale motivum quaerere in ipsius jure positum est. Sed cum objecta cognitionis sint diversae naturae, ac a diversis fontibus promanent, *motiva* illa assensus firmi ac rationabilis *intrinseca* aut *extrinseca* esse possunt. Num omnia quae ratio ut vera admittit, ac admittere debet, ex puris idearum relationibus, aut ex contemplatione naturae procedunt? Num poterit ipsam veritatem historicam repudiare, licet motivis tantum extrinsecis innitatur? Quinimo nonne ex canone recepto newtoniano experimentis constantibus ac certis credendum est, etiam si ratio non

(1) In *Collect. conc.* Veneta Coleti tom. XIX, col. 842. Editum porro est hoc decretum adversus philosophos illos qui autumabant posse aliquid verum esse in theologia, quod falsum sit in philosophia. Tantum autem abest ut synodus illa quidquam a *recto* rationis usu adversum fidei pertimesceret, ut Leo X. tunc pontifex philosophos aetatis illius excitarit, atque hortatus sit ad demonstrationes pro animarum immortalitate ex naturali ratione conficiendas, et contraria argumenta dissolvenda.

(2) Haec quidem aliaque ejusmodi plura profert cum schola neo-ecclectica D. Bouillier philosophiae professor Lugdunens. in *Discours d' ouverture à la faculté des lettres de Lyon*. Lyon 1840. a pag. 5. ad 10. Ceterum haec non sunt nisi leve specimen rationalismi philosophici qui nunc plures occupat scholas in Galliis, ac magis in dies progreditur, ut patet ex documentis pastoralibus episcoporum Galliarum. Eminet inter haec quod dedit archiepiscopus Tolosanus D. d' Astros adversus Gatien Arnoult profess. in universitate Tolosana, cujus non pauca excerpta exhibet. In quo illud notamus, quod disserens hic professor de religione christiana cujus progressus ad perfectibilitatem adstruit, concludit: « Elle *excluera la foi*, pour faire place *à la raison* . . . . Dans l' avenir il y aura triomphe éclatant et développement complet des principes du christianisme, etc. ». Vid. *L' union catholique* 5. Fev. 1842. Haec schola christianismum post Hegel philosophicum facit, quaeritque Christum historicum *in idea* mentis. Verum de his partim disseruimus, partim paulo infra uberius disseremus.

pateat? Et quot physica pro indubitatis habet, licet ea partim cognita, partim incognita sint? Fides igitur hoc non denegat rationi jus ut in illa fundamenta revelationis inquirat, quae firmissima credendi motiva suppeditant: *testimonia* enim ejus *credibilia facta sunt nimis*, et ipsa *vincet cum judicabitur*. Ast ipsam velle mysteriorum naturam ratione metiri, hoc esset in Deum superbe insurgere, perinde ac si ille in infinita natura ac scientia sua non haberet, quod rationem humanam latere posset ac deberet.

241. Ad 2. Qui conati sunt emancipare cogitationem philosophicam a jugo auctoritatis *D.* philosophicae, *Tr.* divinae *N.* Nil nostra refert quidquid ad varia philosophorum dogmaticorum placita spectat: sua sint rectae rationi integra in hoc jura. Ast cogitationem philosophicam ab auctoritate divina revelante, ac veritatem revelationis suae tot argumentis indubiis testante emancipare, non laudi, sed magno rationis ipsius philosophantis probro ac detrimento est. Qui enim ita procedit *rationabile officium*, quo in divinum auctorem suum obstringitur, pessumdat; veritati affulgenti se subtrahit; sublimissimam illam cognitionum partem, quae rationem ipsam supra se extollunt, recondita humanitatis mysteria patefaciunt, veram hominis destinationem aperiunt, physicum, intellectualem ac moralem ordinem miro inter se nexu copulatum ostendunt, a se stultissime rejicit; et in ipsis illis veritatibus, quas ratio per se cognoscere posset, sed quae firmius et uberius a revelatione traditae sunt, iterum fluctuat atque caecutit. Id porro lacrymabili sane sed luculento exemplo recens neotericae pseudophilosophiae ostendit historia (1).

242. Ad 3. *Neg.* in sensu adversariorum. Utique ea sola est obedientia rationabilis, qua ratio legibus certisque principiis suis obtemperat: sed num leges, certaque rationis principia exposcunt, ut ea sola pro veris habeat ratio quae *intrinsece* videt ac intelligit, aut externis sensibus suis usurpat? Num lex rationis certissima non est, ut etiam illud admittat, cujus existentia validissimis argumentis licet *extrinsecis* probata sit? Quid magis igitur rationi conforme, quam divinae auctoritati manifeste docenti totam se tradere, atque in ea veluti in amantissimae matris sinu tuto conquiescere?

243. II. Obj. Posito principio quod fides rationi adversari nec possit nec debeat 1. jam destruitur vera in mysteriis *supernaturalismi* ratio (2). Nam

(1) Merito hic commemorandum est egregium opus cl D. Severini Fabriani « *La religione cristiana dimostrata per la natura de' suoi misteri* » Modena 1828-1837; in quatuor partes divisum, in quibus haec invicte ostendenda suscipiuntur: « Nella prima, che tutti i sistemi di religione o d'incredulità inventati dagli uomini contengono misteri, i quali con le loro assurdità offendono l' umana ragione. Nella seconda, che tutti i sistemi di religione e d'incredulità inventati dagli uomini contengono misteri i quali colle loro conseguenze corrompono la morale. Nella terza, che sola la religione cristiana contiene misteri, i quali invece di offendere, sublimano l' umana ragione. Nella quarta, che sola la religion cristiana contiene misteri, i quali invece di corrompere perfezionano la morale », vid. *Introduz.* pag. 6 et seqq.

(2) Hanc et sequentes objectiones libuit afferre, quia non desunt praesertim in Germania sive catholici sive protestantes qui ad alterum extremum rationalismo oppositum deflectunt, et rationis *nihilismum* inducunt, occasionem etiam ad id ex damnatione Hermesii doctrinae, ut alias adnotavimus, arripien-

sequitur inde 2. rationem debere *singula fidei dogmata* ad suum tribunal arcessere, ut judicet per acrem demonstrationem num illa in propriis fidei fontibus, verbo nempe Dei scripto et tradito contineantur; secus, pro iis saltem qui hujus inquisitionis incapaces sunt, actus fidei non esset prudens, et in rationem peccaretur (1); 3. etiam postquam demonstratum sit aliquod dogma esse certo

tes. Nos vero veritatis ac religionis bonum unice sectantes, quae vere hic in Hermesio reprehendenda sunt, patefacimus, ut extrema devitentur, ac media illa via qua tuto incedi potest, elucescat.

(1) Hermesii sectatores mihi forte succensebunt quod hanc doctrinam praeceptori suo tribuam, cum ipse in dogmatica christiano-catholica part. 1, pag. 21. haec habeat: « Si Jesus est *legatus* Dei . . . verum est *omne id* quod tamquam Dei legatus docuit . . . . Nobis tunc opus non est amplius eam doctrinam *demonstrare*, minus vero eam comprehendere. Si ostensum semel est, Jesum eam docuisse, nos debemus illam idcirco uti veram amplecti eique credere ». Opponent etiam plura loca in quibus Hermesius *Ecclesiae magisterium* veluti catholicae fidei tesseram proclamat. Optima haec quidem; sed cum toto Hermesii systemate quonam pacto cohaerent? 1. Etenim quid est quod Hermesius pro discretione et admissione *singulorum* fidei articulorum, ut fides pia et rationabilis sit, *demonstrationem* acerrimam pro *conditione sine qua non* exigit expresse? Cf. quae ex eo superius attulimus ex Intr. Phil. 2. Quare Hermesius in sua *Methodologia* praemissa *Positivae Introductioni in Christ. catholicam theologiam* canones hosce veluti indeclinabiles statuit? « I. Nos debemus valedicere omnibus systematibus tum theologiae, tum *religionis*, in quantum ea nondum veluti certe vera noverimus *theoretice*; id quod possumus exequi si vivam in animo persuasionem habuerimus, quod nullum, ne quidem ex. gr. *catholicismus*, aut *christianismus* generatim, ideo verum sit, quia in eo nati sumus; et quod nos sancte et juste apud conscientiam nostram agemus, si nos ad illud (systema religionis) converterimus, quo ratio nostra nos ducet, quia ista est *unica norma*, quam auctor *nostri esse* nobis a nativitate impertitus est in hujus vitae cursu, cum dictamine alte in corde nostro proclamante, eam sequendam esse ubicumque illa *demum nos ducere possit*. II. Nos debemus parati esse oraculum rationis sequi, *sine ullo respectu* ad modum quo illa se habeat cum doctrinis theologicis aut *religiosis hactenus retentis* . . . quia secus peccaremus in rationem nostram et proinde in illum qui eam nobis dedit, et id quidem in ea re ex qua forte salus nostra pendere deberet in tempore et aeternitate », pag. 30. 31. Suntne tales canones catholicis theologis, aut theologiae catholicae alumnis praescribendi, quasi nempe ex rationali *demonstratione* instituenda pendentem facere deberent vel perseverantiam fidei in catholicismo, vel ejus repudiatione? III. Quare Hermesius in sua *methodologia* praemissa ad 1. part. Dogmaticae suae praescribit 1. Quodvis dogma ut *problema* spectandum esse. 2. Quaeritur circa illud quid habeant theologiae fontes. 3. Circa sensum cujusque loci instituuntur grammaticae, criticae, philosophicae inquisitiones etc. Hoc praestito circa locos omnes, debent simul conferri et videre num sese mutuo fulciant. « Ac tunc demum debet interrogari *ratio*, *quid ipsa post hoc omne exigat ut admittatur tamquam doctrina Jesu*. Ista est doctrina unica *historica vera*. Si ratio *non exigit quidquam admittere* uti doctrinam Jesu historice veram, tunc doctrina *problematice* ab initio proposita . . . concidit per se, veluti aliquid de quo revelatio nil decernit, extra theologiam specialem Christ. Catholicam » . . . « Postea vero si *doctrina Jesu* historice certa sit, quaeritur de ejus *interna* veritate . . . sed eatenus, quatenus aliis *certis cognitionibus rationis contradicat nec ne* ». ibid. p. 135.

revelatum, rationem non posse nec debere illi assentiri, nisi *prius* exploratum habeat dogma illud principiis suis naturalibus minime in se repugnare (1); **4.** hinc verum prorsus esset, rationem in negotio fidei *principem*, imo *unicam* normam esse oportere: quae quidem omnia praecipuum Hermesii systematis vitium constituunt.

244. Resp. Ad 1. Si *supernaturalismi*, quem vocant, mysteriorum ratio consisteret *in absurditate*, *C.* Si in *incomprehensibilitate* tantum *N.* Aliud est mysteria *incomprehensibilia* esse, aliud *absurda* ac cum ratione manifeste pugnantia. Baylius utique duo haec confundebat, sed temere omnino. Primum enim proprium ac essentiale mysterio est, quippe rationis fines natura sua praetergreditur: alterum indignum homine *rationali* esset, indignum fide *supernaturali*, indignum Deo *veritatis* fonte unde dimanat (2).

245. Ad 2. *D.* In sensu Hermesii,

(1) Hanc etiam doctrinam insinuat Hermesius uti in nota praecedente; et hic duobus locis ex eo depromptis firmamus. 1. In III. parte *Dogm. Christ. Cath.* p. 141. postquam ipse ex omnibus cognoscendi fontibus revelatis existentiam peccati originalis *complete demonstraverit* (sic ipse) ac juxta *positivam doctrinam* christianae catholicae theologiae satis probaverit, nondum tamen eam *firme statutam* esse declarat, *quippe nescimus* utrum *demonstrari possit ulla contradictio hujus doctrinae cum ratione* . . . Hanc autem cognitionem eo *magis necessariam esse* ait, quod plures hanc contradictionem revera inveniant. Hic ergo Hermesio ad prudentem fidem in peccati originalis dogma satis non est, quod constet illud revelatum esse ex Scriptura, ex Traditione et ex magisterio ecclesiae, sed *necessarium* prorsus est demonstrare quod non *adversetur rationi*.

2. Alterum luculentius exemplum est in ipsa III. parte dogmaticae p. 254. Ubi postquam Hermesius fuse ostenderit Jesum Christum Deum-hominem esse, haec habet: « Nunc ergo ex omnibus principiis cognitionis christianae catholicae fidei probatum est, in Christo Jesu naturam divinam inter et humanam revera intercedere unionem non moralem sed physicam, ex qua naturae ambae in subjectum unum coalescunt, quod est Deus-homo » (et pag. 253.) jam dixerat: « conceptus iste Jesu Christi nobis datus est a s. Scriptura, a Traditione et a fide expresse declarata ab universali ecclesia ». « Ergo nullum est dubium de rectitudine illius *juxta conformitatem cum revelatione* . . . . sed de admissibilitate illius *secundum rationem* valde decertatum est in veteri ecclesia . . . . . Itaque vitari nullo modo potest quaestio *utrum ratio re vera* necessario cogatur ad habendam *pro impossibili* unionem illam naturae divinae et humanae in unico subjecto . . . Negatio perentoria hujus quaestionis est *conditio fidei nostrae in Jes. Christum* ut Deum-hominem, hactenus *ex revelatione probatum*; ac proinde haec est *irremissibilis exigentia* ad fundandam fidem nostram, ac divinam redemptionem ». Patet ergo quod prius quam *ratio* huic exigentiae satisfecerit, *fides fundata non sit* ex Hermesio; et si ratio revera illi exigentiae satisfacere nequiret, numquam fundaretur fides in Jes. Christum.

(2) Hinc rejicimus omnino illud *credo quia absurdum est*, quod certe, si est protestans, catholicum non est. En quid auctor germanicus Franenstadt in libro *Die Menschwerdung Gottes* etc. seu de *Incarnatione Dei juxta suam possibilitatem realitatem et necessitatem*, Berolini 1839. scribat: « Sed quid juvat iterum solutio (occurrentium difficultatum) si quidem ob *contradictionem insolubilem* contentam in conceptu incarnationis Dei, incomprehensibilis redditur ipsius possibilitas? . . . Homini juxta conscientiae leges cogitanti, quousque illa contradictio non solvatur, nil aliud reliquum est, nisi sibi ingenue fateri dissidium inter fidem et scientiam, inter religionem et philosophiam, et consequenter a *credo ut intelligam* regredi ad *credo* quia *absurdum* est ».

C. in sensu vere catholico et orthodoxo *N.* Distinguendum porro hac in re inter illos qui fidem primo amplectuntur, et eos qui fidem jam susceperunt. Quoad primos certe exigit ratio, de ordinaria lege, ut aut per inquisitionem sedulam motivorum credibilitatis, aut per sufficientem eorum propositionem certa moraliter fiat de revelationis existentia, deque ecclesiae proponentis auctoritate. Sed ubi hoc assecuta sit, ac divinae gratiae afflatu revelationi ac proponenti ecclesiae fide assentiatur, jam ex ecclesiae infallibilis auctoritate debet dogmata ab eadem nomine Dei revelantis proposita uti certissima fide divina suscipere, sine *ulla* de singulis *demonstratione* quamvis e propriis theologiae fontibus hausta. Secus enim non ob auctoritatem Dei revelantis et ecclesiae proponentis crederet, sed ob rationalem demonstrationem, qua se judicem constitueret, utrum quodvis dogma revelatum divinitus sit nec ne, quod esset fidem destruere, ac in protestantium principium dilabi. Quoad illos vero qui fidem jam susceperunt eique adhaerent, nil vetat quominus examen quod vocant *confirmativum* atque *inhaesivum* instituant, sive generatim de motivis credendi in revelationem et ecclesiam, sive de fundamentis cujusque dogmatis in ipso verbo Dei revelato. Hoc quidem praecipue theologi munus est, sed non ab hoc examine debet aut potest fides cujusquam formaliter pendere: secus iterum in mere *rationalem* fidem recideremus. Hinc patet quam latam errori viam straverit Hermesius, dum ad prudentem fidei assensum suam illam de singulis dogmatibus demonstrationem postulavit.

246. Ad 3. Iterum *D.* Juxta Hermesium *C.* juxta sinceram fidei naturam *N.* Eo ipso quod ratio certa sit Deum esse locutum, ac ecclesiam divina auctoritate praeditam esse ad verbum Dei proponendum, jam illa tenetur verbum illud revelatum fide suscipere: nec alia rationalis inquisitio circa dogma ipsum requiri ulterius potest. Si namque certo jam constet esse verbum Dei revelatum, hoc ipso certo jam constat nil haberi quod rationi adversetur posse: secus qui ageret, assensum divinae revelationi certo cognitae suspensum ac pendentem faceret ab inquisitione sua mere *rationali*, utrum scilicet natura dogmatis principiis suis rationalibus adversaretur nec ne. Aliud vero est quod theologus ad dogmata fidei tuenda ac illustranda hoc etiam praestare debeat, ut nil ea habere demonstret, ex quo ulla repugnantia cum rationis principiis possit inferri. Officium theologi et officium credentis Hermesius plane confundit.

247. Ad 4. *D.* Si praemissae verae essent *C.* si falsae *N.* Certe positis principiis et canonibus ex Hermesio allatis, sine quibus prudens ac rationabilis fides oriri nequiret, consequitur sponte sua rationem *principem*, immo *unicam normam* esse in fidei negotio. At ea nimis rectae methodo ac doctrinae adversantur. Humana enim ratio utique unicum *medium* seu *instrumentum* est quo nos uti possumus ad motiva credendi percipienda atque ad ipsas res fidei cognoscendas: sed non eo sensu ut *judicet* de singulis dogmatibus, atque ex hoc judicio suam faciat fidem pendentem. Quod si theologus ratione utitur sua ad inquirendum utrum et quomodo dogmata singula fundamentum habeant in verbo Dei scripto vel tradito, non certe *principem normam* fidei suae rationem constituit, si quidem catholice procedit, sed munus suum dependenter ab ecclesiae auctoritate, proxima fidei regula, exequitur prout in capite inseq. clarius edocebimus.

PROPOSITIO II.

Fides nedum humanae rationis incrementis non adversatur, sed ea potius mirifice provehit

248. Frequens ac solemnis est altera ab incredulis ac rationalistis in christianam fidem impacta calumnia, ex ea nimirum humanae rationis evolutionem ac perfectibilitatem praepediri, ejusque vim sub fidei jugo opprimi omnino, atque elidi. Nec ab iis fere discrepant protestantes, qui quamvis fidem, privato nimirum cujusque judicio innixam, admittant, omnes tamen in ecclesiam catholicam insurgunt, quod ista dum fidem ex principio repetit auctoritatis, *obscurantismum* quem vocant, foveat, scientiarumque omnium progressus retardet. Contra hos omnes hanc statuere propositionem heic operae pretium erit.

249. Fidem catholicam certe rationis humanae incrementis nedum non adversari, sed ea mirum in modum provehere, evidens erit, si ex eadem fide sive *directe* sive *indirecte* scientias omnes optimaque studia quibus maxime excolitur ac perficitur humana ratio, juvari vehementer ac promoveri probaverimus.

250. Quod ut praestemus ea ratione quae lucido simul ordini ac brevitati consulat, latissimum scientiarum campum ad peculiares quasdam classes, sapientum judicio satis probatas, ipsaque rerum diversa natura definitas, revocare juvat. Nam vel ad intellectus speculationem, ac theoreticam entium doctrinam scientiae pertinent, ut logica, psychologia, ontologia, anthropologia, cosmologia, naturalis theologia etc. ac *rationales* dicuntur; vel humanam operationem ac praxim prope attingunt, uti ethica, politica, jurisprudentia, et *moralium* nomine veniunt; vel demum in physica rerum natura investiganda, uti physica generalis ac particularis, chemia etc.; aut in quantitate supputanda versantur, uti mathesis ejusque multiplices divisiones, quae disciplinae omnes *naturalium* appellationem sortiuntur. Scientiis demum istis ea adjici possunt studia, quae generali bonarum artium nomine comprehenduntur, quales historia, critica, pictura, sculptura, poësis aliaeque ejusmodi sunt.

251. Jam vero primum *directe* catholicam fidem scientias istas ac bonas artes promovere luculentissime ostenditur ex eo quod ad illam sive adstruendam, sive constabiliendam omnium fere scientiarum apparatus necessarius existat. Etenim cum prius *praeambula* ad fidem, quae ex dictis supponi debent, in tuto collocanda sint, scilicet Dei existentia, providentia, animorum immortalitas etc. jam cognitionis humanae fundamenta, certitudinis ac veritatis criteria, ratiocinandi leges, animi naturam ac proprietates, ontologicas notiones atque principia sedulo investigare ac persequi opus est: quae quidem ac id genus alia ita scientiarum rationalium usum exposcunt ut sine illis ulterius progredi frustra contendas. Motiva deinde credibilitatis expendenda, ac ita vindicanda, ut fidem evidenter credibilem efficiant. Innumeris pene hinc disquisitionibus historicis, criticis, philosophicis, physicis, physiologicis etc. aditus patet quibus vaticinia eorumque adimplementa, multiplicia miracula, media et obstacula tum propagationis tum conservationis fidei, martyrum testimonium ejusque ad probandum vis firmiter constabiliantur. Idem continget cum de unice vera ecclesia a Christo instituta, ejusque immutabili ad mundi usque finem tot inter procellarum fluctus stabilitate disceptabis; de constitutione, praeterea, notis dotibusque ejusdem ut tuto possit a spuria quavis secta secerni, tum de supremo ejus visibili capite; quibus con-

stitutis ad quemvis posthac peculiarem articulum aut dogma fidei devenias (1).

252. Quid vero cum dogmata singula discutienda et vindicanda, cum disciplinam ab ecclesia sancitam, leges conditas, errores proscriptos, damnatas theses quae integritatem ejus doctrinae quoquo modo labefactant aut temerant, vel propugnanda vel evertenda suscipias? Exinde polemica, seu ut modo loqui adamant, apologetica theologia exoritur quae innumeras fere quaestiones amplectitur agitandas adversus incredulos, haereticos, catholicosque neotericos ad sartam tectamque fidem catholicamque doctrinam adserendam ac protuendam. Quum vero fidei hostes omnibus disciplinis abutantur, abstrusa quaeque rimentur, monumenta conquirant, facta aut historias corrumpant, nulli parcant fraudi atque molimini quo ecclesiam a pacifica sua possessione deturbent, necessitas catholicis oritur quo veritas integra et incorrupta maneat, omnium prorsus disciplinarum subsidium in rem suam derivandi.

253. Ad haec accedit, plures ab ecclesia catholica articulos tradi, qui ad bonas artes provehendas mirifice conferunt, cujusmodi sunt quae cultum externum, aliaque id genus attingunt, quibus factum est ut pictura, architectura, statuaria semper fuerint excultae, summosque viros quovis tempore extulerint de aesthetica optime meritos (2). Quid de linguarum orientalium studio dicam, quarum pleraque monumenta in ecclesia catholica conservata sunt, quibusque impensam semper viri insignes dederunt operam (3)? Eodem prorsus modo dicendum est de archaeologia sacra et profana, de palaeographia, numismatica, epigraphia etc. quae in gratiam et commodum christianae et catholicae fidei quavis aetate altae sunt, et incrementum ingens acceperunt (4). Idem in primis adstrui de geographia necesse est, quae nempe ex *missionariorum* nostrorum excursionibus superiore aetate maxime innotuit (5).

254. Et haec quidem *directe;* verum haud minori efficacia scientiarum progressum fides *indirecte* promovit ac pro-

(1) Quae hic vix attigimus ad ostendendum veluti in germine quomodo fides faveat progressibus ipsis rationis, ac quam propterea apte illi consonet, latius in capite insequente ubi de rationis officiis *post fidem* agemus, erunt evolvenda.

(2) Hoc inter cetera ostendunt praestantissima opera clarissimorum virorum Jo. Winckelmann, Jo. Bapt. Aloysii Georgii Seroux d'Agincourt, et Leopoldi Cicognara, qui picturae, et sculpturae historiam a suis initiis usque ad aetatem nostram perduxerunt monumentisque omnigenis illustrarunt; pleraque porro haec monumenta ad rem christianam spectant. Idem dic de historia picturae cl. Aloysii Lanzi S. J. quae pariter patefacit quantum contulerit ecclesia catholica ad ejus progressus et augmentum.

(3) Certe monumenta linguae copticae, linguae syriacae, chaldaicae etc. quae supersunt, ac proinde illarum studium et cultura aut unice, aut magna saltem ex parte catholicae fidei in acceptis referenda sunt; polyglottae biblicae ex missalibus, euchologiis aliisque liturgicis libris, quoad has linguas, sunt confectae non minima ex parte. Semper has linguas excoluerunt catholici in missionum gratiam quas penes illas gentes susceperunt.

(4) Immortalia semper erunt opera Bosii, Aringhii, Boldetti, Lupi, Marangoni, Muratori, Zachariae, Morcelli aliorumque magno numero, quae frustra apud protestantes quaeras.

(5) Cf. Card. Zurla in *Dissertaz. dei vantaggi dalla cattolica religione derivati alla geografia e scienze annesse*. Roma 1822.

movet. Cum enim catholica fides veluti commune centrum sit in quod ethnicorum et infidelium, judaeorum, haereticorum, schismaticorum, impiorumque omnium tela perpetuo diriguntur, fit ut ejus defensores ad tot ictus elidendos ac infringendos non possint quin in omnigenas scientias ac disciplinas animum solerter intendant. Primis disjectis difficultatibus, novae identidem succedunt, quas aliae iterum et aliae continenter excipiunt; inde actio illa jugis exurgit et reactio quibus perpetua praebetur culturae scientiarum omnigenarum alimonia. Quemadmodum vero scientiae ulterius semper progrediuntur, unde novas adversarii indesinenter difficultates urgent adversus catholicam fidem, sic novi pariter exinde excitantur in catholicis progressus ad eas dissolvendas.

255. Ex his luculenter liquet catholicam fidem esse, si hac uti comparatione fas est, ad instar electricae machinae, quae scientiae veluti fluidum excitat ubique communicatque, ac vivus proinde semper et ardens sacer, ut ita dicam, ignis, illius ope servatur et alitur. Fide autem sublata, magnum saltem incitamentum scientiis deesset. Quo fit, ut divina providentia ex mala ipsa errorum progenie qua suam perturbari et concuti ecclesiam sinit, hoc inter alia bonum eruere numquam destiterit.

256. Sed alio generaliori argumento confirmatur nostra thesis. Quem enim catholica Fides habet auctorem nisi Deum ipsum, nimirum scientiae fontem ac largitorem uberrimum, qui *scientiarum Dominus* voluit appellari (1); qui cum inexplebilem veri assequendi cupiditatem homini ingesserit, tum illum in sacris litteris ad scientiam ac sapientiam sibi omni labore ac studio comparandam continenter excitat (2); qui a sacerdotibus suis ut scientiam custodiant, et cum aliis diligenter communicent, requirit? Quid arctius igitur cum scientia quam vera fides, catholica nempe, copulatum est? Quod firmius dari potest vinculum ad scientias omnes in unum veluti corpus colligandas, easque incorruptas servandas quam vera fides? Hinc ubicumque fidei hujus splendor effulsit, statim animi ad omnem vitae cultum, ad politiores artes, atque optimas quasque disciplinas excitati. Hinc Romani Pontifices, ipsius fidei custodes ac vindices, nil umquam habuerunt antiquius quam una cum fidei amore studia litterarum, scientiarumque ubique fovere, vetera illarum monumenta studiose colligere ac inter tot temporum clades servare, sedemque suam non modo religionis centrum, sed etiam bonarum artium ac disciplinarum veluti domicilium efficere (3).

257. Magnum vero heic ad rem fir-

(1) Lib. I. Reg. II, 3.

(2) Eccli. I, I. Prov. II, 6. XIII, 23. atque alibi saepe.

(3) Quis porro posset tot tantaque Roman. Pontificum in optima quaeque studia et artes promerita percensere? Satis heic esset commemorare, celebriores atque illustriores Europae universitates nonnisi ex sententia, favore et assensu Roman. Pontificum fuisse constitutas. Si quis aliquod hujus rei specimen desiderat, conferat orationem inauguralem habitam die 4. Nov. ann. 1834. in universitate catholica Lovaniensi tunc iterum instaurata, ubi plura diligenter collecta inveniet. *Annali delle scienze religiose* vol. I, n. I. Couringium *De antiquit. academicis* dissert. VII. Gotting. 1739. Georgium Hagelgans, *Orbis litteratus academicus* Francof. ad Maenum 1737. Christoph. Meiners, *Geschichte der Entstehung* etc., seu *historia erectionis et progressus scholarum altiorum* etc. Gotting 1802-5, quamvis acatholici merita Rom. Pontificum in litterariam rem universam minime inficiantur.

mandam robur accederet ex tabula comparativa progressuum quos in disciplinarum studiis humana fecit societas ante et post christianae fidei ortum; scientiarum iterum status illis in regionibus penes quas viguit olim christiana fides, postea vero extincta est, aut ad quas nondum illa pervenit. Tametsi enim in cultioribus mundi antiqui regionibus plura floruerint ingenia praestantissima, Athenis praesertim ac Romae, ecquis non videt quam exigui fuerint scientiarum progressus in ethnicismo, si cum illis conferantur quos tulit posterior aetas? Vix crepuscula cernas fulgentissimae illius lucis quae undique deinceps se diffudit, ac in omni pene scientia emicuit. Si compares florentissimas quondam Asiae et Africae provincias cum barbarie in quam post islamismum, haeresim aut schisma dilapsae sunt, vix eas hac in parte agnosces. Imperium Sinense fixum ac haerens in infantia sua post tot secula perstitit; Indicae regiones adhuc in fabularum suarum veluti incunabulis detinentur.

258. Jure igitur concludas oportet tantum abesse ut fides catholica humanae rationis cultui ac incrementis officiat, ut ea mire prorsus juvet provehatque (1).

DIFFICULTATES

259. I. Obj. Fides seu principium auctoritatis hostis naturalis est omnis scientiae, et cujusvis progressus. Nam 1. superstitionem gignit ignorantiae matrem, et quin hominis acuat ingenium,

Quod si Romae tantum sistamus incensi hujus Pontificum studii testes locupletissimi sunt amplissimae bibliotecae erectae, Vaticana praesertim, (Cf. Morcelli *Inscription. Commentar. subject.* Romae 1783. c. VIII. item *Fasti Orbis christiani)*; academiae institutae ad omnigena studia promovenda (cf. Renazzi *Storia dell' università degli studj di Roma*. Roma 1803-1806.); monumenta per eos detecta et erecta in urbe de quibus late agit Georg. Zoega (in op. *De origine et usu obeliscor.* Romae 1797); Musaea demum, ut caetera praeteream, Pio-clementinum, Pianum, ac denique Gregorianum, quod nempe immortalis Gregorius XVI. in aedibus vaticanis instruxit, undique comparatis Aegyptiorum Etruscorumque monumentis ad publicam utilitatem. Quid vero dicendum esset de tabulis egregie pictis, nummis omnis generis, aliisque innumeris ab iisdem Pontificibus summo studio collectis ad urbis ipsius et religionis ornamentum? Haec omnia aliaque ejusmodi innumera Pontificum praeclare gesta in quavis aetate erga scientias atque artes, litteratosque viros pluribus certe voluminibus exarandis uberrimam segetem suppeditarent.

(1) Dum haec cursim pro instituto nostro persequimur, gratulandum sane est, quod aetate hac nostra ardens in plurimorum catholicorum animis studium fervescat conjunctionem scientiarum omnium cum vera Christi religione alacrius in dies promovendi. In quo collaudandam praecipue se offert noviter instaurata universitas Lovaniensis in Belgio, quae huic sublimi scopo adeo naviter docteque adlaborat. Praeclaros etiam commendamus in id ipsum conatus, quos exerit, variis erectis institutis, editisque operibus Gallia: in qua satis sit periodicum opus memorare — *L'université catholique* — quod veluti monumentum est scientiarum omnium religionis honori dicatum. Haud parum etiam in eundem finem contulit egregium opus anglice conscriptum, sed gallice, ac italice translatum, et nunc iterum Mediolani et Neapoli recusum, cl. episcopi Wiseman; *Conferenze sopra la connessione delle scienze con la religione rivelata*, omnigena sane eruditione refertum. Haec quidem aliaque hujusmodi multa faustissima omina sunt perfectae illius concordiae fidem inter ac scientiam, quam boni omnes exoptant quamque nos pro virili et provehere conati sumus, atque adeo conabimur.

illud auctoritati subdit, quae limites signat quos praetergredi nefas sit. 2. Auctoritas suspiciosa semper ac pavens ubique sibi videtur molitiones videre sive apertas sive occultas in fidei doctrinam. 3. Exinde illae ortae fuere insectationes in summos viros qui primi ausi sunt, trito itinere relicto, se extollere ad inventiones illas, quae immensum scientiis incrementum pepererunt. 4. Exinde pariter prodiit librorum prohibitorum *Index* quo summi pretii opera interdicta sunt haud exigua scientiarum jactura. 5. Clamat adhuc carcer Galilaei adversus injustam romanae inquisitionis vexationem. Ergo.

260. Resp. *N.* A. Ad 1. prob. *N.* Siquidem principium auctoritatis solum intendit ad proponenda omni cum certitudine objecta fidei, nec quid habet per se commune sive cum incremento sive cum decremento scientiarum quas auctoritas non attingit nisi fidei revera adversentur. Absurdum porro est asserere ex eo superstitionem gigni, aut impediri quominus se hominum exerceant ingenia, quod omnem tollit a nobis animi fluctuationem circa ea quae Deus revelavit, quodque naturales ipsas veritates, etsi aliunde rationis captui pervias, perspicuas omnibus certissimasque reddit. Haec difficultas ex nativo enascitur protestantismi principio de *subjectivismo* fidei, juxta quod homo ex proprio veluti fundo fidei articulos efformat; quo fit ut revera non quod Deus revelavit credat, sed quod persuadeat sibi eum revelasse. Hinc quemadmodum in naturalibus scientiis, ita et in iis quae fidei dogmata spectant, perfectibilitatem dari protestantes facile somniant, quo nihil absurdius. Cum igitur vera fides necessario, ac natura sua objectiva sit, principium auctoritatis quod catholica profitetur ecclesia, limites figit petulantibus ac lascivientibus ingeniis, ne sibi jus arrogent temerandi aut reformandi opus Dei, quidpiam detrahendo aut adjiciendo, aut etiam aliter intelligendo veritates quas Deus per ecclesiam hominibus credendas proponit.

261. Ad 2. *D.* Ad eum modum quo optima mater suspiciosa ac timida est pro sollicitudine quam gerit erga proprios filios ne perniciem sibi consciscant, *C.* alio sensu *N.* Nihil sibi aut fidei a se praedicatae timet ecclesia, quae tuta est promissionibus aeterni Dei conditoris sui; ast valde timet ac sollicita est pro salute filiorum suorum. Quamdiu isti dociles sunt, ac se manu veluti duci patiuntur, nihil suspicatur nihil de ipsis pertimescit ecclesia; cum fraeni impatientes sibi sufficere praesumunt, et vanae cupidine gloriae scientia in propriam perniciem abutuntur, timet de ipsis ecclesia, non secus ac de aliis quibus propinari error facile posset.

262. Ad 3. *N.* Numquam enim ecclesia quempiam insectata est, qui intra debitos scientiae fines se continuerit. Quod si quis eos fines transilierit, et aliqua ratione fidem attigerit, ecclesia jure suo usa est ad insanos conatus cohibendos quemadmodum civilis respublica in eos animadvertit, qui fundamenta ac basim constitutionis suae concutere nituntur. Certe ea scientia quae divinae fidei veritates quoquomodo laedit, rectae rationi ipsi infensa maxime atque exitiosa est, nec proinde scientiae quidem nomine appellanda.

263. Ad 4. *D.* Ne mala ac depravata doctrina incauti ac simplices decipiantur *C.* alia de causa *N.* Itaque animadvertimus 1. apostolicam Sedem in conficiendo vulgandoque librorum prohibitorum Indice rationem habere periculi quod imminet eos libros legentibus tum circa fidem tum circa mores (1); 2. haud diffi-

(1) Plerique enim libri, qui in Indice referuntur, ipsa naturae lege prohibiti sunt, cu-

cilem se praebere Indicis congregationem aut sanctam Sedem in concedenda facultate retinendi legendique libros prohibitos, dummodo ipsa certior fiat ex testimonio ordinariorum, quod alicui noxia esse nequeat illorum lectio, imo utilis esse possit; 3. nonnullos libros prudentis oeconomiae gratia in Indicem referri, qua causa peculiari cessante, non abnuit apostolica Sedes eos dein ab Indice expungere (1), praesertim si cum clausula *donec corrigatur* prohibitus aliquis liber sit, et correctiones a sac. Congregatione recognitae et probatae fuerint; 4. non ad arbitrium libros in Indicem referri, sed juxta prudentissimas regulas a Rom. Pontificibus praescriptas ac post diligens examen multiplicesque consultationes (2). Quae cum ita se habeant, liquet, nullum omnino detrimentum ex ejusmodi Indice scientiis provenire, earumque progressui.

264. Ad 5. *D.* Si Galilaei causa ea esset quae ab adversariis confingitur, *C.* si omnino diversa *N.* Jam vero Galilaeus in duplici cui obnoxius fuit examine, humanissime fuit exceptus; ejus doctrina circa motum telluris uti hypothesis numquam damnata fuit, sed tantum ut thesis quam ipse nimis pugnaciter adstruebat. Quod vero ita se gesserit sac. Inquisitionis tribunal id caussae fuit, quia ratione habita status scientiae physicae illius aetatis, fieri non poterat ut solverentur difficultates quibus systema Copernicanum urgebatur, et sane, quamquam Galilaeus id maxime efficere adniteretur, numquam tamen ab illis expedire se potuit. Nam nonnisi post Galilaei obitum, an. 1645 Torricelli invenit aëris pressionem in tellurem, adeoque fieri non poterat ut ante id temporis solverentur difficultates, quae adversus systema Copernicanum ex physica petebantur; ex altera vero parte cum insolubiles difficultates opponerentur illi thesi, non poterat sensus obvius Scripturarum quae pluribus in locis contrarium videbantur asserere, dimitti. Nefas siquidem est, nisi evidens ratio cogat, relinquere sensum litteralem Scripturae ad ei substituendum sensum metaphoricum et figuratum. In ejusmodi propterea rerum statu pru-

jusmodi praesertim sunt qui ex professo contra fidem ac bonos mores vulgantur. Ecclesia propterea circa hos libros non aliud efficit quam declarare qui ejusmodi sint, adjectis etiam poenis in transgressores. Cf. egregium opus ab. Zacchariae de hoc argumento.

(1) Exemplo sint inter cetera, opera Jo. Pici Mirandulani, quae sub Innocentio VIII. censuris notata sunt, postea vero per congregationem ad hoc expresse institutam ab Alexandro VI. die 18. Jun. 1493. fuerunt absoluta, et hoc antequam Index librorum prohibitorum ex decreto Trident. fuerit vulgatus; liber pariter M. Mariae d' Agreda in indicem relatus fuit, deinde expunctus; controversia V. Bellarmini *De potestate Rom. Pontificis temporali* jussu Sixti V. in indicem prius relata, postea vero illo defuncto Pontifice exinde sublata est; sic famosae quaestiones circa christiana officia Stephani Fagundez interdictae sunt, quae deinde decreto speciali dato 18. Aprilis an. 1630. liberae a prohibitione declaratae sunt; liber item V. P. Segneri *De concordia inter laborem et quietem* ad tempus proibitus est, deinde decreto congr. s. Inquisitionis revocata est prohibitio, ut constat ex ejus vita conscripta a P. Jos. Maffejo § XLIX.

(2) Id aperte liquet ex constitutione Benedicti XIV. quae praemitti solet indici librorum prohibitorum, qua sola impudentes calumniae dissolvuntur quibus Petrus Tamburinius insurgit in eum indicem, hoc ipso quod omnia aut fere omnia ejus opera in indicem fuerint relata.

denter se gessit Romana Inquisitio dum prohibuit Galilaei opera, donec res melius innotesceret, eidemque indixit silentium, ad praecavendas turbas quae ex ejus occasione oriri facile potuissent (1). Qui ultra corticem non figit obtutus, Inquisitionis hoc in negotio agendi rationem carpit: ast qui penitius rem expendit, eam potius commendat. Ad rectum certe ferendum judicium non aetatem illam ad nos, sed nos ad aetatem illam transferre necesse est. Ceterum opera Galilaei perinde ac Copernici ex nova Indicis editione expuncta sunt.

265. II. Obj. In magno versantur errore, qui scientiarum progressum catholicae fidei acceptum referunt. Etenim 1. compertum ex historia est, sub aevum reformationis vehementiorem impulsum scientias ac bonas artes omnes accepisse; notum praeterea est, penes protestantes eas maxime fuisse excultas, nec solum sacrarum, sed et profanarum disciplinarum, humaniorumque litterarum studia profecisse. Nemo qui plane hospes in historia litteraria non sit, ignorat linguarum orientalium, graecae vero potissimum, cognitionem exinde auctam; grammaticae institutiones, lexica linguae sanctae ceterarumque affinium a protestantibus magna saltem ex parte repetenda; exegesis biblica, critica, historia, philologia universa item incrementum maximum ab iisdem nacta sunt. Metaphysica vero studia, psychologica, ethica, scientiam juris naturalis et gentium, aliaque omnia tali successu protestantes excoluerunt, ut si qui catholici plenam earum ac penitiorem notitiam sibi comparare volunt, ad illos confugiant oportet. 2. Si propterea ratio habeatur varii scientiarum bonarumque artium status tum ante tum post reformationem, negari haud potest ita alterum ad alterum se habere uti ad virilem aetatem se habet infantia. 3. Id autem quonam modo factum est nisi ex ipsius reformationis indole, quippe quae cum plenam ab auctoritate libertatem seu emancipationem proclamaverit, jam nullis irretitur vinculis humana ratio, ita ut novis semper ac novis tentandis ac detegendis par sit? Sane protestantes in omnibus semper praeeunt ac viam veluti sternunt, quos deinceps catholici lento gressu sequuntur. Ergo.

266. R. *D. A.* Si fides adiungatur iis quae de se plerique protestantes identidem jactare solent, *C.* si res prout sunt sedulo disquirantur *N.*

267. Ad I. prob. *N.* Immo vero compertum est longe ante Lutheri, ceterorumque aetatis illius sectariorum perduellionem, ubique locorum in Europa, in Italia vero praesertim, graecam latinamque litteraturam praeter vernaculam, ac bonas universim artes perfectionis apicem attigisse (2); Gallias, Hispa-

(1) Cf. Tiraboschi S. J. *Storia della letteratura italiana* dall' anno MDC. all' anno MDCC. lib. II, cap. II, § VII seqq.: nec non Gio. Battista Venturi, *Memorie e lettere inedite finora o disperse di Galileo Galilei*. Modena 1818-1821. duob. volum. in 4. ubi magno studio et diligentia collecta inveniuntur quae ad Galilaeum spectant; ex his porro diluuntur quae amplificata sunt ab incredulis passim circa processum Galilaei ex parte romanae Inquisitionis.

Cf. duo egregii articuli de hoc argumento in op. periodico *l'Amico Cattolico*, quorum alter prostat *fasc.* 2. *di ottobre* 1841. alter vero *fasc.* 1. *di dicembre* ejusdem anni, quibus titulus est: *La Santa Sede ed il Sistema Copernicano. Milano.* In his porro non solum refellitur dom. Libri, sed praeterea ostenditur quam bene de scientia astronomica et de systemate Copernicano ipso merita sit Apostolica Sedes, ita ut increduli conticescere, imo et erubescere debeant.

(2) Ecquis ignorat seculum Leonis X. comparari seculo Augusti? Si sculpturam spe-

niasque summis florentes viris sec. XVI. initio, perinde ac Germaniam extitisse, ut de regionibus reliquis taceamus (1). Notum est, philosophiam, jurisprudentiam, scientias naturales magna per id tempus animorum contentione fuisse excultas (2); notum denique omnia scientiarum semina jamdiu praejacta felici tunc exitu evolvi caepisse ex universali propemodum regionum omnium commercio, novique orbis detectione, ac inventione typographicae artis (3), priusquam Lutherus cum suis ad pacem Europae perturbandam in medium prodiret. Sive igitur erupisset protestantismus sive non, impulsio data jam fuerat, et scientiae universae eodem omnino modo progressae fuissent, ac reipsa fecerunt.

ctes tibi sese sistit Buonarroti, si architecturam Bramante, si picturam Raphael Sanzio Urbinas, Julius Romanus etc.; si graecam linguam, tibi occurrunt Angelus Politianus, Sadoletus *atticus* ab Erasmo nuncupatus, Guidiccionus aliique magno numero; de lingua latina nihil attinet dicere, cum Sadoletus, Bembus, Jo. Ant. Flaminius, Hier. Fracastorus, Sanazzarus, Vida, Castilioneus, Altilius, Fascitellius, Cotta etc. monumenta post se reliquerint aere perenniora. Floruit aetas illa poëtis graecis latinis italis, oratoribus, historicis summis. Satis erit percurrere vel leviter tres partes voluminis VII. ed. Rom. historiae litterariae Italiae cl. Tiraboschi, et historiam universae litteraturae cl. Andres lib. I, cap. XIII. ut quisque intelligat quo pervenissent scientiae ac litteratura omnigena sec. XVI. ineunte. Attamen barbarus Lutherus ausus est exprobare Romae quod nesciret *latine!* Ac haeretici teutonici illius sectatores impudenter id ipsum ingeminare non erubuerunt! Apposite Branca op. cit. *De sacr. libror. latinae vulgatae editionis* tom. I, lib. I, cap. I, pag. 33. « Quasi vero, inquit, Itali praesertim nostri eo seculo, quod nobis seculum omnium elegantiarum non etruscarum modo sed latinarum quoque et graecarum fuit, ope indigerent Getae alicujus aut Davi, ut perpolirentur, ac barbari esse tum primum dediscerent; aut, si qua ceteris linguarum scientia fuit, non illi ejus studium sensumque extulerint e catholicis, potissimeque ex Italia ejusmodi artium altrice, librorumque de iis excusorum parente prima ». Cf. card. Quirinum ep. ad Samuelem Formejum an. 1748. dec. 6. alia ad eund. 1749. dec. 7. epist. ad Jo. Rodulphum Isselium an. 1750. dec. 7. etc. Paulum Colomesium, *Italia orientalis* p. 62. 77. 95. 104. 113.

(1) Cf. Andres op. cit. *Dell' origine, progressi e stato attuale di ogni letteratura*, tom. I, lib. I, cap. XII, et XIII. Ipse Bühle in sua *Historia philosophiae* quamvis ut protestans, Kantianisque placitis haud parum addictus, reformationis influxum in scientias exaggeret, tamen agnoscit causas instaurationis scientiarum reformationem praecessisse. « I lumi riaccesi in Italia dal risorgimento della letteratura e filosofia degli antichi sparsero la benefica loro influenza anche nelle vicine contrade e specialmente in Germania verso il finire del quindicesimo secolo e il principiare del sedicesimo »: ita ipse incipit sect. 2. cap. I. ex versione italica. Milano 1822, remque ibidem evolvit, licet acatholicis praejudiciis ubique affectum se prodat.

(2) Per id tempus ubique fere florentissimae universitates studiorum institutae fuerant: celebres inter ceteras erant Parisiensis, Lovaniensis, Bononiensis, Patavina. Germania imitata fuerat Italiam et ibidem erectae demum universitates, Tubingensis an. 1477. Moguntina an. 1482. Wittembergensis an. 1502. Francofurti ad Odderam an. 1506. in quibus recensitae disciplinae tradebantur. Cf. Audin *Vie de Luther ed. cit. préface* pag. XXVIII. in quo egregio opere multa quidem alia invenies ad id quod contendimus comprobandum.

(3) Nam et haec inventio catholicorum est, ac primum opus typis excusum fuit Scriptura sacra an. 1450.: cf. Tiraboschi, *Storia della letteratura italiana* tom. VI, lib. I, §§ 27. 28.

Protestantismus propterea ad scientias ac bonas artes quod attinet elementum est plane *heterogeneum*. Ad summum protestantismi origo thesim nostram mirifice confirmat, fidem nempe catholicam tum *directe* tum *indirecte* scientiarum provexisse progressus et incrementa. Dum enim protestantes veram Christi ecclesiam turpiter deserentes acriter in eam insurrexerunt, excitarunt catholicos ad avitae fidei, quae in omnibus fere articulis impugnabatur, defensionem suscipiendam. Omnis quippe actio provocat, uti animadvertimus, reactionem; ac milites dum arma exercent, validiores evadunt.

268. Ceterum ad grammaticas institutiones, lexica, aliaque id genus quod attinet, quamvis hanc adversariis gloriolam liberaliter concederemus (1), inde

(1) Dixi: *Quamvis id adversariis concederemus;* nam neque hoc ipsis facile damus; siquidem quovis tempore linguae istae fuerunt excultae, pluresque semper magna cum laude in eis excelluerunt; cujus rei assertorem damus hominem ex lutherana familia, Petrum nempe Albinum. Is, posteaquam trans Alpes *penetrasse ex Italia graecas litteras, et hebraicas* quoque memorasset, ita pergit: « Neque in Italia studium id refrixit, ubi floruerunt Joannes Picus Mirandulae princeps Datyli Hebraei, qui Taurini vixit, discipulus, et hujus obtrectator Mithridates Romanus, Aegydius Viterbiensis, et hujus etiam discipulus Hieronymus Seripandus, Patricius Neapolitanus, Hieronymus Aleander, et Fridericus Fulgosus, duo Romanae Sedis senatores archi-episcopi, Augustinus Justinianus Genuensis ex dominicano monacho Nebiensis episcopus, ex cujus Bibliis Octoplis Psalterium totidem linguarum absolutissimum est, Augustinus Steuchus Eugubinus Cisauensis episcopus, Sanctes Pagnini Lucensis, Petrus Galatinus Minorita, qui Capnionem adversus complicem Hochstratianos defendit, et qui hos antecesserunt, Raymundus Martinus, Gotalanus, et Porchettus auctores *Victoriarum*, et *Pugionis*. Quibus omnibus Marcellus II. et Paulus III. Pontifices Romani una cum Ptolemaeis Senensibus nobilibus, Lactantio patre, Laelio et Aemilio filiis linguarum omnium peritia insignibus accensendi (Petri Albini Nivemontii *Commentatio de linguis peregrinis* p. 10. seq. edita primum an. 1542. apud Branca op. cit. p. 37. 38.) », qui postea accedens ad suae sectae Germanos enumerandos, tres tantum commemorat, dicens: Quemadmodum et sua laus debetur Pellicano, Munstero, Fagio (ib. p. 12.) », ex quibus duo saltem priores, quidquid linguis valebant secum ex catholicorum societate detulerant, prout plures alii id ipsum fecerant, uti Melanchthon, Reuchlinus, Huttenius. Recensitis innumeri prope alii adjici possent. Verum ne res nimium protrahatur, remitto auditores ad P. Cherubinum a s. Joseph, qui in *Apparatu biblico* toties cit. tom. I. diss. praelim. sect. IV. quae inscribitur: *Collatio haereticorum cum catholicis in Scripturae peritia,* ubi duplicem indicem texuit catholicorum, qui ante Lutherum, ac aetate Lutheri in linguae praesertim hebraicae et graecae peritia floruerunt, quos si pervolverint novatores haberent unde erubescerent; omitto polyglottam adornatam sub card. Ximenio ante reformationem; decreta Clementis V. qui aliorum doctorum, qui antecesserant, exemplo in oecum. conc. Viennensi sec. XIV. initio studii linguarum approbationem addidit et confirmavit quidquid de his peractum erat in ecclesia. Imo lib. VI. *Constitutionum* quae deinde *Clementinae* dictae sunt tit. I. *de Magistris* hoc studium praecepit; omitto quod Leo X. pro studio linguae arabicae et hebraicae praestitit, quae constituit Greg. XIII. Paulus V. Clemens XI. etc. Cf. Branca op. et loc. cit. Audin *Histoire de la vie de Luther* c. XVI. Plura etiam hanc in rem reperies in op. *Specimen variae litteraturae quae in urbe Brixia ejusque ditione paulo post typographiae incunabula florebat*. Brixiae 1739. et in *Decade* III. *epistolar.* card. Angeli Mariae Quirini, Brixiae 1744. vid. etiam Fabricy op. cit. *Des titres primitifs* tom. II, p. 151 seqq.

tantum sequeretur protestantes in materialibus ejusmodi lucubrationibus id nobis praestare officii, quod Tyrii Salomoni in templi aedificatione praestiterunt, lapides nimirum ac ligna caedunt, et quae utilia nobis ad pugnandum cum ipsis arma suppeditant.

269. Exegesis porro, critica, ac philologia, licet eas ipsi erudite adornarint, sunt, uti jam superius dum de sac. Scriptura agebamus adnotavimus, veluti totidem cadavera spiritu et vita destituta; et dum protestantes illis indefesso labore incumbunt, nobis alimentum quod sacrae Scripturae praebent, quo salubriter nutriamur, relinquunt (1).

270. In metaphysicas, psychologicas, anthropologicas disciplinas plurimum certe praesertim recentiori aetate incubuerunt protestantes: nec *indirectas* quas illarum progressui afferre utilitates potuerunt, inficiari volumus. Sed si solida utilitatis scientiarum ex veritatibus aut noviter detectis aut firmius probatis aut aptius illustratis pensanda est, quid de philosophicis eorum conatibus dicendum erit, cum eos videmus nunc ad scepticismum ac idealismum, modo ad empirismum ac materialismum, tum ad pantheismum, atque autotheismum toto pondere dilapsos! Difficile admodum est, quod philosophus protestans ita rationem suam moderari sciat, ut tandem ad positivam Dei revelationem oppugnandam non feratur.

271. Si quam item sibi protestantes laudem in jure naturae aut gentium excolendo compararunt, non minorem sibi jure tribuere possunt catholici, qui illis etiam hac in parte praeiverunt, candide fatentibus protestantibus ipsis (2); sed qui praeterea caverunt se ab erroribus illis sane gravissimis in quos jurisperiti protestantes identidem inciderunt ac incidunt (3).

272. Ad 2. *D.* Ita tamen ut protestantismo ejusmodi progressus nullo modo tribui possit, *C.* ut debeat aut possit illi tribui *N.* Si enim, uti vidimus, germina omnia profectus ejusmodi jam erant praejacta, si elementa ejus omnia jamdiu existebant ante protestantismi ortum, si adjuncta quaeque rerum eidem fave-

(1) Recol. quae scripsimus p. II, sect. I, cap. III, art. 2.

(2) En quomodo inter ceteros loquatur de Grotio Joan. Jac. Schmausius in *Historia juris naturae* quam exhibet lib. I. *Novi systemat.* sui ejusdem *juris* § XXI. « Alterum de Hugone Grotio praejudicium in eo situm est, quod is jus naturae novum tradiderit, atque a scholasticorum gryllis purgaverit, adeoque ut hujus disciplinae reformator, et restaurator habendus sit: quum potius quidquid de jure naturae profert, nihil aliud sit, quam vetus scholasticorum doctrina », recensitis deinde praecipuis hac de re Grotianae doctrinae capitibus, concludit: « Haec omnia in fusioribus excerptis, quae ex veteribus recentioribusque scholasticis supra tradidimus, reperiri possunt ». Apud Jo. Franc. Finetti S. J. *De principiis iuris naturae et gentium*. Venet. 1765. tom. I, lib. I, cap. V.

(3) Cf. Finetti op. et lib. cit. c. III. quod inscribitur: *Vana est protestantium jactatio de instaurata, illustrataque et ad perfectionem perducta a se juris naturalis doctrina*. Vid. etiam capp. insequentia. Sane ex protestantium doctrinis manavit ea juris naturae, hominisque officiorum tractatio ac si tota hominis destinatio hujus vitae limitibus esset conclusa, atque ab omni immortalitate animi praescindere deberet, id quod praesertim Puffendorfio solemne fuit, nimios in hoc sectatores nacto. Item absoluta rationis practicae *autonomia*, Deo omnino seposito, rejectio *legis aeternae* in Deo, immutabilitas juris naturalis sublata, *officiorum specialium* erga Deum negatio, ac tot alii errores in singularibus juris naturae praeceptis nonne eodem ex fonte fluxerunt?

bant, si validissima demum impulsio data ubique jam fuerat, evidenter patet eam ingeniorum evolutionem sponte ac necessario omnino contigisse, planeque a protestantismo fuisse independentem.

273. Ad 3. *N*. Potius enim protestantismus ex nativa indole sua iisdem incrementis maxime obfuit, utpote qui rationis *nihilismum* ab initio proclamaverit, ut saepius adnotavimus, et absolutum fuerit contemptum professus omnis humanae philosophiae (1). Quod si postea secus ac prima ejus ferret institutio, philosophiam ac disciplinas reliquas excolendas suscepit, id ex eo factum est, quia ad exemplum Lutheri et Calvini, qui se extulerant adversus ecclesiae auctoritatem, protestantes sequiores injustum excusserunt patriarcharum suorum jugum, et per quandam reactionem ita se ab omni emanciparunt auctoritate, ut rationem normam principem, imo unicam, constituerint agendorum et credendorum (2); ac demum plerique eorum in omnem impietatem dilapsi sint uti tota rationalismi historia patefacit. Haec nos dolentes, non animo protestantes insectandi, dicimus: neque hanc inter ipsos et catholicos comparationem instituimus ut omnem illis scientiae ac eruditionis laudem praeripiamus: sed ut frequentibus ipsorum insectationi-

(1) Lutherus sane omnis philosophiae se hostem, ut vidimus, professus est. En quid de ipso scribat Erasmus: « Nonne Lutherus scripsit omnem disciplinam tam practicam quam speculativam esse damnatam? Omnes scientias speculativas esse peccata et errores? Nonne Melanchthon aliquando damnavit scholas publicas etc. » ep. 59. lib. 31. ap. Audin op. c. p. 196. Qui iterum epist. 1006. ad Bilibaldum Pirckheimerum sic de lutheranismo scribit: « Ubicumque regnat *lutheranismus*, *ibi litterarum est interitus*. Et tamen hoc genus hominum maxime literis alitur. Duo tantum quaerunt, *censum* et *uxorem*. Cetera praestat illis Evangelium, hoc est, potestatem vivendi ut volunt ». Opp. edit. Lugd. Batav. 1703. tom. III. part. poster. col. 1139.

(2) Nempe ratio per systema protestantismi oppressa atque ad *nihilismum* dejecta per quandam reactionem se extulit, ac vindicavit se de oppressoribus suis, et in aliud extremum prolapsa jugum cujusvis auctoritatis excussit, ut alias cum cl. Moëhler animadvertimus.

Ceterum quantum contulerint catholici principes ad scientiarum ac bonarum artium ardorem excitandum exeunte sec. XV. et ineunte XVI. ante exortam reformationem, colligi facile potest ex iis quae habet Andres op. cit. lib. I, cap. XIII, n. 220 seqq. ubi ostendit aemulationem quae viguit inter Italiae principes Mediceos, Estenses, Rom. Pontifices, aliosque in disciplinis omnibus promovendis; civitates principes Romam, Florentiam, Urbinum, Ferrariam etc. inter se de primatu contendisse. Antiqui codices graeci et latini undique conquirebantur. Leo X. excitabat Erasmum, Sancten Pagnini aliosque doctos illius aetatis. Quod vero speciatim attinet ad viros ecclesiasticos in promovendis scientiis, satis erit eruditum opus percurrere cl. Severini Fabriani cui tit. *Dei beneficii prestati dagli ecclesiastici alle scienze*. Bergamo 1832. in quo ostendit quid illi contulerint in promovendis *Mathesi pura*, *mechanica*, *hidrodynamica* et *nautica*, *optica*, *astronomia*, *geographia* et *chronologia*; duas item egregias dissertationes card. Mai, quarum altera inscripta est: *Meriti di Pio VII. e del clero verso la letteratura*, altera vero: *I vicendevoli uffizj della religione e delle arti*. In quibus vir doctus omnes prope disciplinas ac bonas artes percurrit, ostenditque luculentissime quam bene meriti de illis fuerint catholici, praesertim vero ecclesiastici quovis tempore. Quibus ad majus reformationis dedecus adjici possunt opp. com. Montalambert, *Du Vandalisme et du catholicisme dans l'art.* Paris 1841. vol. I, in 8. et *Monumens de l'histoire de sainte Elisabeth de Hongrie*. Paris 1841. vol. I, in fol.

bus occurramus, quibus catholicam romanam ecclesiam veluti obscurantismi parentem traducunt. Eam certe talem minime experti sunt, qui ex ipsis protestantium castris in illius sinum se receperunt recentiori hac aetate, viri sane clarissimi, Schlegel, Stolberg, Werner, Haller, De Joux totque alii sive Germani, sive Angli, sive Galli, quorum numerus augescit in dies.

CAPUT III.

De ratione post fidem

274. Postquam ab infallibili ecclesiae magisterio aliquid credendum de fide propositum est, ac etiam postquam iis omnibus, quae ecclesia credenda proponit, quispiam interiorem intellectus ac voluntatis assensum, divina opitulante gratia, praebuit, nullaene amplius rationi partes supersunt? Haudquaquam sane, sed plura sunt in quibus poterit humana ratio post susceptam fidem se exercere, suasque exerere vires.

275. Verum ut id legitime fiat, et hinc inde latentes devitentur scopuli debet ratio certas sibi a fide ipsa praestitutas regulas sectari, eamque praecipuam, ut non primas sibi in ejusmodi negotio vindicet partes, nec se umquam ab ecclesiae magisterio subducat, sed veluti ancillam se exhibeat fidei, minime vero uti arbitram ac dominatricem. Hoc modo fidei ac rationis legitima jura in tuto posita erunt, vanae reddentur accusationes quas increduli ac rationalistae adversus catholicum auctoritatis principium intentant; imo vero componentur sententiae quas nonnullae catholicae scholae aetate hac nostra in speciem contrarias, ac invicem adversantes proferunt. Methodum igitur nostram sectantes in duos pariter articulos postremum hoc caput dispertiemur in quorum altero de recto rationis usu post fidem, in altero de ejusdem post fidem abusu tractatum habebimus.

ARTICULUS I.

De recto rationis usu post fidem

276. Ratio, seu scientia ac fides, ut vidimus, amico inter se foedere copulantur ante fidem et cum fide; non igitur putandum est, ipsas posse aut velle divortia facere postquam ratio se fidei subjecit, et sacro, ut ita loquar, connubio ratio et fides conjunctae sunt. Restant propterea rationi etiam post fidem jura sua, imo et debita quibus illa vicem officii reddens fidei, ad hanc tuendam ac illustrandam tota se confert. Munera haec rationis post fidem ei vindicanda aggredimur adversus illos, qui rationis veluti hostes sese exhibent, dum omnem scientificam inquisitionem a fidei dogmatibus repellunt, suspectosque traducunt eos qui fidem et scientiam simul conjungunt magno fidei ipsius lucro et ornamento. Sit igitur:

PROPOSITIO I.

Post susceptam fidem potest humana ratio fundamenta ipsius fidei, singulorumque dogmatum investigare: eaque tueri

277. Iam alias distinximus, nec umquam satis distinguendum est duplex in viro theologo munus, *fidelis* scilicet ac *doctoris*. Prout *fidelis* est, non discernitur ille in assensu quem fidei praebet ab alio quopiam infimae rudisque plebis credente, cum unice credat ob auctoritatem Dei revelantis et ecclesiae proponentis, adspirante, ut supponitur, divina gratia. Prout vero idem *doctoris* sustinet munus, potest praeterea, imo et debet in fundamenta inquirere ipsius fidei, ac singulorum dogmatum quae per

fidem cognoscit et credit, non quidem propter se tantum, sed praecipue propter alios rationem exposcentes de ea, quae in ipso est spe (1). Quapropter haud innititur aut inniti potest inquisitionibus suis, ut credat, cum ejus fides ab illis nullo modo pendere queat, sed *unice* uti diximus, a motivo *formali* fidei divinae (2).

278. His praemissis vix probatione egere videtur thesis nostra. Nam cum objectum, ut vocant, *materiale* fidei nostrae totum *historicum* sit, ac revelatio ipsa sit *factum*, adeoque et illa omnia quae in revelatione continentur, fit, ut revelatio ejusque objecta possint quoad eorum existentiam documentis demonstrari non minus ac credibilitatis motiva, quae nempe homini evidenter suadent talem reipsa esse revelationem, quae divinitus data perhibetur. Haec porro omnia sine alacri, seduloque studio, sine scientiae ac rationis ope, ac longa diuturnaque meditatione nemo jam sibi poterit comparare (3). Quis itaque ea assequetur nisi theologus cujus munus est haec ipsa objecta credibilia ostendere? Potest itaque humana ratio post adeptam fidem, fundamenta ipsius investigare ac detegere, ut ea illis possit proponere qui ad eam investigationem minus idonei sunt et comparati, eaque ab adversariorum impetu tueri.

279. Quod vero de fide ejusque fundamentis in universum dictum est, de dogmatibus singulis dici pariter debet. Exploratum quippe est ecclesiam dogmata sua non cudere, aut de novo proferre, cum apostolorum obitu omnis in ea cessarit revelatio, quae ad fidei depositum spectet (4): ea igitur tantum credenda proponit, quae ex divina accepit atque hausit revelatione. Jam vero ecclesia auctoritate infallibili, ac infallibili magisterio a Deo conditore suo instructa, contenta est quae a Deo accepit credenda fidelibus positive proponere, quin unquam disceptet, aut cum fidei hostibus congrediatur: docilitatem proinde solum exigit a filiis suis, nec iis

(1) I. Pet. III, 15.

(2) Haec, ut superius adnotavimus, ab Hermesio non rite distincta, sed temere permixta fuerunt.

(3) Quod hic dicimus de motivis credibilitatis, quibus etiam internoscendis tutandisque *alacri seduloque studio, scientiae ac rationis ope ac longa diuturnaque meditatione* opus esse asserimus, intelligi debent quoad eos, qui singillatim haec expendunt eorumque vim ad convictionem intellectus exponunt, ac vindicant ab impugnationibus incredulorum. Si autem simul illa spectentur ac in suo complexu, quandam evidentiam praeseferunt, quae rudiorum etiam oculos percellat eisque evidenter credibilem reddat divinam revelationem. Hac ratione componi inter se posse videntur quae Valsecchius et Spedalierius contraria scripserunt. Valsecchius enim una cum Bergierio contendit rudes posse sibi facile comparare compendiosam demonstrationem credibilitatis christianae, seu supernaturalis ac divinae revelationis, Spedalierius in *Analysi examinis critici Frereti* cap. XIII, ar. 2. et 3. utrumque impugnavit, atque adeo singulari plane sententia progressus est, ut praerequisita ad fidei actum, ordinaria lege omnibus necessaria, rejecerit, in quo certe suffragium doctorum non tulit. Optima in hoc habet cl. Gerdilius ad ostendendum quomodo etiam rudis populus fidelium rationabiliter omnino adhaereat christianae catholicae fidei, de ejusque veritate certus moraliter sit. Cf. *Introduzione allo studio della relig.* p. 137. seqq.

(4) Revelationes enim privatae quae circumferuntur, e. g. s. Hildegardae, s. Gertrudis, Birgittae etc. quaeque etiam probatae ab ecclesia dicuntur, non eo sensu probatae sunt, quod auctoritatem aliquam habeant ad ea, quae fidei sunt, adstruenda, sed solum ad *aedificationem fidelium*.

solet rationem reddere, cur hoc potius quam illud dogma credendum proponat (1). Duplex inde in doctore munus oritur obeundum, tum videlicet adstruendi existentiam verae ecclesiae a Christo institutae ejusque constitutionem seu naturam, proprietates ac notas nec non dotes quibus ab eodem Christo cumulata est, tum confirmandi dogmata singula ab ecclesia veluti fidei objecta proposita, initio sumpto a regulis fidei remotis, Scriptura et Traditione, in quibus fidei depositum totum continetur, ac deinde gradu facto ad peculiaria dogmata reliqua. Duplex porro hoc munus obire nequaquam poterit, qui fide contentus una, rectae atque excultae negligat rationis subsidium (2).

280. Et illud huc accedit, quod nonnulla dogmata expresse in Scripturis haud contineantur; nonnulla etiam patrum effata, eorum praesertim qui ante exortam peculiarem quamque haeresim floruerunt, obscuritatem praeseferant, imo interdum contraria videantur iis quae postea definita ab ecclesia sunt. Insuper haud pauca dogmata reperiuntur, quae superant angustam mentis nostrae aciem. Si quis proinde ea velit adstruere atque defendere, opus omnino ei est, ut praeter amplissimam Scripturarum, sanctorumque patrum cognitionem, in usum adsciscat hermeneuticam, exegesim, dialecticam, aliaque subsidia quae necessario requiruntur ad illustranda, tuendaque catholica dogmata, atque ad frangendos adversariorum conatus.

281. Talem fuisse constantem agendi rationem patrum cujusvis aetatis, apologetarum christianae et catholicae fidei, doctorumque christianorum omnium supervacaneum esset ostendere. Ecquis sane non suspiciat eruditissima et profunda scripta Clementis Alexandrini, Justini, Origenis, Athanasii, Eusebii, Tertulliani, Cypriani, Hieronymi, Augustini, Leonis M. ut de insequentibus taceamus? Placet quod hactenus diximus gravissimis Augustini verbis confirmare qui disserens de *sermone scientiae*, quem commemorat Apostolus 1. Cor. XII. 8. « Quo, inquit, fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae nonnisi aeterna est: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus (3) ».

282. Tum ipsa igitur rei natura, tum constans patrum et ecclesiasticorum tractatorum agendi ratio evidenter ostendunt, posse, post susceptam fidem, humanam rationem fundamenta fidei singulorumque dogmatum investigare eaque tueri, prout a nobis enunciatum est.

DIFFICULTATES

283. Obj. 1. Ejusmodi investigatio opponitur simplicitati fidei; 2. plurimum item ejusdem merito detrahit. 3. Exinde illa dimanant elogia a patribus etiam prolata eorum qui una fide contenti, ulterius non inquirunt, cur ita credant. 4. Sed praeterea aleae plena est haec inquisitio, cum fieri possit ut argumenta

(1) Recolantur superius dicta.

(2) Hinc optime Canus *De locis* lib. IX, cap. 4. « Qui theologiam sic instituit, ut nihil habeat cum naturae ratione conjunctum, omniaque egregiae disciplinae sola Scripturarum fide metitur, hic, si in ea opinione persistat, et non interdum naturae bonitate vincatur, nec theologiam colere, tuerique potest, nec fidem, nec humanitatem ».

(3) *De Trinit.* lib. XIV, cap. I, num. 3.

quae militant aut pro fide in genere, aut pro singulis articulis in specie, debilia appareant ac levia, contra vero validissima videantur quae illam oppugnant, atque indidem dubia oriantur, magno fidei ipsius detrimento. Ergo.

284. Resp. Ad 1. *N.* Immovero plurimum confert ad fidem confirmandam. Reipsa si simplicitati fidei investigatio adversaretur, atque ejusmodi persuasio invalesceret, jam satis essent fides et ignorantia, quo quid optarent magis acerrimi fidei osores? 2. Damnandi igitur essent omnes ecclesiae patres atque doctores, qui tot vigiliis laboribusque rem christianam ac fidei causam adjuvarunt; contra vero summis essent laudibus celebrandi qui a studio abhorrent ut otio vacent sola fidei simplicitate contenti. Quo profecto nihil absurdius dici potest, et contra ecclesiae sensum, quae perpetuo stimulos addidit sacerdotibus ut studia impense colerent (1). Itaque tunc solum scientifica inquisitio opponitur simplicitati fidei, cum quis dubius in fide haeret, ac scientiae ope vult per examen revera *dubitativum* eam sibi persuasionem comparare, quae pendere unice debet ex pio credulitatis affectu, quem Deus per gratiam infundit, et vi cujus voluntas imperat intellectui plenam objectis fidei adhaesionem, firmissimumque assensum (2).

285. Ad 2. *D.* Si eo dirigatur scientifica inquisitio ut quis credat, *C.* ut confirmetur in fide quam toto corde tenet *N.* Haec enim confirmatio, non ex animi dubitatione, sed ex ingenti potius fidei oritur amore, quo fit ut summa perfundatur voluptate qui ad ejusmodi investigationem animum applicat, prout passim de se testatur regius Psaltes dicens: « In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis . . . . Laetabar ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa (3) ». Sane ecquis affirmare audeat tot sanctos doctosque viros quot floruerunt in ecclesia Dei, detrimentum aliquod passos esse in fidei suae merito ob tot illos labores quos in fidei defensionem exantlarunt? Imo certum est hoc meritum in immensum auxisse. Tunc solum ergo fidei potest merito nocere scientifica investigatio, quum quis ad illam permoveatur ex fidei infirmitate aut dubio, minime vero cum ab ejusdem fidei amore ac firmitate excitatur (4).

(1) Cf. Mabillonium, *Tract. de studiis monasticis* par. I, cap. XIII. item p. Cherubinum op. et loc. cit. ubi traduntur decreta conciliorum et Rom. Pontificum.

(2) Qui certe christianus et fidelis est, ne puncto quidem temporis assensum fidei veritati, ac obedientiam auctoritati ecclesiae suspensam tenere potest: secus enim manifeste peccaret in fide. Sed tamen uti Bellarminus recte adnotat c. 3. de Verbi Dei interpret. cap. 10. ad 7. argum. « posito hoc dubio et hoc peccato non male facit scrutando dummodo id faciat intentione inveniendi veritatem et non calumniandi . . . Deberet ille quidem sine examine recipere doctrinam ecclesiae, tamen melius est ut examinando praeparetur ad veritatem, quam negligendo remaneat in suis tenebris ». Ex quibus magis patet distorta agendi ratio Hermesii: quandoquidem si ipse dubitabat ut fatetur ac nutabat in fidei fundamentis, recte, in sensu hic declarato, illam suam inquisitionem philosophicam ex dubio suo positivo suscipiebat: sed quonam jure id ipsum ad fundandam rationabilem fidem, veluti *conditionem sine qua non* potuit a ceteris vere credentibus postulare?

(3) Ps. CXVIII, 14-162. In quos textus cf. quae praeclare scribit Segneri, *Manna dell' anima* ad diem X. et XXX. Decembris.

(4) Cf. Card. Cusanum in op. *De docta ignorantia*. Basileae 1565. praesertim lib. III.

286. Ad 3. *D.* Commendati sunt fideles, quibus doctoris munus non incumbit, si ecclesiae auctoritati innixi ulterius non inquirunt cur ita credant, *Tr.* qui praeterea munus habent fidei tuendae populosque docendi *N.* Transmisimus primum membrum, quia dummodo sub magisterio ac directione ecclesiae, ea qua par est animi docilitate quispiam scientia utatur, haec nulli unquam nocet, sed potius prodest plurimum (1); praesertim ubi fideles iis in locis et adjunctis versantur in quibus facile possunt ab incredulis et haereticis seduci ac decipi: nemo profecto unquam sanae mentis ignorantiam ac tenebras commendaverit. Quoad reliquos autem, ulterius non inquirere perinde esset atque a proprio munere deficere, seque reos sistere Deo et ecclesiae, cum eam negligant cognitionem, quae uniuscujusque statui necessaria est.

287. Ad 4. *D.* Aleae plena est quoad eos qui se tradunt ejusmodi inquisitioni absque debitis dispositionibus, *Tr.* vel *C.* quoad eos qui illis praediti sunt *N.* Nullum prorsus instat perversionis periculum iis qui animum gerunt humilem ac sincerum in tali inquisitione, imo potius magnum iis accedit emolumentum. Si quando sibi minus firma videntur deprehendere argumenta ad dogma aliquod peculiarem constabiliendum, norunt simul haud iis inniti ipsius dogmatis veritatem, sed auctoritati infallibili ecclesiae; nec unquam casum contingere posse in quo haec desciscere a vero queat in fidei proponendis objectis. Propterea quin nutent in fide, firmantur in ea, fatentesque interim propriam ignorantiam, ac ingenii tenuitatem, conatus renovant atque eluctantur denuo, certi se quod optant asseculuros. Si autem agatur de ecclesia ipsa, aut de fide universim, tot taliaque sunt argumenta quae pro illa decertant, ut eo res demum deveniat, scilicet vel ab omnibus esse animum despondendum de cognoscenda verae religionis ac verae ecclesiae cujusvis existentia, vel si qua sit, nullam aliam esse praeter catholicam posse ad cujus veritatem testandam argumenta illa credendi ac motiva mira prorsus consensione conspirant. Paganismus, islamismus, sectae haereticae et schismaticae si conferantur cum majestate ac firmitate ecclesiae catholicae, penitus evanescunt. Si proinde recto quis animo comparatus sit, fieri nequit ut aliquando nutare possit, imo non proficiat magisque in fide sua confirmetur. Quapropter, quod consequens est, si nonnulli naufragium fecerunt, non fidei ipsius defectui, non scientificae inquisitioni, sed pravis animi dispositionibus, cupiditatum aestui, praesertim vero mentis superbiae id tribui unice debet. Deus enim immutabili lege superbis resistit; qui quoniam tenebras consectantur, permittente Dei justo judicio, illas densissimas inveniunt, ab iisque obvolvuntur: cujus rei exempla omnis fere aetas ecclesiae suppeditat.

(1) Quapropter hortandi semper fideles sunt ad lectionem probatorum auctorum, ad instructiones sibi idoneas comparandas, aliaque adminicula adhibenda quibus dispellatur ignorantia, qua nihil deterius est, et qua fit ut non pauci infirmi sint et ad pravam vitam proclives. Optimum sane consilium fuit illorum episcoporum, qui praesertim in Galliis, bibliothecas librorum piorum instruendas curarunt, quibus fideles juvari possint; aeque collaudanda est distributio bonorum librorum, quae opponatur distributioni librorum pessimorum quos ubique diffundit societas biblica. Veneno siquidem antidotum parandum est.

PROPOSITIO II.

Potest praeterea humana ratio fidei doctrinam ad tractationem vere scientificam evehere

288. Medium heic debemus iter insistere inter eos qui in praesentia in duas veluti adversas partes distrahuntur. Alii enim nihil nisi fidem, uti vocant, *historicam* ac *positivam* admittere vellent, ita ut pro suspecto habeant, uti innuimus, quidquid scientia philosophica doctrinae positivae fidei adjicere nititur; alii e contra sic scientiam connexionem necessariam cum fide historica et positiva habere contendunt, ut vix ex ipsa dogmatum ipsorum evolutionem et existentiam non repetant.

289. Quae ut apprime intelligantur, et verus quaestionis status innotescat, nonnulla praemittere cogimur quae lucem simul affundant, viamque commonstrent quam tuto terere possimus inter lubricos qui eam impediunt et circumstant anfractus.

290. Itaque animadvertimus 1. fidem *historicam* et *objectivam*, seu fidei doctrinam divinitus revelatam et ab ecclesia propositam nulla pendere ratione posse a scientifica quavis inquisitione et investigatione, siquidem nobis a Deo data est; absonum autem esset contendere, quod extrinsecus nobis provenit quodque divinitus accepimus, ab humana scientia quoad suam existentiam pendere, aut a quovis humanae philosophiae systemate ab hominibus excogitato.

291. Adnotamus 2. ejusmodi fidem *objectivam* esse veluti basim inconcussam, et normam praeterea inflexibilem ad quam inquisitiones nostrae omnes exigendae sunt, ita ut si in aliquo vel minimo puncto ab ea desciscant, hae sint corrigendae, ac numquam intorquere fas sit aut inflectere quoquo modo ad systemata philosophica fidei doctrinam, quod impium esset.

292. Hac ineluctabili basi praestituta, dicimus 3. nihil obstare quominus ad tractationem vere scientificam fidei doctrina evehatur. Hac autem scientifica tractatione significamus non solum argumenta illa quibus humana ratio conficit demonstrationem existentiae revelationis et ecclesiae, illustrationem praeterea et defensionem omnium dogmatum, sive haec collective sive distributive spectentur, de quibus egimus in propositione praecedenti; sed potissime eorum mutuum intimum nexum, relationem ac dependentiam una cum consecutionibus quarum fecunda dogmata sunt, quaeque ex illis veluti principiis dimanant aut deducuntur, sive ad theoricam, sive ad praxim pertineant, unde unum veluti scientiae corpus exurgat, in quo proprie scientiae theologicae ratio consistit.

293. Ne tamen etiam in hoc scientifico processu abusus obrepat, animadvertimus insuper 4. rationis aut scientiae non esse intimos ipsos mysteriorum recessus penetrare, ita ut autumet intrinsecus ea cognoscere seu comprehendere posse, ac veluti conceptus logicos aut metaphysicos spectare. Siquidem non desunt ex recentioribus, qui fidei doctrinam in ordine ad scientiam in tres veluti phases partiantur; harum prima juxta ipsos complectitur patres, secunda scholasticos, tertia epocham ab instaurata philosophia. Hac divisione praemissa, distinguunt inter id quod vocant *quid* dogmatum, et id quod eorumdem dogmatum *quomodo* appellant. Deinde progredientes dicunt, patres ad nos transmisisse τὸ *quid* dogmatum, scholasticos vero et philosophos posteriores nobis aperuisse τὸ *quomodo* dogmatum, hoc tamen interposito discrimine, quod

scholastici *quomodo* dogmatum ad conceptus *logicos*, philosophi vero ad conceptus *metaphysicos* revocaverint. Eo demum progrediuntur, ut vix dogmata ipsa ac mysteria ex scientiae fundo non arcessant, et cum scientia non identificent (1).

294. His igitur ita declaratis, sic assertam propositionem in sensu exposito adstruimus. Potest humana ratio fidei doctrinam ad tractationem vere scientificam evehere si 1. id valde conferat ad ipsius doctrinae dignitatem et commendationem; si 2. quin obstet, ejusdem doctrinae natura in id nos conducat; si denique 3. constans ac perpetua patrum ac doctorum sentiendi et agendi ratio id ipsum maxime suadeat. Atqui rem ita esse singillatim evincere aggredimur.

295. Ac primo quidem valde conferre scientificam ejusmodi tractationem ad ipsius doctrinae dignitatem et commendationem ex ipsa rei notione evincitur: siquidem tractatio vere scientifica illa censetur et est, qua ex principiis ratis ac firmis apud omnes deducuntur consequentiae, quae in illis latent; receptum proinde est ut scientia definiri soleat cognitio certa et evidens rei necessariae et immutabilis per proprias ipsius causas. In casu autem nostro ejusmodi causae seu principia sunt veritates ipsae divinitus revelatae (2); porro eas veluti principia assumere, earum vim declarare, dispositionem patefacere, mutuamque relationem, dependentiam ac nexum ostendere; latentes denique consecutiones ex illis deducere; conferre item cum scientiis reliquis prout substratae materiae natura patitur; analogiam quam cum illis habent commonstrare; aliaque ejusmodi praestare quibus fidei objecta, mysteria praecipue non modo credibilia, sed suasibilia efficiantur (3),

(1) Hos certe scopulos non declinavit Dr. C. F. Hock auctor germanici recentis operis « *Gerbert oder Papst Sylvester II. und sein Jahrhundert*; seu *Gerbertus aut papa Silvester II, ac seculum illius* » Vindob. 1837. Nam praeter plures theologicos errores, saltem ex inaccurato verborum theologicorum usu profectos; praeter doctrinas quasdam apostolicae sedi haud parum infensas, quae auctor in praefatione praesertim dicit de *dogmatum christianorum* veluti *phasibus*, de illorum *elaboratione ope philosophiae*, de *compenetratione fidei ac philosophiae*, quae comparatur cum ipsa *hypostatica unione* Jesu Christi, ac *idiomatum communicatio* ab eo dicitur, aliaque id genus multa legitimos fines undequaque excedunt. Nos equidem a philosophiae usu rejiciendo plane abhorremus, uti manifeste patet; abusus tamen improbamus et semper improbabimus. Ast haec sufficiant: siquidem de hoc eodem opere *crisis* edita est in Ephem. Roman. *Annali delle scienze religiose* num. 39. Nov. e Dic. 1841. a claris. auctore ejusdem nationis confecta.

(2) Cf. Petavium, prolegomen. cap. VIII. ubi exponit multiplicem *scientiae* nominis acceptionem, et quatenus theologiae competat ex veterum ac recentiorum sententia.

(3) Huc refertur toties a s. Augustino inculcatum principium: *Crede ut intelligas*, quo alludit ad illud Is. VII, 9. ex graeca vers. LXX. *Nisi credideritis, non intelligetis*: cui perpetuo insistit s. Doctor: speciminis gratia unum vel alterum ex eo testimonium describemus: ac 1. ex ejus epist. ad Consentium quae est 120. Cum enim Consentius hunc veluti canonem statuisset: « Non tam ratio requirenda, quam auctoritas sequenda sanctorum » sic illi respondet: « Si a me, vel a quolibet doctore non irrationabiliter flagitas, ut quod credis intelligas, corrige definitionem tuam, non ut fidem respuas, sed ut ea, quae fidei firmitate jam tenes, *etiam rationis luce conspicias* . . . Absit ut ideo credamus, ne rationem accipiamus . . . Et ideo rationabiliter dictum est per Prophetam; *Nisi credideritis non intelligetis*. Ubi procul dubio discrevit haec duo, deditque consilium, quo prius cre-

ad fidei ac doctrinae christianae seu catholicae dignitatem commendationemque conferre nemo sobrius inficias iverit. Quandoquidem praeterquamquod ejusmodi pertractandi ratio mentem humanam perficit, ac in sanctuarium ipsum, ut ita dicam, divinitatis ad proprias ejus rimandas contemplandasque altissimas veritates introducit; veritates ipsae quae principium simul ac objectum disciplinae nostrae constituunt scientifica hac methodo expositae majorem claritatem percipiunt, severiore ordine disponuntur, intimius cognoscuntur, ac plura immensae utilitatis sive pro parte theoretica sive pro practica ex eis in usum derivantur. Scientifica praeterea tractatione christianae religionis veritates excultae atque expolitae sublime prorsus omnique ex parte admirandum aedificium constituunt, quod ad sui contemplationem mentem rapit, quo profecto nihil jucundius in his terris, suavius, sanctiusque nihil accidere potest.

296. Quin vero doctrinae revelatae natura scientificae huic obstet evectioni,

damus, ut id quod credimus intelligere valeamus . . . Propterea monet apostolus Petrus, paratos nos esse debere ad responsionem omni poscenti nos rationem de fide et spe nostra: quoniam si a me infidelis rationem poscit fidei et spei meae, et video quod antequam credat capere non potest, hanc ipse ei reddo rationem in qua, si fieri potest, videat quam praepostere ante fidem poscat rationem earum rerum, quas capere non potest. Si autem jam fidelis rationem poscat ut quod credit intelligat, capacitas ejus intuenda est, ut secundum rationem redditam sumat fidei suae quantum potest intelligentiam, majorem si plus capit, minorem si minus: dum tamen quousque ad plenitudinem cognitionis perfectionemque perveniat, ab itinere fidei non recedat . . . Haec dixerim, ut fidem tuam ad amorem intelligentiae cohorter, ad quam ratio vera perducit, et cui fides animum praeparat . . . Porro autem qui vera ratione jam quod tantummodo credebat intelligit, profecto praeponendus est ei, qui cupit adhuc intelligere quod credit: si autem nec cupit, et ea, quae intelligenda sunt, credenda tantummodo existimat, cui rei fides prosit ignorat (cap. I, et II. n. 2. 3. 4. 6. 7.)». Quod autem juxta s. Doctorem suasibilia intelligentiae mysteria ipsa effici possint, luculenter patet ex iis, quae scribit in *Serm. de verb. evang. Luc.* « Forte de via mala, inquit, hoc est de vita mala fatigatus nescio quis amicus tuus, non inveniens veritatem, qua audita, et percepta, beatus fiat . . . venit ad te tamquam ad christianum; et dicit: Redde mihi rationem, fac me christianum. Et interrogat quod forte tu per simplicitatem fidei nesciebas: et non est unde reficias esurientem; et cum vis docere, cogeris discere . . . Seculi hujus ignorantia valida est, hoc est, nox media, et urget amicus esuriens. Tibi forte sufficiebat simplex fides, illi non sufficit. Numquid deserendus est? Numquid de domo projiciendus est? Ergo ad ipsum Dominum . . . pulsa orando, pete, insta . . . Cum autem perveneris ad tres panes, hoc est ad cibum, et *intelligentiam* Trinitatis, habes et unde vivas, et unde pascas, nec peregrinum venientem de via reformides, sed excipiendo civem, domesticum facias. (Serm. 105. cap. II, et III. num. 2.-4.) »; et alibi passim. Nec ab eo discrepat s. Thomas, qui *cont. Gent.* lib. I, cap. 8. haec scribit: « Humana ratio ad cognoscendam fidei veritatem quae solum videntibus divinam substantiam, potest esse notissima, ita se habet quod ad eam potest aliquis veras similitudines colligere: quae tamen non sufficiunt ad hoc quod praedicta veritas quasi *demonstrative*, vel per se intellecta *comprehendatur*. Utile tamen est, ut in hujusmodi rationibus quantumcumque debilibus se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi praesumptio, quia de rebus altissimis etiam parva, et debili consideratione aliquid posse inspicere jucundissimum est ». Alia inferius dabimus.

ad eam nos potius inducit, prout secundo loco constituimus; quod facili ostenditur negotio. Quippe ad eum modum, quo Deus admirandum hujus universi in quo versamur spectaculum haud subjecit oculis nostris ut stupidi illud, prout specie sese obtutui nostro offert, unice inspiciamus, sed etiam imo potissime, ut per partes singulas illud rimemur, ordinem inquiramus, expendamus leges, relationes quas res omnes ad invicem habent intelligamus, deducamusque industria ac sollertia in usum et commodum nostrum, ex iisque proinde Deum sapientissimum ejus conditorem admiremur atque laudemus; sic mundum, ut ita loquar, divinum ac supernaturalem, qui ex fide historica coalescit, nobis exhibuit non ut ejus tantummodo *objectivitatem* credamus, eique unice inhaereamus, verum etiam ut intimius quoad ejus per nos fieri potest, pro uniuscujusque ingenii modulo, ac prout natura rei patitur, eum intelligentia nostra perscrutemur, ac contemplemur, assurgamus ad altiora cognoscenda, nitamurque assequi quae ea sub cortice delitescunt. Hinc eadem ratione, qua ex penitiore hujus universi cognitione longe augustiorem nobis de supremo numine ideam comparamus, eadem ex penitiore quam per tractationem scientificam adipiscimur mundi supernaturalis notitia, sublimiorem de Deo ejusque religione cognitionem obtinemus. Fides proinde historica et objectiva quoddam veluti vehiculum est, quo in eorum intelligentiam perducimur, quae prius sola fide tenebamus; germen est quod ulterioris semper evolutionis capax est; fons denique est speculativae contemplationis ex quo aquas haurire theologi jugiter possunt ad scientificam suam tractationem magis elaborandam perficiendamque.

297. Exinde factum videmus, quod tertio loco positum est, ut patres omnes contenti haud fuerint vindicare adversus novatores fidei depositum, seu singula dogmata ex Scriptura et Traditione ut in illis sisterent, sed haec ipsa dogmata subjecerunt philosophicae ac scientificae investigationi, in eorum intelligentiam eluctati sunt, ac subjectivos proprios de illis conceptus et speculativas suas investigationes ceteris exposuerunt (1) ut dogmata ipsa imo et mysteria planiora intelligentiae nostrae ac suasibilia ipsi rationi efficerent. Haud detrectarunt cum opus fuit in usum adsciscere philosophiam cui potissimum addicti erant ad enucleandos evolvendosque proprios conceptus circa singulos fidei articulos eorumque nexum et complexionem (2). Hinc sublimes illae theoriae quas in eorum scriptis suspicimus

(1) Ad hos subjectivos patrum conceptus de fidei articulis spectant omnes explanationes, expositionesque quibus ipsi uti doctores dogmata singula illustrarunt ac de illis philosophati sunt. Referta porro ejusmodi explanationibus ac rationibus peculiaribus sub quibus fidei articulos inspexerunt menteque sua conceperunt, sunt patrum scripta; haec proinde veluti promptuaria plenissima existunt e quibus exurgit *theologia patrum* nuncupata, quaeque ab eruditissimis theologis catholicis proximis superioribus seculis collecta et exposita est; inter quos eminent Petavius, Thomassinus, Habert episc. Vabrensis, Boucat.

(2) Notum est ecclesiae patres sive graecos sive latinos versatos fuisse in platonica potissimum philosophia. Ad christiana propterea dogmata explananda patres identidem platonica illa philosophia usos esse, compertum quilibet habere potest qui vel leviter percurrat volumen primum dogmatum theologicorum Petavii ac Thomassinii. Neque vero ab his dissentit, si rite intelligatur, vel ipse Baltus, qui hac in parte patrum mentem accurate expendit.

circa unitatem Dei cum disceptarent adversus polytheistas (1); circa mali originem ac summi principii unitatem libertatemque hominis cum insurgerent adversus gnosticos, valentinianos, marcionitas, manichaeos (2); circa rerum e nihilo eductionem et providentiam Dei cum pantheistas et stoicos (3) perstringerent; idem dic de Verbi divini aeterna generatione, de Trinitate, de Incarnatione, aliisque ejusmodi mysteriis religionis nostrae cum acriter pugnarent adversus eorumdem osores. Ecquis enim opera hac ex parte non admiretur Magni Athanasii, utriusque Cyrilli, utriusque item Gregorii, Basilii, Augustini, ut caeteros praetermittamus, in quibus omnibus profundam ubique philosophicam cernis dominari de christianis mysteriis tractationem, sublimissimosque conceptus?

298. Neque a patrum vestigiis recessere scholastici, qui in unum doctrinae corpus varia dogmata collegerunt, disposuerunt, illustrarunt, ac intima ipsa, ut ita loquar, fidei penetralia ingressi, eam ad vere scientificam ac speculativam celsitudinem evexere. Eminet in his s. Anselmus Cantuariensis quem nemo in hac pertractandi ratione facile superavit, praecipue vero s. Thomas qui Angelici nomen jure adeptus est, s. item Bonaventura, aliique bene multi. Nec desiit hoc studium, et haec agendi ratio, ut nonnulli autumant, concilii Tridentini aetate (4); sed perseveravit ad haec usque ferme tempora, siquidem praestantissimi posthac ingenio ac do-

(1) Cf. apud Petav. *De Deo* lib. I, cap. 3 et 4. et apud Thomassin. *De Deo* lib. II, cap. 1-7.

(2) Cf. s. Irenaeum lib. II. *contr. Haeres.* Tertullian. advers. Hermogenem et in quinque libris contr. Marcionem, s. Epiphan. *Haeres.* XXXI. et *haeres.* XLI, XLII, XLIII, et XLIV, necnon LXVI. edit. Petav., s. Gregorium Nyssen. contra Manich. syllogismi decem opp. tom. II. edit. Paris 1615. pag. 612., Titum Bostrensem episc. lib. tres adv. Manich. in Biblioth. Patr. Galland. tom. V. etc. Tibi prolixum elenchum exhibebunt J. Alb. Fabricius in utraque *Bibliotheca graeca et latina*, et Rhemig. Ceillier ord. Bened. in *Histoire générale des auteurs sacrés*.

(3) Inter quos eminent Synesius, Theodoretus inter graecos, Tertullianus, Augustinus inter latinos. Plura utiliter in unum collecta reperire est apud Thomassin. *De Deo* lib. II, cap. 9 et seqq.

(4) Hos inter est praecipue prof. Baltzer, op. cit. fasc. I, § 34. p. 215 seqq. qui censet connexionem inter *objectivismum* et *subjectivismum* seu inter doctrinam dogmaticam historicam et scientificam intelligentiam conatus perseverasse in ecclesia catholica usque ad epocham sic nuncupatae reformationis, ita ut per ea secula numquam apud catholicos scientia et speculatio philosophica velut elementum fidei hostile habita esset. Cum vero reformatio *objectivo* ac *historico* ecclesiae dogmati opposuit *subjectivismum* suum, nempe propriam cujusque sentiendi ac speculandi de fide libertatem, tunc catholici *objectivo* dogmati a conc. Tridentino adserto unice adhaerentes, coeperunt ab omni *subjectiva* ac *philosophica* circa fidem speculatione abhorrere, veluti fidei periculosa aut infensa. Ita factum est inter utramque divortium, sic ut ab aetate concilii Tridentini ad haec fere tempora magnum in *Ecclesia catholica scientificum silentium* subsecutum fuerit haud exigua scientiae jactura. Haec Beltzer, cujus sententiae subscribere haud possumus: quippe nullo tempore ecclesia ab usu recto rationis et philosophiae speculativae in rebus fidei animos avocavit; sed tantum abusus licentiosiorum ingeniorum compescuit, cavitque ne per nova philosophiae systemata identidem prodeuntia, si ambiguae aut periculosae indolis essent, quidquam fidei immutabilitati, et veritati damni inferretur.

ctrina theologi scholastici floruerunt, qui antecessoribus plerisque pares sin minus superiores sunt (1).

299. Quod si id semper licuit, imo et commendabile fuit, nulla potest subesse ratio ob quam in praesentia veluti noxium abjiciendum sit aut ab eo quidquam pertimescendum, dummodo intra fines quos praestituimus se contineant ii, qui praeter fidem intelligentiam quaerunt, seu qui scientifica tractatione fidei doctrinam amplificant. Quin etiam illud addimus et nos in ea proficere, et ulterius progredi posse patrum exempla consectantes juxta praeclara Vincentii Lirinensis verba: « Sed forsitan dicet aliquis: nullusne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur, ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum ac seculorum gradibus, *intelligentia, scientia, sapientia* . . . Fas est etenim, ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur . . . Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem (2) ».

DIFFICULTATES

300. Obj. Fides historica omnem prorsus scientificam respuit tractationem; 1. illa enim caecum postulat assensum, haec vero postulat intelligentiam. 2. Haeretici omnium primi scientiam ac intelligentiam dogmatum invexerunt, utpote qui fidei simplicitate minime contenti, ad formas philosophicas fidei mysteria redigentes, sacrum depositum labefactarunt. 3. Hunc sane abusum illis perpetuo exprobrant ecclesiae patres, atque in his Tertullianus qui exinde haeresum omnium originem repetit (3), et Jo. Chrysostomus retundens haereticos quod semper in ore haberent illud πῶς; *quomodo* (4)? Sic reliqui passim (5). 4. Quapropter merito s. Thomas toties inculcat rationis officium circa mysteria mere *negativum* esse, quod scilicet in difficultatum solutione consistat (6). Ergo.

(1) Nemo profecto hanc laudem denegabit utrique Soto, Suarezio, Vasquezio, card. Toleto, card. De Lugo, card. Cienfuegos, aliisque pene innumeris qui non solum *Credo catholicum*, ut cit. Baltzer loquitur, adstruxerunt adversus protestantes, sed praeterea ad ejus speculativam intelligentiam per scientificum processum sese extulerunt, atque ipsi etiam in caelo catholico veluti astra emicuerunt. Quod si theologi *positivi* nuncupati aut *historici* qui partem apologeticam coluerunt, aliam viam sectati sunt, necessitas eos ad id impulit, cum undique protestantes fundamenta fidei historicae evertere adniterentur.

(2) Cap. XXIII. *Commonit.* I. § 23. *Biblioth. Gallandi* tom. X.

(3) Lib. *De praescript.* c. VII seq.

(4) *Homil.* IV. in I. ad Corinth. n. I. et 2. Item *Serm. II. de incomprehensibili Dei natura* num. 2. et alibi.

(5) Praesertim s. Greg. Nazianz. orat. XXXIV. n. 72 seqq. opp. edit. Paris 1630. tom. I, p. 559. s. Hilarius *de Trinit.* lib. X, n. 53. ed. Veron. 1740. tom. II, p. 559. Hesychius in *Levitic.* lib. II, *capitis* VI. *pars altera* in *Biblioth. Patr.* Lugdun. tom. XII, pag. 72.

(6) Praecipue I. p. q. 32. ar. I. ubi inter cetera scribit: « Quae fidei sunt, non sunt tentanda probare, nisi per auctoritatem his,

301. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Scientifica tractatio postulat intelligentiam absque detrimento illius assensus quem fides exposcit, *C.* cum ejusdem detrimento *N.* Dummodo itaque fides ipsa in omni sua parte prout ab ecclesia proponitur sarta tectaque teneatur, nihil impedit quominus eluctetur homo majorem, quoad ejus fieri possit, esse-qui ejusdem intelligentiam. Id unum cavendum est ne sub obtentu intelligentiae aut scientificae inquisitionis normam ipsam seu fidei objectum sibi quis velit subjicere, fidem ad systema philosophicum revocando per identitatem philosophiae ac theologiae, prout nonnullis non minima fidei jactura contigisse novimus (1).

302. Ad 2. *D.* Haeretici omnium primi scientiam ac intelligentiam dogmatum invexerunt per substitutionem *subjectivismi objectivae* et *historicae* fidei, *C.* per meram scientiam ac intelligentiam eorumdem dogmatum intra praestitutos fines *N.* Id enim fert omnium haereseon natura ut privatus sensus ecclesiae auctoritati sufficiatur. Detrectantes siquidem novatores omnes se ecclesiae magisterio subjicere, fidem *objectivam* temerare aggrediuntur. In hoc autem alii aliam viam inierunt. Primis quippe ecclesiae seculis nonnulli aut nimium judaismo addicti, aut ethnicorum fabulis, aut variis demum philosophorum placitis, adnisi sunt haec ipsa in christianismum transferre, et hac ratione fidei doctrinam corrumpere ac temerare. Hac ergo de causa in novatores illos insurrexerunt patres, eorumque temeritatem merito damnarunt (2). Idem vero insequentibus seculis contigit, uti in Abaëlardo patuit contra quem acriter depugnavit s. Bernardus (3).

303. Ad 3. *D.* Ob pravum haereti-

qui auctoritatem suscipiunt. Apud alios vero sufficit defendere non esse impossibile quod praedicat fides ».

(1) Posset hic etiam commemorari satis recens exemplum scriptoris germanici F. Baader qui ex speculatione sua scientifica, mysticismo nescio cui admixta, adeo progressus est longe, ut fidei doctrinam laeserit, ac omnes rectos catholicos a se averterit.

(2) Cf. Petav. *De theolog. disciplinis* tom. I, cap. III, § 2 seqq.

(3) Exemplum Abaëlardi eo notabilius est quod ipse auctoritatem ecclesiae in rebus fidei decernendis numquam negarit. « Si quid est divinorum mysteriorum quod intelligere non valemus, Spiritui per quem scripta sunt docenda potius reservamus quam temere definiamus ». Ita ipse in *Prol.* ad opus cujus titulus *Sic et non*. Attamen cum revera ad fidei mysteria non tam illustranda quam demonstranda subtilibus humani ingenii rationibus ita uteretur, iisque fideret, ut fidem ipsam *aestimationem* (quasi *opinionem*) appellaret quam ratio humana certam ostendere deberet, merito subtilioris theologici rationalismi parens est habitus. Ex quo patet satis non esse ecclesiae magisterium agnoscere ad rationalismi scopulos declinandos, si quis ratione interim sua abutitur in rebus fidei: eosque qui ad speculativam intelligentiam dogmata fidei conantur evehere, si nimis proprio ingenio ac phantasiae indulgeant, in rationalismum aliquem dilabi facile posse.

Caeterum haud recte Prof. Cousin *Ouvrages inédits d'Abélard pour servir à l'histoire de la philosophie scholastique* etc. Paris 1836. *Introd.* § IV. scribit. « En théologie il mit de côté la vieille école . . . qui *exposait sans expliquer*, et fonda ce qu' on appelle aujourd' hui le *rationalisme*. Abélard a essayé de se *rendre compte* de la seule chose qu' on pût étudier de son tems, *la théologie* . . . a entrepris de *transporter la raison dans l' autorité* ». 1. Enim falsum est quod *res fidei explicare*, eorum *rationem reddere*, *rationis usum in iis adhibere*, si quidem id rite fiat, *rationalismum* constituat. 2. Falsum praeterea, haec

corum abusum in fidei deposito labefactando, *C.* ad omnem legitimum usum eliminandum *N.* Id sane patet 1. ex eo quod iidem patres philosophicas disciplinas excoluerint, atque in usus proprios adsciverint (1); 2. ex summis laudibus quibus identidem patres ejusmodi studia commendarunt (2); 3. ex ratione ipsa quam tenuerunt in haereticis illis perstringendis, quod platonica aut aristotelica scita substituissent Christi doctrinae, aut saltem eamdem doctrinam ita ad placita philosophica accommodassent, ut divina Salvatoris doctrina in mere philosophicam commutaretur. Satis enim est vel leviter objecta patrum testimonia inspicere, ut pateat quaenam fuerit occasio objurgationum illarum et scopus (3). Quo reipsa sensu Plato et Aristoteles haereticorum parentes nuncupati sunt ac praeformatores, eorumque philosophia haereseon omnium promptuarium appellata (4).

504. Ad 4. *D.* In ordine ad rigorosam demonstrationem et comprehensionem mysteriorum, *C.* in ordine ad aliqualem saltem intelligentiam *N.* Dum Angelicus doctor solum officium *negativum* rationi videtur adscribere, demonstrationem proprie dictam mysteriorum fidei instituendam ex rationis principiis excludit, plenamque eorumdem mysteriorum comprehensionem; quae quidem verissime statuit, cum utrumque absonum omnino sit; at nuspiam illam excludit intelligentiam ac scientificam cognitionem, quam nos adstruimus; imo non uno in loco contrarium aperte docet (5).

omnia primum ab Abaëlardo praestita in theologia fuisse; quippe jam saeculo XI. exeunte Anselmus Cantuarien. ingenia theologorum ad id vehementer excitarat, ac *scholasticae* fundamenta jecerat, hoc veluti principium constituens: « Sicut rectus ordo exigit ut profunda christianae fidei credamus, priusquam ea praesumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur, si posteaquam confirmati sumus in fide, non studemus, quod credimus intelligere ». *Cur Deus homo* cap. 2. Illud igitur Anselmum inter et Abaëlardum et utramque scholam erat discrimen, quod ille pro fundamento habebat *credo ut intelligam*, iste vero quaerebat intelligere *ut crederet*. *Cf. Prosolog.* c. I.

(1) Cf. Petav. ibid. cap. IV.

(2) Plura congessit hanc in rem Petavius patrum testimonia Clementis praesertim Alexandr., Gregorii Nazianzeni et Nysseni, Basilii, Ambrosii, Augustini aliorumque quae cit. cap. IV. recoli possunt.

(3) Sane haec inter cetera scribit Tertullianus loc. cit. « Quid ergo Athenis et Hierosolymis? Quid academiae et ecclesiae? Quid haereticis et christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis: qui et ipse tradiderat, Dominum in simplicitate quaerendum. Viderint qui *Stoicum*, et *Platonicum* et *dialecticum* christianismum protulerunt ». S. Ambrosius in ps. CXVIII. *serm.* XXII. n. 10. « Elaborandum est igitur . . . ne quis adsertionem nostram per philosophiam *depraedetur*. Sic enim arianos in perfidiam ruisse cognovimus, dum Christi generationem putant usu hujus saeculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem. Reliquerunt sapientiam quae apud Deum est: elegerunt disputationis tendiculas et aucupia verborum secundum dialecticae disciplinam ». En quo sensu patres philosophiam in rebus fidei damnaverint.

(4) Cf. Petav. loc. cit. cap. III, § 2. et 3. Plura etiam hanc in rem tibi suppeditabit Nebridius a Mündelheim can. regul. in op. *Philosophia s. Augustini*, seu *philosophia christiana*. Viennae 1654. *praef.* cap. II, III. et VIII.

(5) Reipsa s. Doctor 2. 2. q. 2. a. 1. O. « Actus iste, inquit, qui est credere, habet firmam adhaesionem ad unam partem, in quo convenit cum sciente et intelligente: et tamen ejus cognitio non est *perfecta per maximam visionem*, in quo convenit cum dubitante, suspicante, et opinante; et sic proprium est

ARTICULUS II.

De abusu rationis post fidem

505. Rationis post fidem abusum vocamus illam agendi perversitatem, qua quis contendit non rationem fidei ab ecclesia tamquam infallibili auctoritate praedita propositae, uti par est, esse subjiciendam: sed fidem *objectivam* subjiciendam esse rationi, ita ut ratio cujusque individualis, seu potius *Spiritus privatus* sit norma princeps, imo unica, independens et absoluta ipsius fidei, quae tota proinde *subjectiva* efficitur. Tales porro sunt protestantes, et qui ab iis progeniti sunt rationalistae ac mythici. Cum vero protestantes, saltem qui *orthodoxi* audiunt, procul rationalistas ac mythicos repellant, imo et confutare istorum systemata enitantur, duo a nobis heic effici debent, *primo* scilicet ostendere rationem ab auctoritate fidem *objectivam* omnino adsciscere debere, *secundo* evincere rationalismum ac propterea ejusdem modificationem, mythicismum, necessario ex intima natura ac essentia protestantismi effluere, seu quod idem est, nullum dari medium, si *logice* ac *historice* etiam res consideretur, inter catholicismum ac totius christianismi destructionem. Quae quidem insequentibus propositionibus efficere aggredimur.

PROPOSITIO I.

Nequit humana ratio se ipsam unicam fidei regulam constituere, quin fidem destruat, quae ab auctoritate pendet

506. Crimen hoc est haereticis omnibus commune, qui se extollere ausi sunt contra auctoritatem divinitus institutam, ecclesiam Christi videlicet, ut custos esset ac vindex depositi revelationis, immo etiam ut magistra esset infallibilis, ac proinde regula fidei proxima credendorum et agendorum; ita ut seipsos seu rationem individualem tamquam fidei normam ac regulam substituerint. Nulla tamen secta usque ad novatores sec. XVI. in principium formale erexit independentiam absolutam rationis a quavis auctoritate. Lutherus omnium primus libertatem examinis proclamavit, eamque veluti characteristicam notam, imo constitutivam protestantismi ejusque basim posuit. Porro principium istud

credentis ut cum assensu cogitet »; et q. 8. ar. 8. ad 2. « Fides non potest universaliter praecedere intellectum. Non enim posset homo assentire credendo aliquibus propositis, nisi ea aliqualiter *intelligeret* ». Porro istud *intelligere* non assumit Angelicus de aliqua tantum extrinseca cognitione, sed de intellectione intima objectorum propositorum, ut patet ex iis quae scribit ibid. ar. 1. o. « Nomen intellectus quandam *intimam* cognitionem importat: dicitur enim *intelligere*, quasi *intus legere* ». et in resp. ad 3. « Intellectus, inquit, nominat quandam excellentiam cognitionis penetrandi ad intima » nempe eorum quae revelantur. Loquitur siquidem de intellectu prout est donum gratiae quod perficit naturam. Demum ibid. ad 2. quaerens quare ejusmodi *perfectio* dici potius debeat *intellectus*, quam *ratio*, respondet: « Ista superadditio non dicitur ratio, sed magis intellectus: quia ita se habet lumen superadditum ad ea, quae nobis supernaturaliter innotescunt, sicut se habet lumen naturale ad ea, quae primordialiter cognoscimus ». Sed cf. de hoc argumento Falletti can. reg. *Lo studio analitico della religione*. Roma 1827, part. III, tom. II. *Discorso preliminare*, tum cap. VI. ubi copiose rem hanc discutit.

fidei omnino eversivum esse perfacile ostendimus.

307. Ex suo loco demonstratis Christus ecclesiae a se conditae universum commisit revelationis depositum, eique praedicationem commendavit doctrinae suae; in hunc finem infallibilitatis dote eam communivit ut rite jugiter fungeretur munere quod ei demandavit; ut autem fidem penes gentes omnes obtineret, virtute signorum eandem instruxit (1). His freta praesidiis ecclesia evangelium universis gentibus annunciavit ac annunciat. Harum officium fuit ac est motiva expendere credibilitatis, de quibus cum ipsis constiterit, nil aliud superest, quam adspirante divina gratia credere iis omnibus ac singulis quae ab ecclesia credenda proponuntur. Quivis alius processus alogicus est; siquidem in propositione ecclesiae duo illa habentur quae ad rite credendum requiruntur et sufficiunt, motivum scilicet formale, et regula proxima credendorum, quorum alterutrum si desit nulla vera concipi fides objectiva potest. Per motivum namque formale quisque cognoscit non posse subesse falsum iis quae Deus revelaverit; per regulam proximam unusquisque pariter certus fit hunc vel illum articulum, omnesque etiam fidei articulos collective sumptos esse a Deo revelatos.

308. Jam vero, qui, abjecta hac regula infallibili solaque tuta, sibi jus arrogat expendendi, secernendi judicandi revelationis objecta, ut inde ratione individuali ceu norma ac duce decernat quid fide divina credendum sit, quid vero ab articulorum fidei censu sit respuendum, is universum fidei systema labefactat ejusque veluti oeconomiam. Evertit enim illud 1. quoad ipsum revelationis depositum, seu regulam remotam, quae ex Scriptura, ac Traditione exurgit; siquidem anceps haerere debet circa Scripturarum canonem, earumdemque integritatem, sensum dogmaticum, sensumque traditionalem (2); 2. evertit quoad singula dogmata, quippe a se unice pendet determinare quaenam vera, quaenam autem adscititia habenda sint; 3. evertit quoad firmitatem ac unitatem fidei, cum omnino unicae *subjectivae* persuasioni inniti debeat; haec autem varia pro uniuscujusque affectione necessario cum sit, necesse prorsus est ut omnia nutent, omnia fluctuent, ac in perpetua varietate, et transitu posita sint ex quo omnis dissolvatur unitas, horribilis inducatur confusio, donec fides ac ipsa fidei notio penitus intereat (3).

309. Possemus equidem haec omnia facto ipso historico protestantismi tum

(1) In hujus tract. p. I, sect. I, cap. IV.

(2) Recolantur quae scripsimus in hujus tract. p. II, sect. I, cap. I seqq.

(3) Praeter ea quae passim hac de re scripsimus tum in hoc, tum in tract. *De vera relig.* p. II, prop. VII, et IX. juverit haec confirmare ex statu praesente religionis in Borussia quae est palladium protestantismi. En quid scribat testis oculatus ad redactorem ephemerid. *L' Univers*, die 18. Jul. 1841. « Berlin est le centre de la science protestante, qui, comme vous le savez, croit être arrivée au point de se trouver non seulement indépendante de toutes croyances religieuses, mais encore *bien au-dessus de toute vérité révélée* . . . La philosophie de Berlin prétendait que la raison humaine était parvenue à un degré de développement et de maturité, qui la mettait en état de parvenir par ses propres forces à la connaissance de toutes les vérités que l'homme avait autrefois acceptées *comme venant d' une source supérieure*, *et lui étant communiquées par la révélation*. Elle soutenait que la raison humaine pénétrait bien plus dans l' intelligence la plus intime de ces vérités, que ne l' auraient jamais pu faire

successivi tum *simultanei* confirmare: verum partim de his egimus (1), partim in insequenti propositione de hoc ipso nobis erit agendum. Interim luculenter ex dictis colligitur actum prorsus de fide objectiva ac historica esse, ubi ratio se ipsam unicam fidei regulam semel constituerit, cum munus ejus sit se tamquam pedissequam auctoritati subjicere, eique ancillari.

DIFFICULTATES

310. Obj. 1. Protestantismus suam adhuc religiosam retinet formam, vita adhuc et vigore pollet, crescit in dies, viresque exerit validiores, nec desperat se cito *justa magno cultui* esse persoluturum (2). 2. Etenim non aliam profitetur fidem praeter quam biblica volumina exhibent, hominum commentis rejectis. 3. Nec tamen putandum est juxta protestantismi systema homines ex se, sola naturali ratione veritates supernaturales promere ex Bibliis, sed interiore divina Spiritus sancti inspiratione freti juxta divina promissa (3). 4. Neque ad divinum hunc spiritum, interius veritatum omnium magisterium obtinendum humano conatu, aut oratione, aliisve adminiculis opus est; siquidem Deus hominem invadit, eique substantialiter conjungitur; cum individuo quolibet nova quaedam fit divini Verbi incarnatio; et quemadmodum *Logos* humanitatem Salvatoris assumpsit absque hujus cooperatione, sed *passive* tantum se habentis, sic individua singula assumit, pervadit ac penetrat, imo cum ipsis identificatur, ea movet, regit ac infallibilia efficit. Ex

les hommes qui, étant éclairés eux-mêmes d' une lumière surnaturelle, avaient tâché de les expliquer. La religion et la philosophie, disait-elle, ont le même objet, mais la seconde est bien plus supérieure à la premiere, parce qu'elle arrive par elle-même à la conception claire et évidente des principes de toutes choses, principes que la religion ne fait qu'indiquer d'une manière obscure et voilée. Ces idées ont été adoptées par la plupart des hommes distingués et savans de Berlin; voilà ce qui explique pourquoi ils n' expriment ni haine, ni aversion pour ceux qui tiennent encore à des doctrines religieuses *positives :* ils prennent ces hommes en pitié, tout en honorant en eux leurs bonnes intentions. Vous avez encore besoin d' une religion révélée, d' un culte extérieur, de cérémonies, vous disent-ils, c' est trés-bien, nous comprenons parfaitement l' état dans lequel vous voûs trouvez, car nous y étions aussi; mais vous en sortirez peut-être, si vous pénétrez plus avant dans les études philosophiques, si la lumière de la science éclaire enfin votre raison . . . Le mouvement des esprits en Europe, ou pour mieux dire dans le monde tout entier, vers la religion catholique, vers l' Eglise, mouvement que l' on n' ignore pas à Berlin, est considéré dans cette ville comme quelque chose de bien inférieur à ce développement intellectuel, auquel tout est subordonné en Prusse, comme un état transitoire par lequel l' humanité passera pour arriver au faîte atteint déjà par les philosophes Prussiens. Jamais orgueil scientifique et intellectuel n'a été poussé plus loin. Il a aveuglé les hommes les plus intelligens et exercé une facheuse influence sur la direction des affaires intérieures en Prusse ». Plura etiam ac singularia anecdota cf. in op. *De la Prusse et de sa domination sous les rapports politiques et religieux.* Paris, 1842. *Partie religieuse* chap. III. *sect. première* p. 342 seqq.

(1) In Tract. *De vera religione* loc. cit.

(2) Ita passim in publicis ephemeridibus quas ipsi evulgant. Vide *l' Univers* 9. Julii 1842. ubi protestantes disserentes de ecclesia catholica hac phrasi utuntur: « Cette Ilion *vaincue* qu' on appelle *l' église* ».

(3) Cf. Baudry in op. cit. *Gèmissement d' un cœur catholique* p. 71 seq.

quo patet longe tutiorem protestantem esse in fide sua, quam quilibet catholicus possit, qui nonnisi *accidentalem* cum Deo unionem profitetur una cum incerto *synergismo* seu libera divinae motioni cooperatione (1). 5. Tantum igitur abest, ut protestantismus auctoritatem rejiciendo amittat fidem, ut in supremo potius gradu illam possideat. Ergo.

311. Resp. Ad 1. *D.* Protestantismus adhuc formam suam retinet *negativam*, *C.* *positivam* *N.* Persistit scilicet protestantismus in natura ac forma sua *negativa*, quae nil aliud est nisi perpetua protestatio adversus legitimam auctoritatem, ac fidei veritates quas in sua perduellione negavit. Hoc certe sensu profecit ille plurimumque profecit cum fidem paulatim corroserit ac peremerit universam. Hoc item sensu vita idem ac vigore pollet, ea nempe vita quae tota se prodit in fide catholica persequenda, quo fit ut nulli parcat labori, nulli fraudi, mendacio nulli ut eam, si quidem fieri posset, subruat atque convellat. Cum proinde inferi portae sibi semper victoriam polliceantur adversus Dominum et adversus Christum ejus, quid mirum si stolida hac inanique plane spe protestantismus alatur atque soletur, de parentalibus quamprimum *magno cultui*, ecclesiae nimirum catholicae persolvendis? Ast cum aeterna veritas, Christus, de ecclesia a se super Petrum fundata pronunciaverit: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, allidet profecto se protestantismus ad hanc petram, et confringetur et conteretur et comminuetur (2). Sane nulla fortasse alia extitit aetas qua et ecclesiae firmitas, et protestantismi infirmitas, immo vero absoluta impotentia pateret magis quam in praesenti, quum ecclesia praesidiis omnibus temporalibus fere destituta propriisque relicta viribus, obnitenteque contra ipsam universali quadam conspiratione, tamen nedum subsistit, sed vitam viresque suas sic exerit, ut vix alias adeo exeruerit; contra vero protestantismus in dies magis dissolvitur et ad interitum vergit (3).

(1) Ita fere recentes protestantismi mystici sectatores, qui Berolini praesertim suam habent sedem, Hengstenbergo duce.

(2) Praeclare omnino invictus episcopus ac martyr Jo. Roffensis his verbis jam aetate sua configebat Lutherum et lutheranos similia effutientes, quae nos Calvino et calvinianis ac protestantibus omnibus seu haereticis cujuscumque denominationis aptamus: « Huc adsis et tu Luthere cum lutheranis omnibus tuis, et omnia studia vestra in unum conflate, neque unquam efficietis, quin vera praedixerit Christus, nempe quod super petram, hoc est Petrum, aedificaturus esset ecclesiam: stat contra vos haec auctoritas invicta, quae etiam de vobis triumphat et triumphabit ». Apud Schelstrate *Antiquit. eccles.* tom. II, diss. II, cap. VI, art. I, n. II.

(3) Ne vero haec exaggerata a nobis videantur, praestat documentis firmare ex auctoribus ipsis protestantibus desumptis. Porro D. Macauly protestans anglicanus in suis *considerationibus super historiam pontificatus romani* a prof. Leopoldo Ranke adornatam quas exhibet in *Revisione Edimburgensi* fasc. mensis Octob. 1840. fatetur 1. ecclesiam Romanam recuperasse *dimidiam* saltem partem eorum quos amiserat per reformationem; 2. majus nunc seu magis extensum esse dominium pontificatus Romani quam unquam quovis extiterit alio seculo; 3. superare sectas omnes christianas etiam collective sumptas; 4. affirmat se nullum signum cernere imminutionis catholicae ecclesiae; 5. Immo vero praevidet futuram subsistentiam ejusdem ecclesiae super ruinam patriae suae; 6. denique, ceteris omissis, agnoscit ecclesiam hanc pleno vigore pollere, novosque jugiter pro-

512. Ad 2. *D.* Et hac proprie de causa fidem omnem *objectivam* amisit protestantismus, *C.* veram profitetur fidem *N.* Etenim praeterquam quod et ipsa sacra Biblia articulum fidei constituunt, quem nonnisi ab ecclesia, ut suo loco ostendimus (1), protestantes habere possunt; ad eum plane modum fidem suam protestantismus ex sacris Bibliis hausit, quo inde gnostici, manichaei, sabelliani, ariani, nestoriani etc. hauserunt antiquitus, nunc vero hauriunt sociniani, methodistae etc. qui scilicet professi sunt et profitentur omnes fidem suam ex sacris Bibliis unice arcessere, commentis ecclesiae catholicae, id est, Romanae repudiatis. Attamen omnes haeretici vel increduli fuerunt aut sunt, cujusmodi pariter est protestantismus haereseon omnium viridarium.

513. Ad 3. *D.* Id est nonnullorum protestantium, *C.* omnium *N.* Mira semper et viguit et viget circa istiusmodi systema interioris inspirationis individualis varietas inter protestantes quam jamdiu expendimus (2): cum igitur alii illud admittant, rejiciant alii, alii vero iisdem Scripturae textibus innixi temperent pro lubitu varieque adornent (3), quis non videat totum istud systema cui

gressus facere. Brevitatis causa verba ipsius auctoris praetereo. Cf. *Annali delle scienze relig.* vol. XIII, n. 37. *Luglio e Agosto* 1841. In Ephem. *Univers.* 10. Mars 1842. legitur: « D'après une note que nous (*L'institut catholique* publié à Lyon) avons publiée en 1831, et que nous empruntons à M. Ozanam, qui lui-même se bâsait sur les calculs de Malte-Brun, auteur protestant, *l'accroissement des catholiques, comparativement à l'époque de Luther, serait de 35 millions*, et depuis 1831 il a dû s'augmenter beaucoup ». In sola provincia Genevensi ex confessione protestantis Baumgarten ab an. 1822. dum protestantes per singulos annos creverunt in proportione 2. ad 100., catholici creverunt in proportione 72. ad 100. Cf. ibid. 8. Mars 1842. Possem plura alia adjicere, ne tamen prolixus nimis sim haec sufficiant. Cf. *Tableau général des principales conversions, qui ont eu lieu parmi les protestans et autres religionnaires depuis le commencement du* XIX. *siècle*, par l'ab. Rohrbacher. 2. edit. Paris. 1841. Noti sunt progressus catholicismi in Anglia, in Hollandia, America etc. Et tamen stultuli illi protestantes qui quotidie diffluunt, confidunt se *quamprimum* exequias celebraturos *magni cultus*, gloriantur que de Ilio *devicto!* Quod vero spectat ad fraudes et vexationes protestantium adversus ecclesiam catholicam, legi omnino debet opus cit. *De la Prusse et de sa domination*; Paris 1842. *Partie religieuse*, sect. II. *Du Gouvernement prussien vis-à-vis des catholiques. -Necessité pour le gouvernement prussien de recourir contre le catholicisme à des moyens indirectes: énumérations de ces moyens.* 1. *Organisation religieuse militaire*; 2. *Organisation religieuse de l'instruction publique*; 3. *Fonctionnaires publics et mariages mixtes*; 4. *Législation religieuse*. Omni ratione nititur Gubernium Borussicum opus hoc supprimere, ac efficere ut oblivioni detur. De Russia nihil attinet dicere cum ejus vexationes in catholicis nimis notae sint: cf. op. *Persecutions et souffrances de l'église catholique en Russie*; Paris 1842. item: *Allocuzione della Santità di nostro Signore* GREGORIO PP. XVI. *al sacro collegio nel concistoro segreto del* 22. *Luglio* 1842. *seguita da una esposizione corredata di documenti sulle incessanti cure della stessa Santità Sua a riparo dei gravi mali da cui è afflitta la religione cattolica negl' imperiali e reali dominii di Russia e Polonia*. Roma 1842.

(1) Supra p. II, sect. I, cap. I, prop. I, et II.

(2) Ibid.

(3) Cf. Baudry op. cit. *Gémissements d'un cœur catholique* pag. 74. 75. ubi documenta afferuntur.

tantopere fidebant protestantes, stultum plane se prodere?

514. Ad 4. *D.* Ita ut et in hoc systemate novum habeatur nutationis protestantismi argumentum, *C.* veritatis *N.* Quondam protestantes inhaerentes Lutheri doctrinae de homine substantialiter per originalem noxam faedato, ac de perseverantia concupiscentiae etiam in renatis quae *formalis* peccati rationem habeat, immensum, ut ita dicam, Deum inter et hominem posuerunt intervallum (1); accusabant propterea catholicos eo quod gratiam sanctificantem animae justi *inhaerentem* esse docerent, adeo ut illi hoc nomine fuerint a Tridentino damnati (2). Nunc vero recentiores protestantes ad *mysticismum* ac *pietismum* nescio quem dilapsi, adeo arctam contendunt unionem esse Dei cum homine justo, ut *substantialiter* Deum cum eo conjungi, imo et cum eo fere substantialiter identificari autument, totidemque fieri veluti *incarnationes* quot justi efficiuntur. Objurgant proinde catholicos quod nimiam Deum inter et hominem distantiam collocent, dum nonnisi *accidentalem* unionem propugnant inter Dei gratiam et animam justi (3). Nimirum semel ac via veritatis deseritur, prona est ac praeceps ad opposita extrema prolapsio; *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

515. Ad 5. *D.* Nempe eo ipso quod recens protestantismus in supremo gradu fidem se possidere jactat, omni fide destitutus est, *C.* vere fidem possidet *N.* Possidet enim *subjectivum fanatismum* qui novas identidem formas assumet cum nova quaeque apud illum theoria praevaluerit. Fides protestantismi, si hoc uti nomine velimus, semper *temporalis* est, ac proinde nulla, quandoquidem jugiter pendet ab hominum adinventis, quae eum dextrorsum aut sinistrorsum trahunt, haud secus ac in amplis Africae desertis magni illi arenarum cumuli qui prout a ventis agitantur et compelluntur, et sedem immutant, et novas perpetuo formas assumunt.

PROPOSITIO II.

Ab essentiali protestantismi constitutione ac natura necessario profluit rationalismus; seu

Si protestantismus est verus, falsus est christianismus

516. Protestantismus qualis a Luthero primum prodivit bifariam spectari debet, tum nempe in essentia, seu natura et constitutione sua, tum in sua forma exteriore et accidentali; sub priori respectu *rationalisticus* plane fuit, ac talis prodivit vel ab ipsa origine sua; sub posteriori respectu *supernaturalisticus* extitit.

517. Duo porro ad propositionis nostrae veritatem evincendam a nobis praestanda sunt, primo quidem rationalisticum essentia ac natura sua protestantismum esse, adeoque rationalismum necessario ac sua veluti sponte debuisse ex eo promanare et evolvi; secundo per rationalismum pessumdari prorsus totumque everti christianismum, seu religionem christianam. Utrumque porro *jure* et *facto* seu *theoretice* et *practice* facile ostenditur.

(1) Vid. quae scripsimus in Tract. *De gratia* p. II, cap. I.

(2) Sess. VI, can. XI.

(3) Recolantur quae nos superius adnotavimus de hac Dei cum homine conjunctione per *charitatem diffusam in cordibus nostris* n. 130. ubi quo sensu juxta plurium theologorum sententiam dici possit hujusmodi unio *substantialis*, explicavimus.

318. Ac primo quidem protestantismi super terram apparitio *supernaturalis* in speciem fuit, Bibliis videlicet innixa ac veluti pallio *symbolorum* contecta. Si principium tamen ex quo prodivit in lucem, si spiritum qui intus alebat totamque agitabat molem consideres, haec nonnisi rationalistica fuerunt. Sane Lutherus, rejecta penitus infallibili ecclesiae auctoritate, suffecit eidem spiritum suum privatum, seu ut modo loqui adamant, rationem suam individualem veluti normam ac judicem tum in critica biblica, tum in exegetica, tum in dogmatica, proclamavitque, ut saepe diximus, principium libertatis et examinis in religionis negotio. Jam vero in hoc proprie natura ac vis consistit rationalismi, qui profitetur rationem principem normam esse credendorum et agendorum, ita ut ista ex proprio fundo statuere debeat, judicare ac decernere quid sentiendum sit de Bibliis eorumque valore, nec non de eorumdem sensu, ut inde eruat quid sit in religione tenendum. Absque hac substitutione numquam enatus esset protestantismus, imo ne concipi quidem posset (1). Spectata igitur natura ac essentia, protestantismus non est nisi rationalismus, larvatus tamen supernaturalismo qui per Biblia et symbola, seu fidei professiones statuebatur. Et haec quidem *jure*.

319. *Facto* porro, prout secundo loco proposuimus, rationalismum ex protestantismo progenitum esse atque ad perfectionem adductum, constat ex historia. Protestantismus enim in auctore ac parente suo veluti *personificatus* est; quoniam vero Lutherus vi principii a se constituti, uti criticus in Bibliis expunxit librorum partem e censu canonicorum ac proinde divinitus inspiratorum (2); uti exegeta talem Scripturis sensum subjectivum affinxit quem sibi in illis deprehendere visus est; uti dogmaticus illos excogitavit articulos qui proprie lutheranam doctrinam constituunt de peccato originali, de amissione liberi arbitrii, de sola fide justificante etc.; exinde rationalismus in triplici sua forma *critica*, *exegetica*, *dogmatica*, veluti ex germine arbustum quod postea in arborem crevit omnesque fructus suos protulit, evolutus est.

320. Rationalismus *criticus* a libris deuterocanonicis ad protocanonicos progressum fecit, ac unum post alium suis quibus inscripti erant auctoribus abjudicavit tum Veteris tum Novi Testamenti libros (3). Inspirationem penitus abjecit, spectavitque hos libros uti opera ac mo-

(1) Id vidit vel ipse auctor protestans cit. *Histoire critique du rationalisme en Allemagne*, nempe Amand Saintes, qui pag. 7. scribit: « Quoiqu'il soit vrai de dire, logiquement parlant, que *les principes* du rationalisme se confondent avec ceux du protestantisme, ou du moins qu'ils en découlent, et que l'établissement de la réformation *devait amener inévitablement* le rationalisme etc. » et iterum pag. 439. « On a vu comme le rationalisme *est sorti tout naturellement de la réformation telle que l'ont faite Luther et ses collaborateurs*; c'est le fruit qui était enfermé dans le bouton dont l'arbre de la réforme devait se parer, à moins que l'arbre ne fût coupé avant son développement ».

(2) Recol. quae superius habentur p. II, sect. I, cap. I.

(3) Cf. ibid. Porro protestantes *orthodoxi* adnisi sunt impugnare Straussium (qui inficiatus est authenticitatem quatuor evangeliorum, contendens, nonnisi post centum annos a Christi morte conscripta esse) ex conformitate evangeliorum cum actibus apostolorum. Atqui vix elapsus annus erat a publicatione *Vitae J. C.* quum professor Tubingensis quaestionem proposuit utrum critica *nihil* adhuc *posset* super Acta

numenta humanae rationis sese alacriter evolventis (1), erroribusque tamen omnigenis adspersa (2).

521. Rationalismus *exegeticus* eventus omnes supernaturales naturali prorsus modo exposuit, vel ad mythos historicos aut poëticos, aut historico-poëticos relegavit (3); mysteria aut in Scripturis reperiri negavit, aut tamquam *aesthetica symbola* habuit ac uti *praesensiones* quasdam *religiosas* (4); id est miracula, vaticinia, mysteria plane sustulit e medio (5).

522. Rationalismus *dogmaticus* perficiens *epurationis*, ut vocant, opus a Luthero incoeptum, omnia et singula temporis progressu corrosit; inficiatus siquidem est divinitatem Christi Jesu, eumque inter sapientes seu gnosticos, aut essenios connumeravit (6); totam evertit satisfactionis ac redemptionis oeconomiam; Christi resurrectionem et in caelum adscensum, futuramque proinde corporum resurrectionem ac finale judicium veluti accommodationem judaicis locorum praejudiciis traduxit (7); apostolorum doctrinam tamquam inutile ac perniciosum doctrinae Christi additamen-

apostolica et in epistolas Pauli? Hinc ipse caepit expungere postrema capita in quibus iter apostoli Pauli Romam refertur, et interim promittit sive a se, sive ab aliquo alio citius serius submissum iri critico examini tum Acta apostolorum, tum epistolas omnes Apostoli, nempe ad ea expungenda a numero authenticorum scriptorum. Primam epistolam ad Timotheum omnino Schleiermacher rejicit ex canone; Cf. ejus epist. *Ueber den sogenannten ersten Brief* etc. seu *De sic nuncupata prima epistola Pauli ad Timoth.* Berol. 1807. Wilcke negat evangelia Matthaei et Joannis ab his apostolis fuisse conscripta, ac dum Straussio se opponit, in pluribus convenit cum ipso. Cf. *Hist. crit.* etc. p. 193. Twesten affirmat nondum clausum esse canonem scripturarum. Cf. op. cit. pag. 226 seqq. Gfrörer negat valorem historicum trium evangeliorum *Synopticorum*. Ibid. 191.

(1) Praeter superius dicta loc. cit. cf. quae scripsimus de systemate Hegeliano.

(2) Juxta Semlerum aetate Christi duae factiones erant inter se contrariae, gnostica et judaica; Christus venit ad eas conciliandas; hinc cum inveniretur in factione judaica affectabat Moysi obsequium conciliare; cum vero in factione gnostica reperiretur insurgebat adversus gentis suae praejudicia. Post Christi mortem Petrus se declaravit pro factione judaica, Paulus pro gnostica. Quatuor evangelia quae supersunt, favent factioni judaicae; quae referebant Christi sermones in favorem factionis gnosticae perierunt, si excipias illud Marci (haeretici gnostici). Epistolae Pauli favent gnosticismo. Epistolae catholicae Petri et Jacobi scriptae sunt ad fusionem operandam utriusque factionis. Cf. cit. *Hist. critique* p. 141. 142. seqq.

(3) Recol. superius dicta pag. II, sect. I, cap. II.

(4) Ita De Wette ibid. p. 381.

(5) Ita Eichhorn, Gabler, Paulus, Bauer. Exinde Scherer damnavit omnes prophetas veluti totidem *impostores*, ita ut sine ipsis vera fides melius fuisset in terris constabilita. Ibid. 214 seqq. Ex quo optime concludit Starkius in suo *convivio Theoduli* pag. 134. protestantismum hac ratione tollere e medio omnes probationes christianismi.

(6) Cf. egregios articulos recentis collectionis periodicae quae in Hollandia vulgatur sub titulo *Der Katholick* etc. seu *Catholicus*, *Ephemeris religiosa historica et litteraria*, Jan. 1842. art. I. *Status protestantismi* pag. 8. Röhr in suis epistolis super rationalismo spectat Christum ut hominem ordinarium, quin necesse sit recurrere ad eventus supernaturales ad ejus nativitatem explicandam. Cf. op. *Hist. critiq.* p. 278.

(7) Ita Eberhardt, Höffter, Gabler, L. Nitzch, Wegscheider: juxta Kantianos sunt totidem allegoriae, juxta de Wette mors expiatoria Christi Jesu debet esse symbolum con-

tum spectavit (1); baptismum denique ac caenam, praeter sacramenta reliqua, veluti ritus mere symbolicos aut mnemonicos adscivit (2).

523. Et haec quidem rationalismus *vulgaris* nuncupatus (3); rationalismus siquidem *gnosticus* seu *sapiens* ac *intelligens* ulterius progressus non modo symbolismum omnem (fidei confessiones) e medio sustulit, sed Kantii, Schellingii, Hegelii aliorumque transcendentalium philosophiam amplectens eam in religionem invexit atque utramque simul permiscuit. Effectus porro hujus adoptionis extiterunt identitas philosophiae ac religionis, destructio omnimoda christianismi historici seu realis, suffectio religionis philosophicae, ex sola nempe moralis aut intelligentis naturae humanae constitutione depromptae (4); Christus jam non est nisi idea humanitatis in homine et per hominem historicum expressa (5); Dei cum universo, potissimum vero cum humanitate identitas,

formitatis, et reconciliationis omnium oppositionum in campo sensus religiosi. Ibid. p. 410.

(1) Böhme tribuit *rationalismum* Christo, *supernaturalismum* vero apostolis in op. *Die religion J. C. aus den Urkunden* seu *religio J. C. e documentis originariis*. Halle 1825. *Hist. crit.* cit. p. 260. Eckermann censet satius esse uti solis doctrinis Christi, rejectis apostolis, ad se praecavendum ab errore. Ibid. p. 277.

(2) Cf. quae scripsimus in tract. *de Bapt. et de Eucharist.*

(3) Distinguitur siquidem nunc rationalismus in *vulgarem*, *empiricum*, *gnosticum* ac *mysticum*.

(4) Rationalismus modernus sive *gnosticus* dici potest: *Theologia absorpta a philosophia*. Christianismus juxta hunc rationalismum non est nisi gnosticismus qui triumphavit *de judaismo*; contra vero juxta Gfrörer, non est nisi *purus judaismus* excepto dogmate de Messia. Paulusius non reperiebat in Evangelio nisi metamorphoses orientales. Ast De-Wette affirmat christianismum esse *judicium ideale* sine omni rationabili basi. Ita ceteri ejusmodi scriptores juxta varium rationalismi genus quod unusquisque sectatus est. Cf. documenta in cit. *Hist. critique du rationalisme* etc. pag. 328. 211. 191. 213. etc. Haec quidem opera continens 450. paginas tota est de hoc argumento, et tamen non est nisi specimen multo amplioris ac profundioris operis quod hac in re confici posset, praesertim si a catholico viro susciperetur.

(5) Ita praeter Straussium Edelmann qui illum praecessit, nisusque est demonstrare Christum non esse nisi *repraesentantem rationis* seu *sapientiae Dei*; Ib. p. 86. Juxta Bretschneiderum Christus repraesentabat *ideam hominis religiosi* qua de causa dictus est *filius Dei*, docuitque ceteros ad eandem sibi promerendam *qualificationem* Ib. 271. Juxta Daub Christus in excellentiori gradu possedit *identitatem conscientiae divinae et humanae*, quo sensu Deus factus est homo; forma proinde ejus apparitionis super terra est factum historicum christianismi. Ita in *Theologumenis s. Doctrinae de religione christiana*. Heidelberg 1806. Straussius demum in sua *dogmatica* quam vulgavit post *Vitam J. C.* nititur ostendere *Christum hegelianum* (conceptum scilicet in idea philosophica) in perpetuum deleturum *Christum evangelicum*. Ibid. pag. 350. Juxta De-Wette divinitas Christi spectari nequit nisi tamquam idea *aesthetica*. Ib. p. 408. Omitte aliorum placita qui Christum traducunt veluti hominem spectantem ad societatem secretam a qua liberari non potuit ab infami nece, aliaque ejusmodi, quae vel referre taedet. Cf. cit. artic. *Ephem. Hollandicae*. Interim ex his levibus lineamentis colligere poteris quinam sint fructus protestantismi, nempe apostasia a Christo et christianismo universo. Oh! si Lutherus, *beatus* ille *megalander*, ut eum vocant protestantes, posset consurgere ad videndum opus suum! Attamen quot inter ipsos adhuc deblaterant adversus superstitionem ecclesiae

individualitatis extinctio, seu ut verbo dicam, pantheismus sive materialis sive idealisticus proclamatus est (1); subjectivismus demum aut objectivismus absolutus, aut etiam *subjectum-objectum* absolutum fuit per gnosticum hunc rationalismum Christianismo historico substitutum (2).

324. Quae cum ita se habeant, juverit ita concludere: per protestantismum a Luthero adornatum ac in ipso *personificatum* rationalismus tum *vulgaris* tum *gnosticus* in suo germine ac embryone delitescebat, aut etiam si lubet, veluti protestantismi anima latens una cum exteriore supernaturalistica forma, veluti corpore, necessario et ex intima ejusdem protestantismi natura ortus est. Eadem porro exigente natura, labente tempore evolvi caepit, magis deinde ac magis ex latebra seu involucro quo tegebatur, sese manifestavit, donec ad maturitatem adductus symbolicum omne supernaturalisticum pallium seu integumentum dilaceravit ac exuit, nativamque suam indolem patefecit. Atqui rationalismus ex demonstratis *jure* et *facto*, *a priori* et *a posteriori*, *theoretice* et *practice* necessario secum fert totius christianismi extinctionem. Ergo rite concludimus, ex protestantismi essentiali natura necessario profluere rationalismum, seu quod idem est, si verus est protestantismus, falsus est christianismus (3).

325. Sic nempe horrendam justissimus Deus ultionem sumpsit de perduellibus ejusmodi ecclesiae filiis, qui superbia incredibili tumentes erroris intemeratam Christi sponsam suamque matrem arguere non dubitarunt. Excaecati enim sunt, evanuerunt in cogitationibus suis, ac dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, ac plane traditi et ipsi in de-

Romanae, illius nempe ecclesiae sine qua actum prorsus esset de christiana religione, ut fatetur vel ipse Tigurinus minister protestans Lavater in epist. ad com. de Stolberg data, cujus haec verba sunt: « Je vénère l' église catholique comme un antique et majestueux édifice, *qui conserve les traditions primitives* et des titres précieux. *La ruine de cet édifice serait la ruine de tout le christianisme* ». Apud *l' Univers* 9. Juin 1842.

(1) Recolantur quae paulo ante scripsimus de Hegelismo et pantheismo. His principiis rationalismi gnostici innixus Schleiermacher in suis *sermonibus* concludebat vitium esse putare animam immortalem esse in sensu existentiae seu durationis individualis; anima siquidem non est pro theologia speculativa, nisi portio quaedam *absoluti*, quae in ipsum refundi debet. Cf. *Hist. critique du ration.* p. 413.

(2) Huc referuntur pariter quae superius attulimus de Hegelismo et Neo-eclecticismo. Cf. *Hist. critiq.* p. 351 seqq. Sane paucos ante dies sectatores philosophiae hegelianae Berolini protestati sunt, ut clamori propriae conscientiae satisfacerent, et vitarent hypocrisin, se nolle deinceps pertinere ad ullam religionem, quippe revelationes quibus innituntur religiones positivae (historicae) non sunt nisi fabulae. Cf. *Ami de la relig.* Juill. 1842. p. 89.

(3) Hoc ipsum fassi sunt non pauci protestantes, uti Semler qui declarabat reformatores dum ideam ecclesiae docentis destruxerunt, ruinas maximas attulisse regno Christi; Cf. *Hist. crit.* p. 139. Schleiermacher et ipse fassus est opera reformationis aedificium christianismi dilapsum esse, ibid. 174 seqq. Demum aliis omissis, brevitatis gratia, auctor ipse quem saepe allegavimus historiae criticae rationalismi pag. 401. aperte scribit: « Si l'on ne se laisse pas diriger par l'esprit de parti, on confesse également que la religion telle que les rationalistes ont voulu la conserver ou rétablir, *n' était pas même l'ombre du christianisme évangélique et traditionel* ».

sideria cordis eorum, ut faciant quae non conveniunt (1).

DIFFICULTATES

326. Obj. 1. Adeo genuinus protestantismus ab omni rationalismi labe alienus est, ut ab ortu suo philosophiam omnem, omnemque rationis usum a christiana religione eliminaverit, atque etiamnum rationalismum veluti sibi extraneum validissime oppugnet. 2. Scopus et objectum reformationis haud fuit *destructionis* sed *epurationis*, ecclesiam scilicet liberandi a pontificia tyrannide foedisque abusibus qui ex illa promanarant. 3. Quapropter non libertatem absolutam ac independentiam proclamavit, sed illam solam qua christiani ab usurpata illa dominatione eriperentur. 4. Hinc regulam fidei proximam ad quam dogmata omnia exigi deberent, ecclesiam trium quatuorve priorum seculorum protestantismus constituit. 5. Si qui proinde liberioris ingenii homines in sinu protestantismi insurrexerunt adversus symbolum augustanum, hi desciverunt plane a protestantismi indole et constitutione, perinde ac desciscunt catholici illi, qui in ecclesia pontificia adoriuntur articulos quos illa profitetur. 6. Nec obstat nonnullas inter communiones protestantes identidem circa symbolum mutationes contigisse: hae siquidem accidentales sunt, nec ullo modo fidei substantiam attingunt. 7. Quam vero absurda sit conclusio praestituta, quod *si verus est protestantismus, falsus est christianismus*, inde apparet quod eadem facile ratione intorqueri adversus ecclesiam pontificiam posset; ecclesia pontificia tot ceteros inter errores docet idololatriam in cultu sanctorum, evacuat crucem Christi per dogmata sua de necessitate bonorum operum, satisfactionis, sacrificii missae etc. ergo, *si vera est ecclesia pontificia falsus est christianismus*. 8. Sequeretur praeterea ex illa conclusione, satius esse omni valedicere christianismo, quam profiteri protestantismum, quod profecto nemo sanus dixerit, praesertim cum tot honesti piique viri in sinu protestantismi efflorescant quot vix reperies in catholicismo. Ergo.

327. Ad 1. *D.* Protestantismus in sua parte *materiali* spectatus, *Tr.* in sua parte *formali N.* Nec enim abnuimus protestantismum prodiisse magno symbolorum apparatu ac supernaturalistico fuco ornatum, hostilemque ab ortu suo rationi ac omni philosophiae se praebuisse, seu *nihilismum* esse professum. Ast haec non fuit nisi forma protestantismi exterior, ac pallium ut ita dicam, quo indutus in scenam prodivit. Age vero: et intimam, formalem ac essentialem protestantismi naturam, et constitutionem expende. Nonne Lutherus, ac per ipsum et in ipso protestantismus universus hoc sibi veluti essentiale *principium*, hoc sibi jus arrogavit, fidem objectivam et historicam sibi subjiciendi, ac symbola varia cudendi manca, imminuta, ac diversa ab iis quae ecclesia catholica a tota retro antiquitate profitebatur? Hoc autem quid aliud fuit quam propriae ac individuali rationi, totum in fidei rebus arbitrium supremamque potestatem deferre in quo sita est rationalismi origo et natura? Quod si eodem tempore protestantismus

(1) Sane Steinbart unus ex ipsis concludebat, quod religio christiana cum similis sit alteri cuicumque institutioni (paganismo, islamismo etc.) ut habeat aliquem valorem, debeat gaudium in his terris homini facere, nam ante omnia *sensui debet satisfieri*, quia *sola voluptas* vere ea est, quae accommodata sit miserae humanitati ». Ibid. p. 442.

bellum indixit rationi ac philosophiae, si *nihilismum* professus est, id nil aliud ostendit quam sibi protestantismum non constitisse, cumulumque esse contradictionum et absurditatum. Si demum ad haec protestantismus historicus repellit a se ac impugnat rationalismum, jure merito a rationalistis incohaerentiae arguitur ac pugnae cum ipso formali protestantismi principio; merito insuper reprehenditur quod non ex vero spiritu protestantismi se gerat, sed ex cupiditate, privatoque studio partium (1).

328. Ad 2. *D.* Scopus et objectum apparens fuit *epurationis*, *C.* verum *N.* Reformatio seu *epuratio* ecclesiae ab abusibus fuit utique praetextus, ut in ceteris haeresum antesignanis (2), ita et in primis protestantismi auctoribus quo tegerent propriam perduellionem ac populis fucum facerent: ast cito haec larva cum ab illis tum ab istis decidit, talesque prodierunt quales reipsa erant, id est in omnia vitia projecti et effusi.

329. Ad 3. *N.* Eam enim proclamavit libertatem et independentiam quae satis esset ad subigendam rationi individuali fidem *objectivam*. In hoc enim sistit controversiae cardo, utrum protestantismus cum spiritum suum privatum suffecit uti normam credendorum et agendorum, se judicem arbitrumque fidei ac morum constituerit nec ne; jam vero cum hoc negari nequeat, quid ad nos si consectaria omnia quae in illo principio suo rationalistico necessario continebantur, statim non deduxerit? Satis est in omni re principium statuere; tempus deinde hominumque subacta ingenia illud evolvunt, ac ad maturitatem adducunt, id quod nimis reipsa contigisse novimus.

330. Ad 4. *D.* Ecclesiam trium aut quatuor priorum seculorum uti normam ac regulam fidei proximam constituit temere et ex arbitrio, *C.* solido fundamento innixus *N.* Cum alias jamdiu ejusmodi commentum exploserimus, non est cur iterum pluribus illud persequamur. Siquidem ecclesia aut numquam aut semper fuit et est infallibilis fidei regula. Haeretici antiquiores potuissent eadem ratione exceptionem opponere ecclesiae quum tertio aut quarto seculo eos damnavit atque protrivit. Antiquitas sane tota commentum hoc penitus ignoravit. Quaestio denique moveri potest utrum ecclesia illis seculis hanc vel illam doctrinam tradiderit, et nullus unquam controversiae exitus erit (3).

331. Ad 5. *N.* et neg. paritatem

(1) Ut omnis amoveatur aequivocatio, notandum est neque Lutherum, neque ejus cooperatores aut intendisse, aut praevidisse abyssum in quam se conjiciebant, aut si viderunt, exhorruisse; attamen principium quod veluti basin novae reformationis posuerunt, necessario totum rationalismi opus, ac proinde destructionis christianismi involvebat. Hinc Wegscheider opus suum *Piis manibus Martini Lutheri libertatis cogitandi adsertoris . . . qui rationi humanae suum jus vindicavit;* dicatum voluit. Contra vero auctor *Historiae criticae* rationalismi, eam nuncupavit. *A tous les amis du christianisme; à tous ceux qui ne voudraient pas voir dans le monde religieux l'ancien paganisme modifié.*

(2) Cf. *Hist. du pape Innocent. III.* Frid. Hurter, tom. III, liv. XIV. pag. 4 seqq.

(3) Suo loco audivimus Gibbonium ipsum fatentem germina papismi, id est catholicismi, primis ecclesiae seculis jam viguisse, prout et alii increduli et protestantes fassi sunt. Contra vero juxta Semlerum ab aetate apostolica usque ad seculum reformationis perseveravit fusio judaismi et gnosticismi quae facta est opera episcoporum qui in concilium convenerunt in ipsis ecclesiae incunabulis. Notum denique est catholicos contendere adversus protestantes fidei articulos omnes in primaeva traditione contineri. Absurdum itaque undequaque se prodit arbitrarium istud primitivorum protestantium systema.

quam instituunt protestantes inter eos quos vocant liberioris ingenii homines, et catholicos qui insurgunt adversus ecclesiae fidem. Etenim illi idcirco sunt symbolum augustanum adorti quia adversus principium libertatis examinis, quod constituit essentiam protestantismi, statutum illud fuerat et quidem ab hominibus privatis nulla pollentibus auctoritate quae obligationem inferret, ac vi rationalistici principii, quod facto destruebant. Catholici e converso insurgunt adversus principium auctoritatis quod constituit essentiam catholicae religionis. Nulla igitur intercedere paritas inter utrosque potest.

332. Ad 6. *D.* Mutationes illae accidentales sunt, ex protestantismi *principio*, *C. in se N.* Semel ac enim protestantes rationem individualem proclamarint fidei normam ac regulam principem, cum jam de fidei substantia actum sit, eo sensu quaevis aliae innovationes dici accidentales possunt. Ast non ita si spectetur res in se, in ipsa fidei natura, in motivo suo *formali*, quod non est nisi auctoritas Dei revelantis; a qua nempe vel minimum desciscere atque objectum revelationis vel in minimo articulo pro lubitu immutare, idem est ac substantiam ipsam Fidei aggredi ac infringere. Accedit, mutationes quas vocant adversarii *accidentales*, relativas esse. Nam pro anabaptistis accidentalis plane mutatio est valor paedobaptismi; pro socinianis negatio omnium mysteriorum, et ita porro. Quo fit ut per hujusmodi mutationes *accidentales* fides omnino concidat ac evanescat (1).

333. Ad 7. *N.* Haec enim retorsio jam supponit praeferendum esse judicium individuale auctoritati ecclesiae. Hoc enim sublato, nulla amplius fieri retorsio potest. Accusant porro protestantes ecclesiam idololatriae ac superstitionis quoad cultum sanctorum eodem plane jure quo presbyteriani illam ejusdem criminis incusant ob adorationem Christi in eucharistia, quo sociniani ob adorationem Christi ipsius, et ita deinceps (2).

334. Ad 8. *Neg.* sequelam; etenim si patres censuerunt melius fuisse ethnicas gentes profiteri vel ipsum polytheismum atque idololatriam quam atheismum, quanto magis catholici jure censent melius esse speciem saltem ac veluti umbram christianismi a protestantibus teneri quam omnem penitus christianismum abjici? Praesertim cum plures in protestantismo, ex classe potissimum rudiorum, spiritu saltem spectent ad ecclesiam catholicam, quotquot scilicet ignorantia invincibili laborant de falsitate propriae sectae. Quoad reliquos, ipsi viderint: Deus eos judicabit. Ceterum catholici sequelam hanc dimittunt protestantibus atque schismaticis qui fu-

(1) Sane Bretschneider in suo *Manuali dogmaticae ecclesiae evangelicae lutheranae* tom. I. edit. 1839. rejicit omnem admissionem puram ac sensibilem veritatum revelatarum, quia leges naturales mentis humanae sunt in oppositione cum factis in revelatione contentis. Eckermann in sua *dogmatica* tom. I. p. 713. agens de articulis fundamentalibus censet *solam* existentiam Dei sufficientem esse. Schleiermacher fatetur omnes *mythologias* non esse quoad suum fundum nisi *monotheisticas* et *christianas*, apud Amand Saintes *Hist. critiq.* cit. pag. 364.

(2) Henke in op. *Lineamenta instit. fidei Christ. histor. critic.* Helmstad 1795. scribere veritus non est: *Christolatriam* ac *bibliolatriam* in genere, esse impedimenta quae auferri absolute debent, atque ad seculum nostrum spectare asciam immittere *omnibus his superstitionibus*. Cf. *Hist. crit.* p. 277.

rore perciti adversus ecclesiam catholicam maluerunt aut malunt subditos suos permanere in paganismo, islamismo et judaismo, quam permittere ut catholici missionarii illos ad veram Christi fidem perducant (1). Vere sola ecclesia catholica mater est.

SECTIO II.

De Methodologia

535. Institutum nostrum sectantes, postremo hoc loco agemus de applicatione eorum quae hactenus exposuimus ac vindicavimus, quatenus nempe theologus in usum suum convertere possit ac debeat quae de locis seu fontibus theologicis constituta sunt. Ne vero in incertum vagemur accurate definienda occurrunt quae ad id conferre queunt. Sunt autem theologi *munus*, *methodus*, et *instrumenta*. Ex munere enim quod theologo incumbit facile dignosci poterit qua uti debeat methodo ad illud explendum; ex munere autem ac methodo, quibus demum instrumentis ei opus sit ut finem sibi propositum recte ac fructuose assequatur. De singulis proinde in totidem capitibus disseremus: cum tamen ad finem nobis properandum sit, nonnisi potiora continenti oratione eaque summis veluti labiis delibabimus.

CAPUT I.

De theologi munere

536. Munus theologi triplici praesertim ratione spectari potest: aut enim ipse in catholicae fidei dogmatibus rite exponendis, propriisque illorum argumentis firmandis, nec non conclusionibus ex iis legitime eruendis operam ponit: aut intimos illorum nexus, ac intrinsecas rationes, quantum humanae mentis capacitati datum est, inquirere, atque illustrare adnititur: aut demum in aciem descendens eadem dogmata

(1) Cf. quae scripsimus in tract. *De matrim.* cap. IV, prop. III. Potius post hactenus dicta juverit sciscitari a plerisque protestantibus in quem finem tandem tot impensis diffundere satagant Biblia in quae non credunt, propagare christianismum quem funditus labefactant ac destruunt, catholicos demum pervertere nisi ut totidem apostatas faciant a Christo ejusque religione? Quare demum modis omnibus missionarios catholicos impediant ne Christum annuncient? Vere istis hominibus aptantur Apostoli verba I. Thess. II, 16. « Prohibentes nos gentibus loqui ut salvae fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem ». Attamen Borussiae rex et sic dictus archiepiscopus Cantuariensis conjunctis viribus adnituntur abortum illum, quem episcopum Hierosolymitanum vocitant, constituere protectorem et adjutorem omnium anglicanorum et evangelicorum qui eo se conferrent ad *conversionem* Israëlitarum. Quis porro non miretur novum hunc episcopum anglicano-evangelicum, et evangelico-anglicanum, id est biceps monstrum neutrius generis; et quidem dum anglicani protestantur adversus evangelicos tamquam *dissidentes*, et evangelici invicem a se repellunt anglicanos uti *semi-pontificios!* Cf. *L'Union catholique* 9. Mars 1842. et *l'Univers* 20. Juillet 1842. Ceterum proselytismus Israëlitarum non est nisi velamen: vera quippe ratio hujus institutionis est abducere catholicos ab ecclesia, id est, a Christo.

Si quis praeter ea quae hactenus de protestantismi natura et phasibus evolvimus, plora adhuc discupiat, consulat aliud egregium opus germanice editum « *Vergleichende Darstellung des Protestantismus, ins Besondere des Lutherischen mit sich selbst* etc. seu *Expositio comparativa protestantismi, ac speciatim lutheranismi secum ipso* etc. Mogunt. 1837, auctore Th. Jos. Heberling.

adversus impugnatores omnes tuetur, contrariasque rectae fidei opiniones quascumque evertit. Primum dici potest theologi munus stricte *dogmaticum;* alterum *speculativum;* tertium denique *polemicum*. Plerumque vero theologus triplex istiusmodi munus simul conjungit.

337. Quidnam porro praestare possit theologus, quaeque illi leges ac limites servandi sint ubi dogmatico ac speculativo munere fungitur, satis ex iis liquet quae persecuti sumus in capite III sectionis antecedentis. Aliquid heic potius addimus de tertio illo theologi officio quo manus conserere debet cum catholicae veritatis impugnatoribus; in quo nimirum pro diversa adversariorum specie diversa item ratione officium suum expleat necesse est. Hi porro adversarii sunt aut infideles, aut haeretici, aut etiam catholici neologismum ac novitates consectantes quibus sincera catholica doctrina labefactari quoquomodo possit.

338. 1. Si igitur ipsi agendum cum infidelibus aut incredulis sit, veritatem ac divinitatem christianae religionis iis omnibus argumentis ostendet quibus evincitur Deum supernaturali modo hominibus suam dedisse revelationem, quaeque suo vindicavimus loco. Si judaei fuerint, ex Veteri Testamento evincet promissum expectatumque fuisse Messiam, qui certo ac praefinito tempore advenire debuit; ex collatione autem utriusque foederis ceterisque omnibus adminiculis ostendendum erit, hunc nec alium fuisse aut esse posse praeter J. C. Nazarenum. Ita vero semper suam instituere pugnam debet ut ex principiis ab adversario admissis continenter procedat.

339. 2. Sin vero illi sit adversus haereticos dimicandum, attendi apprime debet utrum id fiat ante vel post latam ab ecclesia definitionem. Porro si ante definitionem impugnare theologus debeat novatores, inspicienda illi est natura veritatis quae ab haereticis impetitur; interdum enim adeo manifesta est prava et haeretica istorum doctrina, ut satis ei sit comparationem instituere inter doctrinam quam palam et aperte circa aliquem articulum veluti de fide profitetur ecclesia, et novatorum aggressionem, ut illico theologus deprehendat atque ostendat hanc plane heterodoxam esse. Sic e. g. quando Arius adortus est divinitatem Verbi, statim ut haereticus etiam ante celebrationem Nicaenae synodi a patribus est habitus; ac idem de pluribus aliis merito dicendum est (1). Ast non omnia quae in controversiam veniunt ejusmodi sunt; siquidem plura sunt quae veluti in germine continentur in deposito fidei; aut in quibus non satis liquet Traditio, cujusmodi e. g. aetate Cypriani quaestio extitit de valore baptismi ab haereticis collati. Cum res porro ita se habeat, theologi officium est sedulo inquirere in fontes theologiae proprios, Scripturam et Traditionem, ut inde veram germanamque eruat ecclesiae doctrinam. Cavere autem maxime oportet ne praeveniat ecclesiae judicium, sed solum ei praesto esse debet in fundamentis exhibendis quibus vera doctrina fulcitur (2). Quod si edita jam fuerit solemnis eccle-

(1) Uti e. g. cum Lutherus adortus est septenarium sacramentorum numerum, aliosque ejusmodi articulos, statim uti haereticus proclamatus est. Idem dic de socinianis qui ab omnibus uti haeretici habentur quamvis a nullo oecumenico concilio fuerint damnati.

(2) Siquidem theologi meri ecclesiae adjutores sunt: veri judices non sunt nisi episcopi cum et sub Romano Pontifice, ut suo loco ostendimus; adeoque nec debent nec possunt privati theologi horum antevertere judicium.

siae definitio, non aliud ei superest, quam hanc definitionem mediis omnibus adstruere, atque ab adversariorum telis tueri.

340. 3. Salebrosior admodum est agendi ratio quam tenere debet theologus in controversiis quas agitat cum catholicis ipsis. In duas istae classes dispertiri possunt; aliae quippe sunt fidei; aliae vero veluti adiaphorae ac indifferentes, cujusmodi sunt e. g. quae duorum atque eo amplius seculorum tractu in scholis catholicis disceptatae sunt circa gratiae naturam, scientiam Dei, praedestinationem, quin inde quidpiam concluderetur, ingenti saepe temporis jactura, quandoque etiam charitatis detrimento non levi. Cum autem ecclesia nihil circa illas quaestiones definire voluerit, satius erit sua unicuique scholae placita relinquere. Aliae vero doctrinam catholicam proxime attingunt, uti voluntas Dei salvandi omnes homines, etiam supposita originali noxa, ac proinde collatio gratiae quae omnibus necessaria est ad salutem obtinendam; multo vero magis tot erroneae doctrinae jansenistarum, aliorumque neotericorum, qui ea constituunt principia ex quibus periculum instat non solum fidem labefactandi, verum etiam ipsius christianae religionis basim evertendi. In his theologus strenuam navabit operam ut integratam servet catholicam doctrinam. Sic etiam eos scriptis persequetur suis qui contra formulas ac loquendi usum in ecclesia longo seculorum tractu consecratum, novas voces, vagas, ambiguas atque suspectas introducunt, ex quibus magna saltem oritur idearum confusio, nec semel sub illis erronei conceptus delitescunt. Cavere tandem debet theologus ne dum nimio zelo adversarios urget, censuris notet catholicorum doctrinam: ipse quidem utpote privatus poterit indicare quae nota inurenda sibi videatur alicui doctrinae, sed eam demum infligere ad solam ecclesiam, seu Rom. Pontificem spectat (1).

341. Interdum etiam theologus dum polemicas partes exercet, *irenicas* etiam quas dicunt, fructuose suscipere poterit, adversarios ad unitatem fidei excitando, iisdemque compositionis viam veluti commonstrando. Non quod ipse quidquam de catholica veritate cedere possit pro qua etiam cum sanguine decertandum; sed quod dum veritatis illius jura defendit, ita potest eam efficaciter suaviterque suadere, ita omnem errori fucum adimere, ut animi ad viam unitatis ac pacis ineundam disponantur. Hinc theologia quae hoc obit officium, *irenica* vel *henotica* dicta a recentioribus est.

(1) Est enim actus jurisdictionis qui privatis competere non potest. Fatendum est nonnullos faciles sese exhibuisse in ejusmodi censuris ferendis, quique proinde non semel a Bened. XIV. in suo op. *De synodo* hac de re arguuntur. Porro censurarum theologicarum septem species recensuit conc. Constantiense sess. VIII. et XI. in damnatione articulorum Wicleffi quos reprobavit ut *haereticos*, ut *erroneos*, ut *scandalosos*, ut *blasphemos*, ut *piarum aurium offensivos*, ut *temerarios* et *seditiosos*. His aliae plures adjectae sunt a Rom. Pontificibus in damnatione plurium propositionum, quae declaratae sunt vel *proximae haeresi*, vel *de haeresi suspectae*, vel *male sonantes*, vel *schismaticae*, vel *injuriosae*, vel *impiae* etc. De quibus censuris ex professo agit Montagnus in op. *De censuris*, seu *notis theologicis et de sensu propositionum*, quod prostat in vol. I. *Cursus theolog. completi* p. 1168 seqq

CAPUT II.

De Methodo

342. Methodus scientifica, seu recta et ordinata rei tractatio quae ad veritatem tuto detegendam vel rite tradendam ac demonstrandam inservit, bifariam, ut notum est, a philosophis distingui solet. Nam quae a particulari ad universale, a composito ad simplex, ex partium resolutione singularumque investigatione procedens in veritatis incognitae et latentis notitiam quasi tentando devenit, *analytica* dicta est: quae vero ab universali ad particulare, a simplici ad compositum, de una ad aliam veritatem mutuo nexu cum illa conjunctam quasi componendo assurgit, et non tam veritatem inquirit quam jam exploratam ceteris tradit ac ostendit, *synthetica* audit. Unde etiam prima ut methodus *inventionis*, altera ut methodus *demonstrationis* spectatur.

343. Ut porro de re theologica disceptemus, cum eam ad scientiae dignitatem evehi posse atque adeo natura sua deberi jam vindicatum sit, quin immo cum ceteris scientiis praestet, ut ostendit D. Thomas, quippe a Deo ipso per revelationem *immediate* accipit principia sua (1), quis dubitet eam scientifica omnino methodo, seu quod alii ajunt *systematice*, tractandam esse? At enim quaestio inter recentiores acriter agitatur, quaenam methodus theologiae tractandae magis accommodata sit, et num analytica potius aut synthetica sit adhibenda.

344. Hac porro aetate, qua philosophi plerique non modo in naturalibus disciplinis sed in rationalibus etiam ac psychologicis analysi maxime delectantur, sunt qui eamdem methodum in theologiam invehi magno cum ejus emolumento posse contendunt: et sunt etiam qui eo usque progressi sunt, ut assererent, dogmata omnia hactenus a theologis tractata in tenebris ac sordibus jacere nisi ad strictam *analysin*, ad methodum nempe plane contrariam illi ab istis adhibitae, revocentur; ac propterea vehementer carpunt superiorum aetatum theologos quod nec firmitati scientiae theologicae, nec veritati fidei methodo sua synthetica consuluerint (.

(1) Cf. 1. q. 1. art. v. « Testimonium veritatis primae (ait alibi s. Thomas,) se habet in fide ut principium in scientiis demonstrativis ». q. 14. de verit. art. 8.

(2) Ita aperte Hermesius in ipso Introductionis suae philosophicae limine constituit, se firmam jamdiu persuasionem nactum fuisse « quod doctrinae theologicae etiam *notissimae* velamine quodam involutae erant, earumque verus sensus in tenebris latens, atque ambiguitati manebat obnoxius, usque dum unaquaeque illarum veluti integrans pars completi cujusdam systematis non spectaretur; atque hoc systema non aedificaretur per viam inquisitionis, (inquisitionis videlicet intellectae ratione plane contraria systemati syntheticae ceterum communi) ac per omnes *dubii* labyrinthos constanter non duceretur ». Intr. phil. p. III, IV. In methodologia vero praemissa Introductioni positivae p. 23 et seqq. invehitur in communem theologorum methodum syntheticam 1. quia conclusio theologica instituitur hoc pacto per partialem tantum notitiam rei de qua agitur, ac proinde eo modo qui non sufficit ad fundandam *fidem quae irrationalis non sit*. 2. Hinc conclusio est semper illegitima, et semper incerta, licet etiam forte in se vera esset. 3. Convictio nostra de veritate theseos numquam fere in nobis firma manet, et suspicione carens dum audimus postea existere contra illam thesim rationes oppositas. Hae porro Hermesii querelae, seu insectationes totum doctorum scholasticorum agmen, imo omnes fere theologos ad ejus usque tempus afficiunt.

345. Nos igitur aliquid de hac quaestione attingentes primum distinguamus oportet inter theologiam *dogmaticam* proprie dictam, quae nimirum veritates omnes a Deo revelatas, et conclusiones inde manantes complectitur, atque eam theologiae partem, quae *praeambula* persequitur ac *praeparatoria* dici potest, et ab aliquibus *generalis* nuncupatur, quippe quae in principiis ac fundamentis theologiae propriis, nimirum revelationis divinae existentia, verae ecclesiae natura atque auctoritate, sacris Scripturis ac Traditionibus constituendis versatur (1).

346. Porro si de theologia proprie dicta tradenda disceptes, dubium, nostro quidem judicio, esse nequit quin methodus scientifica in scholis catholicis adhibenda *synthetica* prorsus esse debeat ac *demonstrativa*. Id enim scientiae hujus indoles ac ratio postulat omnino. Num enim theologus fidei veritates veluti latentes adhuc ac ignotas tractare potest, cum et ipse et omnes quos edocet, illas jam a proxima fidei regula, ecclesiae nempe auctoritate propositas, divina fide jam credere debeant (2)? Si igitur theologi munus eo tantum spectat ut veritates illas accurate et ordinate exponat, illustret, demonstret, tueatur; ut ecclesiae doctrinam cum regulis fidei remotis Scriptura et Traditione plane consentientem ostendat; aequum non est

Est ne igitur in ecclesia Christi quoad rationem fidei scientiam tradendi, exponendi, probandi obscurantismus universalis per tot secula ad Hermesium usque agnoscendus? En tamen quo tendat demum Hermesii sententia.

(1) Veritates in quibus theologia dogmatica proprie dicta versatur non ejusdem gradus ac generis sunt. Aliae enim sunt *veritates aut dogmata fidei* quatenus sunt *immediate* revelata a Deo; aliae *conclusiones theologicae* quae ex primis illis veritatibus, tamquam principiis, legitima deductione ac ratiocinatione eruuntur.

Porro inter *veritates fidei* veniunt primo *articuli* fidei, qui sunt veluti quaedam fidei capita in quibus cetera dogmata continentur, quales sunt articuli contenti in symbolo, quod ecclesia fidelibus credendum proponit. Aliae vero veritates seu dogmata sunt quae vel in deposito revelationis continentur et communi ecclesiae fide nituntur, et dicuntur *dogmata revelata*: vel etiam ab ecclesia expressa definitione sancita sunt, et constituunt dogmata *declarata* atque stricte *catholica*.

Conclusiones theologicae, vel deducuntur a duabus praemissis quae ambae *immediate* sint *revelatae*, vel quarum una tantum de fide sit, altera vero lumine dumtaxat naturali innotescat. In utroque casu non sunt *immediate* revelatae a Deo, sed tantum *mediate* vel *implicite*. Porro si conclusio theologica aliunde sit revelata, aut ecclesiae judicio nitatur, ad fidem immediate pertinere dubium non est. Secus vero, cum propositionem unam ex alia ratiocinando eruere rationis humanae sit opus, conclusio ejusmodi ad fidem directe non pertinet. Quod si tamen per evidentem deductionem ex principiis immediate revelatis illata sit, ad fidem *mediate* saltem et *indirecte* pertinere poterit, pro iis saltem, qui vim deductionis comprehendunt.

(2) Perbelle heic quadrant quae Vincentius Lirinensis in aureo suo Commonitorio habet in illa Apostoli verba *Depositum custodi*, quae quidem munus etiam cujusque theologi spectant. « Quid est *depositum?* Id est quod tibi creditum est, non quod a te *inventum*, quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinae, non usurpationis privatae sed publicae traditionis, rem ad te perductam, non a te prolatam: in qua non *auctor* debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens » § 27. Sed totus hic liber legi ac perlegi a theologo meretur, ut et munus suum quale sit rite agnoscat, et quae sibi regulae, quae methodus sectanda sit in catholica veritate tradenda ac illustranda.

ut tractationem suam in ancipiti veritatis inquisitione, quasi tentando et conjiciendo collocet, sed omnino ut veritatem validissimis suis fundamentis, principiis nempe revelatis innixam, *demonstrative* exhibeat.

347. Accedunt ingentia commoda quae ex hac methodo synthetica proveniunt. Nam dum tota rerum exponendarum series probe in antecessum explorata supponatur, possunt singulae res suo quaeque loco atque ordine apte disponi, ut mutuus inde nexus, et scientifica quasi compago exurgat. Principia necessaria conclusionibus praejaciuntur; accurate definiuntur notiones; quae insequentibus lucem affundunt, praemittuntur; propriis unaquaeque res argumentis firmatur. Atque ita cum brevitati, tum praesertim perspicuitati ac soliditati tractationis apprime consulitur.

348. Contra vero plura analytica methodus secum ferret incommoda. Siquidem praeterquamquod difficile tunc quaestiones omnes ita disponi possent, ut strictus ordo, nexus ac dependentia, saltem quantum rei patitur natura, inter unam atque aliam veritatem constituerentur; mirum quot per eam methodum ambagibus innodaretur theologica disceptatio! Quodvis enim objectum de quo *analytice* inquirendum esset num aliquid et quidnam revelatio doceat, prius in omnes suas partes ac relationes dispertiri oporteret; dein circa omnes istas partes relationesque novam singillatim instituere quaestionem; rationes *pro* et *contra* singulas illarum ex propriis revelationis fontibus expendere; difficultates omnes superare; videre utrum conclusio alii veritati opponatur, utrum principium aliquod exploratum rationis eidem obsistat, ac demum decernere num aliquid certi ex tota hac inquisitione ratio colligere queat (1). Jam vero quis non videt quam difficile ac salebrosum sit per tot tantasque ambages ad argumenti demum exitum pervenire? Quam facilis in adeo perplexa et multiplici inquisitione erroris illapsus! Quam latus campus subtilitatibus ac tricis pateret a quibus nonnisi aegre te expedias! Quid vero magis inopportunum juvenum theologorum mentibus informandis?

349. Quin et illud addi potest, hanc methodum valde fidei periculosam atque adeo noxiam existere. Ex dubio enim tota incipit inquisitio et per dubium progreditur. Dogmata quaeque fidei habentur uti problemata de quibus ratio individua demum debeat decernere. Esto quod dubium initio *hypotheticum* tantum sit; sed *positivum* ac *reale* facili progressu evadit. Quippe animus assuescit persuasionem in fidei veritatibus suspensam habere, propriis viribus unice fidere, auctoritatem omnem graviorum theologorum contemnere, novas conceptibus jam firmis ratisque ideas adnectere, ecclesiae ipsius magisterium sin minus despicere, saltem ad sua cujusque placita accommodare, atque ita revera rationem in rebus fidei non veluti universale quoddam instrumentum, sed veluti unicum medium ac principem normam habere.

350. Cujus rei luculentum, licet triste exemplum suppeditat seculo XII. Abaëlardus, sicut alibi commemoravimus, quique illius scholam secuti sunt (2).

(1) Haec omnia aliaque etiam multa quae inquisitionem hanc circa quodvis dogma impeditiorem adhuc ac difficiliorem reddunt, praescribit et exigit Hermesius in sua *methodologia* praemissa dogmaticae speciali christiano-catholicae § 43.

(2) Sane Petrus Abaëlardus de quo s. Bernardus scribit ep. 192. ed. Maur. « Cum de Trinitate loquitur, sapit Arium: cum de gratia, sapit Pelagium: cum de persona Chri-

Nostra vero aetate ad methodum quod attinet in theologiam invectam, Abaëlardi vestigiis haud parum inhaesit Hermesius in quo damna illa quae nunc recensuimus, ex hac, quam speciose vocant *euristicam* vel analyticam, methodo in universam fidem manantia, nimis aperte se produnt (1). In cujus nempe systemate dubium *theoreticum* ac *positivum* ad veritatis inquisitionem exigitur (2); auctori-

sti, sapit Nestorium » in hos aliosque errores dilapsus est ex methodo quam sibi sectari praestituerat, nihil scilicet esse fide credendum quod prius ratio admittendum omnino non suaderet atque ita praeter caetera opus illud suum inscriptum *Sic et non* composuit in quo rationes *pro et contra* unamquamque fidei veritatem congerens, omnia dogmata veluti problemata spectavit, logica rationis vi solvenda. Juverit iterum audire s. Bernardum indolem hujus systematis acriter persequentem, praesertim epist. 190. seu opusc. XI. in cit. edit. ubi ita de Abaëlardo scribit ad Innocentium II. cap. I. « Et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possit ratione attingere? Denique exponere volens illud Sapientis, *Qui credit cito, levis est corde*, cito credere est, inquit, adhibere fidem *ante rationem* »; et cap. IV. « Nec mirum, prosequitur, si homo qui non curat quae dicat, irruens in arcana fidei, thesauros absconditos pietatis tam irreverenter invadit, atque discerpit: cum de ipsa pietate fidei nec pie, nec fideliter sentiat. Denique in primo limine theologiae, vel potius *Stultilogiae suae* fidem definit *aestimationem*. Quasi cuique in ea sentire et loqui quae libeat liceat; aut *pendeant sub incerto in vagis ac variis opinionibus* nostrae fidei sacramenta, et non magis certa veritate subsistant. Nonne si fluctuat fides, inanis est et spes nostra? Stulti ergo martyres nostri, sustinentes tam acerba *propter incerta*, nec dubitantes *sub dubio* remunerationis praemio durum per exitum diuturnum inire exilium. Sed absit ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, *dubia aestimatione pendulum*; et non magis totum quod in ea est certa ac solida veritate subnixum, oraculis et *miraculis* divinitus persuasum, stabilitum et consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Si quo minus, ipse postremo Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Quomodo ergo fidem quis audet dicere *aestimationem*, nisi qui spiritum istum nondum accepit, quive evangelium ignoret aut fabulam putet? . . . . Academicorum sint istae aestimationes: quorum est *dubitare de omnibus*, scire nihil ». Hactenus s. Bernardus; consuli etiam potest de Abaëlardo Gaufridus lib. III. vitae ejusdem sancti cap. V. Ejus porro doctrina proscripta est et libri damnati ab Innocentio II. Cf. Acta concil. Harduini tom. VI, p. II. col. 1221 seqq. Frustra porro discipuli Abaëlardi adnisi sunt vindicias magistri sui suscipere, nomen siquidem Abaëlardi rationalismi nota inustum ad posteritatem pervenit, nec nisi palynodia potuit ipse sese a promerita damnatione liberare.

(1) Apertum sane est haud longe dissimili ac Abaëlardus ratione ex falsa methodo sua peccasse Hermesium. Ipse etiam illud *sic et non* Abaëlardi in fundamentis ac dogmatibus fidei constituendis sectatus, seu potius *antitheticam* Kantianam cum dubio *theoretico* in theologiam universam inducens, veluti unicam methodum veritati inveniendae ac firmandae aptam ita dogmata pertractat ac totidem vere essent *problemata*, ita rationes rationibus opponit, ut animus semper haereat suspensus quonam demum evasura sit resolutio; ac licet fontes theologiae proprios adhibere profiteatur, totum demum ad rationis defert judicium.

(2) Cf. quae supra de Hermesianismo philosophico scripsimus, nec non quae adnotavimus n. 243. cum not. adnexa. Certe qui exigit, veluti *necessariam* animi praeparationem ad fidei veritatem inveniendam, ut animus etiam in homine jam fideli, saltem theologo, in omnimoda *indifferentia seria* ac *positiva* se ponat circa quodvis systema religiosum, licet *catholicum* sit, ut solum rationis ductum sequa-

tatis theologicae pondus omnino a theologia eliminatur (1); novae, planeque labilis ac ad scepticismum pronae philosophiae placita veluti fidei basis adstruuntur (2), essentiales dogmatum catholicorum conceptus immutantur ac pervertuntur (3); atque ita latissima ad errorem omnigenum sternitur via (4).

551. Restat igitur ut concludamus, tot graves ob causas, methodum *syntheticam* seu *demonstrativam*, in scholis catholicis theologo dogmatico adhibendam esse. Cui quidem ut fideliter sese accommodet, curabit imprimis, cum ad singulas veritates probandas devenerit, statum quaestionis accurate ac dilucide determinare, praenotiones tradere, veritatem catholicam a quaestionibus adscititis secernere: patefacere quodnam sit objectum definitionis. Proposita itaque hoc modo ecclesiae aut Romani Pontificis definitione aut generatim quavis ecclesiae doctrina tamquam thesi, eam adstruet argumentis suae disciplinae propriis, fulcietque iis omnibus subsidiis quorum capax est, omnemque evasionis aditum adversariis occludet; demum quae eidem thesi quacumque videbuntur ratione adversari, diluet. Haec methodus simplicitate sua se commendat; haec

tur, quocumque demum haec ratio illum ductura sit, nonne dubium *positivum* ac *reale* de fide jam suscepta etiam catholica praescribit? Atqui ita Hermesius, ut vidimus, in *methodologia* praemissa *Introductioni* suae *positivae*; neque vero in altera *methodologia* praemissa *Dogmaticae speciali* id retractat, sed potius suadet unam eamdemque methodum jam prius statutam debere etiam toti dogmaticae aptari, ut fides in dogmatibus singulis *rationalis* sit. Cf. *Dogmat. christ. cath.* § 30. p. 99. et alibi.

(1) Principium Hermesii est, in scientia, etiam theologica, auctoritatem nec veterum nec recentiorum ullius esse ponderis, sed tantum rationis sive theoreticae sive practicae dictamen. Cf. Intr. phil. p. 583. Quis porro locos omnes ex ejus operibus recensere posset in quibus ipse doctores scholasticos, theologosque generatim reprehendit, ac sugillat, quod veros conceptus dogmatum plane ignorarirint, ac theologiam tenebris obvolverint!

(2) Cf. quae de natura hujus philosophiae supra quam tota juxta ipsum theologia superstrui debet, si quidem theologiam vere catholicam habere velimus, superius disceptavimus.

(3) Longum sane opus esset ista omnia persequi. Quis enim paucis complecti posset de Dei sanctitate, libertate, justitia, de novo redemptionis conceptu, de peccati originalis natura, de gratiae distributione, de gratia sanctificante aliisque ejusmodi dogmatibus docuit Hermesius, ea nempe lubidine abreptus, conceptus omnes theologicos ad placita philosophica rationis suae quam veluti infallibilem normam ac tesseram veritatis spectavit, redigendi?

(4) Sed nimis hic opportunum est referre verba auctoritatis et sanctitatis plenissima summi Pontificis ipsius GREGORII XVI. in decreto edito adversus doctrinam Hermesii 26. Sept. 1835: « Magistri existunt erroris, quia veritatis discipuli non fuerunt. Peregrinis quippe improbandisque doctrinis sacra ipsi inficiunt studia, et publicum etiam, si quod tenent in scholis et academiis docendi magisterium profanare non dubitant, ipsumque, quod tueri se jactant, sacratissimum adulterare dignoscuntur fidei depositum. Atque inter hujusmodi erroris magistros, ex constanti, et fere communi per Germaniam fama adnumeratur *Georgius Hermes*, utpote qui audacter a regio, quem universa Traditio et ss. Patres in exponendis ac vindicandis fidei veritatibus tramite stravere deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam moliatur in *Dubio positivo tamquam basi omnis theologicae inquisitionis*, et in principio quod statuit, *rationem, principem normam, ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem* ».

utilitates omnes quae in veterum scholastica methodo inveniuntur haurit, ita tamen ut ejus vitia declinet, et theologiam ad proprios revelationis fontes revocet: haec severitate sua captiosas subdolasque adversariorum fidei artes patefacit (1): haec demum jugi experientia ad juvenum mentes solide informandas aptissimam se ostendit.

352. Major adhuc excitari quaestio posset circa methodum aptiorem alteri theologiae generi, quam *praeparatoriam* seu *generalem* nuncupavimus: quandoquidem ista non in dogmatibus firmandis versatur, sed in ipsa fidei fundamenta inquirit, revelationis nempe existentiam, divinamque originem, veram Christi ecclesiam, Scripturas sacras et Traditionem e quibus veluti fontibus tota dein propria ac specialis theologia dogmatica sit derivanda. Attamen qui rationes omnes hactenus pro methodo synthetica allatas, *demonstrativam* ejus indolem, soliditatem, perspicuitatem ac caetera demum commoda accurate perpenderit, contra vero incommoda atque adeo pericula omnia quae methodum analyticam in rebus fidei necessario comitantur, in nostram facile descendet sententiam, syntheticam methodum etiam in hac theologiae parte esse jure optimo anteferendam. Non enim heic agitur de homine qui aut fundamenta Christianae religionis ignoret, aut *vero* ac *positivo* dubio circa ejus veritatem laboret: ambiguum quippe haud est quin tali in casu *analyticam* inquisitionem sua veluti sponte enasci opus esset. Agitur de catholico theologo, qui ideo hanc suscipit tractationem, ut fundamenta illa jam explorata revelationis, quae veluti principiorum officio in scientia theologica fungi debent, firme vindicet ac stabiliat; ut *geneticum*, quem dicunt, illorum ordinem, ac unius ab altero dependentiam accurate constituat; ut ostendat demum scientiam suam propriis iisque validissimis niti principiis quae pro singulis fidei veritatibus argumenta invicta suppeditant. Quid igitur obstat, aut potius quid non suadet omnino, ut theologus haec omnia *demonstrative* praestet eo plane modo quem paulo ante descripsimus? Scimus qui aliter tractationem suam instituit Hermesius, quos in scopulos etiam hac in parte impegerit: quin imo dici potest ex falsa methodo in philosophica ac positiva Introductione sua semel constituta, eo perductum esse ut eam ipsam methodum in specialem dogmaticam theologiam magno cum hujus detrimento inveheret.

353. Quod si agatur adversus incredulos, qui omnem respuunt revelationem non idcirco, uti jam monuimus, synthetica haec methodus erit theologo polemico deserenda, sed ipsi erit inhaerendum eos perstringendo ex principiis quae iidem admittunt. Si enim vere scepticos theoreticos (si qui tamen dantur) excipias, adversus quos inutilis quaevis esset concertatio, reliqui omnes utut perditissimi nonnulla saltem principia uti vera rataque habent. His itaque arreptis, ab iis exordietur theologus, ac ulterius progredietur propositionum serie

(1) Ex quo apertum fit quare Lutherus aliique reformationis auctores in methodum scholasticam ac in dialecticam ipsam tantopere sint debacchati. Neque nos probare possumus eos recentiores theologos, qui cane et angue pejus quidquid syllogisticam formam redolet, aversantur, eaque humanum opprimi ingenium etiam in theologia conqueruntur. Abusus certe vitandi, sed cur in sacra hac disciplina tradenda ea est ablegonda disceptandi forma quae cum severas dialectices leges servet, veritatem ad simplicissimas propositiones revocat, in quibus si qua falsitas aut fraus irrepserit, facile apparet?

ac ordine ita disposito, ut ex una in alteram thesim provehendo illos perducat ad admittendam divinam revelationem. Quo quum pervenerit difficile haud illi erit eisdem demonstrare existentiam ecclesiae seu societatis a Deo ipso constitutae custodis, depositariae ac interpretis revelationis ipsius; hac in tuto posita ex ejusdem ecclesiae intima constitutione, proprietatibus, ac notis, nec non dotibus quibus a divino conditore suo praedita est, facilis ei erit progressus ad adstruendam auctoritatem ecclesiae catholicae cujus magisterio omnes se subjicere debent ad habendam omnimodam certitudinem tum librorum divinorum, tum veri dogmatici eorum sensus, tum traditionis, ac traditionalis item sensus dogmatici in eadem societate continenter asservati; ac proinde, quod consequens est, illos perducet ad suscipiendam ab eadem ecclesia fidem *objectivam* veritatum omnium quas Deus hominibus patefecit.

354. Neque vero nos dum pro toto theologiae systemate recte solideque constituendo syntheticam methodum, veluti unice aptam commendamus, cuicumque rerum analysi volumus esse infensi. Nil enim vetat quod dummodo generalis methodus, quae totum systema scientificum informat, synthetica sit, in particularium rerum tractatione analysis quandoque veluti in subsidium adhibeatur. Id locum habere praesertim potest cum theologus munus, quod *speculativum* diximus, suscipiens intimam mysteriorum indolem, quantum assequi ratione licet, scrutatur, eaque ad quamdam intelligentiam conatur evehere. Id etiam usum habebit, cum adversariorum difficultates solvere aggressus, illarum veluti latebras atque anfractus rimabitur, ut veritas tenebris ab iisdem obducta extrahatur in lucem.

355. Analysin igitur accuratam rerum in variis theologiae partibus, aut etiam analyticam methodum in aliqua singulari de re theologica tractatione nedum non excludimus, sed commendamus etiam: ast pro toto theologico dogmatum sive *generali*, sive *speciali* systemate adornando, ac pro recta dogmaticae tradendae ratione *synthetice* ac *demonstrative* procedendum contendimus (1).

356. Atque haec (ut aliquid demum hac de re coronidis loco innuamus) accommodari etiam possunt quaestioni alteri quae versari solet de lingua in rebus theologicis adhibenda. Nos enim non ii sumus qui omnem vernaculae linguae cujusque nationis propriae usum e theologica re prorsus exulare jubeamus. Sunt aliquae tractationes vel *apologeticae* vel *polemicae*, vel *irenicae* vel *historicae*, vel *eruditae* ad eam pertinentes, quae vulgari lingua utiliter eduntur, prouti varia locorum, aetatis, hominumque indolis adjuncta suadent. Ast si de systemate theologico universo perfecte

(1) Ita apud scholasticos praeclariores, licet ipsi methodum *syntheticam* ac demonstrativam secuti sint, perfectae passim analyseos specimina occurrunt.

Falso tamen a quibusdam contenditur, scholasticos methodo analytica et ex dubio praeterea *positivo* procedere. Si enim quaestionem principio forma dubitandi proponunt *an* vel *utrum* etc.; si insuper difficultates, contrariasque sententias prius exhibent; hoc non arguit certe methodum analyticam, cum ipsi revera thesim suam positive ponant, eamque demonstratione evincere conentur. Difficultatum praevia expositio, non est nisi materialis ordinis inversio. Dubium vero quo rem plerique exhibent, ad methodicam quamdam ac mere item materialem rei dispositionem pertinet, statimque ad thesim suam systematice ac theoretice probandam deveniunt. Ita videre est apud scholasticorum principem s. Thomam.

instituendo, si de junioribus theologis in sacris disciplinis informandis agitur, nimis graves caussae rectum theologum impellere debent ad latinae linguae usum mordicus tuendum ac retinendum.

557. Possem pro hac affirmatione in medium afferre 1. quod latina lingua utpote constanti et antiquissimo ecclesiae usu consecrata, et *liturgica* effecta, jus quoddam sibi merito adsciscere videtur etiam in sacras disciplinas quae ecclesiae doctrinam fideique depositum continent (1); 2. quod Christi ecclesiam, cum *catholica* vere sit seu universalis, maxime decet valdeque eidem fructuosum est, *universalem* linguam habere qua doctrina ejus *systematice* tradatur ac illustretur, sic ut varii catholicorum theologorum licet diversarum nationum labores in communem ecclesiae totius usum ac fructum venire queant; 3. quod patres quamplures, doctores, ceterique theologici scriptores superiorum fere omnium ecclesiae aetatum latina lingua opera sua potissimum exararint; 4. quod ubi a theologiae scholis latinus ablegetur sermo, vernaculis linguis suffectis, hujus linguae studium in junioribus theologis restinguetur ac decidet, magno cum clericalis coetus dedecore, atque ecclesiae ipsius detrimento.

558. Sed alia est ratio momenti adhuc valde majoris, quae rem nostram omnino conficere debet: maxima nimirum pericula et damna quae fidei catholicae obveniant oportet, si quidem ejus dogmata vernaculis linguis tractentur. Habent enim christiana dogmata cum ratos firmosque conceptus suos, quos immutare nefas est, tum locutiones illas perpetua traditione atque usu consecratas, quae conceptus illos rite efferunt, perpetuoque integros servant. Atqui si haec omnia cuique e vernaculis linguis committantur, quae variae ac mutabiles sunt, et quas quisque scriptor pro ingenio suo inflectere potest, ac aliam aliis vocabulis significationem tribuere, quis non videt quot inde in dogmata ipsa varietates, ambiguitates, perversiones etiam dimanent? Praesertim vero hac aetate qua tot philosophiae systemata, tot opinionum placita communes conceptus totumque pene dixerim verborum usum ac acceptionem plane sus deque verterunt, nonne valde pertimescendum erit, ne scriptorum ingenia nisi in rebus fidei tractandis fixa aliqua conceptuum ac verborum lege coërceantur, in *profanas verborum novitates*, ac in totius sacrae scientiae perversionem proruant? Atque utinam id non luctuosa nimis recentioris aetatis experientia testaretur (2)! Ex quo enim in nonnullis regionibus latina linguae theologicis disciplinis, etiam a junioribus erudiendis exulavit, neotericae philosophiae placita ita in theologica dogmata irrepserunt, ita imagina-

(1) Vide quae egregia habet cl. De Maistre de lingua latina ejusque usu in ecclesia universali in op. *Du Pape*, liv. 1, chap. xx.

(2) Placet heic e Baltzerio exscribere testimonium percelebris inter Germaniae protestantes, historiae praesertim scriptoris, scilicet *Leo*, qui alio etiam ex capite deflet in Germania sua usum vernaculae linguae in res theologicas invectum, lingua latina derelicta. « Si hujus seculi initio, postquam Vatke, De-Wette, Gesenius aliique invexerant in theologiam tendentiam illam dissolutionis, extitisset aliqua prohibitio (Gubernii nimirum) ne investigationes ullae quae noxiae esse possent auctoritati Bibliorum apud populum *germanice* ederentur, ac lex sancita esset quod in ejusmodi lucubrationibus lingua latina esset adhibenda, quemadmodum anteactis temporibus existebat, cautum hoc modo ac impeditum fuisset quominus doctrinae talium librorum, uti est *vita Jesu* a Straussio confecta, per publicas ephemerides in omnium ore ac manibus versarentur ». Apud Baltzer, Op. cit. fasc. 1, § 5.

tionis aestui habenae laxatae sunt, ita simplicitas fidei, quae in scientia etiam theologica elucere debet, adscititiis est ornamentis et fuco adulterata, ut veram germanamque theologiam frustra desideres. Scriptores invenies, etiam doctrina ac religionis studio caeteroqui praeditos, quorum theologica opera si in aliam quamcumque linguam convertere tentes, vix tolerabilem aliquem sensum, hominumque captui pervium assequi poteris. Haec quidem nos non animo quemquam insectandi proferimus, sed tantum pro religionis bono, pro juventutis in spem ecclesiae adolescentis necessitate, pro sacro illo fidei deposito, corruptibili quovis auro argentove longe praetiosiore, quod quidem theologus quisque, si quidem catholicus haberi velit et sit, purum, sartum, integrum custodire debet et tradere (1).

CAPUT III.

De instrumentis seu mediis quae theologo usui esse possunt

359. Praeter fontes de quibus in hac tractatione egimus et ex quibus theologus suas haurire debet probationes, plura alia ad rem catholicam adserendam, illustrandam ac tuendam subsidia sibi comparet necesse est. Subsidia haec quae *instrumenta* vocavimus seu media, alia *intrinseca* et propria scientiae sunt, *extrinseca* alia et veluti aliunde adscita.

360. *Intrinseca* porro sunt Scriptura et Traditio cum iis omnibus quae ad eas referuntur, quasque heic spectamus non solum quatenus locos theologicos constituunt ac *remotas* fidei regulas, verum etiam imo potissimum in ordine ad cognitionem quam sibi de illis theologiae canditatus comparare debet. Quo sub adspectu Scripturarum cognitio complectitur criticam, exegesim, hermeneuticam, linguisticam, archaeologiam. Traditio vero historiam dogmatum, monumenta ecclesiastica, patristicam cum reliquis quae suo loco expendimus.

361. Necesse autem non est ut singula haec capita persequamur cum satis abunde de illis egerimus in priore secundae hujus tractationis partis sectione: illud tantum animadvertimus, quod dum *historiam dogmatum* commemoravimus, haud significemus uniuscujusque dogmatis originem, prout haeretici atque in his praecipue rationalistae intelligere consueverunt. Siquidem alia illis origo nisi divina revelatio nec est nec esse potest. Ast per historiam istam unice innuimus originem impugnationis cujusvis singillatim dogmatis: a quibus nempe, quo obtentu, queis argumentis, quomodo item error propagatus fuerit, quas phases subierit; quando dogma adsertum ab ecclesia sit ac definitum, quinam praecipui veritatis catholicae propugnatores extiterint quibusque usi argumentis sint. Haec enim plurimum conferunt ad eadem dogmata firmanda praesertim cum haeretici posteriores ut plurimum nonnisi obsoletos ac plene contritos errores e suis veluti cineribus excitarint (2).

(1) Praeclare iterum Vincentius Lirinensis theologum alloquens: « Catholicae fidei, inquit, talentum inviolatum, illibatumque conserva. Quod tibi creditum, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur. *Aurum* accepisti, *aurum* redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias: nolo pro auro aut imprudenter plumbum, aut fraudulenter aeramenta supponas: nolo *auri speciem*, sed *naturam* plane ». Commonit. § 22. ed. Gallan.

(2) Exemplo sint sociniani qui sabellianismum, paulicianismum, noetismum denuo excitarunt; item lutherani et calviniani qui Aërii, Vigilantii, Joviniani, aliorumque absurda commenta adoptarunt, et ita porro.

362. Nec aliter dicas de *patristica*, ut trito jam vocabulo utamur, quae nempe se protendit ad pleniorem cognitionem eorum quae ad patres spectant; biographiam praeterea, historiam criticam, uniuscujusque laborum seu commentariorum ordinem chronologicum, operum quae genuina habentur ab adscriptitiis aut interpolatis secretionem, praestantiores demum editiones complectitur (1). Ab hac nonnulli distinguere solent *patrologiam* veluti illius partem, cujus praecipuus scopus est in doctrinam sanctorum patrum intimius penetrare, opiniones quaque aetate praevalentes sive theologicas sive philosophicas expendere, quae non parum juvant ad illorum intelligentiam assequendam, atque ad verum eorum sensum detegendum. Patristicae subsidio non modo theologus poterit sese ab illa defendere hoc praesertim tempore sane turpi hallucinatione, qua fit ut testimonia apocrypha pro genuinis ac sinceris adducantur, antiquiores auctores exscribendo qui ea primum protulerunt nondum severiore critice facem praeferente; verum etiam germanam poterit patrum mentem assequi quoad illos textus quibus haeretici abutuntur ad catholicam doctrinam labefactandam. Prolegomena, et appositae dissertationes ac notae a doctis illorum operum editoribus adornatae adjumento erunt perutili ei qui serio velit in id studio incumbere.

363. Optandum quidem esset ut eadem adhiberetur diligentia in cognoscenda scholasticorum critica historia, nec non opinionibus quae apud illos invaluerunt, et mutationibus quibus fuerunt obnoxiae, aliisque ejusmodi ex quibus haud modica commoda in proprium usum theologus derivare posset.

364. Sed ut aliquid jam attingamus de instrumentis *extrinsecis* et adscititiis, tot fere haec sunt quot, pene dixerim, sunt bonae artes ac disciplinae. Vix enim aliqua ex eis invenitur ex qua depromere nequeat theologus aliquid saltem quo catholica veritas aut illustretur aut defendatur. His siquidem omnibus cum religionis catholicae hostes turpiter abusi sint ad eam impugnandam, theologus ad eas confugiat necesse est, ut inde pharmacum extrahat unde increduli aut haeretici venenum hauserunt; et arma conquirat unde illi sibi tela quibus eam confoderent, compararunt (2).

365. In harum praelectionum decursu non semel vidimus qua ratione catholicae doctrinae adversarii abusi fuerint dialectica, metaphysica, psychologia,

(1) Eminent inter cetera hac de re duo egregia opera, nempe: *Histoire generale des auteurs sacrés et ecclesiastiques* par le R. P. Dom. Remy Ceillier Bénédictin. etc. Paris 1729. Quod quidem opus XXIII. volum. in 4. constat, praeter locupletissimum indicem qui constituit volum. XXIV; atque *Apparatus ad bibliothecam maximam veterum Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum Lugduni editum*; opera et studio Domni Nicolai le-Nourry presbyteri et monachi ord. s. Bened. duobus volum. in folio. Paris 1703. Adjumento pariter esse poterunt *Apparatus sacri* Ant. Possevini S. J. Venet. 1606. trib. volum. in fol. Et quoad antiquiores Patres praeter Coteleriom qui edidit duobus vol. patres apostolicos, *Illustrium ecclesiae orientalis scriptorum qui sanctitate juxta et eruditione floruerunt I, et II. Christi seculo vitae et documenta* auctore R. P. Petro Halloix S. J. Duaci 1633. et 1636. duob. volum. in fol.

(2) Cf. hac de re egregium opus jam a nobis laudatum *Conferenze sulla connessione delle scienze e della religione* etc. auctore cl. episcopo Nicolao Wiseman, praesertim vero XII. seu ultimam conferentiam, in qua egregius auctor ad optima quaeque studia colenda, opportunis ac ingeniosis in medium argumentis allatis, theologos excitat ac impellit.

physica, mathesi, astronomia, geologia, physiologia, philologia, sculptura, pictura, poësi, archaeologia, historia, politica, utroque jure civili et ecclesiastico, ut sese illis offerebat occasio. Quoniam vero vix aut ne vix quidem fieri potest ut quisquam sit disciplinis his omnibus apprime instructus, saltem cognoscat oportet, dum veritatis catholicae vindicias sumit, celebriores auctores qui illas singulas excoluerunt, et in unaquaque excellunt, ut inde communire se possit adversus improbos acatholicorum conatus. Quo recentiores vero auctores sunt et scientiam ad ulteriorem perfectionem provexerunt, eo magis videntur idonei; quippe, uti non semel animadvertimus, quo magis scientiae progrediuntur, perimunt difficultates quas illae in sua veluti infantia procrearant. Quapropter theologo maxime cordi esse debet ut cum scientiarum incremento pari gradu incedens, semper eisdem valeat pro opportunitate uti. Sic eam reprehensionem effugiet quae non semel in theologos intentata est, eos videlicet *stationarios* esse, ac dum scientiae omnes seculo progrediente magis in dies proficiunt ac ditescunt, eosdem in anteactis seculis consistere, ac in sua paupertate marcescere. Hac ratione se suamque disciplinam ab opprobrio vindicabit, ostendetque, theologos haud plane hospites a praesenti scientiarum statu esse, conciliabitque theologicae scientiae virorum doctorum promeritam venerationem (1). Quamvis enim theologia quoad objectum suum incapax progressus sit, cum illud recipiat et non cudat, tamen quoad rationem quaestiones ipsas pertractandi, quoad veritatis illustrationem, insectationem errorum novorum, capax est, uti ceterae scientiae omnes, jugis progressus et perfectibilitatis.

366. Instrumentis igitur tum propriis tum adscititiis stipatus theologus, ac lucidissima scientiarum omnium aureola circumdatus strenue poterit in aciem descendere quin paveat catholicae ecclesiae adversarios, qui eminus quidem conspecti, specie gigantes videntur, cominus vero se produnt quales reipsa sunt, pygmeos videlicet, qui per adusta dubii deserta vagantes, non habent ubi pedem figant, aut ubi consistant. Miseros homines qui se suosque adeo ingeniose decipiunt, ac negotiorum maximum, cujusmodi salus aeterna est, lubricae, incertae ac deceptrici subjectivae persuasioni committunt! Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent! Utinam errores erroribus cumulare desisterent, ac saeva diu huc illuc tempestate jactati in tutum aliquando quietis ac salutis portum sese divina adspirante gratia reciperent! Cuicumque profecto, hac praesertim aetate nostra, sedulo ac sincero animi studio veritatem inquirenti, ea rerum undequaque conditio isque sese offert adspectus, lacrymabilis hinc ac

(1) Ceterum quoniam aetate potissimum hac nostra haud paucae tum a catholicis tum ab acatholicis summi momenti agitantur quaestiones ope periodicarum, ut vocant, collectionum, atque ephemeridum etiam, haec instrumenta, quae veluti publica opinionum vehicula sunt, non omnino theologus negliget. Ex illis enim non modo praesentem deprehendet controversiarum statum, sed novissimas praeterea cognoscet erroris formas. Error quippe in perpetuo semper fluxu transituque est atque has erroris vices cognoscat theologus oportet, ut idoneas aptet responsiones, erroremque de statione in stationem insectetur donec turpitudine illius in medium prolata, eum pudeat sui ipsius. Quod quidem in dies protestantismo contingit, qui ad tales incitas redactus est, ut amplius non inveniat ubi se teneat, si vaga verba, ambages, partemque demeris negativam.

plane desperandus, jucundissimus illinc salutisque plenissimus, ut diu dubius ac anceps haerere non possit. Ex una quippe parte quo magis oculorum intendatur acies, quid nisi congesta rudera sese intuenti exhibent ingentesque ruinae? Ruinae namque sunt misera illa protestantismi discerptio in tot tantasque sectas, sectarumque veluti frustula secum ipsis pugnantium, quaeque veluti folia novos mutantur in annos: ruinae divina sacrorum librorum inspiratio plane sublata; historica et objectiva religionis christianae fides evulsa radicitus; philosophica qualis sit cumque religio suffecta indefinite progrediens, novisque semper se formis evolvens quin unquam metam attingat; politicus demum in religionis res dominatus, sic ut e principis cujusque nuto pendeat novam religioni formam aptare, novum indere nomen. Haec certe protestantismi ubique facies est, ac simillima mortis imago. Age vero et quid tibi ex altera parte se sistat intuere. Magnificum nempe illud, omnique ex parte admirandum ecclesiae catholicae aedificium a Christo ipso supra solidissimam petram extructum, ac a novendecim prope seculis in unitate, indefectibilitate, sanctitate ac hierarchica veluti harmonia sua jugiter perseverans. Quod quidem tot jamdiu procellis quassatum, tot occultis tentatum insidiis, tot palam machinis impetitum, nil unquam de stabilitate sua deperdidit, nihil de suo splendore amisit; sed firmius inde ac solidius effectum est, novoque in dies et clariore lumine coruscat. Illi tot caelestia sidera affulgent quot patriarchae sunt qui illud consalutarunt a longe, quot prophetae qui illud vaticinati sunt, quot apostoli qui illud opera sua fundarunt lateque propagaverunt, quot martyres qui pro illo sanguinem suum profuderunt, quot virgines et confessores, qui sanctitate sua illud condecorarunt, quot demum doctores qui illud sapientia sua illustrarunt. In eo caelestium donorum et charismatum numquam non affluit copia: in eo sacrarum scripturarum integritas ac sanctitas manet: fidei christianae dogmata ad apicem usque plena et incorrupta servantur: perpetua christianorum seculorum traditio ac disciplina sanctissime custoditur. Ad hoc oriens atque occidens, ad hoc septentrio ac meridies oculos perpetuo attollunt, protenduntque manus: ex eoque novi semper evangelii praecones prodeunt, ad regnum Dei per omnes populos et tribus et linguas ad extremas usque mundi plagas disseminandum. Oh! *si oblitus fuero tui*, Romana catholica ecclesia, *oblivioni detur dextera mea. Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*, si quidquid mihi Deo adjuvante suppetat virium, in te, quod hactenus praestare conatus sum, ubique praedicanda, illustranda ac tuenda non conferam!

FINIS VOL. I.

INDEX

PARS POSTERIOR ADVERSUS HETERODOXOS

TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS

SECTIO POSTERIOR

PARS SECUNDA

Hanc cl. Auctoris immutationem cum sero ad nos pervenerit hic reposuimus.

Pag. 612, *col.* 2, *vers.* 15-22, *in locum* — insuper in valvis *etc. ad* Baruch III, 36 (2). *substitue* — qui mos, ut obiter heic dicam, invaluit etiam Constantinopoli, siquidem in valvis aeneis basilicae s. Pauli quae sec. XI. ad imitationem Ecclesiae Romanae excitata est, designantur prophetae, inter quos visitur ΒΑΡΟΥΧ Baruch, qui adjungitur Jeremiae, interque versiculos qui adducuntur ex Jeremia legitur in hujus pugillari: *Hic Deus noster et non imputabitur alius;* quae verba extant Baruch III, 36 (2). Sed ut Romam redeamus; tabula *etc.*